C. CORNELII TACITI
OPERA
QUÆ EXSTANT,

Integris BEATI RHENANI, FULVII URSINI, M. ANTONII MURETI, JOSIÆ MERCERI, JUSTI LIPSII, VALENTIS ACIDALII, CURTII PICHENÆ, JANI GRUTERI, HUGONIS GROTII, JOANNIS FREINSHEMII, JOANNIS FREDERICI GRONOVII, & selectis aliorum Commentariis illustrata.

Ex Recensione & Cum Notis

JACOBI GRONOVII.



TRAJECTI BATAVORUM,

Apud { JACOBUM à POOLSUM, ET JOHANNEM VISCH, } Bibliop.

cIↄ. Iↄ. ccxxi.

NOBILISSIMO AMPLISSIMOQUE

V I R O

GERARDO VAN BRANDWYK,

TOPARCHÆ IN BLESKINSGRAVE, ET HOGEVEEN, URBIS GOUDANÆ SENATORI CONSULARI, EJUSDEMQUE CIVITATIS NOMINE NUPER AD COLLEGIUM, QUOD AMSTELÆDAMI REBUS MARITIMIS SUMMA CUM POTESTATE PRÆEST, DELEGATO, CUM MAXIME VERO SENATUI FOEDERATI BELGII ADSCRIPTO

S. P. D.

ABRAHAMUS GRONOVIUS.

aximo equidem errore animum implicarem, immò de officii religione pravè deflecterem, nisi frequentia a gente Tua Teque ipso profecta in me me-

rita gratissimo animo agnoscerem quotidie, & nunc in propatulo exponerem. Hoc jubet Matris Tuæ antiquis moribus & rara pietate feminæ teneritudo, quæ me tantum quod primis fasciis involutum abusque lustrici diei sollemnibus ad suam clientelam adscripsit. Hoc flagitant tanta benevolentiæ Tuæ indicia, ex quo Patris mei contubernium etiam ante nativitatem meam elegisti: nam ea talia in me apparere, & in hunc usque diem absque ullo laxamenti interventu propagare voluisti, ut me ab illo nexu liberare haud unquam possim. Hoc denique imperat jucundissima inconcussæ atque inviolatæ amicitiæ, quæ Parenti meo Tecum intercessit, recordatio, quam absque insigni laudum Tuarum commemoratione recen-

cen-

censere mecum nequeo: adeo enim benevolè illum semper complecti solebas, ut nihil æquè jucundum, quoad vixerit, menti ipsius inhærere potuerit, ac politissimi sermonis Tui & consortii cogitatio. Itaque lubens Paternam in me vicem suscipio, persuasissimum habens, me debita erga Parentem pietate non defuncturum, nisi vinculum illud, quo ipsum semper tenuisti, in me transferrem: adeoque Tibi consecro novissimum, quem fata permisere, Paterni ingenii ac laboris fœtum; simul & sub amplissimi nominis Tui auspiciis prodire jubeo Historiæ Romanæ conditorem Cornelium Tacitum, dignissimum, quem in patrocinium Tuum recipias. Tanta enim hujus Scriptoris auctoritas cum apud illustres Viros,

tum apud Orbis terrarum Principes fuit, ut non modò illum in tutelam ſuam admittere dignati fuerint, ſed & in ſingulis Bibliothecis integrum exſtare juſſerint. At quod dolendum, & hic Auctor commune naufragium, quo plura ac ſplendida interiorum litterarum monumenta perierunt, fecit: quidquid tamen ejus exſtat, Tibi, Vir Ampliſſime, dedico; non templa, non aras, quia, ut ille ex ore Tiberii Cæſaris docet, quæ ſaxo ſtruuntur, ſi judicium poſterorum in odium vertit, pro ſepulcris ſpernuntur, ſed hanc pulcherrimam in animo Tuo effigiem & manſuram: atque eo lubentius dedico, quod inexhauſto litterarum amore, quibus Tuum nobile pectus poliviſti, duceris: hæ enim Te ad tantum fortunæ cultum inſtruxerunt, Tibique

quid

quid fugiendum, quidve imitandum variis exemplis commonſtrarunt: ita eminet inter ſplendidiſſimas virtutes Tuas ſingularis eruditio, cujus ope non tantum Rempublicam juvas, ſed & nobiliſſimæ proſapiæ, qua ortus es, & futuræ poſteritati ingens decus adjicis: ad hæc pietatem religione, religionem moderatione, moderationem conſtantia, conſtantiam denique ſumma humanitate ac mira comitate exornas: tantum abeſt, ut ambitionis in Cives potius, quam officii in omnes rationem ducere velis, dum nemo tam humilis inveniatur, cui non ad Te aditum patere jubeas. Ceterum Tibi, Vir Ampliſſime, inter lectiſſima Fœderati Belgii Lumina enitenti, & libertatis officia aliis exhibenti & præmonſtranti gratulor, atque ut Te, dum Reipublicæ gubernaculis

adſides, incolumem diutiſſime ſervare, & me valido patrocinio Tuo in longum frui velit, Deum T. O. M. precor. Vale & rem fortiter ac feliciter gere.

Lugduni Batavorum
a. d. III. Non. Septemb.
MDCCXX.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Etſi nihil Præfationis vice annectere conſtitueram, præſertim cum Virorum Doctorum Præfationes in hanc Editionem contulerim, tum etiam ne acerbam memoriam luctus, quem Parentis obitus mihi inuſſit, commemorando renovarem: tamen vel ad levandum dolorem, atque ut ab eo oppugnatus magis, quam oppreſſus videar, paucis, quid in hac Editione præſtitum ſit, exponam. Contextum *Annalium* & *Hiſtoriarum* priſtino nitori reſtituere ex MS. Florentino ſummo ſtudio conatus fuit ὁ Μακαρίτης, cujus notæ nec non ſelectæ quædam animadverſiones Viri Eruditiſſimi Joannis Jeaſii, præter ſcholia Doctorum Virorum, quæ in præcedentibus editionibus apparuerunt, con-

tex-

textui subjunctæ sunt. Accedunt etiam ad calcem hujus Editionis variæ lectiones, excerptæ ex MS. codice Bibliothecæ Bodleianæ, quem, dum Oxoniæ fui, contuli: in eodem libro exarata erat epistola Pontii Pilati ad Tiberium de Jesu Christo, quam publici juris faciendam & hic interponendam censui.

„Pontius Pilatus Judææ Procurator Tiberio Cæsari Imperatori S. P.

„De Jesu Christo, quem tibi planè postremis meis declaraveram, „nutu tandem populi acerbum me quasi invito & subnitente supplicium sumtum est: Virum hercle ita pium, ita severum, „nulla antè ætas habuit, nec habitura est: sed mirus exstitit „ipsius populi conatus, omniumque Scribarum, & Principum, „ac Seniorum consensus, suis Prophetis more nostro Sibyllis „contrà monentibus, hunc veritatis legatum crucifigere, signis „supra naturam apparentibus, dum penderet, & orbi universo Philosophorum judicio lapsum minitantibus. Vigent illius „Discipuli opere, & vitæ continentia Magistrum non mentientes, immo in ejus nomine beneficentissimi: nisi ego seditionem populi propè æstuantis exoriri pertimuissem, fortasse ad-

„huc

„ huc Vir ille nobis viveret : etſi tuæ magis dignitatis fide compulſus, quam voluntate mea adductus pro viribus non reſtiterim ſanguinem juſtum, totius accuſationis immunem, verum hominum malignitate iniquè, in eorum tamen, ut Scripturæ interpretantur, exitium venundari & pati. Vale v. Kal. April.

Ad *libellum de moribus Germanorum* pro ſymbolâ attuli variantes lectiones quas ex MS. Arundelliano collegerat Iſaacus Voſſius. Denique *Dialogo de cauſis corruptæ Eloquentiæ* elegantiſſimas notas Doctiſſimi Viri Joannis Schultingii ex editione, quæ A. MDCLXV. prodiit, ſuppoſui. His igitur, Benevole Lector, fruere, & noſtrum laborem æqui bonique conſule.

** DEDI-

DEDICATIO
BEATI RHENANI.

Amplissimo Patri & Principi

D. BERNARDO

Episcopo Tridentino ac S. R. E. Cardinali

BEATUS RHENANUS S. D.

NTER ea dona, Præsul ornatissime, quæ mortalium generi beneficum inter nos numen celitus largitum est, nihil secundum rationem divinitatis imaginem majus aut præstantius homini contigisse magni viri censent, quàm sapientiæ munus & hujus conservatrices litteras, divinas ob hoc cunctis seculis judicatas. Quid enim vita humana foret, nisi hæc artium excogitatrix, hæc institutrix optimæ cujusque rei, denique prudentiæ mater, admirabili diligentia à præclarissimis olim viris, quo sempiterna ejus monumenta exsisterent, non in æs incisa aut insculpta saxo ceterum libris & litteris latissimè commendata fuisset? Æquum vero sit ut quod tam immensum thesaurum continet, minime vulgari cultum honore præfulgeat. Nam si thecas rerum pretiosarum auro argentoque dignas ducimus, si scrinia, quibus reliquiæ divorum insunt, reverenter exosculamur, quid litteris fieri conveniet quum divinæ tum humanæ sapientiæ præstantissimas opes in se continentibus? Itaque mysterio non vacat quod Veteres harum tutelam summis numinibus adscripsere, Jovi Palladique, litterarum dignitatem hoc involucro haud obscurè significantes, Magnum enim sit ac eximium necesse est, cujus cura diis excellentissimis attribuitur. Unde porrò observatum religiosè videmus, ut in asserendis litteris summi Reges enixè certarint, quum quod cognoscerent harum præstantiam, tum quod eos neutiquam fugeret quantum damnum maneat res humanas si per socordiam ignaviamque nostram interirent. Notum est hic illius σοφωτάτου Solomonis, quem non

piguit

piguit edito monumento litterarium augere thesaurum, atque aliorum veterum Principum, Alexandri Magni, Ptolemæi, ac divi Augusti ferventissimum studium. Nec ullis vero temporibus defuere tales litterarum patroni, ne proximis quidem. Namque Sigismundus Cæsar, Matthias Corvinus Pannoniæ Rex, ac pridem Maximilianus Aug. quantum litteris faverint paucis arbitror obscurum: quippe vere regium censebant earum suscipere patrocinium, quæ maximis retro Principibus semper curæ fuissent. Nec est quod quisquam diffidat hujus temporis summos Monarchas CAROLUM Aug. & FERDINANDUM Cæsarem hujus germanum, ab hac avi sui laude degeneraturos: imò bona spes habet etiam superaturos quantum potentia antecellunt, si modo liceat à bellis istis quibus quum privatim tum publicè distinentur dum fines regnorum suorum ab insidiis invadentium defendunt, aut jam occupatos vendicant, dumque sævissimos hostes Turcas à cervicibus Christianorum arcent, aliquantulum respirare. non minus enim magnanimus ille heros literarum præconiis notus est quàm ob orbem prudentissime gubernatum, vicissim scilicet ornantibus quas ornarat ipse. Quod si principibus prophanis in laudem semper vertit literarum favor, quanto magis ecclesiasticos proceres decuerit hic non cessare, quorum æquissimo jure proprium esse debet hoc studium, quum quod artes pacis alumnæ iis imprimis conveniunt, tum quod opes horum nusquam melius collocari queunt quàm in exornandis literis. quanquam ut nunc habent res mundi, nihil piget quosdam in strepitum quidvis effundere, duntaxat hic manum contrahunt. At quum Christiana pietas præsidio litterarum veluti fundamento quodam nitatur, sine quibus non intelligi multo minus defendi queat, quanto consultius fuerit & hanc partem respicere, efficereque ut non solum non intereant litteræ, sed potius occultæ modis omnibus effloreſcant, sintque in admiratione & precio mortalibus omnibus, præsertim hoc tempore quo pax ecclesiastica improbis quorundam contentionibus propemodum diffuta est. Nec vero hæc dicuntur quod celsitudo tua hortatore egeat ad sublevandas bonas artes & suscipiendum disciplinarum patrocinium, quando sua sponte literis literatisque omnibus favet, nihil unquam omissura quod ad evehenda recta studia pertinere possit. Eruditos enim etiam ex Italia accitos in aula tua tecum habes quibuscum disputes, & ubi regiorum negociorum urgentes curæ nonnihil remiserint, quas mira dexteritate solus propè sustines apud illustrissimum regem Ferdinandum, familiariter colloquia misceas, solicitudinum molestias quibus animum in ea rerum administratione versantis conflictari necesse est, detersurus. Siquidem quis ignorat quàm tu bene actum cum republica Christiana cupias in emovendis ex inferiori Pannonia Turcis, qui hac jam plus semel devastata viam sibi

** 2 vide-

videbantur fecisse qua non Germaniam modo perpopularentur, sed & Gallias deinceps invaderent. Itaque non sine consilio tuo, de quo haud dubito, insignis illa nuper expeditio contra irruenteis Turcas indicta est atque suscepta. Sed nimis cito hostes nostri fuga se in Thraciam recepere ad famam solam tanti coëuntis exercitus, alioqui meritas daturi pœnas: tametsi populatorum copiæ qui pernicibus equis vecti priusquam expectes omnia passim igne ferroque evastare solent, mira nostrorum solertia ad multa millia profligatæ sunt atque deletæ. Ac nunc lætiora rumor affert de exercitu regio, quem adversus occupatorem Hungariæ feliciter pugnasse ferunt non paucis locis receptis. Unde spes est nihil profecturos adversariorum dolos, quamlibet atrocissimis Christiani sanguinis hostibus fidant. Tum recepta Pannonia magnum nobis contra Turcas propugnaculum rursus accedet. ἀλλὰ ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Porrò quantum R. D. T. viris eximie eruditis faveat, facile est divinare, quum mihi qui nihil in literis sum, dono nuper miserit nomisma argenteum iconicam effigiem tui habens. Quæ me res movit ne prorsus videar ingratus nunc nec aureum nec argenteum, sed chartaceum munusculum offerre tibi, planè juxta Homericam ἀμοιβὴν ærea aureis rependendo sanè quod ad me attinet. Nam quum accepissem futurum ut Annales Cornelii Taciti denuo typis informarentur, primum experiri libuit an operæ pretium esset vulgatam editionem conferre cum manuscripto codice quem nactus fueram jampridem ex bibliotheca Budensi, cujus autor Ungariæ rex Matthias ille Corvinus Martis & Palladis studiis inclytus, donante Jacobo Spiegellio amico ac cive meo charissimo: quem tibi virum jam inde à Maximiliani Cæsaris principatu, non solum apud illustrissimum regem Ferdinandum, quorum utriusque consiliarius fuit & à secretis, ob raras ingenii dotes & fidem sinceram, haud ignotum esse certò scio. Deinde quum succederet negocium, hoc est infinita loca fœde depravata, quod nemo credidisset, hac opera restituerentur, à labore cœpto non destiti, donec universum volumen à capite ad calcem haud oscitabundè contulissem. Quid autem effecerim, castigationes libris præfixæ docebunt. In quinque prioribus voluminibus quæ reperta apud Corbeiam in Saxonibus, paulo post Romæ evulgata sunt, item in libello Germanorum, Oratorum Dialogo, Agricolæque Vita, defuere quidem scripti codices cum quibus conferrem, ceterum ipse æditionem vulgatam percurri non prorsum indiligenter, ac loca quædam accuratius excussi. Equidem multis de causis semper dignissimum judicavi Tacitum, qui inter scriptores rerum Romanarum in manibus assiduè haberetur, vel hoc præcipue nomine, quod non tantum perpetuam bellorum historiam contexit Livii instar aut cæterorum, sed subinde res insigneis interjicit, qua-

quarum utilissima cognitio, sive quod ab aliis omnino non traduntur, sive quod hic plenius. Necesse vero fuit sub monarchis Cæs. dum unius imperio ne libidini dicam omnia parent, plurium mulctas, exilia, cædesque contingere, quàm dum populo Romano senatuique sua stetit autoritas ac majestas incolumis. Unde factum ut præstantium in literis virorum judicio Livio non sit postponendus Tacitus, quin potius anteferendus: non quod hujus floridum ac meditationem & curam olens dicendi genus, quale sub Vespasianis placuit ac indies exin degeneravit in affectatam quandam compositionem exolescente paulatim sermonis Latini puritate, Livianæ dictioni illi naturaliter amabiliterque fluenti, nam id seculum purissimum fuit, æquari debeat aut præferri: sed quod singularium rerum narratio, quemadmodum hic non meritam mortem fortiter subierit, quid alius in jus calumniose vocatus dixerit aut fecerit, quam agendum cautè cum iis qui solo nutu perdere possunt, quam parcè fidendum, & iis similia exempla multum conferant ad legentis pectus prudentiæ monumentis instruendum. Utinam vero quod nos in Tacito nunc præstitimus, alii præstent in Cicerone, Livio, Plinio, & non minus depravato L. Floro. Ab eruditis hoc operæ expectandum est, & in auctorum lectione diligenter versatis. Sed deterret plerosque non imperitia, verum labor gloria carens, & reprehensioni indoctorum etiam obnoxius, quidam rident tantum, levius ferendi, quidam nec à conviciis abstinent. Et tamen non est alia via succurrendi veterum scriptis nisi hæc, nempe ut primum conferantur attentè exemplaria manuscripta, dein judicium adhibeatur. Tædium ego laboris, nec est ulla res in orbe fastidiosior, facile contempsi subinde cogitans quantum utilitatis hinc perventurum esset ad studiosos. Quos ut amplius demererer, adjeci Thesaurum locutionum constructionumque & verborum, quibus Tacitus frequenter utitur. in quo fateor esse multa vulgo protrita, sed tamen insunt quædam non indigna studiosorum adulescentium cognitione. In summa si R. D. T. hanc operam meam albo calculo dignata fuerit, bene res habebit. nam spes est cæteris quoque probatum iri tuo judicio subscripturis. Bene Vale Præsul & princeps amplissime. Selestadii Nonis Decembris, An. M. D. XXXII.

JUSTI LIPSII
PRÆFATIO.

Habes Commentarium meum, Lector, opinione tua, & promisso meo fortasse tardius. nec mirum: quia serio opus adgressus, ejusmodi comperi, ut properandum in eo mihi fuerit, non festinandum. Multa in Annalium libris rara, recondita, & paucitate Scriptorum ejus ævi obscura: multa etiam ex non vulgatis ritibus & vetustissimo jure haurienda. Nec dux mihi alius ad hoc iter. Primi, inquam, hanc viam ingredimur, Ferreto, Alciato, Vertranio visam potius quam tritam. Denique scripsi hos Commentarios, non exscripsi: & meo remigio, ut ille ait, rem gessi. Correctiones aliquot veteres firmavi, novas addidi. neutrum ambitiose: quia certe peccamus jam nos Critici in hanc partem; & ut olim vitiis, sic nunc remediis laboratur. Quædam etiam in aliis Scriptoribus passim animadversa: non quia adfectarim, sed quia dabant se sub manum. Ut in segete flores quidam internascuntur sua sponte: sic in his scriptis alieni generis notæ. Historiæ & moribus, cum opus fuit, prætuli facem: sed non nisi cum opus. Nam vulgata quædam, & e Dione Suetonioque in loco prompta adspergere, cui rei? Fanaticorum est & eorum qui exeunt e potestate, mero meridie accendere lucernam. Et tamen, scio, facilia quædam mihi visa, quæ obscura aliis. Sed quid? jam antè testor me nec pueris ista elaborasse: (quid enim iis cum Tacito?) nec detortis quibusdam variisque judiciis, quibus nusquam liquet aut lucet. Inveni tam fatuum, qui rectissimos Taciti locos inverteret, & optimum quemque ejus sensum. Brevitas etiam mea fortasse quibusdam non ad gustum. quid faciam? ita natura mea & judicium est: & tractari malo, quam semel adspici & tangi. Aquam maris dulciorem in imo esse ajunt, quam in summo: sic fortasse suaviora tibi ista cum penetraveris. Aut si magis protrita tibi sapiunt & vulgata: abi mi homo, non ego cymbalum ad tuas aures. A te serie & erudite Lector peto, ut sicubi lapsus sum, aut si quid mihi elapsum, corrigas, non culpes. quia reverâ in tanto opere nec unus omnia pervidi, & in quibusdam alludo potius ad sententiam fortasse, quam tango. Politica non attigi. Sive enim peritis, sive imperitis; frustra. Illi sponte eligere possunt: hi nec electis recte uti. Et audio jam esse, quibus proprie ea cura. Ego quod potui, id feci: nec impedio, si quis in eodem Circo curret ad palmam. Vale, &, si merui, fave Lector. Lugduni Batavorum, Kal. Augustis, CIↃIↃLXXX.

JUSTI

JUSTI LIPSII

Allocutio Iterata & Novissima.

Scriptor hic est, Lector, quem ego me produxisse tuo bono & lætor, & pæne jacto: certe neque notum satis antea, neque luce aut medicina digna (egebat autem) donatum. Magnus scriptor est, & qui proprie facit magnis: id est, iis qui tractant reipublicæ clavum, aut a consiliis monitisque tractanti adsunt. Quæ pars prudentiæ est, militaris sive civilis; quis affectus hominum, etsi occultus; qui casus aut eventus rerum, quos iste non palam aperit, aut sub velo ostendit? Audeo & debeo asserere, hunc hominem videri in alta quadam specula rerum humanarum fuisse; & illinc gnarum scientemque proclamare, Hoc cave, hoc facito: Juvabit, aut lædet: Ille & ille effectus erit. Sicut nautæ in apicem mali submittere exploratorem solent contra adventores subitos, contra scopulos, vada, terram: sic istum habere licet, adversus pericula, eumdem ad felicia incepta & inoffensum rerum cursum. Non est in Græcis aut Latinis, & fidenter dicam, non erit, qui prudentiæ omnigena laude huic se comparet: adeo non veremur, ne quis anteponat. Singulæ paginæ, quid paginæ? singulæ lineæ dogmata, consilia, monita sunt: sed brevia sæpe aut occulta, & opus sagace quadam mente odorandum & assequendum. Sicut non omnes canes feram, non item lectores virtutes hujus dotesque aut indagent, aut captent. Viris opus est, & cum ingenii quadam subtilitate, judicii rectitudine: & ut verbo dicam, naturæ bonitate. Qui non habet, me audiat, & res alias agat. Sed de auctore omitto: (& satis ille se laudat:) de opera mea dicam. Jam anni triginta sex sunt, cum adolescens Romæ animum huc intendi, & libros veteres comparavi, ut melior illustriorque per me prodiret. Grande opus, in illa ætate: sed animus vel Deus impulit: & idem dedit, etsi gradatim, perfecisse. Nam primum Notis illustravi, Coloniensi secessu a nostris turbis: largius deinde, & pleno Commentario, Lugduni in Batavis; iterum secessu. Nam dicere, si non queri, liceat: ætas mea in hoc ævi patriæque turbidum incidit; ut pacem & quietem nomine magis, quam re noverim: & inter assiduos fluctus aut pericula, ab adolescente pervenerim ad senectutem. In Batavis igitur Commentarium dedi, & non displicuisse passim in Europa vidi, ἵνα μηδὲν ἐπαχθὲς λέγω, Non, inquam, displicuisse: & multos deinde, quasi muscas, ad odorem bonæ famæ convolasse, & in eodem mustaceo, quod dicitur, lauream quæsivisse. Quosdam ex iis modestos, bonæ frugis, & qui pro parte symbolam contulerunt: quosdam alios, & qui illudere aut inequitare, studium haberent; & alienæ famæ μῶμον, ut ille ait, ἀνάψαι. Illos amavi, hos tuli: & multorum ἄνοιαν καὶ ἄγνοιαν silentio & patientia dissimulavi. Stringere gladium si libuis-

libuisset; quam multos proclive mihi fuit abjicere aut repellere, qui etiam nunc modestiam meam victoriam suam ducunt? Sed illi viderint: aut potius meliores mentes viderint, quorum judicii & censuræ libenter facimus hæc & alia nostra scripta. Ego sine jactantia scio & effero, pauca esse quæ excusem, pleraque in quibus possim gloriari. Neque tamen omnia licuit aut libuit ἀκριβολογεῖσθαι καὶ διεξελέγχεσθαι: *& loca quædam, sine aliorum ope codicum* ἔχουσι ἀνιάτως. *Sed & quædam in re aut historia tenebras habent, hujus ævi face vix illustrandas. Quid tamen refert? plurima aut præcipua cum sana sive illustria sunt,* στέργειν *oportet, & ad fructus in hac & simili lectione, non ad folia ire. Utinam faciant? utinam non perseveret ista* ἐν τοῖς κριτικοῖς ἄκριτός τις ἔρις καὶ ταραχὴ? *in qua ego rideam magis nescio, an indigner. De monito, de prudentia, pauci quærunt aut satagunt: ubi verbi aut scriptiunculæ res est, hic lubet* λόγους πλάττειν καὶ πομπεύειν. *Dii boni, quam inquietum & vanum est homo, cui scientiæ opinio lenocinatur & applaudit! Itaque hi tales velut e tripode profantur:*

κέκλυτε μαντιπόλου τάδε θέσφατον Ἀπόλλωνος.

Iidem in alios incurrunt, morbo non caussa: & citius in navi lignum desideres, quam convicium in eorum scriptis. Gaudent pugna: & sicut Symplegades olim assidue collisæ, sic inter se isti. Non enim mecum Hercules. non: cavi sedulo, & magis hoc studui. industria in scribendo, modestia in tractando, extra ambitum, nec extra gloriam esse. Quod si quis non dicam meliora, sed paria aut probabilia saltem attulit: ego ille fui, qui libens sustuli, qui ostentavi, & scripta mea hæc ipsa dicent. Neque enim negamus, alios utiliter allaborasse, & quamquam nos primi aut præcipui viam munivimus, illos etiam adjuvisse ad complanandum, aut emuniendum. Hoc in paucis, sed bonis Notis, e Gallia Josias Mercerus fecit; hoc Curtius Pichena ab Italia, sed & e Britannia contulit Savillus. Pichena tamen super omnes, adjutus a Florentino bonæ notæ codice, qui in Medicæa bibliotheca asservatur, & qui centenis circiter locis conjecturas nostras (quod gaudeam) confirmavit. His talibus & pluribus a me adjumentis, nunc postremam hanc Taciti editionem damus: nec aliam a me exspecta, sive quia animus alio vocat, sive quia valetudo ab omni tali opera removet, & ad extremas quasdam μελέτας *ducit. Ego pareo: tu scito me hic &* Textum *longe meliorem, scitiusque distinctum dedisse, & ipsis* Commentariis *multa addidisse, conjecturas aut scholia; atque etiam in Historias* Notis. *Quædam tamen & subduxisse, aut certe seposuisse in finem Commentarii, quo interdum remitteris sub EXCURSUM voce. Quid ii sunt? uberiores notæ aut dissertatiunculæ, olim insertæ, super ritu aliquo veteri, aut facto: quæ etsi ad Tacitum, tamen turbatura nunc instituti nostri ordinem videbantur, neque Textui apte sic innecti aut subjungi. Igitur abjungere, & ad ea remittere Lectorem, satis*

tis

tis nobis visum: præsertim cum invenire ac legere, promptum volenti esset. In istis aut aliis, ADDITIO interdum adjicitur: quæ significat e CVRIS SECVNDIS hoc esse, quas olim dedimus seorsim. Sed & bona fide quædam ejecimus, id est correximus, aut sententiam mutavimus: neque id puditum est, quia, ut ille ait, qui sæpe navigat, aliquando patitur tempestates: *& in multiplici aut longa scriptione, opus intervenire aberrationes, sive ἀποτυχίας. Humanum est, ignosce: turpe perseverare, aut defendere, quod non fecimus, & aliena judicia non libenter audire tantum solemus, sed & sæpe auscultare. Tantum est. te uti frui cupio, Lector: sed inprimis Tacito ipso, & altius aliquid firmiusque, quam Criticorum sive & Grammaticorum has curas, spirare. Non enim ad ista, sed per ista imus. Lovanii,* xv. *Kal. Septembr. anno Christiano* CIƆ IƆ CV. *ætatis meæ quinquagesimo octavo, minus mensibus duobus.*

CURTII PICHENÆ

PRÆFATIO.

Absolvi tandem, Lector, quod diu animo agitavi, editionem Taciti, omnium, ni fallor, emaculatissimam. in qua id mihi præcipuè ante oculos fuit, ut qui lectionem Taciti adgrederetur, sua natura haud satis enucleati auctoris, inoffenso, quod fieri posset percurreret pede, nec ad singulas periodos cogeretur subsistere, ac Notas evolvere: atque hac potissimum causa castigationes omnes ex vetustissimis manuscriptis, summa fide, ac religione excerptas, in textum retuli; adjectis etiam paucis, sed certissimis conjecturis, sub cujuscumque auctoris nomine: ratione singulorum in Notis diligentissime reddita: quæ vero, mihi quidem veriores, sed non usque adeo, ut serio recipere sim ausus, in libri margine adnotavi. Innititur præcipue industria mea duobus exemplaribus Florentiæ in inclita Medicæa bibliotheca adservatis. Alterum est in orbe terrarum unicum, Annales de Tiberii principatu complectens, in Germania olim repertum, & Leoni x. Pontifici oblatum, opera Philippi Beroaldi, qui tum temporis studio humaniorum litterarum florebat, in publicum emissum. Ceterum, sive præcipuæ ac nobilissimæ partes tanti auctoris exspectatio, citius quam res postularet e manibus illius opus extorsit; sive qui metit, haud ita demetit, ut nulla prorsus seges spicilegis relinquatur; non ea religione

*** trans-

transſcriptum & excuſſum, ut præſentis ævi fidei ac diligentiæ ſatisfieret: quare haud minimum laboris a nobis poſitum in eruendis verioribus lectionibus, ex compendioſa, ac mutila ſcriptura. Alterum eſt exemplar, barbaricis characteribus exaratum, quos Longobardicos appellant. ſed meo judicio haud recte. nam is liber exſcriptus annis ab ævo hoc plus mille ducentis. adnexa enim ſunt Apuleii nonnulla, iiſdem characteribus, & eadem, ut videtur, manu, ac frequens in libellorum fine ſubſcriptio Criſpi cujuſdam Salluſtii, qui etiam alicubi ait: *Ego Salluſtius, legi, & emendavi Romæ fælix, Olibrio & Probino Conſulibus, in foro Martis, controverſias declamans oratori Endelechio. Rurſus Conſtantinopoli recognovi Cæſario & Attico Conſulibus.* Priores, eo anno Conſules, quo Theodoſius Imperator obiit, a Chriſto nato cccvc. alteri poſt biennium. nec dum itaque eo tempore, quo liber eſt transſcriptus, Longobardi in Italiam irruperant. Uſui etiam mihi fuit liber Venetiis excuſus anno cıɔccccııc ex fideli (ut conjicitur) optimi codicis collatione. Quaſdam vero voces, quas in duobus manuſcriptis repperi præter vulgatum morem, ut *aduleſcens*, *valitudo*, *benivolentia*, *epiſtula*, *intellegere*, *promiſcus*, *volnus*, & alias hujuſmodi, tanquam obſoletam antiquitatem redolentes, & nihil adjumenti Latinæ linguæ ſtudio præſtantes, neglexi: itemque in priorum Annalium volumine, *aliut*, *illut*, *iſtut*, *aput*, *haut*, *quit*, *aliquit*, *ſet*. nam non ideo crediderim ſic antiquis uſitatum, ſed ex pronunciatione Germanica irrepſiſſe, transſcriptoris negligentia. Quæ in marginibus erant in prioribus editionibus, quæque in librorum initiis breviaria, aut compendia, omnia ſuſtuli, tum quia ipſe ſibi Tacitus breviarium breviſſimum & compendioſum, tum, ut eſſet locus ſcribendi, ſi quis velit ſibi ipſi eſſe interpres oraculorum Taciti. Ex Lipſio reliqui Stemma domus Auguſtææ, quod ſcilicet multum adjumenti Lectoribus præſtet, parum loci occupet: itemque quæ idem ipſe Lipſius de Tacito ipſo ſcripſit. Adjeci ego Indicem fortaſſe non vulgarem. Jam vero te, quiſquis ad Corneliani ſacrarii limen accedis, moneo & hortor, ut quantumvis doctus, præcipuum ducem profectui tuo proponas Juſti Lipſii Commentarios; a me præter fidem ac diligentiam nihil exigas: ego namque ab ineunte adoleſcentia Aulis innutritus, politiora ſtudia, ſummis tantum labiis delibavi, quod ſtilus ipſe prodit, rudis & incomtus. Nec ſilentio prætereundum eſt, noviſſimas meas Notas in lucem jam audentiores ſecurioresque prodire. Tradidi enim repurgandas Franciſco Venturio patritio Florentino, ſane docto & acerrimi ingenii viro, qui & emendatiores reddidit, & abſtruſos aliquot Taciti locos, adhuc aliis fortaſſe impenetratos, acumine ſuo illuſtravit. Hæc habui, Lector, præmonenda. Ceterum, ſi tibi meus qualiſcunque labor uſui fuerit, exigua

gua mihi, sed sincera laus sufficit. sin minus, sine livore excusationem exigo. Vale.

JACOBUS & LAURENTIUS
THEODORICUS GRONOVII
LECTORI POLITO
S. P.

Quoniam fatorum necessitas, ejus, quod parentum nostrum τῷ μακαρίτῃ perfecturum fore sperabamus & omni voto precabamur, exsequutionem in nos, etsi renitentes & adhuc fatalis istius horæ imagine confusos, delegavit; paucis liceat tecum agere, Lector polite, non quo Taciti lectionem aut hujus ante alias editionis usum hortemur, vel etiam præconium (quod, ut consanguineum, suspectum; & nos ostenderet de favore tuo tot prærogativis jam firmato dubitare) laboris paterni faciamus, sed quo intelligas hujus libri commoda & rationem, cur tamdiu in ore famæ, toties velut interjungens, hucusque diem produxerit. Nimirum quum grande hoc opus moliri inciperet, propinquabat tempus, quo Deus ille ἐλεότητος πατὴρ καὶ αὐτὴ ἐλεότης vitæ laboriosæ & exterorum magis judicio quam eorum, quibus admixtus fuit, qui eum ignorabant, benevolentia probatæ missionem concedere decrerat; quod quum, si qua est pietas, homo nulli per malitiam cognitus, sed infinite omnium causa volens, quietum, inturbidum & in sola παλιγγενεσίας meditatione occupatum agere debuisset, nescimus qui contra evenit, ut nulla ejus vitæ pars magis exercita, ægra, sollicita & misera fuerit; in experimentum, ut fas est credere, spectationemque summi numinis, quid altioribus studiis profecisset, quam se adversus fortuita stannasset, & voluptatem, si vir optimus cum adversis congrederetur. Præter enim bene magna senectutis incommoda vehemens aliquamdiu stomachi nausea, mox febris eum tanquam σκοπὸν invasit, neque discessit nisi relicta in suum locum tenacissima infirmitate, qua multum maceratus & bona fide semestris temporis, quod carissime æstimabat, jactura minutus, vix resipere incepit, quum ecce familiæ ercifcundæ negotium & cura domestica non parvas illi molestias temporisque jacturam creavit. Evasit tamen, neque in his fata-

 libus

libus ipsique insuetis incommodis superandis quidquam egit anteacta vita & sapienti homine indignum : sed in altitudinem conditus, publicis privatisque pensis satisfaciens, subcesivas horas (ita enim loqui decet, nausea & reliquis morbi interpellantibus rerum actui destinatas) Tacito & quæ alia posteritati præparabat, impendit, donec imposita Julii Agricolæ vitæ ultima manu, morbus & per hunc vitæ satias omni furore incumbens fiduciariam animam Deo Opt. Max. reddere eum coëgit, pro LX. annorum satis nobili satisque eleganti usura gratabundum. Quisquis igitur exitum hujus libri spe anteveneras, noli patientiam tuam, licet fatigatam rumpere, nec quidquam aliud manibus ejus, qui voluit quidem sed non potuit citius occurrere, quam quietem exopta. Jam ut scias, quemadmodum inter hæc Tacitus processerit, subsidia quîs singuli usi sunt : & nomina doctorum virorum, absque speciosis titulis, breviter quasi in tabella subjicicmus. Invenies proinde hîc, quæ ex ingenio suo depromserunt Andreas Alciatus, Æmilius Ferrettus, (quanquam is alibi codd vetustissimos citet, nunc ipsum legisse ita in cod. Mediceo longe omnium, quos novit, emendatissimo testetur) Vincentius Lupanus, M. Vertranius (sed & hic ad lib. I. Hist. citat MS. Vaticani indicem miniatis literis, quod alii silent) Fulvius Ursinus (is quoque tamen dicit se habuisse domi exemplar scriptum manu accurati viri Jocundi Veronensis) immixtis Gab. Faerni, Pet. Danesii, Ant. Augustini *conjecturis*, item Marcellus Donatus, M. Antonius Muretus, Josias Mercerus, Christophorus Colerus, Janus Gruterus, Valens Acidalius, Julius Salinerius (cuius libri copiam non dissimulandum est τ̃ μακαρίτην impetrasse à Nicolao Heinsio, viro cùm omnibus propter sacras artes & ingenium illustre, tum nobis præcipue propter amicitiam ab ipsa utriusque juventute, summa voluntatis, morum, studiorumque concordia cultam venerando; & quamvis ille plurimum plenis follibus φυσᾶν soleat, tamen exiguitas exemplarium adjungere jubebat) H. Grotius nostras, Joh. Freinshemius, M. Zuerius Boxhornius, & ad Historias Henricus Savilius, (ultra modum querulus, suo dubium an gentis ingenio) ad Agricolæ Vitam Joh. Barclajus, & ad Dialogum de Eloquentia Rabodus Herm. Schelius. Invenies etiam, quæ congessit Beatus Rhenanus adjutus codice MS. ἀνεπιγράφῳ, quem ex Bibliotheca Budensi regis Matthiæ Corvini nactum se esse affirmat dono Jacobi Spigelii, missum à Reinhardo à Rietpur Borbetomagensis Ecclesiæ Decano. Præterea, quæ Curtius Pichena ope partim duorum codd. Florentinæ Bibliothecæ, quorum primus exscriptus ante annos plus mille ducentis, ut ipse probat, Annales continebat, alter in Germania Corbejæ, quod ad Visurgim Benedictinorum Monachorum φροντιστήριον erat, a Philippo Beroaldo repertus & Leoni X. oblatus Historiarum v. libros, partim editione Veneta anni cIↄ

ccccIIIc,

ccccIIIc, ex fideli, ut ipse conjicit, optimi codicis collatione. Instar tamen omnium. quique primo nominandus fuit, Justus Lipsius est, utroque supra fidem impleto clarissimus. Horum quidem, & præcipue illorum, qui mensuram scribendi & modum statuere, relinquere aliis sua, nec longis dissertationum frigidarum fabulis tempus lectori auferendum esse noverunt, integri labores exhibentur. Quod si quædam contracta vel omissa deprehenderis, judicio τοῦ μακαρίτου & voluminis spatio parum indulge; cujus contemplatione coactus quoque fuit partes tantum tibi offerre ex Aurelio, Michaële Virdungo, versione Freinshemii, & quem adhuc hæc pars terræ fovet, ad Germaniam H. Conringio Viro Celeberrimo. Cæterum sicuti nos, ita omnes, qui ex hoc opere crescere cupient, stupor sine dubio & admiratio incessere debet, qui vir tot in valetudine curis distractus, tot studentium desideriis quotidie auscultans, tot publicis privatisque officiis respondens, accedentibus quoque fascibus Academiæ, vel inspiciendis his omnibus, nedum examinandis vacaverit, immo voluerit. Et tamen præter hæc non exiguam sane nec pœnitendam accessionem videbis ipsius explicationum & emendationum, satis severo ac limato, ut solebat, judicio exactarum; sed & aliorum, quos ad contextum sive illustrandum sive corrigendum facientes in libri sui oris annotaverat; Scaligeri, dicimus, Turnebi, Salmasii, ~~Cluverii~~, Gurherii, Reinesii, Ruperti, Loccenii, Schefferi, aliorumque. Neque tamen ~~existimandum adeo~~ elaborata hæc esse, ut si exitum operis videre illi contigisset, tanquam perfecte absoluta exire fuerit permissurus sine aliquo notabili incremento, inexhausta ingenii fœcunditate singulis penè horis aliquid aut inobservatum aut prave intellectum subjiciente. Certe ad hujus rei fidem non strangulabimus & publicæ utilitati subducemus repertam nobis chartulam, in quam inceperat conjicere & colligere, si quid omissum antè obvenisset animadversione dignum, vel ob deploratissimum Cæsaris * ~~locum~~, commodissime ab eo ordinatum. Quibus omnibus index subnectitur, purus putus, ut in Germaniâ editus fuit; in quem elimandum Freinshemius se cum fratre suo sex fere menses impendisse affirmat, necessitatem ejus deprædicans. Et nos quidem nihil detractum ei volumus. Sed tamen si temporis nostri exiguitas indicibus faciendis patuisset, talia scias in eo occurrere, quæ necessario mutanda videbantur. Sufficiat communicari tecum ea, quæ ὁ μακαρίτης temere forte occurrens adscripsit. Ut, *Conditor gen. femin.* G. 28. addidit pater. *falsum: nam Agrippa intelligitur.* Sane in Tacito est *conditoris sui.* Rursus:

* Lib. II. *Bell. Civ.* 29. Scrib. *Civile bellum; genus hominum cui liceret liberè facere & sequi quod vellent: legiones ea qua paullo ante apud adversarios fuerant: nam etiam Cæsaris beneficium mutaverat consuetudo: qua offerrentur municipia etiam diversis partibus conjuncta (utrique enim ex Marsis Pelignisque) videbat, & qui superiore nocte in contuberniis papilionibusque* (secum fuissent) *nonnulli graviores sermones militum vulgi durius accipiebantur.*

ſus: *Cornelia virgo flaminica Dialis* 4, 16. eraſis poſtremis ſuperſcripſit, *Veſtalis.* Nihil verius. Ita ſubnotavit *limites pro aggeribus* 2, 7. Eſt ibi *limitibus aggeribuſque*, ubi limites potius ſunt foſſæ. Et, *Megiſtanæ Armenii* 15, 27. quod intolerabile pro *Megiſtanes.* Et, *ſi pro an* 1 48. Nihil minus & in hoc, & in adjectis locis verum. Ne dicamus de iis, quæ ſparſim indidit, ut augeri multis ad perfectionem ſui debeat. Quæ ideo commemoramus, ut, ſi qui forte ſe huic labori damnaverunt, non deterreantur Freinshemiani indicis mole Tacito etiamnum operam dare. Et hæc ſunt, quæ dicere habebamus. Quod reſtat, Chriſtiane Lector, ſi quid nuper profectuum tuorum ſtudioſiſſimus, nunc beatiſſimus vir elimavit in aliis auctoribus, vel in hoc ipſo, quod demereri te & avocare poteſt, nihil precamur, niſi pia vota. Quod ſi conſuetudinem, quam, quiſquis es, cum viro amicitias gratiſſime admittere & ſanctiſſime colere ac retinere ſolito exercuiſti, in nos eandem vitæ ſectam, quod licuerit, amaturos & ſequuturos transferre volueris; eam religioſæ pientiſſimi patris memoriæ cauſâ non modo complectemur, ſed ut integra ac ſincera ætatem maneat; neque ejus te unquam pœniteat, omni ope & ratione efficere enitique conabimur. Id ut facias, ſi tibi ſenſus communis, ſi humanitas, ſi civilis animus eſt, rogamus. Vale.

EX

E X

BALTHASARE BONIFACIO

D E

ROMANÆ HISTORIÆ

SCRIPTORIBUS.

Cajus Cornelius Tacitus, ut politicis omnibus amicissimus, ita lavernionibus est quibusdam invisus, quod de generis humani assertore Christo impie loquatur, quodque Martyribus insultans, eorum sanctissimam religionem vocet exitiabilem superstitionem; odioque humanarum gentium convictos, quæsitissimis pœnis merito affectos putet; gratuleturque pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, atque, ubi defecisset dies, pice, & resina perfusi, in usum nocturni luminis urerentur. Quodque Mosis miracula, & ritus, & cæremonias irrideat; profanaque omnia fuisse Judæis adstruat, quæ Romanis sacra, rursum concessa illis, quæ Romanis incesta: Quodque illum aut credere, aut scribere non pudeat Judæos asini agrestis effigiem, quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacrasse. Quo videtur etiam respexisse Juvenalis, cum diceret, quosdam, metuentem Sabbatha patrem sortitos, nihil adorare præter nubes, & Cylli numen; ita enim Cylli, non Cœli legendum puto. Quem vero non misereat Claudii Verderii, qui, cum se auctorum penè omnium censorem profiteatur, eam, quam modo ex Tacito historiam retulimus, per inscitiam linguæ perperam intelligendo, Tacitum affirmarit scriptis consignasse asininum caput à Christianis coli? Hujus factionis hominibus Budæus videtur assensus, cum omnium scriptorum sceleratissimum Tacitum appellaret, quem Tertullianus mendacem, Orosius adulatorem vocaverant. Adjiciunt calum-

calumniatores hunc esse Latinum Xenophontem crudelis ac detestabilis cujusdam Tiberii pædiæ, qua Principes ad tyrannidem non quidem perfunctorie, sed accurate instruuntur. Eundem, cum multis seculis delituisset, fuisse è tenebris erutum pestifera nescio cujus Germani curiositate, universo terrarum orbi forsitan damnosiore alius Germani exsecrabili industria, quæ fulmen illud bellicum adinvenit, cui bombardæ è re nomen est inditum. Quod autem ad stylum spectat, Tacitus adeo non placuit Alciato, ut non dubitarit asserere dictionem ejus esse senticeta. Sed enim Taciti obtrectatores non fuerunt impedimento quo minus ille tanti fuerit apud M. Claudium Tacitum Imperatorem, ut imaginem illius in omnibus collocaret bibliothecis, librosque ejus decies quot annis describi, ac in tablinis publicis collocari præciperet. Cosmus autem Mediceus, vir reipublicæ scientissimus omnibusque imperatoriis artibus instructissimus, non alium Historicum æque lectitabat. Ut nihil interim dicam de his, quos hac tempestate orbis terrarum gubernaculis fortuna præfecit, qui Tacitum in deliciis habendum, ad verbum ediscendum, & singula ejus verba singula testimonia putant. Hunc Heroica vestra, Veneti Proceres, Diis proxima, sapientia vocat signiferum criticæ Historiæ, parentem humanæ prudentiæ, politicorum magistrum, coryphæum scriptorum quicunque ad illud gloriæ fastigium pervenere, ut in eorum lucubrationibus plura sint prope documenta, quam versus, & plures penè sententiæ, quam verba. Hujus, tanquam è tripode, dicta accipiuntur, hujus effata, ut oracula, excipiuntur, hujus monita, ut è cœlo missa, adorantur; cum præterita, quod est Historici, ita commemoret, ut futura, quod est sapientis, prævideat, præmonstret, excutiat. Vere igitur ad Heinsio dictum putamus, apud Tacitum occultam quandam, & mysticam fuisse haruspicinam, qua non animantium exta scrutaretur, sed Regum corda, mentesque introspiceret: Hujusque scripta meram esse prudentiæ medullam, illius sacrum os linguam Suadæ, labellumque Pithûs habuisse; denique Tacitum ocellum providentiæ, corculum sapientiæ merito nominandum. In Romanorum autem antiquitatibus explicandis magnum Tacitus nobis attulit adjumentum. Cum enim à Tiberio usque ad Nervam unius seculi res gestas conscripserit, omnia, tum magna, tum minima, studiose prosequitur; quippe non fusos tantum exercitus, expugnatasque urbes, & certamina plebis

cum

cum optimatibus, sed proscriptiones civium, & delatorum insidias, & suspectam Principibus privatorum potentiam, & perniciem innocentium, & callidæ tyrannidis, secretiora mysteriis Eleusinis, arcana eruit, prodit, explicat diligentia, ac judicio propè incredibili. Neque post Actiacam victoriam ullus apparuit Historicus, qui militarem, aut forensem rationem copiosius tractarit. Floruit enim diutissime armorum gloria, urbanaque disciplina, & Proconsul Germaniam inferiorem obtinuit: quo tempore Germanornm mores, instituta, ac ritus tanta diligentia perscripsit, ut uni Tacito suam antiquitatem Germani acceptam ferant. Est autem, ut sentit Bodinus, oratio Taciti mirum in modum arguta, & multo sale respersa; neque ullus profecto Historicus Magistratui, ac Judici utilior videtur. Dictio quidem ejus florentior, uberiorque in Historiarum est libris; pressior vero, ut par erat, ficciorque in Annalibus; gravis tamen utrobique, & diserta: quem propterea Plinius Cæcilius eloquentissimum, atque immortalitatis datorem vocat: Orosius, quamvis huic alio nomine infensus, Historiæ scriptorem diligentissimum: Vopiscus inter facundissimos cooprat: Spartianus emendatissimum, & candidissimum Scriptorem appellat: Sidonius nulli ori tacendum, & nunquam sine laude commemorandum. Casaubonus, magni & acerrimi virum ingenii, novæ cujusdam, gravis, concisæ, & sententiosæ eloquentiæ genere eximiè præditum: quique, nisi fortuna temporum dignam ei tanta facultate materiam negavisset quemvis è principibus Historicorum videatur potuisse provocare.

I D E M.

Publius Cornelius Tacitus, Optimus Historicus, quæ post Augusti obitum usque ad sua tempora acciderunt, optima fide, atque diligentia recensuit. Consilia, mores, & rerum gestarum ordinem usque ad Trajani Principatum egregie scripsit. Aulicæ vitæ rationem, in Aula Palatina Domitiani, Nervæ, atque Trajani Principum ipse diu versatus, eleganter explicavit. Stylus magis gravis, quam elegans; asper enim, parumque duriusculus est, atque à Latinæ linguæ candore discedens. Si melioris tamen reipublicæ res gestas conscripsisset, procul dubio haberet Livius æmulum, paullò Dionysio, & Sallustio inferiorem. Periere autem libri aliquot.

**** EX

E X

GERARDO JOHANNE VOSSIO

D E

HISTORICIS LATINIS.

Cornelius Tacitus (cui perperam Publio prænomen in plerisque editionibus) ad Trajani potissimum tempora pertinet. Nec ignoro, sub Vespasiano rationes Galliæ Belgicæ procurasse: quod nos docet Plinius lib. VII. Hist. Natur. cap. XVI. Sed demum post Nervæ obitum historias orsus est: ut qui initio earum sic scribat: *Quod si vita suppeditet, principatum divi Nervæ, & imperium Trajani, uberiorem securioremque materiam, senectuti sepofui.* Nervam enim divum vocat; Trajanum non item; quia illo scriberet defuncto, hoc imperante. Atqui prius historias condidit: inde annales. Unde & XI. Annalium nos remittit ad libros, *quibus res gestas Domitiani composuit:* eas autem tractarat in Historiis. Annalibus, qui ab excessu Augusti fuere ad finem Neronis, extremum Neronis biennium deest. At ex historiarum libris pars longe maxima deperiit. Nam quinque libris, qui supersunt, unius anni, vel præter propter, res persequitur. A Galba autem usque ad Nervam, quousque extenderat se historia, anni sunt viginti, & unus. Fuere primo in universum libri XXX. ut auctor est B. Hieronymus quinto commentariorum in Zachariam prophetam cap. 14. ubi, cum de excidio Hierosolymitano esset locutus, addit ista: *Hæc omnia plenissime Josephus, qui Judaicam scripsit historiam, eo multo majora, quam legimus in Prophetis, eos sustinuisse commemorat Cornelius quoque Tacitus, post Augustum, usque ad mortem Domitiani vitas Cæsarum voluminibus* XXX. *exaravit.* Præter histo-

historias & Annales reliquit librum de situ, moribus, & populis Germaniæ. Item de vita soceri sui, Julii Agricolæ. Quem, Trajano imperante, scriptum esse, hæc in præfatione verba ostendunt: *Quanquam, primo statim beatissimi seculi ortu, Nerva Cæsar res olim dissociabiles miscuerit, principatum, ac libertatem: augeatque quotidie facilitatem imperii Nerva Trajanus.* Etiam dialogum de caussis corruptæ eloquentiæ Tacito adscriptum eunt veteres libri, & hos sequutus Pomponius Sabinus in Carmine de obitu Mæcenatis. Sed stylus abnuit: qui Fabium magis sapit. Etsi is grandior quam ut conveniat ei, quod auctor hic ait sexto Flaviani imperii anno hunc habitum sermonem, eique se interfuisse admodum juvenem. Quare Lipsio accedo, qui de scriptore negat liquere. Atque in hac etiam sententia confirmat, quod auctor libri clare ait, se Romæ quæsturam, tribunatum, præturam accepisse, cum de Quinctiliano nemo aliud prodiderit, quam eum intra privatam constitisse fortunam, ac institutioni semper juventutis vacasse. Sed quisquis est, auctor est elegans, disertus, & sani omnino judicii. Quod autem Fulgentius Planciades etiam *Taciti facetias* citat, hoc infaceto adeo grammatico plane dignum est, qui etiam Plauti eucliston, & similes laudet nugas. Glandorpio id in Onomastico in *Cornelius Tacitus*, imposuit. Primi quinque Annalium libri (*Lipsius comment. in* v. *Annal. Tac.*) Corbejæ, quod ad Visurgim monasterium est, à quæstore Pontificio fuere inventi; qui eos ad Leonem x. detulit, ac ἀντιδώρῳ loco quingentos accepit aureos. Dictio Taciti floridior uberiorque in Historiarum est libris; pressior siccior que in Annalibus. Nimirum in Historia rem prosequitur ordine, nec eam intercidit rebus aliis. In Annalibus stylum accommodat annis ac consulibus. Eaque causa est, cur in historia caussas accuratius tractet: in annalibus eas brevius proponat: cur item in Historia uberior sit edictio, concisior in Annalibus. Interim gravis utrobique & diserta. Id optime perspexit Plinius Novocomensis, qui lib. XI. epist. I. eloquentissimum fuisse ait, & hoc eximium habuisse, quod σεμνῶς diceret. Et tamen doctissimus vir Raimundus Lullus lib. v. de orat. cap. 4. ait, scriptorem esse magis torvum Justino. Imo & Alciatus, vir sane egregius, non dubitat affirmare, dictionem ejus, præ illa Paulli Jovii, esse senticeta. Condonemus tale judicium tanto viro & cogitemus, ex amore Jovii proficisci. Et quale illud, quod idem, & Æmilius Ferretus, ajunt, eum non Latinè satis scribere? Quam hoc insu-

insubidum! quam insulsum! Quis enim non videt, dictio Taciti quam sit elegans, quam tersa, & limata? Et tamen major est laus ista, quod nihil eo Scriptore vel cogitari possit prudentius. Ac propterea imperator M. Claudius Tacitus tanti eum fecit, ut imaginem illius in omnibus collocaret bibliothecis: libros ejus decies quotannis describi, inque archivis publicis collocari juberet, ne deperirent. Sed hoc eo factum putare aliquis possit, quod ex familia eadem genus duceret. Verum quid de eo dicemus, quod non alium historicum æquè lectitaret Cosmus Medices, Hetruriæ Dux, vir, si quis alius, civilis prudentiæ intelligentissimus, planeque ad imperandum factus? quod de eo Muretus (*Orat. quam habuit Tacitum enarraturus*) alicubi testatur.

C. COR-

C. CORNELII TACITI
VITA
PER
JUSTUM LIPSIUM
CONSCRIPTA.

Cajus Cornelius Tacitus, cui vulgo P. prænomen faciunt, non illâ patricia Cornelia gente, sed alia minus illustri natus est, extremis, ut opinio mea fert, Ti. Claudii Imp. temporibus. Pater avusque honores gesserint, & ad remp. accesserint, necne, ut re vetusta & incerta nihil adfirmem: propius à vero abest, ipsum primum jus imaginis & honores in familiam non nimis illustrem intulisse. initium dignitatis illi sub Vespasiano fuit, à quo, Plinio auctore, procurator datus Galliæ Belgicæ, rationes Principis administravit. quæ dignitas equestri ordini diu peculiaris fuit. Reversus, à Tito, ut opinor, Quæsturam accepit: certe dignitatem suam quam Vespasianus inchoaverat, auctam & adjutam esse à Tito, ipse in Historiis profitetur: nec aliud suspicari est quam Quæsturam aut si forte Ædilitatem, quia Prætura XIV. demum consulatu Domitiani auctus est. In quo erroris manifestus est eruditus vir, qui Domitiano IX. & Verginio Rufo II. Coss. Prætorem Tacitum constituit. Nam Tacitus quidem ipse in Annali XI. diserte ait se XV. virum S. F. ac tum Prætorem ludis sæcularibus Domitiani cum cura adfuisse. Atqui ludos sæculares à Domitiano editos A. V. C. DCCCXLI. id est, quinquennio ipso posterius quam Vertranio placuit, ex monumentis antiquis liquidæ veritatis est. Exstant nummi non pauci cum his notis, IMP. CÆS. FLAV. DOMITIANUS. AUG. GERM. PONT. MAX. TR. POTEST. VIII. COS. XIV. LUD. SÆC. FEC. Ad consulatum deinde satis longo intervallo imperante Nerva pervenit A. V. C. DCCCL. suffectus in locum demortui T. Verginii Rufi, illius qui delatum à Germanicis legionibus imperium constanter spreverat. quem & defunctum pro rostris Tacitus laudavit. Exsulasse eum sub Domitiano quidam tradiderunt; magis tamen, ut opinor, pro more vulgi, qui magnis viris insignes casus adfingere amat, quam quod ejus rei certus

auctor sit. Ego legendo non aliud comperio, quam a fuisse eum aliquot annis ab urbe, idque eo ipso tempore quo Julius Agricola socer ejus mortem obierit Coss. Pompeio Conlega, & Cor. Prisco, non tam exsilii necessitate, ut arbitror, quam tædio temporum & cupidine otii. Nam quod iidem, ut omni ex parte tam anxia diligentia constet, decennium in exsilio egisse scribunt, ac demum exorato Domitiano restitutum; Latine ut loquar, inanis fabula est. ac credo eos homines cum hoc scriberent, indormiisse bello Trojano, & illinc decennia sua sumsisse, Constat enim apud vigilantes & sobrios, Domitianum à ludis suis sæcularibus, quibus certe Tacitus Prætor Romæ adfuit, VII. dumtaxat annos vixisse, octavo conspiratione suorum occisum. Hæc fere in rep. in privata ejus vita ista sunt. Uxorem duxit A. V. C. DCCCXXX. Vespasiano IIX. & C. Julio Agricola Coss. Agricolæ filiam, idque illi ad extremam ætatem concors & tranquillum matrimonium fuit. Liberos haud dubie reliquit, & ex iis, nisi conjectura fallor, longo intervallo nepotem M. Claudium Tacitum, qui postea Imp. appellatus est (sic enim eum Imperatorem nummi appellant, non ut vulgus, P. Annium Tacitum) qui, ut Fl. Vopiscus refert, parentem suum appellare hunc Tacitum solet. Historiæ scribendæ senex demum vacavit, cum reliquum ætatis in foro & caussis orandis egisset. Ex Plinii Epistolis & Tacitum in principibus Oratoribus fuisse, & orationes aliquot edidisse, intelligimus. Æquales habuit, Fabium Quinctilianum, utrumque Plinium, Julium Florum, Secundum, Maternum, M. Aprum, Eprium Marcellum, Vipsanium Messalam. Scripsit primum omnium, uti post docebo, Historiarum libros ab excessu Neronis ad imperium Nervæ. Deinde Annales ab Augusti excessu ad finem Neronis, quorum omnium quanta jactura & quibus locis facta sit in tempore memorabo. Nominantur & ejus *Facetiarum libri* à Fulgentio, cum hoc fragmento, *Cæsi itaque morum eclogio in filiis relicto.* Mortis ejus tempus non exprimo: natalem tamen annum propemodum inveni. Odoratus sum ex Plinii Nepotis epistola, quæ libro VII. Nam ait diserte propemodum ætate æqualem se Tacito. At Plinius incendio Vesuvini montis, quo avunculus periit, agebat, ut ipse ait, duodevicesimum annum. Natus ergo Plinius (nam incendium illud secundo anno Titi) non dubie anno urbis conditæ DCCCXVI. Memmio Regulo & Verginio Rufo Coss At Tacitus paullo major natu, quod eadem illa epistola testatum reliquit Plinius. Ergo natus extremo imperio Claudii, vel potius, initio Neronis: vixeritque, opinor, vel ad imperium Hadriani. Historiam quidem exorsus est scribere post mortem Nervæ: clarum, quoniam principio I. Histor. vocat Divum Nervam. qui honos non habetur, nisi principi mortuo.

VETE-

VETERUM SCRIPTORUM

DE TACITO

T E S T I M O N I A,

VEL EJUSDEM

F R A G M E N T A.

Plin. lib. VII. Nat. Hist. cap. 16.

psi nos pridem vidimus eadem omnia in filio Corn. Taciti equitis R. Galliæ Belgicæ rationes procurantis.

Plinius Nepos lib. II. Epist. I.

Laudatus est Verginius à consule Cornelio Tacito. Nam hic felicitati ejus supremus cumulus accessit, laudator eloquentissimus.

Idem Lib. II. Epist. II.

Respondit Cornelius Tacitus eloquentissime, & quod eximium orationi ejus inest, σεμνῶς.

Idem Lib. IV. Epist. 15.

Idem Cornelium Tacitum, scis quem virum, arcta familiaritate complexus est.

Idem Lib. VI. Epist. 16.

Petis avunculi mei exitum tibi scribam, quo verius tradere posteris possis. Gratias ago. nam video morti ejus, si celebretur à te, immortalem gloriam esse propositam.

Idem Lib. VII. Epist. 20.

Erit rarum & insigne duos homines ætate propemodum æquales, nonnullius in litteris nominis, alterum alterius studia fovisse. Equidem adolescentulus, cum jam tua fama gloriaque floreret, te sequi, tibi longo, sed proximus, intervallo, & esse & haberi concupiscebam.

Idem Lib. IX. Epist. 14.

Nec ipse tibi plaudis; & ego nihil magis ex fide, quam de te scribo. Posteris an aliqua cura, nescio: nos certè meremur, ut sit aliqua. non

dico

dico ingenio (id enim ſuperbum) ſed ſtudio, ſed labore, & reverentia poſterûm.

Oroſius de Domit. loquens.

Nam quanta fuerint Diurpanei Dacorum regis cum Fuſco duce prœlia, quantæque Rom. clades, longo contextu evolverem, niſi Corn. Tacitus, qui hanc hiſtoriam diligentiſſimè contexuit, de reticendo interfectorum numero, & Salluſtium Criſpum, & alios auctores quamplurimos ſanxiſſe, & ſeipſum idem potiſſimum elegiſſe dixiſſet.

Idem.

Dein ut verbis Corn. Taciti utar, "Sene Auguſto Janus patefactus dum „apud extremos terrarum terminos novæ gentes ſæpè ex uſu & aliquando „cum damno quæruntur, uſque ad Veſpaſiani duravit imperium.

Flavius Vopiſcus in Probo.

Et mihi quidem id animi fuit, non ut Salluſtios, Livios, Tacitos, Trogos, atque omnes diſertiſſimos imitarer viros, ſed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, &c.

Idem in Tacito.

Corn. Tacitum ſcriptorem hiſtoriæ Auguſtæ, quod parentem ſuum eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari juſſit.

Sidonius Apollinaris lib. IV. Epiſt. ad Polemium.

Cajus Tacitus è majoribus unus tuis Ulpianorum temporum conſularis, ſub verbis cujuſdam Germanici ducis in hiſtoria ſua rettulit, &c.

Idem in Panegyrico ad Anthemium.

Quam Criſpus brevitate placet, quo pondere Varro,
Quo genio Plautus, quo flumine Quinctilianus;
Qua pompa Tacitus numquam ſine laude loquendus.

Idem in Epigram.

Et te qui brevitate Criſpe polles,
Et qui pro ingenio fluente nulli
Corneli Tacite es tacendus ori.

Illa Quinctiliani lib. x. * fortaſſe ad Tacitum referantur.

Supereſt adhuc & exornat ætatis ſuæ gloriam vir ſæculorum memoria dignus. qui olim nominabitur, nunc intelligitur. Habet amatores, nec immeritò, ut libertas, quamquam circumciſis quæ dixiſſet, ei nocuerit. ſed elatum abunde ſpiritum, & audaces ſententias deprehendas etiam in iis quæ manent.

* Ambigo ideò, quia hæc vivo Domitiano Fabius ſcripſiſſe videtur. Atqui noſter tunc, ut opinor, nil vulgaverat.

C. COR-

[1] C. CORNELII TACITI AB EXCESSU DIVI AUGUSTI [2] ANNALIUM LIBER PRIMUS

B R E V I A R I U M   L I B R I.

Augustus Nolæ mortem obit. Tiberius succedit, tardè & cupidinem dissimulans. Pannonicas legiones tres gravis seditio incessit. ea misso Druso Ti. F. ægrè componitur. Idem in Germania inferiore motus, qui consedit non sine sanguine & cæde. Germanicus Cæsar in hostem ducit: eaque expeditione Marsi, Tubantes, Bructeri, Usipetes vastati aut cæsi. Julia Augusti F. Rhegii vitam finiit. Sodales in honorem Augusti, & ludi Augustalia instituti. Germanicus iterum Rhenum transmittit, in Cattos ducit, agros, domos, homines, vastat, urit, cædit. Segestes obsidione Arminii liberatur. Ob hæc Imperator consalutatus. Bellum deinde in Cheruscos gestum. reliquiæ Vari

C O M M E N T A R I U S.

1 CAJI CORNELII TACITI] Id verum huic scriptori prænomen asserui. Sidonius lib. IV. ad Polemium epistola: *Cajus Tacitus e majoribus unus tuis, Ulpianorum temporum consularis.* Et ad Leonem: *Namque & antiquitus cum Cajus Cornelius Tacitus Cajo Plinio Secundo paria suasisset.* Sed & epigraphe Farnesiani libri, *C. Cornelii Taciti Romanas historias scribentis ex his qui reperiuntur liber primus.* Publium prænomen, quod in libris tritis, à casu aut a vulgo est. Mihi autem in ipso aditu testari placet, *Odi profanum vulgus & arceo.* Lipsius. Ad hæc igitur & Vossius in Historicis Latinis scribit [C. Cornelius Tacitus, cui perperam Publio prænomen in plerisque editionibus] & Cl. Ryckius pronunciat [Quod Taciti prænomen attinet, jam satis ex Sidonio & Farnesiano codice probatum Cajum vocitatum] Et utinam quidem! Sed Sirmondus prænomen illud pronunciare metuit. Quum interim Onuphrius Panvinius ad annum V. C. DCCCL exhibeat velut ex Plinii citatione P. Cornelium Tacitum, temere, an quod ita viderit in libro scripto & vetustiore. Sed notitia publica non est occœcanda. Nam in fine libri I Annalium additur in MS. Mediceo eadem vetere manu *Finit P. Corneli lib. I. Incipit liber* II. Post librum secundum *Finit liber* II *P. Corn. Incipit liber* III *feliciter.* Post librum tertium *P. Corneli liber* III *finit incipit liber* IIII *ab excessu Augusti.* Post librum quartum *Finit liber* IIII. *incipit liber* V. Auctoritas ex scripti vetustate quanta tribui debeat codici isti Farnesiano, Lipsius non aperit in tot editionibus. Inter libros tritos nequivit numerare Mediceum, quem præcipue debuit videre, & non vidit. Porro hinc docemur in titulum vocem DIVI temere addi ab citerioribus, quum olim ea fuerit omissa, nec quidquam huc afferat: & certe de manu Taciti testatur fidelissime iste codex. Jac. Gronovius.

2 ANNALIUM] Bene Rhenanus, qui hanc inscriptionem asserit, etiam contra libros. In quibus plerisque est, *Actorum diurnalium*, vel, ut in Veneto, *Actionum diurnalium.* Qui tamen titulus non accepto referendus alicui imperito. Unde enim illi in mentem fuissent Acta, vel Diurna? sed cuipiam antiquioris ævi, qui Taciti Annales non ine-

 ptissimè

Vari & militum lectæ: iisque suprema soluta. Romani in reditu, sub Cæcina duce, periclitati. tamen hostes prospera eruptione fusi, fugati. Majestatis lex reducta & aspere exercita. Tiberis inundat. Theatralis tumultus est: per eam caussam decreta Patrum expressa ad coercendos histriones. Postremò actum de subducendis Tiberi aquis. eoque nomine querelæ civitatum Italiæ & legationes. Hæc biennio ferè gesta.

SEX. POMPEIO, SEX. APVLEIO, COSS.

NERONE CLAVDIO DRVSO CÆSARE, C. NORBANO, COSS.

ptissimè comparavit cum Actis urbis. Quem tamen refellit ipse Tacitus lib. XIII. *Nerone II. L. Pisone Coss. pauca memoriâ digna evenère, nisi cui lubeat laudandis fundamentis & trabibus volumina implere: cum ex dignitate Populi Rom. repertum sit, res illustres Annalibus, talia diurnis urbis Actis mandare.* Alibi: *Nemo Annales nostros cum scripturâ eorum contenderit.* Itemque: *Ni destinatum mihi foret suum quæque in annum referre.* Etiam Jornandes in rebus Gothicis, Cornelium hunc citat *Annalium scriptorem.* Lipsius.

ANNALIUM] August. Mascardus in Arte sua Historica differentiam *Annalium & Historiarum* e Tacito discendam scribit: annales admittere, quicquid patitur historia, sed id tradere concisius ac brevius; dein habere aliquid proprium, nempe res minus graves quam frons historiæ postulat. Sed postea fatetur, utroque scripto Taciti diligenter inspecto se cautam edere non posse, quamobrem alterum potius *Annalium*, alterum *Historiarum* nomen præferat. Nec certe dissimilis hac parte sibi Tacitus. Nam quod singuli annales absolvunt complures annos, tot historiæ vix unum exhauriunt, ubertas materiæ facit, non index librorum. Quod si plures historiarum libri extarent, appareret non minus in his quam in annalibus stylum annis, ut loquuntur, & consulibus accommodasse Tacitum. At quod discrimen rejicit ac pro nullo putat Mascardus, id solum secutus est auctor noster. Sic enim tradunt Servius ad secundam Æneida & è Verrio Flacco Gellius 5, 18, visum quibusdam antiquis, *annales* temporum esse illorum, quos scriptoris haud vidit ætas; *historiam* eorum, quibus interfuerit. Et, ut hujus rei obscura esset ratio, quam multa sunt, quorum significationes ab origine non diversas usus secreverit, ut certa essent cuique rei vocabula? Sed & præbet rationem evidentem, si non *Annalium*, at *Historia* vox dicta ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, quod est noscere visendo, vel inspicere. Plutarchus, βουλόμενος ἱστορῆσαι τὴν πόλιν. Sic καθ' ἱστορίαν ἰέναι, καθ' ἱστορίαν ἀπαντῆσαι, lustrandi vel visendi gratia. Palæphatus: καὶ γέγραφα ταῦτα, οὐχ οἷα ἦν λεγόμενα, ἀλλ' αὐτὸς ἐπελθὼν καὶ ἱστορήσας. i. e. quæ ipse adii & comperi vel contemplatus sum. Jam cum scribit Tacitus dignitatem suam a Vespasiano inchoatam, à Tito auctam, à Domitiano longius provectam, satis demonstrat, quæ tradit in annalibus, ea præcessisse suam ætatem, dumtaxat illam, quæ rebus intenta esse, & maturum de illis judicium facere posset. *Gronovius.* Has voces jam illustrare incepit in Observationibus ad scriptores Ecclesiasticos cap. 9.

1 Urbem Romam à principio reges habuere. Libertatem & Consulatum L. Brutus instituit. [1] Dictaturæ ad tempus sumebantur: neque Decemviralis potestas [2] ultra biennium, neque Tribunorum militum consulare jus

COMMENTARIUS.

1 *Dictatura ad tempus*] Quas diuturnas primus Sulla fecit, Cæsar perpetuas. Et hic gradus ad Principatum: quo Præfatio ista ducit. *Lips.* Cur aliis Magistratibus omissis (qui omnes ad tempus) de dictaturis solum dixit, *dictatura ad tempus?* putem eo factum quod postea Sulla, Cæsarque in perpetuum sese fecerint dictatores. ὁ δὲ Σύλλας βίᾳ μὲν καὶ ἀνάγκῃ (λόγῳ δὲ δι' αἱρετὸς) ἐς ἀεὶ δικτάτωρ γενόμενος, ait Appianus. Suetonius autem de Cæsare: *non enim honores modo nimios recepit, ut continuum consulatum, perpetuam dictaturam.* Aut hisce verbis *ad tempus* notatur urgentissima necessitas, qua fiebant, ὡς δικτάτορας ἐκάλουν, ἐπὶ ταῖς φοβερωτάταις χρείαις ἐξαμήνους τιθέμενοι. Eadem quæ noster, eodemque significatu, Arcadius l. 1. D. de Offic. Præf. præt. *cum apud veteres dictatoribus ad tempus summa potestas crederetur.* At vulgo (ne quid dissimulem) interpretantor sex menses, innituntur que his verbis Pomponii l. 2. de Or. jur. *hunc magistratum, quoniam summam potestatem habebat, non erat fas ultra sextum mensem retinere.* Vera sunt, ad quæ tamen non collineavit Arcadius; immo apertissimè sensit cum Appiano. *Salmerius.*

2 *Ultra biennium,*] Ita accipio, quasi dicat, haud multo ultra biennium. Nam exacte si putas, reverà

jus diu valuit. Non Cinnæ, non Sullæ longa dominatio: & Pompeji Crassique potentia cito in Cæsarem; Lepidi, atque Antonii arma, in Augustum cessere. [1] qui cuncta discordiis civilibus fessa, [2] nomine *Principis* sub imperium accepit. Sed [3] veteris populi Romani prospera vel adversa, claris scriptoribus memorata sunt: temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione [4] deterrerentur. [5] Tiberii, Cajique, & Claudii, ac Neronis res, [6] florentibus

verà ultra biennium Decemviri imperium tenuere. Livium & Fastos vide. Nec tamen Vertranio adsentior, *ultra triennium* sufficienti. Nam id includit triennium eos imperasse. quod contrà est, & non nisi supra biennium aliquot menses. *Lipsius.*

1 *Qui cuncta discordiis civilibus fessa*,] Et ob id ad domandum faciliora, frænique, ut ita dicam, patientiora. *Muretus.*

2 *Nomine Principis*] Non ergo tam celebre tunc *Imperatoris* nomen, ea quidem notatione. Et Augusto visum istud *Principis*, minuendæ invidiæ: quia etiam olim Princeps Senatus. Quod exemplum non dubie secutus. Noster infra: *Non regno tamen neque dictaturâ, sed Principis nomine constitutam rempublicam.* Ovidius de Augusto ad Romulum:

Tu domini nomen, Principis ille tenet.

Dio de Tiberio: Πρόκριτός τε τῆς γερουσίας, κατὰ τὸ ἀρχαῖον, ὠνομάζετο. Καὶ πολλάκις γε ἔλεγεν ὅτι δεσπότης μὲν τῶν δούλων, αὐτοκράτωρ δὲ τῶν στρατιωτῶν, τῶν δὲ δὴ λοιπῶν πρόκριτός εἰμι: *Princeps autem Senatus, ritu prisco, dicebatur. & ipse sæpe ajebat, Dominum se servorum esse, Imperatorem militum, Principem ceterorum.* nec temere aliter Tacitus appellat. Inde Principatus, & Principium etiam pro imperio, Suetonii cap. XXXI. *Augusti Principium, clade Variana; Tiberii, ruinâ spectaculorum memorabile factum.* Ita opt. liber, & puto sincerè. Tertullianus quidem receptam eam significationem fuisse ostendit, adversus Hermogenem; *Possunt & aliter*, inquit, *principium interpretari, non abs re tamen. Nam in Græco principii vocabulum, quod est ἀρχὴ, non tantum ordinativum, sed & potestativum capit principatum. Unde & ἄρχοντες dicuntur principes. Ergo secundum hanc quoque significationem, Principium pro potestate & principatu sumetur.* Sed & Glossæ Græcæ distinctè, Ἀρχὴ, τὸ προοίμιον, *exordium.* & deinde Ἀρχὴ, *imperium, magisterium, præsidatus, principium.* Lipsius.

3 *Veteris reip.*] Ita Vertranio placitum, trajectis notis, quæ vulgò *p. r. Lipsius.* Attribuitur ætas populo Romano. Tacit. lib. 15. Annal. *Omnis populi Romani ætas, prosperè, aut in metu sacraverat.* Cur igitur non dicetur *vetus*? nec nos deterreat ferula Jurisconsultorum, qui subtilius, ut inserviant quæstioni, sic de populo verba faciunt: *& populum eundem hoc tempore putari, qui abhinc centum annis fuisset, cum ex illis nemo nunc viveret.* Valeant igitur, qui dictis de verbis concinnatunt *veteris reipublicæ.* nam *casci*, id est, *veteres*, Latini populi dicti sunt. *Salmer.* Mediceus verbo integro, ut nulla suspicio sit trajectionis literarum, *populi Rom.* Nec absurde dicitur *vetus populus.* lib. 11. *non, ut plerique falluntur, repens, sed priori populo factitatum.* Dial. de corr. eloq. *facile perferebat prior iste populus, & rudis.* Pichena.

4 *Deterrerentur.*] Ita rectè, non *deterrerentur.* Tacitus lib. 11. Histor. *Si quid ardoris ac ferociæ miles habuit, popinis & comessationibus & principis imitatione deteritur.* Horat. pari metaphora.

——— *Culpâ deteris ingeni.* Lipsius.

Ego tamen scripturam veterem non mutarim. Nam qui res gestas, sine ira & studio scribere aggrediuntur, ubi aulam adulationibus refertam principemque iis infectum odisse veritatem vident, à scribendo metu deterrentur. Suet. Claud. c. 41. *Saliner. & Pichena.* Vult manifeste mansisse quidem ista ingenia, sed à scribendo metu temporum fuisse deterrita; cum non liceret amplius dicere, quæ sentires; liceret adhuc sentire, quæ velles. Nam ingenia certe adulatione non deteri sensit Tacitus, cum scriberet lib. XVI. *summa facundia, nec minore adulatione servilia fingebant.* Et vero nonne sub ævum illud gliscente jam adulatione decora ingenia? Certe Poetarum. Vellejum quoque adulationis facile convincas, decori ingenii laudem ei non detrahas. *Freinsh.*

Deterrerentur] Si rem bene putes, versatur hic Μομφὴ non levis. Sed non *deterret* tantum, qui gravem metum incutit, verum etiam qui studium alicujus qualecumque vel religione vel ratione tardat, & ab a cogitatis suadet. Sic Cicero & optimi quique veterum, hinc *adhortari* vel *cohortari*, inde *deterrere* & *avocare*, ponentes. Itaque *deterrerentur*, nihil est aliud quam, scribendi animum dimitterent, historiæ condendæ studium abjicerent atque deponerent, alii ob metum, partim ob stomachi fastidium. Cicero ad Atticum 13, 28. *De epistola ad Cæsarem, jurato mihi crede, non possum: nec me turpitudo deterret, etsi maxime debebat: quam enim turpis est assentatio, cum vivere ipsum turpe sit nobis? sed, ut cœpi, non me hoc turpe deterret: ac vellem quidem: essem enim, qui esse debeam: sed in mentem nihil venit.* Vide reliqua. *Gronovius.*

5 *Tiberii, Cajique,*] Fines designat intra quos hi libri, qui attingunt quatuor duntaxat principes. Ut vel hinc liqueat Historias seorsum scriptas, finemque Annalium fuisse in fine Neronis. *Lipsius.*

6 *Florentibus ipsis,*] Itaque verissima scriptio de Principibus, cùm jam esse desierunt. Quod Arria-

rentibus ipsis, [1] ob metum falsæ; postquam occiderant, recentibus odiis compositæ sunt. Inde consilium mihi, pauca de Augusto, & extrema tradere; mox Tiberii principatum, & cetera, sine ira & studio, quorum causas procul habeo.

2 Postquam Bruto & Cassio cæsis, [2] nulla jam publica arma; Pompejus [3] apud Siciliam oppressus; [4] exutoque Lepido, interfecto Antonio, ne Julianis quidem partibus nisi Cæsar dux reliquus: posito *Triumviri* nomine, consulem se ferens, & ad tuendam plebem [5] tribunicio jure contentum; [6] ubi militem donis, [7] populum annona,

nus in rebus Alexandri pro argumento habet, fideliter eas à Ptolemæo & Aristobulo traditas, Ὅτι τετελευτηκότι ἤδη Ἀλεξάνδρῳ ξυγγράφουσιν, ὅτε αὐτοῖς ἥ τε ἀνάγκη καὶ ὁ μισθὸς τοῦ ἄλλως τι, ἢ ὡς συνηνέχθη, ξυγγράψαι, ἀπῆν: *quod mortuo jam Alexandro scripserint, cùm necessitas aut præmium aliter aliquid scribendi abesset.* Idem.

1 *Ob metum falsæ:*] Et metus & odium impedimento sunt historiam contexere volentibus. Metu fit, ut vera dicere non audeant; odio, ut interdum falsa confingant. Metu, quæ reprehensione digna sunt, aut tacentur aut extenuantur, aut etiam in contrarium versa laudantur. Odio, quæ peccata sunt, exaggerantur & in majus attolluntur: quæ recte facta, aut supprimuntur aut elevantur aut depravantur. Itaque ubi illa sunt, inde exulat fides. *Muretus.*

2 *Nulla jam publica arma:*] Senatus populique, pro republica & à republica. Tantùm privata nunc arma, & in propriam potentiam. *Lipsius.* Dicit Brutum Cassiumque solos eo tempore pro Rep. bellasse, ceteros privatæ potentiæ. Tres ergo facit partes, Publicas, Pompejanas, & Julianas. Sic fere Seneca de Catone dicit; Epist. 104. *Cum alii ad Cæsarem inclinarent, alii ad Pompeium: solus Cato fecit aliquas & Reip. partes.* Sed de Bruto idem nostri judicium H. I. 50 4. *Mansuram fuisse sub Pompejo Brutoque Rempublicam.* Freinshemius.

3 *Apud Siciliam oppressus:*] Non mehercules apud Siciliam. In Asia oppressum eum jugulatumque consentiunt scriptores. de urbe tamen ambigitur. Dio XLIX. cæsum vult ἐν Μιδαείῳ τῆς Φρυγίας, in Phrygiæ oppido Midaio. Florus l. IV. c. VIII. & Appianus Mileti, quæ Cariæ adscripta. Sed noster victum eum saltem intelligit, & copias ejus apud Siciliam oppressas. Ita & Florus de eodem: *In Siculo freto juvenis oppressus est.* Lipsius.

4 *Exutoque Lepido, &c.*] Eleganter, id est, exarmato, & exercitu spoliato. Nam viginti legiones ei ademit. *Lipsius.*

5 *Tribunicio jure contentum:*] Non poterat per leges eodem tempore plures magistratus gerere: & tamen omnium magistratuum vim ac potestatem in se unum transferre cupiebat. Ergo qui summus in urbe erat magistratus, consulatum dico, eum, cum visum est, & quamdiu ac quoties visum est, occupavit. Cum autem tribunorum plebis maxima etiam esset auctoritas, ut qui aliis omnibus magistratibus intercedere, eorumque conatus impedire possent: (nam si unus tribunus dixerat, *veto*, irritum erat, quicquid agebatur) cum ipsos quoque consules nonnunquam obtorto collo in carcerem traherent: cum senatusconsulta arbitratu suo rescinderent: cum, quod caput est, sacrosancti essent: ita ut eos violare aut invitos attingere, piaculum haberetur: noluit quidem Augustus tribunus pl. esse, cum jam consul esset: prætereaque jam patricius effectus, adoptione in gentem Juliam, tribunatum plebis capere non posse videretur: sed Tribuniciam potestatem à Senatu petiit, obtinuitque. Quid enim tunc petenti Augusto negari poterat? ut esset non una & consul & tribunus plebis, sed, inverso loquendi genere, *consul tribunitiæ potestatis.* Hoc autem se facere simulabat ut plebem tueretur: quoniam ea tribunorum creandi causa principio fuerat. Speciosa nomina: res capitales, & ad reipublicæ exitium pertinentes. *Muretus.*

6 *Ubi militem donis,*] Respexit huc Victor, cum de eodem Augusto scripsit; *Illectis per dona militibus, atque annonæ curandæ specie vulgo, ceteros haud difficulter subegit.* Lipsius. Militares animi toti ad lucrum intenti sunt: neque ulla re magis quam donis permoventur. Est quidem verum illud Homericum: Δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ' αἰδοίους βασιλῆας. Sed multo verius in iis, qui exigua pecuniola adducti, vitam suam quotidie in omne discrimen expununt. Quando enim pecuniam negligent, qui vitam ipsam præ pecunia negligunt? Itaque quantum apud milites dona possint, magis etiam posterioribus sæculis intellectum est, cum, ut quisque amplissimum donativum obtulerat, ita ad eum imperium deferebant, non diutius imperare passuri, quam dum reperiretur, qui amplius polliceretur. Et erant, qui, tamquam in auctione, licitarentur, non quanti imperarent, sed quanti paulo post morerentur imperatores. *Muretus.*

7 *Populum annona,*] Nihil est enim quod populum magis torqueat, aut facilius ad seditionem populares animos concitet, quam annonæ difficultas. Urget enim fames: qua, ut ait Homericus Ulysses, mori molestissimum est: neque sui oblivisci patitur: *venterque*, ut proverbio dicunt, *aures non habet.* Neque vulgo odiosiores ulli sunt, quam qui annonam incendunt, & excandefaciunt: neque

na, cunctos dulcedine otii pellexit; insurgere paulatim, [1] munia senatus, magistra-
tuum, legum in se trahere, nullo adversante; cum ferocissimi per acies aut proscri-
ptione cecidissent: ceteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus & hono-
ribus extollerentur: [2] ac novis ex rebus aucti, tuta & præsentia, quam vetera &
periculosa mallent. Neque provinciæ illum rerum statum abnuebant, suspecto se-
natus populique imperio ob [3] certamina potentium, & [4] avaritiam magistratuum;
[5] invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur. Ceterum 3
Augustus [6] subsidia dominationi [7] Claudium Marcellum, sororis filium admodum
adolescen-

que ulli magis quàm qui eam sublevant, populum demerentur. Reditum Ciceronis ab exilio jucundiorem populo fuisse ajunt, quod summam, quæ antea fuerat, annonæ caritatem summa vilitas consecuta est. Sapienter, ut solet, Tacitus noster libro IV. Annal. ab excessu Neronis ait, *vulgo alimenta in dies mercari solita unam esse ex republ. annonæ curam.* Auri, purpuræ, honorum plus apud alios esse plebs æquo animo fert: quiescere esuriens non potest. Cum igitur Siculo adversus Sex. Pompejum bello caritas effecta esset, vilitatem reduxit Augustus. Ita populum pellexit annona. *Muretus.* Immo multo magis frumento gratuito; hæc enim illa lenta & perpetua plebis Romanæ vincula escaria. Sueton. Octavio. 40. 41. *Gronovius.*

1 *Munia Senatus, magistratuum, legum in se trahere,*] Quasi ceteros labore exsolveret: ipse omnem molestiam reipubl. causa in se transferre ac suscipere vellet. Legationes antea in Senatu audiri solebant. Hac molestia Senatum liberavit Augustus. Audiri quidem eas voluit & in Senatu nonnunquam, ut Senatus aliquid tamen agere videretur: sed plerasque domi, paucis adhibitis, ipsi cum videbatur, audiebat. Senatus de pace, de bello, de provinciis deliberabat. Quid opus erat tam multos senes tantum laborem capere, tam mane convenire in Curiam, tam multa ibi audire, tam multa dicere, tam vesperi domum fessos & viribus exhaustos redire? Valetudini eorum ac quieti prospexit Augustus. Domi hæc cum paucis tractare cœpit. Magistratuum varia ac multiplex procuratio erat. Augustus consulatum quidem, qui præcipuus erat magistratus, sumpsit sibi, cum voluit, quamdiu voluit & quoties voluit: Nam ut nos vestem, sic ille consulatum, cum voluerat, capiebat, deponebat, resumebat; neu populus de dando ei collega sollicitus foret, ipse sibi collegam, quem libuerat, non qui una imperaret, sed qui imperata faceret, cooptabat. Magnum in Republ. onus tribuni plebis sustinebant. Ipse tribunatum quidem non cepit; sed, ut eos onere levaret, potestatem tribuniciam accepit. Censorium munus quàm molestum, quàm grave? locare publica, senatum legere, populum censere, inquirere in omnium mores, alios Senatu movere, aliis equum publicum adimere, alios in Cæritum tabulas referre, multos notare, in multorum odia incurrere. Odiosa res & negotiis plena. Igitur censuram quidem non sumpsit Augustus, sed alio vocabulo *morum regimen* sumpsit. O hominem laboriosissimum & alienæ quietis studiosissimum! Magno tumultu, magno molimine, magno concursu civitatis leges antea rogabantur. Tollatur quoque illa tumultuandi materia. Quod Augusto placuerit, pro lege habetor. *Muretus.*

2 *Ac novis ex rebus aucti*] Sic editores producunt sensum Taciti, quum tamen unicus liber præferat in his adversativam *at*, ut manifeste ibi legitur, & perinde tolerari potest; immo ipse Tacitus per antecedentia *nullo adversante* quasi viam muniverit isti particulæ, quam indico extare in tam prisco monimento. *Jac. Gronovius.*

3 *Certamina potentium,*] Factiones in urbe, & tum bella, quæ mixtas provincias affligebant. *Lipsius.*

4 *Avaritiam*] Rapinas & extorsiones Præsidum, in populi imperio dissimulatas, aut invicem donatas. *Idem.*

5 *Invalido legum auxilio,*] At dicet aliquis, erant repetundarum judicia, quæ non ipsos modo magistratus, sed in ipsorum quoque heredes, in quantum locupletiores facti essent, redderentur. Ludibria illa, non judicia erant. Turbabantur vi: cum interdum minæ intentarentur judicibus, interdum etiam sicæ. Turbabantur ambitu: qui sæpe & accusatores prævaricari ac colludere, & judices pejerare cogebat. Turbabantur eâ, quæ semper plurimum apud plurimos, prope dixi, omnia apud omnes potuit, pecuniâ. His fiebat, ut omnis rerum commutatio provincialibus optabilis videretur. Quare Augusto ad se unum omnia trahenti, facile acquieverunt. Quod documento Principibus esse debet, ne avaris hominibus provincias gubernandas mandent. Diu enim compressa populorum odia aliquando tamen erumpunt: ut aut rebellionem faciant ipsi, aut aliis novas res molientibus adjungant se potius ad illos, quam eorum conatibus obstare nitantur. *Muretus.*

6 *Subsidia dominationi*] Cogitavit periculosum esse Principibus, iis præsertim, qui in civitate nondum servituti assueta recens imperium occuparunt, si ex se sibi paratos successores non habeant. Facilius

adolescentem, pontificatu & curuli ædilitate; M. Agrippam [1] ignobilem loco, bonum militia, & victoriæ socium, [2] geminatis consulatibus extulit: mox [3] defuncto Marcello, generum sumpsit: Tiberium Neronem & Claudium Drusum privignos, [4] imperatoriis nominibus auxit, integra etiamdum domo sua. nam genitos Agrippa Cajum ac Lucium [5] in familiam Cæsarum induxerat; necdum posita puerili prætexta,

1 *Prin-*

enim & confidentius insurgit populus adversus eum Principem, cujus morte forte se liberum putat, & quem si occiderit nullum paratum videt ultorem. At si videat eo sublato successorum quempiam ex eadem stirpe, malo cavet, & futuri metu, præsentibus acquiescit. Atque hoc est, quod apud Josephum lib. 18. Tiberius morti proximus Caligulam sapienter monet, τὰς μοναρχίας τοῖς ἄρχουσιν ἐπικινδύνους εἶναι. Augustus igitur, qui præter unicam filiam Juliam, nihil liberorum haberet, ex cetera propinquitate sua providendos sibi, quoad longissime posset, successores, judicavit. Quinam ii fuerint, exponit hoc loco Tacitus: & ut tandem ceteris sublatis, imperium ad Tiberium pervenerit. *Idem.*

6 *Claudium Marcellum,*] Magnam illam Romæ & libertatis spem. De cujus laudibus plena manu Seneca ad Marciam: *Octavia Marcellum amisit, cui & avunculus & socer incumbere cœperat, in quem onus imperii reclinaret:* (malo, *reclinare*) *adolescentem animo alacrem, ingenio potentem, sed & frugalitatis continentiæque in illis aut annis aut opibus non mediocriter admirandæ: patientem laboris, voluptatibus alienum, & quantumcumque imponere illi avunculus, & ut ita dicam, inædificare voluisset, laturum.* Lipsius.

1 *Ignobilem loco,*] Adeo ut ipsum generis sui nominisque pœniteret. Narrat comiter Seneca pater Controvers. lib. II. *Tantâ autem Mæcenas sub divo Augusto libertate fuit* (corrigo, *Tanta autem sub divo Augusto libertas fuit.* nihil hic de Mæcenate, & exculcanda vox male inculcata) *ut præpotenti tunc M. Agrippæ non defuerint qui ignobilitatem objicerent. Vipsanius Agrippa fuerat. Vipsanii nomen quasi argumentum paternæ humilitatis sustulerat, & M. Agrippa dicebatur. Cum defenderet reum, fuit accusator, qui diceret Agrippam & quod in medium est* (iterum rescribo, *Agrippa M. & quod in medio est.* ea enim verba joci, & gentis nomen medium inter cognomen prænomenque) *volebat Vipsanium intelligi. Fuit qui diceret, Concurrite, Agrippa malum habebit, responde dui. Ea in arte* (potius *parte*) *utique mihi videtur admiratione dignus Augustus: sed horum non possum non misereri, qui tanti putant caput potius quam digitum perdere.* Scribendum, *dictum.* Lipsius.

1 *Geminatis consulatibus.*] Ideone geminatis, quia bis consul? Cave censeas. tertium enim fuisse Dio docet & Fasti. itemque Vellejus: *Agrippa*, inquiens, *quem usque in tertium consulatum & mox collegium Tribuniciæ potestatis, amicitia Principis evexerat.* Sed ideò id dixit: quia postremi duo consulatus Agrippæ conjuncti continentesque. Qui sanè honos erat: & raro cuiquam ea ætate tributus, præter principes re, aut destinatione. *Idem.*

2 *Defuncto Marcello,*] Qui Bajis obiit, ut clarè testatum reliquit, Elegia huic rei propria, Poeta Umber. Nec scio cur vir doctus tanto opere pertendat mortuum eum potiùs in Stabiano. Quid? Propertius qui vixit id ævi, locum nescivit funestum juveni tam illustri? Scivit, sed dedit hoc, inquit, Liviæ, quæ suspicione laborabat Marcelli interempti. Nec herclè immerito. Num ergo venenum dari Bajis minus potuit, ac in Stabiano? Scilicet soluta omni crimine illa aulica Medea, si Marcellus obiit Bajis. Ego vero, vir maxime, causam nullam video hujus tuæ tam seriæ advertionis: placetque cum Propertio & vulgatis Servii libris mortuum eum in Bajano. Suspicionem quidem de Livia Dio hujusmodi inseruit: Αἰτίαν μὲν οὖν ἡ Λιουία τοῦ θανάτου Μαρκέλλου ἔσχεν, ὅτι τῶν υἱέων αὐτῆς προετετίμητο: *Causam mortis Marcelli Livia habuit, quod is ejus filiis anteponeretur.* At Tacitus Pliniusque ea culpa non liberant etiam Augustum, Annal. II. *Sed suberat occulta formido reputantibus, haud prosperum in Druso patre ejus favorem vulgi: avunculum ejusdem Marcellum flagrantibus plebis studiis ereptum, breves & infaustos populi Romani amores.* Plinius lib. VII. inter Augusti infortunia: *Suspecta Marcelli vota, pudenda Agrippæ ablegatio.* Quasi concepenit aliquid cupiveritque contra Augustum, amore pristini status & libertatis. *Idem.*

3 *Imperatoriis nominibus auxit*] Non eo more, quo rei Romanæ domini, Imperatores dicti: sed quo olim, qui rempub. militiæ feliciter gessissent. Vulgatus olim honos: non item sub Impp. qui rei prospere gestæ lauream & laudem sibi adscribi volebant auspiciisque suis. Turbat in sententia hujus loci vir doctus, & miror. Tu vide Dionem Cassium lib. LIV. & LV. & Vellejum, itemque ea quæ scribo ad extremum librum quartum. *Idem.*

4 *In familiam Cæsarum induxerat;*] Emptos domi à patre per æs & libram. Ita loquebantur, non *per assem*, ut perperam inolevit Suetonii cap. LXIV. Quamquam revera in ea formula Æs non aliud notat quàm Assem. Varro lib. VIII. *Pro assibus nonnumquam æs dicebant antiqui, à quo dicimus assem tenentes: Hoc ab ære æneaque libra.* Ritum hunc (ut omittam notata aliis) notat explicatque eleganter Clemens Alexandrinus Strom. quinto: Καὶ τὰ παρὰ Ῥωμαίοις ἐπὶ τῶν διαθηκῶν γινόμενα τάξιν εἶχε διὰ δικαιοσύνην,

[1] *Principes juventutis* appellari; [2] destinare consules; specie recusantis flagrantissimè cupiverat. Ut Agrippa vita concessit; L. Cæsarem euntem ad Hispanienses exercitus, [3] Cajum remeantem Armenia, & vulnere invalidum, mors fato propera, vel [4] novercæ Liviæ dolus abstulit; [5] Drusoque pridem extincto, Nero solus è privignis erat: illuc cuncta vergere: filius, collega imperii, consors tribuniciæ potestatis adsumitur,

δικαστήριον, ἐκεῖνα ζυγὰ καὶ ἀσσάρια, καρπισμοί τε καὶ αἱ τῶν ὤτων ἐπιψαύσεις. Τὰ μὲν γὰρ ἵνα δικαίως γίνηται, τὰ δὲ εἰς τὸ τῆς τιμῆς μαρτύριον, τὰ δ' ὅπως ὁ παρατυχὼν, ὡς βάρυς τινὸς αὐτῷ ἐπιτιθεμένου, ἰδίας ἀκούσῃ, καὶ τάξιν μάρτυρος λάβῃ. Triplex antiquitatis ritus, interpreti non intellectus. Æs & libra in testamentis, Vindiciæ, & Antestatio. Nam καρπισμὸς ad vindicias adsertionemque refero: τὰς τῶν ὤτων ἐπιψαύσεις, aurium tactiones, ad Antestationem. Omnia enim hæc ad familiæ mutationem pertinent, quæ per testamentum, de qua Quinctilian. Declam. CCCVIII. *Non dixerim testamentum, cui libripens deest & familia emptor, & cetera juri necessaria.* Agellius L. IV. c. XXVII. & Jurisconsulti. *Lipsius.*

5 *Principes juventutis appellari;*] Quod sanè ridiculum, ut principes juventutis sint, qui etiamnum in pueris. Natus autem Cajus anno urbis DCCXXXIV. Sex. Appulejo, P. Silio Coss. At Lucius biennio toto minor, ex Dione LV. in actis ejus anni. Princeps juventutis (πρόκριτον τῆς νεότητος Zonaras hic reddidit) ab Augusto invaluit, ad futurum imperium titulus & omen. Sunt nummi cum inscriptione: C. L. CÆSARES. AVGVSTI. F. COS. DES. PRINC. IVVENT. adpositæ effigies Caji Luciique, cum clypeis & hastis, quæ tirocinii die equites dederant, honoris Augusti caussa. Dio: Καὶ αἱ πέλται τάτε δόρατα, ἃ παρὰ τῶν ἱππέων ἐς τὰς ἐφήβους ἐσιόντες χρυσᾶ εἰλήφεσαν, ἐς τὸ βουλευτήριον ἀνετέθη. Observa Dionem aureas hastas dicere, quas lapis Ancyranus (magnæ apud me fidei, ut quem vivus conceperit Augustus ipse) argenteas. Verba sunt, uti ad me missa beneficio viri illustris Augerii Busbequii: EQVITES. AVTEM. ROMANI. VNIVERSI. PRINCIPEM.... HASTIS. ARGENTEIS. DONATVM. APPELLAVERVNT. quam lacunam rite explevens: *Principem juvent. Cajum.* Idem. Sic quoque citat Norisius ad Cenotaph. p. 102. & 105. PRINCIPEM Cajum, sed utrobique omittens vocem *juventutis*, quæ abesse nequit. Quum vero nunc accuratio magis adspectu id monimentum sit lustratum, egregie hunc defectum ex eis quæ supersunt reliquiis, sanavit doctissimus Massonius *Universi Principem juventutis utrumque eorum parmis & hastis* &c. Jac. Gronovius.

1 *Destinare consules;*] Et vero perfecerat. Romæ marmor de Cajo: QVEM. POPVLVS. COS. CREAVIT. ANNOS. NATVM. XIV. Ait annos natum quatuordecim: & addicit Dionis ratio, qui consulem facit designatum anno urbis DCCXLVIII. Tamen Augustus in jam dicto lapide XV. illi annum circumdat, sed nempe quem ingressus erat, & jam agebat. Verba sunt: *Honoris mei caussâ Senatus populusque Romanus annum quintum & decimum agentis Consulis designavit, ut eum magistratum iniret post quinquennium ex eo die, quo deducti in forum.* Lipsius.

Destinare consules] *Designari* legendum puto, ut & ante *appellari*. A populo enim eos designari, non designare ipse cupiverat. *Muretus.* De forma verbi, subscribo, nempe *destinari* scripsisse auctorem, hoc est, designari. Suetonius in primo Julio: *flamen Dialis destinatus.* Vide 2. Observ. 8. *Gronovius.*

2 *Cajum remeantem Armenia,*] In Lycia mortuum eum voluit Suetonius cum Vellejo. Ille his verbis: *Cajum & Lucium in duodeviginti mensium spatio amisit ambos: Cajo in Lyciâ, Lucio Massilia defunctis.* Iste his, *Deinde reluctatus invitusque revertens in Italiam, in urbe Lyciæ, Limyram vocant, morbo obiit.* Etiam Florus: *Massilia Lucius morbo solvitur: in Lyciâ Cajus ex vulnere.* Fugerit ergo ratio memoriosum illum senem necesse est, qui in Syria tradidit defunctum. Dico Senecam patrem in Controversiis: *Itaque cùm mortuo in Syria C. Cæsare codicillo questus esset Augustus, quod in tam magno & recenti luctu suo cœnasset.* Sed erit fortasse, qui culpam eam in exscriptorem conferet, rescribetque, *Lyciâ.* Addi velim Suetonii locum, Tiber. cap. XV. *Cajo & Lucio intra triennium defunctis, adoptatur ab Augusto.* nec addi solùm, sed & corrigi. Nam hoc de triennio, nonne nimis laxum? apparet è Vellejo: *Cajus*, inquit, *in urbe Lyciæ morbo obiit, cum ante annum ferme L. Cæsar Massilia morbo decessisset.* En, dumtaxat intervallum fecit paullo plus anni. Et ipse Suetonius *duodeviginti* modo *menses* interponit, verbis quæ supra. Non ergo ambiges, quin scribendum, *intra biennium:* si hunc putamus sensum. Nam in alium me duxit P. Johannes Deckerius è Societate Jesu, qui refert ad *triennium* Tiberiani reditus, & vult utrumque periisse intra tres primos annos, ex quo iste Rhodo reversus. Historia approbat. *Lipsius.*

3 *Noverca Liviæ*] Nata exitio reip. hæc mulier, & suæ domus. Sed bene quod Tacitus nusquam dissimulat fraudem ejus & scelus. Plinius cautior, qui suspicionem hanc tangens, cavit sibi obscuritate sermonis: *Incusata filiorum mortes, luctusque non tantum orbitate tristes.* Nec enim aliò traxeris ea verba, non me quidem interprete. *Idem.*

4 *Druso pridem extincto,*] Nempe ante annos circiter XII. priusquam Cajus moreretur. Quippe Drusus

ſumitur, omniſque per exercitus oſtentatur: non obſcuris, ut antea, matris artibus, ſed palam hortatu. nam ſenem Auguſtum devinxerat adeo, uti nepotem unicum Agrippam Poſtumum in [1] inſulam Planaſiam projiceret; rudem ſane bonarum artium, & robore corporis [2] ſtolide ferocem, [3] nullius tamen flagitii compertum. At hercule Germanicum Druſo ortum, octo apud Rhenum legionibus impoſuit, adſciſcique per adoptionem à Tiberio juſſit. quamquam eſſet in domo Tiberii filius juvenis: ſed [4] quo pluribus munimentis inſiſteret. Bellum ea tempeſtate nullum, niſi adverſus Germanos ſupererat; abolendæ magis infamiæ ob amiſſum cum Quinctilio Varo exercitum, quam cupidine proferendi imperii, aut dignum ob præmium. Domi res tranquillæ. [5] eadem magiſtratuum [6] vocabula. [7] juniores poſt Actiacam victoriam, etiam ſenes plerique inter bella civium nati. quotuſquiſque reliquus, qui rempublicam vidiſſet? Igitur verſo civitatis ſtatu, [8] nihil uſquam priſci & integri moris: omnis
4 exuta æqualitate juſſa principis aſpectare. [9] nulla in præſens formidine, dum Auguſtus ætate validus, ſeque & domum & pacem ſuſtentavit. Poſtquam provecta jam ſenectus

Druſus obiit ex lapſu equi, in Germania, anno urbis DCCXLV. ex Dione libro LV. initio; & Cajus anno DCCLVI. Impoſuerat mihi Dion olim, in cujus libro hiatus eſt, & anni aliquot omiſſi. atque ita narratur mors Caji, quaſi biennio poſt illam Druſi. Sed, ut dixi, defectio & hiatus eſt, atque anni plures medii deſunt: quod in Notis ad Vellejum obſervamus. *Idem.*

1 *Inſulam Planaſiam*] Atqui Siciliam vocat Scholiaſtes Juvenalis vetus. *Agrippa*, inquit, *in Sicilia propter morum feritatem ab Auguſto relegatus eſt.* Errat. nam de Planaſia adfirmat cum noſtro etiam Dio, & ait vicinam Corſicæ eſſe, libro extremo LV. In qua narratiuncula quod legitur, Καὶ τὴν Ἰουλίαν ὡς μητρυιὰν διέβαλλεν: *& Juliam ut novercam aſpernabatur:* meo judicio τὴν Λιβίαν faciendum eſt. Non enim matrem ſuam Agrippa inſectabatur (& illa vero jam relegata aberat) ſed Liviam, ut probabile eſt, Auguſtæ ſtirpi numquam æquam. *Idem.*

2 *Stolide ferocem,*] Quod Plato evenire ait omnibus generoſis ingeniis, quoties non ita, ut oportet, educantur. Et alioqui patrem habuerat ruſticanum ac militarem, & duritiæ, non deliciis, aſſuetum. *Muretus.* Livius lib. VII. de Manlio: *Illum prævalidam juvenem, & quod haud minus timendum erat, ſtolide ferocem.* Pichena.

3 *Nullius tamen flagitii*] Imitatione Livii, ſi forte, qui de T. Manlio: *Filium juvenem, nullius probri compertum, extorrem urbe egit.* Lipſius. Noſter IV. annal. *adverſus unicum & nullius ante flagitii compertum.* Pichena.

4 *Quo pluribus munimentis*] Verè emendavi. Filii enim heredeſque, paſſim dicuntur ſubſidia & firmamenta regni. Tacitus v. Hiſtor. *Non legiones, non claſſes, perinde firma imperii munimenta quam numerum liberorum.* Euripides.

Φῦναι τυράννοις, παῖδας ἔρυμα δώμασι.

Sic *Subſidia aulæ*, Suetonio; *adminicula Auguſti*, Senecæ; heredes imperii dicuntur: & vere. Siculus ille momar: (exprimit, quod verum eſt, à me indignatio) cum ſua conjectura, *ſed qui pluribus morum vitiis inſiſteret*, abeat Morboniam. *Lipſius.*

5 *Eadem Magiſtratuum*] Callide & ſapienter ſcriptum. Non erant ii magiſtratus. neque enim eandem vim atque auctoritatem obtinebant: ſed tamen iiſdem nominibus vocabantur. Ex hoc ad plebem fallendam plerumque ſatis erat. *Muretus.*

6 *Vocabula*] Sed non vis aut poteſtas. Cæſar in ſe traxerat. *Lipſius.*

7 *Juniores poſt Actiacam victoriam & jam ſenes plerique, &c.*] Tota civitas dividebatur in centurias ſeniorum & centurias juniorum. Juniores vocabantur uſque ad annum XLVI. poſtea ſeniores. Auguſtus autem rerum potitus eſt LVI. quatuor & quadraginta ſolus poſt Actiacam victoriam: duodecim cum Collegis. Juniores igitur poſt Actiacam victoriam, ſenes plerique inter bella civium nati erant, neque fere quiſquam ſuperſtes erat, qui Rempubl. vidiſſet. Hic autem notandum eſt ad confirmandam novam tyrannidem, præter cetera, vitæ diuturnitatem, requiri. Quamdiu enim ſuperſunt, qui libertatis dulcedinem experti ſunt, numquam deſunt, qui alios ad eam recuperandam cohortentur. At qui longinquitate temporis ad ſervitutem occalluerunt, iidem ut aves diu cavea incluſæ, de libertate ne per ſomnium quidem cogitant: molliorem paulo & clementiorem ſervitutem omni libertate potiorem putant. *Muretus.*

8 *Nihil uſquam priſci, &c.*] Avitæ virtutis ac libertatis nemo meminerat. Qui imperare aliis ſolebant, ipſi jam ex illius unius nutu, arbitrioque pendere: atque inter ſe, quis ad imperata facienda promtiſſimus eſſet, contendere. *Idem.*

9 *Nulla in præſens formidine.*] Non timent homines, niſi propinqua: ne mortem quidem, niſi cum eam putant imminere: cum tamen omnibus momentis

senectus [1] ægro & corpore fatigabatur, aderatque finis, & spes novæ: [2] pauci [3] bona libertatis incassum disserere; [4] plures bellum pavescere; [5] alii cupere; pars multo maxima [6] imminentis dominos variis rumoribus differebant: *trucem Agrippam, & [7] ignominia accensum, non ætate, neque rerum experientia tantæ moli parem. Tiberium Neronem [8] maturum annis, [9] spectatum bello: sed vetere atque insita [10] Claudiæ familiæ superbia; multaque indicia sævitiæ, quamquam premantur, erumpere. Hunc & prima ab infantia eductum in domo regnatrice: congestos juveni consulatus, triumphos: [11] ne iis quidem annis, quibus Rhodi [12] specie secessus [13] exulem egerit, aliquid quam iram, & simulationem, & secretas libidines meditatum: accedere matrem muliebri impotentia: serviendum fœminæ, duobusque insuper adolescentibus, qui rempublicam interim [14] premant, quandoque distrahant.* Hæc atque talia agitantibus, gravescere valetudo

mentis immineat. Itaque de Principibus ætate validis, ita fere cogitat plebs, ac si nunquam morituri essent. Nihil igitur in præsens metuebant Romani, quamdiu Augustum diu etiam victurum esse sperabant. *Muretus.*

1 *Ægro & corpore*] Velim trajici, *& ægro corpore*. Lipf. Lipsius mallet, *& ægro corpore*. at Tacitus id sæpissime de industria. infra eodem lib. *dabat & famæ.* lib. II. *irridebantur & Græci comites.* inferius, *data & à Tiberio occulta mandata.* Hist. lib. II. *trucidati & comites.* Pichena. Sic quoque tamen viris doctis omnia suspecta, & *animo* vellent interponi. Non dubium est, quin *τὸ fatigabatur*, quod iidem observant, referatur ad vocem *senectus*: sed eo sensu, quo apud Juvenalem: *si oppressa foret secura senectus Principis.* Nimirum postquam ipse princeps ætatis provectæ jam & morbis cœpit attentari. Rationem reddit Tacitus, quare hominibus de republica Augusto permissa pridem securis sollicitudinem attulerit exspectatio successoris: nempe, quod videbant illum accessisse ad finem mortalitatis, utpote valde senem, nec jam crudo viridique, sed causario & labanti corpore: ut ille apud Phædrum leo describitur, *Defectus annis & desertus viribus.* Hic nihil prorsus necesse fuit *animi* mentionem facere. Non enim auctori cura, pingere Augustum omnibus partibus, qualis fuerit tali tempore, sed submonere de duobus illis publice notis & in oculos incurrentibus, quæ adverterunt homines, tanquam præsagia instantis mortis. At animus neque vegetus in senio vitæ longum duraturæ, neque infirmior citæ mortis prærogativa est. *Gronovius.*

2 *Pauci*] Iique aut senes aut rerum imperiti, aut utrumque, qui libertatis ne umbram quidem ullam superesse non viderent, neque cogitarent eam pridem ita altè obrutam esse, ut resurgendi nulla spes esset. *Muretus.*

3 *Bona libertatis incassum disserere*] Quorsus enim ejus rei memoriam refricabant, quam nemo, nisi stultissimus, recuperari posse confideret? *Idem.*

4 *Plures bellum pavescere*] Divites nimirum, & novis ex rebus aucti: quibus, quod amitterent, erat. *Idem.*

5 *Alii cupere*] Ii videlicet, quorum res familiaris non optime constituta erat: ut ex omni bellico motu damni quidem nihil metuere, lucri ex præda, utcumque caderet res, sperare aliquid possent. *Idem.*

6 *Imminentis dominos variis rumoribus differebant*] Notabis ingenium plebis,

> ——— *cui mos humili lasisse veneno*
> *Summa, nec impositos umquam cervice volenti*
> *Ferre duces.* Lipsius.

Varie de eis loquebantur, variè augurabantur, quid quisque incommodorum ac calamitatum & privatim & publice allaturus esset. *Muretus.*

7 *Ignominia accensum*] Quod ab avo eodemque patre abdicatus & relegatus fuisset. *Idem.*

8 *Maturum annis*] Jam enim LV. annos natus erat. *Idem.*

9 *Spectatum bello*] [illegible]. Multa enim bella in Dalmatia, multa in Germania gesserat. *Idem.*

10 *Claudiæ familiæ superbia*] Quæ usque ab ultimis temporibus superbissima & plebi inimicissima fuerat. *Idem.*

11 *Ne iis quidem annis*] Octo autem fuerunt. *Idem.*

12 *Specie secessus exul egerit*] Secesserat autem, ut Cajo & Lucio cederet. itemque pertæsus uxoris Juliæ impudicitiam. *Idem.*

13 *Exulem egerit*] Ita *Principem agere*, & *Agere se paullo minus quam privatum*, in Suetonio aliisque lego. Et in nostro lib. III. Histor. *Quanto ferocius paullò ante se egerint, tanto cupidius voluptates hausisse.* M. Antonio tamen Mureto, cujus scripta Venus inhabitat pariter cum Musis, leg. videtur, *exul egerit.* Lipsius.

14 *Premant, quandoque distrahant*] Dixi corruptum olim locum mutilumque. Redeo in viam admonitu amici qui explicat: Drusus & Germanicus nunc quidem conjuncti prement rempub.

letudo Augusti. & quidam [1] scelus uxoris suspectabant. Quippe rumor incesserat, paucos ante menses, Augustum electis consciis, & comite uno Fabio Maximo Planasiam vectum, [2] ad visendum Agrippam, multas illic utrimque lacrymas, & signa caritatis, spemque ex eo, fore ut juvenis penatibus avi redderetur. Quod [3] Maximum uxori Marciæ aperuisse: illam Liviæ. [4] Gnarum id Cæsari: neque multo post, extincto Maximo (dubium an [5] quæsita morte) auditos in funere ejus Mar-

at olim orto, fors fuat, dissidio, eamdem distrahent per bellum civile dissipabuntque. Consule Muretum lib. XI. cap. I. *Idem.*

1 *Scelus uxoris*] Hæc est tertia venenariæ hujus palma, & jure lemniscata. Tangit verò suspicionem illam de ficubus, quæ nota ex Dione. *Lipsius.* Dio hac de re apertius. Ficuum esu oblectabatur Augustus; easque sæpe Livia decerptas manu sua ex arbore ipsi porrigere solebat; ipseque eas ita libentius edebat. Partem igitur adhuc pendentium oblevit Livia veneno, non quidem præsentaneo, sed quod paucis diebus consumeret. Jam tum enim ars illa reperta erat: ne nostrorum temporum inventum putetis. Venenatas igitur marito dedit: ipsa sibi eas, quæ tutò edi poterant. Ita effecit ut vir suus in cœlum, filius ad imperium maturius perveniret. Sed prudenter Tacitus, qui neque id, quod satis exploratum non erat, apertius exponendum, & tamen, propter suspicionem, quasi prætereundo, attingendum putavit. *Muretus.*

2 *Ad visendum Agrippam, &c.*] Ne tam atrocem suspicionem in Liviam sine causa concitasse videatur, ostendit, quid maximè eam ad mortem celerandam viro impulisse diceretur. Hoc autem ipsum narrat & Dio: & tangit Plinius. Narrat & Plutarchus ἐν τῷ περὶ ἀδολεσχίας: quem locis aliquot corruptum esse, & quibusdam in rebus à Tacito dissentire, ostendi capite secundo libri undecimi variarum lectionum. *Idem.*

3 *Maximum uxori Marciæ*] Habes eleganter historiam totam in Plutarchi περὶ ἀδολεσχίας. quem locum pretium puto ut convertam pæne verbatim. *Fulvius verò Cæsaris Augusti amicus, cum jam senem eum sæpius querentem audiret de solitudine suæ domus: quodque duobus nepotibus fato functis, Postumio, qui solus reliquus, ex calumnia nescio quâ exsulante, cogeretur uxoris suæ filium ad successionem imperii vocare, quamquam miserans & consilium capiens revocandi ab exsilio nepotis: cùm, inquam, hæc audiret Fulvius, enuntiavit suæ uxori, illa Liviæ. Livia autem acerbè cum Cæsare egit, cur, quoniam jampridem id decrevisset, non arcesseret nepotem, sed se odio invidiæque successoris objiceret? Venientem igitur de more manè Fulvium & solitum illud dicentem Ave, Cæsar resalutavit, Vale, inquit, Fulvi. Atque ille id intelligens, domum se illico subduxit, & vocatâ uxore: Rescivit, inquit, Cæsar, non siluisse me arcana. ideo mori mihi decretum est. Uxor autem: Jure, ait, quoniam tamdiu mecum habitans vivensque nec noveris nec caveris intemperantiam meæ linguæ. Sed præcedam tamen ego, & accepto gladio, seipsa viro coram interemit.* Hæc Plutarchus: nec alibi tam liquidè narrata res. Hoc tantum male, quod Φύλβιον ubique vocat, qui Fabius est. Fabius ille Maximus, qui consul fuit anno urbis DCCLXII. Item quòd Marciam interfectam vult ante maritum. cùm noster clarè vixisse eam dicat, & auditos gemitus ejus in funere mariti. Atque hæc homini vera caussa mortis: ne innocuum Poetam oneremus, aut potiùs ipse se, de Ponto.

Occidis ante preces, caussamque ego, Maxime, mortis,
Nec fueram tanti, me reor esse tuæ.

Est enim hic Maximus, quem Naso coluit, & ad quem Elegia non una. Sed & uxor Nasonis, propinqua Maximi seu conjugis ejus Marciæ, ex his versibus:

Ille ego, de vestrâ cui data nupta domo est.
Hanc probat, & primis dilectam semper ab annis
Est inter comites Marcia censa suas.

Est censa, pro censuit, satis novè, imò antiquè. Sic *Adfectatus est regnum*, pro Adfectavit: *Spectatus est finem*, in Varrone lego; retineoque: *Communicati sunt*, pro communicaverunt, in Livio; *Peragratus est regionem*, in Vellejo, & plura. Tangit hanc de Fabio tragœdiam etiam Plinius: *Juxta hæc abdicatio Postumi Agrippæ post adoptionem. desiderium post relegationem. inde suspicio in Fabium, arcanorumque proditiones.* Lipsius. In illo, *censa est*, explicando falli summum virum monuimus lib. IV. Observationum in omissis pag. 427. *Gronovius.*

4 *C. Navum id*] Pridem emendavi firmavique, *Gnarum id Cæsari.* Gaii Navi nulla persona est in hoc actu. Sic lib. V. *Gnarum id Cæsari. eoque dubitavit de tradendâ repub.* Alibi: *Gnarum id duci. incessitque itineri & prælio.* Sed ecce hanc mihi quasi desponsam conjecturam, est qui sine ullo divortio velit abducere. Ego verò non dimitto. nec enim soli Atridæ uxores suas amant, ait ille. *Lipsius.* Adde Muretum lib. XI. Var. Lect. cap. II.

5 *Quæsita morte*] Illata, & violenta, machinatione Augusti. *Idem.* Immo, Sponte sumpta, voluntaria.

Marciæ gemitus ſemet incuſantis, *quod cauſa exitii marito fuiſſet.* Utcunque ſe ea res habuit, vixdum ingreſſus Illyricum Tiberius, properis matris litteris accitur. [1] neque ſatis compertum eſt, ſpirantem adhuc Auguſtum apud urbem Nolam, an exanimem repererit. acribus namque cuſtodiis domum, & vias ſepſerat Livia: [2] lætique interdum nuntii vulgabantur, donec proviſis quæ tempus monebat, ſimul exceſſiſſe Auguſtum, & rerum potiri Neronem fama eadem tulit. Primum faci- 6
nus novi principatus fuit, Poſtumi Agrippæ cædes: quem ignarum inermumque, quamvis [3] firmatus animo [4] centurio, ægre confecit. [5] Nihil de ea re Tiberius apud ſenatum diſſeruit. patris juſſa ſimulabat, quibus præſcripſiſſet tribuno cuſtodiæ appoſito, *nè cunctaretur Agrippam morte adficere*, [6] *quandoque ipſe ſupremum diem expleviſſet.* Multa ſine dubio ſævaque Auguſtus de moribus adoleſcentis queſtus, ut exſilium ejus ſenatuſconſulto ſanciretur, perfecerat: ceterum [7] in nullius unquam ſuorum necem duravit; neque mortem nepoti pro ſecuritate privigni inlatam, credibile erat. Propius vero, Tiberium, ac Liviam, illum metu, hanc novercalibus odiis, ſuſpecti & inviſi juvenis cædem feſtinaviſſe. Nuncianti centurioni, [8] ut mos militiæ, *factum eſſe quod imperaſſet; neque imperaſſe ſeſe, & rationem facti reddendam apud ſenatum*, reſpondit. Quod poſtquam [9] Salluſtius Criſpus

luntaria. Sic apud Plutarchum Lipſio citatum: *ideo mori mihi decretum eſt.* Simile fere de M. Lollio Vellejus 2, 102. *cujus mors intra paucos dies fortuita an voluntaria fuerit, ignoro.* Freinsh.

1 *Neque ſatis compertum eſt*] Alii tamen, ut Suetonius & Dio pro certo tradunt, vivo adhuc Auguſto veniſſe Tiberium, longoque ſermone commendatam ei eſſe Remp. ipſum denique Auguſtum in Tiberii complexibus exſpiraſſe. Addit alia Vellejus: qui mihi videtur in hoc hiſtoriam ſcripſiſſe, ut per occaſionem Tiberio adularetur. *Muretus.*

2 *Lætique interdum nuntii vulgabantur*] Iiſdem artibus uſa eſt Agrippina in morte Claudii Cæſaris. Tacitus lib. XII. *cunctos aditus cuſtodiis clauſerat, crebroque vulgabat, ire in melius valetudinem Principis, quo miles bona in ſpe ageret.* Idem.

3 *Firmatus animo*] Nimis hoc nonnulli terebrant, intuenturque, ut poſtrema ſyllaba ſere urat eorum oculos, quod non decet fieri, quum ſic dicat 2, 66. *veterem ſtipendiis.* Jac. Gronovius.

4 *Centurio, ægre confecit*] A tribuno interfectum Suetonius voluit: *Hunc*, ait, *tribunus cuſtos adpoſitus occidit, lectis codicillis quibus id facere jubebatur.* Sed Dio pariter ut noſter, à centurione. Ὁ ἑκατόνταρχος ὁ τὴν φρουρὰν αὐτοῦ ἔχων καινοτομοῦντά τι ἀπέσφαξεν: *Centurio, qui cuſtodiam ejus habebat, res novas molientem, interfecit.* Credo verum eſſe ut à centurione occiſus ſit, at juſſu tribuni. *Lipſius.*

5 *Nihil de ea re*] Ne factum excuſando agnoſcere videretur. *Muretus.*

6 *Quandocunque ipſe ſupremum d. expl.*] Certe non vidi tantum in unico libro exſtare *quandoque*, ſed etiam ex eo notavi, ut rite monuerit Cl. Ryckius, eaque fiducia judicavi in hac editione ſic legendum, quod notavit jam olim Sanctius Minerva in libr. 3. ubi de conjunctionibus agitur, & plura exempla Tacitus dabit. *Jac. Gronovius.*

7 *In nullius unquam ſuorum necem duravit; &c.*] Ita de Nerone lib. XIV. *credente nullo, uſque ad cædem duratura filii odia.* Pichena. Petronius c. 65. *Cujus tam crudeles manus in hoc ſupplicium duraviſſent?* Quintilianus decl. 279. *Non omnium animos maritorum durare ad ſanguinem.* Jac. Gronovius.

8 *Ut mos militia*] Sollennia militiæ verba, Factum quod imperaſti. Suetonius: *Renuntianti tribuno factum eſſe quod imperaſſet.* Et in Claudio: *De nece conſularis viri renunciante centurione factum eſſe quod imperaſſet.* Lipſ.

9 *Salluſtius Criſpus*] Eſt ille, cujus vitam mortemque infrà memorat lib. III. Salluſtii hiſtoriarum regis ex ſorore nepos. Nominat eum Seneca inter intimos Auguſti, lib. I. de Clementia: *Ignovit abavus tuus victis. Nam ſi non ignoviſſet, quibus imperaſſet? Salluſtium, & Cocceios, & Duillios, & totam cohortem interioris admiſſionis ex adverſariorum caſtris conſcripſit.* Sed cedo, quis in Seneca Duillius? Falſus, ſcribendumque, *Deillios*, ſive *Dellios.* Deillius à Seneca patre dicitur, in Suaſoria: *Belliſſimam tamen rem Deillius dixit, quem Meſſalla Corvinus deſultorem bellorum civilium vocat: quia à Dolabella ad Caſſium, à Caſſio deinde tranſivit ad Antonium, noviſſime ab Antonio transfugit ad Cæſarem. Hic eſt Deillius cujus epiſtolæ laſcivæ ad Cleopatram feruntur.* Græcis tamen eſt Dellius, Plutarcho Dionique. Item Horatio, inſcriptione Odes tertiæ lib. II. ubi temere interpretes

Crispus particeps secretorum (is ad Tribunum [1] miserat codicillos) comperit: metuens [2] ne reus subderetur, [3] juxta periculoso [4] ficta seu vera promeret, monuit Liviam, [5] *ne arcana domus*, [6] *ne consilia amicorum*, [7] *ministeria militum vulgarentur: neve Tiberius vim principatus resolveret, cuncta ad senatum vocando. eam conditionem*
7 *esse imperandi*, [8] *ut non aliter ratio constet*, [9]*quam si uni reddatur*. At Romæ ruere

in

pretes *Gellium* sufficiunt. Plutarchus eum historias quoque scripsisse ostendit: Πολλοὺς inquit, καὶ τῶν ἄλλων φίλων οἱ Κλεοπάτρας κόλακες, ἐξέβαλον, τὰς παροινίας καὶ βωμολοχίας οὐχ ὑπομένοντας, ὧν Μάρκος ἦν Σιλανὸς, καὶ Δέλλιος ὁ ἱστορικός: *Multos & alios Antonii amicos, Cleopatra asseclæ & adulatores exegerunt, quod petulantia ista & scurrilia non ferrent; inter quos fuit M. Silanus, & Dellius historicus.* Eadem Dio, quinquagesimo libro. Ad Sallustium autem istum facit, quod Plinius lib. XXXIV. *Metallum quoddam Sallustianum appellatum*, scribit, *ab amico divi Augusti.* Idem.

1 *Miserat codicillos*] Ita enim receptum, quo magis cautum militibus esset, cædem mandari per libellum scilicet ne Imperator auctoritatem posset defugere. Pulchre Herodianus lib. III. de Saturnino & Plautiano: Ὁ δὲ Σατουρνῖνος γραμματεῖον ᾔτησε τοῦ φόνου φέρον τὰς ἐντολάς. ἔθος γὰρ τοῦτο τυραννικὸν, εἴ τινα ἐκπέμποιεν ἐπὶ φόνον ἄκριτον, ἐντέλλεσθαι τοῦτο διὰ γραμμάτων, ἵνα μὴ γιγνόμενον ᾖ ἀκατασήμαντον: *At Saturninus codicillos, sive libellum petiit, qui cædis mandata haberet. Mos enim ille regius, ut cum mittunt ad cædem alicujus, sine sententia aut judicio, patrandam; tunc id per scriptum jubeant: ne cum factum fuerit, sine tessera aut nota sit.* Ad quem usum Duplices adhibitos, alibi lectum. *Idem.*

2 *Ne reus subderetur*] Supponeretur. Metaphora ducta à suppositiciis liberis, qui & *subditi* vocantur. Terentius: *Non vides quantum mali ex ea re excites; subditum se suspicatur.* Sic infra hoc ipso libro: *Utque mos vulgi, quamvis falsis reum subdere.* Et lib. 15. *Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos.* Muretus.

3 *Juxta periculoso*] Cum ex æquo periculosum esset; cum futurum videret, ut æque in discrimen veniret: ἐξ ἴσου ἐπικινδύνου ὄντος. Sallustianum. *Muretus.*

4 *Ficta seu vera*] Ficta, si à Tiberio crimen amoliretur; ne ipse ejus damnaretur à Senatu. Vera, si Tiberium auctorem ederet, ab eo puniendus aut tollendus. *Lipsius.*

Ficta seu vera promeret] Notandum loquendi genus. Usitatius enim erat, *seu ficta, seu vera.* Neque desunt veterum exempla. Catullus: *læva sive dextera Vocaret aura.* Horatius: *Cantamus vacui, sive quid urimur.* Idem: *Quo non arbiter Hadriæ Major, tollere, seu ponere vult freta* Item: *& Sthenelus sciens Pugnæ, sive opus est imperitare equis, Non auriga piger.* Muretus.

5 *Ne arcana domus*] Prudentissimum præceptum. Nihil est enim, quod Principum auctoritatem magis imminuat, quam si domestica ipsorum arcana vulgentur. Multa privatim faciunt, quæ publice nesciri interest. Non semper eadem est interius & exterius illorum facies. Non toti intus æque ac foris nitent. Itaque plerosque eorum nemo minoris pendit, quam qui ad secretissima maxime admittitur. Pauci admodum sunt, qui nihil habeant, quod tegi satius sit. Ignotis major veneratio est, contrectata sordescunt. Vix effugere possunt, quibus quicquid libet, licet, quin libeat interdum aliquid, quod non licet. Eo pluribus venerabilis est Princeps, quo paucioribus familiaris. *Idem.*

6 *Ne consilia amicorum*] Multa enim consilia clam dantur, quæ in propatulo non darentur. Quæ publice dantur, ad honestatem omnia; quæ secreto, ad utilitatem pleraque diriguntur. At si exigantur hæc, ut par est, ad regulas philosophorum, nihil utile nisi quod honestum. *Idem.*

7 *Ministeria militum*] Multa enim Principes, ubi manu & ferro opus est, per milites exsequuntur, ad quæ non tam promptos ac paratos eos invenirent, si reddenda singulorum ratio esset. Qui principi paruit, non sententia, sed silentio absolvendus est. *Idem.*

8 *Ut non aliter ratio constet*] Scitum dictum, nec quidquam mutemus. A mensulariis dictum est, quibus constant rationes cum pares sunt. Plin. lib. 1. Epist. *Mirum est quam singulis diebus in urbe ratio aut constet, aut constare videatur, cunctisque non constet.* Idem Panegyrico: *Augeo principis munus, cum ostendo liberalitati ejus inesse rationem. Ambitio enim, & jactantia, & effusio, & quidvis potius quam liberalitas est, cui ratio non constat.* Usi & auctores prisci juris lib. 1. De obseq. parent. l. penult. De re militari. Adde Valentis dictum apud Trebellium Pollionem: *Non sibi apud deos inferos constare rationem, quod quamvis hostem suum, Pisonem tamen jussisset occidi, virum cujus similem Rom. resp. non haberet.* Lipsius.

9 *Quam si uni reddatur*] Suspicabar ante complures annos legendum: *quam si nulli reddatur*, ea forma, qua volumus *mulieres optime olere, quæ nihil olent.* Philo de legatione ad Cajum: ἀνυπεύθυνον ἀρχὴν εἶναι τὸν αὐτοκράτορα μόνον ἐπὶ τοῖς κατὰ σφᾶς πεπραγμένοις λόγον ἀπαιτεῖν τολμῶντος ὃ δυναμέ-

τιν.

in servitium consules, patres, eques; [1] quanto quis inlustrior, tanto magis [2] falsi ac festinantes, vultuque composito, [3] ne læti excessu Principis, neu tristior primordio, [4] lacrymas, [5] gaudium, questus, adulatione miscebant. Sex. Pompejus & Sex. Apulejus Consules primi [6] in verba Tiberii Cæsaris juravere: apudque eos Sejus Strabo, & [7] C. Turranius, ille prætoriarum cohortium præfectus, hic annonæ. Mox senatus, milesque & populus. nam Tiberius cuncta per Consules incipiebat, tamquam vetere republica, & ambiguus imperandi. ne edictum quidem, quo

vv. Josephus lib. xv. antiq. *οὐ γὰρ ἔφη καλῶς ἔχειν Ἀντώνιος βασιλέα περὶ τῶν κατὰ τὴν ἀρχὴν γεγονημένων εὐθύνας ἀπαιτεῖν.* Memineram præterea ex Tacito lib. IV. histor. *victoriæ rationem non reddi.* Denique occurrebat animo Pallas, qui *pepigerat, ne cujus facti in præteritum interrogaretur, paresque rationes cum republica haberet*, ut loquitur noster lib. XIII. Verum jam tolero vulgatum. *Gruterus.*

1 *Quanto quis inlustrior*] Illustriorum enim facta magis notantur: obscuros suæ tenebræ tegunt. *Muretus.*

2 *Falsi ac festinantes*] *Falsi* interdum, quos fefellit alius. Terentius: *Ut falsus est.* At hic qui fallere cupiunt. Festinantes, dum metuit quisque, ne sibi alius anteverteret. *Idem.*

3 *Ne læti excessu Principis, neu tristiores primordio.*] Equidem & ipse vidi & notavi ex vetusta manu *tristior*, quod ita nunc opprimitur, ne id non nosceretur, quum tamen Beroaldus in contextu id retinuerit, & mox etiam notet (*Neu tristior.* Forte corrigendum erit *tristiores*. vel sit numerus pro numero. quod amicum est huic scriptori.) Quod quum debuerit scire Turnebus, tamen magnus ille vir in lib. 3. Advers. c. 3. quum citasset *tristior*, addit: (quis enim non videt loquendi rationem sensumque non postulare tantum, sed etiam flagitare *tristiores*?) Hæc scilicet sententia adjecta sic rem decrevit contra tantæ antiquitatis fidem. Tanquam non viderint varietates utique in Taciti constructione innumeras esse & incredibiles; ut harum solo respectu debuerint hinc abstinere appositicias literas & auctor Beroaldus, & sequutor Turnebus, & tam triti in Taciti stylo postea ceteri editores, & quum præmiserit singularem *illustrior*, cur hic *tristior* nequit insequi? Quid quod hoc loco etiam *læti* ad *falsi & festinantes*, *tristior* ad *vultu composito* retulisse credas, ut apud Suetonium in Nerone 37. objectus *Pæto Thraseæ tristior & pædagogi vultus.* Jam vero & Cornelius noster 14. Ann. 16. *Qui voce vultuque tristi inter oblectamenta regia spectari cuperent.* 15, 61. *nihil triste in verbis ejus aut vultu deprehensum.* Hinc ita restitui. Jac. Gronovius.

4 *Lacrimas, gaudium*] Acute Muretus: *lacrimas gaudio, questus adulatione miscebant.* Placet rei hominisque caussa. *Lipsius.*

5 *Gaudium, questus, adulationes*] Ego manuscripti lectionem retuli: *lacrimas, gaudium, questus, adulatione:* sensu non improbando. Ostendit enim senatores omnia adulatione miscuisse. idque Salinerio probatur. *Pichena.*

6 *In verba Tiberii Cæsaris juravere*] Rem, quæ per se satis habet indignitatis, magis turpificat Muretus, dum censet hoc loquendi genus proprium gladiatorum, qui se addicebant lanistis; quasi ad facienda perpetiendaque omnia, quæ is, cujus in verba juratur, jusserit, obstringi sit. Immo militum est proprium, qui se devovebant imperatori. Livius lib. III. *quo tempore P. Valerius ad recipiendum Capitolium arma plebi dedit, omnes in verba jurastis.* Et mox: *omnes, qui in verba jurastis crastina die armati ad Lacum Regillum adsitis.* Lib. XXII. *Magna vis hominum conscripta Romæ erat; libertini etiam, quibus liberi essent & ætas militaris in verba juraverant.* Eumenes apud Justinum: *Quater intra hunc annum in mea verba jurejurando obstricti estis.* Quod hic narratur, initium sumpsit in Divo, de quo Suetonius cap. LXXXIV. *item jusjurandum, quo se cuncti pro salute unius adstrinxerant.* Et mox: *confisum novissimo illo SC. & jurejurando.* Appianus: *ὡς Καίσαρι πάντες ὠμόσαμεν, φύλακες τοῦ σώματος ἢ τιμωροὶ παθόντι τι ἔσεσθαι.* Iterum: *καὶ τοὺς ὅρκους. ἦ μὴν φυλάξειν Καίσαρα καὶ τὸ τοῦ Καίσαρος σῶμα πάσῃ σθένει πάντας, ἢ εἴ τις ἐπιβουλεύσειεν, ἐξώλεις εἶναι τοὺς οὐκ ἀμύνοντας αὐτῷ.* Nec Augusto defuit fœda Sex. Pacuvii adulatio, de qua Dio lib. LIII. His exemplis cessit pudor, & Tiberio jam quasi legitimum ac solenne faciunt. Vis fuit, salutem propugnaturos & acta rata habituros. A militia etiam translatum ad gladiatores, sed horum sacramentum uri, vinciri, virgis ferroque necari. *Gronovius.*

7 *C. Turranius*] Et quidem primus in eo munere, ab Augusto. Nam Augustus acceptam à populo Præfecturam, nisi fallor, tenuit dum vixit: aut certè paullo ante mortem substituit sibi Turranium istum. Adsero id ex Cornelii nostri verbis Annal. XI. *Tum potissimum amicorum vocat, primumque rei frumentariæ Præfectum Turranium*: nisi tamen aliter accipis, ut in loco videbo. Turranii etiam mentio Senecæ, ad Paulinum cap. extremo: nescio an hujus, quia procurationem illi tribuit, non præfecturam. Nominat & Ovidius in poëtarum albo:

quo patres in curiam vocabat, nisi Tribuniciæ potestatis [1] præscriptione posuit sub Augusto acceptæ. verba edicti fuere pauca, & sensu permodesto: *de honoribus parentis consulturum:* [2] *neque abscedere à corpore: idque unum ex publicis muneribus usurpare.* Sed defuncto Augusto, signum prætoriis cohortibus, [3] ut Imperator dederat. [4] excubiæ, arma, [5] cetera aulæ. miles in forum, miles in curiam comitabatur. litteras ad exercitus, tanquam adepto principatu misit: nusquam cunctabundus, nisi cum in senatu loqueretur. Caussa præcipua [6] ex formidine, ne Germanicus, in cujus manu [7] tot legiones, immensa sociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium, quam exspectare mallet. [8] Dabat & famæ, ut vocatus electusque potius à republica videretur, quam per [9] uxorium ambitum, & [10] senili adoptione irrepsisse. Postea cognitum est, ad introspiciendas etiam procerum voluntates, [11] inductam dubitationem. nam verba, [12] vultus, in crimen detorquens

Musaque Turrani tragicis subnixa cothurnis.
& in doctorum, Plinii index. Sed quæras, cum præf. prætorio & annonæ in verba Tiberii jurarint, cur omissus præfectus urbis? cujus auctoritas non minor, (major imo illo Annonario) & cui proprius in urbe miles. Credo equidem omissum, quia nemo fuit. Taurus Statilius defunctus erat, cui Piso suffectus post aliquot annos à Tiberio, uti doceo clare lib. VI. *Lipsius.*

1 *Præscriptione posuit*] Solennius esset *proposuit*: atque ita notaverat Muretus: sed Tacitus simplex iterum maluit lib. IV. *Mox positis propalam libellis ad libertatem vocabat.* Acidalius.

2 *Neque abscedere à corpore*] Non reip. corpore, ne inducat te Maurus, sed Augusti. Datum enim honori defuncti Augusti à Tiberio, quod ab eo olim Druso. Lib. III. *Ipsum quippe Augustum asperrimo hiemis Ticinum usque progressum, neque abscedentem à corpore urbem simul intravisse.* Sed cur id è publicis muneribus? Visum ita Tiberio loqui, ad honorem Augusti. quasi magistratuum præcipuè esset, & eorum qui reip. primi, curare funus sermonis illius, & viri supra viros. *Lipsius.*

Neque abscedere à corpore] Hic loci Mauro magis adientior quam Lipsio; putemque Tiberium hæc ita protulisse, quasi diceret unum se senatorum esse. sicut alter ille Claudius 12, 5. *unum se civium.* quamvis & istum locum labefactet Lipsius. Etiam id quod subjicit de publicis muneribus, non ita accipio, quasi pro publico munere habeatur Augusti corpus comitari; sed intelligere hoc ipsum edictum quod proponebat. *Freinshemius.*

3 *Ut imperator dederat*] Signum dare imperatoris est. unde *σημαίνειν imperare.* Homerus: [illegible] *Σημαίνειν.* Et *σημάντορες imperatores.* Muretus.

4 *Excubiæ, arma*] Præcipua hæc signa tunc Principis. Noster de Muciano: *Nec deerat ipse stipatus armatis, apparatu, incessu, excubiis, vim Principis amplecti, nomen remittere.* Lipsius.

5 *Cetera aulæ*] Quæ hæc cetera? puto lictores, fasces laureati, & siquid præterea tunc receptum principi distinguendo. Neque enim adhuc illa principatus insignia, Ignis, Diadema, Purpura: quæ reperta sequenti ævo: & ad exemplum regum. Vide Excurs. in littera. *A.* Idem.

6 *Ex formidine*] Cunctandi nempe caussa, formido ex Germanico: ne si ille tantis viribus & gratia imperium vellet, ipse turpiter abjiceretur. Melius ergo censebat non agnoscere, donec nosset ejus mentem. *Idem.*

7 *Tot legiones*] Octo ad Rhenum, in ripa Gallica: præcipuum, uno loco, imperii robur. Atque eæ cum suis auxiliis & equitatu, facile ad C. M. militum accedebant. *Idem.*

8 *Dabat & famæ*] Seneca de clem lib. I. *Principes multa debent etiam famæ dare.* Noster annal. IV. *Principum diversam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda.* Pichena.

9 *Uxorium ambitum*] Matris Liviæ, quæ à marito id exambierat. *Lipsius.*

10 *Senili adoptione*] Voce *senili* innuitur, dici potuisse, quod de Jugurthæ adoptione apud Sallustium: *Oportere quinquennii consulta & decreta omnia rescindi; nam per ea tempora confectum annis Micipsam parum animo valuisse. Tum idem Hiempsal placere sibi respondit: nam ipsum illum tribus proximis annis adoptione in regnum pervenisse.* Freinshemius.

11 *Inductam dubitationem*] Scribo *indutam.* Est enim *induere* nonnunquam præferre, obtendere, ostentare. Livius lib. 1. de Bruto: *Longe alius ingenio quam cujus simulationem induerat.* Seneca de benef. 2. 2. *Lætus facit & induit sibi animi sui vultum.* Noster lib. 6. *Plurimum simulationis Seleucenses induere.* lib. 15. *Quia speciem judicii induere non poterat, ad vim dominationis conversus.* Gronovius.

12 *Vultus in crimen detorquens recondebat*] Nutus

torquens recondebat. Nihil primo senatus die agi passus, [1] nisi de supremis Au- 8
gusti. cujus testamentum inlatum per [2] virgines Vestæ [3] Tiberium & Liviam heredes habuit. [4] Livia [5] in familiam Juliam nomenque Augustæ adsumebatur.

[1] In

tus ipsos eorum, qui videbantur non ægre laturi, si ipse imperium deponeret. *Recondebat*, scribebat in animo, ut suo tempore promeret, quod & fecit. *Muretus.*

1 *Nisi de supremis Augusti*] Ut ostenderet eam sibi unam in animo hærere cogitationem. alia se omnia honoribus parentis posthabere. *Suprema* vocat testamentum, ut sæpissime in libris Juris civilis. Plena locutio est, *suprema judicia*, pro quo etiam *supremam voluntatem* & *supremas tabulas* dicunt.

2 *Virgines Vestæ*] More scilicet Romano, qui pactiones, fœdera, testamenta, pecunias etiam deponebant in templis: & sæpissime in isto Vestæ, quod religione primum. Dio XLVIII. de pace inter Triumviros & Sextum inita: Ταῦτά τε συνθέμενοι, καὶ συγγραψάμενοι, τά τε γραμματεῖα ταῖς ἱερείαις ταῖς ἀειπαρθένοις παρακατέθεντο: *Hæc ita pacti, & scriptis consignantes, tabellas apud Vestales deposuerunt.* Eadem in re Appianus: Καὶ ταῦτα συνεγράψαντο καὶ ἐσημήναντο καὶ ταῖς ἱεραῖς παρθένοις φυλάσσειν ἔπεμψαν ἐς Ῥώμην. Sed & Julianum testamentum virgini Maximæ traditum, Suetonius ait: M. Antonii, depositum apud Vestales, Plutarchus. Et generatim de templis, Ulpian. l. III. de tabb. exhib. *Si custodiam testamenti æditus suscepit.* Dixi & pecunias in templis deponi solere. quod verum adeo, ut quidam omnes fortunas in iis haberent, quasi custodia certa. Herodianus lib. I. de templo Pacis, quod exustum sub Commodo: Πλουσιώτατον δὲ ἦν πάντων ἱερῶν. δι' ἀσφάλειαν ἕκαστος ὃ εἶχεν, ἐκεῖσε ἐθησαύριζεν. Ἀλλὰ τὸ πῦρ ἐν τῇ νυκτὶ πολλοὺς ἐκ πλουσίων πένητας ἐποίησεν. Nec mirum, quia milite hæc templa custodiebantur. Tertullianus de Corona, ubi non vult Christianum militem scribi: *Et excubabit pro templis, quibus renunciabit? & cænabit illic, ubi Apostolo non placet? & quos interdiu exorcismis fugavit, noctibus defensabit, incumbens & requiescens super lancea quo perfossum est latus Christi?* Et in Apologetico: *Ædes suas dii tuerentur & imagines: qua, ut opinor, Cæsarum milites excubiis salva præstant.* Ideò Juvenalis Castora vigilem dixit:

—— *& ad vigilem ponendi Castora nummi.*

Lipsius.

3 *Tiberium & Liviam*] Num æquis partibus? eas enim accipimus, quoties nihil testator expressit. Minime. didicimus enim e Suetonio ex besse institutum Tiberium, ex triente Liviam. Atque hujus ipsius rei veniam à Senatu petierat, quod adversus legem Voconiam facturus esset, qua non licebat homini censo instituere mulierem ultra quadrantem. *Muretus.* De hoc capite legis Voconiæ vide, si libet, de pecunia vetere 3. 16. *Gronovius.*

4 *Livia in familiam Juliam*] Ideò in nummis & lapidibus exhinc ferè Julia scripta aut sculpta, non Livia: quod item in Notis ad Valerium observamus. Sed nomen Augustæ an recepit? Negat ecce Suetonius Claudio, cap. XI. *Aviæ Liviæ divinos honores, & Circensi pompâ currum elephantorum Augustæo similem decernendum curavit. Patri Circenses annuos natali die, matri carpentum quod per circum duceretur, & cognomen Augustæ, ab avia recusatum.* Dicit ab Avia id recusatum: quæ non alia quam Livia est. Mirum. Liviam enim Augustam faciunt scribuntque alii omnes. & hercle si ambitionem feminæ novi, non recusavit. Tacitus lib. IV. *Decretum quotiens Augusta theatrum introisset.* Alibi: *Augusta valetudo atrox.* Et: *Julia Augusta mortem obiit.* Plinius: *Livia Drusilla, quæ postea Augustæ matrimonii nomen accepit.* Idem lapides sexcenti testantur & nummi. Quid ergo Suetonio visum dissentire! Non ipsi quidem, sed librario qui pervertit. Liquet enim nobis corruptum locum, scribendumque *ab viva recusatum.* vel, *ab ea viva.* Ad matrem Antoniam hæc referuntur, non ad Aviam: uti docet vel ἀκολουθία sermonis. Quæ viva donata Augustæ nomine à Caligula (ταύτην τε γὰρ Αὐγούσταν εὐθὺς καὶ ἱέρειαν τοῦ Αὐγούστου ἀπέδειξε, ait Dio) id sprevit: & mortua nunc per Claudium recepit. Itaque in lapidibus Claudiani ævi: ANTONIA AVG. DRVSI. sculptum hodieque. Hoc verum. at interpretes in Suetoniano loco quam natant? qui licet ad portum se recipiant, me duce. *Lipsius.*

5 *In familiam Juliam nomenque Augustæ*] Habes quod tibi imputet Beroaldus, cujus oculos hac in parte laudant & sequuntur omnes editores, Beroaldum forsan impellente 12. 26. *Qua in familiam Claudiam & nomen Neronis transiret*, vel quæ mox sequuntur, *augetur & Agrippina cognomento Augustæ.* Aut 1. hist. 47. *Decernitur Othoni tribunicia potestas & nomen Augusti.* Et 62. *Nomine Germanici Vitellio statim addito:* nec aliter 1. hist. 15. *Sulpiciæ ac Lutatiæ decora nobilitati tuæ adjecisse.* Quæ etsi habeant speciem, ita censeo ignorari non debere in unico MS. legi clare *Augustu*, eamque literam manifeste poni ab manu prima, quam altera nonnihil scabere conata est: ut ego prorsus inde colligam scriptum fuisse ab Tacito *nomenque Augustum*, plane ut cap. 53. *Constantia mortis haud indignus Sempronio nomine.* Nam & apertura in

summo

[1] In spem secundam, nepotes pronepotesque: tertio gradu primores civitatis scripserat; plerosque invisos sibi, [2] sed jactantia [3] gloriaque ad posteros. Legata non ultra [4] civilem modum, nisi quod [5] populo & plebi ccccxxxv. prætoriarum cohortium militibus singula nummum millia; [6] legionariis aut cohortibus civium Romanorum, trecenos

summo literæ vertice non est par ei, quæ solet esse in *a* characteris Longobardici, quem bene novi, sed est ipsum *u*. *Jac. Gronovius.*

1 *In spem secundam nepotes*] Id est, substituerat vulgariter nepotes, Drusum Ti. filium ex triente, ex partibus reliquis Germanicum Drusi, qui frater Tiberii fuerat, liberosque ejus tres sexus virilis. Suetonius. *Muretus.*

2 *Sed jactantia gloriaque*] Quare *jactantia*? quasi sine affectu scilicet, optimos utilissimosque patriæ legasset. *Lipsius.*

3 *Gloriaque ad posteros*] Non tantum verum est, quod ait Thucydides, ambitionem nunquam senescere: ne morientes quidem relinquit. Volebat post mortem suam videri amasse præstantes viros, quos tamen oderat. *Muretus.*

4 *Civilem modum*] id est, nihil præcipuum novumque in legatis, nihil regium, aut præter civium modum moremque. Nam de Falcidiæ modo accipere, (ignoscent viri magni) pravum acumen est. *Lipsius.*

Civilem modum] Non lege Falcidia præscriptum. Certe enim Falcidiæ ne in militari quidem testamento locus est: nedum in testamento Imperatoris. Hoc igitur ita intelligo, legata fuisse modica & modesta, neque excedentia usitatum locupletibus & copiosis civibus in condendis testamentis modum. Certe enim *civile* etiam in libris juris sæpe dicitur, quod moderatum est & usitatum & ordinarium. Et ita dixit Cicero *odium civile* in Miloniana, non ulla propria ac privata de causa susceptum, sed usitatum bonis omnibus adversus improbos. Peccat enim Victorius, qui *commune* eo loco, adversus omnium librorum fidem, scribendum putat. Sic Ovidius, *Exercet memores plus quam civiliter iras.* Muretus.

5 *Populo & plebi* ccccxxxv.] Video placere viro docto, emendari è Suetonio: *populo & plebi* cccc. *tribubus* xxxv. ut intelligamus, ait, præter quadringenties legatum populo, etiam in singulas tribus centena millia relicta esse. Hæreo: & è vulgatis Taciti verbis eruo bonum sane sensum. Conjunctim scilicet extulit noster, quæ magis distincte Tranquillus. Ea tamen ejus mens, ut populo legatum sit quadringenties, tribubus sive plebi xxxv. Ni esset; non junxisset duas eas voces, *populo & plebi.* Sed populus ergo alius à tribubus? Alius, hac quidem in parte. Populo legavit quadringenties virûm distribuendum, &, *καθ' ἕνα*: tribubus tricies quinquies, id est, corpori tribuum universo. veluti si collegio legem, & collegis singulis seorsum. Discrimen hoc summamque exactam neglexit Dio, qui satis habet dicere legatum populo cccc. neglexi vereor & ego, dum in Electis motus hæsitatione aliorum tentavi corrigere in Suetonii verbis, *tribubus* xxxv. *Lipsius.*

Populo & plebi ccccxxxv.] Immo legavit Augustus *Populo* quidem, hoc est, ad publicos usus *quadringenties*, *plebi* autem *tricies quinquies*, quæ ei per tribus divideretur. Sic Cæsar apud Suetonium cap. 83. *Populo hortos circa Tiberim publice, & viritim trecenos sestertios legavit.* Quamvis enim ibi *plebis* vocabulum adjectum non sit: illa tamen distributio pecuniæ de nulla alia populi parte capi potest: nam honestiores eam non accipiebant; sicut nec alias largitiones, quas tamen ut plurimum *populo* datas legimus; nimirum usu obtinente, ut harum vocum significatio confunderetur. Ergo in testamento Tiberii id expressit idem auctor: *Dedit legata plebi Romanæ viritim.* Populo autem legata pecunia deferebatur in ærarium, & fiebat publica: quæ ipsa intelligitur apud nostrum, 1, 15. 4. 15, & in l. 1. ad leg. Juliam peculatus. & *pecunia populi* dicitur in l. 6. de contr. empt. Sic aliis etiam rebuspublicis, coloniis, municipiis, varia legabantur. Exempla apud Tacit. 4, 43. & in l. 21. Quib. mod. usus f. amit. l. 34. de usu leg. l. 30. de vulg. & pupil. subst. l. 30. de leg. II. l. 15. de leg. III. l. 32. & 57. ad SC. Trebell. in Inscript. Occonis pag. VI. num. II. *Freinshemius.*

6 *Legionariis cohortibus civium*] Bene additum, ne accipiamus etiam cohortes sociales. Ideo & Dio vertit, *τῷ τε λοιπῷ τῷ πολιτικῷ πλήθει πέντε καὶ ἑβδομήκοντα δραχμάς*: *reliquis militibus è civibus septuagintaquinque drachmas.* Itaque ille idem legiones *πολιτικὰ στρατόπεδα* non semel appellat: quia scripta ex civibus tantum. Fuit tamen cum in Dione placeret. *τῷ ὁπλιτικῷ πλήθει*, malè. Suetonius: *Legionariis trecenos nummos: quam summam repræsentari jussit. nam & confiscatam semper, repositamque habuerat.* Ubi *confiscatam*, in fiscis adservatam: uti Tertullianus eleganti metaphora, de Fuga, *Felices itaque pauperes, qui animam totam in confiscato habent.* Lipsius.

Legionariis autem cohortibus] Non reperio, cur addiderit voceni *cohortibus.* Aut enim omnes legionarii sunt sub cohortibus, & sic adjectio illa supervacua; aut aliqui tantum, & sic exclusi reliqui à liberalitate Augusti, quod falsum. Deinde

trecenos nummos viritim dedit. Tum consultatum de honoribus. ex quis maxime insignes visi: *ut* [1] *porta triumphali* [2] *duceretur funus*, Gallus Asinius; *ut* [3] *legum*

de multo ineptius additur *civium Romanorum*, quasi alii quoque in legionibus fuissent non cives. Scilicet minimæ particulæ neglectu hæ turbæ excitatæ sunt. Scribamus, *legionariis autem & cohortibus civium Romanorum*, quod verum est. *Legionarii* milites: qui in legionibus sunt aut sub vexillis legionum. *Cohortes civium Romanorum*, quæ ex civibus Romanis constantes in legiones tributæ non sunt. Sic apud Cæsarem de bello civili 3. 87. *An non audistis ex iis, qui per causam valetudinis remanserunt, cohortes esse Brundisii factas?* Strabo lib. 17. cum dixisset Ægyptum tribus legionibus (hoc enim eo loci sunt τὰ τρία τάγματα) contineri, subjicit: Χωρὶς δὲ τούτων ἐννέα μὲν εἰσὶ σπεῖραι Ῥωμαίων. Et eodem libro de Syene: Ἐστὶ δ᾽ ἐνταῦθα τρεῖς σπεῖραι Ῥωμαίων ἱδρυμέναι φρουρᾶς χάριν. Sic apud Cæsarem de bello civili 3, 10. cohortibus civium Romanorum centum atque triginta. Addidit autem & cohortes Tacitus, ne legionariis tantum nominatis viderentur præteriti, qui eadem disciplina eosdem labores tolerantes, merito idem quoque commodum assequi debebant. Vocat autem *cohortes civium Romanorum* ad differentiam *auxiliarium*, quæ fere intelliguntur, quoties vocabulum cohortis solum & nulla adjectione restrictum occurrit. *Freinshemius.* Si rem, ut erat, edidit Tacitus, scripsit: *legionariis trecenos, cohortibus civium Romanorum quingenos nummos viritim dedit.* Sic enim Suetonius, sic Dio. Hoc si obtinere nequeam, admisero Freinshemianum, ea tamen conditione, ut cohortes civium Romanorum solæ sint urbanæ cohortes; non quæ aliæ sub certis legionibus non continebantur; quas ille adjungit. Et fuerit aut error aut negligentia Taciti uno ordine habentis Urbanos & Legionarios, quum tamen Urbani non in Augusti modo, sed etiam in Tiberii testamento lautius fuerint tractati. Sed si verum licet fateri, magis placet prius. *Gronovius.* Utinam tribus illis, sane magnis Taciti spectatoribus, atque etiam novissimo, qui sustinuisse se fatetur copulativam interponere, Cl. Ryckio, potuissem in Bibliotheca Medicea occurrere, & Taciti exemplar ostendere! Quam cupide vidissent in eo legi *legionariis aut cohortibus?* Cur autem id mutavit Beroaldus? Cur ad id connivit Pichena, quum simpliciter & clare sic ad oculos meos pervenerit? An hæc non sunt mere Romana? 1, 18. *Una tres aquilas & signa cohortium locant.* Et c. 60. junguntur *quadraginta cohortes Romanæ, eques & imposita navibus quatuor legiones,* ut Galbæ *exercitus legionis unius & cohortium trium,* dicitur Sueton. c. 10. Hoc primum. Sed deinde 15, 10. *Expediri itineri singula millia ex tribus legionibus, & alarios octingentos, parem numerum e cohortibus jussit.* 3, 41. *Excisa coborte, quæ Lugduni præsidium agitabat, coercuit. Turonii legionario milite oppressi.* An non jam sunt, perinde ut fuere semper, immixtæ legiones & cohortes, quas ideo dicit *legionarias cohortes* 12, 38? nonne etiam separatæ legiones & cohortes, prout medio tempore separatas haberi contigit, quum tamen eodem tempore etiam legio esset divisa per cohortes? sed vicissim alerentur quoque cohortes, quarum numeri erant extra legiones? Itaque dicit cives Romanos, sive in legionibus militarent, sive in cohortibus. *Jac. Gronovius.*

1 *Porta triumphali*] Suetonius cap. c. in August. *Inter alia complura censuerunt quidam, funus porta triumphali ducendum, præcedente Victoria.* Neque dicit id factum: quod tamen viri docti ex Dione asserunt, me mirante. qui video Dionem nihil tale, imo contra scribere, *funus ejus ab equitibus noctu urbi illatum.* Si noctu, quid refert per quam portam? Hoc tamen Dio, *imaginem ejus è Palatio ceream, habitu triumphali, ductam; itemque alteram in curru triumphali.* Lipsius.

Porta triumphali] Erat trans Tiberim, in ea parte mœnium, quæ producebatur à Mole Hadriana, usque ad portam, quæ hodie S. Spiritus dicitur. **Per eam semper ducebantur** triumphi. Hodie nulla est. Asinius igitur, honoris causa porta triumphali efferendum Augusti corpus in Campum Martium censuit, præcedente Victoria, quæ in curia erat canentibus næniam principum liberis utriusque sexus. *Muretus.* De hac porta videndus Alex. Donatus in Roma vetere lib. 1. cap. 22. ita tamen, ut homini quantumvis docto ne credas nescio quam religionem inferendi cadaver Augusti per hanc portam Romanis objectam, eaque religione vetitos mortuum Augustum isthac recipere. *Gronovius.*

2 *Duceretur funus*] Immo id etiam factum est, teste Dione, tametsi ex verbis Suetonii potius contrarium elicias. Viro docto qui ad Tacitum suum miratur perperam à nobis acceptum locum Dionis, cum hæc scribebamus, respondeat pro nobis ipse Dio, cujus verba sunt illa post recitatam orationem Tiberii in funere Augusti: Μετὰ τοῦτο τὴν κλίνην οἱ αὐτοί, οἵπερ καὶ πρότερον ἀράμενοι διὰ τῶν ἐπινικίων πυλῶν κατὰ τὰ τῇ βουλῇ δόξαντα ἐκόμισαν. *Lectum*, ait, *iidem qui prius* (urbi intulerant. ii erant equites) *sustulerunt, & porta triumphali, sicut erat à senatu decretum, funus duxerunt.* Casaubonus. Ubi miror, quid voluerit illa parenthesi. Non enim, *qui prius*, intelligendi, qui urbi intulerant, sed qui e palatio portaverant in Rostra: & *senatorum humeris* eum *delatum in Campum* plane testatur Suetonius. *Gronovius.* Video Lipsium hæc ita accipere, quasi sermo esset de corpore Augusti ex oppido Nolano, ubi decesserat, Romam deferendo: sed revera de efferendo ex urbe in Campum hic agitur. Itaque

recte

[1] *legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur*, L. Arruntius censuere. addebat Messala Valerius, [2] *renovandum per annos sacramentum in nomen Tiberii.* interrogatusque à Tiberio, *num se mandante eam sententiam promsisset? sponte dixisse*, respondit; *neque in iis quæ ad rempublicam pertinerent, consilio nisi suo usurum, vel cum periculo offensionis.* [3] ea sola species adulandi supererat. Conclamant patres, [4] *corpus ad rogum humeris senatorum ferendum.* [5] Remisit Cæsar adroganti moderatione: populumque edicto monuit, *ne, ut quondam nimiis studiis* [6] *funus divi Julii turbassent; ita Augustum in foro potius, quam* [7] *in campo Martis sede destinata cremari vellent.* Die funeris, milites velut præsidio stetere, multum inridentibus, qui ipsi viderant, quique à parentibus acceperant diem illum [8] crudi adhuc servitii, & [1] libertatis

* recte viri docti ex Dione annotarunt hoc ita gestum. *Freinshemius.*

1 *Legum latarum tituli*] Ut Majestatis, de adulteriis, repetundarum, de peculatu, de judiciis, de sacerdotiis, aliarum. *Muretus.*

2 *Renovandum per annos*] De eo ritu dico ad lib. XVI. Valuit autem hæc sententia, & voluit Tiberium jam Principem esse: neque enim alii juratur. Eoque velut offensus, rogat, quo auctore dixisset? *Lipsius.*

3 *Ea sola adulandi species*] Plutarchus in commentariolo, quomodo adulator ab amico internosci queat, senatorem narrat quemdam fuisse, qui olim, cum Tiberius in senatu præsens adesset, surrexit ad dicendum & composito ad severitatem vultu, *Enimvero*, inquit, *liberos homines libere loqui oportet, neque quisquam reticere eorum, quæ ad rempublicam pertinere judicant, vel cum periculo offensionis.* Adrexere erectis animis omnes, & taciti, quid hic tam libere loquax dicturus esset, exspectabant. Desitum jam pridem orationis genus ipsum quoque Tiberium adverterat. Tum ille, *Audi*, inquit, *Cæsar, quid sit, quod omnes nos tibi succensemus: Neque tamen quisquam libere dicere audet.* Cohorruerunt omnes dubitantes, quo tandem evasurus esset. At ille, *Negligis*, inquit, *temetipsum: (dicendum enim libere est) neque corporis tui curam ullam geris: maceras te assidue curis ac laboribus causa nostra susceptis: neque interdiu neque noctu conquiescis.* Talia multa continuante ac contexente illo, Cassius Severus ad eos, qui sibi adsidebant, conversus, *Quam metuo*, inquit, *ne ista libertas huic homini exitiosa sit.* Muretus.

4 *Corpus humeris*] Qui honor, nisi fallor, Sullæ habitus primo Romanorum. Appianum lege I. Civil. *Lipsius.*

Humeris senatorum] Ex cubiculo, in quo mortuus erat, quadraginta illum prætoriani milites in publicum extulerant. Inde decuriones municipiorum & coloniarum Bovillas usque deportaverunt. Ibi eum equester ordo susceptum in urbem intulerat, & in vestibulo domus collocarat. Unde acceptum senatores in Campum Martium intulerunt. Ita qui vivus omnium libertatem oppresserat, mortuus omnium humeros pressit. *Muretus.*

5 *Remisit Cæsar*] Quid? non ergo elatum corpus humeris Senatorum? Est vero. Suetonius: *Senatorum humeris delatus in campum crematusque.* Idem Dio. At Remittendi verbum eo valet, ut non sit factum. Lib. IV. *Remissa Ædilibus talis cura.* Lib. XI. *Hortantibus dehinc inediam & levem exitum, remittere beneficium Asiaticus ait.* Scribo ergo, *permisit Cæsar.* Sed eam ipsam permissionem arrogantem esse vult Tacitus, quia per speciem modestiæ, & quasi pugnare cum Senatu nollet, habuit amplissimum ordinem inter vespillones. Simile illud libri VI. de Asinio Gallo: *Consultusque Cæsar an sepeliri sineret, non erubuit permittere.* Lipsius.

Ald. De correctione nunc ambigo, quia docuit me vir ille qui omnes, (Cujacium dico, quem nemo satis umquam miratus est qui cepit) eamdem vim inesse verbo Remittendi. Exempla apud ipsum in postremis Observationibus. Et sane in Irenæo etiam legi: *Remittite mortuos sepelire mortuos suos.* Lipsius.

Remisit Cæsar adroganti moderatione] Sic accipio, *Remisit* in adversando & cessit instantibus Patribus, superbus specie pudoris & modestiæ, facto eodem verecundus simul & arrogans. De Cujacii observatione, quam laudat ὁ πάνυ, vide quæ diximus 4. Observar. 2. *Gronovius.*

6 *Funus D. Julii turbassent*] Cum rogus cremando Cæsari in Campo Martis exstructus esset, populus cum summo tumultu, direptis subsellis, cancellis, mensis argentariorum, in foro cremavit, ut ex Suetonio, Plutarcho & aliis notum est. Imperatorum & nobilium civium corpora in Campo Martio, qui tunc extra Urbem erat, cremabantur, cum alioqui in suis quisque prædiis post mortem uri ac condi soleret. *Muretus.*

7 *In Campo Martis*] Primum Sullam in Campo Martio, per honorem, sepultum tradit Appianus. Nam alii etiam illustres viri, extra urbem. At postea Juliæ ibi tumulus; & mox ipsius Julii, nunc Augusti, *sede destinata*: id est, in Mausoleo, quod sibi struxit. *Lipsius.*

8 *Crudi adhuc servitii*] Cum populus Romanus servitutem, in quam paullo ante redactus fuerat, nondum bene concoxisset, neque ad eam occalluisset. *Muretus.*

1 *Libertatis*

[1] libertatis improſpere repetitæ, cum occiſus dictator Cæſar, aliis peſſimum, aliis pulcerrimum facinus videretur. *nunc [2] ſenem principem, [3] longa potentia, proviſis etiam heredum in rempublicam opibus, auxilio ſcilicet militari tuendum, ut ſepultura ejus quieta foret.* Multus hinc ipſo de Auguſto ſermo [4] pleriſque vana mirantibus: *[5] quod idem dies [6] accepti quondam imperii princeps, & vitæ ſupremus. [7] Nolæ in domo & cubiculo, in quo pater ejus Octavius, vitam finiviſſet. [8] numerus etiam conſulatuum celebrabatur, quo Valerium Corvum & C. Marium [9] ſimul æquaverat: continuata per ſeptem & triginta annos*

1 *Libertatis improſpere repetitæ*] *Improſpera* citat Salinerius ad 12, 40, ſed ad 14, 61. quod & Beroaldus edidit *libertatis improſpera repetita*, quomodo legi in unica membrana conſcius ſum, niſi quod *inproſpera*. Et opinarer dixiſſe Tacitum *libertatis improſpera repetita*, ut *repetita* ſint fere repetitiones, nec enim uno die id actum eſt. Quid enim hoc differt ab iſto 3, 55. *multa laudis & artium imitanda?* Sic *deſtinata Livia* in lib. 4. *Jac. Gronovius.*

2 *Senem principem*] Annorum 76. *Muretus.*

3 *Longa potentia*] Annorum 56. *Muretus.*

4 *Pleriſque vana mirantibus*] Merito admirationi ſunt ea, quæ aut facta non ſunt, cum cauſa eſſet, cur veriſimile eſſet factum iri, aut facta ſunt, cum cauſa eſſet, cur fieri non oporteret. Utrorumque enim & cauſa aliqua eſt, & ignoratur. Cauſæ autem ignoratio admirationem parit. At vulgus ea quoque miratur, quorum cauſa in promptu eſt. qualia ſunt, quæ hic commemorat Tacitus. *Muretus.*

5 *Quod idem dies*] Erit fortaſſe qui hic adhæreat, cui adjutorium ego. Triplex enim ratio numerandi imperii Auguſtei. Alii, plurimique, ab Actiaca pugna numerant, cum victo Antonio potens fuit imperii ſolus. Ea pugna pugnata IV. Nonas Septembres. Quidam à ſexto ejus conſulatu, cum imperium illi a Senatu firmatum, datumque cognomen Auguſti. quaſi is legitimi principatus primus dies. Id fuit VII. Idus Januar. Atque ea ratio numerandi provinciis fere familiaris. ita in lapide, qui Narbone: VII. QVOQVE. IDVS. IANVARIAS. QVA. DIE. PRIMVM. IMPERIVM. ORBIS. TERRARVM. AVSPICATVS. EST. THVRE. VINO. SVPPLICENT. Oroſius paullum a lapide diſſentiens, VIII. nominat Idus. *Cæſar*, inquit, *victor ab Oriente rediens, octavum Idus Januar. urbem triplici triumpho ingreſſus eſt. Hoc die primum Auguſtus conſalutatus eſt. atque ex ea die ſumma rerum ac poteſtatum penes unum eſſe cœpit & manſit, quod Græci μοναρχίαν vocant.* Longius recedit Cenſorinus, qui rejicit in XVI. Cal. Febr. *Ante diem*, inquit, XVI. *Kal. Febr. C. Julius Cæſar divi filius Imp. Auguſtus ſententia Munatii Planci dictus eſt.* Ovidius Idus dumtaxat nominat:

Idibus in magni cuſtos Jovis æde ſacerdos
Semimaris flammis viſcera libat ovis.
Redditaque eſt omnis populo provincia noſtro:
Et tuus Auguſto nomine dictus avus.

Sed lapidem ego credo verum dicere. Tertii denique numerabant a primo ejus conſulatu: ſcilicet quia is gradus & aditus ad reliquos honores. Is fuit XIV. Cal. Septembres. Eam rationem ſecutus eſt quicumque ille ſcriptor de cauſſis corruptæ eloquentiæ, qui imperitaſſe Auguſtum ait annis LVI. fallente numero, niſi ad hanc rationem. Quam ipſam ſecuti curioſi iſti, qui initium imperii & finem Auguſti vitæ in eumdem diem, miraculi cauſſa, conferebant. Satis dixi: tu abi liber & expeditus. *Lipſius.*

6 *Accepti quondam imperii princeps*] Quaſi cauſa ulla fuerit cur eo die mori non deberet; aut mirandum ſit ullo die eveniſſe, quod nullo non poterat. Eodem jure mirari poterant, quod Auguſtus Auguſto menſe mortuus foret: obiit enim XIV. Kal. Septembris: & quod non paullum etiam exſpectaſſet, ut menſe Septembri natus eodem menſe moreretur: ut hoc quoque referretur inter miranda. Admirabilis videri poterat, quod cum Quirini templum dedicaret, ſeptuaginta ſex columnis illud ornaverit, quaſi totidem ſe annos victurum eſſe divinans. Sed admiratio in aliis ſapientiæ initium, in aliis ſtultitiæ indicium eſt. *Muretus.*

7 *Nolæ in domo & cubiculo*] Stulte mirabantur tempus, ſtultius locum. Quid enim habet admirationis, quo in cubiculo mortuus ſit pater, in eodem filium mori? Idem quotidie multis evenit. Ubi enim quemque deprehendit mors, ibi ei manus injicit, neque expectat, dum in aliud cubiculum transferatur. *Idem.*

8 *Numerus etiam conſulatuum*] Tertii decimi conſulatus memoria extat & in veteri quadam inſcriptione apud Faneſtres. Hic quidam, qui ſcholia ſcripſit in Tacitum, inepte ait hac in re Dionem a Tacito & Suetonio diſſentire. Tribui enim Auguſto a Dione etiam quartumdecimum conſulatum, quem geſſerit cum L. Æmilio Paullo anno ab U. C. 745. Neque animadvertit, non Auguſtum ipſum ſenem, ſed Cajum Agrippæ filium, quem adoptaverat Auguſtus, illo anno conſulem fuiſſe. Hunc ei fortaſſe errorem objecit Xylander, qui Dionem vertens primus ad illum lapidem impegit. Nam cum Græce eſſet, Γ. Αὐγούστου υἱὸς, niſi quod leviter erraverat librarius, ſcripſeratque Αὐγουστου pro Αὐγούστου, ipſe *Cæſarem Auguſtum* vertit & de ſuo addidit XIV. *Idem.* verum doctius de hac re agit Emin. Noriſius ad Cenotaphia Piſana pag. 244. ceterum mox non *Corvinum*, ut vulgo editur, ſed in MS. perſpicue legitur *Corvum.* quis credat? aut cur ſic mutavit Beroaldus? ſatis multa de eo notata ſunt & Corvinus 13, 34 eſt alius. Unde verum repoſui. *Jac. Gronovius.*

nos tribunicia potestas : [1] *nomen imperatoris semel atque vicies partum :* [2] *aliaque honorum multiplicata, aut nova.* At apud prudentes vita ejus varie extollebatur, arguebaturve. Hi [3] *pietate erga parentem*, *&* [4] *necessitudine reipublicæ, in qua* [5] *nullus tunc legibus locus, ad arma civilia actum*, [6] *quæ neque parari possent, neque haberi per bonas artes. Multa Antonio*, [7] *dum interfectores patris ulcisceretur, multa Lepido concessisse. Postquam hic socordia senuerit, ille per libidines pessum datus sit, non aliud discordantis patriæ remedium fuisse, quam ut ab uno regeretur.* [8] *Non regno tamen, neque dictatura, sed principis nomine constitutam rempublicam*, [9] *mari oceano aut amnibus longinquis septum imperium: legiones, provincias, classes*, [10] *cuncta inter se connexa: jus apud cives, modestiam apud socios: urbem ipsam magnifico ornatu:* [11] *pauca admodum vi tractata, quo ceteris quies esset.*

9 *Simul æquaverat*] Nam Valerius sextum, Marius septimum consul. At

Ter Latio deciesque tulit labentibus annis
Augustus fasces.

ut ait Statius in Silvis. *Lipsius.*

1 *Nomen Imperatoris*] Duces exercituum antiquitus re bene gesta, gaudio, & impetu victoris exercitus *imperatores* conclamabantur, ut est apud nostrum tertio horum librorum, & hanc appellationem confirmare senatus solebat. At qui postea rerum potiti sunt, alio sensu *Imperatores* vocati sunt, cum eo nomine summa omnium rerum potestas indicaretur. Præponebant autem *Imperatoris* nomen nominibus suis; non, ut olim, postponebant. Exempli causa, non hoc modo, *C. Julius Divi F. Augustus Imperator*, sed hoc, *Imperator C. Julius Divi F. Cæsar Octavianus Augustus.* Sed tum quoque jam imperium adepti, quoties aut per se aut per legatos insignem aliquam victoriam adepti erant, *Imperatorum* nomen adsumebant. Et sic Augustus nomen Imperatoris semel ac vicies peperérat, ut quo anno mortuus est, vocaretur, *Imp. Cæsar Divi F. Augustus cos.* XIII. *trib. pot.* XXXVII. *imp.* XXI. *P. P.* Muretus.

2 *Aliaque honorum multiplicata, aut nova*] *Multiplicata*, ut consulatus, ut nomen Imperatoris; *Nova*, ut tribunicia potestas, ut regimen morum, quod sine censura habebat. *Alia honorum*, ut Lucretius *tenuia rerum*, Horatius *abdita rerum*, Propertius *omnia rerum*. Muretus.

3 *Pietate erga parentem*] C. Cæsarem, cujus mortem inultam præteriri nefas erat, *Idem.*

4 *Necessitudine reip.*] Id est, necessitate. quia, ut mox loquitur, *tempora reip.* id poscebant, & asperum hoc remedii. *Lips.*

Necessitudine reip.] Infra lib. 4. *secundum necessitudinem legis.* & lib. 5. *seque ea necessitudine cogi* dixit pro necessitate, ut ex aliis observatum Agellio Noctium lib. 13. cap. 3. *Vertranius.*

5 *Nullus tunc legibus*] Judicia enim, ut dictum est, turbabantur vi, ambitu, pecunia. *Muretus.*

6 *Quæ neque parari*] Itaque si quid secus, quam oporteret, actum esset, necessitati condonandum; non Augustum propterea accusandum videri. *Idem.*

7 *Ut interfectores patris*] Sic Rhenanus. Sed cum MS. habeat *tunc*, propius & verius mihi visum est *dum.* Pichena. Etiam Beroaldus notavit se arbitrari deesse particulam *ut* vel *quo.* quam correctionem qui non respueret, suo addat codici. Sed & illud Beroaldi & illud Pichenæ satis arduum atque anceps. Vide an non liquidius Tacitum habeas scribendo: *Multa Antonio tunc, interfectores patris ut ulcisceretur, multa Lepido concessisse.* Ex similitudine enim literarum in prima syllaba verbi *ulcisceretur*, exstitit pernicies præmissæ conjunctioni, ut factum sæpe. *Jac. Gronovius.*

8 *Non regno neque dictatura*] Poterat sibi per vim regnum vindicare; poterat dictaturam perpetuam, quam sibi ultro a Senatu oblatam constantissime recusavit: neutrum voluit: sciebat enim nomen regium expulso Tarquinio, nomen dictatoris interfecto Cæsare in perpetuum è republ. sublatum esse. *Principis* igitur nomine, in quo nihil superbum, nihil tyrannicum esset, contentus fuit. Pulchrum remedium, si nominum acerbitate sublata, rerum quoque ipsarum acerbitas tolleretur. *Muretus.*

9 *Mari oceano, aut*] Hoc verum, & docui in Admirandis. Tamen addendum hic ex Herodiano, de Augusto. Ποταμῶν τε μεγέθει, καὶ τάφρων, ἢ ὀρῶν προβλήμασιν, ἐρήμῳ τε γῇ καὶ δυσβάτῳ, ἔφραξε τὴν ἀρχήν: *Fluminum magnitudine, & fossarum, vel montium superciliis, terra item deserta & ægre pervia, munivit imperium.* Illic distincte pleraque: noster universe, & præcipua dixit. Sed fuere alibi *Fossæ, Castra, Stipites:* quæ talia *Limites* appellat Spartianus in Hadriano. *In plurimis*, inquit, *locis, in quibus Barbari non fluminibus, sed limitibus dividuntur, stipitibus magnis, in modum muralis sepis, funditus jactis atque connexis, Barbaros separavit.* Fuit instar valli castrensis., aut potius sudeti. Hic passim limitanei milites, quos Zosimus narrat a Constantino sublatos, magno rei Romanæ malo. *Lipsius.*

10 *Cuncta inter se connexa*] Quæ multis antea in locis multorum dierum itinere disjungebantur. Dici autem non potest & in ædificiis & in possessionibus & in imperio, quanto majores fructus ferant, quantoque facilius regantur ac conserventur, quæ inter se conjuncta ac connexa sunt. *Muretus.*

11 *Pauca admodum vi tractata*] Ἅπας δὲ τραχὺς, ὅστις ἂν νέον κρατῇ, ait Æschylus, *Idem.*

1 *Dicebatur*

esset. [1] Dicebatur contra, *pietatem erga parentem, & tempora reipublicæ,* [2] *obtentui sumpta. Ceterum cupidine dominandi* [3] *concitos* [4] *per largitiones veteranos, paratum ab adolescente privato exercitum, corruptas* [5] *consulis legiones, simulatam* [6] *Pompejanarum gratiam partium. Mox ubi decreto patrum,* [7] *fasces, & jus prætoris invaserit, cæsis Hircio & Pansa (sive hostis illos; seu Pansam venenum vulneri adfusum, sui milites Hircium, & machinator doli Cæsar abstulerant) utriusque copias occupavisse. Extortum invito senatu consulatum, armaque* [8] *quæ in Antonium acceperit, contra rempublicam versa. Proscriptionem civium, divisiones agrorum,* [9] *ne ipsis quidem qui fecere laudatas. Sane Cassii, & Brutorum exitus paternis inimicitiis datos (quamquam* [10] *fas sit privata odia publicis utilitatibus remittere)* [11] *sed Pompejum* [12] *imagine pacis,* [13] *sed Lepidum specie amicitiæ deceptos.*

1 *Dicebatur contra*] Uberius hanc partem exsequitur: an quia ipse in ea? non ambigo. *Lipsius.*

2 *Obtentui sumpta*] Ut ea prætenderet ac prætexeret cupiditati imperandi, qua flagrabat. Idque eo verisimilius est, quod Augustus principio adjunxit se ad causam Senatus, & (nedum ageret de ulciscenda paterna cæde) arma sumpsit adversus Antonium, qui Cæsaris mortem ulcisci studebat, obsessumque ab eo Mutinæ D. Brutum, unum ex interfectoribus patris, liberavit. Non igitur de ulciscenda morte patris cogitabat. *Muretus.*

3 *Concitos veteranos*] Adita Cæsaris hæreditate, cum se ab Antonio contemni videret, quem sibi præcipuum adjutorem fore speraverat, veteranos, quos Cæsar Capuæ collocarat, quasi & sibi & reipublicæ auxilio futuros evocavit, multa pollicitus, datis etiam in singula capita duobus millibus HS. *Muretus.*

4 *Per largitiones*] Atqui Beroaldus edidit *largitionem.* Immo id ipse vidi in MS. unico. Quis igitur id mutare sustinuit? Nonne sic cap. 36. occurrit *flagitiosa largitio?* Etiam mox legitur *abstulerat,* quod etiam expressit Beroaldus. *Jac. Gronovius.*

5 *Consulis legiones*] D. Junii Bruti, quas in Mutinensi obsidio ad se traxit. *Lipsius.*

Corruptas consulis legiones] Perperam Lipsius. Immo Antonii Quartam & Martiam, quæ donis promissisque corruptæ M. Antonium consulem deseruerunt, seque cum Octavio conjunxerunt, ut recte Muretus. *Gronovius.*

6 *Pompejanarum gratiam partium*] Pompejanus enim erat Senatus, & ipse se ostendebat in potestate senatus & esse & fore. *Muretus.*

7 *Fasces & jus prætoris*] Senatus enim, suadente maxime Cicerone eum exercitui, quem comparaverat, pro prætore præesse, ac senatorem esse jussit; & jus ei dicendæ in senatu sententiæ prætorio loco dedit, aliaque multa in eum honorifice decrevit: de quibus præter Suetonium, Dionem, alios, videndus Cicero lib. 5. Philippicarum. At M. Brutus semper suspectam habuit Octavii potentiam. *Muretus.*

8 *Quæ in Antonium acceperit*] *Acceperat* melius puto. Causatus quosdam sibi in senatu invidere, & se puerum vocari, & quod Cicero ambigue dixisset *hunc puerum ornandum & tollendum esse,* professus se daturum operam, ne à quoquam tolli posset, descivit à senatu, & se cum Antonio Lepidoque conjunxit. *Muretus.*

9 *Ne ipsis quidem qui fecere*] Ita vulgo legitur In antiquis *capere,* ex quo natum *fecere.* Mutanda autem erat una litera, ut esset, quomodo à me editum est, *cepere.* Hac autem de re ita Suetonius: *neque veteranorum neque possessorum gratiam tenuit: alteris pelli se, alteris non pro spe meritorum tractari querentibus.* Muretus. Fallitur Muretus: nam antiquus liber cum vulgatis congruit. *Pichena.*

10 *Fas sit privata odia*] Laudatur meritissimo Aristides, qui cum Themistocli inimicus esset, legatus cum eo electus, cum ad fines Atticæ pervenisset, *Vin tu,* inquit, *Themistocles, inimicitias nos nostras hic deponamus, & interea inter nos amice conjunctéque viventes, utilitatem publicam procuremus? nam inimicitias, cum volemus, denuo exercere poterimus, ne privata odia nostra reipubl. incommodent.* Muretus. Cicero post reditum in Senatu: *qui, cum à me voluntas eorum in privato judicio esset offensa, publici mei beneficii memoria privatam offensionem oblitaverunt.* Idem, de provinciis consularibus: *si mihi non licet per aliquos ita gloriari, me dolorem atque inimicitias meas reipublica concessisse, quod magni cujusdam hominis & persapientis videtur.* Livius lib. IX. *Alter consul Fabius infestus privatim Papirio erat: quæ ne ira obstaret bono publico, legatos ex consularium numero mittendos ad eum senatus censuit: qui sua quoque eum, non publica solum, auctoritate monerent, ut memoriam simultatum patria remitteret.* Gronovius.

11 *Sed Pompejum imagine pacis, sed Lepidum*] Beatus legit; *pacis, & Lepidum.* Ego nihil mutarim. Sic infra: *non præfectum ab iis, sed Germanicum ducem, sed Tiberium imperatorem violari.* Plinius lib. 4. epist. 29. *remissa est mulcta: sed timuit, sed rogavit, sed opus venia fuit.* Vertranius. Sic Livio restituimus 24, 14. *libertatis auctorem eis non se fore solum, sed consulem M. Marcellum, sed universos Patres.* Gronovius.

12 *Imagine pacis*] Augustus Muciam matrem ad Sex. Pompejum miserat. Sororem L. Scribonii Libonis, qui Pompeji socer erat, uxorem duxerat, ut Pompejum sibi, quem mari plurimum posse intelligebat,

deceptos. Post Antonium [1] *Tarentino Brundisinoque fœdere*, & [2] *nuptiis sororis inlectum, subdolæ adfinitatis pœnas morte exsolvisse. Pacem sine dubio posthac, verum cruentam.* [3] *Lollianas*, [4] *Varianasque clades: interfectos Romæ* [5] *Varrones*, [6] *Egnatios*, [7] *Julios.* Nec

telligebat, adjungeret. Postea in Sexti navibus cœnaverat. ipse eum convivio exceperat. M. Marcello sororis filio Pompejam Sex. filiam desponderat. Sed tamen eum postea è medio tollendum curavit. Vide Dionem lib. 48. *Muretus.*

13 *Sed Lepidum*] Huic enim ex Africa evocato, ut sibi adversus Pompejum auxilio esset, postea viginti legiones & imperium ademit. *Idem.*

1 *Tarentino Brundisinoque fœdere*] Ὑστερολογία est. Nam Brundisinum fœdus aliquot annis prius Tarentino. Utrumque aut a loco, ubi ictum. Brundisinum, quod Cæsar cum Antonio coiit, Perusia capta: cum morte opportuna Fulviæ, sublatum esset non dubium bellum, anno urbis DCC. XIV. Octavia tunc Antonio data, & provinciæ Orientis. At Tarentinum triennio posterius est: cum iterum simultate exorta, Ὁ μὲν Ἀντώνιος (verba Appiani sunt Civilium quinto) ἐξ Ἀθηνῶν ἐς Τάραντα διέπλευσεν τριακοσίαις: *Antonius ex urbe Athenarum navigavit Tarentum cum trecentis navibus.* Sed prudentia Octaviæ, adnitente item Agrippa & Mæcenate, iterum compositæ res. Antonius Cæsari centum naves ad bellum Siculum, ipse illi duas legiones ad bellum Parthicum attribuit. Adi, si libido est, Plutarchum Antonio, Dionem XLIX. *Lipsius.*

2 *Nuptiis sororis illectum.*] Octaviæ ex Ancharia. De quo instabili conjugio mire fœdatus Senecæ patris locus Suasoria prima. Vide EXCURS. in *B.* Idem.

3 *Lollianas.*] Non impleo paginas istis, quæ alibi exposita & prompta. In hac Lolliana clade Julium Obsequentem emendo de prodigiis: *Insidiis Romanorum Germani circumventi, sub M. Lollio legato, graviter vexati.* Nam contra scribo, *insidiis Germanorum Romani circumventi.* Vide præterea Suetonium in Aug. Dionem LIV. Eusebium Chronicis, olympiad. CXC. *Idem.*

4 *Varianasque clades*] Clades ea nota. Sed Senecæ de illa locus non sine labe etiam in emendatis nuper libris Epist. XLVII. *Mariana clade quam multos splendidissime natos, Senatorium per militiam auspicantes gradum, fortuna depressit: alium ex illis pastorem, alium custodem casæ fecit.* Cladene Mariana? ubi illa, aut quando? Nam C. ille Marius victor, ubique, si memini, & fecit servos, non dedit. Quod de ea accipias, quam Germanis intulit: nugæ. An Germani Senatorium per militiam auspicantur gradum? Certissime rescribendum: *Variana.* Hanc enim nostram intelligit: & opportuno recentique exemplo admonet, posse è summa fortuna labi ad imam. *Idem.*

5 *Varrones*] Fuit Licinius Varro Murena. De cujus insidiis, præter alios, Strabo lib. XIV. Εἶτ' ἐμπεσὼν εἰς τὴν Μουρήνα φιλίαν, ἐκείνῳ συνεάλω φεύγων, φωραθείσης τῆς κατὰ Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ ἐπιβουλῆς. *Idem.*

6 *Egnatios*] M. Egnatius Rufus ædilis. De quo Dio LIII. Suet. cap. XIX. *Mox M. Egnatii, exin Plautii Rufi.* ita ibi scrib. non *Genutii.* Vide Senecam de Clementia I. cap. IX. *Idem.*

7 *Julios*] Filius hic M. Antonii Triumviri ex Fulvia fuit; puer etiam magni & excelsi animi & ad multa largienda propensi. Philotæ medico Antissensi, ob sophisma quoddam super cœnam allatum, dono dedit abacum multis ingentibus argenteis poculis onustum: quem cum ille accipere recusaret, veritus, ne puero injussu patris tam multa dandi potestas non esset, subiratus puer, *Accipe*, inquit, *nihil cunctatus; an nescis eum, qui hæc tibi dat, filium esse M. Antonii illius, qui totidem vasa aurea donare nullo suo incommodo potest?* Victo Antonio, ita se in eum clementer gessit Augustus, ut Octaviæ sorori suæ optimæ mulieri educandum dederit; quæ singularis exempli noverca privignos suos, Antonii (a quo ipsa tam multas contumelias acceperat) liberos, non secus educavit, ac suos. Itaque procedente ætate cum principem amoris ac dignitatis locum obtineret Agrippa, proximum privigni Tiberius & Drusus, tertius ab eis numerabatur Antonius. Quin etiam eam Octaviæ filiam, quam Agrippa Juliæ ducendæ causa mortuo Marcello dimiserat, huic Antonio in matrimonium collocavit Augustus. Fuisse ei opinor a principio idem prænomen quod patri: sed cum in odium M. Antonii Triumviri SC. factum esset, ne quis Antoniorum amplius *Marci* prænomine uteretur, novo prænomine *Julum* Antonium vocatum esse. Exstat ad eum pulcherrima ode Horatii de laudibus Pindari. Hic & sacerdotio & prætura & adfinitate & consulatu, quem cum Q. Fabio Africano gesserat, & provinciis ornatus ab Augusto, ausus temerare filiam ejus mulierem impudicissimam, cum id non tam libidinis, quam capiendi nefarii alicujus adversus Augustum consilii causa, fecisse crederetur, aut morte affectus est, ut Dio ait, aut, ut Vellejus, facinoris conscientia mortem sibi ipse conscivit. *Muretus.*

Interfectos Julos] Dicere videtur jussu Augusti occisum Julum: idque & Dio prodidit, lib. LV. At Vellejus sua manu cecidisse eum dat intellegi: *Julus Antonius.* inquit, *singulare exemplum clementiæ Cæsaris, violator ejus domus, ipse sceleris à se commissi ultor fuit.* Quid tum? nihil hæc pugnant. præcessit scilicet jussus Augusti: quem ille executus sua manu. Julum autem Antonium intelligit Triumviri filium, ad quem Horatii Oda. Cognomen ei Africanus: quod male adhæsit Fabio, cum quo consul fuit, apud Suetonium in Claudio cap. II. Paulo

Nec domesticis abstinebatur. *abducta Neroni uxor: & consulti per ludibrium pontifices, an* [1] *concepto, necdum edito partu rite nuberet.* [2] *Qui Atedii &* [3] *Vedii Pollionis luxus: postremo*

Paulo enim Fabio cognomen Maximi fuit. & sunt duæ ex ordine Horatianæ Odæ, libri quarti prima & secunda, ad hos non dubie consules, perque eam occasionem conjunctim scriptæ. De eo Julo Seneca in de brevitate vitæ: *Filia & tot nobiles juvenes, adulterio velut sacramento adacti, infractam ætatem territabant. postquam* (melius, *postquo*) *iterum timenda cum Antonio mulier.* Apparet enim hunc Julum arcanum aliquod scelus (cui proximus ab adulterio gradus est) cum Julia in Augustum concepisse: uti olim cum Cleopatra ejus pater. *Lipsius.*

In Oda Horatii prima lib 4. verba, quibus Paullum Fabium describit, *centum puer artium*, quomodo de consule intelligi possunt? quod laudat, uti formosum, quod Cupidinem ad eum remittit, tanquam militiæ isti aptiorem, & in jocos amoresque promptiorem solutioremque, quomodo in virum matura & consulari ætate competat? Tempus autem, quo ad Fabium ista Oda scripta est, inde colligi posse videtur, quod *circa decimum lustrum* ætate se consistere Poeta scribit. Cum autem natus sit a U. C. 688. Cotta & Torquato Coss. quinquagesimus ejus annus incidit in annum urbis 738. At Fabius consul fuit a. U. 744. *Remesius.* Ad quem Rupertus: Peccat quoque Lipsius, cum Julo Antonio collegam dat Paullum Fabium. At Paullus Fabius Maximus consul fuit anno U.C. 742. collega Q. Ælio Tuberone: Julus Antonius anno 743. collega Q. Fabio Maximo. Item peccat, cum *Africani* cognomen assignat Antonio, & participes erroris habet Sigonium & Casaubonum. Suetonius Claudii cap. 2. *Claudius natus est Julo Antonio Fabio Africano consulibus.* In hunc toto impetu à viris doctis itum est, qua ratione? quia *Julum Antonium Africanum* & *Q. Fabium Maximum* Coss. a. U. 743. edunt Cassiodorus, Dio, Fasti Siculi & Cuspiniani. Quasi vero illi diligentiam Suetonii prægravare possint. Sed & Dio Xylandri habet Ἴουλιον Ἀντώνιον Μ. υἱ. Κ. Φάβιον Κ. υἱ. Ἀφρικανόν. Nec repugnat in fine libri, ubi eorum Coss. rursus fit mentio. Cassiodori quoque locus dubiæ lectionis est. Reliquos parum moror, mutilos passim & depravatos. At Excerpta, Chronici Eusebiani apud Scaligerum: ΙΟΥΛΙΟΣ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. ΦΑΒΙΟΣ ΑΦΡΙΚΑΝΟΣ. Ultimum vero, idque longe firmissimum, quod nullo modo fallere potest aut in æstu nos relinquere, est nummus aureus beneficio Goltzii annumerandus, in quo expresse *Africani* cognomen Q. Maximo adjectum est. Forma nummi:

Julos] Tacitus ita non scripsit, nec exhibuit Beroaldus, sed *Julios*, quod ego etiam in MS. unico vidi; idque in hoc incerto auferri Tacito non debet, & bene de eo scriptum est. Similiter legit unicus MS. 3, 18. *Julii Antonii* exserte, non *Juli*, ut nunc editur. Et de hoc nummo scias agere Ryckium ad 13, 19. *Jac. Gronovius.*

1 *Concepto necdum edito*] Nam ne mortuo quidem marito licebat olim mulieri ad secundas nuptias transire, nisi post decimum mensem, ne familiæ turbarentur, & quæ secus fecisset, infamia notabatur. Et inde illa in instituendis exhæredandisve postumis formula: *Si quis mihi filius filiave in decem proximis mensibus nascetur*: & inspici ac custodiri nonnunquam ab agnatis prioris viri solebant. Ovidius:

Per totidem menses à funere conjugis uxor
Sustinet in vidua tristia signa domo.

Ergo idem servandum erat in divortio. Ratio enim utrobique eadem. Consulenti autem Augusto respondere Pontifices, si ambiguum esset, concepisset Livia, an minus, non posse eam à Tiberio relictam statim alteri nubere: sin concepisse constaret, libere posse. *Muretus.*

2 *Qui Tedii & Vedii Pollionis luxus*] Non extrico quis hic Tedius. Utrumne Atedius scribendum? ut sit ille qui Ciceroni dictus inter Cæsaris amicos. An Sex. Tedium Afrum capimus, qui consul designatus se præcipitavit, apud Suetonium? Leviter placet. Magis est, ut geminata ab hæsitante librario vox sit, scribamusque: *Qui Vedii Pollionis luxus.* In Seneca sane simile mendum succreverat, tertio de Ira, cap. xl. *Divus Augustus cum cœnaret apud Vedium Pollionem.* ita restituit Pincianus, cum antea, *Atedium*, legeretur. Pincianus, selectus mihi censor, & verbis modicus, re judicioque ingens. Mentio hujus Vedii luxuriæque ejus apud multos, Dionem LIV. Plinium lib. IX. Tertullianum de Pallio. Hic est ille Pollio, qui testamento Cæsari Pausilypum legavit. & è cujus diruta domo, facta Romæ porticus quæ Liviæ dicta. *Lipsius.*

Qui Atedii] Beatus legit *Q. Vedii* & tollendum Tedium censet. Nisi me animus fallit, Cornelius ita posuit: *tum mors Q. Tedii.* quasi utriusque nomine male audient Augustus. De Tedio

postremo Livia gravis in Rempublicam mater, [1] *gravior domus Cæsarum noverca. nihil deorum honoribus relictum, cum se* [2] *templis & effigie numinum, per flamines & sacerdotes coli vellet. Ne Tiberium quidem caritate, aut reipublicæ cura successorem adscitum: sed quoniam adrogantiam, sævitiamque ejus introspexerit,* [3] *comparatione deterrima sibi gloriam quæsivisse.* Etenim Augustus, paucis ante annis, cum Tiberio tribuniciam potestatem à patribus rursum postularet, quamquam honora oratione, quædam de [4] habitu cultuque & institutis ejus jecerat, quæ velut excusando exprobraret. Ceterum sepultura more

dio Suetonius cap 27. *Vertranius.* Beroaldus *qua Tedii.* Recentiores, *qui Atedii.* Ego in æque corruptis lectionem manuscripti restitui *nuberetque Tedii*, qua saltem liquet illud *que* copulam esse, ut suspicari liceat, verbum aliquod, divortium denotans, positum ante *nuberet* excidisse. Certe non apte hæret voci luxus nota qualitatis, si superiora, & sequentia consideres, quæ demonstrative, absque aliqua nota, primo casu proferuntur. *Pichena.* Considerandum an hic locus corrigi possit ex nostro 12, 60. ubi Vedio, cujus hic mentio, *Matium* conjungit. *Freinshemius.* *Atidius* præfectus Verris nominatur Ciceroni libro 3, & in 4 *Atidius Geminus* pictor. Ad Atticum 12 epist. 5 & 24 ex Cæsarianis appellatur *Aledius*, qui forsan hic *Atedius*, ut suspicatur & Lipsius. Alioqui posses cogitare *Q. Aselli* ex Acrone ad illud Horatii 2 Sat. 7. *Tutoque ciconia nido, donec vos auctor docuit prætorius: Asellius quidam prætor fuit, qui usum ciconiarum condendarum primus reperit,* J. F. Gronovius. Cl. Ryckius in lectione MS. unici noscenda Pichenam sequitur, quo teste ille habet *nuberetque Tedii*, pro quibus ait Beroaldum edidisse *qua Tedii.* Dubito: nam hoc postremum Beroaldus citat tanquam ex MS. & pro eo opinatur corrigendum *qui:* neque ipse quidquam notavi. Cæterum in hac tota exprobratione non agitur per pronomen vel interrogativum vel demonstrativum *qui* vel *quis*, unde ne hic quidem fieri potest, & si ex MS. agere nos oportet, ut certe, supersunt post primam literam Q literæ hæ *vaetedii* aut *vetedii*, unde utinam genuinum eruerit alius? Certe non multum hinc distat nomen *talledius* memoratum lib. 12, 7. Scilicet uterque nunc nominatus fuit ex turba ganeæ, unde luxus tantum ingenium, sine laudis usu aut vitæ bonæ, cujus jugi alter dictus *Q. Talledius.* Nummus Vedii Pollionis est apud Seguinum pag. 218. *Jac. Gronovius.*

3 *Vedii Pollionis luxus*] Cur vergit in crimen Augusti? Opinor eo quod Augustus magister morum, luxuriam illius coërcere debuisset potius quam ita fovere, ut familiaritate & amicitia Vedianæ magnam partem hæreditatis meruisse videretur, ut est apud Dionem lib. 54. *Vertranius.*

1 *Gravior domui Cæsarum*] Ita reformavi vocem *gravius*, quæ erat in manuscripto, leniori & aptiori mutatione, quam *gravis*, ut vulgo. *Gravis in rempublicam mater* Filium suum sævissimum ad imperium admovens perditis legitimis successoribus. *Gravior noverca*, Cæsares & ipsum denique Augustum veneno sustulisse insimulata. *Pichena.* *Gravis* est Phil. Beroaldi junioris. Et an non satis? nam ibi Cæsares sustulisse tantum insimulata est; certe rempublicam & quidquid in ea salubre supererat, atrocius per filium sustulit, ut in priore parte magis desideraretur comparativus. Voluit autem Pichena exemplum imitari ex cap. 17. *paucis centurionibus, paucioribus tribunis*, quod huc male convenit, ubi de una eademque agitur. Quomodo autem solet Tacitus hac repetitione uti? Lib. 6. cap. 26. *Grave conscientia, grave fama sua.* Itaque melius cessit Pichenæ lib. 5. hist. 11. *utilius* scribere ex MS. uti vulgo habebatur *utile*, quam sic grassa i in hoc loco. Est imitatio Hesiodi Εργ. 558. Μεὶς γὰρ χαλεπώτατος οὗτος Χειμέριος, Χαλεπὸς προβάτοις, χαλεπὸς δ' ἀνθρώποις. Tu decerne, mi lector. *Jac. Gronovius.*

2 *Templis & effigie numinum*] Magna & insana ambitio. quam exemplo Herculis & Liberi patris, excusare tamen videtur libro IV. noster. Sed Augustus adhuc vivus & hominem fungens, in provinciis esse colique voluit pro deo. in provinciis, non in Italia, aut Romæ. Suetonius. *Templa quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere: nulla tamen in provincia recepit, nisi communi suo Romaque nomine. Nam in urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore.* De urbe ait: Dio etiam de Italia lib. LIV. Quod Tacitus scribit effigie numinum: valet in eam mentem, ut signa adposita Augusti statuis sint: quæ solent deorum. puta, radius, hasta, fulmen. Lucanus:

Fulminibus manes, radiisque ornabit & astris.

Itaque Nummi etiam hodie, in quibus Augusti caput radiatum.

At de Flaminibus & sacerdotibus Augusti, plena omnia monumenta, & putidum sit referre. Vide pluscula in Excurs. in C. *Lipsius.*

3 *Comparatione deterrima*] Sive placet, *teterrima.* De re Suetonius, Tib. cap. XXI. *Augustum ambitione tractum, ut tali successore, desiderabilior ipse quandoque fieret.* Idem.

4 *Habitu cultuque ejus*] Ad habitum spectant hæc Suetonii. Tib. cap. LXVIII. *Incedebat cervice rigida & obstipa, adducto fere vultu, plerumque tacitus: nullo aut rarissimo, etiam proximis etiam sermone, eoque tardissimo, nec sine molli quadam digitorum gesticulatione.* Addit pro Tacito etiam: *Quæ omnia ingrata, & arrogantiæ plena, animadvertit Augustus,* &

more perfecta, [1] templum & cœlestes religiones decernuntur. [2] Versæ inde ad Tiberium preces. & ille [3] varie disserebat, de magnitudine imperii, [4] sua modestia. *solam divi Augusti mentem tantæ molis capacem: se in partem curarum ab illo vocatum, experiendo didicisse, quam arduum, [5] quam subjectum fortunæ regendi cuncta onus. proinde in civitate tot inlustribus viris subnixa, non ad unum omnia deferrent; plures facilius munia reipublicæ sociatis laboribus exsecuturos.* Plus in oratione tali dignitatis, quam fidei erat: Tiberioque etiam in rebus, quas non occuleret, seu natura, sive adsuetudine, [6] suspensa semper & obscura verba: tunc vero, nitenti ut sensus suos penitus abderet, in incertum & ambiguum magis implicabantur. At patres [7] quibus unus metus, [8] si intelligere viderentur, in questus, lacrimas, vota effundi: ad deos, [9] ad effigiem Augusti, ad genua ipsius manus tendere, [10] cum proferri libellum recitarique jussit. Opes publicæ continebantur. quantum civium, sociorumque in armis: quot

& excusare tentavit sæpe apud Senatum & populum. Atque hæc ad *habitum*: in *cultu* ejus quid notabile aut arrogans, haud nunc memini legere. *Idem.*

1 *Templum & cœlestes*] Templum in Palatio ipso, ex decreto Senatus. Dio: Καὶ αὐτῷ ('Αυγούστῳ) ἔν τε τῇ Ῥώμῃ ἡρῷον ψηφισθὲν μὲν ὑπὸ τῆς γερουσίας, οἰκοδομηθὲν δὲ ὑπό τε τῆς Λιουίας καὶ ὑπὸ τοῦ Τιβερίου ἐποιήθη, καὶ ἄλλοθι πολλαχόθι. *Ipsi Augusto templum Romæ decretum quidem à Senatu, sed à Livia & Tiberio structum est: idque alibi, & pluribus locis.* Liviæ tamen soli id opus attribuit (præter Dionis & Suetonii mentem cap. XLVII.) Plinius lib. XII. *Radicem ejus magni ponderis vidimus in Palatii templo, quod fecerat divo Augusto conjux Augusta, aureo pateræ impositam.* Huc respicientem credo Senecam scribere, Consolatione ad Polybium. *Fortuna ibit violentior per omnia, sicut est solita, eas quoque domos ausa injuriæ caussa intrare, in quas non nisi per templa aditur, & atram laureatis foribus inducere vestem.* Puto enim id templum in Palatii vestibulo fuisse, etsi referre fortean possis ad templum Apollinis Palatini. Ceterum ἀποθέωσιν hanc Augusti, quam Tacitus commemorat, carmine singularis libri complexus videtur Ovidius, ut ipse quidem indicat, De Ponto:

Quale tamen potui de cœlite, Brute, recenti
Vestra procul positus carmen in ora dedi.

& alibi. *Idem.*

2 *Versa ad Tiberium preces*] Ut illud molestissimum imperii onus suscipere dignaretur. *Muretus.*

3 *Vario differebat*] Non erat ita superbus, ut illas preces aspernaretur: non ita segnis, ut illum cuncta regendi laborem rejiceret: rogari volebat. *Muretus.*

4 *Modestia*] Id est, moderatione: animo minime ambitioso, atque sic alibi usurpat, Mureto notatum. *Lipsius.*

Sua modestia] *Modestiam* dicit, non, ne quis sit error, virtutem animi nihil de se, nisi moderatum, sentientis: sed modicas & exiguas vires suas; opponiturque hoc sensu *modestia magnitudini.* Sic lib. 3. *Simul modestia Neronis & sua magnitudini fidebat.* Et lib. 4. *Rari per Italiam Cæsaris agri, modesta servitia.* Lib. 12. *Magna deum benignitate & modestia hiemis rebus extremis subventum.* Muretus.

5 *Quam subjectum fortunæ*] Multa enim accidunt, quæ nulla ratione, nullo humano consilio provideri queunt. *Idem.*

6 *Suspensa semper & obscura*] Suetonius Tib. 24. *ambiguis responsis & callida cunctatione suspendens.* Pichena.

7 *Quibus unus metus*] Qui nihil tam male metuebant, quam ne intelligere viderentur simulationem Tiberii. Sic Virgilius:

Non metus efficio, nec te certasse priorem.

Id est, non metuimus. *Muretus.*

8 *Si intelligere viderentur*] Nihil enim molestius Tiberio poterat accidere, quam si astum suum ab aliis agnosci videret. Dio lib. 56. Νῦν δὲ ἠγανάκτει, εἴ τις αὐτοῦ συνεὶς φανερὸς ἐγένετο, καὶ πολλοὺς, οὐδὲν ἄλλο σφίσιν ἢ ὅτι συνιέναι αὐτοῦ ἐγκαλέσας ἔχων, ἀπέκτεινεν, ὥστε χαλεπὸν μὲν ἦν μηδ' εἰκάζειν αὐτῷ τοῦτο ποιεῖσθαι, χαλεπώτεροι δὲ συνιέναι. *Muretus.* Sic lib. 2. *Ille ignarus doli, vel si intelligere videretur, vim metuens.* Lib. 14. *Solum insidiarum remedium esse, si non intelligerentur.* Hist. l. 4. *Intelligebantur artes, sed pars obsequii in eo, ne deprehenderentur.* Pichena.

9 *Ad effigiem Augusti*] Quæ in ipsa curia. Apparet enim ex illis quæ de Hortensio infra: *modo Hortensii inter oratores sitam imaginem, modo Augusti intuens.* Lipsius.

10 *Cum proferri libellum*] Libellum eumce, quem Suetonius Rationarium imperii non incommode appellat. scilicet quia rationes eo publicæ continebantur. Videbatur autem prolatione libelli flexus paullum Tiberius, & imperium accepturus, cum curas susciperet. Vocat idem auctor etiam Breviarium imperii, cap. ultimo: *De tribus voluminibus, uno mandata de funere suo complexus est: altero, indicem rerum à se gestarum, quem vellet incidi in aeneis tabulis, quæ ante Mausoleum statuerentur: tertio, breviarium totius imperii, quantum militum sub signis ubique esset, quantum pecuniæ in ærario & fiscis, & vecti-*

quot classes, regna, provinciæ, tributa, aut vectigalia, & [1] necessitates ac largitiones. quæ cuncta sua manu perscripserat Augustus: [2] addideratque consilium coer-
12 cendi intra terminos imperii, incertum [3] metu an per invidiam. Inter quæ senatu ad infimas obtestationes procumbente, dixit forte Tiberius, *se, ut non toti reipublicæ parem, ita quæcunque pars sibi mandaretur, ejus tutelam susceptiurum.* Tum Asinius Gallus, *interrogo*, inquit, *Cæsar*, [4] *quam partem reipublicæ mandari tibi velis?* Perculsus improvisa interrogatione, paulum reticuit: dein collecto animo respondit; *Nequaquam decorum pudori suo legere aliquid aut evitare ex eo, cui in universum excusari mallet.* [5] Rursus Gallus (etenim vultu offensionem conjectaverat) *non idcirco interrogatum* ait, *ut divideret quæ separari nequirent: sed ut sua confessione argueretur, unum esse reipublicæ corpus, atque unius animo regendum.* addidit laudem de Augusto, Tiberiumque ipsum victoriarum suarum, quæque in toga per tot annos egregie fecisset, admonuit. Nec ideo iram ejus lenivit, pridem invisus, tanquam ducta in matrimonium Vipsania M. Agrippæ filia, quæ quondam Tiberii uxor fuerat, [6] plusquam civilia agitaret,
13 [7] Pollionisque Asinii patris ferociam retineret. Post quæ L. Arruntius haud multum

vectigaliorum residuis. Ubi nota mihi etiam, Indicem hunc rerum Augusti, certo illum esse cujus exemplar Ancyræ positum, & curante nobilissimo Busbequio exscriptum. Nam titulus in ea ipsa tabula ille: *Rerum gestarum divi Augusti, quibus orbem terrarum imperio Populi Romani subjecit, & impensarum, quas in rempublicam populumque Romanum fecit, incisarum in duabus aheneis pilis, quæ sunt Romæ positæ, exemplar subjectum.* Ex quo haud temere collegerim dixerimque, in Suetonio scribendum, *in æneis pilis*, non tabulis. De eadem re loqui utrumque, id quidem clarum est. *Idem.*

1 *Necessitates ac largitiones*] Necessitates vocat onera publica, quæque necessariò in milites, in populum, aliasque imperii res eroganda. Livius eadem sententia lib. XXIV. *Prodeundum in concionem Fulvio esse, indicandasque populo publicas necessitates.* Lampridius Alexandro: *Quartarios jam formatos in moneta detinuit, exspectans ut si vectigal contrahere potuisset, eosdem ederet. Sed cum potuisset per publicas necessitates, conflari eos jussit.* Capitolinus paullo aliter in Gordianis: *Familia Gordiani hoc Senatus decrevit, ut à tutelis atque legationibus, & a publicis necessitatibus semper vacarent.* Tacitus lib. II. pro onere vel angore, ex ære alieno: sive & pauperie. *Hortaturque ad luxum & æs alienum, socius libidinum & necessitatum, quo pluribus indiciis illigaret.* Idem.

2 *Addiderat consilium*] Quod consilium suum plene extollit Augustus ipse apud Julianum in Menippæa de Cæsaribus. Τὴν δὲ τῶν ἐμφυλίων στάσιν παύσας τὴν Ῥώμην ὁρῶν εἰς ἔσχατον ἐλάσασαν πολλάκις κίνδυνον, οὕτω διεθέμην τὰ περὶ αὐτήν, ὥστε εἶναι δι' ἡμᾶς, ὦ θεοί, τὸ λοιπὸν ἀδαμαντίνην. Οὐ γὰρ ταῖς ἀμέτροις ἐπιθυμίαις εἴξας, ἐπικτᾶσθαι πάντως αὐτῇ διενοήθην, ὅρια δὲ διττὰ ὥσπερ ὑπὸ τῆς φύσεως ἀποδεδομένα, Ἴστρον καὶ Εὐφράτην ποταμοὺς ἐθέμην. Sed qui termini sive limites Rom. imperii sub Augusto? Duos nominat Julianus, Istrum & Euphratem: quibus adde Rhenum, & Oceanum, & quæ supra dixi. *Idem.*

3 *Metu, an per invidiam*] Metu, quem pro ipsis habebat, *ne studio plura quærendi, anteparta amitterent.* Atque hanc rationem ab ipso Augusto in libello datam, Dio est auctor. *Idem.*

An per invidiam] Ne quisquam successorum suorum latius imperaret. *Muretus.*

4 *Quam partem reip.*] Explicat Dio. Tiberius, inquit, tres fecerat reip. partes. prima Romam & Italiam complectebatur: altera, exercitus: tertia, provincias. Uni ex istis parem se ajebat, non omnibus. At bono histrioni detracta propemodum persona est, improvisa interrogatione Galli. *Lipsius.*

5 *Rursus Gallus*] In Msto vidi exstare *Rursum Gallus.* Ita quoque edidit Beroaldus. Et passim Tacitus. *Jac. Gronovius.*

6 *Plusquam civilia*] Calpurnius Flaccus declamatione VI. *Sceleratis ingeniis & plusquam civilia cupientibus non dominari instar servitutis est.* Idem.

7 *Pollionisque patris*] Pollionis hujus & Asinii Galli filii meminit etiam Seneca pater in procemio controvers. lib. 4. *Pichena.*

Pollionisque patris ferociam] Sic vocabatur in aula, quod submittentibus sese inservientibusque aliis paullo plus libertatis & juris sui retineret, qui puero etiam tum privatoque Octavio magnis legionibus imperitarat, dein adjutor partium se judicaret commeruisse, ut regni, cujus condendi non leve momentum fuerat, particeps magis, quam *famul ultimus esset*, ut canit Ennius. Nec dubito, quin *ferociam* interpretati sint aulæ interioris ministri, quod Timagenem, cum Augustus desiisset, amare cœpit, & contubernalem habuit, postquam ei domo sua ille interdixerat, ut tradit Seneca de ira 3, 23. quod Æsernini nepotis sui casum, qui in ludo Trojæ crus fregerat, in curia graviter invidioseque questus est, teste Suetonio c. 43. omnis enim ea invidia in principem, qui ludum ediderat, redundabat. quod bello Actiaco, cum tota Italia con-

tum discrepans à Galli oratione, perinde offendit. [1] quamquam Tiberio nulla vetus in [2] Arruntium ira: sed [3] divitem, promptum, artibus egregiis, & pari fama publice, suspectabat. Quippe Augustus supremis sermonibus cum tractaret, quinam adipisci principem locum suffecturi abnuerent, aut impares vellent, vel iidem possent cuperentque: [4] *M. Lepidum* dixerat *capacem*, *sed aspernantem*: *Gallum Asinium* [5] *avidum*, *& minorem*: *L. Arruntium non indignum*, *&* [6] *si casus daretur*, *ausurum.* De prioribus consentitur. pro Arruntio quidam Cn. Pisonem tradidere: omnesque præter Lepidum, variis mox criminibus, struente Tiberio, circumventi sunt. Etiam Q. Ha-

conjuraret pro Cæsare, unus quievit, & se discrimini subtraxit, se prædam victoris fore prælatus, ut est apud Vellejum 2, 86. Hunc ego Vellejum Asinii Galli clientem fuisse suspicor, atque ejus gratiæ non modo laudes patris, quas etiam cap. 36 & 62 & 73 & 76 decantat, sed etiam L. Munatii Planci, quæ c. 63 & 67 & 74 & 76 & 83 & 95 exstant, vituperia dedisse. Nam inter Plancum & Asinium simultates intercessisse discimus ex præfatione Plinii, ubi narrat non illepide Plancum, *cum diceretur Asinius Pollio orationes in eum parare, quæ ab ipso aut liberis post mortem Planci ederentur, ne respondere posset*, dixisse, *cum mortuis non nisi larvas luctari*: atque eo dicto sic repercussisse illas orationes, ut apud eruditos nihil impudentius judicetur. Unde colligere est, quantum fidei sit habendum convivæ apud dominum de inimico illius hæreditario male opinanti. Blandum fuisse aptumque auribus regiæ (nam ut supparasitaretur, fortunæ illius alienum erat) & inventum Augusti cognomen & Seneca in præfatione 4 natur. quæst. ostendunt. Virum tamen *εὐτυχέστατα* & res aliæ gestæ & conditum Lugdunum, oratorem summum epistolæ in decimo Ciceronis Familiarium evincunt. Denique, quo de incepimus, inter Asinium & Munatium hoc interfuisse puto, quod inter Labeonem Antistium & Atejum Capitonem: quæque Asinii *ferocia* dicta est, eandem Labeonis *insaniam* vocatam fuisse. Dio l. 57. *'Ασίνιος δὲ δὴ Γάλλος παῤῥησίᾳ ἀεί ποτε πατρῴᾳ καὶ ὑπὲρ τὸ συμφέρον αὐτῷ χρώμενος.* *Gronovius.*

1 *Quanquam Tiberio nulla vetus*] Non legi vulgo chirographum Taciti, nec quod ejus pignus habemus, antiqui codicis scripturam, docet Pichena ad 6 Annal. c. 2, ubi aperte testatur in MS. tantum legi *quam Tiberio*, ita docens alium lapsum in MS. admissum esse, ut quum ederetur *tum*, ipse testans in MS. legi *tam*, dederit occasionem Lipsio restituendi *tanquam.* Certe id ipsum ego etiam in unico libro notavi, miratus Beroaldum ita clanculum aliquid admisisse. Ego enim dubito an non Tacitus scripserit, *perinde offendit*; *quum Tiberio nulla vetus in Arruntium ira*: quod narrationi convenientius, quum deinde apponat ratiocinationem. *Jac. Gronovius.*

2 *Arruntium divitem*] Est is qui consul anno urbis DCCXXII. Artes in eo doctrinamque suspicit. non vane, quoniam ex Plinii Indice lib. III. & V. inter scriptores censitus illustres fuit. & scripsit, nisi fallor, Geographica. Divitias etiam commemorat. quas Seneca non fuisse ostendit à bona arte, si de eo quidem sensit lib. VI. de Benef. *An tu Arruntium & Haterium & ceteros, qui captandorum testamentorum artem professi sunt, non putas eadem habere, quæ designatores & libitinarios vota?* Sed alium ab isto, opinor, intellegit Seneca: qui sub Cajo magnus, & qui ante præco. Josephum vide XIX. Antiq. cap. I. sub finem. *Lipsius.*

3 *Divitem, promptum*] Cicero 2 famil. ep. 18. *Tres fratres, summo loco natos, promptos, non indisertos.* Lib. 2. in Verrem: *Heraclium hominem esse majorem natu, non promptissimum.* Lib. 4. *C. Cacursi, promptissimi hominis & experientis.* Justinus lib. 22. *ex plebe quoque locupletissimos & promptissimos interficit.* Agricola: *promptissimus quisque sævitia principis interciderunt.* Gronovius.

4 *M. Lepidum dixerat*] Hunc *Manium* edidere Lipsius & Pichena. Duo enim Lepidi reperiuntur in historia Tiberii, de quibus anquisit Lipsius ad lib. 3. cap. 35. parum feliciter. M. Æmilius Lepidus, Æmilii Paulli censoris cum Planco a. U. C. 731. & triumviro fratris filius, L. Æmilii Paulli cum C. Claudio Marcello consulis a. 703 nepos, consul cum L. Arruntio a. 758, monumentum avi basilicam (quod & pater fecerat a. 740 teste Dione, & confirmat nummus apud Goltzium) recoluit a. 774. Tacit. 3 ann. 72. legatus Tiberii in Dalmatia a. 761, & ornamenta triumphalia adeptus, Dio lib. 56. vir sapiens Tacito lib. 3, 20. Proconsul Africæ nominatus eodem lib. cap. 35. mitiora censens in causa Lutorii 3, 50. Vellejo 2, 114. proximus nomini & fortunæ Cæsarum. nam mater ejus Cornelia, quam luget Propertius lib. 4. el. 12, Cornelii Scipionis, qui Pompeji socer fuit, & Scriboniæ, quæ postea Augusto nupta, filia. Et hic est, quem Augustus *imperii capacem* dixerat. Mors ejus traditur lib. 6, 27. At M. Æmilius Lepidus Quinti, qui Corneliam Fausti Sullæ & Pompejæ filiam uxorem habuit & consul fuit a. 732 filius, Marci an Manii nepos, consulatum gessit cum T. Statilio Tauro a. U. 763. sororis Æmiliæ Lepidæ defensor 3 annal. 22. Asiæ proconsul eodem lib. c. 32 & 4, 56. *Rupertus.*

5 *Avidum & minorem*] Mureto adsenserim legenti, *avidum, sed minorem.* Pichena.

6 *Si casus daretur*] Nempe à fortuna. Quemadmodum lib. 15. *Quoties fortuna contra daret.* puta casum.

Q. Haterius & [1] Mamercus Scaurus, suspicacem animum perstrinxere. [2] Haterius cum dixisset, *Quousque patieris Cæsar* [3] *non adesse caput te reipublicæ?* Scaurus quia dixerat, *spem esse ex eo non irritas fore senatus preces, quod relationi consulum* [4] *jure tribuniciæ potestatis non intercessisset.* In Haterium statim invectus est; Scaurum, cui implacabilius irascebatur, silentio tramisit. fessusque clamore omnium, expostulatione singulorum, flexit paulatim, ut non fateretur suscipi à se imperium, sed ut negare & rogari desineret. Constat Haterium, cum deprecandi caussa palatium introisset, ambulantisque Tiberii genua advolveretur, prope à militibus interfectum, quia Tiberius casu, an manibus ejus impeditus, prociderat. neque tamen periculo talis viri mitigatus est, donec Haterius Augustam oraret, [5] ejusque [6] curatissimis precibus protegeretur.

casum. A Sallustio in Jugurth. *fortunam illis præclari facinoris casum dare.* Vide ad Livium 30, 30. Noster 11. *casus Mithridati datus est occupandi Armeniam.* lib. 13. *bene gerendæ rei casum offerri.* Quorsum ergo, *si casus daret, vi ausurum.* Gronovius.

1 *Mamercus Scaurus*] Hic ut eloquentia clarus, ita turpis vita & probrosus fuit, ut meritissimo eum Tacitus lib. 3. *opprobrium majorum* vocet. De ejus turpitudine qui cognoscere aliquid volet, legat Senecam l. 4. de beneficiis cap. 31. Damnatus tandem, quod famosos versus scripsisset in Tiberium, pœnam imminentem voluntaria morte prævenit. Tacitus lib. 5. *Muretus.*

2 *Haterius cum dixisset*] Ostendebat enim cognitam sibi esse simulationem Tiberii, qui vellet quidem omnino imperare, sed cupiditatem suam tegeret. Id significabat genere illo loquendi, *Quousque patieris*, quasi de re in manu ac potestate Tiberii posita. *Idem.*

3 *Non adesse caput reip.*] Sententiam potius in hoc loco expedimus, quam verba. Lectio quam posui, à Ferreto est, qui adseverat in Mediceo codice sic scriptum. Et cur ambigimus? sententia hercle percommoda est: offensum Tiberium, pro reliqua sua modestia, quod *caput reip.* nominaretur, qui tamquam veteri libertate unus vellet esse è multis. Nec absurde legeris è vulgatis, *non esse caput te reip.?* Lipsius.

Non adesse caput reipublicæ] Dicit hoc quidem Ferretus, sed aliud Pichena testatur, ibi legi corrupte; *non adesse caput te reipublica*; quemadmodum vulgabatur olim, antequam B. Rhenanus conjiceret, quod nunc habetur. Cui omnino acquiescendum censeo, & illud, *non esse caput te*, juxta insertum ac supervacaneum judico ac Vertranii, *non esse apud te caput.* Æque μιμηγ. Muretus cum suo, *desse caput reipublicæ*, quæ sit vetus scriptura pro *deesse*. Quid quæso opus? aut quid minus est, *non adest*, quam *deest?* Immo nescio quid gravius & suavius in illo. Cicero Bruto: *Intelligens dicendi existimator uno aspectu & præteriens de oratore sæpe judicat. Videt oscitantem judicem loquentem cum altero* &c. *intelligit oratorem in ea causa non adesse, qui possit animis judicum admovere orationem, sicut fidibus manum.* Gronovius. Ego aliter ac Lipsius interpretor: scilicet offensum Tiberium, non quod *caput republicæ* nominaretur, sed quod artes suas, quas maxime occultas vellet, detegi videret: quasi dixerit Haterius: *quamdiu rogari vis? nimium nos detines, ac ludificaris istis ambagibus tuis: ne amplius dissimules, sed jam accipe imperium.* Fortasse etiam suspicatus est Tiberius idem fere sibi Haterium voluisse atque ille, qui Suetonio referente in Ti. cap. 28 dixit, *Aut agat aut desistat.* Pichena. Bene interpretatur Lipsius. Si enim se fatetur reipublicæ caput, aboleri una omnem potestatem senatus. Is enim verum imperii caput. unde Otho 1 histor. 84. *Nec illas adversus senatum voces ullus unquam exercitus audeat. Caput imperii & decora omnium provinciarum*, &c. *Gruterus.* Vis & nostras ineptias? Tiberius dici sibi putavit: Quousque sines rempublicam quasi truncam & absque capite, quod scis esse atque esse debere Cæsarem, neque ex illis, qui nomen hoc ferunt, alium quam temetipsum esse posse, nisi bellum civile volumus existere? Nolebat autem sciri Cæsarem reipublicæ caput esse, quippe *ignota etiam sum Cæsarum potestate*, quam ipse *onerosam servitutem* vocabat, & Principem *servire Senatui oportere* dicebat. Nolebat suspicari homines, si Cæsar caput rerum foret, spe successionis in imperio id se nomen admisisse. Invitus audiebat per ipsum stare, quo minus rempublicam quæcunque pars, nedum caput, deficeret. Nolebat noscere alium principem ac reipublicæ caput esse non posse, qui modestiam loquebatur & malle privatum pati se simulabat, quum jam eo processisset & milite & provinciis occupatis, ut privatus vivere non quiret. Præterea illud, *Quousque*, impatientiam quandam & familiaritatem præfert multum rogari & rogando fatigari volentis nec nisi tardissime exorandum sese præbituri minimum agenti contrariam. *Gronovius.*

4 *Jure tribuniciæ potestatis*] Quo poterat impedire, ne quicquam ratum esset eorum, de quibus referebatur. *Muretus.*

5 *Ejusque curatissimis*] Ita correxi: vulgo, *& usque.* Lipsius.

6 *Curatissimis precibus*] Vera lectio manuscripti. Impressi omnes *accuratissimis.* Infra lib. 2. *Curatius disseram* Lib. 14. *Ludos curatius editos.* Lib. 16. *Diur-*

na

protegeretur. Multa patrum & in Augustam adulatio. [1] alii *parentem*, alii *matrem* *patriæ* appellandam; plerique ut nomini Cæsaris adscriberetur, *Juliæ filius*, censebant, ille *moderandos feminarum honores* dictitans, *eademque se temperantia usurum in his quæ sibi tribuerentur*; ceterum anxius invidia, & muliebre fastigium [2] in deminutionem sui accipiens, [3] ne lictorem quidem ei decerni passus est: [4] aramque adoptionis, & alia hujuscemodi prohibuit. At Germanico Cæsari [5] proconsulare imperium petivit, missique legati qui deferrent, simul mœstitiam ejus ob excessum Augusti solarentur. quo minus idem pro Druso postularetur, ea causa, quod designatus consul Drusus, præsensque erat. [6] Candidatos præturæ duodecim nominavit, [7] numerum ab Augusto traditum: & hortante senatu ut augeret, jurejurando obstrinxit, se non excessurum. 14

[1] Tum

na populi R. curatius leguntur. Pichena.

1 *Alii parentem*] Dio: *Καὶ πολλοὶ μὲν μητέρα αὐτὴν τῆς πατρίδος, πολλοὶ δὲ καὶ γονέα προσαγορεύεσθαι γνώμην ἔδωκαν.* Eadem quæ Tacitus, sunt & apud Suetonium, quem vide cap. 50 & 51. *Muretus.*

2 *In deminutionem sui*] Sic MS. Vulgo, *in diminutionem.* Idque etiam ex eodem correxi lib. 2. Semper enim *deminuere* Tacitus, non *diminuere.* Pichena.

3 *Ne lictorem quidem*] Quo tamen vulgo feminæ principes usæ, Vestalium exemplo. Claudii quidem Agrippina, etiam duobus. Tacitus, *Decreti & a Senatu lictores duo, Flaminium Claudiale.* Lipsius.

4 *Aramque adoptionis*] Ludos hic facit vir doctus, equite non plaudente. Damnat lectionem veterem, & multis verbis suadet hanc novam, *araque adoptionis.* quasi Tiberius, inquit, in æs incidi adoptionem publiceque proponi vetuerit. Mi homo, hodie nihil credo tibi. Nam notus mihi mos Romanus, quo receptum ut propagandæ memoriæ caussa, ara aut templum statueretur virtuti reique, quam cuperent laudatam. Noster lib. III. *Praceperant animis orationem patres: quo quæsitior adulatio fuit. nec tamen repertum, nisi ut effigies principum, aras deûm, templa & arcus, aliaque solita censeret.* Ita apud eumdem, cum Tiberius publico judicio ultus esset Germanici mortem: *Cæcina Severus censuit aram Ultioni.* Et ob amicitiam cum Sejano, l. IV. Patres *aram Clementiæ, Aram amicitiæ, effigiesque circum Cæsaris, & Sejani censuere.* Et lib. XV. post natam ex Poppæa prolem, *Supplicationes à Senatu decreta, & templum Fecunditati.* Eodem traho Suetonii illud in Caligula, cap. VIII. præter interpretum mentem: *Addit etiam pro argumento, aras ibi ostendi inscriptas, ob Agrippinæ puerperium.* Errat idem ille dum censet, de Tiberii adoptione hic agi: cum Tacitus intellegat de Liviæ. Nam Livia testamento adoptata in familiam Juliam nomenque Augustæ: & novo exemplo, conjux facta filia mariti. Ideo dum Liviæ adulantur, decreta ara Adoptioni. Passim in lapidibus & Nummis, *Divi filia* lego. ut in marmore Hispaniensi:

IVLIÆ. AVG.
DIVI. F. MATRI
TI. CÆSARIS. AVG. PRIN-
CIPIS. ET. CONSERVATORIS
ET. DRVSI. GERMANICI
M. CORNELIVS. PROCVLVS
PONTIFEX. CÆSARVM.

Nummo æreo, S. P. Q. R. DIVÆ. IVLIÆ. AVGVSTI. FIL. carpenti forma tracti à duobus mulis. *Idem.*

Aramque adoptionis] Sic *Paci Aug. Sacrum*, quia pacem cum Parthis Augustus fecisset. *Fortunæ Reduci Sacrum*, quod redisset. *Victoriæ Aug. Sacrum.* Sic ergo *aram adoptionis*, quia curante Augusta Tiberius in familiam Cæsaris adoptatus esset. *Muretus.*

5 *Proconsulare imperium*] Quoque ante habebat? Nam Dio diserte proconsulare imperium illi tribuit, anno DCCLXIV, id est, triennio ante. Lib. LV. *Τιβέριος μὲν καὶ Γερμανικὸς ἀντὶ ὑπάτου ἄρχων ἐς τὴν Κελτικὴν ἐσέβαλον. Tiberius, & Germanicus proconsul, in Celticam invasiones fecerunt.* Sed intellegit, credo, proconsulare imperium perpetuum: quod inter titulos principatus. In oratione Alexandri apud Lampridium: *Gratias vobis P. C. de Cæsareo nomine, de pontificatu max. de trib. potestate, & proconsulari imperio. quæ omnia novo exemplo uno die in me contulistis.* Ab eadem mente Nero lib. XII. curante Agrippina, *Proconsulare imperium extra urbem habet, & Princeps juventutis appellatur.* Exemplum ab Augusto cui decretum perpetuum Proconsulare imperium Dio tradit lib. LIII. *Lipsius.*

6 *Candidatos præturæ XII,*] Prætorum origo, progressus, augmentum, satis ambigue tradita: etiam ab iis, quibus hæc una cura fuit. Ego breviter rem expedivi, & ad historiæ fidem; quæ vide, si vis, in EXCVRS. in *D.* Idem.

7 *Numerum ab Augusto*] Diffuse magis Vellejus: *Post Additum cœlo patrem, & corpus ejus humanis honoribus, nomen divinis honoratum: primum Principalium ejus operum fuit ordinatio comitiorum, quam manu sua scriptam D. Augustus reliquerat. quo tempore mihi fratrique meo candidatis Cæsaris destinari Prætoribus contigit; consecutis, ut neque post nos quemquam D. Augustus, neque ante nos Cæsar commendaret.* Idem.

15 [1] Tum primum è campo comitia ad patres translata sunt. nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio Principis, quædam tamen studiis tribuum fiebant. neque populus ademtum jus questus est, nisi inani rumore: & senatus largitionibus ac precibus sordidis exsolutus, libens tenuit, moderante Tiberio, ne plures quam quatuor candidatos commendaret, sine repulsa & [2] ambitu designandos. Inter quæ Tribuni plebei petivere, ut proprio sumptu ederent [3] ludos, qui de nomine Augusti fastis additi [4] *Augustales* vocarentur. sed decreta pecunia ex ærario, [5] utque per Circum triumphali

1 *Tum primum comitia*] Comitiorum res, amissa libertate, varie habita: ac vide omnino in Excurs. quæ huc faciunt, littera *E.* Idem.

2 *Ambitu desig.*] Id est, ut nec opus quidem haberent in Senatu ambire: sufficeretque sola Principis commendatio. *Idem.*

3 *Ludos, qui de nomine Augusti*] Verum est. nam & in Kalend. veteri hodieque legimus, IV. eid. Octob. AVGVST. id est, Augustalia. Eorum ludorum originem repperio. anno DCCXXXV, cum ex Græciensi & Sicula peregrinatione redux Augustus passus est inter alios honores, Τύχῃ τε ἐπαναγωγῷ βωμὸν ἱδρυθῆναι, καὶ τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ ἀφῖκτο, ἔν τε ταῖς ἱερομηνίαις ἀριθμεῖσθαι, καὶ Αὐγουστάλια ὀνομάζεσθαι: *Fortunæ reduci aram sacrari, & diem qua redierat, in Fastis scribi, & Augustalia dici.* Ludique eo die ex decreto Senatus instituti, octennio posterius, Ælio Tuberone, Paullo Fabio Coss. Idem scriptor: Τὰ δὲ δὴ Αὐγουστάλια, ἃ καὶ νῦν ἄγεται, τότε πρῶτον ἐκ δόγματος ἐτελέσθη: *Augustalia, quæ & nunc celebrantur, tunc primum ex SCto acta sunt.* At Suidæ Augustale etiam locus est, in quo præfecti regionum & cultores Augusti saltabant, Idibus Octobris. Video hominem alludere velle ad hos ludos, sed ita, ut eum plane non capiam. Αὐγουστεῖον, inquit, ἐκλήθη διότι τῇ ιε τοῦ Ὀκτωβρίου μηνὸς οἱ ῥηγεωνάρχαι καὶ σεβαστοφόροι ἐχόρευον ἐν τῷ Αὐγουστείῳ, οἷον ἐν τῷ ὀψοπωλίῳ, εἰς τιμὴν Τιβερίου. Scies tamen & alios ludos fuisse, die natali Augusti, qui pariter celebrabantur in circo, notatos Fastis, IX. Kal. Octob. H. D. AVGVSTI. NATALIS. LVD. CIRC. Quorum mentio est Dioni in actis anni DCCXLIII. & Suetonio, nisi fallor, cap. LVII. *Equites Romani natalem ejus sponte atque consensu biduo semper celebrarunt.* Quos intelligit & Ovidius lib. IV. de Ponto:

Pontica me tellus, quantis hac possumus ora,
Natalem ludis scit celebrare dei.

Sed eos cave cum Augustalibus confundas. *Idem.*

4 *Augustales vocarentur*] Hoc non habet hanc significationem, ut ex eo demum tempore fastis adderentur, & nomen id acciperent: sicuti perperam exponunt omnes, sed pro *vocantur* est positum. Ut apud Ciceronem pro Cæcina: *procurator dicitur omnium rerum ejus, qui in Italia non sit absitve reip. causa.* pro *qui in Italia non est abestve.* nam profecto ejus, *qui non sit in Italia*, hoc est, qui deinceps abfuturus sit, proprie non est procurator. Cæterum in obliquis orationibus frequentissimus hic est usus. Quot exempla in una oratione Mithridatis apud Justin. 38. *militibus, qui Aquilium fuderint. eam sibi Phrygiam ademerint, quam proavo suo Seleucus in dotem dedisset.* In directa oratione diceretur: *qui Aquilium fuderunt: Phrygiam ademerunt, quam Seleucus dedit.* Sic igitur Tribunorum fuit petitio: *rogamus, ut liceat nobis edere ludos, qui fastis additi* (jam pridem; quartum nempe atque vigesimum ante annum: Dionem lib. 54 vide) *Augustales vocantur.* Freinsh.

5 *Utque per Circum*] Tribuni, mortuo Augusto, præfecti his ludis, ait Dio, quasi sacri: ut id quoque cederet honori Augusti. Ludi autem ipsi, Circenses, id est curules, & si forte Venatio. Quod vestem triumphalem petunt Tribuni: faciunt ad exemplum Consulum & Prætorum, quibus in Circo ludos præbentibus jus togæ pictæ. Juvenalis,

——— *similisque triumpho*
Præda caballorum Prætor sedet.

Quo versu hæsi aliquando, nunc leg. *præda*: quia magna scilicet pecuniæ vis effundenda prætori in aurigas & equos, itaque ipse quasi præda. Idem alibi,

——— *& medio sublimem in pulvere Circi*
In tunica Jovis, & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ.

Nec alius sententiæ illud Cornelii nostri lib. XII. *Ludicro Circensium Britannicus in prætexta, Nero triumphalium veste, transvecti sunt.* ut dicam in loco. *Lipsius.*

Utque per circum triumphali veste uterentur] Justinus lib. 16 de Clearcho: *Veste purpurea & cothurnis regum Tragicorum & aurea corona utebatur.* Dio lib. 56 extremo: τά τε Αὐγουστάλια οἱ δήμαρχοι, ὡς καὶ ἱεροπρεπεῖς ὄντες διατιθῶσι. καὶ οἱ μὲν τὰ ἄλλα, ὥσπερ εἰώθει γίγνεσθαι, ἔπραξαν. καὶ γὰρ τῇ ἐσθῆτι τῇ ἐπινικίῳ ἐν τῇ ἱπποδρομίᾳ ἐχρήσαντο· οὐ μέντοι καὶ τῷ ἅρματι ἐπέβησαν. At vir nobilis apud Tacitum corrigit, *triumphali veste veheretur.* Nimirum eam his verbis sententiam tribuit, quæ requirit ex superioribus intelligi τὸ *petivere*: tanquam sit integrum, *iidem tribuni petivere, ut per circum triumphali veste veherentur*: sic putat duplex eorum desiderium exponi, alterum de veste, alterum de curru, quod quia mox negatum dicatur, concessum illud apparere. Me vero à vetere scriptura tenenda nondum deterret hæc ratio. Neque enim petitionem tribunorum, sed decretum senatus aut responsum ad petitionem ea verba continere censeo: sive illi aperte utrumque postularint, sive jus edendorum ludorum

phali veste uterentur. [1] curru vehi haud permissum. [2] mox celebratio annua ad præ-
torem translata, cui inter cives & peregrinos jurisdictio evenisset. Hic rerum urba- 16
narum status erat, cum Pannonicas legiones seditio incessit: nullis novis caussis, nisi quod mutatus princeps licentiam turbarum, & ex civili bello spem præmiorum ostendebat. Castris æstivis [3] tres simul legiones habebantur, præsidente Junio Blæso: qui fine Augusti, & initiis Tiberii auditis, ob [4] justitium [5] aut gaudium, intermiserat solita munia. Eo principio lascivire miles, discordare, pessimi cujusque sermonibus præbere aures, denique luxum & otium cupere, disciplinam & laborem aspernari. Erat in castris Percennius quidam, [6] dux olim theatralium operarum, dein

ludorum complectebatur hos honores, ut etiamsi nominatim mentio de illis facta non esset, eos fuerint usurpaturi, nisi Senatus de altero vetuisset. Suppleo autem, quod compendifecit Tacitus vel ex præcedentibus vel ex subsequentibus. Satis enim commode intelliges quasi dictum esset: *decreta pecunia ex ærario simulque decretum, ut per circum triumphali veste uterentur.* Nec minus commode: *utque per circum triumphali veste uterentur, permissum; curru vehi haud permissum.* Quale illud lib. 13. 55. *Deesse nobis terra, in qua vivamus; in qua moriamur, non potest.* Ubi perinde dissimulatum *τὸ potest*, ut illic *τὸ permissum*. Gronovius.

1 *Curru vehi haud permissum*] Ne prorsus æquarentur potestati majori. De curru Prætorum in Circo, Juvenalis:

Quid si vidisset Prætorem in curribus altis
Exstantem?

Plinius: *Non vetus & bigarum celebratio in his qui prætura functi, curru vecti essent per Circum.* De Consulum, Plinius alter in Laudatione Trajani: *Nos sub tuis oculis augustior solito currus accipiet: nos inter secunda omina & vota certantia vehemur alacres, & incerti utra ex parte major auribus nostris clamor accidat.* Scripsique de his uberius peculiari De spectaculis libro, cui Saturnalia Index. *Lipsius.*

2 *Mox celebratio annuum ad prætorem*] Hæc signa sancte exhibentur in antiquo codice, ut vidi, & fatetur etiam Beroaldus, additque (Posses non absurde emendare *Mox celebratio annuum ad Prætorem*) Et quis hoc ita rejecit, ut in Taciti editionibus nihil exstet præter *annua?* Nam & in editione Aldina 1534. cui adsunt notæ B. Rhenani & And. Alciati, etiam dum patet *annuum*. Ista vero *annua* etsi sit speciosa, & per Grammaticam dominetur, abit tamen ab vetere lectione, cujus accusativum spectandum reor. *Jac. Gronovius.*

3 *Tres simul legiones*] Octava, nona & quintadecima. *Muretus.*

4 *Justitium aut gaudium*] Justitium, ob mortem Augusti indictum, & publicus dolor & cessatio: gaudium, ob initia Tiberii. & tunc quoque feriæ in Natali imperii. *Lipsius.*

5 *Aut gaudium*] Male hoc additur. Sic lib. 14. *& natos vel repertos.* Sic apud Xenophontem 1 Αναβ. ἀλεύρων ἢ ἀλφίτων, cum legendum sit tantum ἀλφίτων. Sic apud Aristotelem lib. 1. Rhetor. ὅτι ἂν ἢ ὄντων. cum & apud Halicarnasseum legatur tantum ὅτι ἄν. Apud Ciceronem in Academ. *& velut jam ante Socratem*, cum legendum sit, *& jam ante Socratem.* Multa talia indicavi in Variis lect. lib. 15. cap. 16. *Muretus.* Rem ita habere puto. Ob mortem Principis *justitium* indici solitum erat. C. Cæsar indixit etiam in morte sororis. Suetonius cap. 24. Ibi igitur publicæ functiones intermittebantur per mœrorem. Rursus ob novum Principem feriæ celebrabantur tamquam ex publica lætitia: quod hic signatur per vocem *gaudium*. quam qui Blæso accommodant, ut propriam, falluntur. Utraque hæc causa, alia succedens alii, effecit, ut Blæsus *intermitteret solita munia*: hoc est, ab exercitu non exigeret, sed ferias ei otiumque concederet. In his omnibus nemo interpretum plane mecum sentit: sed alius alio divertit longius. Nam plerique Blæsum socordiæ & negligentiæ in sua functione administranda arguunt. *Freinshemius.*

6 *Dux olim theatralium operarum*] In theatro, sicut in Circo, suæ partes & factiones: distracto videlicet favore plebis in hunc histrionem, in illum. Eæ non raro in tumultum exibant, imo pugnam, imo cædem. Dux his factionibus & signifer, levissimus quisque è plebe: cui lingua manusque ad injurias & contumelias promptæ. Ab uno exemplo discerem totam, apud Suetonium Nerone, cap. XXVI. *Interdiu quoque clam gestatoria sella delatus in theatrum, seditionibus pantomimorum ex parte proscenii superiore, signifer simul ac spectator aderat, & cum ad manus ventum esset, lapidibusque & subselliorum fragminibus decerneretur, multa & ipse jecit in populum, atque etiam prætoris caput consauciavit.* Operæ autem theatrales Tacito; ut Ciceroni, operæ Clodianæ: & in lapide prisco, OPERÆ VETERES A SCÆNA. Plinio etiam operæ in Circo; sed à me correcto: lib. IIX. cap. VI. *L. Pisò inductos dumtaxat* (Elephantos intellegit) *in Circum, atque ut contemptus eorum increscerer, ab operariis hastas præpilatas habentibus per circum totum actos*, ubi, *ab operis* scribendum esse confirmo. *Lipsius.*

Theatralium operarum] Eorum, qui operam suam locabant ad fabulas agendas. *Muretus.* Video quid virum magnum deceperit. Sic enim Suetonius Aug. 43. *Ad scenicas quoque & gladiatorias operas etiam equitibus*

dein gregarius miles, procax lingua, & miscere cœtus [1] histrionali studio doctus. Is [2] impe-

equitibus Romanis aliquando usus est. Et cap. 45. *Universum denique genus operas aliquas publice spectaculo prabentium etiam cura sua dignatus est.* Nerone cap. 12. *Item Pyrrichas quasdam è numero epheborum, quibus post editam operam diplomata civitatis Romana singulis dedit.* Itaque Salinerius quoque Lipsio cornua obvertens, *ducem theatralium operarum* facit, qui regit gregem histrionum: qualis qui in Terentii Hecyræ & Heautontimorumeni Prologo loquitur, eum sumere sibi suoque gregi comœdias recitandas, quas alii composuerunt: & addiscendo multa, multa recitando non ineptum ad turbas conciendas evadere. At non de his Tacitus, cui *opera theatrales* sunt in spectatoribus, qui plaudebant ipsi primi, & fautores plausoresque histrionibus comparabant. Hi sunt, quos Plautus egregie describit in prologo Amphitruonis:

Ut conquisitores singuli in subsellia
Eant per totam caveam spectatoribus,
Si cui fautores delegatos viderint,
Ut his in cavea pignus capiantur toga.
Sive qui ambissent palmam histrionibus,
Seu cuiquam artifici, seu per scriptas literas,
Sive qui ipsi ambissent, seu per internuntium.

Habes omnem operam, quam præstabant hæ operæ. Eodem pertinet infra:

Ut conquisitores fierent histrionibus
Qui, sibi, mandassent, delegati ut plauderent,
Quive, quo placeret alter, fecissent, minus.

Nimirum *opera theatrales* sunt *fautores delegati.* Nam quod ex Cœlio Rhodigino lib. 8. cap. 8. nescio quod nubilum Plauti monent illustrari, & Cœlius & ipsi tenebris circumfusi sunt. Plinius lib. 7. ep. 24. *At Hercule alienissimi homines in honorem Quadratilla (pudet me dixisse honorem) per adulationis efficium in theatrum cursitabant, exultabant, plaudebant, mirabantur: ac deinde singulos gestus domina cum canticis reddebant: qui nunc exiguissima legata theatralis opera corollarium accipient ab herede, qui non spectabat.* ubi longe devius à vero doctissimus Augustus Buchnerus. Corrigit se, inquit, quod id, quod Quadratillæ mimi præsente domina faciebant, non honor esset, sed adulatio turpis. Immo, Corrigit, quod eos, qui Quadratillæ pantomimis studuerant, id in honorem dominæ fecisse dixerat. Scribendum: (*pudet me dixisse honorem, per adulationis efficium*) ut intelligas ad posterius membrum, *immo*, vel *volui dicere.* Nisi simplicius est, (*pudet me dixisse honorem; quod est adulationis efficium*) *in theatrum.* Gruterus hic aliquid esse scabri vidit. *Cursitabant*, (pergit) quasi cupidi eam videndi. Non eam, sed pantomimos ejus. *Exsultabant* (addit) quasi exhilarati ejus aspectu. Nequaquam, sed simulantes ita se permoveri ac pertentari artificio saltantium, ut decoris obliti quiescere ac locum tenere segnes non possent. *Plaudebant, mirabantur* (subnectit) ut gratulabundi & qui magnifacerent ipsius dotes. Non ipsius, sed pantomimorum: neque ex animo, sed ut plaudendi principium esset, utque haberent, quod imputarent dominæ. Volebant enim suos in hoc genere laudari. Lucianus περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ. Ἢν μὲν γὰρ κατείπῃ τις ψίθυρος οἰκέτης, ὡς μόνος οὐκ ἐπῄνεσας τὸν τῆς δεσποίνης παιδίσκον ὀρχούμενον ἢ κιθαρίζοντα, κίνδυνος οὐ μικρὸς ἐκ τοῦ πράγματος. χρὴ οὖν χερσαίου βατράχου δίκην διψῶντα (f. διψῶντος) κεκραγέναι, ὡς ἐπίσημος ἔσῃ ἐν τοῖς ἐπαινοῦσι καὶ κορυφαῖος, ἐπιμελούμενος πολλάκις δὲ καὶ τῶν ἄλλων σιωπησάντων αὐτὸν ἐπινοεῖν ἐσκεμμένον τινὰ ἔπαινον πολλὴν τὴν κολακείαν ἐμφαίνοντα. Denique, Sed eo non contenti, ait, *singulos etiam gestus domina*, & eos *cum canticis reddebant*, id est, imitabantur & exprimebant, accinentes saltando aliquid, quo dominæ laudes attollerent. Nulla hic sublatio laudum aut imitatio gestuum dominæ: sed cum Numidia præsens in theatro non fuisset, hi clientes ad patronam domum venientes narrabant ἐνθυμήματα pantomimorum ejus, ut scenam tenuissent, quos plausus meruissent: quin etiam addebant, quæ cantica ab tragœdo pronuntiata quibus gestibus effinxissent, ipsique eos repræsentabant saltando, in quibus placuerant maxime: nulla alia de causa, quam ut Numidia talibus mancipiis aut libertis gauderet, ipsi cum viva cœnarent, in mortuæ tabulis angusto loco hærerent. Eodem pertinet, quod Suetonius refert de Nerone cap. 20. *Adolescentulos equestris ordinis, & quinque amplius millia e plebe robustissima juventutis elegit, qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent, operamque navarent cantanti sibi.* Denique *duces theatralium operarum* sunt, quos idem Suetonius appellat in Tiberio cap. 37. *capita factionum.* Ad has etiam operas pertinere videntur tesseræ in reliquiis antiquariorum, inscriptæ *SP.* vel *SPECT.* vel *SPECTAVIT.* in quibus laborat Laur. Pignorius. Vult autem conductos quosdam gladiatores olim rude donatos, qui spectarent: & nomina servilia in iisdem *Anthus, Faustus, Ingenuus, Olympus, Repentinus, Hermes, Felix, Philodamus, Philargurus* esse illorum, à quibus, cui tessera obtigisset, pecuniam posceret; aut etiam ipsorum rudiariorum, qui spectassent; denique si nihil aliud, statuendum hujusmodi tesseras in usu fuisse, ut spectatores inde aliquid lucrarentur. Suspicabar tesseras illas fuisse inter fastidia divitum, qui à clientibus suis frequentari spectaculum, sive ab ipsis datum, sive ad illud editori histriones, equos & aurigas, homines ad ferrum præbuissent, quibus plaudendi auctores utique deesse nollent, sua referre putarent: nomina autem esse custodum appositorum ad observandum, qui præsto fuissent, qui non: atque eos, qui officium fecissent, pro testimonio tesseris acceptis à custodibus illis & ad regem suum dispensatoremve ejus allatis cœnulam vel sportulam vel aliud quid præmioli meruisse. *Gronovius.*

1 *Histrionali studio*] Quoniam ibi quoque grex unus

[1] imperitos animos, & quænam post Augustum militiæ conditio ambigentes, impellere paulatim nocturnis conloquiis, aut flexo in vesperam die, & [2] dilapsis melioribus, deterrimum quemque congregare. Postremo promptis jam & aliis seditionis ministris, velut concionabundus interrogabat, *Cur paucis centurionibus, paucioribus tri-* 17
bunis, in modum servorum obedirent? quando ausuros exposcere remedia, nisi novum & nutantem adhuc principem precibus vel armis adirent? satis per tot annos ignavia peccatum, quod [3] *tricena aut quadragena stipendia senes, & plerique truncato ex vulneribus corpore tolerent. ne dimissis quidem finem esse militiæ, sed* [4] *apud vexillum retentos,* [5] *alio vocabulo, eosdem labores perferre.* [6] *ac si quis tot casus* [7] *vita superaverit; trahi adhuc diversas*

unus sæpe dissociandus erat & spargenda seditionum semina, ut alii histriones ab aliis secederent. *Muretus.* Hic error sequitur priorem. *Histrionali studio*, est studio, quod solitus erat præstare histrionibus in comparandis factionibus plausorum. *Gronovius.*

1 *Imperitos animos*] Justinianus de militari testamento: *Supradicta diligens observatio in ordinandis testamentis, militibus propter nimiam imperitiam illorum constitutionibus principalibus remissa est.* Idem.

2 *Delapsis melioribus*] Scribe *dilapsis.* i. e. cum meliores jam se ad curanda corpora recepissent. Sic lib. 2. *Neque Cæsari copiam pugnæ obsessores fecere, ad famam adventus ejus dilapsi.* Et lib. 11. *Cæteris passim dilabentibus affuere centuriones.* Libro tertio annalium ab excessu Neronis: *donec fatisceret seditio, & extremo jam die sua quisque in tentoria dilaberetur.* *Labi* pro eodem dixit Juvenalis Sat. 6. *Labente officio crudis donanda.* id est, iis, qui ad celebrandas nuptias officii causa convenerant, discedentibus ac dilabentibus. *Muretus.*

3 *Tricena aut quadragena*] Atqui vicena, ex lege, debebant tantùm: & tunc *Veterani* dicebantur. Suidas: Βετεράνος παρὰ Ῥωμαίοις ὁ ἀπολυθεὶς τῆς στρατείας. Ἐπὶ εἰκοσαετίαν δὲ ἔτεσι ἰδούλευσεν: *Veteranus Romanis dicitur, qui solutus est militiâ, in vigesimum autem annum solens merere.* Quod verum est: sed sub Principibus, ut hic dicitur, parum servatum. *Lipsius.*

4 *Apud vexillum retentos*] Attende qui historiam principum legis. Apud antiquos simplex & una honesta missio: ab Augusti ævo facta duplex: Exauctoratio & Missio. Tacitus auctor sic distinguendi, infrà: *Placitum ut epistola nomine principis scriberentur, missionem dari vicena stipendia meritis; exauctorari qui senadena fecissent, ac retineri sub vexillo, cæterorum immunes nisi propulsandi hostis.* Exauctorationis ea vis, ut (exempli caussa) legio aliqua sacramento solveretur, signis aquilaque ademptis: non tamen dimitteretur protenus, sed seorsum in exercitu ageret sub uno aliquo vexillo, donec præmia solverentur & agri. Interea immunis à labore, excubiis, vigiliis, & munere omni castrensi esset: exceptâ pugnâ in hostem. At plenæ missionis effectus, ut statim ab exercitu castrisque domum aut in colonias irent præmiis acceptis. Cui bono hoc inventum? inquies. Bono fisci. Suetonius in Tiberio, cap. XLVIII. *Atque etiam missiones veteranorum rarissimas fecit, ex senio mortem, ex morte compendium captans.* Præmia enim, de quibus mox dicam, mortuis non debebantur: sicut nec cum caussa missis, ante stipendia completa. Ideo Caligula) Suetonio narrante, cap. XLIV.) *in exercitu recensendo plerisque centurionum maturis jam, & nonnullis ante paucissimos quàm consummaturi essent dies, primos pilos ademit, caussatus senium cujusque & imbecillitatem.* Capis ergo nunc, cur hic de tricenis quadragenisque stipendiis querela: & infrà totiens mentio retentionis apud vexillum, fons Pannonicæ & Germanicæ seditionis. *Lipsius.* Miror nihil ab alio adferri, & sola Lipsiana huc adfigi. Res in MS. ita habet, ut literæ *vexillum e* finiant versiculum, quem excipit alius hoc initio *tentes.* Quæ licet ab Beroaldo trahantur ad vocem *retentos*, tamen undecunque considerata videntur occultare *apud vexillum tendentes.* Jac. Gronovius.

5 *Alio vocabulo*] Quomodo? veterani enim propriè dicebantur, non legionarii. Ita lib. III. *Vexillum veteranorum, non plus quingenti.* Histor. lib. III. *Ipsum Othonem comitabantur speculatorum lecta corpora, cum ceteris prætoriæ cohortibus, veterani è prætorio, classicorum ingens numerus.* Nam & Prætoriani post XVI. annos habebantur sub vexillo. Dicti etiam Emeriti. Glossæ priscæ, *Emeritus* ἀπολελυτευκότας ἢ ἀποστρατευσάμενος. iterumque *Emeritus*, ἄνετος κατὰ στρατιωτικοὺς καμάτους. Significat *Immunes* eos fuisse, & operum vacuos. Dicti sæpe item Vexillarii. ut mox, *Vexillarii discordium legionum:* in Historiarum libris, *Vexillarii* XIII. XV. legionum, &c, De iisdem laboribus, quod addunt: mentiuntur. *Lipsius.* Pro qua sententia, contra arguentem Salmasium, armavit se Octav. Ferrarius lib. I. Elect. cap. 3.

6 *Ac si quis tot casus*] Nonne melius? *si qui tot casus vita superaverint.* Idem.

Si quis tot casus vita superaverit] Vetus scriptio non absurda videbitur iis, qui Thucydidem & Sallustium venerantur. *Quis* amplectitur utrumque numerum: *quanto quis illustrior, tanto magis falsi & festinantes.* Terentius Adelph. *aperite aliquis ostium.* Unde hæc, nisi ab Homero? Iliad. Ο. ἢ πληθὺς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν ἀπονέοιτο. Et alibi: οὐδ' ἄλκιμον ἦτορ ἔχοντες Πείσονται πᾶς πέπιται. Salin.

7 *Vita superaverit*] Non inepte quidem, quibus

diversas in terras, ubi per nomen agrorum, [1] *uligines paludum, vel inculta montium acciperent. Enimvero militiam ipsam gravem, infructuosam:* [2] *denis in diem assibus animam & corpus æstimari.* [3] *hinc vestem, arma, tentoria, hinc sævitiam centurionum, &* [4] *vacationes munerum redimi. at hercule verbera, & vulnera, duram hiemem, exercitas æstates, bellum atrox, aut sterilem pacem, sempiterna. nec aliud levamentum, quam si certis sub legibus militia iniretur; ut singulos denarios mererent; sextusdecimus stipendii annus finem adferret; ne ultra sub vexillis tenerentur, sed iisdem in castris* [5] *præmium pecunia solveretur. An prætorias cohortes,* [6] *quæ binos denarios acciperent,*

[1] *quæ*

magis adlubescit *vita:* sed nihil tamen prohibet, quin tueamur *vita*, casu sexto, pro vivendo, seu vivacitate. *Gruterus.* Cæsar 6. de bello Gall. *Utor eorum vita superarit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit.* Virgilius 11. Æneid. *Atque iter emensi casus superavimus omnes.* Gronovius.

1 *Uligines paludum, vel inculta.*] Id quidem contra leges militares. Nam in Flacco Siculo lego, *Silvas & loca aspera in assignationem non venisse. siquid amari vel incerti soli esset, id assignatione non datum: sed militi veteranoque, culturam assignatam.* Querela autem consimilis apud Sallustianum Lepidum. *Egregia scilicet mercede, cùm relegati in paludes ac silvas, contumeliam atque invidiam suam præmia penes alios intelligent.* Illudit enim atque imminuit Sullanas agrorum divisiones, quod pleraque palustria adsignata militibus aut inculta. *Lipsius.*

2 *Denis in diem assibus*] Gordius, ut multis visum, hic nodus: nec ego tamen Alexander. solvi enim, non abrupi: & *EXCURS.* nostros adi in *F.* Idem.

Decem assibus animam & corpus æstimari] Alciatus hunc ostendere locum putavit denarium decem æris esse. Quod rejicit a primo Ferretus, tanquam nihil dici potuerit alienius, planissimum enim & hinc fieri pluris esse *denarium* quam *denos æris*, Pliniumque & Volusium id confirmare; eoque ipse mirari, cur idem Plinius *in militari stipendio semper denarium pro decem assibus datum* scribat. Mox & Suetonium ait non congruere cum Tacito: apud eum contendere seditiosos, *ut stipendio prætorianis æquarentur*; petisse igitur binos. Inde ut in concordiam redigat Tacitum & Suetonium, repetit, quod spreverat, denarium esse decem asses, binos petisse militem, & quod dicitur, *ut singulos denarios mererent*, explicat, singulos, vel alios decem asses, præter illos, quibus queruntur *animam & corpus æstimari*: tum, *ut denarius diurnum stipendium foret*, supra denos videlicet ordinarios asses. Vertranius notat pro ea, quæ fuerit veteris disciplinæ observatio, denarii æstimationis auctæ nullum milites commodum sensisse, quamvis in paganorum commercio denarius (in quo vetustiores denos æreos asses constituerant) sexdecim asses valuerit, Vitruvio, Plinio & Mæciano testibus. Lipsius contra Ferretum disputat: ubi quod de denario duodecim assium, explosum satis. Reprehendit etiam, quod posuerat Ferretus ex Suetonio, seditiosos æquari voluisse prætorianis: de Germanico enim id dici, non de Pannonico exercitu: sed ipse deceptus est prava lectione verborum Suetonii, quæ Torrentius correxit. Nec vero necesse est Suetonium & Tacitum idem per omnia dicere: tradidit enim uterque, quod a suis auctoribus acceperit. Et forte fuerunt aliqui primo fervore tumultus, qui clamarent æquari omnes oportere; plures ad spem profici putarunt, si dimidio contenti essent, & sic omnium nomine in postulatis ad Principem editum. Hoc secutus est Tacitus curatius rem narrans; illud Suetonius verbo periculum ex insolentia militum perstringens. Recte vero Ponzani comes: cum decem asses æreos haberent, exposcebant denarium argenteum, qui tunc sedecim assibus permutabatur. Decem illi asses nostræ pecuniæ sunt quatuor oboli aut stuferi minus duobus chalcis aut deutis: sive malis, tres stuferi & albus vel blanca. Hæc Julii Cæsaris largitio. Antea, & quidem a bello Punico secundo, quinque asses metebant diurnos, id est, nostros quindecim chalcos sive æreolos: nisi ipsos sedecim, hoc est, duos stuferos aut obolos, quos tribuit eis Polybius, & deni asses rotunde dicuntur pro denis assibus duobus trientibus. Sed de his vide, quæ diximus Pecuniæ Veteris lib. 3. cap. 2. *Gronovius.*

3 *Hinc vestem, arma*] Vides ergo, aucto à Julio vel ab Augusto stipendio, abrogatam illam Gracchi legem, quâ militi è publico vestem dari jussit, sine ulla stipendii detractione. Quod sugerat me admonere in Electis, cap. de stipendio. Ambigas tamen an secuti principes iterùm non reduxerint Gracchi hac parte legem. Lampridius certe in Alexandro: *Donavit*, inquit, *& ocreas, & braccas, & calciamenta inter vestimenta militaria.* & post in persona Principis: *Qui acceptam à provincialibus annonam, qui vestem, qui stipendia vobis attribuit.* Lipsius.

4 *Vacationes munerum*] Scripsi ea de re ad libros Historiarum. *Idem.*

5 *Præmium pecunia*] Quale istud pecuniarium præmium? Pete ab *EXCURS.* nostris, in *G.* Idem.

6 *Quæ binos denarios*] Bini denarii decreti à Senatu prætorianis, in honorem Augusti: ut scilicet fidelem gererent ejus curam, in salute cujus salus publica nixa. Id accidit in VII. ejus consulatu. Si

tamen

[2] *quæ post sedecim annos penatibus suis reddantur, plus periculorum suscipere? Non obtrectari à se urbanas excubias:* [2] *sibi tamen apud horridas gentes è contuberniis hostem aspici.* Adstrepebat [3] vulgus diversis incitamentis. hi verberum notas, illi canitiem, plu- 18
rimi detrita tegmina & nudum corpus exprobrantes. Postremo eò furoris venere, ut tres legiones miscere in unam agitaverint. depulsi æmulatione, quia suæ quisque legioni eum honorem quærebant, aliò vertunt, atque una tres aquilas & signa cohortium locant: [4] simul congerunt cespites, exstruunt tribunal, quo magis conspicua sedes foret. [5] Properantibus Blæsus advenit, increpabatque, ac retinebat singulos, [5] clamitans,

tamen Dionis verba vera, non binos denarios meriti prætoriani: sed tantum xx. asses. Nam ait, τοῖς δορυφοροῦσιν αὐτὸν διπλάσιον τὸν μισθὸν τοῦ τοῖς ἄλλοις στρατιώταις διδομένου ψηφισθῆναι διεπράξατο. Si, inquam, duplum quod ceteris militibus, datum prætorianis: constat invidiosam orationem esse nebulonis Percennii de duobus denariis, & augendæ rei. Quantum enim intersit, docui ante. At exemplum hoc stipendii prætorianis augendi, sumptum à militia veteri: apud quos prætoria cohors sesquiplum accipiebat, honoris caussa. vide Festum in *prætoria cohors*. *Idem.*

Add. Vir doctus in re nummaria, nuper emendari censuit, *quæ bis denos acciperent*. Nam constat ex Dione, inquit, accepisse eos saltem duplum quam alii milites: nec id plus fecerit, quàm vicenos nummos. Denarium autem duorum æstimatio amplior. Intelligo. vellem & ipse ea, quæ in hanc rem satis scripsi. Quis nostrum exigit ista rigidè ad veri lancem? Binos denarios? sic nempe, quomodo legionarii unum denarium. Is enim eis definitus, sed solutus numquam nisi æstimatione infima & prisca. Eadem igitur fide & pretio duos denarios cepere prætoriani. Quos quod diserte tamen exprimit Percennius: quis miretur? in seditione id facit, & ad animos scilicet vero an falso inflammandos. *Idem.*

Quæ binos denarios acceperint] Simplicius forsan *acciperent*, quod marginibus allinunt. Sed potest defendi, ut sit, quæ σύνταξιν binorum denariorum consecutæ fuerint: quibus Augusti constitutio binos denarios dederit: quibus senatus in honorem Augusti binos denarios stipendium statuerit. Fuisse autem hoc prætorianorum stipendium, nec per invidiam ultra, quam erat, augeri probabili conjectura ex testamentis Augusti & Tiberii eruimus primi dicto cap. 2. lib. 3. Pecuniæ veteris. *Gronovius.*

1 *Quæ post sexdecim annos*] Lapsus ergo Dio, qui lib. LIV. disertè tradit, Augustum definisse annos prætoriis cohortibus duodecim, aliis sedecim. Nisi tamen id decretum mutatum posteà, anno DCCLVIII. Quod apparet ex eodem Dione, libro LV. ubi de præmiis militaribus, quem adi. *Lipsius.*

Sexdecim] In Msto vidi *sedecim*, ut paulo post cap. 19 *ab sedecim annis* iterum. Quin & cap. 78, *sedecim stipendiorum*, sed ubi litera *u* superscripta est: quod si scivisset Freinshemius, magis forsan temperavisset impetum, quippe unde nulla proclivitas ad voces *sexto decime*. Capite tamen 26 nihil notavi. *Jac. Gronovius.*

2 *Sibi tamen apud horridas*] Rhenanus legit *ibi tamen*. At persamiliare esse Tacito *sibi* pro à se, *mihi* pro à me, &c. sexcenta apud ipsum exempla probant. *Pichena.*

3 *Vulgus diversis incitamentis*] Sive causis, quibus quisque intra suum animum stimulabatur; non quibus alios incendebat. *Adstrepebant* plus est quam strepebant. continet assensum, quem strepitu vocibusque suis Percennii verbis præbuerunt. *Freinshemius.*

4 *Simul congerunt cespites*] Nota morem antiquum. Tribunal Imperatorium ecce in castris, etiam illa ætate cespiticium. Plinius in laudatione Trajani: *Decora facies consulis: multa post sæcula tribunal viridi cespite exstructum, nec fascium tantum, sed pilorum signorumque honore* (malim, *horrore*) *circumdatum*. Xiphilinus de Boodicia regina Britanniæ: Συνήγαγε δὲ τὸ στράτευμα ἀμφὶ δώδεκα μυριάδας ὄν, καὶ ἀνέβη ἐπὶ βῆμα ἐκ γῆς ἑλώδους ἐς τὸν Ῥωμαϊκὸν τρόπον πεποιημένον. Eleganter. *Et ascendit*, inquit, *tribunal è terra palustri more Romano confectum*. Statius in Silvis:

> *Hic suetus dare jura parens, hoc cespite turmas*
> *Adfari.*

Ammianus lib. XXIII. *Ipse aggere glebali assistens, coronaque celsarum circumdatus potestatum, talia ore sereno disseruit.* Lucanus lib. v. de Cæsare concionante:

> ——— *stetit aggere fulti*
> *Cespitis, intrepidus vultu; meruitque timeri*
> *Non metuens.*

Plutarchus in Pompeio: Βήματος δὲ οὐκ ὄντος, οὐδὲ τοῦ στρατιωτικοῦ γενέσθαι φθάσαντος, ὃ ποιοῦσιν αὐτοί, τῆς γῆς ἐκτομὰς βαθείας λαμβάνοντες, καὶ κατ' ἀλλήλων συντιθέντες, &c. Claudianus de bello Getico:

> *Dictis ante tamen princeps confirmat ituros,*
> *Aggere conspicuus. stat circumfusa juventus*
> *Nixa hastis, pronasque ferox accommodat aures.*

Lipsius.

5 *Properantibus Blæsus advenit*] Si fuisset in unico libro *Operantibus*, non huic istud præferrem. Suetonius Claudio: *Canalem absolvit ægre, & post undecim annos, quamvis continuis triginta hominum millibus*

bus

[1] clamitans, *Mea potius cæde imbuite manus, leviore flagitio legatum interficietis, quam ab imperatore desciscitis. aut incolumis fidem legionum retinebo: aut* [2] *jugulatus pœnitentiam adcelerabo.* Aggerebatur nihilominus cespes, jamque [3] pectori usque adcreverat, cum tandem [4] pervicacia victi inceptum omisere. Blæsus multa dicendi arte, *Non per seditionem & turbas* [5] *desideria militum ad Cæsarem ferenda*, ait. *neque veteres ab imperatoribus priscis, neque ipsos à divo Augusto tam nova petivisse. & parum in tempore* [6] *incipientes principis curas onerari. Si tamen tenderent in pace tentare, quæ ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint; cur contra morem obsequii, contra fas disciplinæ, vim meditentur? decernerent legatos, seque coram mandata darent.* Adclamavere, *ut filius Blæsi tribunus legatione ea fungeretur, peteretque militibus missionem ab sedecim annis. Cetera mandaturos, ubi prima provenissent.* Profecto juvene, modicum otium: sed superbire miles, quod filius legati orator publicæ caussæ, satis ostenderet, necessitate expressa, quæ per modestiam non obtinuissent. Interea manipuli ante cœptam seditionem Nauportum missi, [7] ob itinera, & pontes, & alios usus, postquam turbatum in castris accepere, [8] vexilla convellunt: direptisque proximis vicis, ipsoque

[6] Nau-

bus sine intermissione operantibus. Noster infras *Miscetur operantium bellantiumque clamor.* Vegetius de re mil. 2,22. *Sive ad opus aliquod, sive ad decursionem campi exeunt milites, tubicine vocante operantur, & rursus tubicine admonente cessant.* Gronovius.

1 *Clamitans, Mea potius cæde*] Mirum videri possit, & quid caussæ, cur ob tribunal cespiticium adeo inclamet Blæsus? Nam subjungit: *Leviore flagitio legatum interficietis, quam ab imperatore desciscitis.* Capitale ergo adeo facinus illud? capitale prorsus. Nam tribunalis exstructio, ascensioque signum proprium Imperatoris: quod allocuturus milites conscenderet. Simile apud Vopiscum in Probo. *Undique ab omnibus adclamatum est, Probe Auguste, dii te servent. Deinde concursus, & cespiticium tribunal, appellatusque Imperator.* Sed & allocutio ipsa soli Imperatori servata postea. Ammianus de Juliano nondum Principe, lib. XVI. *Et cum alloqui pariter omnes nec longitudo spatiorum extenta, nec in unum coacta multitudinis permitteret crebritas, (& alioqui vitabat gravioris invidiæ pondus, ne videretur id adfectasse quod sibi soli deberi Augustus existimabat) cautior sui*, &c. Lipsius.

2 *Jugulatus pœnitentiam adcelerabo*] Accipiunt quidam quasi minitabundus hæc diceret Blæsus. Mihi non videtur hic esse sensus. quorsum enim ista diceret? An apud legiones, quibus summum criminum, defectionem, objecerat, mortem legati aliud momentum habituram cogitare poterat, quam miserationis, quod virum bene de se meritum occidissent, & exinde pudoris, qui denique pœnitentiam produceret? Neque ratio patitur, ut existimemus imperatorem tanto citius eos fuisse castigaturum (nam de celeritate pœnæ agi putant) si legatum occidissent: quem si vivum servavissent, & tamen descivissent, languidius & tardius in vindictam suæ majestatis assurrecturum. *Freinshemius.*

3 *Pectori usque adcreverat*] Ita non legimus Tacitum, cujus unicum exemplar legit *pectori ejusque.* In Agricolæ cap. 10 scribit *mare nec litore tenus accrescere aut resorberi.* Quid vult? utrum *pectoribusque adcrev.* Ovidius 15. Met. 512. *Pectoribusque tenus molles erectus in auras.* & 673. *Pectoribusque tenus media sublimis in æde Constitit.* An voluit *pectori & usque accreverat?* Jac. Gronovius.

4 *Pervicacia victi*] Ipsius Blæsi, & siqui alii fortiter obstitissent. *Lipsius.*

5 *Desideria militum*] Sic infra, *desideria legionum frustrari solitum.* Suetonius Aug. cap. 17. *Donec desideria militum ordinarentur.* Et cap. 53. *Tanta comitate adeuntium desideria excipiens, ut quemdam joco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem. Desideria* ergo aliquando supplices libelli, præsertim apud jurisconsultos. Tacitus alibi *preces.* Infra eodem libro, *legionum preces exciperet.* Pichena.

6 *Incipientes principis curas*] Recte. An tamen *incipientis* scripsit? Sic inferiore sane ætate *incipientem orientemve principem* dixerunt. Paneg. pro Flaviensibus. *Illa enim, quæ te incipiente suscepta, omnibus populis jure communia.* Et initio Paneg. Maximiano & Constantino, *oriens imperator* dicitur. *Acidalius.* Satis placent *incipientes curæ.* Sic Ovidio 2. de arte: *incipiens omnia sentit amor.* Et in 12 metam. *Barba erat incipiens.* Noster 1 histor. *Incipiens adhuc & nondum adulta seditio.* Gronovius. Justin. 7, 6. *Bella immaturam ætatem tyronis urgerent.*

7 *Ob itinera*] Expeditionem ergo meditabantur, eoque hæc præcurabant: neque alio fine simul in æstivis erant. *Lipsius.*

8 *Vexilla convellunt*] Quidam interpretantur: quasi reperissent *explicant* pro *convellunt.* Alii exponunt corripere: ex terra, cui infigi solebant, evellere, ut præferrentur manipulis, quod profecto non absurdum est. Neque enim ignoro, *convellendi* verbum hoc significatu quandoque poni. Livius 22, 3. *signa convelli juberet*, eandemque phrasin statim bis repetit. Mihi tamen placet, vexilla

ab

[1] Nauporto, quod municipii instar erat, retinentis centuriones irrisu, & contumeliis, postremo verberibus insectantur: præcipua in [2] Aufidienum [3] præfectum castrorum ira, [4] quem dereptum vehiculo, sarcinis gravant, aguntque primo in agmine, per ludibrium rogitantes, *an tam immensa onera, tam longa itinera libenter ferret?* Quippe Rufus diu manipularis, dein centurio, mox castris præfectus, antiquam duramque militiam revocabat, [5] vetus operis ac laboris, & eo immitior quia toleraverat. Horum

ab hastis, quibus affixa erant, derepta esse. Omnino enim rupisse, afflixisse & fregisse videntur signa sua, tanquam non amplius illo sacramento teneri volentes. Vide Histor. 1, 41. *Vexillarius cohortis dereptam Galbæ imaginem solo adflixit.* Nam sacramento militari continebatur, ne signa desererent. Seneca epist. 95. *Primum militiæ vinculum est religio, & signorum amor, & deserendi nefas.* Vide quæ olim notavimus ad Florum 1, 11. Sic inter has seditiones Mennius *raptum vexillum ad ripam vertit; & si quis agmine discessisset, pro desertore fore clamitans, reduxit in hiberna turbidos & nihil ausos.* Igitur hi putaverunt, si vexilla rupissent veluti solutos se sacramenti religione fore: quæ res etiam inter nostræ militiæ flagitia non ignobilis est. Neque etiam video, ad vicos diripiendos quorsum vexilla præferri voluerint. *Freinshemius.* Videtur abreptus ab eo, qui exponit, fixa solo evellunt, & detrahunt, abduntque non visenda militibus: quasi vexillorum reverentia militi turbanti esset pro conscientiæ flagello. Sed quod non absurdum concedit esse, hoc solum verum est. Nam detrahere vexilla & solo affligere solebant, qui prorsus aut ab imperio, aut ab imperatore desciscerent, nec sibi receptum ad pœnitentiam reliquum facerent. Hi vero nec deficiebant, nec sacramenti religione solvi volebant: sed conditionem suam meliorem facere conabantur. Cogitandum eos Nauporti, quo missi erant, aliquandiu tranquillos & in officio operique intentos fuisse stantibus & fixis vexillis: quum tumultu castrorum comperto abjecerunt opus, injussuque & ingratiis ducum sustulerunt vexilla, & festinarunt, ne communi causæ deessent. Quod vero ait se nescire, quorsum ad diripiendos vicos signa prætulerint: equidem non prætulerunt signa vicorum diripiendi ergo, sed proficiscendi. Sed tamen quemadmodum paullo ante operabantur subrectis vexillis, ut appareret militari eos munere fungi, & milites esse, non viles manus undique contractarum aut oblocantium semet operarum: sic inter movendum ad secundam rabiem versis stetisse vexilla, etsi non narretur, credibile satis est, & moris securitatisque causa (non enim sine custodibus facile relinquebantur) & ut ostenderent se milites esse, fraudatos justis, & indigne habitos, atque ob id iratos & pignora capientes; non latrones & prædones meros. Vide, quæ ad Livii 3, 54. diximus. *Gronovius.*

1 *Nauporto*] Meminit & Vellejus. Strabo collocat in Tauriscis, situ ab Aquileja stadiis CCCL. sed vocat Ναύπορτον, corrupte, ut opinor. *Lipsius.*

2 *Aufidienum Rufum*] Haud mutarim nomen cum Gallorum ut doctissimo, ita longe optimo in *Nasidienum.* nam *Aufidia* gens, unde *Aufidienus* æque celebrata ut *Nasidia*, unde *Nasidienus.* Gruterus.

3 *Præfectum castrorum*] Munus fuit, nescio an antiquum. mentionem quidem ejus ante Principes nondum inveni: postea, sæpius. Vide Excurs. in *H.* Lipsius.

4 *Quem direptum vehiculo*] MS. *dereptum* aptiore notione. *Pichena.* Et de hoc sententiam quoque suam exstare voluit Nic. Heinsius, ut prodit in notis ad Valer. Flacc. 2, 160.

Vehiculo] Honestiores ergo militum etiam tunc in vehiculo aut equo. *Lipsius.*

5 *Invictus operis*] Medicea scriptura, *intus operis.* verum censeo; *vetus operis.* In Tacito *vetus militia*, & in Sillo ipsa hæc verba:

—— *gnares belli, veteresque laborum.*

Lipsius.

Intus operis ac laboris] Sic liber unicus & primæ editionis. Phil. Beroaldus *invictus operis ac laboris*, quod pleræque receperunt. Rhenanus *attentus operis ac labori*, ut *operis* dandi casu dictum intelligatur numero plurativo. Ferretus quoque quasi ex Mediceo, *invictus*: sed falsus & fallens alios. Vertranius *invictus operis ac labore*; eo maxime, inquit, quod codici Tusco inest *invictus*: nisi magis placeat *intentus operis ac labori.* Ant. Augustinus apud Ursinum: *intus operis ac labore foris.* Muretum probare *immitis*, (quod est etiam Beroaldi. sequitur enim *atque eo immitior.* nam qui nimius esset in imponendis militi laboribus) nec se improbare, quia *immitior* sequatur, Guilelmium alicubi *incus* scribit Acidalius. Denique ad supplendum numerum sententiarum *ut vetus* Lud. Aurelius, *intentus operi ac labori* Marcus Afluerins. De quibus, opinor, si vidisset omnia, dixisset, qui de quibusdam dixit: Nugæ meræ. Taciti mens Rufum illum, ut qui diu manipularis militaverit, expertum atque adsuetum fuisse operis ac laboris, quod peregregie exprimit vox *vetus* frequens auctori nostro. Lib. 6. *scientia cærimoniarumque vetus.* Lib. eodem *vetus regnandi.* Histor. lib. 4. *veterem expertumque belli.* Cujus contrarium lib. 11. *legiones operum ac laboris ignaras.* Recepi itaque in seriem eam vocem, & significatione & similitudine & jure suo id exposcentem eo tutius, quod eodem fere tempore id ipsum venisse in mentem doctissimo Lipsio, ejus postremis

21 Horum adventu redintegratur seditio, & vagi circumjecta populabantur. Blæsus paucos maxime præda onustos, ad terrorem ceterorum, adfici verberibus, [1] claudi carcere jubet. nam etiam tum legato à centurionibus, & optimo quoque manipularium parebatur. Illi obniti trahentibus, prensare circumstantium genua, ciere modo nomina singulorum, modo centuriam quisque cujus manipularis erat, cohortem, legionem, *eadem omnibus imminere* clamitantes: simul probra in legatum cumulant, cælum ac deos obtestantur. nihil reliqui faciunt, quo minus invidiam, misericordiam, metum, & iras permoverent. Adcurritur ab universis, & carcere effracto, solvunt

22 vincula: desertoresque ac rerum capitalium [2] damnatos, sibi jam miscent. Flagrantior inde vis, plures seditioni duces. & Vibulenus quidam gregarius miles, ante tribunal Blæsi adlevatus circumstantium humeris, apud turbatos, & quid pararet intentos: *Vos quidem*, inquit, *his innocentibus & miserrimis lucem & spiritum reddidistis: sed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit? quem missum ad vos a Germanico exercitu de communibus commodis, nocte proxima jugulavit [3] per gladiatores suos, quos in exitium militum habet atque armat. Responde Blæse, [4] ubi cadaver abjeceris? [5] ne hostes quidem sepultura invident. cum osculis, cum lacrymis dolorem meum implevero, me quoque trucidari jube; dum interfectos nullum ob scelus, sed quia utilitati legionum consulebamus,*

notis, conspexi. *Pichena.* Est tamen & propius ad antiquam scripturam & verius *tritus operis.* Hæ enim divisiones trium lineolarum ubique perperam consideratæ sunt. Habes apud ipsum Festum in voce *Rabula* istud ipsum *intus* similiter corruptum. Liv. 22, 39. *Intritus ab labore.* Jac. Gronovius.

1 *Claudi carcere*] In castris stativis ergo carcer. & cum exercitus moveret, eosdem catena trahebant, more militari, ut alibi dicam. Juvenalis, Satyra VI.

Inde fides arti, sonuit si dextera ferro
Lævaque, si longo castrorum in carcere mansit.

Lipsius.

2 *Damnatos sibi jam miscent*] Faernus legebat: *ac rerum capitalium damnatos sibi immiscent.* Ursinus. Conjiciebam aliquando, *sibi admiscent*, tanquam si orta lectio altera ab veteri scribendi ratione *ammiscent.* Gruterus. Suspecta mihi est particula *jam*: ut supervacua, nec ex Corneliana phrasi. Legerim, *sibi immiscent.* Infra lib. 2. *Ne quietas provincias immixti turbarent.* Lib. 4. *Quibus adhuc necessitudinibus immiscere se mihi parem.* Histor. lib. 5. *Nec parvis periculis immixtus.* Pichena.

3 *Per gladiatores suos*] Refer ad solitum sæculi ejus morem, quo præsides, præfecti provinciarum, familias gladiatorum alebant, ad spectacula exhibenda. Non enim inter milites lecti, ne erres. *Lipsius.*

4 *Ubi cadaver abjeceris*] Ingratus labor est Alb. Gentilis lib. 2. de nuptiis ex IC. reliquiis, quod Vellejo impegerat Titius, *ubique ire* defendentis. Quis ignorat illam ætatem multa sibi permisisse, quæ neque Vellejus neque æqualium ejusquisquam dicendi studiosus ausi? Addit è Livio corruptum *accitusque ibi.* Non melioribus utitur auctoribus in Assertione Titius: quæ à melioribus petit, aut corrupta aut aliena sunt. Ut cum è Gellio, *ubi transiret* pro *ut transsiliret*; ex Panegyrico, *ut ubique possint ire, festinant*; ubi exstat, *ut ubique prosint, ire festinant.* Sic è Virgilio:

Gratior & pulcro veniens in corpore virtus, quasi voluerit ille *virtus veniens in corpore*, & non *virtus in pulcro corpore seu* vel si sit, *gratior veniens*, accidens, apparens. Tum Propertii *arcem sedisse* vel *sidisse in cineres* (si tamen sic scripsit) quis non videt esse combustam & collapsam fuisse in cineres? At Barthius *Ubi* pro *Quo* damnasse Caprum Grammaticum, ita loqui tamen hic Tacitum, cui se quam toti gregi Caprorum credere malle festive ait Adver. 33, 5. Quicquid conentur, cum Latine loquimur, sicubi τὸ *Quo* requiritur, illic τῷ *Ubi* locus non est: & recte quidem dicimus *quo abjeceris*; sed pro eo non dixit Tacitus *ubi abjeceris*, verum more illo suo prægnantes sensus breviter efferendi pro eo, quod est, ubi non humaveris aut condideris, sed jacens sub dio reliqueris: vel, ubi non tenui terræ injectu contectum, sed sic abjectum relinqui jusseris feris lacerandum. *Ubi abjeceris*, ubi sine justis posueris; ubi feceris, ut fœde jaceat. Higinus fab. 165. *Cantans se in aqua aspexit, & vidit se merito irrisam, unde tibias ibi abjecit.* Gronovius. Rite quidem igitur omnia concinnata; quod ad verbum *abjeceris* pertinet. Ubi tamen existimo publice sciri oportere in MS. unico legi *abegeris*, quod cur ita abscondere voluerit Beroaldus, non intelligo, præsertim quum cap. 35 dicat *quenam tribunos, quos centuriones exegissent?* Hoc verbum quum istic nostro placuerit, vide an non & hic voluerit *abegeris.* Jac. Gronovius.

5 *Ne hostes quidem sepulturam invident*] Manusc. *sepultura.* Nonne elegantius & brevius *sepultura* germano Taciti more? Lib. 13 *invidis operi.* Lib. 15.

non

bamus, [1] *hi sepeliant.* Incendebat hæc fletu, & pectus atque os manibus verberans: 23
mox disjectis quorum per humeros sustinebatur, præceps & singulorum pedibus advolutus, tantum consternationis invidiæque concivit, ut pars militum, gladiatores qui è servitio Blæsi erant, pars ceteram ejusdem familiam vincirent, alii ad quærendum corpus effunderentur. ac ni propere, neque corpus ullum reperiri, & servos adhibitis cruciatibus abnuere cædem, neque illi fuisse unquam fratrem pernotuisset, haud multum ab exitio legati aberant. Tribunos tamen, ac præfectum castrorum extrusere. sarcinæ fugientium direptæ. & centurio Lucillius interficitur, [2] cui militaribus facetiis vocabulum, [3] *Cedo alteram*, indiderant; quia [4] fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, ac rursus aliam poscebat. ceteros latebræ texere, uno retento Clemente Julio, qui [5] perferendis militum mandatis habebatur idoneus ob promptum ingenium. Quin ipsæ inter se legiones octava & quintadecuma ferrum parabant: dum centurionem [6] cognomento Sirpicum, illa morti deposcit, quintadecumani tuentur:

non invidebo exemplo. Nisi aberrat memoria, quarto casu Tacitus nusquam. *Pichena.* Cum exstet in calamo exarato codice *sepultura*, revocandum est; ei enim casui jungi posse pluribus alio loco ostendi. *Gruterus.* Nimis vellem, de pluribus hic aliquid prælibasset. neque enim, quis hoc verbo sic usus sit, memini. At *sepulturam*, an *sepultura* scribas, ciceum non interduim: nam utrumque auctores habet optimos. Quia & cum *invidere alicui* dicitur, semper intelligi accusativum censeo rei, quæ invidetur: & cum *invidere aliquid*, dativum personæ, cui invidetur. Cicero eum in Attio notat, *Quis florem liberum invidit meum*, non improbat *invidere aliquid alicui*, sed *invidere aliquem* pro *alicui*. Neque id veteribus placuisse video: & vereor ne in Attio præcesserit membrum orationis, in quo esset *τὸ mihi*, in his repetendum. Scio Scioppium aliter sentire in Paradoxis, sed nihil me movet. Horatii, *ego cur acquirere pauca Si possum, invideor*, non ultra producendum est. Ovidii in Epistola Laodamiæ, *Troadas invideo*, corruptum est pro *Troasin invideo*, ut animadvertit Salmasius, & merito secutus est Heinsius noster. Apud Quintilianum lib. 9 cap. 3. liber optimus: *ne huic rei invadere; non, ut omnes veteres & Cicero præcipue, hanc rem.* Qui tamen errat: nam *invadere alicui* Plautus, Varro, Lucretius, Cicero ipse dixerunt. Quod autem cornicatur Scioppius, cum legimus, *invidit commodis eorum*, supplendum esse *invidia* vel *invidere* nominis vim habens, nihil agit. Potius *proventum*, aut *continuationem*. Sic *ne hostes quidem sepulturam invident*, puta *mortuis*: *sepultura*, cogita *τὸ γίνεσθαι* vel *fieri*. *Invidit operi*, nempe *incrementa* vel *successum*. *Non invidebo exemplo*, *τὸ existere*. non prohibebo, ne fiat. *Gronovius.*

1 *Ei sepeliant*] Muretus *hi* & Lipsius ad marginem. *Acidalius.* Non admodum religiose scriptores circa pronomina versantur: proinde non est hic accipiendum *hi*. Plautus Menæch. *Arcesse homines, qui illum ad me deferant.* Deinde: *tu servos jube hunc ad me ferant.* Præsentem dicit *illum* & *hunc*. Sticho: *Nam pol mihi grata acceptaque hujus est benignitas.* Loquitur de viro absente. Suetonius in Cæsare: *Rhodum secedere statuit. Huc dum hibernis jam mensibus trajicit.* Dicere debuerat *illuc*, si à præfinitionibus grammaticorum discedere noluisset. *Salternerius.* Cur Lipsio non adsenserim *hi* legenti? Male in Ms. & vulgatis *ii.* nam de præsentibus loquitur, quos quasi digito demonstrat. *Pichena.*

2 *Cui militaribus facetiis*] Moris hujus militaris exemplum item in Aureliani vita: *Huic signum exercitus apposuerat, Manu ad ferrum: ut si forte quæreretur quis Aurelianus aliquid fecisset vel gessisset, suggereretur, Aurelianus manu ad ferrum.* De vite autem Centurionum, protrita jam res & conculcata. *Lipsius.*

3 *Cedo alteram*] Id vix potest caveri, quin fiat. Et quo minus mirere, præbet simile Ammianus Marcellinus 14, 1. *Paulus, ut erat in complicandis negotiis artifex dirus, unde ei Catena inditum est cognomentum.* Jac. Gronovius.

4 *Fracta vite in tergo*] In militia cives Romani verberabantur vitibus, cæteri fustibus. Clare ex Livii epit. 57 de Scipione ad Numantiam: *quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus: si extraneus, fustibus cecidit.* Plinius lib. 14, 1. *Vitis in delictis pœnam ipsam honorat.* Unde centuriones in bello vites gestabant. *Pichena.*

5 *Perferendis militum mandatis*] Satis enim conjicere poterant, opus ipsis futurum homine ingenioso & facundo ad desideria sua, sive ad ducem, sive ad principem, aut quocumque usus posceret, per legationis speciem perferenda. Nam ut ipsi inter se voluntatem suam noscerent (ut interpretantur) facile sine Clemente consequi potuissent. Et saue res ostendit aliori negotiationi destinatum fuisse. Mox enim coram Druso mandata militum edit. *Freinshemius.*

6 *Cognomento Sirpicum*] Caussa hujus cognomenti me fugit. An forte Sirpicus, à sirpando? quod est ligare, nodoque constringere, prisca quidem voce. Unde Sirpi, ænigmata sive nodi. Quiane verbe-

24 tuentur: ni miles nonanus preces, & adversum aspernantis, minas interjecisset. Hæc audita, quamquam abstrusum & [1] tristissima quæque maxime occultantem Tiberium perpulere, ut Drusum filium cum primoribus civitatis, duabusque prætoriis cohortibus mitteret, nullis satis certis mandatis, ex re consulturum. & cohortes delecto milite supra solitum firmatæ. additur magna pars prætoriani equitis, [2] & robora Germanorum, [3] qui tum custodes imperatori aderant; simul prætorii præfectus Ælius Sejanus, collega Straboni patri suo datus, magna apud Tiberium auctoritate, [4] rector juveni, & ceteris periculorum [5] præmiorumque ostentator. Druso propinquanti, quasi per officium obviæ fuere legiones, non lætæ, ut adsolet, [6] neque insignibus fulgentes, sed inluvie deformi, & vultu, quamquam mæstitiam imitarentur,
25 contumaciæ propiores. Postquam vallum introiit; [7] portas stationibus firmant. globos armatorum certis castrorum locis opperiri jubent. ceteri tribunal ingenti agmine circumveniunt. Stabat Drusus silentium manu poscens. [8] illi quotiens oculos ad multitudinem retulerant, vocibus truculentis strepere; rursum viso Cæsare, trepidare. murmur incertum, [9] atrox clamor, & repente quies. diversis animorum motibus, pavebant, terrebantque. Tandem interrupto tumultu litteras patris recitat. in quîs per-

verberavit obsoleto illo verbo militum aures? an quia asperior in constringendis militibus duriorque? *Lipsius.*

Cognomento Sirpicum] Scirpicum eadem dicacitate nominant centurionem, à scirpo scilicet, qui junci palustris genus est, leve, planum, procerumque, sed aridum, ex quo tegetes fiunt. Festus, & Isidorus Origin. 7, 9. Puta autem in regionibus, quibus vitis aberat, eratque copia scirpi, centuriones scirpis verberasse milites. *Aurelius.* Frustra quis in eruendi hujus cognomenti origine laboret. Quin satis certum non est id ei à militibus fuisse inditum. Potuit enim & *paternum* esse *cognomen*, ut apud Horat. Epist. 1, 13. ipse ejus *cognominis heres*, ut ait Ovidius Fast. 1. *Freinshemius.*

1 *Tristissima quæque maxime occultantem*] Et merito. Livius lib. 5. *Gens dedita religionibus auxilium Vejentibus negandum, donec sub rege essent, decrevit. Cujus decreti suppressa fama est Vejis propter metum regis; qui à quo tale quid dictum referretur, pro seditionis eum principe, non vani sermonis auctore habebat.* Idem lib. 23. *Auxit rerum suarum suique contemptum consul nimis detegendo cladem nudandoque.* Cæsar lib. 7. *Ex omni numero, qui fuit circiter* 40000, *vix* 800 *incolumes ad Vercingetorigem pervenerunt: quos ille multa jam nocte, silentio sic ex fuga excepit (veritus ne qua in castris ex eorum concursu & misericordia vulgi seditio oriretur) ut procul in via dispositis familiaribus suis, principibusque civitatum, disparandos deducendosque ad suos curaret, quæ cuique civitati pars castrorum ab initio obvenerat.* Gronovius.

2 *Robora Germanorum*] Ex Germanis validissimos. Sic Hist. 4. *cum robore Batavorum.* hoc est, cum optimis & selectis. *Freinshemius.*

3 *Qui tum custodes imperatori*] Recepit ergo iterum Germanos custodes Tiberius, destitutos post cladem Varianam ab Augusto, Suetonius Aug. cap. XLIX. De custodibus istis, alibi abunde. *Lipsius.*

4 *Rector juveni*] Lib. 3. de Quirinio: *datusque rector C. Cæsari Armeniam obtinenti.* Plinius lib. 3. epist. *cui in hoc lubrico ætatis non præceptor modo, sed custos etiam rectorque quærendus.* Suetonius Augusto 48. *Rectorem quoque solitus est apponere ætate parvis.* Virgilius *custodem* & *comitem* vocat lib. 5. *Custodem ad sese comitemque impubis Juli Æpytiden vocat.* Spartianus in Postumo: *Ut Saloninum filium suum Gallienus in Gallia positum crederet quasi custodi vitæ & morum & actuum imperialium.* Symmachus *monitorem* vocat lib. 3. epist. 13. *Aurelius.*

5 *Præmiorumque ostentator*] Non hoc voluisse videtur Tacitus, tanquam ipse ostentator, sed qui exemplum aliis esset periculorum ac præmiorum. Igitur legam, *ostentatui*, vel *ostentui* phrasi Tacito familiarissima, ut & sequenti mox pagina: *Corpora extra vallum abjecta ostentui.* Acidalius. Circumloquuti sumus, qui pœnis & præmiis propositis inculcatisque officii admoneret. *Freinshemius.*

6 *Neque insignibus fulgentes*] De cultu & incultu insignium notanda quædam observo, & promo in Excurs. in *I.* Lipsius.

7 *Portas stationibus firmant*] Sic accepi, quasi simpliciter diceret, stationes in portis collocant: neque nunc aliter sentio: quamquam non damnem diligentiam eorum, qui verbum *firmandi* numeri quoque idoneam magnitudinem complecti rati sunt. *Freinshemius.*

8 *Illi quoties oculos*] Is quidem mos & affectus vulgi, in turba sua audacis. Lucanus pariter in seditione:

- - - quippe ipsa metus exsolverat audax
Turba suos: quidquid multis peccatur, inultum est.

Et Vellejus: *Subita deinde exercitus seditio, qui plerumque contemplatus frequentiam suam à disciplina descìscit.* Lipsius.

9 *Atrox clamor, repente quies*] Video expulsam priscam

perſcriptum erat, *præcipuam ipſi fortiſſimarum legionum curam, quibuſcum plurima bella toleraviſſet. ubi primum à luctu requieſſet animus, acturum apud patres de poſtulatis eorum. miſiſſe interim filium, ut ſine cunctatione concederet, quæ ſtatim tribui poſſent: cetera ſenatui ſervanda, quem neque gratiæ, neque ſeveritatis expertem haberi par eſſet.* Reſpon- 26
ſum eſt à concione, [1] *mandata Clementi centurioni quæ perferret.* Is orditur *de miſſione à ſedecim annis: de præmiis finitæ militiæ: ut* [2] *denarius diurnum ſtipendium foret: ne veterani ſub vexillo haberentur.* Ad ea Druſus cum arbitrium ſenatus & patris obtenderet, clamore turbatur. *Cur veniſſet, neque augendis militum ſtipendiis, neque adlevandis laboribus, denique nulla benefaciendi licentia? at hercule verbera & necem cunctis permitti. Tiberium olim nomine Auguſti* [3] *deſideria legionum fruſtrari ſolitum: eaſdem artes Druſum retuliſſe.* [4] *numquamne ad ſe niſi filiosfamiliarum venturos? novum id plane, quod imperator ſola militis commoda ad ſenatum rejiciat. eundem ergo ſenatum conſulendum, quotiens ſupplicia aut prœlia indicantur. an præmia ſub dominis, pœnas ſine arbitro eſſe?* Poſtremo deſerunt tribunal: ut quis prætorianorum militum [5] amicorumve Cæ- 27
ſaris occurreret, [6] manus intentantes, cauſam diſcordiæ, & initium armorum. maxime infenſi Cn. Lentulo, quod is ante alios ætate & gloria belli, firmare Druſum credebatur, & illa militiæ flagitia primus aſpernari. Nec multo poſt, digredientem cum Cæſare, ac proviſu periculi hiberna caſtra repetentem, circumſiſtunt, rogitantes,

priſcam vocem, *repens quies.* Porro huic ſententiæ Silianum illud planè geminum eſt:

Clamor ſæpè repens, & ſæpè ſilentia fixis
In tellurem oculis.

Clamor autem, cum terrerent, ut ſequitur; quies, cum timerent. *Idem.*

1 *Mandata Clementi centurioni, quæ præferret*] *Perferret*, repoſui jubente MS. Supra, *qui perferendis militum mandatis habebatur idoneus.* Lib. 14. *Gladiumque, dum mandata perfert, abjicit inter pedes ejus.* Pichena. At Aurelius, Barda mea mens, ait, ſi excuſæ lectioni patrocinarer: vultque *proferret* & *proferendis*: neque hic tantum, verum & apud Plinium lib. 18. cap. 3. *Viator, Vela corpus, inquit, ut proferam ſenatus populique Romani mandata.* Et in Plinio quidem jam ſic ediderunt: ſed tamen notant in optimo Chiflet. eſſe *perferam.* Nec dubito, quin rectius. Neque enim perlata ſunt, priuſquam audita & pronuntiata: & pronuntiando traduntur, quod quid aliud quam *perferuntur?* Similiter apud Juvenalem Sat. 6. ver. 390. *Dictataque verba Pertulit*, genere loquendi ſatiram admodum decenti in precibus præſertim parum probatis à ſacerdote præeunte *ad deos ſcilicet ſecundum conſuetudinem*, ut habet vetus Scholiaſtes. Non ergo *protulit.* Gronovius.

2 *Denarius diurnum ſtipendium*] Ferretus putavit ſic accipiendum hunc locum, quaſi bini denarii poſcerentur. Sed falli Ferretum oſtendit hoc loco Lipſius, firmatque denarium Auguſti & ſequentium principum ævo duodecim aſſibus valuiſſe. Certe ex Polybiano loco 2, 15 (quem contra Hotomanni conjecturam tuetur) adſtruit accuratiſſimus Saviles, eo tempore, Polybii ſcilicet, tot aſſibus permutatum. Sed Snellius de re numm. contra Lipſium oſtendit, denarium Auguſtæis temporibus ſedecim aſſibus æſtimatum fuiſſe, ex Vitruvio 3, 1. Hoc igitur voluerunt milites: ut loco decem aſſium daretur denarius *in ſpecie*, ut noſtra ætate didicerunt loqui ruſtici noſtri, poſtquam per graſſationes monetarias bonis ſuis propemodum evoluti, ſero intellexerunt in re nummaria corporum magis ipſorum quam appellationis & nominis habendam eſſe rationem. Denarium autem drachmæ ſuæ compararunt Græci. ſicut in hoc ipſo negotio Dio lib. 57 *δραχμὴν ἡμερησίαν* vocat, quod noſter *denarium diurnum.* fruſtra Budæum reprehendente Bodino in Method. Hiſt. Quippe ut multa multorum auctorum loca prætercam, Plinius extremo lib. 21 diſerte teſtatur idem denarii drachmæque pondus fuiſſe. Drachma porro octavam Imperialis nummi partem pendit: tantum igitur, aut, pro argenti ratione, paullo amplius ſtipendium diurnum iſti milites petebant. *Freinshemius.*

3 *Deſideria legionum*] Sic eo tempore preces petitionesque principi aut magiſtratibus oblatas dicebant. Explicat ita Plinius Paneg. cap. 79. *Videmus, ut provinciarum deſideriis, ut ſingularum etiam civitatum precibus occurrat.* Freinshemius.

4 *Numquamne niſi*] Verior lectio è verborum trajectu: *numquamne ad ſe niſi filiosf.* Lipſius. Sentis, Lipſi, parere tibi editores conſenſu. Sed tamen contra ſeriem unici codicis, qui preſſe ſervat *numquamne niſi ad ſe.* Jac. Gronovius.

5 *Amicorumve Cæſaris occurreret*] Lego *occurrerat.* Et jam Muretus. *Acidalius.*

6 *Manus intentantes, cauſam diſcordiæ*] Ecquando manus dedere cauſam diſcordiæ & armorum, ait ille? Certe, ſi, cui ſunt intentatæ, is ſtrenue repulit eas, aut ultro, quod ira dictat, occupavit.

tes, *quo pergeret? ad imperatorem, an ad patres? ut illic quoque commodis legionum ad-*
versaretur? simul ingruunt, saxa jaciunt. jamque lapidis ictu cruentus, & exitii cer-
28 tus, adcursu multitudinis, quæ cum Druso advenerat, protectus est. Noctem mi-
nacem, & in scelus erupturam fors lenivit. nam [1] Luna claro repente cœlo [2] visa
languescere. Id miles rationis ignarus omen præsentium accepit, [3] ac suis laboribus
defectionem sideris adsimulans, [4] *prospereque cessura quæ pergerent, si fulgor & claritu-*
do deæ redderetur. [5] Igitur æris sono, tubarum cornuumque concentu strepere: prout
splendidior, obscuriorve, lætari, aut mærere, & postquam ortæ nubes offecere vi-
sui, creditumque conditam tenebris; ut sunt mobiles ad superstitionem perculsæ se-
mel mentes, *sibi æternum laborem portendi, sua facinora adversari deos* lamentantur.
Utendum inclinatione ea Cæsar, & quæ casus obtulerat in sapientiam vertenda ra-
tus, circumiri tentoria jubet. Accitur centurio Clemens, [6] & si alii bonis artibus
grati

Eam enim, qui rixam quærunt, ut suam occasionem rapiunt, & quasi essent provocati, nihil non sibi licere in auctores injuriæ interpretantur. Dein tumultu cœpto advolant & aggregantur utrimque socii, & à manibus ad ferrum ac cædes transitur. Apage *annos*. Gronovius.

1 *Luna clariore pene cœlo*] Quid hoc, *clariore pene cœlo?* cassa palearum, si examinas. A Beroaldo ea lectio est, quam sperne: & substitue, *Luna claro repente cœlo.* Facit sententia, & prisca scriptura, *clamore pena cœlo.* Claro autem cœlo is Lunæ languor: & ideo sequitur, *postquam ortæ nubes offecere visui.* Lipsius.

Luna clamore pena cœlo] Codex vetus habet *clamore pena cœlo.* Si cui nostra correctio displicet, nempe *clariore pene cœlo*, ipse meliorem inveniat. Beroald. Scriberem *clariore plena cœlo.* Cæsar lib. 4. *Eadem nocte accidit, ut esset luna plena.* To *clariore* vim habet positivi; quod vel apud alios non rarum est. Homer. Ιλ. α. Ἀλλ' ἴθι, μή μ' ἐρέθιζε, σαώτερος ὥς κε νέηαι. Ælianus Var. 2, 23. καὶ ἡ μοι ἥδιον ἐστὶ μεμνῆσθαι αὐτοῦ. Virgilius 1 Æn. *Tristior & lacrimis oculos suffusa.* Salmerius. Ego nihil: sed Lipsii judicium anteferens correctionem ejus in margine apposui. *Pichena.* Cicero de consulatu suo:

Quod ferme dirum in tempus cecidere Latinæ,
Cum claram speciem concreto lumine luna
Abdidit, & subito stellanti nocte perempta est.

Lucanus:

Jam Phœbe toto fratrem cum redderet orbe,
Terrarum subita percussa expalluit umbra.

Aurelius. Inspicias etiam licet Jac. Gutherium lib. 1. Juris Pontif. cap. 23. Interim & illud *claro repente cœlo* pravam reddit seriem vocum, quæ jungi vult in tali sensu ista *clare cœlo.* Etiam illud *repente* vacuum aut saltem incommodum. Nam si repente nubes subter se intenderint, an miles id non sæpe viderat etiam non ominantis animo? Sed videtur in his abscondi vetus vocabulum, quum omnia admoneant auctorem dedisse *Luna clarore plena, cœlo visa languescere.* Notum est ex Plauto. Immo hic ipse modus placuit Tacito in voce *sonor*, quam usurpat cap. 64. hujus libri. *Jac. Gronovius.*

2 *Visa languescere*] Ne intelligas speciem tantummodo languescentis habuisse: vere namque languescens & deficiens cernebatur à militibus. *Pichena.*

3 *Ac suis laboribus*] Rectius omnia cohæreant, si copula ista *ac* absit, *Freinshemius.* Et sane in Mediceo tantum est *a suis.*

4 *Prospereque cessura quæ pergerent*] Malim *quæ gererent.* Rhenanus, Putavi olim legendum, *quæ peragerent.* nam in MS. prima *R.* puncto superius notata, & in margine apposita *A.* Recte tamen vulgata lectio, si interpretemur, *quæ pergerent*, id est, quæ succederent, vel quæ ipsi agere pergerent. *Pichena.* Frequens hoc verbum Tacito: sed nusquam, opinor, vel ipsi vel alii *pergere aliquid* est insistere instituto, agere quod in manibus habeas. Ut commodissime accipiamus, integrum foret, *prospere cessura itinera, quæ pergerent.* Sed quis hac in re sic loquitur? Prorsus censeo Tacitum scripsisse, *quæ urgerent.* i. e. quæ laborarent, quibus instarent, Horatius Sat. 2, 7. *Vitiis gaudet constanter & urget Propositum.* Et lib. 2. od. 18. *Marisque Bajis obstrepentis urges Summovere litora.* Noster lib. 12. *Itaque urgeret cœpta.* Non dicit *pergeret cœpta.* Gronovius.

5 *Igitur æris sono*] Clarum exemplum vanæ religionis. ad levandos Lunæ labores. Ita enim opinio erat. Juvenalis, nimis facete de sexu tinniente:

Una laboranti poterit succurrere Lunæ.

Livius lib. XXVI. *Disposita in muris Campanorum imbellis multitudo cum æris crepitu, qualis in defectu Lunæ silenti nocte cieri solet.* Quem morem nec Christianos desiisse, discas è Divo Maximo Taurinensi Episcopo: qui nimis id indignatur & culpat Homilia propria, *De defectu Lunæ.* Ait inter alia hic apta: *Cum requirerem quid sibi clamor hic vellet, dixerunt mihi quod laboranti Lunæ vestra vociferatio subveniret, & defectum ejus suis clamoribus adjuvaret.* Lipsius.

6 *Et si alii bonis artibus grati*] Sic MS. & probe. Irrepsciat, *& si qui alii*, quod jure spernas. *Pichena.* Non disjungenda, quæ cohærere debent, *bonis artibus grati in vulgus.* Utrumque enim spectabatur, ut vulgo grati essent, neque id per flagitia,
sicut

grati in vulgus: [1] in vigiliis, ſtationibus, cuſtodiis portarum ſe inſerunt, ſpem offerunt, metum intendunt. *Quouſque filium imperatoris obſidebimus? quis certaminum finis? Percennione & Vibuleno ſacramentum dicturi ſumus? Percennius & Vibulenus ſtipendia militibus, agros emeritis largientur?* [2] *denique pro Neronibus & Druſis, imperium populi Romani capeſſent? quin potius* [3] *ut noviſſimi in culpam, ita primi ad pœnitentiam ſumus? Tarda ſunt quæ* [4] *in commune expoſtulantur: privatam gratiam ſtatim mereare, ſtatim recipias.* Commotis per hæc mentibus, & inter ſe ſuſpectis, [5] tironem à veterano, legionem à legione diſſociant. Tum redire paulatim amor obſequii: omittunt portas, ſigna unum in locum principio ſeditionis congregata, ſuas in ſedes referunt. Druſus orto die, & vocata concione, quamquam rudis dicendi, [6] nobilitate 29
ingenita, incuſat priora, probat præſentia: negat *ſe terrore & minis vinci: flexos ad modeſtiam ſi videat, ſi ſupplices audiat, ſcripturum patri, ut placatus legionum preces exciperet.*

ſicut ſeditioſi iſti, ſed quacumque ex cauſa, modo honeſta & tolerabili. Neque enim hoc loco *bonas artes* interpretari poſſumus de ſevero virtutis ſtudio, fide, conſtantia, geſtis egregiis: hæc enim atque talia præcipuis odiis inſectatur motum vulgus: ſed de aliis minoribus; ut ſi forte ideo grati fuiſſent manipularibus, quod vacationes gratuitas conceſſiſſent, aut ipſis aliis in rebus adfuiſſent, opiſque aut conſilii egenos prompte atque amice juviſſent. *Freinshemius.*

1 *Stationibus*] Quæ ante portas quidem, ſed paullo longius: atqui & in ipſis *Cuſtodia* fuerunt, & has adjungit. Nos in Militia, lib. v. dialogo VIII. *Lipſius.*

Ii vigiliis, ſtationibus, cuſtodiis] A Lipſio correctus locus. MS. & alii corrupte *in vigiliis.* Hic obiter admonendi tirones, *vigilias* ſemper eſſe nocturnas; *ſtationes* ſive *excubias* & nocturnas & diurnas. Tacitus lib. 51. *Stationes, vigiliæ, diurna nocturnaque munia in armis agitabantur.* Iſidorus lib. 9. *Excubiæ diurnæ ſunt, vigiliæ nocturnæ.* At *cuſtodiæ portarum*, nonne ſtationes? Supra, *portas ſtationibus firmant.* Cæſar lib. 4. de bello Gall. *Ii, qui pro portis in ſtatione erant, Cæſari renuntiarunt.* Virgilius 9. Æneid. *Communi portam ſtatione tenebant. Stationes* videntur propriè eſſe, quæ hodie corpora cuſtodiarum vocantur. *Pichena.*

2 *Denique pro Neronibus*] *Denique* tantundem valet, ac ſi dicas ut rem in compendium mittam. uſurpaturque quum multa dicenda ſunt, ſed ad id, quod maximum atque validiſſimum eſt, properans oratio, ante exſpectatum abrumpitur. Apud Hirtium de bello Alex. *Armeniam minorem recepiſſe, quam paterno nomine jure obtinere deberet: denique ejus regni cauſa integra Cæſari ſervaretur.* Hanc vim nulla verſionum hic adſequitur. *Freinshemius,*

3 *Ut noviſſimi in culpam*] Hoc accipiendum, quaſi ad meliores militum dictum. Etſi enim omnes rebellaverant; non æque prompte, & quidam ſecuti magis, quàm ducentes. Hos nunc excitat. *Lipſius.*

Ut noviſſimi in culpam] Trium legionum milites, omnes ad ſeditionem promptiſſimos, nec ullam eorum partem cunctatam conſtat. Qui igitur noviſſimi in culpam? An originem ab univerſis amovent, & in paucos auctores conferunt? Potius cenſeo Clementem ceteroſque arte quadam, ut quoſque alloquebantur, poſtremos eos ac fere coactos deſcendiſſe in culpam, credere ſimulaviſſe; quo facilius in pœnitentiam & ſpem veniæ perducerent. *Pichena.* Seditio haud dubie à veteranis cœpit. Ii enim graviſſime ferebant emeritæ militiæ commodis ſe fraudari, ut infra 1, 33. Reliqui longinqua adhuc ſpe eadem præmia adſequendi haud perinde accenſi, veteranos tamen turbantes ſecuti ſunt. Hi igitur facilius ad pœnitentiam flecti poterant, eoſque adorti ſunt Clemens aliique ad mitigandum vulgus miſſi. dixit enim auctor illos *vigiliis, ſtationibus, cuſtodiis portarum ſe inſeruiſſe*, ubi certe veteranos non fuiſſe clarum ex eo, quod non ducum juſſu, ſed ſuo arbitrio milites hæc ita diſpoſuerant, ſupra 1, 25. ubi certe apparet veteranos non ſumpturos fuiſſe munia iſta, de quibus cum maxime querebantur ſupra 1, 17. Sequitur ergo Clementem & qui idem agebant *tironem à veterano diſſociaſſe.* Freinshemius.

4 *In commune expoſtulantur*] Muretus, *poſtulantur.* Et ſane melius. Uſitatum tamen illud Tacito lib. 15. ann. *Ille Armeniam quoque diverſis præſidiis vacuam fieri expoſtulabat.* Et lib. 1. *Marium Celſum ad ſupplicium expoſtulabant.* Quomodo præcedit ibidem: *libellos præmia expoſcentium.* Acidalius.

5 *Tironem*] Intellegit qui ſtipendia nondum compleſſent, abjunctos ab iis qui ſub vexillo veterani. *Lipſius.*

6 *Nobilitate ingenita*] Culpavi; nec nunc omnino capio. niſi quod videtur ſimile illi dicto apud Lucanum:

- - - quos Lentulus omnes
Virtutis ſtimulis, & nobilitate dolendi
Præceſſit.

Hinc apud Claudianum:

- - - miſta ſed nobilis ira.

In quibus plus ſcilicet aliquid intelligitur, quam dicitur. *Idem.*

Nobilitate ingenita] Animus erectus impotentia,

ciperet. orantibus, rursum idem Blæsus & L. Apronius eques Romanus è cohorte Drusi, [1] Justusque Catonius primi ordinis centurio, ad Tiberium mittuntur. Certatum inde sententiis, cum alii *opperiendos legatos*, *atque interim comitate permulcendum militem* censerent; alii *fortioribus remediis agendum. nihil in vulgo modicum: terrere, ni paveant: ubi pertimuerint, impune contemni. dum superstitio urgeat, adjiciendos* [2] *ex duce metus*, *sublatis seditionis auctoribus*. Promptum ad asperiora ingenium Druso erat. vocatos Vibulenum & Percennium interfici jubet. Tradunt plerique [3] intra taber-
30 naculum ducis obrutos; alii [4] corpora extra vallum abjecta ostentui. Tum ut quisque præcipuus turbator, conquisiti. & pars extra castra palantes à centurionibus, aut prætoriarum cohortium militibus cæsi: quosdam ipsi manipuli, documentum fidei, tradidere. Auxerat militum curas præmatura hiems, imbribus continuis, adeo-
que

quæ plerumque nobilitatem comitatur. Supra: *sed vetere atque insita Claudiæ familiæ superbia*. Unde Petronius Arbiter in Satir. nobiles eo de nomine designat: *Clientesque cœnas impotentium captet*. Sic de feritate Civilis & Classici, *sævitia ingenita & cupidine prædæ ad excidium civitatis trahebantur*. Erant enim Germani, qui ad sævitiam nascebantur. Sic *insita feritati arte, ac tempore lenocinatur*. Sic Curtio dicitur *præter ingenitam venerationem* de iis, qui natura proni sunt in Regis cultum. Drusus ergo Claudiæ familiæ quamvis dicendi rudis, audacter & impotenter increpat militum consternationem. Nobilitas dicta significatione apud Plautum, in Milite: *Et quia tecum eram, propterea animo eram ferocior. Eam nobilitatem amittendam video*. Quo etiam non male traheres illud Suetonii de Claudio imperatore, qui stupidus ad omnia, & plumbeus erat: nisi quod eum nonnunquam decebat ἐν τοῖς ψυχῆς αὐτοῦ ἐγγίνεται. Nec illud Terentii: *Habet bene ac pudice eductam, ignaram artis meretriciæ, mea est potens, procax, magnifica, sumptuosa, nobilis*; hæc prolixius, quia ubique id verbi vertunt in *nobilitate ingenii*; vel *sævitia ingenii*. Salinerius. Qui dicendi rudes sunt, vix sibi constant, si pro concione verba facienda sint: quod tironi adhuc Alcibiadi evenisse ferunt, donec alloquio Socratis firmaretur. Hoc autem magis evenire opus est, ubi res cum periculo conjuncta, quod *exercitam quoque eloquentiam debilitat*, ut ait noster 3, 67. Eam perturbat onem vicit Drusus *nobilitate ingenita*, hoc est, animi firmitate à majoribus suis insita. *Nobilitas* enim hic non ad genus tantum, sed ad animum etiam spectat, quem simul cum sanguine à veteribus Claudiis in Drusum fuisse propagatum innuit. Hoc forte sensu etiam accipienda hæc vox infra 2, 13, ubi *nobilitatem* Germanici milites ejus laudibus ferebant. si enim ad genus tantum respexissent, habuerant utique duces ex prisca nobilitate Germanico non inferiores. Sic fere Ovidius nobilitatem leonibus tribuit, ademptam ursis lupisque,

Et quacunque minor nobilitate fera est.

Lib. 3. Tristium eleg. 5. Ergo *nobilitas* hic γενναιότης est. *Freinshemius*. Ovidius ex Ponto 2, 2.

Præterit ipse suos animo Germanicus annos,

Nec vigor est Drusi nobilitate minor.

Lucanus in elegia ad Calp. Pisonem. *Ingenita stat nobilitatis in illo Pulcher honos, & digna suis natalibus ora*. Jac. Gronovius.

1 *Justusque Catonius primi ordinis centurio*] Credo eum esse, qui postea prætorii præfectus imperante Claudio, & Messalinæ fraude interfectus. Suadeo legas Dionem LX. De primo ordine, ego in Milit. lib. II. *Lipsius*.

2 *Ex duce metus*] Ne mutemus. dictio est quam amat Tacitus. Ita lib. II. *Languescet industria, si nullus ex se metus aut spes*. Vita Agricolæ: *Tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis, & proprius ex legato timor agitabat*. A Sallustio sumpsit de rep. ad Cæs. *Neque quemquam à multis metuendum esse, quin ad eum formido ex multis recidat*. Idem.

3 *Intra tabernaculum ducis obrutos*] Cum plerisque accipio sepultos: & clamat hoc oppositio de projectis ante vallum corporibus. Alii *obrutos* pro interfectis habuerunt, quod quidem & sentit Tacitus, & vero dixit, suo nimirum modo, quamquam non exprimeret. Dum enim sepultos narrat clanculum, multo magis clam quoque interfectos vult intelligi: sed hoc potissimum voluit indicare, ex quo & quod non diceret, nosceretur. Quidam ex diversis auctorum opinionibus unam effecit, ut nimirum interfecti fuerint illi seditiosi in tabernaculo ducis, & deinde projecta cadavera. Sed invitis Tacito, & quorum ille sententias retulit. *Freinshemius*.

4 *Corpora extra vallum*] Ut in oppidis animadversiones extra muros; sic & in castris extra vallum. Ideo corpora hic abjecta in eum locum, qui fuit extra portam Decumanam, à castrorum tergo, uti ex Vegetio discas lib. I. cap. XXIII. Seneca I. de ira cap. XVI. *Damnatus extra vallum deductus est, & jam cervicem porrigebat, cum subito apparuit commilito ille*. Hirtius de bello Africano: *Sic extra vallum deducti sunt, & cruciabiliter interfecti*. Calpurnius declamatione VII. in ipso argumento: *Imperator corpora eorum extra vallum projici jussit*. Ejusdem sententiæ, quod idem Tacitus statim: *Convulsos laniatosque, & partim exanimos, ante vallum, aut in amnem Rhenum projiciunt*. Lipsius.

1 Vix

quæ fævis, ut non egredi tentoria, congregari inter fe, [1] vix tutari figna poffent,
quæ turbine atque unda raptabantur. durabat & formido cœleftis iræ, *nec fruftra ad-
verfus impios hebefcere fidera, ruere tempeftates. non aliud malorum levamentum, quam fi*
[2] *linquerent caftra infaufta temerataque*, [3] *& foluti piaculo fuis quifque hibernis redderen-
tur.* Primum octava, dein quintadecuma legio rediere. Nonanus *opperiendas Tiberii
epiftolas* clamitaverat. mox [4] defolatus aliorum difceffione, imminentem neceffitatem
fponte prævenit. & Drufus non exfpectato legatorum regreffu, quia præfentia fatis
confiderant, in urbem rediit. Iifdem ferme diebus, iifdem cauffis, Germanicæ le- 31
giones turbatæ, quanto plures, tanto violentius: & magna fpe, fore ut Germani-
cus Cæfar imperium alterius pati nequiret, daretque fe legionibus, [5] vi fua cuncta
tracturus. Duo apud ripam Rheni exercitus erant. cui nomen fuperiori, fub C. Si-
lio legato; inferiorem A. Cæcina curabat. Regimen fummæ rei penes Germanicum
[6] agendo Galliarum cenfui tum intentum. Sed quibus Silius moderabatur, mente
ambigua fortunam feditionis alienæ fpeculabantur: inferioris exercitus miles in ra-
biem prolapfus eft, [7] orto ab unetvicefimanis quintanifque initio, & tractis prima
quoque ac vicefima legionibus. nam iifdem æftivis in finibus Ubiorum habebantur,
per

1 *Vix tutari figna*] Id eft, recta habere & fervare in principiis, ubi defixa. *Idem.*

Tutari figna] Intelligendum hoc ex more caftrorum, quem exponit Stewech. ad Veget. I. 23. *Rapta fubitis turbinibus figna* memorantur etiam inter adverfa omina Craffo oblata. Florus 3. 11. *Freinshemius.*

2 *Linquerent caftra infaufta.*] Virg. 3. Æn.

Linquere pollutum hofpitium, dare claffibus auftros.

Plaut. Moftell. *Hofpes hic me necavit, ifque me Defodit infepultum, clam ibidem in hifce ædibus Sceleftus auri caufa. nunc tu huc emigra. Scelefta hæ funt ædes, impia eft habitatio.* Aurelius.

3 *Et foluti piaculo*] *Piaculum* hic capio non pro ipfa modo culpa, fed pro omni eo, quod culpæ quoquo modo cohæret. Ita hi non rebantur fe fatis purgari poffe, nifi etiam locum, in quo peccaviffent, tamquam infauftum pollutumque relinquerent. *Freinshemius.*

4 *Defolatus*] Solus relictus, μονωθεὶς, ut Gloffæ veteres. *Lipfius.*

5 *Vi fua tracturus*] Credo verum effe *tracturis*, quamquam & altera illa lectio, fenfum fane non ineptum habeat. Sed indicat Tacitus legiones iftas vires fuas intellexiffe; idque mox aperte profitentur: *fua in manu fitam rem Romanam, &c.* deinde facit quod ftatim fubjicit de exercitibus, quafi oftenfurus non modicam fuiffe vim, quæ in duos exercitus dividi poterat. *Freinshemius.*

6 *Agendo Galliarum cenfui*] Cenfum accipies, non qualis Romæ, ut notæ faltem effent Gallorum facultates: fed ut ex modo cenfus tributum penderent & vectigal. Quod cum in aliis provinciis fervabatur (apud Jurifconfultos titulo toto de cenfibus:) tum in Gallia potiffimum, ditiffima provinciarum. Adde fis noftra in Excurs. K. Lipfius.

Agenda Galliarum cenfui] Quæ regiones jus civitatis Romanæ non habebant, gravioribus tributis vexabantur. Cenfuali enim lege profiteri cogebantur, quot capita effent in qualibet familia, quot jugera terræ, quot fervos quis haberet. Sed & de lacubus pifcatoriis cenfus folvendus erat, Ulpiano Pauloque jureconf. teftibus. Ut hic fimpliciter accipiendus non fit *cenfus*, cum numerus civium defertur, unde agnofci poffit, qui militiæ nomina dare debeant. Hinc *cenfiti* & *cenfitores* dicti. *Alciatus.* Julius Cæfar omnem Galliam in provinciæ formam redegit, eique in fingulos annos ftipendii nomen impofuit: quod ex forma cenfuali juxta profeffionem tot capitum, liberorum & fervorum, tot animalium, tot jugerum, &c. Romani, quibus jus erat fingulis menfibus, tefte Dione, exigebant à vicis, municipiis, coloniis, civitatibus, & provinciis, præter eas, quæ aut fociæ, aut bene meritæ, aut juris Italici factæ fuiffent. Neque enim jus civitatis Romanæ habere neceffe fuit, in quo mirum, ut eruditiffimus Alciatus prævaricatus fit: Ad rem. Germanicus *agendo cenfui Galliarum* intentus erat, id eft, tributo exigendo, & accipiendo: qua de re Claudii ejus filii legenda oratio eft, quam ex ære exfcripfi lib. XI. *Vertranius.*

7 *Ab undevicefimanis*] In Germania inferiori, hac ætate ubique XXI. legionem reperio, non decimamnonam. Itaque hic fæpius repone, *Unetvicefimanis.* Quæ vox remotior ab ufu hodie, impofuit fcriptorum vulgo. Adi, fi placet, ad lib. I. Hiftor. Notas. *Lipfius.*

Orto ab unetvicefimanis] Libri omnes editi, *undevicefimanis.* Animadvertit Lipfius mendum ex hiftoria ipfa. MS. hic, & ubicunque de hac legione fit mentio, *unetvicefimam* appellat, quod ego itidem femper repofui. Hic igitur, ne fæpius repetendum fit, admonuiffe fufficiat. *Pichena.* Ita, fcribit Ryckius, dedit ex Antonini itinerario Lipfius. *Undevicefimanis* tamen ait firmari a Cluverio infcri-

per otium, aut levia munia. Igitur audito fine Augusti, [1] vernacula multitudo, nuper acto in urbe delectu, lasciviæ sueta, laborum intolerans, [2] implere ceterorum rudes animos. *Venisse tempus, quo veterani maturam missionem, juvenes largiora stipendia, cuncti modum miseriarum exposcerent, sævitiamque centurionum ulciscerentur.* Non unus hæc, ut Pannonicas inter legiones, Percennius, nec apud trepidas militum aures alios validiores exercitus respicientium, sed multa seditionis ora vocesque; *sua in manu sitam rem Romanam, suis victoriis augeri rempublicam,* [3] *in suum cognomentum ad-*

32 *sciscì imperatores.* Nec legatus obviam ibat. quippe plurium [4] vecordia constantiam exemerat. repente lymphati, destrictis gladiis in centuriones invadunt. ea vetustissima militaribus odiis materies, & sæviendi principium. [5] prostratos verberibus mulcant,

ptione quadam, quam ponit. Mihi censetur recte dedisse Lipsius, & vitiose in inscriptione poni numerus; XIX. nempe pro XXI. nam quod in subjectis versiculis legitur *undevigesima*, palam est error metri, quum prima in *viginti* ejusque derivatis semper sit longa. Sed versificator iste scripsit forte *unvigesima*, volens quocumque modo significare *vigesimam primam*. Et sane quinta & vigesima prima legiones passim apud Tacitum conjunguntur. *Joh. Jensius.*

1 *Vernacula multitudo*] Ante quinque circiter annos, nuntiata in urbe clade Variana. cum quidem Romæ subitum militem Augustus conscripsit, ad tutelam ripæ Rheni: & pleroſque è libertinis. Sueton. c. XXV. & Dio LVI. *Lipsius.*

Vernacula multitudo] Interpretantur de libertis, quos Augustus ad tutelam Rheni misit, apud Sueton. cap. 25. non male, quia tamen ex Dionis libro 56. constat, eo delectu non libertinos tantum, sed alius quoque generis urbanam plebem esse coactam; atque vox *vernacula*, tamquam omnem eam multitudinem simul complectens, ab auctore consulto adhibita videtur (cui non deerat proprium vocabulum, si solos libertinos hic intelligi voluisset) latius interpretari visum est. *Fremshemius.*

2 *Implere cetrorum rudes animos*] Non damno: *sermonibus* scilicet, qui sequuntur. Valde tamen verisimile est *impellere* etiam hic scriptum fuisse, ut superius: *impellere paulatim nocturnis colloquiis.* Maxime quod ibi sit additum *imperitos animos*, ut hic *rudes animos.* Et lib. VI. *Qua rudes animos, nomine honoris, ad corrumpendum militiæ morem propelleret.* Acidalius.

3 *In suum cognomentum*] Si ad sua tempora Tacitus respexit, clara res: omnes enim post Tiberium fere Imperatores cognomen sumpserunt à pugnacissima gente. At quid est, quod hic milites in eo glorientur, nisi si divini & præscii futurorum? Nam ad hoc ævi solus Drusus & Germanicus, cognomine illo usi, ex decreto quod apud Dionem habes LV. & si quisquam ex Imperatoribus; solus certe Tiberius. Sed correctione explico me, & omnino scrib. censeo, *adsciscì imperaturos.* idque verum, cognomento illo insignitos eos, qui in spe Principatus. Præter dictos, ecce Vitellius Imp. *filium sinu retinens Germanicum appellavit, cinxitque cunctis fortunæ principalis insignibus.* Lipsius.

In suum cognomentum asciscì Imperatores] Eruditissimus vir *Imperaturos*, quasi eo nomine cohonestati, in spem futuræ successionis vocarentur; ut apud Gallos Delphinus. dissentio, ajoque Germanici cognomen nec vigente Cæsarum domo, successorem designasse: (nam si secus esset, Senatus ex libidine successuros Augusto præfinisset. Suetonius: *præterea senatus inter alia complura, marmoreum arcum cum tropæis via Appia decrevit & Germanici cognomen ipsi posterisque suis.* Dio. Γερμανικός τε μετὰ τῶν παίδων ἐπωνομάσθη, καὶ τιμὰς, καὶ εἰκόνας, καὶ ἁψῖδας, κενοτάφιόν τε πρὸς αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ λαβών) neque Julia stirpe finita: nam Cæsares dicebantur illi, in quos imperium devolveretur. *Sextus dies agitur, ex quo Cæsar ascitus sum,* loquitur Piso, quem adoptaverat Galba. *Debuisse Cæsarem in acie stare,* agitur de Domitiano etiamdum vivo patre. *Ejusdem anni principio Cæsar Titus,* adhuc imperante Vespasiano. Clarius Dio: αὐτοκράτωρ δὲ ἐπὶ αὐτοῖς ὁ Οὐεσπασιανὸς, καὶ πρὸς τῆς βουλῆς ἀπεδείχθη, καὶ Καίσαρες ὅ τε Τίτος, καὶ ὁ Δομιτιανὸς ἐπεδείχθησαν. Qua de re igitur milites sic ἀλαζονικῶς gloriantur? quod Tiberius Imperator, id est, rerum dominus, tot victoriarum adversus tot gentes compos, cognomen Germanici, ut solum gloriosum, sibi sumit. Cæterum πληθυντικῶς *imperatores*, ut *Lollianas Varianasque clades, interfectos Romæ Varrones, Egnatios Julos,* & ut *Annumerabor Numisiis, & Herenniis, ut omnes legati vestri aut militum manibus, aut hostium ceciderint.* Salinerius. *Imperatores* non hic accipiam ipsos Principes, sed qui principibus proximi, eorumque è sanguine honoris causa *Imperatores*, hoc est, summi exercituum duces appellabantur, ut Drusus olim, ut nunc Germanicus, qui & *Imperator* appellatur infra 1, 37, & 41, & 34. & ab ipso Tiberio 1, 62. Tales Imperatores sub Augusto fuerunt, de quibus mentio. 1, 3. *Tiberium Neronem & Claudium Drusum privignos imperatoriis nominibus auxit.* Quem honorem Tiberius Blæso postremum tribuit. noster 3, 47. *Freinshemius.*

4 *Vecordia constantiam exemerat*] Muretus *exuerat.* Non assentior. *Acidalius.*

5 *Verberibus mulctant*] Malim, *mulcant*, in hac signi-

cant, [1] sexageni singulos, ut numerum centurionum adæquarent. Tum convulsos laniatosque, & partim exanimos, ante vallum, aut in amnem Rhenum projiciunt. Septimius cum perfugisset ad tribunal, pedibusque Cæcinæ advolveretur, eo usque flagitatus est, donec ad exitium dederetur. Cassius Chærea, mox cæde C. Cæsaris memoriam apud posteros adeptus, [2] tum adolescens, & animi ferox, inter obstantes & armatos ferro viam patefecit. Non tribunus ultra, non castrorum præfectus jus obtinuit: vigilias, stationes, & si qua alia præsens usus indixerat, ipsi partiebantur. [3] Id militares animos altius conjectantibus præcipuum indicium magni atque implacabilis motus, quod [4] neque disjecti, nil paucorum instinctu, sed pariter ardescerent, pariter silerent; tanta æqualitate & constantia, ut regi crederes. Inter- 33
ea

significatione, Cicero pro Milone: *Qua in turba C. Vivienus senator ita est mulcatus, ut vitam amiserit.* Livius l. XXIX. *In legatum, lictoribus prius indignum in modum mulcatis, impetum faciunt.* Idem lib. VIII. *Sperare se, corpore regio utcumque mulcato se suos redempturam.* & alibi, *Mulcare virgis.* Quibus locis omnibus, *Multare*, non æque placet. *Lipsius.*

Prostratos verberibus mulcant] Hoc etiam ex ingenio Lipsius, & ego auctoritate Manuscripti confirmo. Hic notandus mos prosternendi verberibus afficiendos. Suet. in Tib. cap. LX. *stratum humi pene ad necem verberavit.* Pichena. Ideo dicebantur *subjici fustibus* L. ult. De injuriis & l. 28. De Pœnis. Quæ pœna est pervetus. Nam Deuter. 25. *Eum qui peccavit, si dignum viderint plagis, prosternent, & coram se facient verberari.* Aurelius.

1 *Sexageni singulos*] In legione plena, sexaginta centuriones. Dionysius Halicarnasseus, libro IX. & Vegetius: ego plene in Militia. *Lipsius.*

Sexageni singulos] Notat hic Lipsius, in plena legione fuisse sexaginta centuriones. Idem in opere, quod de militia Romana elegantissime scripsit, lib. II. dial. V. & VIII. hoc distinctius explicavit. Triginta in qualibet legione *manipuli*, qui ex centum & viginti militibus constabant. Dividebatur manipulus in duas partes, quas *ordines* vocabant. cuilibet *ordini*, id est sexaginta militibus, unus præerat centurio. *Pichena.*

2 *Tum adolescens & animi ferox*] *Adolescentem* hoc loco pro homine triginta annis propiore poni, tum vocis hujus usus patitur; tum vero res ipsa prope cogit. Nam centurionem, & quidem servum fuisse, ex historia colligitur: quod utrumque vix cadit in tantillam ætatem, qualem quædam versiones tribuere videntur huic homini. Deinde Suetonius Calig. 56. de hoc Chærea sic scribit: *quem seniorem jam denotare omni probro consuerat Cajus.* At Caji cædes sexto atque vicesimo post hanc seditionem anno patrata est; neque dubitandum, quin diu antea probris illis exagitarit hominem: atque ita jam aliquot ante ejus necem annos *senior* fuerit habitus hic Chærea. h. e. Si ex constitutione Servii regis (apud Agell. 10, 28.) accipias, 46. annis major; quod si ex communi loquendi usu, multo etiam provectior. *Freinshemius.*

3 *Id militares animos*] Quæ impetu fiunt, durare non solent: quæ cunctabunde ac composite, diuturniora sunt. sic flamma quæ subito excrevit, subito extinguitur. Siccas febres medici maxime metuunt, non quæ subito vehementissimæ sunt, vagæque & incertæ modo citius, modo serius ægrotum adoriuntur: sed eas, quæ quamvis remissiores, constanter, & statis vicibus quasi ad vadimonium occurrunt. Sic qui iram vultu, oculis, verbis, manibus produnt; nihil ab eis magnopere metuas: scias facile desituros. illi magis metuendi, qui etiam in media ira lenti sunt, qui nihil incomposite, nihil inordinate faciunt, qui ita se gerunt, ut, quod fieri posse negat Terentius, *cum ratione insanire* videantur. *Muretus.*

4 *Nil paucorum instinctu*] Rhenano placet, *vel paucorum.* nec sperno. *Lipsius.*

Neque disjecti, nil paucorum instinctu] Correxit Rhenanus *vel paucorum* omnibus comprobantibus. *Pichena.* Legam, *nec paucorum instinctu.* Nam & vox *neque* talem sibi reddi postulat, & sensus exigit. Duo enim distincte notat in illa Germanicarum legionum seditione, quod neque sparsim movebantur, neque ita ut a paucis esset motus initium, quos cæteri velut contactu sequerentur: sed corpus unum facerent, & in eo corpore non unus alii, sed sibi quisque turbandi auctor esset. Illa causa validam faciebat seditionem, hæc durabilem. *Grotius.* Hoc quidem palam est non respondere inter se τὰ *neque* & *nil*; nihiloque magis τὰ *neque* & *vel.* Sed qua in voce mendum sedeat, videndum. Nihil illos offendit τὸ *disjecti*, quod me maxime. Qui enim *disjecti?* Sparsi, inquit Aurelius. Et hæc quidem vis vocis: sed an Pannonii magis sparsi? immo mox è sparsis adunati. Tale autem quid dixisse Tacitus videtur, quod in Pannoniis fuisset, & tumultum eorum minus metuendum reddidisset. Quemadmodum *paucorum instinctu:* eo enim Percennius & Vibulenus significantur. Quid moror? Taciti manus fuit: *quod nusquam distracti, nil paucorum instinctu.* hoc est, nullo loco, nulla in re discordes. Balbus ad Ciceronem lib. 8. ad Atticum: *ut Cæsarem & Pompejum perfidia hominum distractos rursus in pristinam concordiam reducas.* Noster lib. 4.
si ma-

ea Germanico per Gallias, ut diximus, [1] *census accipienti*, *excessisse Augustum* adfertur. Neptem ejus Agrippinam in matrimonio, pluresque ex ea liberos habebat. Ipse Druso fratre Tiberii genitus, Augustæ nepos: sed anxius occultis in se patrui aviæque odiis, quorum [2] caussæ acriores, quia iniquæ. quippe Drusi magna apud populum Romanum memoria, [3] credebaturque si rerum potitus foret, libertatem redditurus. unde in Germanicum favor, & spes eadem. Nam juveni civile ingenium, mira comitas, & diversa à Tiberii sermone, vultu, adrogantibus & obscuris. Accedebant muliebres offensiones, novercalibus Liviæ in Agrippinam stimulis: atque ipsa Agrippina paulo commotior, nisi quod castitate, & mariti amore, quamvis in-
34 domitum animum in bonum vertebat. Sed Germanicus quanto summæ spei propior, tanto impensius pro Tiberio niti. Sequanos proximos, & Belgarum civitates in verba ejus adigit. Dehinc audito legionum tumultu raptim profectus, obvias extra castra habuit, dejectis in terram oculis velut pœnitentia. Postquam vallum iniit, dissoni questus audiri cœpere. & quidam prensa manu ejus [4] per speciem osculandi, inseruerunt digitos, ut vacua dentibus ora contingeret: alii curvata senio membra ostendebant. Adsistentem concionem, quia permixta videbatur, *discedere in manipulos* jubet, *sic melius audituros responsum*: *vexilla præferri*, [5] *ut id saltem discerneret cohortes.*

si matrimonium Liviæ velut in partes domum Cæsarum distraxisset. Varro apud Nonium: *Distractione civium elanguescit bonum proprium civitatis, atque ægrotare incipit & consenescere.* Atque hinc Germaniciani formidabiliores. nam Pannonii subinde distracti: ut cum *depulsi æmulatione* cap. 18. cum *ferrum inter se parabant ob centurionem cognomento Sirpicum*, cap. 23. *Gronovius.* *Neque disjecti* possunt esse *& non disjecti*, per minora scil. corpora vel numeros separati, quod contigit in Pannonia, ut temere Grotius malum augens requisiverit talem vocem reddi. Sic cap. 35. *Neque inopem senectam orabant*, hoc est, & non inopem vel sufficientem alendo. cap. 50. *Læti neque procul Germani agitabant.* Et in aliis similem usum monstraverunt observationes paternæ. *Jac. Gronovius.*

1 *Census accipienti*] Ea forma sermonis Jurisconsulto dicta *legatio ad census accipiendos*. c. I. D. De muneribus & honoribus. *Lipsius.*

2 *Quia iniquæ*] A virtutibus ejus ortæ. Invidebant, & erectum ingenium timebant. *Idem.*

Caussæ acriores, quia iniquæ] Nam quidquid æquum ac justum est, certis finibus circumscriptum: neque eos egreditur. At injustum & iniquum, nullis certis terminis continetur. Tum nemo vult se injustum atque iniquum videri. Itaque, quanto quisque iniquius alterum odit, tanto majore studio conatur efficere, ut eum juste odisse videatur: alioqui enim injustum se, & iniquum esse fateatur necesse est. Ea res odium intendit. Præterea, qui justam odii causam habet, si odium aut deponat, aut remittat, lenitatis ac clementiæ laudem ex eo se adepturum videt. Intelligit etiam eum, quem aut odisse desinit, aut mitius ac moderatius odisse incipit, sibi eo nomine devinctum atque obstrictum fore. Nemo autem est, quin sibi, cum potest, libenter alios obliget. Eis enim quisque superior est, quos sibi obligatos & obnoxios habet. At, qui inique odit, si quid remittat ex odio, non ullam sibi laudem ex eo parit: sed potius ipsemet iniquum, & injustum fuisse se confitetur. Neque sibi propterea obligat, eum, cui jam minus iniquus est: sed ipse ponus prioris illius odii ultro petere ab eo veniam debet. Atque hæc cum in omni hominum genere vera sunt, tum in Principibus verissima. Nunquam enim videri volunt errasse se. Itaque quos semel injuste odisse cœperunt, urgent ad extremum, ne principio injustum in eos odium suscepisse videantur. Qua de re dicam quiddam admirabile, sed longo usu, & multis exemplis confirmatum. Facilus impetrant veniam à multis principibus, & facilius cum eis in gratiam redeunt, qui jure eorum iram in se provocarunt, quam si quos ipsi principes sine ulla justa causa odisse cœperunt. Nam si illis ignoscant, vident se mansuetos, ac misericordes visum iri. Hos si omittant, verentur ne hoc ipso præteriti temporis injustitiam & iniquitatem agnoscere videantur. *Muretus.*

3 *Credebaturque, si rerum*] Imo prodita à Tiberio ejus epistola est, qua de cogendo ad restituendam libertatem Augusto agebat. Quæ una causa necis pio in patriam juveni, sed infelici. Sueton. Tiberio, cap. 1. *Lipsius.*

4 *Per speciem osculandi*] Clare in unico MS. vidi *exosculandi*. Nec aliter publicavit Beroaldus. Unde igitur illud simplex? an non 1 hist. 45. *Exosculari Othonis manum?* Immo mox etiam ibi legebatur *nudant universa corpora*, non *universi*. An enallage generis tolerari nequit? *Jac. Gronovius.*

5 *Ut id saltem discerneret cohortes*] An, ut per id saltem Germanicus cohortes discerneret? Haud absimile illud Terentii in fine Adelphi: *ut id ostenderem*,

cohortes. tarde obtemperavere. Tunc [1] *à veneratione Augusti* orsus, flexit ad *victorias triumphosque Tiberii*, præcipuis laudibus celebrans, *quæ apud Germanias illis cum legionibus pulcherrima fecisset*. *Italiæ* inde *consensum*, *Galliarum fidem* extollit, *nil usquam turbidum aut discors*. Silentio hæc, vel murmure modico audita sunt. ut seditionem attigit, *ubi modestia militaris? ubi veteris disciplinæ decus? quonam tribunos? quo centuriones exegissent?* rogitans; nudant universi corpora, *cicatrices ex vulneribus*, *verberum notas* exprobrant: mox indiscretis vocibus [2] *pretia vacationum*, *angustias stipendii*, *duritiam operum*, ac propriis nominibus incusant, *vallum*, *fossas*; [3] *pabuli*, *materiæ*, *lignorum adgestus*, & si qua alia ex necessitate, aut [4] adversus otium castrorum quæruntur. Atrocissimus veteranorum clamor oriebatur; qui tricena aut supra stipendia numerantes, [5] *mederetur fessis*, *neu mortem in iisdem laboribus*, *sed finem tam exercitæ militiæ*, *neque inopem requiem* orabant. fuere etiam qui legatam à divo Augusto pecuniam reposcerent, [6] faustis in Germanicum ominibus; [7] & si vellet imperium,

rem, quod te isti facilem, & festivum putant, id non fieri ex vera vita. Ego sic malim: ut ea vexillorum prælatio saltem discerneret cohortes. *Pichena*.

1 *A veneratione Augusti orsus*] Ita capio hæc verba, ut Germanicus initio orationis oculos conjecerit in imaginem Augusti signis affixam, quam sit veneratus genu flexo, & manu ori admota, mox orsus sit proloqui. *Aurelius*. Sic possunt accipere, qui nesciunt, quid Tacito & aliis sit *veneratio*: & certe id non omnes sciunt. Usurpant autem eam vocem pro ea, quam noluerunt dicere *venerabilitatem*: ut *veneratio Augusti* non sit actio aliorum circa eum, sed ipsi insita dignitas vel majestas. Sic lib. 12. *Qui mos sacerdotibus & sacris antiquitus concessus, augebat venerationem fœminæ*. De Agrippina loquitur. Seneca ad Polybium cap. 21. *Qui munere fortunæ tantam venerationem receperat, ut felicitas ejus effugeret invidiam*. Justinus de cohorte Alexandri lib. 13. *Ejus virtutis ac venerationis erant, ut singulos reges putares*. Ergo *à veneratione Augusti orsus*, est, orsus dicere de magnitudine ac majestate illius Principis. *Gronovius*.

2 *Pretia vacationum*] *Vacationes* capiendæ sunt munerum, quæ haud multum servilibus ministeriis distantia facere cogebantur manipulares. Exacte de his Saviles ad hist. 1, 46. *Freinshemius*.

3 *Pabuli, materiæ, lignorum adgestus*] Monet me illustris Heinsius dubitandum vix esse, glossam è margine textui insertam. Vox enim *lignorum* vocis *materiæ* interpretatio. *Materiæ aggestus* est aggestus lignorum: ligna enim etiam *materia*. Eruditissimum Glossarium: *Materia*, ξυλεία. *Boxhornius*.

4 *Adversus otium castrorum*] *Castra* hic indigitat longioris moræ, æstiva videlicet aut hiberna: hic enim otio locus est; non in expeditionibus aut frequenti mutatione castrorum. Ita Corbulo 11, 20. in castra consueta reducere exercitum jussus, *ut miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque fossam produxit*. Sic 13, 53. *Ne segnem militem attinerent*, Pompejus Vetusque nonnulla opera moliti leguntur. *Freinshemius*. Seneca ep. 18. *Miles in media pace decurrit sine ullo hoste, vallum jacit, & supervacuo labore lassatus, ut sufficere necessariis possit*. Livius lib. 39. *Et quia à bello quieta ut esset provincia, effecerat, ne in otio militem haberet, viam à Bononia perduxit Arretium*. Vopiscus Probo. *Per milites, quos otiosos esse nunquam est passus. Exstant apud Ægyptum ejus opera, quæ per militem struxit in plurimis civitatibus*. Hæc *opere, imperio, labore, manu militari* facta dicebant. Suetonius Aug. 18. *Fossas omnes, in quas Nilus exæstuat, oblimatas longa vetustate, militari opere detersit*. Plinius 11, 29. *Necare & in Syria* locustas *militari imperio cogunt*. Quintilianus 2. Inst. 13. *Stratum militari labore iter*. Servius ad 8. Æneid. vers. 652. de Gallis urbem tenentibus: *adeo ut quæ incendere non poterant, militari manu diruerent*, usus in hostium opere verbo Romano. *Gronovius*.

5 *Mederetur fessis*] Similia Juliani milites, in seditione apud Lucanum:

- - - jam respice canos,
Invalidasque manus, & manes cerne lacertos.
Usus abit vitæ. bellis consumpsimus ævum:
Ad mortem dimitte senes.

Lipsius.

6 *Faustis in Germanicum ominibus*] An vero, *nominibus?* Sic quidem Suetonius de Caligula: *Densissimo & latissimo obviorum agmine incessit, super fausta nomina, sidus & pullum & pupum appellantium*. Fausta nomina sunt, Di te servent Auguste, Imperator, Princeps, Felix, Victor, aliaque ab adulatione vulgi nata. Dio quidem ab hac lectione est: Τόν τε Τιβέριον, inquit, ἐπανηγόρευσαν, καὶ τὸν Γερμανικὸν αὐτοκράτορα ἐπεκάλεσαν. *Idem*.

Faustis in Germanicum ominibus] *Omina* hoc loco sunt acclamationes propria significatione. *Omen* enim dictum quasi *Osmen* aut *Oremen*, quod ore & verbis fiat. Sic infra 5, 4. *Festis in Cæsarem ominibus*. Plinius 28, 2. *Primum anni incipientis diem lætis precationibus invicem faustum ominamur*. Alter Plinius. *Optamus tibi & ominamur proximum in annum consulatum*. Ita hìc milites Germanico imperium. Sic legerim infra hist. 2, 74. *Fausta Vitellio omina precantum*.

um, [1] promptas ostentavere. Tum vero quasi scelere contaminaretur, præceps tribunali desiluit. opposuerunt abeunti arma, minitantes ni regrederetur. At ille *moriturum potius quam fidem exueret* clamitans, [2] ferrum à latere deripuit, elatumque deferebat in pectus, ni proximi prensam [3] dextram vi attinuissent. extrema & conglobata inter se pars concionis, ac vix credibile dictu, [4] quidam singuli propius incedentes, *feriret*, hortabantur; & miles nomine Calusidius, strictum obtulit gladium, addito, *Acutiorem esse*. Sævum id, malique moris, etiam furentibus visum; ac spa-

36 tium fuit, quo Cæsar ab amicis in tabernaculum raperetur. Consultatum ibi de remedio. etenim nuntiabatur *parari legatos, qui superiorem exercitum ad caussam eandem traherent: destinatum excidio Ubiorum oppidum:* [5] *imbutasque præda manus, in direptionem Galliarum erupturas.* Augebat metum gnarus Romanæ seditionis, & si omitteretur ripa, invasurus hostis: ac si auxilia & socii adversum abscedentis legiones armarentur, civile bellum suscipi: periculosa severitas; flagitiosa largitio: [6] seu nihil militi, seu omnia concederentur, [7] in ancipiti respublica. Igitur volutatis inter se rationibus, placitum

tem. Et forte hist. 2, 80. *Læta omina excepit.* Et hist. 4, 49. *Læta Pisoni omina.* Freinshemius. Ovidius lib. 12. Metam.

- - - *felicem diximus illa*
Conjuge Peirithoum, quod pæne fefellimus omen.

Et alibi, *& reddidit omina votis*, de salutantibus inter se. Nec aliter Suetonius in Caligula, *super fausta omina*, non *nomina*. Gronovius.

7 *Et, si vellet imperium.*] Id Vellejus ita exprimit: *Defuitque qui contra remp. duceret, non qui ducerentur.* Nec alio fine legata petunt: tamquam illum scilicet habeant pro herede. *Lipsius.*

1 *Promptas ostentavere*] Scilicet legiones. Nemini quicquam debeam, si hoc præponam τῷ *promptus*, quod hic invectum est. Nam eadem Cornelius usurpat, quæ alibi summus scriptorum ejusque delicium Thucydides lib. 5. Ὅσας δὲ πόλεις παρέδοσαν Λακεδαιμόνιοι Ἀθηναίοις, ἐξεῖναι ἀπιέναι, ὅποι ἂν βούλωνται, αὐτοὺς καὶ τὰ ἑαυτῶν ἔχοντας. Horatius: *Eamus omnis exsecrata civitas.* Noster lib. 4. *Inerat modica militum manus tutela templi freti.* Et, *immensamque vim mortalium spectaculo intentos.* Salinerius. Suavius forsan, *promptas ostentare se.* Rescripsi præterea *promptas*, sed auctoritate codicis Medicæi, ut subaudiatur *legiones:* innuerintque isti, non se solum paratos agnoscere Imperatorem Germanicum, sed etiam legiones omnes, quarum ipsi tanquam internuntii. Videntur autem istud omne, non tam voce ostentasse quam gestu. *Gruterus.* MS. *promptas* Ego nihil mutavi: seipsos enim promptos ostentant. *Pichena.* Sed quis hic mutat? nonne qui deserit fidem veteris scripturæ? Id facis Pichena, edens *promptos.* Hæc mutatio temere invecta. Respiciuntur enim *Germanica legiones*, unde hæc narratio incepit cap. 31. *Jac. Gronovius.*

2 *Ferrum à latere*] Recte *à latere.* Nam mos priscus gladium ex humero suspendere, & demittere ad latus. Homer. Iliad. 6.

Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον.
Circum humeros jecit clavis gladium argentatis.

Odyss. 6.

- - - Περὶ δὲ ξίφος ὀξὺ θέτ' ὤμῳ.
- - - *Gladium circumdedit armo.*

Virgilius.

Tum lateri atque humeris Tegeæum subligat ensem.

Idem.

- - - *atque ensem collo suspendit eburnum.*

Nec id Heroum modo sæculo, sed obtinuit postea. atque adeo apud Romanos. Claudian.

Gestatosque patri scapulis radiantibus enses.

Et Germanos. Windichindus: *Subnixi stabant* (Saxones) *parvis scutis, habentes ad renes cultellos magnos.* Ad renes enim (ut ejusmodi scriptorum Atticismus est) valet Ad latera. *Lipsius.*

3 *Dextram vi attinuissent*] Sallustius 3. histor. *Oppius postquam orans nil proficiebat, timide veste tectum pugionem expedire conatus à Cotta Vulsejoque impeditur.* Statius libro Theb. *exuerat vagina turbidus ensem, Aptabatque neci; comites tenuere.* Aurelius.

4 *Quidam singuli propius incedentes*] Muretus *accedentes.* Melius ad sententiam. *Acidalius.* At sic quoque auctor. Infra cap. 61. *Incedunt mæstos locos, visuque ac memoria deformes.* Immo & Cicero lib. 2. de inventione: *Facilius autem ad inventionem animus incedet, si gesti negotii & suam & adversarii narrationem sæpe & diligenter pertractabit.* Gronovius.

5 *Imbutasque præda manus*] *Imbutæ* hic sunt condocefactæ & quasi initiatæ. Sic lib. 3. histor. *ut civili præda miles imbueretur.* i. e. ut sensim paullatimque assuesceret atque erudiretur. *Freinshemius.*

6 *Seu nihil militi, seu omnia concederentur*] Id denique conflatum est ex eo, quod publicavit Beroaldus *seu nihil militi seu omnia concedentur.* Quis credat, quum plane nullus aliquam adfigat notam? In ipso MS. exstat *seu nihil militi sibi omnia.* Apparet varietatem placuisse Tacito, ut scripserit *seu nihil militi, sive omnia conced.* Sic cap. 62. *Seu cuncta Germanicis in deterius trahenti, sive exercitum.* &c. *Jac. Gronovius.*

7 *In ancipiti republica*] Lego *respublica*, nominandi

placitum ut epiſtolæ nomine principis ſcriberentur: *miſſionem dari vicena ſtipendia meritis, exauctorari qui ſenadena feciſſent, ac retineri ſub vexillo, ceterorum immunes, niſi propulſandi hoſtis:* [1] *legata quæ petiverant exſolvi duplicarique.* Senſit miles in tempus 37
confiƈta, ſtatimque flagitavit. miſſio per tribunos maturatur: largitio differebatur [2] in hiberna cujuſque. [3] Non abſceſſere quintani unetviceſimanique, donec iiſdem in æſtivis contracta ex viatico amicorum ipſiuſque Cæſaris pecunia perſolveretur. Primam ac viceſimam legiones Cæcina legatus in civitatem Ubiorum reduxit, turpi agmine, [4] cum fiſci de imperatore rapti inter ſigna interque aquilas veherentur. Ger-

manicus

di caſu, ut præceſſerunt *ſeveritas, largitio.* Notavit & Muretus. Sic lib. 4. *invitas leges, rempublicam in ancipiti conqueſtos.* Acidalius. Corrupte olim. Recte MS. *reſpublica.* Pichena. Quia ſic in unico libro eſt, concedo. Alioqui facile, quod habebant editi, tueare; nam quemadmodum *in ancipiti reſpublica* dicitur intellecto verbo *erat*, ſic *in ancipiti republica* juxta belle dicitur intellecto ejuſdem verbi participio, *futurâ.* Gronovius.

1 *Legata quæ petiverant*] Recte ergo in Suetonii Tiberio ſcriptum: *Militi poſt duplicata ex Auguſti teſtamento legata, nihil umquam largitus eſt.* ubi male Beroaldus *publicata.* Lipſius.

2 *In hiberna cujuſquam non abſceſſere*] Malebam: *in hiberna uſquam:* ſed Joſiæ Merceri, amici olim noſtri, veriſſima lectio & diſtinctio: *Largitio differebatur in hiberna cujuſque.* Nam in caſtris æſtivis junctim legiones habebantur, in hibernis ſingulæ ſeorſim. Volebant ergo differri, & interim divelli: ſed miles fraudem ſuſpicatus abnuit. *Idem.*

In hiberna cuiuſquam] Vitium hujus lectionis animadverſum viris doctis. Medicinam tentavere, quæ facillima fuit, obſervato more militiæ. Æſtiva caſtra plures legiones habuerunt intra idem vallum paratas hoſti: ubi hiems ingruebat, abibant in hiberna, quæ ſæpius intra urbes aut proxime eas: & abibant diſcretæ ac ſeparatæ legiones, ut ſæpius tot civitates hibernis tenerent, quot legiones eſſent; aut ſi quando duæ tenerentur iiſdem hibernis, caſtra tamen ſeparatim metarentur. Exempla ubique apud Cæſarem, Tacitum, alios; Et noſtra militia idem tenet, quæ ſingulas catervas hibernatum mittit præſidio ſingulis civitatibus. In exercitu Pannonico ſupra cap. 30. ubi vides iiſdem æſtivis attentas ſimul tres legiones; ſeparatas, quum itum in hiberna. Itaque nonani illi manendum ſimul in æſtivis clamabant, dum pollicitorum fides appareret, ne ſeparati ſpernerentur. Idem prorſus, in hoc exercitu Germanico fuit. Quatuor legiones in iiſdem æſtivis erant; prima, quinta, viceſima, & unetviceſima. Earum ſeditionem periculoſiſſimam ſummæ rerum veritus Germanicus, literas Tiberii fingit, quis promiſſa miſſio & pecunia: ſpe fore ut pollicitis deiiniti placarentur, quæ deinde ſeparatis in hiberna repræſentarentur, uti è re & commodo reip. viſum eſſet. Senſit miles & promiſſorum fidem præſentem flagitavit. Itaque miſſioni ſtatim intentum, pecunia rurſus dilata, donec in hiberna diſcretis legionibus ſolveretur. Itaque leviſſima mutatione ſcribendum: *Largitio differebatur in hiberna cujuſque. Non abſceſſere Quintani.* Rurſus ut in illo ſuperiori loco: *Et ſoluti piaculo ſuis quiſque hibernis redderentur.* Nam mox vides Quintam & Unetviceſimam legiones hiemare in Veteribus; Primam & Viceſimam apud Aram Ubiorum, & ibi diſcreta primæ legionis caſtra. *Mercerus.* Vitium ex ingenio vidit correxitque Mercerus. Ego manuſcripti fide confirmo. *Pichena.*

3 *Non abſceſſere quintani unetviceſimanique*] Ergo reliqui abſceſſere, prius quam iis in caſtris pecunia ipſis perſolveretur? Neceſſario videtur ſequi ex hac lectione; ſed nihil tale Tacitus: immo diſerte contrarium mox; *fiſci de Imperatore rapti.* infra 1, 42. *non miſſione, non pecunia ſatiatos.* Quod dicam, non habeo, niſi forte placet legendum: *Non abſceſſere, donec* &c. ut de omnibus iſtis legionibus intelligatur: quæ certe omnes in pari cauſa. Sed quia ſubjicitur primam & viceſimam legiones in hiberna reductas fuiſſe, aliquis forte putavit illud, *Non abſceſſere*, de quinta & unetviceſima tantum legione dici. Sed conſiderandum erat eam primanorum viceſimanorumque reductionem factam fuiſſe perſoluta jam pecunia. Ergo hic videtur fuiſſe auctoris ſenſus. Largitio differebatur in hiberna: legiones præſentem exigebant, ea accepta redierunt in hiberna. Prima & viceſima in Ubios; reliquæ duæ ad Vetera: quarum mentionem diſtulit, donec alterarum ſeditionem plene enarraſſet; deinde horum etiam tumultum pœnamque exſequutus eſt infra c. XLIV. *Freinshemius.* Sic interpretor immotam priſcam lectionem. Cum acquieſſent primani & viceſimani, tardum fuit quintanis unetviceſimaniſque exſpectare, donec in hiberna veniretur: ideoque occlamitaverunt minitabundi, non ſe veſtigium moturos, non in officio futuros, niſi & nummi repræſentarentur: nec deſtiterunt tumultuari, donec concederet Germanicus. Hoc cum extorſiſſent duæ legiones improbæ, ſi non neceſſario, at prudenter placuit, ut modeſtioribus & moram paſſis ultro par honor haberetur; ne illi videntes contumaciam furoris ſociis profuiſſe, rurſus exaſperarentur, & male obrutum incendium reſurgeret. *Gronovius.*

4 *Cum fiſci de Imperatore*] Tangit non dubie morem priſcum, quo pecunias ſolitum deponere ad ſigna. ii enim militares dii, id templum. Vege-

manicus superiorem ad exercitum profectus, secundam & tertiamdecumam & sextam-
decumam [1] legiones nihil cunctatas sacramento adigit. Quartadecumani paulum du-
38 bitaverant, pecunia & missio, quamvis non flagitantibus oblata est. At in Chaucis
cœptavere seditionem [2] præsidium agitantes vexillarii discordium legionum, præsenti
duorum militum supplicio paulum repressi sunt. Jusserat id Mennius castrorum præ-
fectus, [3] bono magis exemplo, quam concesso jure. deinde intumescente motu pro-
fugus

tius lib. II. cap. XX. Suet. Domit. cap. VII. *Lipsius.*

Fisci de imperatore rapti, inter signa] Sacci, qui pecuniam imperatoris continerent, ab illo per milites rapti: & inter signa militaria traducti sunt, ubi privata militum pecunia ex dimidia donativi, decem saccis adservabatur, ex more veteri, de quo Vegetius lib. II. cap. XX. Eo pertinet edictum Domitiani vetans, *plusquam mille nummos à quoquam ad signa deponi*, teste Suetonio. Quare miles quidam ita legavit, *Dari volo à Julio actore aureos tot: & in castris quos habeo tot*, ut est apud Julianum. lib. XCVI. D. de legatis I. Indeque dictum *peculium castrense.* Vertranius.

1 *Legiones nihil contatus*] Imo, *contatas.* uti ad legiones ipsas referas. *Lipsius.*

Legiones nihil cunctatas] Sic optime Man. Male prius, *cunctatus*, quod antea ex ingenio animadverterat sagacissimus Lipsius. *Pichena.*

2 *Præsidium agitantes vexillarii discordium legionum*] Frequens auctori nostro *vexillariorum* mentio. at quod militum genus esset, haud satis liquet. Lipsius de militia Romana lib. I. dial. 8. & lib. 5. dial. 19. fuisse tradit, exauctoratos milites, & nondum plene missos, qui dum præmia & agros expectant, velut veterani, & evocati quidam, à legionibus discreti, ad vexillum retinebantur, ideoque *vexillarii* dicti: ac de his capienda esse verba Taciti de exauctoratis, paullo supra: *missionem dari vicena stipendia meritis, exauctorari qui sena dena fecissent, ac retineri sub vexillo, ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis.* Ipsum & alii sequuntur. Tamen multa sunt, quæ me dissentire cogunt. Numquam enim eos Tacitus *veteranos* appellavit, aut aliquid dixit, unde id suspicari possis. Immo contrarium arguitur lib. 2. histor. *nec tres prætorias cohortes, & mille vexillarios, cum paucis equitibus, veterano exercitui objicere.* & inferius: *quippe Bedriacensi acie, vexillariis tantum pulsis, vires legionis non affuisse.* Secundo, cum aliquando maximus *vexillariorum* numerus esset in exercitibus, sicuti eodem lib. secundo histor. Muciano tribuuntur *tredecim vexillariorum millia*; si veterani omnes, quæ vires illis resistere potuissent? Ac tot simul sub vexillo retenti, dum agros & præmia expectarent; quas turbas ac seditiones suscitavissent, ea efflagitando, corruptissima præsertim disciplina? cum de legionariis ipsis, qui nondum veterani, id sæpius audiatur. Tertio, quod hic Tacitus loquitur de agitantibus præsidium in Chaucis, verisimile est, eos aliquandiu ibi mansisse, at missio & exauctoratio à Germanico paulo antea, ac forsan illis ipsis diebus, data fuit, ut supra patet: ergo *vexillarii* isti ex eodem numero exauctoratorum esse non poterant. Quarto, exauctorati tunc apud aram Ubiorum sub vexillo hiemabant, ut paulo infra Tacitus ait: ergo non iidem qui in Chaucis. Quinto & ultimo, veterani ab sexdecim annis, ceterorum erant immunes, nisi propulsandi hostis: ergo & præsidii agitandi, & tamen id præcipue muneris ab illis curabatur. Censeo igitur, eos fuisse partem legionariorum militum, qui à sua legione abessent: ac *vexillarios* appellatos, quia ab Aquilis legionum separati, sub vexillis propriis militarent. Observabis enim, eos plerumque alicujus *legionis vexillarios* dici, & tamen eam ipsam legionem non esse inter præsentes. Firmatur hæc opinio lib. 2. histor. *Præcipua quartadecimanorum ferocia, qui se victos abnuebant: quippe Bedriacensi acie, vexillariis tantum pulsis, vires legionis non affuisse.* At superius eodem lib. dixit, è Dalmatia præmissa Othoni bina millia militum è quatuor legionibus, quarum præcipua Quartadecima: ergo inter præmissos illi, quos postea, suos *vexillarios*, legio vocat. Clarius eodem lib. in ipsa pugna: *circumventi plurium accursu Quartadecimani.* nempe iidem, quos deinde dixit *vexillarios pulsos.* nam legio ipsa prælio non adfuit, ut patet. juvat etiam locus Annal. lib. 14. *Jam Suetonio quartadecima legio, cum vexillariis vicesimariis, & è proximis auxiliares, decem ferme millia armatorum erant.* Paulo post, dum eosdem in aciem componit, ait. *Legionarius frequens ordinibus, levi circum armatura conglobatus, pro cornibus eques astitit.* ubi *legionariorum* appellatione videtur simul comprehendere quartamdecimam legionem, ac *vexillarios* vicesimæ. nam pro levi armatura capiendi sunt *auxiliares*, ut docet Lipsius de militia Romana. lib 2. dial. 2. Item *vexillarios*, non fuisse equites, alibi Tacitus probat, qui separatim, *vexillarios*, & *equites* appellat. Aliquando Tacitus pro *Vexillariis*, dicere solet, *vexillum.* Annal. lib. XV. *vexilla delectorum ex Illyrico & Ægypto.* histor. lib. 2. *Tertiadecimæ legionis vexillum.* lib. III. *Cum vexillis nonæ, secundæque & vicesimæ Britannicarum legionum.* Nam de his ipsis in fine lib. 2. dixit, *cum vexillariis trium Britannicarum legionum.* Habemus etiam *vexillarios cohortium.* histor. lib. III. *Antonio vexillarios è cohortibus, & partem equitum, ad invadendam Italiam rapienti.* quos eadem ratione interpretor milites à cohortibus suis, nempe auxiliariis, separatos. *Pichena.*

3 *Bono magis exemplo, quam concesso jure*] Soli

enim.

fugus repertusque, postquam intutæ latebræ, præsidium ab audacia mutuatur: *Non præfectum ab iis, sed Germanicum ducem, sed Tiberium imperatorem violari.* simul exterritis qui obstiterant, raptum vexillum ad ripam vertit, & *si quis agmine decessisset, pro desertore fore* clamitans, reduxit in hiberna turbidos, & nihil ausos. Interea [1] le- 39
gati ab senatu, regressum jam apud aram Ubiorum Germanicum adeunt. Duæ ibi legiones prima atque vicesima, veteranique nuper missi sub vexillo hiemabant. Pavidos & conscientia vecordes intrat metus, venisse patrum jussu, qui irrita facerent, quæ per seditionem expresserant. utque mos vulgo, quamvis falsis reum subdere, Munatium Plancum [2] consulatu functum, principem legationis, auctorem senatusconsulti incusant: & nocte concubia vexillum in domo Germanici situm flagitare occi-

piunt:

enim illi jus plectendi militis, qui exercitus rector. Et Augusti quidem instituto (quod apud Dionem libro LIII.) solis Proprætoribus sive legatis Augusti, quos gladio succinxerat, id jus fuit: postea etiam proconsulibus: universisque provinciarum rectoribus, ex lege VI. de off. præsid. Saltem ut punirent milites gregarios. leg. IX. de custod. reorum: *Qui exercitum accipit, jus animadvertendi in milites caligatos habet.* Lipsius.

Bono magis exemplo, quam concesso jure] Digna quidem, unde postea exemplum caperetur, sed potestatem præfecti egressa sententia. Sic est. Ipsum factum in exemplum ire potuit, quo deinceps alii simili in necessitate uterentur: quanquam non eo consilio fecerit iste. sicut in his Livii 34. 2. *Utrum pejor ipsa res, an pejore exemplo agatur.* Freinshemius. Ego accipio: magis opportune atque utiliter, quam legitime & ex disciplina. Nam imitationem si cogites, *exemplum malum* erat, præsertim militiæ, gladio quemquam uti, cui jus utendi non est, vel in usum publicum. Unde illud Galbæ: *commilito quis jussit.* Et inde ausus L. Otho imperatoris pater *milites quosdam, quod motu Camilli ex pœnitentia præpositos suos, quasi defectionis adversus Claudium auctores, occiderant, capite punire, & quidem ante principia se coram, quamvis ob idipsum promotos in ampliorem gradum à Claudio sciret*, quo facto gloriam eum auxisse testis Suetonius. Eodem pertinet Velleji, cum Clodium à Milone jugulatum ait *exemplo inutili, sed facto salutari reipublicæ.* Hic respexit ad imitationem. At Tacitus *bono exemplo* non dixit pro re imitanda, sed simpliciter pro *bene*: quemadmodum Juvenalis, *Exemplo quodcumque malo committitur.* hoc est, male aut perperam. Bene autem factum interpretatur ob utilitatem præsentem. *Gronovius.*

1 *Ab Senatu egressi*] Sive placet, *digressi.* Vulgo est, *regressi*: sed falso, nequedum ulli missi. Intellegit legatos, vel qui à senatu decreti ad ferendum proconsulare imperium, de quibus supra: vel qui à Tiberio missi ad turbas sedandas, de quibus jam audierat. hoc Dio sentire videtur. Res sic videtur: sed ut aperte fabuler, *ab Senatu digressi* vel *egressi*, haud satis placet: magis lectio Florentini codicis, *legati ab Senatu, regressum jam.* ut à superiore exercitu regressum iterum ad Aram Ubiorum velit, ibique conventum. Ac plurimum fortasse ibi, aut Coloniæ Agrippinæ, agebat: quidni, vel in uxoris patrisque ejus gratiam? *Lipsius.*

Legati ab Senatu egressi jam apud Aram] Prisca omnis lectio, *Regressi.* quam falsam esse viderunt viri docti & mutaverunt. Sed ego sane malim, *legati ab senatu regressum jam apud Aram Ubiorum Germanicum adeunt.* Alioqui neque illud *jam*, quo referas, habeas, & *egressos ab Senatu* legatos metuo ut satis Latine dixeris. At *legati ab senatu*, eleganter, & Corneliano compendio. Regressus Germanicus, quia ab exercitu inferiori adscenderat ad superiorem, quem sacramento adigeret, à quo tum redux ad inferiorem illum, qui apud Ubios. *Mercerus.* Faernus legebat *regressum*, pro, *regressi*, & ad Germanicum referebat. De qua lectione mihi non liquet. *Ursinus.* Satis mirari non possum, tam multa præteriisse Beroaldum, aut si quis alius hos libros ex Medicæo manuscripto transtulit & evulgavit. Quid hac lectione clarius in eo incorrupta, *ab Senatu, regressum jam.* tamen interpolant: *interea legati ab Senatu egressi, jam apud aram Ubiorum Germanicum adeunt.* Acutior Mercerus nullo libri auxilio vitium & emendationem odoratus. *Pichena.*

2 *Consulatu functum*] Et quidem nuper. Consul enim fuit anno ante, cum C. Silio. Munatium illum esse, qui Censor fuit anno DCCXXXII. fuge credere. Non facile ætas fert; non Taciti verba. Dixisset enim potius à præcipuo honore, *Censura functum.* Filius, credo, ejus. *Lipsius.*

3 *Nocte concubia vexillum*] Quod vexillum? illudne sub quo veterani habebantur? non videtur. Non enim illi solum, sed duæ legiones in eadem culpa. quarum signa aquilæque in castris, non in tabernaculo ducis. Refer ergo ad aliud vexillum, & observa ritum antiquum. Signum futuræ pugnæ, vexillum purpureum fuit; quod adservabatur merito in tabernaculo ducis, quia illi soli jus & arbitrium proponendi. Hoc insignite & κατ' ἐξοχὴν, Vexillum dictum. Docte Glossæ veteres: Ῥάσιον φάρος, *vexillum.* At de more, Cæsar belli Gallici lib. II. *Cæsari omnia uno tempore erant agenda. vexillum proponendum, quod erat insigne cum ad ar-*

ma.

piunt: concursuque ad januam facto, moliuntur fores: extractum cubili Cæsarem tradere vexillum intento mortis metu subigunt. mox vagi per vias, obvios habuere legatos, audita consternatione ad Germanicum tendentes. ingerunt contumelias; cædem parant: Planco maxime, quem dignitas fuga impediverat. neque aliud periclitanti subsidium, [1] quam castra primæ legionis. illic signa & aquilam amplexus, religione sese tutabatur: ac ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, rarum etiam inter hostes, legatus populi Romani, Romanis in castris, sanguine suo [2] altaria deûm commaculavisset. Luce demum, postquam dux, & miles, & facta noscebantur, ingressus castra Germanicus, perduci ad se Plancum imperat, [3] recipitque in tribunal. Tum *fatalem* increpans *rabiem*, *neque militum*, [4] *sed deûm ira resurgere*, cur venerint legati aperit: *jus legationis, atque ipsius Planci gravem & immeritum casum, simul quantum dedecoris adierit legio*, facunde miseratur. attonitaque magis, quam quieta concione,

na concurri oporteret. De bello civili: *Sequenti die cum iter facere Cæsar vellet, renunciatum est à speculatoribus Pompejum de tertia vigilia in acie stetisse. Hoc nuncio allato, vexillum proposuit.* Plutarchus formam ejus satis describit in Fabio: Τὸ τῆς μάχης σημεῖον ἐξέθηκεν. Ἔστι δὲ χιτὼν κόκκινος ὑπὲρ τῆς στρατηγικῆς σκηνῆς διατεινόμενος: *Signum pugnæ proposuit. est autem tunica coccinea, super prætorium extensa.* Quod Plutarchus χιτῶνα dicit, Tunicam etiam Isidorus: *Russata, quam pœniceam vocant, nos coccineam. Hac sub consulibus Romani usi sunt milites, unde etiam Russati vocabantur. Solebat enim pridie quam dimicandum esset, ante principia poni* (vellem dixisset, *ante prætorium poni*, vel. *supra prætorium*; id enim verius) *quasi admonitio & indicium futuræ pugnæ.* Plutarchus iterum in Bruto: Ἅμα δὲ ἡμέρᾳ προὔκειτο μὲν τῷ Βρούτου χάρακι καὶ τῷ Κασσίου σύμβολον ἀγῶνος, φοινικοῦς χιτών: *Una cum luce, propositum fuit in Bruti & Cassii castris signum pugnæ, tunica punicea.* Non ergo simpliciter velum fuit, sed tunicæ forma. Mansit is mos ad tempora imperii labentis. Ammianus lib. XXVII. *Signis illico fixis ex more, cum undique ad arma conclamaretur, imperio principis & ductorum stetit regibilis miles: vexillum opperiens extollendum, quod erat opportune subeundæ indicium pugnæ.* Hoc illud vexillum est quod lymphati milites postulant, & cum eo jus scilicet cædis & armorum. *Lipsius.*

Vexillum in domo Germanici] De hoc multa Lipsius. Considerandum autem an non fuerit, quale Dio lib. 40. describit in adversis ominibus Crassi, τῶν μεγάλων τοῖς ἱστίοις ἐοικότων, καὶ φοινικᾶ γράμματα πρὸς δήλωσιν τοῦ τε στρατοῦ καὶ τοῦ στρατηγοῦ σφῶν τοῦ αὐτοκράτορος ἐχόντων. *Freinshemius.* Non possum subscribere viris doctissimis, quibus libenter assurgo. Quorsum enim signum pugnæ, ubi nemo hostis? postquam in hiberna jam concesserant? Sed jus cædis, inquit, postulant & armorum. Itane? armorum, adversus quos? Legatos. At hi inermes. Cædis tamen, quorum? Eorundem. At etiam sacrosancti. An Germanicus cum tandem, invitus licet, vexillum tradidit, simul jus dedit cædendi legatos? Dii meliora. Ego vero, *vexillum* intelligo, de quo legis hoc ipso capite: *Veteranique nuper missi sub vexillo hiemabant:* quod nacti erant, cum exauctorarentur. Hoc suspicabantur venisse, qui sibi ereptum atque suppressum irent, ab senatu legatos: ideo illud in sua potestate esse optimum rebantur. Etsi autem tot erant caligæ, tot millia clavorum, ut, quamvis hoc suppressum esset, quod acceperant, aliud renovato tumultu extorquere possent; tamen ipsum omen verebantur, si, modo quod accepissent, fieret irritum. Et facile subserviebant veteranis, qui sub signis manebant, quippe metuentes, ne, si veteranis auferretur vexillum, ab sese repeterentur nummi eadem vi expressi. *Gronovius.* De quibus videri potest judicium Octavii Ferrarii lib. I. Elect. cap. 3.

1 *Quam castra primæ legionis: illic signa & aquilam amplexus*] Hæreo an distinguendum sit, *quam castra, primæ legionis illic signa.* Videntur enim duæ hæ legiones unis in hibernis fuisse: sic tamen, ut ritu Romano, quæque legio cum signis seorsum locaretur. Ideo ait Plancum confugisse ad aquilam & signa primæ legionis. Supra, tres legiones Pannonicæ castris æstivis simul habebantur: separatæ tamen aquilæ, donec per furorem, *una tres aquilas & signa cohortibus locarent*, ait Tacitus. Receptam tamen interpunctionem tueri videtur, quod sequitur, *Quantum dedecoris adierit legio facunde miseratur.* ut videantur hæc in unius legionis castris gesta. *Lipsius.* Et sane nobilissimus Schelius ad Higinum pag. 26. vetat istam interpunctionem, ita explicans, ut sit ea pars castrorum, qua prima legio tendebat.

2 *Altaria Deum*] Sunt aræ, ut opinor, quæ in Principiis honori Aquilarum & castrensium Deorum erant: itemque Principum, quorum effigies in signis. Vide Militiam nostram, lib. V. Dial. IV. *Idem.*

3 *Recipitque*] Et unicus scriptus codex & prima editio habent *recepitque.* Jac. Gronovius.

4 *Sed deum ira resurgere*] Nempe eam rabiem. Fatalem eam rabiem esse incusans, neque sponte militum, sed deorum ira recrudescere, ut recte Freinshemius. Quod moneo, ne quem pelliceat, *res vergere*, quod nonnemo conjecit, & vidi, quibus

ne, legatos præsidio auxiliarium equitum dimittit. [1] Eo in metu arguere Germani- 40
cum omnes, *quod non ad superiorem exercitum pergeret, ubi obsequia, & contra rebellis
auxilium. Satis superque missione, & pecunia, & mollibus consultis peccatum: vel si vi-
lis ipsi salus, cur filium parvulum, cur gravidam conjugem, inter furentes, & omnis hu-
mani juris violatores haberet? illos saltem avo & respublica redderet.* Diu cunctatus,
[2] aspernantem uxorem, cum *se divo Augusto ortam, neque degenerem ad pericula* testa-
retur, postremo uterum ejus, & communem filium multo cum fletu complexus, ut
abiret perpulit. Incedebat muliebre & miserabile agmen, profuga ducis uxor parvu-
lum [3] sinu filium gerens; lamentantes circum amicorum conjuges, quæ simul trahe-
bantur; [4] nec minus tristes qui manebant. Non florentis Cæsaris, neque suis in ca- 41
stris, sed [5] velut in urbe victa facies, gemitusque ac planctus, etiam militum aures
oraque advertêre. Progrediuntur contuberniis: *quis ille flebilis sonus?* [6] *quod tam tri-
ste? feminas inlustres, non centurionem ad tutelam, non militem, nihil imperatoria uxo-
ris, aut comitatus soliti, pergere ad Treveros,* [7] *& externa fidei.* Pudor inde & mise-
ratio, & patris Agrippæ, Augusti avi memoria, socer Drusus; ipsa insigni fecundi-
tate, præclara pudicitia: [8] jam infans in castris genitus, in contubernio legionum
eductus,

bus placeret. Tacitus lib. 2. Hist. *Eadem illos deum ira, eadem hominum rabies; eadem scelerum causa in discordiam egere.* Cicero pro Ligario: *Ac mihi quidem, si proprium & verum nomen nostri mali quaratur, fatalis quadam calamitas incidisse videtur, & improvidas hominum mentes occupavisse, ut nemo mirari debeat humana consilia divina necessitate esse superata.* Gronovius.

1 *Eo in metu arguere*] Faernus scribebat: *Eo in motu.* Ursinus: *Eo in motu*, id est, ea in trepidatione. *Freinshemius.*

2 *Aspernantem uxorem*] Puto verius, *aspernante uxore.* Lipsius.

Aspernantem uxorem] Pendet hic sensus à voce *perpulit.* Freinshemius.

3 *Sinu filium gerens*] Quum scilicet in curru aut navi sederet. nec enim pedes tantum iter confectura erat, ut veriti videntur interpretes, qui puerum brachiis matris, qui collo suspenderunt, quo scilicet commodius portaretur. Ita mox 2, 75. eadem Agrippina mariti *ferales reliquias sinu tulit.* Idem.

4 *Nec minus tristes qui*] Lego, *qua.* de feminis enim sermo, conjugibusque amicorum. *Lipsius.*

Nec minus tristes qui manebant] Scilicet amici Germanici, ejus suamque vicem dolentes, quod solatio conjugum fraudarentur: par enim erat, hos omnes ducis uxorem comitari. Rectior itaque vetus scriptio, quam nova castigatio *qua.* Salinerius. Germanicus nimirum ejusque amici, quorum conjuges abscedebant. nec enim *qua* legendum esse arbitror, referendumque ad conjuges amicorum, cum verisimile sit in re tam trepida, & abeunte ducis uxore, earum paucas in castris mansuras fuisse. *Freinshemius.*

5 *Velut in urbe victa facies gemitusque*] Malim distinguere, *sed velut in urbe victa facies* (scilicet, erat) *gemitusque ac planctus.* Notetur verbum *advertere* hoc eleganti significatu. sic l. 4. Ann. *Atque illic eadem actitando, recentia veteraque odia advertit.* Lib. 6. Annal. 44. *Neque exuerat pudorem, ut vulgum miseratione adverteret.* Plin. lib. 5. Ep. x. sic etiam utitur. *Multa in Euphrate sic eminent & elucent, ut mediocriter quoque doctos advertant & afficiant.* Seneca Epistola cxv. paullo aliter: *Qui lacernas coloris improbi sumunt, qui perlucentem togam, qui nolunt facere quicquam, quod hominum oculis transilire liceat. Irritant illos & in se advertunt.* Quamvis hic alii *avertunt* malint. *Acidalius.* Distinctio Acidalii non placet, quamvis & Freinshemius eam secutus sit. Ea, inquit, facies rerum, non florenti Cæsari & castris suis subnixo, sed urbi captæ conveniens, hoc est, discessus hic muliebris agminis trepidus atque inhonorus, gemitusque ac planctus, etiam militum animos visu audituque percussit. *Gronovius.*

6 *Quod tam triste*] Videtur deesse aliquod verbum & fortasse legi potest: *Quod tam triste spectaculum.* Ursinus. Vox substantiva desideratur, quam adscripserat Muretus, *quod spectaculum tam triste?* sed addito P. Danesii nomine. *Acidalius.* Quasi non passim veteres hoc compendio sermonis utantur. Virgilius. *Triste lupus stabulis.* Ovidius: *Qui cum triste aliquid statuit, fit tristis & ipse.* Petronius: *Ne quid tristius exspectarem, comitatus faciebat.* Et, *si quid tristius parac.* Intelligo autem in Tacito, *genus hominum & rerum.* Gronovius.

7 *Et externa fidei*] Non ergo colonia tunc Treveri fuisse videntur: etsi in Hist. lib. iv. bis sic appellet, putemque sub Claudio hoc jure demum donatos. *Lipsius.*

8 *Jam infans in castris*] Cajum Caligulam in castris natum versiculi prisci adfirmabant:

In castris genitus, patriis nutritus in armis;
Jam designati Principis omen erat.

Etiam Plinius in Germanica historia, apud Treve-
ros

eductus, quem [1] militari vocabulo *Caligulam* appellabant, quia plerumque [2] ad conciliandа vulgi studia eo tegmine pedum induebatur. Sed nihil æque flexit, quam invidia in Treveros. orant, obsistunt, *rediret*, *maneret:* pars Agrippinæ occursantes, plurimi ad Germanicum regressi. isque ut erat recens dolore & ira, apud cir-
42 cumfusos ita cœpit. *Non mihi uxor, aut filius, patre & republica cariores sunt: sed illum quidem sua majestas, imperium Romanum ceteri exercitus defendent: conjugem, & liberos meos, quos pro gloria vestra libens ad exitium offerrem, nunc procul à furentibus summoveo, ut quicquid istuc sceleris imminet, meo tantum sanguine pietur; neve occisus Augusti pronepos, interfecta Tiberii nurus, nocentiores vos faciat. quid enim per hos dies inausum, intemeratumve vobis?* [3] *Quod nomen huic cœtui dabo?* militesne *appellem? qui filium imperatoris vestri* [4] *vallo & armis circumsedistis. An* cives? *quibus tam projecta senatus auctoritas. hostium quoque jus, & sacra legationis, & fas gentium rupistis. Divus Julius seditionem exercitus* [5] *verbo uno compescuit,* [6] Quirites *vocando, qui sacramentum ejus detrectabant. Divus Augustus vultu & aspectu Actiacas legiones exterruit. nos, ut nondum eosdem, ita ex illis ortos, si Hispaniæ Syriæve miles aspernaretur, tamen mirum & indignum erat: primane, & vicesima legiones,* [7] *illa signis à Tiberio acceptis,* [8] *tu tot*

ros vico Ambitarino, id est, apud hiberna legionum. Et clarè hîc noster. Alii aliter: vide Excurs. in *L.* Idem.

1 *Militari vocabulo*] Hoc est, à militibus, & ipsorum ex more ingenioque indito. Ii enim homines, ut rudes & simplices, plerumque crassa & aliis ridenda nomina rebus imponebant. Ita supra I. 23. *Lucillio militaribus facetiis vocabulum, Cedo alteram, indiderant.* Apud Marcellin. 17. *quem habitum caput porci simplicitas militaris appellat.* ejus farinæ ferme erant, quæ triumphantibus accinebant. *Freinshemius.*

2 *Ad concilianda studia vulgi*] Ait, studia vulgi: militaris scilicet. Nam tribuni & centuriones dignioresque militum, veste & habitu erant à gregariis distincti, ut alibi dicam accurate. At caliga, tegmen vulgi. Infra: *Tamquam parum ambitiose filium gregali habitu circumferat, Caligulamque appellari velit.* Non ita plene Dio expressit, qui vertit, *Ὅτι ἐν τῷ στρατοπέδῳ τὸ πλεῖστον τραφεὶς τοῖς στρατιωτικοῖς ὑποδήμασιν ἀντὶ τῶν ἀστικῶν ἐχρῆτο.* Melius Suetonius, *Caligulæ cognomen castrensi joco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur.* Caligatus igitur, manipularis, gregarius, eadem sunt: pro militum plebe, id est, qui honorem aut gradum in castris nondum ceperunt. Suet. in Augusto, cap. xxv. *Dona militaria aliquanto facilius phaleras & torques, quidquid auro argentoque constaret, quam vallares ac murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat: has quam parcissime & sine ambitione, ac sæpe etiam caligatis tribuit.* Jurisconsultus, l. ix. de custod. reorum: *Qui exercitum accipit, jus animadvertendi in milites caligatos habet.* cum exceptione dixit, quia in digniores non habet. Legi in lapide vetusto,

C. OPPIO. C. F. VEL.
OMNIBVS. OFFICIIS.
IN CALIGA. FVNCTO.

Et ab eadem sententia Seneca quinto De Beneficiis scripsit, *Marium à caliga ad consulatum pervenisse:* id est ab infimis ordinibus. Item Plinius lib. VII. Ventidium *inopem juventam in militari caliga tolerasse.* Quamquam non abnuam, quin caliga digniorum etiam militum, sed cum discrimine, puta aureis argenteisve clavis distinctæ. Unde cum additione *Speculatoria caliga*, apud Sueton. & Tertullianum. *Lipsius.*

3 *Quod nomen huic cœtui dabo?*] Imitatum videtur ex oratione Scipionis apud Livium, pariter in seditione militari. lib. XXVIII. *Quos nec quo nomine quidem appellare debeam, scio. cives? qui à patria vestra descistis. milites? qui imperium auspiciumque abnuistis, sacramenti religionem rupistis.* Idem.

4 *Vallo & armis circumsedistis*] Res ita habet: vallo recte se obsessum dixit Germanicus. Quamquam enim neque tum demum, neque eo fine jactum erat vallum, tamen ad detinendum eum asservandumque milites eo ipso, quod longe alium in finem exstructum fuerat, abusi sunt: aut certe abusos ille videri voluit. *Freinshem.*

5 *Verbo uno compescuit*] Plutarchus, Dio, Suetonius, & Lucanus,

——— discedite castris,
Tradite nostra viris ignavi signa Quirites.

Lipsius.

6 *Quirites vocando*] Lampridius Alexandro Severo: *Severitatis autem tantæ fuit in milites, ut sæpe legiones integras exauctoraverit, ex militibus Quirites appellans.* Gronovius.

7 *Illa signis à Tib.*] Apparet religionem aliquam fuisse in militia ordienda. Credo autem hanc primam legionem conscriptam, post cladem Vari. *Lipsius.*

8 *Tu tot præliorum socia*] Plerique ad Tiberium trahunt: rectius opinor quam qui ad Germanicum. nec moveor vocabulo *ducis*, quod utique huic

tot præliorum socia, tot præmiis aucta, egregiam duci vestro gratiam refertis? hunc ego nuntium patri, læta omnia aliis è provinciis audienti, feram? ipsius tirones, ipsius veteranos, non missione, non pecunia satiatos: hic tantum interfici centuriones, ejici tribunos, includi legatos: infecta sanguine castra, flumina: meque precariam animam inter infensos trahere? Cur enim primo concionis die ferrum illud quod pectori meo infigere parabam de- 43
traxistis, ô improvidi amici? melius & amantius ille, qui gladium offerebat: cecidissem certe nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius: legissetis ducem, qui meam quidem mortem impunitam sineret, Vari tamen & trium legionum ulcisceretur. Neque enim dii sinant, [1] *ut Belgarum, quamquam offerentium, decus istud & claritudo sit, subvenisse Romano nomini, compressisse Germaniæ populos. Tua, dive Auguste, cælo recepta mens,* [2] *tua, pater Druse, imago, tui memoria,* [3] *iisdem istis cum militibus, quos jam pudor & gloria intrat,*

huic quam illi in præsens aptius est: sed ad præteritum tempus merito refertur, cujus memoriam militibus hic refricat Germanicus. *Freinshemius.*

1 *Ut Belgarum istud decus sit*] Gloriemur Belgæ. Nos jam olim Cæsaris testimonio, *omnium Gallorum fortissimi:* nos nunc Germanici, idonei & validi, *subvenire Romano nomini, comprimere Germaniæ populos.* Nos Civilis voce, *Gallorum robur.* Præclara ista; at non illud,

Πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι.

Olim fuere strenui Milesii.

Lipsius.

2 *Tua pater Druse image*] Cur imaginis mentio? Suspicor hujus Drusi inter signa imaginem cultam: quia eo duce res pulcherrimæ gestæ. Nec enim solæ Impp. imagines habebantur innexæ signis, sed & aliorum quos Imperator sibi velut æquabat. Sueton. Tiberio: *Quadam munera Syriacis legionibus dedit, quod sola nullam Sejani imaginem inter signa coluissent.* Hanc igitur præsentem intuens, ista pronuntiat filius. *Idem.*

Tua pater Druse imago] Quænam? illane quæ forte inter signa culta? dubito. nec sat scio si mortuorum imagines ibi fixæ, nisi dicatorum inter numina. Potius videatur revocare militibus in animum ipsius Drusi imaginem, mentibus eorum adhuc impressam, quem nuper ducem viderant; utque magis se explicet, vocem *memoriæ* adjicit. Talem imaginem proponit Tacitus fin. Agricolæ sui: & notum est, quid inter varios militum motus recordatio ducis sæpe profecerit *Freinshemius.*

3 *Iisdem istis cum militibus*] Omnino legendum *commilitibus.* Ipsis enim elui vult hanc maculam, ipsos exsolvi hac culpa. Frequens autem ducibus milites benigniore vocabulo *commilites* appellare. Sic Historiarum primo in Pisoniana: *Quis ad vos processerim, commilitones.* Grotius. Sensum eundem in prisca lectione patere censeo: quam tamen mutari facilius ferrem, si τὸ *commiles* Latinum esse vocabulum constaret. Sed constat non esse; cur enim passim toties *commilitones* appellant? Pellexit illustrem virum locus Plinii, apud quem corrupte legitur lib. 37, 2. *Republica datum mille talentum, legatis & quæstoribus, qui oras maris defendissent, HS bina millia, commilitibus singulis quinquaginta:* cum sit in MSS. *republica & quæstoribus, qui oras maris defendissent datum mille talentum, militibus singulis sena millia sestertiorum.* Sic plane membranaceus bibliothecæ Academicæ: sic complures à Budæo inspecti, qui Plutarcho & Appiano adhibitis rescribit: *Præfectis & quæstoribus, qui oras maris defendissent, datum mille talentum, militibus singulis sena millia sestertium, comitibus quinquagena.* Lib. 3. de Asse. Sed nempe Cæsarem adivit lib. 2. Civil. cap. 29. Vide Ciaccon. & Hotman. Scribendum: *Civile bellum genus hominum cui liceret libere facere & sequi, quod vellent. Legiones eæ, quæ paulo ante apud adversarios fuerant. Nam etiam Cæsaris beneficium mutaverat consuetudo. Quæ efferrentur municipia etiam diversis partibus conjuncta (utrique enim ex Marsis Pelignisque) videbat, & qui superiore nocte in contuberniis papilionibusque* (secum fuissent) *nonnulli graviores sermones militum vulgi durius accipiebantur. nonull.* &c. *Gronovius.* Memorabile mox de hac voce consilium & audax fiducia locum Taciti contrectavit tam licenter, ut non alias factum rear, adeo ut videas in novissima editione *iisdem istis commilitibus.* An Tacitus vero statui debuit vindex vocabuli *commiles,* quum is habeat *commilito* & *commanipularis?* Res est dura & ardua ad fidem. Hæc autem non aliter dicantur quam 6, 3. *quid illi cum militibus?* ut sit præpositio cum ablativo, ut præter Augustum & Drusum iidem isti milites eluant hanc maculam, non militibus illatam, sed Romano nomini. An Grotius is debuit esse, cujus innisu Cl. Ryckius diceret vulgatum esse sine sensu? Præter illud, quod modo allego, quid igitur est in cap. 34. *Quæ apud Germanias illis cum legionibus pulcherrima fecisset.* annon plane id dictum est, ut nunc *istis cum militibus?* & ista dices sine sensu esse? Immo quid aliud est in his? vel 2, 66? *Eas literas Latinius Pandus proprætore Mœsiæ cum militibus quis Cotys traderetur, in Thraciam misit.* vel lib. 2. hist. 9. *Data triremes ad prosequendum, cum quibus Cythnum insulam tenuit.* vel 11, 1. *At Claudius nihil ultra scrutatus, citis cum militibus tanquam opprimendo bello, Crispinum prætorii præfectum misit.* Porro dum ita editur, statuitur hoc tam suspecto momento ausus fuisse Germanicus facere,

intrat, eluant hanc maculam, irasque civiles in exitium hostibus vertant. Vos quoque,
[1] *quorum alia nunc ora, alia pectora contueor, si legatos senatui, obsequium imperatori, si*
mihi [2] *conjugem ac filium redditis, discedite à contactu, ac dividite turbidos. id stabile*
44 *ad pœnitentiam, id fidei vinculum erit.* Supplices ad hæc, & vera exprobrari fatentes,
orabant, *puniret noxios, ignosceret lapsis, & duceret in hostem; revocaretur conjunx,*
rediret legionum alumnus, neve obses Gallis traderetur. Reditum Agrippinæ excusavit
ob imminentem partum, & hiemem: *venturum filium: cetera ipsi exsequerentur.* Dis-
currunt mutati, & seditiosissimum quemque vinctos trahunt ad [3] legatum legionis
primæ C. Cetronium, qui [4] judicium & pœnas de singulis in hunc modum exercuit.
[5] Stabant pro concione legiones destrictis gladiis: reus in suggestu per tribunum o-
stendebatur: si *nocentem* adclamaverant, præceps datus trucidabatur. & gaudebat cædi-
bus miles, [6] tanquam semet absolveret: nec Cæsar arcebat, quando nullo ipsius jus-
su, penes eosdem sævitia facti & invidia erat. secuti exemplum veterani, haud mul-
to post in Rætiam mittuntur, specie defendendæ provinciæ [7] ob imminentis Sue-
vos; ceterum ut avellerentur castris, trucibus adhuc, non minus asperitate remedii,
quam sceleris memoria. [8] Centurionatum inde egit. citatus ab imperatore nomen,
[1] ordi-

cere, quod Suetonius scribit cap. 25. post civilia bella Augustum nec in concione nec per edictum ullos militum commilitones appellavisse, sed milites, ac ne a filiis quidem aut privignis suis imperio præditis aliter appellari passum esse. Jam vero crebrius in priscis scriptoribus *eluant hanc maculam*, quam *eluant illis hanc maculam*. De loco Plinii inspicies credo Harduinum. *Jac. Gronovius.*

1 *Quorum alia nunc ora*] Eximium in his artificium est. nam & ita composita est sententia, ut universos, si ipsi velint, complecti possit; & si qui iras retineant, adversus eos ceteros, sive pœnitentia, sive metu pœnæ & diffidentia cœptorum correctos armet. *Freinshemius.*

2 *Conjugem ac filium*] In unico libro exstat *conjugem & filium*, & mox scribitur *Caetronium*. Jac. Gronovius.

3 *Legatum legionis primæ C. Cetronium*] In antiqua inscriptione nominatur quidam *Q. Cetronius Q. F. Passer*, qui potest ad hunc C. Cetronium, qui a Tacito nominatur, pertinere. *Ursinus.*

4 *Judicium & pœnas*] *Judicium exercere* usitate dicimus: *pœnas exercere* non item, sed sæpe primæ notæ scriptores, duobus nominibus positis, verbum subjiciunt, quod alteri tantum conveniat: ut ἐκ διὰ δυοῖν alterum intelligatur. Homerus *οἶνον καὶ σῖτον ἔδοντες.* cum tamen vinum bibere, non comesse soleamus. Idem *ἵπποι ἀερσίποδες καὶ ποικίλα τεύχε' ἔκειτο.* Equi tamen non jacebant, sed stabant. Ergo etiam, si, *pœnas exercere*, nemo dixisset, intelligeremus hoc modo: *judicium & pœnas exercuit*, judicium exercuit pœnasque sumpsit: & ex optimis vetustissimisque scriptoribus, talia quamlibet multa proferremus. sed nihil est necesse eo confugere. *Exercere pœnas* rectissime dicitur, ut cognoscere est vel ex illo Virgilii loco:

Hac iter Elysium nobis: at læva malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

Muretus.

5 *Stabant pro concione*] Exemplum, nisi fallor, primum animadversionis à milite ipso usurpatæ, quod hodie in nostra militia vulgo obtinet. Ammianus tamen id recensuit, quasi ex more prisco, lib. XXIX. *Cum invenisset eos exercitu circumseptos; Quid de istis nefariis, inquit, proditoribus fieri oportere commilitones devoti censetis? Secutusque adclamationem rogantium sanguine vindicari, eos qui inter Constantianos merebant, prisco more militibus dedit occidendos.* Lipsius.

Stabant pro concione legiones] In castris Romanis, in formam optime dimensi oppidi extrui solitis, etiam forum erat. Polyb. 6, 28. in id convocabantur milites, quoties dicta ducum ab universis accipienda erant. 1, 67. *Tum contractos in principia*, &c. H. 3, 13. *Cæcina primores centurionum* &c. *in principia vocat.* Livius 7, 12. *Sed jam in principiis ac prætorio in unum sermones confundi atque in concionis magnitudinem crescere turba*, sequiturque mox de *tribunali*: quæ omnia erant in foro. Idque ipsum tribunal hoc Taciti loco intelligi arbitror his verbis, *reus in suggestu* &c. Igitur nihil mirum in his omnibus peccavisse versiones moris hujus ignaras: & fortuitum suggestum, aut certe in hunc usum exædificatum, hic collocasse. *Freinshemius.*

6 *Tanquam semet absolveret*] Virg. de Sinone:

Assensere omnes, & quæ sibi quisque timebat,
Unius in miseri exitium conversa tulere. Gronov.

7 *Ob imminentes Suevos*] Cæsar lib. 4. de bello Gallico. *Suevorum gens est longe maxima & bellicosissima Germanorum omnium.* & in eodem lib. *sese unis Suevis concedere, quibus ne dii quidem immortales pares esse possint.* Muretus.

8 *Centurionatum inde egit*] Nescio an, *legit*. qua forma Senatum legere dicimus. Satis autem ambitiosa

[1] ordinem, patriam, numerum stipendiorum, quæ strenue in prœliis fecisset, & cui erant [2] donaria militaria, edebat. si tribuni, si legio, industriam innocentiamque adprobaverant, retinebat ordines: ubi avaritiam, aut crudelitatem consensu objectavissent, solvebatur militia. Sic compositis præsentibus haud minor moles supererat, 45
ob

bitiosa hæc lectio, militibus adhibitis quasi arbitris: cum solius id Imperatoris alias, & ex môre, esset. Tale notat noster in Cæcina; *Utque licentia militem imbueret, interfectorum centurionum ordines legionibus offerebat, eo suffragio turbidissimus quisque delecti.* III. Hist. Etsi Germanicus tamen plenam totamque electionem militi non largitur. *Lipsius.*

Centurionatum inde egit] Recensionem ac cognitionem de centurionibus. *Muretus.* Eruditissimus vir mallet *legit*, sed me dissentiente: quia *egit centurionatum* nil aliud est, quam legit centuriones in locum cæsorum, de quibus supra, *prostratos verberibus mulcant, sexageni singulos, ut numerum centurionum adæquarent.* & hæc seditio oritur a prima, & à vicesima legionibus: quæ suos Centuriones jam trucidaverant. *Agere* pro *legere*: *regimen summæ rei penes Germanicum agendo Galliarum censui intentum.* quæ ne aliorsum accipias, atque à Tacito dicta sunt. Ejusdem sequentia mihi legas: *interea Germanico per Gallias (ut diximus) census accipienti.* Ad ultimum *legere centurionatum* non est penitus dissimile τῷ *legere senatum* & ἀναλόγως dicitur, ut *equitatus, peditatus.* Salmerius. Quid si *agere centurionatum* sic dictum, ut *Delectum agere*? Et fuit hic velut delectus centurionum. *Acidalius.* Plane accedo sententiæ Berneggeri soceri mei, non fuisse novam hanc centurionum electionem, sed tantum recensionem, quod patet ex toto loco, & præsertim illis verbis; *retinebat ordines*, tum & illis; *solvebatur militia.* Freinshemius. Non potest placere utcunque pingatur. *Centurionatum agere* Latine dicitur, ut *agere potestatem, agere proconsulatum, agere regnum*: ubi *agere* est gerere, administrare. Item *legere centurionatum* non respuent aures Romanæ, ut *legere sortem vitæ*, si cui & hujus & cujuscumque alterius loci libera est optio. Sed neuter sermo rei, qua de Tacitus, aptus est. *Legere* autem *centurionatum*, ut *legere senatum*, ferri non quit: senatus enim corpus est senatorum: an & *centurionatus* corpus centurionum? immo gradus militiæ honoratæ. Hoc modo corpora multorum, & personæ singulæ *legi* dicuntur, ut *legere senatum, legere magistratum, legere militem, legere exercitum*: *munus* aut *officium* non dicitur *legi*. Quid igitur iste ait *agere centurionatum* poni pro legere? cum nec *legere* Latinum sit hoc sensu, neque *agere* pro legere. Quid est autem *legere censum*? Nec felicius alter, qui comparat *delectum agere*. Cur non & *agere censuram, agere experimenta, agere inquisitionem*? Sed qua in re conveniant, dicam. Nempe *delectum agit* delector, *censuram* censor, *experimenta* qui experitur, *inquisitionem* inquisitor. Sic ergo *centurionatum agit* non nisi qui centurio est: & quemadmodum *agere delectum* non est delectores recensere aut examinare, *agere censuram* censores ad obrussam exigere, *agere inquisitionem* inquisitores legere, *agere experimenta* probare δοκιμαστὰς, ita neque *agere centurionatum* est probare & recensere centuriones. Quod vero tertius inculcat non eam fuisse electionem novorum, sed examen veterum, quis non agnoscit? sed quid hoc juvat? an *agere* est recensere aut examinare? an *recensere* aut *examinare centurionatum* est examen centurionum instituere? Fractus igitur locus, cujus sententia satis conspicua, verba nihil Romanum sonant. Nihil hærerem, si viderem scriptum: *Centurionum inde delectum egit*: neque aliud quam, quod vocant, examen aut recensionem intelligerem. Etsi enim *delectus agi* proprie dicitur in illis, qui ex privatis milites aut centuriones fiunt: tamen hoc ipsum, quod hic agitur, qui commodius Latine pronuntiem, non reperio, & ex illis, quos jam habeas olim lectos, nova trutina libratis, alios retinere quo sunt loco, alios rejicere, utique *delectus* est. Posset & scribi: *Centurionatus inde exegit*: ut alibi *exigere vulnera*, de quo in Observationibus. *J. F. Gronovius.* Quid æque mirum, quam hic locus? quid magis desperatum vel per ipsa remedia, quæ & erant promptissima facillimaque, sed alienissima sunt conquisita & huc palam allata. Bene tamen est, quod sensum viderint viri docti. Inde omnino legendum *Centurionatim inde egit*, excutiendo scilicet inspiciendoque singulos ipsos centuriones. Ut lib. I. hist. 82. *Manipulatim alloquuti sunt.* Sic *regionatim* in Julio Suetonii, sic *ordinatim* & *gradatim* & alii alia, quorum multa annotavit ad Apulejum Pricæus. *Jac. Gronovius.*

1 *Ordinem*] Id est, quotæ centuriæ ductor esset. nam in eo discrimen, & dignitas: primæ, secundæ, tertiæ. Bene autem *Ordinem*: quia appellabant, *primi aut secundi Ordinis* Centurionem. Nos explicate in Milit. II. Dial. VIII. *Lipsius.*

2 *Donaria Militaria*] Scilicet, torques, phaleræ, hastæ, coronæ, ex quibus promoveri ad ordines altiores milites solere, indicat etiam Lucanus lib. I.

—— summi tum munera pili
Lælius, emeritique gerens insignia doni
Servati civis referentem præmia quercum.

Inter omnia autem quæ noster enumerat, cur siluit censum? cujus rationem in declamatione quapiam ostendit Portius Latro: *Census Senatorium gradum ascendit, census in castris ordinem promovet, census judices in foro legit.* Idem. An non suffecerunt *dona militaria*?

ob ferociam quintæ, & [1] unetvicesimæ legionum, sexagesimum apud lapidem (loco *Vetera* nomen est) hibernantium. nam primi seditionem cœptaverant: atrocissimum quodque facinus horum manibus patratum: nec pœna commilitonum exterriti, nec pœnitentia conversi, iras retinebant. Igitur Cæsar arma, classem, socios demittere
45 Rheno parat, si imperium detrectetur, bello certaturus. At Romæ nondum cognito qui fuisset exitus in Illyrico, & legionum Germanicarum motu audito, trepida civitas incusare Tiberium, *quod dum patres & plebem, invalida & inermia, cunctatione ficta ludificetur, diffideat interim miles, neque duorum adolescentium nondum adulta auctoritate comprimi queat: ire ipsum, & opponere majestatem imperatoriam debuisse, cessuris, ubi principem longa experientia, eundemque severitatis & munificentiæ summum, vidissent. An Augustum fessa ætate totiens in Germanias commeare potuisse; Tiberium vigentem annis sedere in senatu verba patrum cavillantem? satis prospectum urbanæ servituti: militaribus*
47 *animis adhibenda fomenta, ut ferre pacem velint.* [2] Immotum adversus eos sermones fixumque Tiberio fuit, non omittere caput rerum, neque se remque publicam in casum dare. Multa quippe & diversa angebant: *validior per Germaniam exercitus; propior apud Pannoniam: ille Galliarum opibus subnixus, hic Italiæ imminens:* [3] *quos igitur anteferret? ac, ne postpositi contumelia incenderentur. At per filios pariter adiri,* [4] *majestate salva, cui major è longinquo reverentia. simul adolescentibus excusatum quædam ad patrem rejicere: resistentisque Germanico, aut Druso posse à se mitigari vel infringi: quod aliud subsidium si imperatorem sprevissent?* Ceterum ut jam jamque iturus legit comites, conquisivit impedimenta, [5] adornavit naves: mox hiemem, aut negotia varie caussa-
48 tus, primo prudentes, dein vulgum, diutissime provincias fefellit. At Germanicus quamquam contracto exercitu, & parata in defectores ultione, dandum adhuc spatium ratus, si recenti exemplo sibi ipsi consulerent, præmittit litteras ad Cæcinam, *venire se valida manu, ac ni supplicium in malos præsumant, usurum promiscua cæde.* Eas Cæcina aquiliferis signiferisque, & quod maxime castrorum sincerum erat, occulte recitat; *utque cunctos infamiæ, seipsos morti eximant* hortatur. [6] *nam in pace caussas & merita spectari: ubi bellum ingruat, innocentes ac noxios juxta cadere.* Illi, tentatis quos idoneos rebantur, postquam majorem legionum partem in officio vident; de sententia legati statuunt tempus, quo fœdissimum quemque & seditioni promptum

ferro

1 *Unetvicesimæ legionum*] Sic emendavit Lipsius, & rationes adfert. Cluverius Germ. 2, 18. defendit veterem lectionem *undevigesimæ*, auctoritate nescio cujus inscriptionis. Mihi pro Lipsio non leve argumentum videtur, quod *undevicesimam* legionem cum Varo deletam esse constat ex loco Taciti 1, 50. *Freinshemius.* *Unetvicesimæ* legitur clare in MS. quod Beroaldus imprudenter mutavit

2 *Immotum. adversus eos sermones fixumque*] Virgilius:

Si mihi non animo fixum immotumque sederet,
Ne cui me vellem vinclo sociare jugali.

Quid ergo tot per editiones in marginibus venditat ὁ πάνυ, *immotus?* J. F. Gronovius.

3 *Quos igitur anteferret? ac ne postpositi*] Male Rhenanus: *Ecquos igitur anteferret.* Sic enim dubitaret an essent aliqui anteferendi: ut in illo, *Ecquis erit mecum?* At de hoc nulla dubitatio: non enim poterat esse simul duobus locis, eoque necessario alteruter exercitus erat adeundus prior. Illud ambiguum erat, utros anteferret: & hoc τῷ *quos* recte exprimitur. Male idem, Vertranius, Muretus, Acidalius delent τὸ *ac.* Sensus enim: &, si alteros utros prætulisset, angebat eum metus, ne postpositi eam contumeliam interpretarentur, & sævirent magis. *Idem.*

4 *Majestate salva*] Vera & callida gnome. A Thucydide videri potest, lib. VI. Τὰ γὰρ, inquit, διὰ πλείστου πάντες ἴσμεν θαυμαζόμενα, καὶ τὰ πεῖραν ἥκιστα τῆς δόξης δόντα. *Lipsius.*

5 *Naves*] Quorsum naves, si in Galliam aut Germaniam iturus? An hæc simulatio ad Pannoniam spectat? quo etsi terra, tamen & supero mari licebat trajicere. *Idem.*

Adornavit naves] Immo & ad Germaniam: quemadmodum Claudius Britannica expeditione suscepta navigavit Ostia Massiliam, inde terrestri itinere Gesforiacum petiit. Suetonius cap. 17. *Gronovius.*

6 *Nam in pace caussas & merita spectari*] Mur. *caussarum merita.* Non necesse. *Acidalius.*

2 Per-

ferro invadant. Tunc signo inter se dato irrumpunt contubernia, trucidant ignaros:
nullo, nisi consciis, noscente quod cædis initium, quis finis. Diversa omnium, quæ 49
unquam accidere, civilium armorum facies. non prœlio, non adversis è castris, sed
iisdem è cubilibus, quos simul vescentis dies, simul quietos nox habuerat, discedunt
in partes, ingerunt tela. clamor, vulnera, sanguis palam; caussa in occulto: cetera
fors regit: & quidam bonorum cæsi, postquam, intellecto in quos sæviretur, pessi-
mi quoque arma rapuerant. neque legatus aut tribunus moderator adfuit; [1] permissa
vulgo licentia atque ultio & satietas. Mox ingressus castra Germanicus, *non medici-
nam illud* plurimis cum lacrimis, *sed cladem* adpellans, *cremari corpora* jubet. Tru-
ces etiam tum animos cupido involat eundi in hostem, piaculum furoris. nec aliter
posse placari commilitonum manes, quam si pectoribus impiis [2] honesta vulnera acce-
pissent. Sequitur ardorem militum Cæsar, junctoque ponte tramittit duodecim mil-
lia [3] è legionibus, sex & viginti socias cohortes, octo equitum alas, quarum ea sedi-
tione intemerata modestia fuit. Læti neque procul Germani agitabant, dum justi- 50
tio ob amissum Augustum, post discordiis attinemur. At Romanus agmine propero
silvam Cæsiam, [4] limitemque à Tiberio cœptum scindit: castra in limite locat: fron-
tem

1 *Permissa vulgo licentia atque ultio*] Prudens hercle factum. neque absimiliter Cato Censorius, de quo habemus apud Plutarchum in vita ejus, si unus ex servis capital meruisset, judicium relinquebat conservis amolitus hoc modo à se & injustitiam & invidiam. *Gruterus.*

2 *Honesta vulnera*] Quæ pectore excipiuntur: *inhonesta*, quæ tergo. Itaque inter cætera, quæ admirationi habita sunt in L. Siccio Dentato viro fortitudinis admirandæ, illud non minimum est, quod XLV. cicatricibus adverso corpore insignis esset, nulla in tergo. Auctor Plinius, lib. 7. c. 28. Sed & huc pertinet, quod de sacra cohorte Thebanorum, quæ ex amatoribus, & eis, qui amabantur, constabat, memoriæ proditum est, eam totam à Philippo Macedone in pugna Chæronensi esse concisam, qui cum eos victor inspexisset, omnes adversis vulneribus confossos, *Male pereant*, inquit, *qui hos turpe quicquam aut facere, aut pati arbitrantur.* Ex ea cohorte unus in prœlio cum pronus cecidisset, hosti à quo se confossum iri videbat, *quæso te*, inquit, *gladium mihi per pectus adigito, ne is, qui mihi in amoribus ac deliciis est, si me averso vulnere confossum viderit, erubescat.* Auctor Plutarchus in Pelopida. Lacedæmonii quoque insepultos abjiciebant τοὺς ἐπιστρέφοντας. Muretus.

Vulnera accepissent] Recte quidem Mureti libellus, *excepissent*, si Man. annueret. Sed in eo nihil mutatur, quamvis ipse affirmet, in quibusdam veteribus (fortasse impressis) legi, *excepissent.* Pichena.

3 *E legionibus sex, & viginti*] Distinctio præter historiam. Interpunge, *è legionibus, sex & viginti soc.* Quattuor enim dumtaxat legionum miles, in id bellum ductus: nec plures in Germania inferiori erant. Clarum ex sequentibus, ubi legiones enumerat: *Mox prima legio: sinistrum latus unaetvicesimani clausere, dextrum quintani: vicesima legio terga firmavit.* Lipsius.

4 *A Tiberio cœptum scindit*] Forte, *scandit.* Utrum autem limes hic à Tiberio structus ad secernendos discriminandosque Germanos? an potiùs agger & via? *Cæsia* etiam *silva*, dubites an *Hesia* scribenda: quo nomine etiamnunc eo tractu manet, in Clivensi inquam Ducatu *Heserwalt.* Quæ vox non abest, quin à Deo *Heso* nomen habeat, quem Galli Germanique *Martem* colebant. *Lipsius.* His admodum similia tradit Ortelius. Sed suavius ac propinquius est, quod protulit Cluverius lib. 3. German. antiq. cap. 9. pag. 540. scribens (CÆSIA igitur SILVA ea est, quæ nunc partim in Cliviensi ducatu, partim in Vestfalia inter oppida *Wesel* & *Coesfeld* protenditur.) Quasi ab Cæsia Romana gente deducerent, unde est Cæsius Cordus 3, 38. Cæterum quod ego volo, hoc est, primam syllabam appellationis Cæsiæ apparere adhuc hodie in priore syllaba istius urbis. unde necessaria est attentior inspectio unici codicis, unde Beroaldus edidit *Cæsiam*, an non in eo scriptum sit *Cœsiam*, quod optime conveniret, & plana fide restitueret pristinum. Utique cap. 63. & cap. 65. non scriptum est *cœno*, quod editur, sed *cæno*, ut videas ab editoribus ea mixta fuisse ad lubitum. *Cæsius* autem nomen legitur in Norico, de monte, quem memorat in Hercule Prodicio Pigius. Etiam 2, 41. MS. præbet *Cælio*, non *Cœlio*, quod editur, prout & 3, 37. *Cælius* MS. & Beroaldi edito, non *Cœlius.* Jac. Gronovius.

Limitemque à Tiberio cœptum scindit] Limites imperii erant, aut montes, aut fluminum ripæ, aut alia ejusmodi, quibus imperium pop. Rom. a barbaris dirimeretur; interdum etiam ducebantur muri, & in eis excitabantur castella, turres, propugnacula, & legiones collocabantur, quæ præsidio essent, & barbarorum incursiones impedirent. Talem hunc limitem fuisse arbitror. *Muretus.* Lipsius mavult *scandit*, me quidem assentiente, quamvis alii (Clu-

verius

tem ac tergum vallo; [1] latera concædibus munitus. [2] Inde saltus obscuros permeat, consultatque, *ex duobus itineribus breve & solitum sequatur; an impeditius & intentatum, eoque hostibus incautum.* Delecta longiore via, cetera accelerantur. etenim attulerant exploratores *festam eam Germanis noctem, ac solennibus epulis ludicram.* Cæcina cum

verius Germ. 3. 9.) credant eum hoc loco parum dextre conjecisse; limitem enim, inquiunt, poterat Germanicus cum exercitu scandere, at quomodo silvam? at *scindere* utrique convenit, quippe & *silvam scidit*, id est, cecidit, & *limitem scidit*, id est, perfodit ac disjecit. id autem fecit, quo castris locandis pateret spatium. hinc *castris in ipso limite locatis frontem ac tergum vallo, latera concædibus munitus* fuit. Ego autem existimo *scandendi* verbum egregie convenire. Cum enim silvæ ut plurimum collibus atque montibus incumbant, quis dubitet, *silvam scandere* recte & adposite dici? apud Tacitum 2. 16. *Pone tergum insurgebat silva.* deinde *scindendi* vox nescio quem ridiculum sensum præbet, nempe Germanico exscindenda silva erat, ut castra metaretur? Primo igitur *scindere silvam* non videtur dici posse pro exscindere; & si diceretur, non posset accipi de parte silvæ cædenda, sed de tota. hoc autem absurdum. deinde stulte fecisset Germanicus si limitem scidisset: nam ingenti labore quid aliud sibi comparasset, quam stativa incommodiora, iter impeditius? Itaque *in limite* castra posuit, hoc est, ut ego capio, supra limitem sive in superficie limitis, ad quod non opus erat cæsa silva, quippe in limite arbores non fuisse, facile intellectu. Limitem autem castris ponendis suffecisse, ex aliis auctoris locis patet, quibus prœlia in limitibus commissa scripsit, ut H. 2. 42. H. 3. 21. Et hæc omnia aperte ostendit auctor: *frontem ac tergum vallo; latera concædibus munitus.* Vallo enim si potuisset, ex disciplina majorum tota castra circumdedisset. id igitur jam fecit quatenus licebat. licebat autem à fronte tantum atque tergo; nempe in ipso aggere. Latera autem ne forte ascensuro hosti paterent, concædibus munivit. *Freinshemius.* Censeo cum Mureto *limitem* hunc ex eo genere esse, quibus, ubi flumina, mare, montes non erant; adversus incursiones barbarorum imperium Romanum muniebatur. Tacitus 2. Ann. *Cuncta inter castellum Alisonem ac Rhenum novis limitibus aggeribusque permunita.* Spartianus Hadriano: *in plurimis locis, in quibus barbari non fluminibus, sed limitibus dividuntur, stipitibus magnis in morem muralis sepis funditus jactis atque connexis, barbaros separavit.* Sic Ammiano lib. 30. Valentinianus laudatur *oppidorum & limitum conditor tempestivus.* Hos limites *scandere* quid sit, aut cui usui, non intelligo: sed si quando trans eos bellum inferebatur barbaris, aut barbari invadebant fines Romanos, tum *scindi, aperiri, rumpi* & *perrumpi* dicebantur. Vellejus lib. 2. *Penetrat interius, aperit limites, vastat agros.* Vopiscus in Tacito: *nam limitem Transrhenanum Germani rupisse dicuntur, occupasse urbes validas.* Ammianus lib. 23. *Equestres hostium turmas vicino limite quodam perrupto avertisse subito prædas.* Lib. 26. *Alemanni perrupere Germaniæ limites.* Hunc dicit *coeptum à Tiberio*, id est, factum, institutum: ut alibi *hortos coeptos à Lucullo.* *Scindere silvam*, non est cædere, non exscindere: nam *cædere silvam* est aut conlucare, aut hic illic arbores dejicere; *exscindere* autem est omnem omnino abolere & nullas ibi arbores relinquere. At *scinditur*, quod dividitur, aperitur, rimam aut fenestram aut intercapedinem & aliquid interlucens accipit. Sic *scindunt robora cuneis*; sic *scindit se nubes.* Sic Orion vadit *per maxima Nerei Stagna viam scindens*: sic *solum scindere*: sic *vallum scindere.* Ita ergo & *silva scinditur*, cum in ea pervium fit: cum per eam aperitur via militaris: ut relinquantur quidem utrinque arbores, tantum tamen fiat vacui, ut exercitus tuto ea commeare possit. Commodissime igitur hoc verbum & ad limitem & ad silvam refertur. Castra denique *in ipso limite* posita intellige, ut fossæ aggerisque & quicquid ibi structum erat muniendi causa, ejus complanata pars intra castra recepta sit: non quasi præcise castra intra liminis quamvis latissimi angustias stringerentur. Sic Justino Agathocles lib. 22. *Castra in quinto lapide à Carthagine statuit.* Sic enim MSS. ut monuimus pec. vet. 1, 3. Quia proxime limitem erat silva Cæsia, saltus autem omnes sunt loca insidiis nata, nec nisi caute & explorato intranda provido duci, eam non excidit totam (neque enim necesse habuit) sed longe lateque, qua è castris prospectum patere voluit, & qua exercitus ducendus erat, cecidit, hoc est, *scidit*: eo consilio, quo Cæsar lib. 3. Gall. 29. qui videndus. *Gronovius.*

1 *Latera, concædibus munitur*] Alii, *munit*: ego, *munitus*, malo. muniendi hic mos a Germanis Gallisque. Ammianus, lib. 16. *Difficiles vias & suapte natura clivosas concædibus clausere solerter, arboribus immensi roboris cæsis.* Usus ea voce & Cæsar. At *Concisa* vocare videtur P. Diaconus: *Factis etiam concisis*, inquit, *per devia silvarum irruit super eos.* Lipsius.

Concædibus munitus] Non quasi non licuisset ea quoque vallum ducere: quid enim vetaret? sed quia tanta cæsarum arborum copia erat, ut aggesta sufficeret lateribus tutandis, contentus ea fuit, & consuluit militum labori. Prorsus ut in Morinis Cæsar: *reliquis deinceps diebus silvas cædere instituit, & ne quis inermibus imprudentibusque militibus ab latere impetus fieri posset, omnem materiem, quæ erat cæsa, conversam ad hostem collocabat, & pro vallo ad utrumque latus extruebat.* Gronovius.

2 *Inde saltus obscuros*] Proprium loci nomen. *Muretus.*

Pax

cum expeditis cohortibus præire, & obstantia silvarum amoliri jubetur: legiones modico intervallo sequuntur. Juvit nox sideribus inlustris. ventumque ad vicos Marsorum, & circumdatæ stationes, stratis etiam tum per cubilia, propterque mensas, nullo metu, non antepositis vigiliis. adeo cuncta incuria disjecta erant: neque belli timor; ac ne [1] pax quidem, nisi languida & soluta inter temulentos. Cæsar [2] avidas legio- 51
nes, quo latior populatio foret, quatuor in cuneos dispertit: quinquaginta millium spatium [3] ferro flammisque pervastat: non sexus, non ætas miserationem attulit; profana simul & sacra, & celeberrimum illis gentibus [4] templum, quod *Tanfanæ* vocabant, solo æquantur. [5] sine vulnere milites, qui semisomnos, inermos, aut palantis ceciderant. Excivit ea cædes Bructeros, Tubantes, [6] Usipetes, saltusque, per quos exercitui regressus, insedere: quod gnarum duci, [7] incessitque itineri & prœlio. pars equitum, & auxiliariæ cohortes ducebant; mox prima legio: & mediis impedimentis, sinistrum latus unetvicesimani, dextrum quintani clausere. vicesima legio terga firmavit, post ceteri sociorum. Sed hostes, donec agmen per saltus porrigeretur, immoti; dein latera & frontem modice adsultantes, tota vi novissimos incurrere; turbabanturque densis Germanorum catervis [8] leves cohortes, cum Cæsar advectus ad vice-

1 *Pax, nisi languida & soluta*] Hoc est, torpor potius erat quam quies. talem pacem *marcentem* appellat in libello de Germ. c. 36. similis locutionis *insomnes magis quam pervigiles* apud nostrum 2. 65. *Freinsh.* Agitabant, inquit, tanquam nullo bello atque in media pace securi: nec tamen, ut pace homines sobrii & vigiles (quippe qui hactenus plerumque intenti & sui compotes: ut si quid subitum ingruat, aut arma aut fugam quærere norint) sed ut saucii ac præ poculis, ubi essent, nescientes marcebant torpebantque. *Gronovius.*

2 *Avidas legiones*] Quidam aviditatem interpretantur de præda: rectius meo animo, qui *avidas certaminis* exponunt: præsertim quum nec prædæ multum ex tali hoste sperandum esset. est igitur ea *cupido eundi in hostem*, de qua supra 1. 49. *Freinshemius.*

3 *Ferro flammisque pervastat*] Forte rectius *pervastata.* Idem.

4 *Templum, quod Tanfanæ*] Quis Deus, quæ dea? Quidam ἐτυμολογίζουσι quasi esset, *Taen'anck* quod lingua nostra principium rerum. At Britanni prisci, sua lingua Tan, ignem vocant. *Lipsius.*

Templum, quod Tanfanæ vocabant] Derivandum videtur à *tan* vel *than abiete* Germ. & *fahna* vel *fan*, quæ est vox prisca Gothoteutonica, *dominum* aut *numen* signans. In cantico enim Mariæ linguâ priscâ scripto & à Bon. Vulcanio edito sic habetur: *Mikileidsai Walameina* fan. i. e. *Magnificat anima mea Dominum*, & in Cantico Simeonis: *Fraleitai skalkemana fraujinond* fan. i. e. *Nunc dimittis servum tuum Domine.* Martianus Capella lib. 2. de nuptiis Philologiæ & Mercurii: *Qui habitant silvas, nemora, lucos, lacus, Fontes ac Fluvios, appellanturque Panes, Fauni, Fones*, &c. Ad quem locum Grotius ex Glossis Isidori notat: *Fones, Dii silvatici.* Gothi scriberent *Fanes* vel *Faanes.* Itaque *Tanfana* apud Tacitum nihil aliud est, quam *luci patronus* aut *dominus.* Romani *Silvanum* indigitarent. Accedit etiam hæc ratio, quod *Tanfana* templum fuit in luco inter Amisiam & Luppiam in Westphalia, ut ejus situm describit Cluverius lib. 1. Germ. antiq. cap. 11. & 47. Illum vero lucum abiegnum fuisse, ex vocis notione liquet; quod genus arborum absque dubio olim in Germania, cum incultum adhuc esset solum, uberius, quam hodie, succrevit. Nec insolens aliis gentibus erat; a singulari arborum aut luci genere nomina petita diis suis imponere. Sic Jupiter *Fagutalis* cognominatus est Romanis à luco fageo ei sacro, ut tradit Plinius lib. 16. cap. 10. & ultimo. *Loccenius.* Hæc syllaba Fan ita superstes quoque mansit in lapide, qui quondam positus fuit MATRIBVS AVFANIABVS, quibuscum hanc conatur colliquefacere Reinesius, ad Inscriptiones pag. 188. nescio an non temere. Equidem temere opinor attribui locum inter Amisiam & Luppiam. Syllaba vero ista reliquias hodieque an non manifestas obtinet in urbe vel comitatu Zutfaniæ? *Jac. Gronovius.*

5 *Sine vulnere milites*] Putabam legendum; *sine vulnere militis, qui semisomnos* &c. *ceciderat.* Freinshemius.

6 *Usipetes*] Alibi semper, *Usipios*, idem Tacitus appellat, & utroque modo alii etiam auctores. *Pichena.*

7 *Incessitque itineri & prœlio*] Sic lib. 13. *Non ignaro duce nostro, qui via pariter, & pugna composuerat exercitum.* Curtius, *itineri simul paratus & prælio.* Xenophon. 2. παιδ. sub finem. αὐτος δε συνταξάμενος ἢ ἄγειν καὶ πρὸς τὸ ἀνύειν τὴν ὁδὸν καὶ πρὸς τὸ μάχεσθαι, ὅτι δέοι, ἐπορεύετο. Muretus.

8 *Leves cohortes*] Intelliguntur *ceteri sociorum*, de quibus paulo supra: qui leviter, neque legionariis armis, armati. *Freinshemius.*

viceſimanos, voce magna; *hoc illud tempus obliterandæ ſeditionis* clamitabat: *pergerent, properarent culpam in decus vertere.* Exarſere animis, unoque impetu perruptum hoſtem redigunt in aperta, cæduntque: ſimul primi agminis copiæ evaſere ſilvas, caſtraque communivere. Quietum inde iter. fidenſque recentibus, ac priorum
52 oblitus miles, in hibernis locatur. Nunciata ea Tiberium lætitia curaque adfecere: gaudebat oppreſſam ſeditionem; ſed quod largiendis pecuniis, & miſſione feſtinata favorem militum quæſiviſſet, bellica quoque Germanici gloria, angebatur. Retulit tamen ad ſenatum de rebus geſtis, multaque de virtute ejus memoravit, magis in ſpeciem verbis adornata, quam ut penitus ſentire crederetur. Paucioribus Druſum & finem Illyrici motus laudavit; ſed intentior, & fida oratione. cunctaque [1] quæ Ger-
53 manicus indulſerat, ſervavit etiam apud Pannonicos exercitus. Eodem anno [2] Julia ſupremum diem obiit, ob impudicitiam olim à patre Auguſto Pandateria inſula, mox opido Rheginorum, qui Siculum fretum accolunt, clauſa. Fuerat in matrimonio Tiberii florentibus Cajo & Lucio Cæſaribus, [3] ſpreveratque ut imparem; nec alia tam intima Tiberio cauſſa, cur Rhodum abſcederet: imperium adeptus, extorrem, infamem, & poſt interfectum Poſtumum Agrippam, omnis ſpei egenam, inopia ac tabe longa peremit, obſcuram fore necem [4] longinquitate exſilii ratus. Par cauſſa ſævitiæ in [5] Sempronium Gracchum, qui familia nobili, ſollers ingenio, & prave facundus

1 *Quæ Germanicus indulſerat*] Poſſum pati eoſdem manes, quos tam multi probique ex eruditis, ut etiam tolerem hanc lectionem. Verum non mihi videtur perſona mutari in hac pericope, ſed eundem, quem ſcribit laudaviſſe, ſimul quoque indulſiſſe & ſervaviſſe, nempe ipſum Tiberium. Nam Tacitus ſcripſit *cunctaque quæ Germanicis indulſerat*, nempe legionibus ipſe Imperator Tiberius, *ſervavit etiam apud Pannonicos exercitus.* Eſt eadem corruptelæ facilitas, quam ſupra deprehendi in v. *Centurionatim.* Mox autem MS. ſcribit *Regium* ſine illo h. *Jac. Gronovius.*

2 *Julia ob impudicitiam*] Qui feminam hanc impudicitiæ arguant, multi teſtes. Seneca de Benef. lib. VI. cap. XXXII. *Auguſtus flagitia principalis domus in publicum emiſit, admiſſos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comeſſationibus urbem, forum ipſum ac Roſtra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiæ in ſtupra placuiſſe, cotidianum ad Marſyam concurſum, cùm ex adultera in quæſtuariam verſa jus omnis licentiæ ſub ignoto adultero peteret.* Plinius, *Apud nos hujus licentiæ exemplum non eſt aliud, quam filia D. Auguſti, cujus luxuria noctibus coronatum Marſyam litteræ illius dei gemunt.* vel, ut clariſſimus Torrentius emendat, *illius deſcribunt.* etſi ego malim, *degemunt.* De hoc Marſya, præter ea quæ dixi Antiquis, Sidonius,

Marſyaque timet manum ac rudentem.

Id eſt, tribunal metuit & forum. Emendo, *tridentem.* Arnobius l. II. *Quia fornicem Lucilianum & Marſyam Pomponii obſignatum memoria continetis.* Vide Dionem lib. LV. *Lipſius.*

3 *Ut imparem*] Taurum non ad illud jugum. *Idem.*

Spreveratque ut imparem] Lipſius ad libidinem refert. Ego ad generis claritudinem, quaſi Livia Tiberium deſpiceret tanquam haud æqualem. *Pichena.* Genere & familia. Magna heic ambitio. Noſter lib. 2. Ann. cap 43. de Plancina. *Vix Tiberio concedere; liberos ejus ut multum infra deſpectare.* Et mox ibidem: *Contra Druſo proavus eques Romanus Pomponius Atticus dedecere Claudiorum imagines videbatur.* Adde l. 3. c. 23. & 29. l. 6, 27. & 2. Hiſtor. 50. *Gruterus.* Similiter fere, ſed magis merito, Fabia apud patrem ſuum conqueritur, *quod juncta impari eſſet.* Freinſhemius.

4 *Longinquitate exſilii ratus*] Id eſt, diuturnitate. Nam relegata Julia anno DCCXLVIII. ex quo ad hunc diem anni fere viginti. *Lipſius.*

Longinquitate exſilii] Credens hominibus, ob exſilium quod tam diu remotis in locis toleraviſſet, ejus jam fere oblitis, neminem magnopere inquiſiturum eſſe, quomodo perierit. *Freinſhemius.* Neutrum placet. Cum dicit *obſcuram necem*, intelligo cauſam necis. At non adeo remotum eſt Rhegium ab domina urbe, ut ſi nota illic publice foret, fama ejus Romam tardius perveniret. Nec vero, utrum diu quis exſilium toleraverit, an modo exierit, intereſt ad judicandum, fato an fraude humana perierit. Res igitur ipſa videtur velle, ut ſcribamus: *longinquitate exitii.* Quod enim non ſubito eam peremit, ſed ægrum ſpiritum inter inopiam trahere aliquandiu paſſus eſt, donec contabeſceret, eo ſperavit ſe poſſe conſequi, ut fraus lateret, quemadmodum illi, qui lentis & tabificis venenis graſſantur. *Gronovius.*

5 *Sempronium Gracchum*] Vellejus lib. poſteriore: *Quinctius Criſpinus ſingularem nequitiam ſupercilio truci protegens, & App. Claudius & Sempronius Gracchus ac Scipio, aliique minoris nominis utriuſque ordinis viri, quaſi*

cundus, eamdem Juliam in matrimonio M. Agrippæ temeraverat. nec is libidini finis; traditam Tiberio, pervicax adulter contumacia & odiis in maritum accendebat; litteræque quas Julia patri Augusto cum insectatione Tiberii scripsit, à Graccho compositæ credebantur. Igitur amotus Cercinam, Africi maris insulam, quatuordecim annis exsilium toleravit. Tunc milites ad cædem missi invenere in prominenti littoris nihil lætum opperientem. quorum adventu *breve tempus* petivit, *ut suprema mandata uxori Alliaria per litteras daret:* cervicemque percussoribus obtulit, constantia mortis haud indignus Sempronio nomine; vita degeneraverat. quidam non Roma eos milites, sed [1] ab L. Asprenate proconsule Africæ missos tradidere, auctore Tiberio,
qui famam cædis posse in Asprenatem [2] verti, frustra speraverat. Idem annus novas 54
cærimonias accepit, addito [3] sodalium Augustalium sacerdotio: ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris [5] sodales Titios instituerat. forte ducti è primoribus civitatis unus & viginti. Tiberius, Drususque, & Claudius, & Germanicus adjiciuntur. Ludos Augustales [6] tunc primum cœpta turbavit discordia, ex certamine histrionum. [7] Indulserat ei ludicro Augustus, dum Mæcenati obtemperat effuso in amorem

quasi cujuslibet uxore violata, pœnas pependere: cum Cæsaris filiam, & Neronis violassent conjugem. Vidimus & nummos hujus Gracchi, TI. SEMPRONIVS. GRACCVS. IIII. VIR. Q. DESIO. id est, quatuorvir, quæstor designatus, in parte altera. DIVI. IVLII. F. *Lipsius.*

1 *Ab L. Asprenate*] Credo cognomen esse gentis Noniæ. De Asprenatum claritudine & familia consulari Plinius lib. XXX. cap. VII. Suetonius in Aug. cap. XLIII. *Idem.*

2 *Verti frustra speraverat*] Forte rectius *speraverit*. Freinshemius.

3 *Sodalium Augustalium sacerdotio*] Idque exemplum placuit deinceps in omnibus Imperatoribus, qui facti Divi. Ita sodales Flavii, Hadrianales, Æliani, Antonini, passim in historia memorari. Lapis priscus:

NERONI. CÆSARI. GERMANICI. F. TI. AVGVSTI. N. DIVI. AVGVS. PRON. FLAM. AVGVSTALI. SODALI. AVGVSTALI. Q. Q. NOVANIVS. Q. L. SÆVIVS. *Lipsius.*

4 *Ut quondam T. Tatius*] Pugnat aperto Marte secum Tacitus, lib. II. Historiarum: ubi vult sodales Titios (ita enim scrib. non *Tatios*, ex lapid. & libris; dictique à prænomine Tatii) institutos non retinendis sacris, sed memoriæ Tatii sacrandæ. Quæ caussa hoc quidem loco aptior erat; fortasse & verior. *Faces Augustales subdidere, quod sacerdotium ut Romulus Tatio regi, ita Cæsar Tiberius Juliæ genti sacravit.* Dionysius hanc rem non attigit, contentus dixisse, honeste sepultum Tatium, & quotannis ei publicas inferias factas. *Lipsius.*

5 *Sodales Tatios*] Hos sic dictos nusquam præterea legi: neque scio cur *Titios* scriptum non sit melius: sic enim Budæ in Hungaria refert inscriptio, *dus. conservatoribus. Genius. Capelianus. leg. aug. pr. pr. sod. Titius.* Sodalium Titiorum meminit Varro, quos dictos à Titiis avibus, solitis in auguriis observari, lib. IV. Linguæ Latinæ scribit. Eodem spectat Lucanus l. 2.

Et doctus volucres augur servare sinistras,
Septemvirque epulis festis, Titiique sodales.

Sed de nomine non contendo, qui *centuriam Tatiensem & Titiensem* pro eadem à Tito Tatio lego, sed ab eodem *Titiam curiam*, & *Titiensem tribum*, apud Pompejum. In hoc hæreo, quod Varro prædicto loco nullum de Tatio verbum fecit, è cujus votis paulo ante refert, quæ fuerint Romæ dedicata. Magis autem miror Cornelium, qui tam sui dissimilis, hic Sabinorum sacris retinendis, à rege Tatio, & Historiarum lib. II. à Romulo, Tatii memoriæ, *sodales Titios* institutos ponat: quorum alterutrum sit falsum necesse est. Sane Romulus T. Tatio funus amplissimum faciendum curavit, & ejus manibus parentalia annua decrevit: at sacratorum sodalium aut flaminum nulla apud Livium, Dionysium, Plutarchum penitus mentio est. *Vertranus.* Lipsius ait, pugnare secum Tacitum, cum hic Sodales Titios institutos dicat, retinendis Sabinorum sacris: at lib. 2. histor. Tatii Regis memoriæ à Romulo sacratos. Julius Salinerus idem esse affirmat, propter regni societatem, atque utrobique id à Tacito dictum, ut tantum sciretur, quo exemplo Tiberius sodales Augustales instituerit. Nos fortasse aliter pugnam conciliabimus; ut Tatius sodales quidem instituerit, patriis sacris retinendis; Romulus vero post illius mortem eos solemnitate quadam confirmaverit, atque sacraverit, ut Sabinum populum eo magis deliniret. *Pichena.* *Sodales Tatios* exhibet unica membrana & prima editio, idque retineri debet. *Jac. Gronov.*

6 *Tunc primum cœptos*] Quomodo id verum? siquidem ludi Augustales jampridem instituti celebratique, Q. Ælio Tuberone, Paullo Fabio Coss. ut dixi supra. Rescribe igitur, *Tunc primum cœpta.* idque Tacito ipso auctore, infra: *Theatri licentia proximo priore anno cœpta gravius tum erupit.* Lipsius.

7 *Indulserat ei ludicro Augustus*] Imo vero, quod

amorem Bathylli: neque ipſe abhorrebat talibus ſtudiis, & civile rebatur miſceri voluptatibus vulgi. alia Tiberio morum via: ſed populum per tot annos molliter habitum, nondum audebat ad duriora vertere.

55 Druſo Cæſare, C. Norbano Conſulibus decernitur Germanico triumphus manente bello; quod quamquam in æſtatem ſumma ope parabat, [1] initio veris & repentino in Cattos excurſu præcepit. nam ſpes inceſſerat diſſidere hoſtem in Arminium ac Segeſtem, inſignem utrumque perfidia in nos, aut fide: Arminius turbator Germaniæ; Segeſtes parari [2] *rebellionem* ſæpe alias, & ſupremo convivio poſt quod in arma itum, aperuit: ſuaſitque Varo, *ut ſe & Arminium, & ceteros proceres vinciret, nihil auſuram plebem principibus amotis; atque ipſi tempus fore, quo crimina, & innoxios diſcerneret.* ſed Varus fato, & vi Arminii cecidit. Segeſtes quamquam conſenſu gentis in bellum tractus, diſcors manebat, auctis privatim odiis, quod Arminius filiam ejus alii pactam rapuerat. [3] gener inviſus inimici ſoceri; quæque apud concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infenſos erant.

56 Igitur Germanicus quatuor legiones, quinque auxiliarium millia, & tumultuarias catervas Germanorum [4] cis Rhenum colentium Cæcinæ tradit; totidem legiones, duplicem ſociorum numerum ipſe ducit: poſitoque caſtello ſuper veſtigia paterni præſidii [5] in monte Tauno, expeditum exercitum in Cattos rapit; L. Apronio ad munitiones viarum, & fluminum relicto. nam (rarum illi cælo) ſiccitate, & amnibus modicis inoffenſum iter properaverat; imbreſque & fluminum auctus regredienti [6] metuebantur. Sed Cattis adeo improviſus advenit, ut quod imbecillum æta-

te

cenſeo me primum advertiſſe, Auguſtus id ludicrum invenit. Suidas: Ὀρχήσεις, παντόμιμος. ταύτην ὁ Αὔγουστος Καῖσαρ ἐφεῦρε, Πυλάδου καὶ Βακχυλίδου πρώτων αὐτὴν μετελθόντων. Emenda, Ὀρχήσεις παντόμιμος. Et vere Suidas. Ante Auguſtum ſane liberaque rep. Pantomimorum nullum veſtigium. Zoſimus lib. 1. inter cauſſas labefactati imperii non vane refert, quod *Octaviani temporibus Pantomimorum ſaltatio prius incognita in uſu eſſe cœperit, Pylade ac Bathyllo primis ejus auctoribus.* Quod Suidas notat, in Ἀθηνόδωρος: cave ad Tiberii tempora referas, ſed Auguſti. κατὰ δὲ τοὺς καιροὺς ἐκείνους καὶ ἡ παντόμιμος ὄρχησις, εἰσήχθη, οὔπω πρότερον οὖσα. Emenda etiam ſupra in Suida, Βαθύλλου. Duo Pantomimi ſive hiſtriones (vulgo enim in hiſtoria, ut hic Tacito, miſcentur eæ voces) eximii, Pylades & Bathyllus. Poſterior, ignis & delicium Mæcenatis. Dionem non capiunt vulgò, qui hunc amorem honeſte tetigit, lib. LIIII. Ὅ, τι περ πάνυ σοφῶς ὁ Πυλάδης ἐπιτιμώμενος ὑπ᾽ αὐτοῦ (Αὐγούστου) ἐπὶ Βαθύλλῳ ὁμοτέχνῳ τέ οἱ ὄντι καὶ τῷ Μαικήνᾳ προσήκοντι ζῶντα ἐκείνῳ, &c. Ubi tamen intelligi etiam poteſt, hunc Bathyllum ſervum Mæcenatis fuiſſe. Seneca pater, *Recitabat reſcriptum Labieni pro Bathyllo Mæcenate* (corrige, *Mæcenatis*) *in quo ſuſpiceres adoleſcentis animum, illos dentes ad mordendum provocantis* Corruptum id nomen, apud eumdem Senecam, Præfat. lib. III. *Si Thrax eſſem, Fuſius eſſem: ſi Pantomimus eſſem, Pantillus eſſem: ſi eques, Meliſſon.* Lege, *Bathyllus eſſem.* Idem.

1 *Initio veris & repentino*] Mur. & delet. Recte ſane abeſt. *Acidalius.*

2 *Rebellionem ſæpe alias*] Mur. hic inſerit &. *Rebellionem & ſæpe alias & ſupremo.* Acidalius.

3 *Gener inviſus inimici ſoceri*] Scio recte dici, *ſoceri gener.* ſed ſuſpicor, Tacitum ſcripſiſſe, *gener inviſus, inimicus ſocer.* inviſus enim ſocero gener, quia filiam ei rapuerat: inimicus genero ſocer, quia Romanis amicus. *Pichena.* Duo verba poſtrema, non ſunt adnectenda prioribus, neque habenda caſus ſecundi, ſed pluralis numeri. frequens enim auctoribus uſurpare eam figuram. Unde nuper Senecæ reddidimus Hercule Furente, verſu 1283. ſuaſu membranarum, *pavidaſque matres*, cum prius occurreret paſſim, *pavidamque matrem.* Quare fruſtra quoque rapitur in medicinam locus Taciti libro II. Annal. capit. 16. *Non alium infenſius arma contra patriam ac Deos penates, quam parentes ejus exercuiſſe.* intelligit quidem unum patrem ſcriptor, ſed enuntiat tamen aliter. Sic neque mutandum illud in vita Agricolæ cap. 5. *Trucidati veterani, incenſæ coloniæ, intercepti exercitus*, quamvis unica tantum colonia igne hauſta. Ut neque quod ſequitur cap. 32. *Vacua caſtella, ſenum coloniæ* &c. niſi velimus mille item aliis locis interpolare os oratorium auctoribus claſſicis. quo quid protervius? *Gruterus.* Genitivi ſingulares ſunt: quod putidum eſſet monere, ſi complures pro nominativis pluralibus non habuiſſent. *Freinſhemius.*

4 *Cis Rhenum colentium*] Ut erant Vangiones, Triboci, Nemetes, Treveri, Nervii. ſed & pars aliqua Batavorum. *Lipſius.*

5 *In monte Tauno*] Alii, *Tauro* ſcribunt. Ubi is, mecum alii ignorant. *Idem.*

6 *Metuebantur*] Et ipſe MS. & prima inde editio habet *metuebatur.* Jac. Gronovius.

1 *Flumen*

te ac sexu, statim captum aut trucidatum sit: juventus [1] flumen Adranam [2] nando tramiserat, Romanosque pontem cœptantis arcebant, dein tormentis sagittisque pulsi, tentatis frustra conditionibus pacis, cum quidam ad Germanicum perfugissent, reliqui omissis pagis vicisque in silvas disperguntur. Cæsar incenso [3] Mattio (id genti caput) aperta populatus, vertit ad Rhenum: non auso hoste terga abeuntium lacessere, quod illi moris, quotiens astu magis, quam per formidinem cessit. Fuerat animus Cheruscis juvare Cattos, sed exterruit Cæcina huc illuc ferens arma: & Marsos congredi ausos prospero prœlio cohibuit. Neque multo post legati à Segeste vene- 57
runt, auxilium orantes adversus vim popularium, à quis circumsedebatur; validiore apud eos Arminio, [4] quando bellum suadebat. Nam barbaris, quanto quis audacia promptus, tanto magis fidus, [5] rebusque motis potior habetur. Addiderat Segestes legatis filium, [6] nomine Segimundum. sed juvenis conscientia cunctabatur. quippe anno quo Germaniæ descivere, sacerdos [7] apud Aram Ubiorum creatus, ruperat vittas, profugus ad rebelles. Adductus tamen in spem clementiæ Romanæ, pertulit patris mandata, benigneque exceptus, cum præsidio Gallicam in ripam missus est. [8] Germanico pretium fuit, convertere agmen: pugnatumque in obsidentis, & ereptus Segestes magna cum propinquorum & clientium manu. Inerant feminæ nobiles, inter quas uxor Arminii, eademque filia Segestis, mariti magis quam parentis animo, neque victa in lacrymas, neque voce supplex, [9] compressis intra sinum manibus, gravidum uterum intuens. Ferebantur & spolia Varianæ cladis, plerisque eorum,

1 *Flumen Adranam*] Quod Junius noster *Ederam* accipit in Hassiis. qui Fuldam amnem illabitur. *Lipsius.*

2 *Nando tramiserit*] Lego: *trucidatum sit. juventus flumen Adranam nando tramiserat, Romanosque pontem cœptantes arcebant.* Acidalius. Malim, *tramiserat.* haud enim hæc pendere velim a superiori, *ut.* Pichena.

3 *Mattio*] Ματτιακὸν Germaniæ urbs & Ptolemæo. Marspurgum Hassiæ esse, non abhorret à vero. Adfirmare enim hæc talia, in tanta mutatione temporum, stultum: & tamen suavis hodie ingeniorum lusus. Ab hoc autem Mattio, Mattiacos nostros quidni deducam? Ut non solum contermini jam & socii, sed etiam consanguinei sint Batavorum. *Lipsius.*

4 *Quando bellum suadebat*] Satis bene, sed mira varietas Beroaldi, qui exhiberi ab typis hanc notam jussit *q̄do*, at cap. 44. ubi est vox eadem, explanavit *quando.* Sed MS. unicus nunc reservat *q̄ꝫ*, unde ambigas, an non Tacitus scripserit *quod bellum suadebat*, vel *quoniam.* Alioqui eundum modum apud barbaros bis explicabit. *Jac. Gronovius.*

5 *Rebus commotis*] Imo scribo, *rebusque motis.* ex sententia, & Taciti exemplo, lib. XIII. *Ducem tantum defuisse, qui rebus motis facile reperiretur.* Lipsius.

6 *Nomine Segimundum*] Horum & plurium ducum mentio apud Strabonem, lib. VII. Ἔτισαν δὲ δίκας ἅπαντες, καὶ παρέσχον τῷ νεωτέρῳ Γερμανικῷ λαμπρότατον θρίαμβον, ἐν ᾧ ἐθριαμβεύθη τῶν ἐπιφανεστάτων ἀνδρῶν σώματα καὶ γυναικῶν, Σεγιμοῦντός τε καὶ Σεγέστου υἱὸς, (corrige Σεγιμοῦντός τε Σεγέστου υἱὸς, copula item deleta) Χηρούσκων ἡγεμὼν, καὶ ἀδελφὴ αὐτοῦ, γυνὴ δ' Ἀρμενίου τοῦ πολεμαρχήσαντος ἐν τοῖς Χηρούσκοις ἐν τῇ πρὸς Οὔαρον παρασπονδήσει: *Pœnas dederunt omnes, & triumphum pulcherrimum Germanico Cæsari, in quo ducta illustrium captivorum captivarumque corpora, ut Segimuntus Segestis filius, Cheruscorum dux, ejusque soror, uxor Arminii, qui bello præfuerat apud Cheruscos in expeditione contra Varum.* Idem.

7 *Apud Aram Ubiorum*] Frequens hujus aræ mentio. Vidi qui vellet Bonnam nunc esse. ego vereor ut propius adfuerit ab opido Ubiorum, Quidquid hodie sit, puto originem ei loco à veneratione Augusti, cui novo cæliti ara illic, recepta adulatione, exstructa, uti ara Lugduni, & ad eam sacerdotes ex primoribus gentis, inter quos hic Segimundus. *Idem.* Etiam post alium, quem ignotum relinquit Lipsius, sic adseverat Phil. Cluverius de tribus Rheni alveis cap. 13. Freinshemius autem in comparatione versionum, videns Germanicam edidisse *zu Colln*, notat eam falli: nam Coloniam Agrippinam alium ab boc locum fuisse constat inter auctores quorum plerique Aram Ubiorum pro Bonna habent. Cæterum *apud* hîc significat in ut 2, 59. *apud Siciliam*, pro in Sicilia.

8 *Germanico pretium fuit*] Hoc est, satis magnum operæ laborisque pretium tulit, erepto scil. Segeste, capta Arminii uxore, receptis Varianis spoliis &c. Hoc sensu 2, 35. *Ni pretium foret, noscere.* Freinshemius.

9 *Compressis intra*] Qui habitus etiam nunc Germanicis matronis (videre videor) per modestiam &

rum, qui tum in deditionem veniebant, prædæ data. Simul Segestes ipse ingens
58 visu, & memoria bonæ societatis impavidus. Verba ejus in hunc modum fuere: *Non hic mihi primus erga populum Romanum fidei & constantiæ dies: ex quo à divo Augusto civitate donatus sum, amicos inimicosque ex vestris utilitatibus delegi: neque odio patriæ (quippe* [1] *proditores etiam iis, quos anteponunt, invisi sunt) verum quia Romanis Germanisque idem conducere: & pacem, quam bellum probabam. ergo raptorem filiæ meæ, violatorem fœderis vestri Arminium, apud Varum, qui tum exercitui præsidebat, reum feci. dilatus segnitia ducis, quia parum præsidii in legibus erat, ut me, & Arminium, & conscios vinciret, flagitavi. testis illa nox, mihi utinam potius novissima! quæ secuta sunt, defleri magis, quam defendi possunt. ceterum & injeci catenas Arminio, & à factione ejus injectas perpessus sum. Atque ubi primum tui copia; vetera novis, & quieta turbidis antehabeo: neque ob præmium, sed ut me perfidia exsolvam: simul genti Germanorum idoneus conciliator, si pœnitentiam quam perniciem maluerit. Pro juventa & errore filii veniam precor: filiam necessitate huc adductam fateor. tuum erit consultare,* [2] *utrum prævaleat, quod ex Arminio concepit, an quod ex me genita est.* Cæsar, clementi responso, liberis propinquisque ejus incolumitatem, [3] ipsi sedem Vetera in provincia pollicetur. Exercitum reduxit, nomenque *Imperatoris* auctore Tiberio accepit. Arminii uxor virilis sexus stirpem edidit: educatus Ravennæ [4] puer quo mox ludibrio conflictatus
59 sit, in tempore memorabo. Fama dediti benigneque excepti Segestis vulgata, ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat, spe vel dolore accipitur. Arminium super insitam violentiam, rapta uxor, subjectus servitio uxoris uterus, vecordem agebant: volitabatque per Cheruscos, arma in Segestem, arma in Cæsarem poscens. neque probris

decorum assumptus. *Lipsius.*

1 *Proditores etiam iis*] Thucydides lib. 3. Τὸ μὲν καθεστὸς τοῖς Ἕλλησι νόμιμον ἴσμεν. τοὺς γὰρ ἀφισταμένους ἐν τοῖς πολέμοις, καὶ ξυμμαχίαν τὴν πρὶν ἀπολείποντας, οἱ δεξάμενοι, καθ' ὅσον μὲν ὠφελῶνται, ἐν ἡδονῇ ἔχουσι. νομίζοντες δὲ εἶναι προδότας τῶν πρὸ τοῦ φίλων, χείρους ἡγοῦνται. Gronovius.

2 *Utrum prævaleat*] Uter plus juris in eam habeat, & utri parere magis debeat, patri an marito mox patri. *Lipsius.*

Utrum prævaleat] Segestes orat pro filio, ejusque errorem juventæ illius, & suis meritis condonari petit. Pro filia non audet orare, quod non sponte virum reliquerit; sed necessitate ad patrem reversa fuerit, quippe capta ab eo, infra 1, 59. Contra filius, cum Arminium sequi posset, ad patrem, quem Romanarum partium esse norat, voluntate rediit. Ergo filiæ causam integram Germanici judicio permittit, cumque duo in ea maxime consideranda sint, &, quod ex Arminio conceperit, ad pœnam; quod ex se nata sit, ad veniam valeat, Cæsaris arbitrio servat, utrum utri præferre velit. *Freinshemius.*

3 *Veterem in provincia*] Nescio an verius, *vetere in provincia.* id enim ad securitatem Segestis, ne sedem acciperet in provincia nova obnoxia hosti. Per veterem autem provinciam, ceperim Galliam. Infra, *Coleret Segestes victam ripam; redderet filio sacerdotium.* Tamen fieri potest ut sedem jam ante defectionem in Gallia habuerit: atque ita, *veterem.* An *uberem* placet? an aliud è veteri scripto elicis, qui habet, *vera?* Lipsius.

Ipsi sedem vetere in provincia.] Inclinabat Lipsius ad hanc lectionem, judicii ductu, cum antea legeretur, *sedem veterem.* Manuscr. fere convenit, habet enim *vetera*, addita littera *e*, supra literam, *a*, quamvis à recentiori manu. Recepi itaque. Tacitus libro 2. *In hibernaculis veteris provinciæ componit.* Pichena. Hoc est, in Cisrhenana. *Vetus provincia* dicebatur ea cujusque regionis pars, quæ olim imperio adquisita pacataque fuerat; reliquis postea adjectis, aut adhuc rebellibus. Sic apud Liv. 24, 44. Sicilia in duas provincias dividitur; *M. Claudio Sicilia, finibus iis quibus regnum Hieronis fuisset; Lentulo proprætori provincia vetus.* Iterum 25, 3. *P. Lentulo qua vetus provincia in Sicilia esset; M. Marcello Syracusæ, & qua Hieronis regnum fuisset.* Ergo *vetus* hæc *provincia* necessario de parte Germaniæ, non de Gallia accipienda est, & quidem haud dubie de Cisrhenana, infra 1, 59. *Coleret Segestes victam ripam.* Freinshemius. Nihil agit, & provinciam veterem ex Sicilia in duas divisam tunc provincias nimis acriter nunc adhibet, nescio quomodo & Lipsio & Pichena ludente in præclara codicis antiqui scriptura. quæ eximia est & plane servari debet, nimirum *vetera*, ut subintelligantur castra, prout nunc restitui, crebro in Taciti scriptis celebrata. *Jac. Gronovius.*

4 *Puer, quo mox ludibrio.*] Apud alios nihil repperi. Tacitus hæc narraverit, in rebus Caji aut

Claudii.

bris temperabat: *egregium patrem! magnum imperatorem! fortem exercitum! quorum tot manus unam mulierculam avexerint. Sibi tres legiones, totidem legatos procubuisse. Non enim se proditione, neque adversus feminas gravidas, sed palam adversus armatos bellum tractare. cerni adhuc Germanorum in lucis signa Romana, quæ diis patriis suspenderit. coleret Segestes victam ripam; redderet filio sacerdotium:* [1] *hominem Germanos nunquam satis excusaturos, quod inter Albim & Rhenum virgas, & secures, & togam viderint. aliis gentibus,* [2] *ignorantia imperii Romani, inexperta esse supplicia, nescia tributa: quæ quando exuerint, irritusque discesserit ille inter numina dicatus Augustus,* [3] *ille delectus Tiberius, ne imperitum adolescentulum, ne seditiosum exercitum pavescerent. Si patriam, parentes, antiqua mallent, quam dominos, & colonias novas; Arminium potius gloriæ ac libertatis, quam Segestem flagitiosæ servitutis ducem sequerentur.* Conciti per hæc non 60
modo Cherusci, sed conterminæ gentes: tractusque in partis Inguiomerus Arminii patruus,

Claudii, libris qui perierunt. *Lipsius.*

1 *Nunquam satis excusaturos.*] Forte, *accusaturos.* & statim, *ignorantiam imperii Rom.* Idem.

Hominem Germanos nunquam.] Hic, primum malim, *Redderet filium sacerdotio.* Rectius enim ita, quoniam ille sacerdotio aufugerat. Deinde quæ sequuntur, languent. Ego videor erigere; simul & asperare probrum in Segestem: *Coleret Segestes victam ripam; redderet filium sacerdotio: enimvero Germanis nunquam satis excusaturum, quod inter &c.* Ex *Hominem* non nimis violenter *Enimvero:* ex *Germanos,* facillime *Germanis* fit. *Excusaturum* autem etiam alias legitur. Lipsius olim voluit *Excusaturum* hoc sensu: Hominem natum neminem Germanos excusare posse, quod passi sint Romanos ad Albim pervenire. *Acidalius.* Durior paulo locutio. fuerit forte, *hominem Germanis n. s. excusaturum.* Freinshemius. Lege, *homines Germanos.* Et *excusaturos* intellige posteritati. *Grotius.* Nulla opus est mutatione. Hoc enim vult; Hominem, nimirum Segestem, nunquam satis excusaturos Germanos, sive præsentes, sive posteros, quod ejus, avitæ oblitι ac hostis libertatis, perfidia in patriam, studio in Romanos; horum imperii, non nisi servilia indicentis, inter Albim ac Rhenum, datos à Natura custodes libertatis, insignia sint conspecta. Neque alienum aut absurdum videri debet illud, *hominem,* quo Segestem Arminius designat. Sic enim loquimur, quoties nostros, si adversi sint nobis, aut infidi, aut nos offenderint, agnoscere merito dedignamur, passim extant exempla. Ad hanc fere formam Dominus Joh. 4. ad Matrem, res non suas intempestive curantem; *Quid mihi tecum est, Mulier!* Non aliter ac si matrem hic non agnosceret. Et infinita talia apud auctores. *Boxhornius.* Meo judicio recte Grotius, *homines Germanos.* Livius lib. 42. *Regem educandum filium Romam misisse, ut iam inde à puero assuesceret moribus Romanis hominibusque.* Est genus excusandi, quod non inanibus verbis, sed rebus quæritur. Sic Statius 1. Th.

Tu modo dissimilis rebus mereare secundis
Excusare tuis.

Id est, præstare, ut illis ignoscatur, ut pro purgatis habeantur. Hoc intelligit Tacitus, significatque, qui vere Germani sint, & hoc nomen tueantur, eos meminisse oportere, quoad vivant, elaborandum sibi, ut hanc maculam diversis & fortibus factis deleant, nec in eo unquam sibi satisfacere. Adde quæ diximus 2. Ober. 13. Nam quod iste obnititur, quid est *nunquam satis excusaturos hominem,* qui, si culpa ejus id acciderit, nemini excusandus debet videri? ita dicendum erat, *amicos Segestis nunquam hominem satis excusaturos* apud alios Germanos. Freinshemius παραφράζει, Germanos hujus proditionis nota nunquam liberaturos, quod ejus opera factum est. Hoc est, *nunquam excusaturos,* non *nunquam satis excusaturos.* Gronovius.

2 *Ignorantia imperii Romani*] Quasi dicat, longinquiores gentes tutæ sunt à superbia & imperio Romano, ipso situ, & Romanos nec norunt: nos in limite, virtute nos liberavimus, & porro liberemus. *Lipsius.*

Ignorantia imperii Romani] Non mutarem, etsi Lipsius, *ignorantiam,* legere mallet. ait enim Tacitus, Germanos inter Albim & Rhenum incolentes, quibus notum imperium Romanum, virgas & secures expertos: alias vero gentes ejusdem imperii ignaras, istarum etiam rerum nescias. *Pichena.* Certe aliæ gentes, quæ Romanum imperium haud agnoscunt, non suppliciis, non tributis, quæ stipendiariis provinciis indicunt, atteruntur. *Freinsh.*

3 *Ille delectus Tiberius*] Alius, delectus ad imperium. Quod quanquam verum sit, & horum etiam verborum hic sensus esse possit; potius ad bellum contra Germanos, cui dux delectus fuit Tiberius, quam ad principatus successionem hic respici putem. Ipse quidem 2, 26. gloriatur: *se novies ab Augusto in Germaniam missum.* Freinshemius. Admitterem, si esset *delegatus.* Sed longe amplius est *delectus,* & Tiberium extollendo auget laudem eorum, a quibus vir talis irritus discessit. Ille *delectus* igitur est ille, quem unum ex omnibus dignum Augustus putavit, ut hæredem successoremque ordinaret. *Gronovius.*

patruus, [1] veteri apud Romanos auctoritate. unde major Cæsari metus: & ne bellum mole una ingrueret, Cæcinam [2] cum quadraginta cohortibus Romanis, distrahendo hosti, per Bructeros ad flumen Amisiam mittit. [3] equitem Pedo præfectus finibus Frisiorum ducit. ipse impositas navibus quatuor legiones per lacus vexit: simulque pedes, eques, classis, apud prædictum amnem convenere. Chauci cum auxilia pollicerentur, in commilitium adsciti sunt. Bructeros sua [4] urentis, expedita cum manu L. Stertinius, missu Germanici fudit; interque cædem & prædam repperit undevicesimæ legionis aquilam cum Varo amissam. Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum: quantumque Amisiam & Luppiam amnes inter, vastatum: haud procul [5] Teutoburgiensi saltu, in quo reliquiæ Vari legionumque insepultæ dicebantur.

61 Igitur cupido Cæsarem invadit solvendi suprema militibus, ducique; permoto ad miserationem omni qui aderat exercitu, ob propinquos, amicos, denique ob casus bellorum, & sortem hominum. præmisso Cæcina ut occulta saltuum scrutaretur, pontesque & aggeres humido paludum & fallacibus campis imponeret, incedunt mœstos locos, [6] visuque ac memoria deformes. Prima Vari castra lato ambitu, & dimensis principiis, [7] trium legionum manus ostentabant: dein [8] semiruto vallo, humili fossa, accisæ jam reliquiæ consedisse intelligebantur: medio campi albentia ossa, ut fugerant, ut restiterant, disjecta vel aggerata: adjacebant fragmina telorum, equorumque artus, simul truncis arborum antefixa ora; lucis propinquis barbaræ aræ, apud

1 *Veteri apud Romanos auctoritate*] Non sequitur, ideo & amicum Romanorum fuisse: nam & apud hostes anctoritati locus est. Cicero pro L. Manilia: *illa res quantam declarat ejusdem hominis apud hostes populi R. auctoritatem.* Freinshemius.

2 *Cum quadraginta cohortibus Romanis*] Ergo cum quatuor integris legionibus, quibus ipse præerat, ut supra dixit; decem enim cohortibus legio constat, quælibet cohors tribus manipulis. Veget. Polyb. & alii. *Pichena.*

3 *Equitem Pedo*] Credo Albinovanus Pedo, cujus fragmentum exstat de navigatione Oceani. Est tamen & alius Pedo Pompejus vir illustris, quem nominat Seneca in Ludo de morte Claudii. *Lipsius.*

4 *Urenteis*] Sic temere edidit Beroaldus. Hinc jactant id servantque omnes editiones, etiam ipsa Ryckiana, eamque terminationem iterant 3, 62. *parteis*; etiam verba ex 4, 32. citans Rhenanus in Annalium inscriptionis reddita ratione profert ANNALEIS *nostros*: ibidemque cap. 45. in Lipsianis editur *sequenteis.* Sed sicut hoc postremum in MS. legitur *sequentis*, prout jam ediderat Beroaldus, ita etiam in MS. tantum exstat *partis*, & nostro insuper loco habet *urentis*, quum tamen 4, 60. maneat *judicis partes*, & in citatis ab Rhenano verbis *annales*, nec nisi unum tale *grateis* deprehendi 3, 24. ævi, quo scriptum est, vitio, pro quo etiam editur *grates.* Alioquin & *inrumpentis undas* vides 2, 23. & 24. *prominentis oras.* 2, 46. *Pugnantis Romanos.* 3, 56. *ingruentis accusatores.* Norisius ad Cenotaphia Pisana pag. 462. ubi ruit in hanc orthographiam, notavit hoc mendum, sed temere exprobrat Pichenæ, quasi ille sic scripsisset, quum ejus propria hæc culpa non fuerit, dum consectari nequit omnium præcedentium nævos. Sed quia editio Pichenæ ad manum erat, Beroaldina nullis capitum incisionibus molestior, ideo ne quidem inspicere illam voluit; & quum sciret Pichenæ editionem non fuisse nec unicam, nec primam, illam tamen aggreditur, quasi non liceat honum interdum connivere. Adde Jul. Scaligerum de caussis L. L. 1, 8. *Jac. Gronovius.*

5 *Teutoburgiensi saltu*] Nomen etiamnum retinet inclytus Romana clade saltus, *Teuteberg.* & victoriæ cognomine insignis campus, *Winfelds*, ad opidulum Hornam, in Westfalia. Lipsius.

6 *Visuque ac memoria deformes*] Et hoc inter cætera minutiora adnotabo, in Man. legi *deformides.* Pichena. Recte quidem, dum hanc rem ita exsequitur; rectius, si inde colligeret id quod supponitur, non esse extra suspicionem, & plenum temeritatis. Nam Tacitus inde videtur scripsisse, *visuque ac memoria deformi. Deī* (id est, *Dein*) *prima* &c. Certe hæc magis appropinquant. *Jac. Gronovius.*

7 *Trium legionum manus*] Quo argumento ex principiis colligebatur manus trium legionum? Quia quotiens plures legiones unis castris, principia suæ cuique legioni descripta: in quibus aquila & signa. Item Principia majora. Vide Milit. Rom. lib. v. *Lipsius.*

8 *Semiruto vallo*] Videtur bina castra designare. una ante cladem, justa, magna: altera in clade, quæ secundo die in monte quodam fecisse eos Dio tradit; at tertio, occidione occisos. Hæc secunda

apud quas tribunos, ac primorum ordinum centuriones mactaverant. & cladis ejus superstites pugnam aut vincula elapsi, referebant, *hic cecidisse legatos*; *illic raptas aquilas*; *primum ubi vulnus Varo adactum*; *ubi infelici dextra*, *&* [1] *suo ictu mortem invenerit*; *quo tribunali concionatus Arminius*; *quot patibula captivis*, [2] *quæ scrobes*; *utque signis & aquilis per superbiam inluserit*. Igitur Romanus qui aderat exercitus, sextum 62
post cladis annum, trium legionum ossa, nullo noscente alienas reliquias an suorum humo tegeret, omnes ut conjunctos, ut consanguineos, aucta in hostem ira, mœsti simul & infensi condebant. [3] Primum extruendo tumulo cespitem Cæsar posuit, gratissimo munere in defunctos, & præsentibus doloris socius. Quod Tiberio haud probatum, seu cuncta Germanici in deterius trahenti; sive exercitum imagine cæsorum insepultorumque tardatum ad prœlia, & formidolosiorem hostium credebat: *neque imperatorem auguratu &* [4] *vetustissimis cærimoniis præditum*, [5] *attrectare feralia debuisse*. Sed Germanicus cedentem in avia Arminium secutus, ubi primum copia fuit, 63
evehi equites, [6] campumque quem hostis insederat, eripi jubet. Arminius colligi suos,

da igitur describere mihi nunc videtur, semiperfecta, & ubi reliquiæ se collegerint. *Idem.*

1 *Suo ictu mortem invenerit*] Sall. Catil. *Ita ille patricius, ex gente clarissima Corneliorum, qui consulare imperium Romæ habuerat, dignum moribus factisque suis exitium vitæ invenit.* Gronovius.

2 *Quæ scrobes*] Observo scrobium mentionem aliquotiens in suppliciis. sive quia soliti puniendum in scrobe collocare, quo securius ferirent: sive, quia deposituri in ea cadaver. Vix enim est, ut ejusmodi damnati, combusti fuerint, aut justa eis facta. Tacitus lib. xv. *Pœna Flavii Vejanio Nigro tribuno mandatur. Is proximo in agro scrobem effodi jussit: quem Flavius ut humilem & angustum increpans, Ne hoc quidem, inquit, ex disciplina.* Philo Judæus, εἰς Φλάκκον, apparatum supplicii ejus describens: οἱ δὲ αὐτοβοεὶ διώκοντες καταλαμβάνουσι, καὶ οἱ μὲν εὐθὺς ὤρυττον βόθρον, οἱ δὲ πρὸς βίαν εἷλκον ἀφηνιάζοντα καὶ κεκραγότα: *Illi (milites) uno spiritu persequentes eum comprehendunt: & pars statim foveam fodiunt, pars per vim clamantem reluctantemque trahunt.*

Add. De *Scrobe*, verissime notasse me censeo, jacta in eam corpora damnatorum. Id, qui tunc mores, pro ignominia, nec enim terra corpora condebant, sed igne absumebant. Juvat in arcano tu Polybius, de Carthaginiensibus supplicio affectis: Κολοβώσαντες δὲ καὶ συντρίψαντες τὰ σκέλη, ἔτι ζῶντας ἔρριψαν εἴς τινα τάφρον: *Admutilantes eos & crura frangentes, etiam vivos adhuc projecerunt in quamdam scrobem*, lib. 1. Lipsius. De his quid censuerit Octav. Ferrarius, tandem prodidit in Electis 1, 7. nempe ita designari pœnam, quum vivi defoderentur aut injecta crate necarentur.

3 *Primum extruendo tumulo*] Consueto ducum ac principum more, quo promptiores cæteros redderent. Sic Nero, dum Isthmum perfodere conatus est, *Primus* (ut ait Sueton. cap. 19.) *rastello humum effodit, & corbulo congestam humeris extulit.* & in Vesp. cap. VIII. *Ipse restitutionem Capitolii aggressus, ruderibus purgandis manum primum admovit, ac suo collo quædam extulit.* Pichena. Huc quoque pertinet inscriptio cum tribus carminibus, quæ leguntur in Collectione Pithæi Epigrammat. Vett. lib. 3. pag. 87. modo mereantur fidem vetustatis, etiam citata Ryckio ad caput 31. hujus libri, tanquam ex Cluverio, ut de Pithæi propria sede ignoravisse videatur.

4 *Vetustissimis cærimoniis*] Quæ adhærent Auguratui, nec violandæ erant. Extat inscriptio Romæ, sed mutila: in qua *Germanicus Cæsar* scribitur, *Ti. Augusti F. Divi Augusti N. Divi Julii* PRON. AVGVR. FLAMEN. AVG. Infra etiam, lib. II. *Nequis augur aut flamen in locum Germanici, nisi gentis Juliæ, crearetur.* Lipsius.

5 *Adtrectare feralia*] Non augures solum, sed Pontifices, &, opinor, omnes sacerdotes arcebantur à funestis. Apparet ex facto Augusti & Tiberii, qui velo interposito, mortuos laudarunt. Item ex Plutarcho, in Sulla. qui scribit, *Metellam uxorem ejus obiisse*: additque, καὶ τῶν ἱερέων τὸν Σύλλαν οὐκ ἐώντων αὐτῇ προσελθεῖν, οὐδὲ τὴν οἰκίαν τῷ κήδει μιανθῆναι, γραψάμενος διάλυσιν τοῦ γάμου ὁ Σύλλας, ἔτι ζῶσαν ἐκέλευσεν εἰς ἑτέραν οἰκίαν μετακομισθῆναι: *Cum Pontifices non finerent Sullam ad eam visere, neque domum ejus funere pollui; Sullam scripsisse libellum divortii, eamque adhuc vivam in aliam domum jussisse transferri.* Notabilis ritus, aut cærimonia: & credo pluries aut solenniter usurpatam. Sulla autem inter sacerdotes: neque scio an & Augures. certe lituus comparet in quibusdam ejus nummis. Sed de offensa Tiberii, credo & occultam caussam Tiberio fuisse; quod hoc factum nimis populare, & conciliando militi videbatur. Qua consimili Philippus Macedonum rex, cui bellum cum Romanis fuit, alienus ab Antiocho rege Syriæ factus, qui Macedonas cæsos ad Cynoscephalas sepelierat: humaniter, sed quasi cum tacita Philippi redargutione. Vide Appianum in Syriaco. *Idem.*

6 *Campumque quem hostis insederat, eripi*] Genus loquendi

suos, & propinquare silvis monitos vertit repente: mox signum prorumpendi dedit iis, quos per saltus occultaverat. Tunc nova acie turbatus eques, missæque subsidiariæ cohortes, & fugientium agmine impulsæ auxerant consternationem; trudebanturque in paludem gnaram vincentibus, iniquam nesciis, ni Cæsar productas legiones instruxisset: inde hostibus terror, fiducia militi: & manibus æquis abscessum. Mox reducto ad Amisiam exercitu, legiones classe, ut advexerat, reportat: pars equitum litore oceani petere Rhenum jussa: Cæcina qui [1] suum militem ducebat monitus, quamquam notis itineribus regrederetur, Pontes longos quam maturrime superare. [2] Angustus is trames, vastas inter paludes, & [3] quondam à L. Domitio aggeratus: cetera limosa, tenacia gravi cœno, aut rivis incerta erant, [4] circum silvæ paulatim adclives: quas tum Arminius implevit, compendiis viarum, & cito agmine, onustum sarcinis armisque militem cum antevenisset. Cæcinæ dubitanti quonam modo ruptos vetustate pontes reponeret, simulque propulsaret hostem, castra
64 metari in loco placuit; [5] ut opus, & alii prœlium inciperent. Barbari perfringere stationes, seque inferre munitoribus nisi, lacessunt, circumgrediuntur, occursant: miscetur operantium bellantiumque clamor: & cuncta pariter Romanis adversa; locus uligine profunda, idem ad gradum instabilis, procedentibus lubricus; corpora gravia loricis; neque librare pila inter undas poterant. Contra Cheruscis sueta apud paludes prœlia; procera membra; hastæ ingentes ad vulnera facienda, quamvis procul.

loquendi è circo petitum. Ubi cum quatuor currus ad carceres starent, si primo ostio missus palmam meruisset, dicebant: *occupavit & vicit:* occupatio enim est eorum, qui in vacua veniunt primi: si secundo, *successit & vicit:* si tertio, *eripuit & vicit.* Habes in lapide antiquo apud Gruterum pag. 337. *Eripuit* puta *campum* præcedentibus. Silius:

Tene, Astur, certante feret quisquam æquore palmam
Erepto?

Vide Salmasium ad Solin. pag. 905. Idem Silius *prærepto limite* dicit de primo. Hoc Manilio est *præcludere circum* lib. 5. versu 80.

Vel prima tenentem
Agmina in obliquum currus agitare malignos
Obstantemque mora totum præcludere circum.

Illud *in obliquum* repræsentat Silius:

Obliquum Durius conversis pronus habenis
Opposuit currum atque eversum propulit axem
Atlantis senio invalidi.

Est enim *malignus* in adversarium, qui hanc ei moram objicit: & præcludit ei circum, in quo nullum ei locum dat antevertendi aut laudem in eo quærendi. Quod non consideravit Scaliger, cum correxit in Manilio, *perludere.* Gronovius.

1 *Suum militem*] Cui nimirum præesse consueverat, nempe inferioris Germaniæ exercitum, vide supra 1, 31. *Freinshemius.*

2 *Angustus is trames*] Ubi is hodie? & an est? ex Taciti tota descriptione (considera serio) inducor illum esse, qui hodieque exstat & nitui est, inter paludes aut uligines, haud procul Amisia flumine, inter *Lingam*, *Weddam*, & *Coevordam.* Aliquot milliarium spatium occupant: itque per medias solus hic limes, manu factus, arenis magno opere congestis, & palis trabibusque ad marginandum defixis. Extrema palorum ævo detrita sunt, sed sub terra vel aquis reperiuntur: & Batavi nunc tam opportuno loco usi, qua aditus in Frisiam datur, valido propugnaculo, in ipso limite illo, munierunt. Vocant *Bretanice uligines* (*Bretansche heyde*) nostra lingua: & discis jam, ubi & unde *Britannica herba* reperta aut dicta, Plinio frustra inquisitum. Est ab ista *Britannia*, sive magis *Bretannia:* & tu, sodes, Plinium vide, in Frisiis herbam hanc mire celebrantem, lib. xxv. cap. III. Porro isti Limites sive Aggeres, *Kaji* etiam Latinis olim dicti: quæ vox & Batavis manet. *Lipsius.*

3 *Quondam à L. Domitio*] Neronis principis avo. Tacitus, l. IIII. *Post exercitu flumen Albim transgressus est, longius penetrata Germania quam quisquam priorum. easque ob res insignia triumphi adeptus est.* Sueton. Nerone, cap. IIII. *Non minus aurigandi arte in adolescentia, quam deinde triumphalibus ornamentis ex Germanico bello.* In alium sane Domitium ista non cadunt. *Idem.*

4 *Circum silvæ paulatim adclives*] Ex Man. In vulgatis, *adclines.* Pichena.

5 *Ut opus, & alii prælium inciperent*] Faernus locum hunc, ut videtur, mutilum, ita restituebat: *ut alii opus, alii prælium inciperent.* Ursinus. Ad marginem libri Mureto adscriptum, *ut par opus alii.* Vere inde conjicio: *placuit, ut pars opus, alii prælium inciperent.* Acidalius. Frustra laborant in loco sano & nihil laboranti. Vide nostra ad Livium lib. 3.

cul. nox demum [1] inclinantis tum legiones adversæ pugnæ exemit. Germani ob prospera indefessi, ne tum quidem sumpta quiete, quantum aquarum circumsurgentibus jugis oritur, vertere in subjecta: mersaque humo, & obruto quod effectum operis, duplicatus militi labor. [2] Quadragesimum id stipendium Cæcina parendi aut imperitandi habebat: secundarum ambiguarumque rerum sciens, eoque interritus. Igitur futura volvens, non aliud repperit, quam ut hostem silvis coërceret, donec saucii, quantumque gravioris agminis, anteirent. nam medio montium & paludum porrigebatur planities, quæ tenuem aciem pateretur. Deliguntur legiones, quinta dextro lateri; unetvicesima in lævum; primani ducendum ad agmen; vicesimanus adversum secuturos. Nox per diversa inquies: cum barbari festis epulis, læto cantu, aut 65
[3] truci sonore subjecta vallium ac resultantis saltus complerent; apud Romanos [4] invalidi ignes, [5] interruptæ voces, [6] atque ipsi passim adjacerent vallo, oberrarent tentoriis,

lib. 3. cap. 37. *Gronovius.*

1 *Inclinantis tum legiones*] Forte aptius, *inclinantis jam legiones.* Freinshemius.

2 *Quadragesimum id stipendium*] Est ergo idem ille, de quo lib. III. *Inter quæ Severus Cæcina censuit, ne quem magistratum, cui provincia evenisset, uxor comitaretur. multum ante repetito concordem sibi conjugem, & sex partus enixam. seque, quæ in publicum statueret, domi servavisse, cohibita intra Italiam, quamquam ipse pluris per provincias quadraginta stipendia explevisset.* Lipsius.

3 *Truci sonore*] Rhenanus vir doctus, quique nos scriptis non parum adjuvit suis, hunc locum & alterum ex libro IV. sequenti, ibi, *sonorem alterius prælii non acciperet*, mire suspectos habet: vereturque ne librarius aliquis Sidonianæ lectioni assuetus, pro *sono*, *sonorem* infulserit. Sed magis est ut Cornelius noster Lucretii lectione delectatus, ex illius vetustis verbis quasi flosculis, libros novos asperserit: sic autem poëta scripsit de rerum natura lib. I.

—— *quæ belle tangere possunt*
Aureis, & lepido quæ sunt fucata sonore.

Item libro VI. *Odorari licet, & sentire sonorem.* Vertranius.

4 *Invalidi ignes*] Similis prorsus descriptio Xenophontea, in desperatione pari; περὶ Κύρε ἀναβάσεως γ. Ταῦτα ἐννοούμενοι καὶ ἀθύμως ἔχοντες, ὀλίγοι μὲν αὐτῶν εἰς τὴν ἑσπέραν σίτου ἐγεύσαντο, ὀλίγοι δὲ πῦρ ἀνέκαυσαν, ἐπὶ δὲ τὰ ὅπλα πολλοὶ οὐκ ἦλθον ταύτῃ τῇ νυκτί. ἀνεπαύοντο δὲ ὅπου ἐτύγχανεν ἕκαστος, οὐ δυνάμενοι καθεύδειν ὑπὸ λύπης, καὶ πόθου πατρίδων, γονέων, γυναικῶν, παίδων, οὓς οὔποτε ἐνόμιζον ἔτι ὄψεσθαι: *Hac cogitatione mœsti & desperantes, pauci sub vesperam cibum sumpserunt, pauci ignem accenderunt, ad arma non multi ea nocte ibant. Jacuit quisque, ubi casus eum posuit, cum dormire non possent, tristitia & desiderio patriæ, parentum, uxorum, liberorum: quos videre ultra spes non erat.* Porro de Castrorum his ignibus, in *Militia* nobis scriptum. *Lipsius.*

Invalidi ignes] Mirum heic dubitare viros summos libris de Militia Rom. ignesne istos capere debeant pro iis, quibus cœnæ & corporum curandorum causa usus militi, an pro facibus vigilum? At qui quæso pro facibus vigilum? In tali periculo non modo intermittendæ, sed & intendendæ vigiliæ. quod etiam fieri solitum ostendit illud Statii libro 12. Thebaidos:

- - - *illam nam tempore in omni*
Attendunt vigiles, & rex jubet ipse timeri,
Contractaque vices, & crebrior excubat ignis.

Diserteque Curtius libro 4. in vita Alexand. *Darius illud, quod Parmenio suaserat, hostem esse facturum conjectans, frenatos equos stare, magnamque exercitus partem in armis esse, ac vigilias intentiore cura servari jusserat, ergo ignibus tota ejus castra fulgebant.* Et ita est; vult Tacitus, post hanc cladem Romanos sub vesperam minime excitasse illam ignium tota per castra frequentiam, quam solebant: sed plerosque cibi potusque, imo & sui immemores indulsisse aut luctui aut formidini. Exemplum suppeditavit nobis ex Xenophonte libro 3. Ἀναβάσεως Lipsius ad illum Taciti locum. Nec aliud volunt ista è Plutarchi Pelopida: Ἀπιόντας δὲ πολλάκις ἐπὶ σκηνὰς, μήτε πῦρ ἀνάψαι, μήτε δεῖπνον ἑλέσθαι, σιγῇ τε καὶ κατηφείᾳ ἴσως τοῦ στρατοπέδου παντὸς ὥσπερ οὐ νενικηκότας ἐπιφανεστάτην νίκην καὶ μεγίστην, ἀλλ' ἡττημένων ὑπὸ τυράννου καὶ καταδεδουλωμένων. Livius quoque lib. 9. *Quæ cibi. quæ quietis immemor nox traducta est.* Nimirum *invalidi ignes*, hoc loco opponuntur, Germanorum *festis epulis*. Gruterus.

5 *Interruptæ voces*] Quæ, aut quorum? Vigilum. Ita capiendi auctor ipse Tacitus v. Hist. *Vigiles flagitium suum ducis dedecore excusabant, tamquam jussi silere, ne quietem ejus turbarent. Ita intermisso signo & vocibus, se quoque in somnum lapsos.* Duo igitur solennia Romanis vigilibus, Signum & Voces. Signum, capio Buccinam: Voces, istas quas interposuisse videntur munere suo functi, ad vigiles alios excitandos. Colligo ex Ambrosio Hexaëm. lib. v. cap. xv. ubi militari more de vigiliis gruum: *Ceteris quiescentibus, alia circumeunt. post ubi vigiliarum tempus fuerit impletum, perfuncta munere in somnum se præmisso clangore componit, ut exci-*

toriis, insomnes magis quam pervigiles. [1] ducemque [2] terruit dira quies. nam Quinctilium Varum sanguine oblitum, & paludibus emersum, cernere & audire visus est, velut vocantem, non tamen obsecutus, & manum intendentis reppulisse. Cœpta luce missæ in latera legiones metu, an contumacia, locum deseruere; capto propere campo, humentia ultra. Neque tamen Arminius, quamquam libero incursu, statim prorupit: sed ut hæsere cœno fossisque impedimenta, turbati circum milites; incertus signorum ordo; utque tali in tempore, sibi quisque properus, & lentæ adversum imperia aures; inrumpere Germanos jubet, clamitans, [3] *En Varus, & eodem iterum fato victæ legiones!* [4] Simul hæc, & cum delectis scindit agmen, [5] equisque maxime vulnera ingerit: illi sanguine suo & lubrico paludum lapsantes, excussis rectoribus, disjiecere obvios, proterere jacentes. plurimus circa aquilas labor, quæ neque adversum ferri ingruentia tela, neque figi limosa humo poterant. Cæcina dum sustentat aciem, suffosso equo delapsus circumveniebatur, ni prima legio sese opposuisset. juvit hostium aviditas, omissa cæde prædam sectantium: enisæque legiones, vesperascente die, in aperta & solida. neque is miseriarum finis. struendum vallum, petendus agger: amissa magna ex parte, per quæ [6] egeritur humus, aut exciditur cespes: non tentoria manipulis, non fomenta sauciis: infectos cœno aut cruore cibos dividentes, [7] funestas tenebras, & tot homi-
66 num millibus unum jam reliquum diem lamentabantur. Forte equus abruptis vinculis

tet dormientem, cui vicem muneris traditura est. Lipsius.

Interrupta voces] *Militum*, non *vigilum*. ut enim in lætitia omnia vigent, & continuo personant strepitu: sic in rebus adversis, contra est. Noster lib. 2. Annal. *Sumto justitio, deferuntur fora, clauduntur domus, passim silentia & gemitus.* Libro vero 3. *Dies quo reliquiæ tumulo Augusti inferebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies.* Egregie Silius lib. 10. Punicor. de superstitibus cladis Cannensis:

Trunca atque ægra metu seu magna elisa ruina
Corpora debilibus nituntur sistere membris.
Clamor sæpe repens, & sæpe silentia fixis
In tellurem oculis.

Libanius declamatione, quæ Patrocli inscribitur: ὁ μὲν δὴ ταῦτα, οἱ βάρβαροι δὲ παρὰ τὰς ὁλκάδας σκηνώσαντες, ἐν ᾄσμασι ἐπαννύχιζον καὶ αὐλοῖς. ὥστε τὸν Ἀτρείδην, ὅπῃ ἂν ἔβλεψε, δυσχερεῖ θέᾳ περιπίπτειν, τοῦ μὲν μεστάθμου τοὺς Ἕλληνας ἔχοντος ἐν ἀθυμίᾳ καὶ σιωπῇ &c. Sic & hoc loco: auctor noster opponit *interruptis* Romanorum *vocibus*, Germanorum *lætos cantus, ac trucem sonorem.* Gruterus.

1 *Atque ipsi passim adjacerent vallo, oberrarent*] Faernus legebat: *Atque ipsi passim adjacere vallo, oberrare tentoriis.* Ursinus.

2 *Ducemque terruit dira quies*] Lucanus lib. 7. *Dira quies & imagine mæsta diurna.* Gronovius.

Terruit dira quies] Hanc periochen & similem 2, 14. censuerunt aliquid boni acquirere notæ ad Tibullum 3, 4. nuperæ & anonymæ, sed auctori suo congruæ, nimirum ut scires ducibus in expeditione somnia apparere. Res certe ad paginam mittenda. *Jac. Gronovius.*

3 *En Varus, & eodem iterum fato*] In Man. habetur: *En Varus, & eodemque iterum fato victa legiones.* suspicor legendum, *En Varus, en, eodemque iterum* &c. Certe particula, *en*, ingeminata, vim etiam orationis ingeminat. *Pichena.* Sed in hac parte irritum Pichenæ indicium, quum non aliter exhibeat Beroaldus, ut τὸ *que* per hunc bene innotuerit. Posteriores autem pari jure potuerunt hic omittere copulam *que*, ut 3, 31. hanc appendicem omittunt *certabantque orationibus*, ubi in editis tantum est *certabant*, omnino inique. In vetere autem Germanica lingua sic commode iterari particulam *en*, ut in Latina, ipse præstet. Etiam cogitare queas *en, Varus est, eodemque.* Alioqui in MS. etiam legitur *victa.* Jac. Gronovius.

4 *Simul hæc & cum delectis*] Faernus legebat: *simul hæc, cum delectis scindit agmen:* deleta, &, conjunctione. *Ursinus.* Infeliciter. *Gronovius.*

5 *Equisque maxime vulnera ingerit*] Eodem modo postea sub Claudio Britanni τοῖς ἐναντίοις προσπεσόντες, τῶν μὲν ἀνδρῶν οὐδένα ἔβαλλον, τοὺς δ' ἵππους τοὺς τὰ ἅρματα αὐτῶν ἄγοντας ἐτίτρωσκον &c. ut annotavit Dio lib. 60. *Jac. Gronovius.*

6 *Egeritur humus*] Corbulæ & sportæ. *Lipsius.*

7 *Funestas tenebras lamentantur*] i. e. lamentando dicunt, tenebras illas, quæ cum nocte ingruerent, non solitas lucis umbrarumque vices esse, verum ferales, hoc est, mortiferas, exequiales tenebras, in quibus ipsis vitæ luce occasura, nox una perpetuo dormienda foret. ita 2, 31. de Libone. *Freinshemius.*

1 Tanta

lis vagus, & clamore territus, quosdam occurrentium obturbavit. [1] tanta inde con-
sternatio, inrupisse Germanos credentium, ut cuncti ruerent ad portas, quarum [2] de-
cumana maxime petebatur, aversa hosti, & fugientibus tutior. [3] Cæcina comper-
perto vanam esse formidinem, cum tamen neque auctoritate, neque precibus, ne
manu quidem obsistere, aut retinere militem quiret; projectus in limine portæ, mi-
seratione demum, quia per corpus legati eundum erat, clausit viam: simul tribuni
& centuriones falsum [4] pavorem esse docuerunt. Tunc contractos in principia, jus- 67
sosque dicta cum silentio accipere, temporis ac necessitatis monet: *Unam in armis salu-
tem, sed ea consilio temperanda; manendumque intra vallum, donec expugnandi hostes
spe propius succederent: mox undique erumpendum. illa eruptione ad Rhenum perveniri.
quod si fugerent, pluris silvas, profundas magis paludes, sævitiam hostium superesse:* [5] *at
victoribus decus, gloriam, quæ domi cara, quæ* [6] *in castris honesta*, memorat: reticuit
de adversis. [7] Equos dehinc, orsus à suis, legatorum tribunorumque, nulla ambi-
tione, fortissimo cuique bellatori tradit, ut hi, mox pedes, in hostem invaderent.
Haud minus inquies Germanus spe, cupidine, & diversis ducum sententiis agebat: 68
Arminio, *sinerent egredi, egressosque rursum per humida & impedita circumvenirent*, sua-
dente: atrociora Inguiomero, & læta barbaris, *ut vallum armis ambirent. promptam
expugnationem, plures captivos, incorruptam prædam fore.* Igitur [8] orta die, proruunt
fossas,

1 *Tanta inde consternatio*] Apud veteres Romanos, (ut alibi Lipsius notat) hoc maxime cautum erat. Polybius enim lib. VI. ait, turmas equitum quotidie excubasse in castris, deinde sequitur: *Atque hi curant, cum alia, tum equos maxime, ne aut vinculis impediti & illigati lædantur, inutiles futuri ad militiam; aut soluti & ruentes, turbas & consternationem excitent in castris.* Pichena.

2 *Decumana maxime*] Ea opposita Prætoriæ ex adverso, & plurimum remota ab hoste erat, & ab eo ibat. Vide Militiam nostram libro V. *Lipsius.*

3 *Cæcina projectus*] Habes idem prorsus factum in Plutarchi Pompejo, sub initium. Vide. *Idem.*

4 *Pavorem esse docuerunt*] Ita MS. unicus, ita editio Beroaldi. In editionibus tamen auferunt Tacito verbum *esse*, quod repetivi etiam Ryckianæ editioni ignoratum. *Jac. Gronovius.*

5 *At victoribus decus, gloriamque*] Melius ex Manusc. distinxi. cum malè in omnibus libris interpunctum esset: *gloriam, quæ.* Sensus est: Victoribus, decus & gloriam superesse. deinde memorat, *quæ domi cara*, scilicet, parentes, liberos, &c. *quæ in castris honesta*, id est dona militaria. *Pichena.*

6 *In castris honesta*] Olim aut nuper in militia feliciter ab iis gesta. *Lipsius.*

7 *Orsus à suis*] Ferri potest intellegique, quod plures suos equos distribuerit: præoptem tamen, *à suo.* Ut commentario Cæsaris primo: *Cæsar primum suo, deinde omnium è conspectu remotis equis.* Statim etiam, *Hostis facile excidium*, sententia desiderat, non, *Hosti*, quod inolevit. *Lipsius.*

Equos dehinc, orsus à suis] Cur hanc lectionem mutes, causa nulla est. nam quod Cæsar equum suum è conspectu removet primo de bello Gallico, scilicet, quia in acie, equo vehens, è quo descendit, ut æquaret periculum. At Cæcina in castris pedes equos omnes suos distribuit fortissimis militum. *Mercerus.* Rectius haud dubie, quam *à suo.* Credibile enim est plures distribuisse, ut equitum quantum posset efficeret. præsertim cum superiori prælio plus equorum quam hominum amissum fuisse videatur, *equis* enim *maxime vulnera ingessisse* Arminium dixit auctor 1, 65. Itaque cum duces atque legati plures equos alere consuevissent, usus militiæ poposcit, ut iis, qui suos amisissent, alios darent. Sic apud Curtium 7. *Cum Antiphanes scriba equitum Amyntæ denunciasset, ut ex suis equis more solito daret his, qui amisissent suos.* Cæsarem de Bello Gall. 7. *Eorum adventu quod minus idoneis equis utebantur, à tribunis mil. reliquisque, sed & equitibus Romanis, atque evocatis equos sumit, Germanisque distribuit.* Freinshemius.

8 *Orta die proruunt fossas*] Nauseam movet, cum hoc loquendi genus puteat. Igitur lego, *igitur orta die proruunt, fossis injiciunt crates.* Turnebus. Non adsentior. Proruebant enim fossas, demoliendo vallum, terramque superadgestam. *Pichena.* Pro germana mihi est lectio, quam Turnebus restituit. Ad exprimendam Germanorum aviditatem atque ferociam nihil aptius. Nec audiam virum doctum, qui vulgatam exponit: id enim fieri potuisset, si vallum pro fossa, non autem fossa pro vallo fuisset. Sed nec à labro fossæ terram injecisse crediderim, quod enim consilium eorum fuisset, si inopinantibus superventuri, effodere humum, quæque in tuto gravia, tela inter hostium moliri voluissent? At crates per noctem facile parare potuerunt, quibus celeriter in fossas conjectis imparatos Romanos in castris suis occuparent. Ergo Tacitus

hic

fossas, [1] injiciunt crates, summa valli prensant, raro super milite, & quasi ob metum defixo. postquam hæsere munimentis, datur cohortibus signum, cornuaque ac tubæ concinuere. exin clamore & impetu tergis Germanorum circumfunduntur, exprobrantes, *non hic silvas, nec paludes, sed* [2] *æquis locis æquos deos.* [3] Hosti, facile excidium, & paucos ac semermos cogitanti, sonus tubarum, fulgor armorum, quanto inopina, tanto majora offunduntur: cadebantque, ut rebus secundis avidi, ita adversis incauti. Arminius integer, Inguiomerus post grave vulnus, pugnam deseruere: vulgus trucidatum est, donec ira & dies permansit. Nocte demum reversæ legiones, quamvis plus vulnerum, eadem ciborum egestas fatigaret; vim, sanitatem, copias,

hic significare voluit omnia magna cum celeritate acta fuisse: *Proruunt*, inquit, *fossis injiciunt crates, summa valli prensant.* Similem Gallorum impetum descripsit Cæsar Commentariorum de Bello Gall. 7. 81. *Freinshemius.* Vide tamen, ut veteres hoc verbo utantur. Cæsar 3. Gall. *Celeriter ad munitiones pervenerunt, atque hic proruttis.* Livius 9. *Pars fossas explerent, pars vellerent vallum atque in fossas proruerent.* Eodemque: *Dolabra calonibus dividuntur ad vallum proruendum fossasque implendas.* Et mox: *proruto vallo erupit acies.* Lib.22,6. *Montes lapsu ingenti proruit* terræ motus. Lib. 26. *Albam à fundamentis proruerunt.* Frontinus, 2, 5. *Repente adortus & desertum proruit vallum & castra cepit.* Noster lib. 2, ann. *proruta arbores.* Lib. 3. Histor. *hostem postera die profligare ac proruere.* Et, *balista ingentibus saxis hostilem aciem proruebat.* Et sic semper: neque usquam memini me legisse *proruere* pro impetum facere, incurrere. Livii locus erat lib. 25, 39. ubi vulgo, *ab cohorte & equitibus ex occulto proruentibus.* Sed Put. & meliores *procurrentibus.* Alter Curtii lib. 4, 16. *Subditis calcaribus proruere in hostem.* Sic plane libri etiam optimi: sed legendum *prorupere*, ut apud Maronem: *& medius densos prorumpit in hostes.* Gronovius. Quam pervicax est in hoc spernendo Cl. Ryckius? An Lipsius rationem dare neglexit, cur assensum Turnebo negaverit, quum manifeste scribat (duplex hic ratio transeundi fossas, ut aut proruta a labris terra complerent, aut cratibus injectis velut ponte transirent) an hic non explicavit, quomodo *fossas proruere* possint milites dici ac debeant intelligi, & hinc ratio data contra Turnebum? Nempe ea duo tali ordine ponit quidem Tacitus, ut debet fieri in scribendo, sed non ideo vult utique alterum prius, alterum posterius contigisse, sed pariter utrumque fuisse adortos, ut perperam acumen nimium his interponat Freinshemius, quum pro ratione loci sic egerint alibi, alibi aliter. An porro placet tam veram illi visam Turnebi lectionem, ut eam sequi non dubitaverit? Sicine restituitur vel illustratur Latinitas, quum verbi *proruere* nullum noveris exemplum, nisi active & cum quartu casu usurpatum, tamen dicas Tacito adhibitum pro neutro, ut notet erumpunt, prorumpunt? At hoc ipsum frustra exprimitur, quum per se satis intelligatur, eos prorupisse, qui dicerentur facere talia. Nimirum placuit etiamnum Tacito usus & significatio verbi ex reipublicæ usu vetere, ut tantummodo sit activum, & requirat prorsus accusativum. Sed is postea demum omitti cœpit, unde apud Gellium, *ne sparsi dispalatique proruerent*, apud Minucium Felicem *in illicita proruere*, apud Dictyn *parte alia quam venerant proruunt*, apud Hieronymum *Pipatis proruens portis turba densatur.* Sed unde habent *fossas*? perinde ab ingenio legentium, ut *fossis* Turnebi. Nam ita edidit Beroaldus, quum in unico MS. legatur *fossos*: ubi quum mox etiam extet *roro* pro *raro*, credidit Beroaldus auspicatam huc revocari primam vocalem in utroque vocabulo. Et quidni? quum sic rursus 2, 8. scribatur *Angrivoriorum* pro vulgato *Angrivariorum*, & cap. 35. eadem ambiguitas inter *prosperas* & masculinum. Hinc retineo *fossas*, ut verbum *proruunt* intelligatur uberiore efficacia, tanquam attulerint varia secum ad subito rumpendum vallum, quo immisso in fossas quærerent transitum; quod idem faciunt alii injiciendis cratibus. Plane eandem hariolationem in terminatione vocis *promptas* vidimus cap. 36. *Jac. Gronovius.*

1 *Injiciunt crates*] Duplex hic ratio transeundi fossas, ut aut proruta à labris terra complerent; aut cratibus injectis, velut ponte transirent. Utramque tangit. neque enim Turnebo assentiar legenti, *orta die proruunt, fossis injiciunt crates.* De cratibus, etiam Galli apud Cæsarem usurpant: lib. VII. *Proximam fossam cratibus integunt atque aggere explent.* Ubi etiam de *Aggere.* quem & Romani huic rei usurpabant, è fascibus scilicet & levi materie. *Lipsius.*

2 *Æquis locis æquos deos*] Id est, in neutram partem pronos. Nonnullos enim audivi interpretari, *æquos*, id est, fautores. *Pichena.*

3 *Hosti facile excidium*] Rectum est, *Hosti*, non, *hostis.* hoc enim ait, hosti cogitanti facile excidium offusum de improviso sonum tubarum, &c. *Mercerus.* Distinctionem, quæ sententiæ fraudi, muto: *Hosti facile excidium & p. a. s. cogitanti sonus* &c. Si *hostis* legas, contraria plane verborum mens ei, quam voluit auctor. *Acidalius.* Recta lectio & planus sensus. Germani putabant cum paucis & semermis rem sibi, & perinde facile castrorum excidium fore: iis igitur arma tubæque inopinato objectæ

pias, [1] cuncta in victoria habuere. Pervaserat interim *circumventi exercitus* fama, & *infesto Germanorum agmine Gallias peti*: ac ni Agrippina [2] impositum Rheno pontem solvi prohibuisset, erant qui id flagitium formidine auderent. sed femina ingens animi, munia ducis per eos dies induit, militibusque ut quis inops, aut saucius, vestem [3] & fomenta dilargita est. Tradit C. Plinius Germanicorum bellorum scriptor, stetisse apud principium pontis, laudes & grates reversis legionibus habentem. Id Tiberii animum altius penetravit. *non enim simplices eas curas, nec adversus externos militem quari. nihil relictum imperatoribus, ubi femina manipulos intervisat, signa adeat, largitionem tentet, tanquam parum ambitiose filium ducis gregali habitu circumferat*, Cæsaremque Caligulam *appellari velit. Potiorem jam apud exercitus Agrippinam, quam legatos, quam duces:* [4] *compressam à muliere seditionem, cui nomen principis obsistere non quiverit.* Accendebat hæc, onerabatque Sejanus, peritia morum Tiberii [5] odia in longum jaciens, quæ reconderet, auctaque promeret. At Germanicus legionum 70
quas navibus vexerat, secundam, & quartam decimam itinere terrestri P. Vitellio ducendas

jectæ in majus accipiuntur. Ne quem moveat vir doctissimus qui scribendum censuit: *Hostis facile excidium.* Freinshemius.

1 *Cuncta in victoria habuere*] Sensus: quamvis tot adversa premerent, tamen gaudio partæ victoriæ libenter tolerasse, eamque instar vis, sanitatis, copiarum habuisse. Sic fere Cic. ad Att. 3, 20. *in universa salute inerunt omnia.* Idem.

2 *Impositum Rheno pontem*] Qua parte Rheni iste pons? Ne trahant ad se Agrippinenses; falluntur. apud Treveros fuit. Nam Agrippina discedens à marito, tumultu militari, in Treveros iit, ut supra lectum nobis, ibique mansit. Pons ergo eopse in loco. Strabo lib. IV. Μετὰ δὲ τοὺς Μεδιοματρικοὺς καὶ Τριβόκχους παροικοῦσι τὸν Ῥῆνον Τριήουροι (puto Τριηυεροὶ) καθ' οὓς πεποίηται τὸ ζεῦγμα ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων νυνὶ τῶν στρατηγούντων τὸν Γερμανικὸν πόλεμον. Lipsius.

3 *Et fomenta*] Nempe vulneribus. Solent enim hoc Imperatores conciliandis militibus. fecitque Trajanus. Vide Suidam, in Λαμπάδιον, & me in Plinii Panegyricum. *Idem.*

4 *Compressam à muliere seditionem*] Quomodo? non compressit certe seditionem, sed causa tamen fuit comprimendæ: nam abscessu ejus in Treveros, de quo supra, tacti pudore, ac miseratione milites, invidiaque in Treveros, ad sanitatem rediere. *Pichena.*

5 *Odia in longum jaciens*] Ex præsentibus futura proponens, ex quibus causæ odii nascerentur: quæ quoniam in longitudinem respiciebant, recondebat animo Tiberius: itaque augescebant alita cogitationibus; promebanturque tandem multiplicata & inexpectata. *Ferrettus.* Tiberius odii tenax erat, quodque dissimulasset, gravius postea repræsentabat. Supra: *in Haterium statim invectus est, Scaurum cui implacabilius irascebatur, silentio transmisit.* Xiphilinus: ὠργίζετό τι ἐν ὅτι ἐκεῖνοι ἐθυμοῦτο, καὶ ἐπειδὴ καὶ ἐς ὀργὴν μάλιστα ἠγανάκτει, ἰδεῖν ἔφη. qua de re Sejanus cum id notum, animadverso Tiberium ad Agrippinæ facinus aperte non erupisse, serio conjicit, eam simultatem ex illis esse, quas is ut præcipuas continere, spatioque temporis cumulatiores expromere solebat. Avidus ergo perdendi domum Germanici, ulcus refricat, & lacessit animum satis sua sponte exacerbatum, *gnarus lentum in meditando, ubi prorupisset tristibus dictis atrocia facta conjungere.* At *in longum jacere* est extendere, augere & similia id genus. Sic,

Caussando nostros in longum ducis amores.

Id est, causas prætexendo, ne carmina referas, ultro facis, ut ea vehementius desiderem. Verum aliter Servio visum: sed nostro interpretamento Cornelius favet. Quisnam autem lites mihi conciat, si μεταφορικῶς, interpretatus *in longum jaciens* ab iis, qui vallum & fossas in longum ducendo, ea extendunt, & augent? Nemo certè, quia dicta verba commode non aliter explanari valeant, & metaphoræ plurimum orationis magnitudini conferant. Vel si proprie accipere vis *odia in longum jaciens*, id est, differens sive prolatans. Per me facias licet & ἀντίπτωσις erit pro *odia in longum jacientis*: non absimilis huic: *meminissent C. Asinii & Messalla ac recentiorum Arruntii & Eserníni ad summa provectos incorrupta vita & facundia.* Quæ μετάβασις amica Thucydidi. lib. 4. ὄντες δὲ τοῦτοι, καὶ Κερκυραίων ἅμα παραπλέοντας τῶν ἐν τῇ πόλει ἐπιμεληθῶσι. De quibus agens Scholiastes: τὸ ἑξῆς ἦν, παραπλέοντι, ἀλλὰ μεταβάσει ἐχρήσατο ἀπὸ δοτικῆς ἐπὶ αἰτιατικήν. *Salmerius.* Non omittebat, inquit, semina jacere longinqui odii, quod aliquando in perniciem eorum erumperet. Quum enim animum Tiberii, ut clausum aliis, ita sibi uni apertum, exacte nosset, sciebat eum offensas atque odia semel concepta alta mente reponere atque fovere, donec oblata occasione ultionis, ipsa mora tristibusque meditationibus aucta roborataque proferret. *Quæ reconderet auctaque promeret*, de Tiberio dicuntur: male nonnemo ad Sejanum transtulit. *Freinshemius.*

ducendas tradit, quo levior classis vadoso mari innaret, vel [1] reciproco sideret. Vitellius primum iter sicca humo, aut modice adlabente æstu, quietum habuit: mox impulsu aquilonis, simul [2] sidere æquinoctii, quo maxime tumescit oceanus, rapi agique agmen. & opplebantur terræ: [3] eadem freto, litori, campis facies; neque discerni poterant incerta ab solidis, brevia à profundis. sternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus: jumenta, sarcinæ, corpora exanima, interfluunt, occursant. permiscentur inter se manipuli, modo pectore, modo ore tenus exstantes, aliquando subtracto solo disjecti aut obruti. non vox, & mutui hortatus juvabant, adversante unda: nihil strenuus ab ignavo, [4] sapiens à prudenti, consilia à casu differre: cuncta pari violentia involvebantur. Tandem Vitellius in editiora enisus, eodem agmen subduxit. [5] pernoctavere sine utensilibus, sine igni, magna pars nudo aut mulcato corpore; haud minus miserabiles, quam quos hostis circumsidet. quippe illis etiam honestæ mortis usus: his inglorium exitium. lux reddidit terram; [6] penetratumque

1 *Reciproco sideret*] Est hoc in eo litore Chaucorum & Frisiorum: ut mare longissime à terris recedat, & in sicco naves destituat. Ipsi navigavimus, atque experti sumus. *Lipsius.*

2 *Sidere æquinoctii*] Idem Cæsar sensit scripsitque, navigatione Britannica, in Commentariis suis. Et vide Posidonii non abhorrentem ab usu hodierno disputationem super tota re, apud Strabonem, libro tertio extremo. quem tamen ipse haud juste refellit. *Idem.*

3 *Eadem freto, litori*] Ex his pluribusque locis clarum, non fuisse loco litoris olim arenarias illas moles verius quam montes, quæ oceanum hodie arcent: succrevitque majorum ævo illa arenarum vis, satione caricis, non sine monitore deo. *Idem.*

4 *Sapiens à prudenti*] Clarum est scribi debere, *sapiens ab imprudenti.* Idem.

Sapiens à prudenti] Aperto vulneri multi multis modis medentur. Ego, *insciens à prudenti.* Similitudo litterarum non abest, sensus postulat. Recteque, *insciens*, sive ignarus, *prudenti* opponitur. infra lib. 11. *milesque pavidus, & casuum maris ignarus, dum turbat nautas, vel intempestive juvat, officia prudentium corrumpebat.* Pichena. Ego scriptum fuisse puto *sapiens ab rude, nil consilia*, &c. Opponit hæc & Curtius 8, 13. *& quanta inter rudes poterat esse sapientia.* Freinshemius.

5 *Pernoctavere sine utensilibus*] Sine supellectile, inquit Freinshemius. Ego accipio, sine cibariis: quæ aut amissa aut corrupta erant. Neque aliter ea voce utitur Tacitus. Ut cum lib. 2, 1. ait *vilissima utensilium annulo clausa.* Ubi Lipsius etiam, supellex penusque: sed quæcunque affert loca, penum tantum demonstrant, præter unum Plinii: ex quo ut apparet etiam vasa aurea & argentea obsignatis arcis fuisse condita, ita non de pretiosis isto loco Tacitus: sed quod servus Comicus diceret, *allium* vel *acetum obsignatum cum sale*, indignabantur. Eodem lib. cap. 60. *Quasque copias frumenti & omnium utensilium quaque natio penderet.* Freinshemius hic accipi ait pro quaque re, quæ usui esse posset. Nimis laxe: immo non nisi ad victum. lib. 3, 52. *Sperni sumptuariam legem vetitaque utensilium pretia augeri in dies.* Eum c. 55. *luxum mensæ* appellat. L. 15, 39. *Subvecta utensilia ab Ostia & propinquis municipiis, pretiumque frumenti minutum.* Utique ad alendam inopem plebem. Adde pecun. vet. 2, 7. & Pricæum ad Apuleji Milesias. *Gronovius.*

6 *Penetratumque ad amnem Visurgim*] Ego verò hic obhæreo. Supra scriptum: *Reducto ad Amisiam exercitu, legiones ut advexerat, reportat.* Si ad Amisiam Germanicus classem conscendit, Rhenum & Galliam petiturus: quo casu nunc ad Visurgim? Tempestate, inquies. Bene; sed quomodo Vitellius, qui & ipse paullo ante ad Amisiam, & (ne tempestatem iterum suspicere) terra iit, nunc quoque ad Visurgim? Hæc si probe narrantur, Germaniam profecto petiere: non Galliam repetiere: aut fallunt me locorum omnes situs.

Add. Merito hic hæsimus: at nunc me (animo hercle meo) expedivi. Nam scribendum, *ad amnem Vidrum.* quem Ptolemæus in hoc tractu novit, & ille ipse est quem *Vechtam* hodie vocant, & ad *Gelmudam* in sinum australem, mox oceanum, influit. Sane Taciti narratio evincit, pensitata. Ecce ad Amisiam dimisit Vitellium, ipse naves conscendit: uterque progressus, ille terra, hic mari: & ubi convenire ad amnem, nisi hic potuere? Enimvero & portus ibi à Ptolemæo locatur, *Μαναρμανὶς λιμὴν*, *Manarmanis*; neque abhorret *Stauriam* esse. *Lipsius.* Vel si meliora supersint, nunc tamen frui incipiat vel industriæ suæ laude vel inventionis decore, etsi forsan ab utroque etiamnum absit veritas, sidus illud nuper tantopere in patria splendens, modo inter tot gemitus plausui & literis subtractum Menso Altingius, cujus Notitia Frisiæ Antiquæ semper testabitur favorem, quem Tacito impendit, præsertim hoc loco, ubi antiquum & ignotum extraneis amniculum, Hunsing vere appellatum & hodie spectabilem agri Groningani, peracute statuit ab Tacito memorari *Unsingin.*

tumque ad amnem Visurgim, quo Cæsar classe contenderat. impositæ deinde legiones, vagante fama submersas. nec fides salutis, antequam Cæsarem exercitumque reducem videre. Jam Stertinius ad accipiendum in deditionem Segimerum fratrem Se- 71
gestis præmissus, ¹ ipsum & filium ejus in civitatem Ubiorum perduxerat. data utrique venia; facile Segimero, ² cunctantius filio: quia Quinctilii Vari corpus inlusisse dicebatur. Ceterum ad supplenda exercitus damna certavere Galliæ, Hispaniæ, Italia: quod cuique promptum, arma, equos, aurum, offerentes. quorum laudato studio Germanicus, armis modo & equis ad bellum sumptis, propria pecunia militem juvit. utque cladis memoriam etiam comitate leniret, ³ circumire saucios; facta singulorum extollere; vulnera intuens, alium spe, alium gloria, cunctos alloquio & cura, sibique & prœlio firmabat. Decreta eo anno triumphalia insignia A. Cæci- 72
næ, L. Apronio, C. Silio, ob res cum Germanico gestas. Nomen *patris patriæ* Tiberius à populo sæpius ingestum, repudiavit: neque in acta sua jurari, quamquam censente senatu, permisit: *cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret,* ⁴ *tanto se magis in lubrico* dictans. non tamen ideo faciebat fidem civilis animi. nam legem majestatis reduxerat; cui nomen apud veteres idem, sed alia in judicium veniebant: si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, denique male gesta republica majestatem populi Romani minuisset. ⁵ facta arguebantur; dicta impune erant. ⁶ Primus Augustus cognitionem de famosis libellis specie legis ejus tractavit, commotus ⁷ Cassii Severi libidine, qua viros feminasque inlustres procacibus scriptis diffa-

Unsingin. Macte consularis emendatio! & quando ex illa urbe tales plures? Ratio narrationis & cursus certe requirit simile quid. Utinam modo abstinuisset ab codicis Vaticani mentione, quum sit Florentinus! Utinam abstinuisset ambigere, quomodo exstaret scriptum esse in codice! Quidquid ibi profert, nullius est usus; scriptura ista non pertinet ad Romam. Jam vero scriptus est hic codex clarissima & rotundissima litera Romana; nec de voce *Visurgin* (sic ille habet, sic expressit rite Beroaldus; corrupere posteriores ultimam literam) in eo ullus ambigat. Nunc igitur hactenus, vel si alteri aliud placeat. Etiam in eo legitur *classem contenderat.* Jac. Gronovius.

Penetratumque ad amnem Visurgim] Nihil verisimilius, quam quod postremum docuit doctissimus Lipsius delendum *τὸ Visurgim:* quæ vocula hic contra omnem historiæ & Geographiæ rationem. Sed *amnem* capies Rhenum, non Amisiam: lege diligenter totum hunc locum, fateberis. *Mercerus.*

1 *Ipsum & filium ejus*] Segimeri filium Sesithacum nomine. Strabo libro VII. Ἔτι δὲ Σεσίθακος Αἰγιμήρου υἱὸς τῶν Χηρούσκων ἡγεμών. Sed corrige in Strabone, Σεγιμήρου. Nam Taciti scriptura ad etymon apta ejus linguæ. *Lipsius.*

2 *Cunctantius filio*] Ex Man. Alii minus recte, *cunctatius.* Pichena.

3 *Circumire saucios*] Livius lib. 8. de L. Papirio Cursore: *itaque adhibitis legatis ipse circum saucios milites, inferens in tentoria caput, singulos ut sese haberent rogitans, curam eorum nominatim legatis, tribunisque, & præfectis demandabat: rem per se popularem ita dexter egit, ut medendis corporibus, animi multo prius militum imperatori reconciliarentur: nec quicquam ad salubritatem efficacius fuerit, quam quod grato animo ea cura accepta sit.* Gronovius.

4 *Tante se magis in lubrico dictans*] Potius forte *dictitans*, ut & Muret. Sic forte & lib. 2. Ann. *Rhescuporis sanciendo, ut dictabat, fœderi, dictitabat* legendum. *Acidalius.* Malim, *dictitans.* ita enim amat Tacitus. *Pichena.*

5 *Facta arguebantur, dicta impune erant*] Hæc verba Petrus Danesius putabat ex alio Taciti loco irrepsisse, eaque ut prorsus ab hoc aliena, rejiciebat consentientibus libris. *Ursinus.* Quid sibi velint, ignoro. Nam & loco posita sunt verba, & verissima, quod totus titulus in Digestis Ad legem Juliam majestatis docet ac demonstrat, ne post tot secula quidem tot tyrannos argui verba plane ausos sancire, etsi per interpretationem eo trahi legem paterentur. Quin & aperte Jurisconsultus: *nec lubricum linguæ ad pœnam facile trahendum est.* Sed latebra est in illo *non facile.* Interim vere Tacitus & commode de prisca vi legis. *Gronovius.* Interim magis hoc respicit tempora antecedentia & quæ effluxerunt, quam ea quæ sequuntur pertinentia ad Digesta. Et tunc id verissimum fuit, ut in majestatis crimen præcipue venirent facta, dicta non nisi continerent votum contra populi salutem. Collegit documenta Sigonius lib. 3. de Judiciis cap. 3. *Jac. Gronovius.*

6 *Primus Augustus*] Sullæ discipulus. Cic. lib. 3. Fam. Ep. 11. *Veruntamen est majestas (ut Sulla voluit) ne in quemvis impune declamare liceret.* Gronov.

7 *Cassii Severi libidine*] Scribam infra, ad librum IIII. *Lipsius.*

Libidine

diffamaverat. mox Tiberius, consultante [1] Pompejo Macro prætore, *an judicia majestatis redderentur? exercendas leges esse* respondit. Hunc quoque asperavere [2] carmina, incertis auctoribus vulgata, in sævitiam superbiamque ejus, & discordem

73 cum matre animum. Haud pigebit referre in Falanio, & Rubrio, modicis equitibus Romanis, prætentata crimina: ut, quibus initiis, quanta Tiberii arte, [3] gravissimum exitium irrepserit, [4] dein repressum sit, postremo arserit, cunctaque corripuerit, noscatur. Falanio objiciebat accusator, *quod inter cultores Augusti, qui* [5] *per omnes domos in modum collegiorum habebantur, Cassium quendam mimum corpore infamem adscivisset: quodque venditis hortis,* [6] *statuam Augusti simul mancipasset.* Rubrio crimini dabatur [7] *violatum perjurio nomen Augusti.* Quæ ubi Tiberio notuere, [8] scripsit consulibus; *Non ideo decretum patri suo cælum, ut in perniciem civium is honor* verte-

Libidine qua viros fœminasque] Nihil deperiret orationis nitori, si scriberetur: *Cassii Severi libidine, qui viros fœminasque inlustres procacibus scriptis diffamaverat.* Gronovius.

1 *Pompejo Macro pratore*] Huic Pompejo cognomen fuit *Macer.* quod & Clodiorum, & Marciorum familiæ commune fuisse ex auctore nostro notum est: atque insuper Æmiliorum, Bæbiorum, Calpurniorum. Est & hoc cognomento illustris JCtus, cujus fragmenta sunt in Digestis Justiniani. atque alius ex Liciniorum familia historicus, qui sæpe citatur Livio, cum alias, tum corrupte 4, 23. *apud Marcum Licinium*, pro *Macrum*: eadem literarum metathesi, quæ simillimum mendum adspersit Strabonis loco lib. 13. ubi de Pompejo Macro: *ὑιὸν τε ἀπέλιπε (ὁ Θεοφάνης) Μάρκον Πομπήϊον.* Teophanes *filium reliquit Marcum Pompejum*: scribendum enim *Μάκρον.* Hinc soror hujus nostri prætoris (idem enim est) *Pompeja Macrina* vocatur 6, 18. Quorum avum potius Theophanem, quam ut ibi scribitur, *proavum* ratio temporum videtur evincere. *Freinshemius.*

2 *Carmina, incertis auctoribus*] Intellegit eaipsa carmina quæ exstant Suetonio, cap. LIX. *Lipsius.*

3 *Gravissimum exitium*] Seneca de Benefic. lib. 3, 26. *Sub Tiberio fuit accusandi frequens ac pane publica rabies, qua omni civili bello gravius remp. afflixit.* Idem. Sed in Seneca legitur *togatam civitatem confecit.* Pichena.

4 *Dein repressum sit*] Quando? sub Vespasiano & Tito, opinor. nam eousque calumniis ex lege ista locus: illi minnerunt, aut sustulerunt. Iterumque *arsit*, inquit, *& cuncta corripuit*, haud dubie sub Domitiano, qui telo eo passim usus ad sæviendum. *Lipsius.*

5 *Per omnes domos*] Hoc est quod Ovidius de pietate sua gloriatur,

Nec pietas ignota mea est. videt hospita tellus.
In nostra sacrum Cæsaris esse domo.

Non tamen ut *singula domus* collegia sua habuerint (id non videtur, neque is sensus his verbis) sed quod circuibant domesticatim collegæ, & sacrum alibi atque alibi faciebant. Sparsi igitur per omnes domos, sed statis temporibus conveniebant. *Idem.*

6 *Statuam Augusti simul mancipasset*] Rideamus. & eo magis, quod Jurisconsultis etiam discrimen aliquod repertum hac in re. qui tradunt; *Non videri contra majestatem fieri ob imagines Cæsaris, nondum consecratas, venditas*, l. v. & VI. D. Ad leg. Jul. maj. Ergo consecratas vendi, commissum fuit. Jure exagitat purpuratos illos stipites Tertullianus: *Publicos aque deos fœdatis, quos in hastario vectigales habetis. Si Capitolium, si olitorium forum petitur, sub eadem voce preconis, sub eadem hasta, sub eadem annotatione Quæstoris divinitas addicta conducitur.* Idem.

7 *Violatum perjurio*] Vulgatum, ut sanctissimum jusjurandum esset per nomen & numen Augusti. Horatius id accidisse testatur eo etiam vivo:

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Sapiens ille Claudius, *jusjurandum neque sanctius sibi neque crebrius instituit, quam per Augustum*: ait Sueton. cap. 11. Tertullianus: *Majore formidine & callidiore timiditate Cæsarem observatis, quam ipsum de Olympo Jovem: citius denique apud vos per omnes deos, quam per unum genium Cæsaris pejeratur.* Minutius Felix: *Et est eis tutius per Jovis Genium pejerare, quam regis.* Nec mentiuntur nostri scriptores, ex iis quæ legibus firmata video De jurejurando, lib. XIII. sub finem. Lucanus inter ultiones sanguinis civilis hanc posuit, ut mihi videtur, facunde:

—— cladis tamen hujus habemus
Vindictam, quantam terris dare numina fas est.
Bella pares superis facient civilia divos.
Fulminibus Maneis radiisque ornabit & astris,
Inque deum templis jurabit Roma per umbras.

Formulæ autem jurandi erant, per Genium, per Fortunam, per Salutem Principis. *Idem.*

Nomen Augusti] Malim hic legere *numen.* & vice versa H. 2. 33. *Nomen Othonis*, ubi *numen* est. *Freinshemius.*

8 *Scripsit consulibus*] Errat igitur Dio fine lib. LVII. qui ait Tiberium voluisse damnari eum qui statuam cum hortis vendidisset: sed obstitisse pudorem.

verteretur. Cassium histrionem solitum inter alios ejusdem artis interesse [1] *ludis; quos mater sua in memoriam Augusti sacrasset. Nec contra religiones fieri, quod effigies ejus, ut alia numinum simulacra, venditionibus hortorum & domuum accedant. Jusjurandum perinde æstimandum, quam si Jovem fefellisset.* [2] *deorum injurias diis curæ.* Nec multo 74
post Granium Marcellum [3] prætorem Bithyniæ [4] quæstor ipsius Cæpio Crispinus majestatis postulavit, subscribente [5] Romano Hispone. [6] qui formam vitæ iniit, quam postea celebrem miseriæ temporum, & audaciæ hominum fecerunt. nam egens, ignotus, inquies, dum occultis libellis sævitiæ principis adrepit, mox clarissimo cuique periculum facessit; potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus, dedit exemplum, quod secuti, [7] ex pauperibus divites, ex contemptis metuendi, perniciem aliis, ac postremum sibi invenere. Sed Marcellum insimulabat *sinistros de Tiberio sermones habuisse.* inevitabile crimen, cum ex moribus principis fœdissima quæque deligeret accusator, objectaretque reo. nam quia vera erant, etiam dicta credebantur. Addidit Hispo, *statuam Marcelli altius quam Cæsarum sitam: & alia in statua,* [8] *amputato*

rem. quia primus à consule sententiam rogatus esset. Nam Tiberius, ut vides, non interfuit. *Lipsius.*

1 *Ludis, quos mater*] Credo eos esse, qui Palatini postea à loco dicti, alii ab Augustalibus. Videnturque non equestres aut curules fuisse, ut illi; sed scenici. Dio LVI. Χωρὶς δὲ τούτων καὶ ἡ Λιουία ἰδίαν δέ τινα πανήγυριν αὐτῷ ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας ἐν τῷ παλατίῳ ἐποίησεν. ἣ καὶ δεῦρο ἀεὶ ὑπ' αὐτῶν τῶν ἀεὶ αὐτοκρατόρων τελεῖται: *Præter hæc etiam Livia proprios quosdam ludos Augusto per triduum in Palatio fecit. qui ad hoc ævum celebrantur ab iis qui rerum potiuntur.* Suetonius Caligula: *Cumque placuisset Palatinis ludis spectaculo egressum meridie aggredi.* Idem.

2 *Deorum injurias*] Expressit eam sententiam & Imperator libro II. De reb. cred. *Jurisjurandi contempta religio satis deum ultorem habet.* Idem.

3 *Prætorem Bithyniæ*] De scriptura ambigit fidus exoriens suæ Galliæ Jos. Mercerus. nec de nihilo: Prætorem Bithyniæ ait: nonne debuisset *Proconsulem?* Ex re quidem & ex vero. Nam Bithynia, divisione Augusti inter eas provincias quæ Senatui & populo relictæ: id est, proconsulares. Dio & Strabo. Quid dicam? Vulgatam haud tuear, nisi si quid post Augustum in ea re mutatum, quod observes haud semel. *Idem.*

Granium Marcellum prætorem Bithyniæ] Maneo in eo quod dudum monui, rescribendum *Proconsulem.* Nam Bithynia in Senatus populique Romani provinciis ex divisione Augusti, apud Dionem & Strabonem, nec causa fuit cur postea mutaret: pacatissima quippe provincia. Quin mansisse indicio est Plinius Secundus, qui Trajani ætate *Proconsul* ei provinciæ. & apud eum alii. Et mox *quæstor* additus huic Marcello, qui sane non missus in provinciam Cæsaris. quo argumento etiam convicit hanc scripturam eruditissimus & omni literatura polius. Henricus Savilius in doctissimis ad Tacitum notis. Error ortus ex notis, quas fere ubique corruperunt imperiti librarii. *Mercerus.* De hoc loco quum tandem ad Reinesium scripsisset Rupertus pag. 600. in Epistolis bene notis, mox adortus fuit ejus illustrationem Ez. Spanhemius in Dissertationibus pag. 565. & ut in ea parte amplior foret, sequutus fuit Henr. Noris in Commentario ad Cenotaphia Pisana pag. 207. *Jac. Gronovius.*

4 *Quæstor ipsius*] In consuetudine positum fuisse, ut cum prætores repetundarum postularentur, quæstoribus potissimum ipsorum accusandi munus mandaretur, constat è Divinatione Ciceronis. Id autem eo fiebat, quod illis notissima esse prætorum furta, verisimile erat. *Muretus.*

5 *Romano Hispone*] Cujus declamationum Electa in Senecæ controversiis non uno loco. *Lipsius.*

6 *Qui formam vitæ iniit*] Non Hispo, sed Crispinus, de quo potissimum: idque ex sequentibus patet: *sed Marcellum insimulabat*; ipse scilicet Crispinus accusator. Idem alibi in Tacito observavi. ut lib. XV. *Qui magna cum invidia senatum adeunt.* ubi illud, *qui*, refertur ad vocem, *patres*, non ad *manumissos.* Pichena.

7 *Ex pauperibus divites*] Videri possit à Demosthene, Philip. IV. Καὶ γὰρ τούτων μὲν ἐκ πτωχῶν ἔνιοι ταχὺ πλούσιοι γεγόνασι, καὶ ἀδόξων ἔνδοξοι καὶ γνώριμοι: *Nam horum quidam ex pauperibus statim divites facti, & ex ignobilibus gloriosi ac nobiles.* Lipsius.

8 *Amputato capite*] Quod nunc crimini datur, id receptum fuisse suo ævo Plinius indicat: *Surdo,* inquit, *figurarum discrimine capita permutantur.* Et Caligula, simulachra numinum è tota Græcia conquisivit, quibus capite dempto suum imponeretur. *Suetonius.* Cur tamen Tiberius ita hic exarsit? caussa aliqua est. Nam solebant Tyrannos ea ignominia afficere: videaturque occulte quasi talem Marcellus damnasse Augustum. Hieronymus in prophetam Abacuc, cap. III. *Cum Tyrannus detruncatur, imagines quoque ejus deponuntur & statuæ, & vultu tantummodo commutato ablatoque capite, ejus facies qui vicerit superponitur.* Idem. Quin etiam aliqua

putato capite Augusti, effigiem Tiberii inditam. [1] ad quod exarsit adeo, ut rupta taciturnitate proclamaret; *se quoque in ea caussa laturum sententiam palam & juratum,* [2] *quo ceteris* [3] *eadem necessitas fieret.* Manebant etiam tum vestigia morientis libertatis. Igitur Cn. Piso, *Quo*, inquit, *loco censebis Cæsar? si primus, habebo quod sequar: si post omnes, vereor ne imprudens dissentiam.* permotus his, quantoque incautius [4] efferbuerat, [5] pœnitentia patiens, tulit [6] absolvi reum criminibus majestatis. de pecuniis repetundis [7] ad recipe-

qua ratio haberi nunc debet ejus, quod docuit Lipsius ad 3. annal. c. 65. nempe ipsas Principum statuas etiam consecratas Diis fuisse. Sed cur sola aut præcipua in hoc negotio amputatio, quum per plumbum & glutinum adfigerentur, unde varios per modos poterant capita demi? quo verbo utens Suetonius videtur magis concinne rem exprimere. *Jac. Gronovius.*

1 *Ad quod exarsit*] Quæ ergo causa tam impotentis iræ? nunquid suæ memoriæ consultum ibat, dum integritatem statuarum asserit? Facile enim conjectare poterat, si mos iste reciperetur, ut bonorum etiam Principum imagines abolerentur, multo magis suam memoriam perituram. *Freinshemius.*

2 *Quo ceteris*] Vix opinor hæc inter verba Tiberii fuisse. Nimis hoc superbum, aut sævum: sed interpretatione sua, & vera, addit noster. Et sequentia Pisonis argutius ad priora referuntur. *Lipsius.*

3 *Eadem necessitas*] Non quidem ejusdem sententiæ dicendæ, quod foret tyrannicum, & quomodo tamen videtur intellexisse Lipsius, sed ut eadem necessitas pariter jurandi ceteris fieret id e republica esse, prout explanavit Oct. Ferrarius in Electis 1, 10. *Jac. Gronovius.*

4 *Efferbuerat*] Est Beroaldi. In unica membrana exstat *efferverat*. Jac. Gronovius.

5 *Pœnitentia patiens tulit*] Faernus optima, ut videtur, conjectura restituebat: *quantoque incautius efferbuerat, tanto patientius tulit, absolvi reum* &c. *Ursinus.* Muretus *tanto patientius tulit absolvi.* Concinnius hoc sane. *Acidalius.* Non ita visum Tacito, cui pretium fuit dissimulare τὸ *tanto:* quemadmodum solent & minus brevitati studentes post *Quo* & *Quam* omittere *Eo* & *Tam:* nec leviores auctores secutus, aut hic tantum, prudentiæ lectoris intelligendum reliquit τὸ *magis.* Idem ergo sensus verborum veteris scripturæ, quasi haberetur: tanto, ut pœnitentiam commotioris animi approbaret, magis patiens vel patientius tulit. *Gronovius.* Quæ clara & certa sunt. Nihilominus illud Muretinum *tanto patientius*, indomitæ licentiæ germen, videtur prætulisse Ferrarius citato loco, plane non laudandus in hac parte, nec casti jam judicii; quia nec pretium tanti codicis MS. recte aut novit aut voluit æstimare, nec linguam Tacito congruam potuit tolerare. *Jac. Gronovius.*

6 *Absolvi reum*] Absolvine? atqui damnatum eum Suetonius ait: *Statua quidam Augusti caput dempserat, ut alterius imponeret. acta res est in Senatu, & quia ambigebatur, per tormenta quæsita est. Damnato reo, paullatim hoc genus calumniæ eo processit,* &c. Ego non concilio: nisi si repetundarum damnatus fuit, non majestatis. quod tamen omnino Suetonius voluisse videtur. *Lipsius.*

7 *Ad reciperatores itum*] Ergo damnatus repetundarum fuit, & tum Judices dati ad æstimandum. Vide sodes, quæ scribo in XIV. Annal. super criminis hujus pœna. *Idem.*

Ad reciperatores itum est] Vir doctus παραφράζει, ad judices ei negotio destinatos. Quod & obscurum & χυδαῖον, nec verbis solennibus. Marcellus Donatus causatur senatum recuperatores dedisse nusquam legi, sed senatu jubente à prætore dari solitos: ita hoc quoque loco accipiendum non recuperatores in causa Granii à senatu datos, sed jussu illius cum consensu Tiberii, vel ex hujus mandato commissum judicium recuperatorium: id ostendere verba, *itum esse ad recuperatores:* aliter enim *datos* dicturum fuisse. At ille cum dicit *itum ad recuperatores*, datos dicit à senatu judices, non qui rem ut integram audirent (jam enim apud senatum acta erat, ut & proconsulis Asiæ Silani 3. Ann. 66. & 67.) sed qui lites æstimarent, quod & Lipsius voluit. Sic Plinius lib. 2. epist. 12. *Marius Priscus accusantibus Afris, quibus proconsul præfuit, omissa defensione judices petiit.* Et mox: *excessisse Priscum immanitate & sævitia crimina, quibus dari judices possent.* lib. 4. epist. 9. *Censuit Bæbius Macer, consul designatus, lege repetundarum Bassum teneri; Cæpio Hispo, salva dignitate judices dandos.* lib. 9. epist. 29. *Tuitus sum Julium Bassum, ut incustoditum nimis & incautum, ita minime malum: judicibus acceptis in senatu remansit.* In commemorata undecima epistola legimus: *Marium repetundarum pœnæ, quam jam passus erat, censuit relinquendum.* Petrus Faber 2 Semest. 35. se concoquere negat illa verba, *quam jam passus erat:* quomodo enim jam subiisse pœnam dici, de cujus criminibus tum primum senatus non ex appellatione judicaret, & nondum pronuntiasset? itaque mali interpretis esse hoc additamentum, & Gruterus Buchnerusque laudant. Sed falluntur: nam ex eadem epistola discimus, cum sese ultro repetundarum Marius damnasset, neque eo contentus esset Plinius; valuisse sententiam Julii Ferocis cos. des. *Mario quidem judices interim dandos; evocandos autem, quibus diceretur innocentium pœnas venditasse.* Elapsum est igitur aliquid temporis, dum isti è provincia arcessuntur & venti-

reciperatores itum est. [1] Nec patrum cognitionibus satiatus, judiciis adsidebat in 75
cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret; multaque eo coram, adversus ambitum & [2] potentium preces constituta. sed [3] dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur. Inter quæ [4] Pius Aurelius senator, questus [5] *mole publicæ viæ, ductuque aquarum, labefactas ædis suas*, auxilium patrum invocabat. resistentibus ærarii prætoribus, subvenit Cæsar, pretiumque ædium Aurelio tribuit, erogandæ per honesta pecuniæ cupiens: quam virtutem diu retinuit, cum ceteras exueret. Propertio Celeri prætorio, veniam ordinis ob paupertatem petenti, decies sestertium largitus est, satis comperto [6] paternas ei angustias esse. [7] tentantis eadem alios, probare causam senatui jussit, cupidine severitatis in his etiam, quæ rite faceret, acerbus. unde ceteri silentium & paupertatem confessioni & beneficio præposuere. [8] Eodem anno continuis 76
imbribus auctus Tiberis plana urbis stagnaverat: relabentem secuta est ædificiorum

&

ventitant: atque interea judices dati lites æstimarunt. Hinc ergo recte dicitur eam *pœnam jam passus*: & sententia Collegæ fuit, de Mario repetundarum pœna, quam per judices à senatu datos jam sustinuerat, *modo consularis, modo septemvir epulonum, nunc neutrum* (quæ verba & ipsa partem exacti supplicii significant) debere senatum sibi satisfactum putare. At crimina, de quibus tum senatus judicabat, erant atrocia illa, quæ *ultra repetundarum legem quærebantur*. Contra Marcellum Donatum faciunt etiam, quæ scribit noster libro 4. 22. *Refert ad senatum, datisque judicibus Urgulania Silvani avia pugionem nepoti misit*. Gronovius.

1 *Nec patrum cognitionibus satiatus*] Suetonius in Tiber. 33. *Magistratibus pro tribunali cognoscentibus plerumque se offerebat consiliarium*. Idem de Claudio 12. *Cognitionibus magistratuum ut unus è consiliariis frequenter interfuit*. Pichena.

2 *Potentium preces*] In judiciis. solent enim Advocatos aut Deprecatores adducere potentissimos civitatis. Ex Cicerone & Asconio notum: repressitque Tiberius, quia justitiam corrumpebat. At ipse, adjungit noster, *libertatem*. nam quomodo? quia scilicet in judiciis assiduus, ea velut regebat ac temperabat, & sententiæ obnoxiæ illi erant. *Lipsius*

3 *Dum veritati consulitur*] *Veritati* hic nullus locus. Scribe *severitati*. Ea enim recte opponitur precibus & ambitui. *Grotius*. Forsitan hoc recte se habet: inclinem tamen ut legam *severitati*, ad quam proprie pertinent, quæ ad morum integritatem faciunt. Posset tamen *veritas* hic accipi pro æquitate, sicut alias *verum* pro æquo. *Severitati*, eo nempe sensu, quo apud Hirtium de bell. Alex. cap. 28. *paulatim tamen & occulte militarem disciplinam severitatemque minuebant*. & cap. 56. *multa Romæ male & mutiliter administrari, quæ dissolvendæ disciplinæ severitatique essent*. Noster 1, 75. *Cupidine severitatis acerbus*. Solin. cap. 53. *Sericum in usum publicum damno severitatis admissum*. Freinshemius. Neque legendum *severitati*, neque *veritas* est æquitas sive *lenitas*, sed simpliciter justitia, sanctitas & integritas judiciorum. Cicero pro Cælio: *Equidem vos abducam à testibus, neque hujus veritatem judicii, quæ mutari nullo modo potest, in voluntate testium collocari sinam*. Lib. 1. in Verr. *Sin istius ingentes divitiæ judiciorum religionem & veritatem perfregerint*. Lib. 5. fine: *si ullam ad rem, nisi ad officium & veritatem, omnes meæ curæ, vigiliæ, cogitationesque elaborarunt*. Noster lib. 3. *quatenus veritati & innocentiæ meæ nusquam locus est*. lib. 4. *neque Philippum potentia, sed ex vero statuisse*. *Consulere* ergo *veritati* est operam dare, ut *integrum judicium fit*, ut loquitur noster lib. 3. Sic, si patiantur judices senatorii ordinis sese corrumpi, *opinione Po. Ro. rationem veritatis, integritatis, fidei, religionis ab hoc ordine* abjudicatum iri ait Cicero, 1. in Verrem. Hæc si non sufficiunt, adde quæ ad Senecam de ira, 2, 29. diximus. *Gronovius*.

4 *Pius Aurelius*] Fortasse hic inter majores optimi principis Antonini: etsi nulla mentio Capitolino. *Lipsius*.

5 *Mole publicæ viæ*] Ob ingentes illos silices, quibus tum viæ omnes publice sternebantur. *Muretus*. Alii omnes sic accipiunt, quasi per reparationem atque aggerationem viæ domus illa labefacta fuerit. Mihi aliter visum ob locum Plinii 36, 2. ubi de columnis marmoreis in atrio Scauri collocatis. *Satisdari sibi damni infecti egit redemptor cloacarum, cum in palatium extraherentur*. Item hunc alterius Plinii, panegyr. 51, 1. *Non, ut ante, immanium transvectione saxorum urbis tecta quatiuntur: stant securæ domus, nec jam templa nutantia*. Seneca: *In hunc usum pinus aut abies deferebatur, longo vehiculorum ordine, vicis intrementibus*. Freinshemius.

6 *Paternas ei angustias*] Recte *paternas*, ut ostenderet, pauperem haud culpa sua. Contra, de Cotta Messallino, libro VI *egens ob luxum*. Pichena.

7 *Tentantis eadem*] Adi Senecam De Beneficiis libro II. cap. VII. *Lipsius*.

Tentantis eadem alios] Suetonius: *paucorum senatorum inopiam sustentata, ne pluribus opem ferret, negavit se aliis subventurum, nisi senatui justas necessitatum causas probassent. Quo pacto plerosque modestia, & pudore deterruit*. Muretus.

8 *Eodem anno continuis imbribus*] Hæc verissima

caussa

& hominum strages. Igitur censuit Asinius Gallus, *ut libri Sibyllini adirentur.* renuit Tiberius, perinde divina humanaque obtegens. Sed remedium coërcendi fluminis Atejo Capitoni, & L. Arruntio mandatum. [1] Achajam ac Macedoniam onera deprecantis, [2] levari in præsens proconsulari imperio, [3] tradique Cæsari placuit. Edendis gladiatoribus, quos Germanici fratris ac suo nomine obtulerat, Drusus præsedit, quam-

caussa est, cur Tiberis interdum inundet plana urbis. Et hac de re ita Dio lib. 57. *Cum Tiberis multas urbis partes occupasset, ita ut navigarentur: alii quidem hoc in prodigii loco accipiebant: ut & magnitudinem terræ motuum, quibus etiam pars muri dejecta erat, & crebros fulminum jactus, quibus etiam illæsis vasis vinum consumtum erat; ipse autem existimans id fieri ex multitudine aquarum, quæ in eum influerent, constituit, ut semper quinque Senatores sorte ducti curarent, ne flumen, aut æstate minueretur, aut hieme supra modum excresceret: sed semper, quoad ejus fieri posset, æquale ferretur.* Idem.

1 *Achajam ac Macedoniam*] Achajam quod ait, capies Græciam totam. nec enim aliter tunc appellabant Romani. Scriptor quispiam apud Suidam: Μόμμιος τὴν Κόρινθον ἑλὼν αὐτοβοεὶ, πρωτεύουσαν πάντων, κατὰ τοῦτο, τοῦ Ἑλληνικοῦ. Ὅθεν δοκοῦσι καὶ νῦν Ἀχαΐαν ὀνομάζειν τὴν Ἑλλάδα Ῥωμαῖοι, ἐς τὸ χειρωθὲν ἔθνος ὃ κρεῖσσον ἦν τότε τῆς Ἑλλάδος τὴν ὅλην μεταβαλόντες τῆς χώρας ἐπωνυμίαν: *Mommius Corinthum statim & primo impetu cepit, tunc principem totius Græciæ. Ex quo Romani & nunc videntur Achaiam nominare, totam Græciam: à gente devicta, quæ tunc Græciæ præerat, universam appellationem sumentes,* Pausanias lib. VII. *Porro redacta universa Græcia in provinciæ formam, mittitur ad eam obtinendam ex urbe Prætor, quem Achajæ, non Græciæ, appellant, quod scilicet Græci subacti sunt, obtinentibus principatum Achæis.* Lipsius.

2 *Levari proconsulari imperio*] Durius ergo Proconsulare imperium Præsidiali: nec caussam satis scio. Inquiro, & dico aliquid in Excurs. littera *M.* vide. *Idem.*

Levari in præsens proconsulari imperio] Potest fieri, ut hoc fuerit nihil aliud quam *Optat ephippia bos piger.* Memineris tamen, quod initio dixit hujus libri: *Nec provinciæ eum statum abnuebant* &c. Atque istis consonant multæ apud M. Tullium præsagæ querelæ: quemadmodum act. I. in Verrem: *Inveteravit enim jam opinio perniciosa reipublicæ, vobisque periculosa, quæ non modo Romæ, sed & apud exteras nationes percrebuit, his judiciis pecuniosum hominem, quamvis sit nocens, neminem posse damnari* Unde spes impunitatis & avaritia libidoque provinciales urgendi, vexandi, exhauriendi major. Cum igitur natura ferat imperiorum, ut male apud paucos, male per conciones republica administrata, τὸ πλῆθος ἀποτεθηριωμένον πάλιν εὕρῃ δεσπότην καὶ μόναρχον, ut egregie disputat Polybius lib. 4. ita mirum non est provinciam dure habitam à magistratu senatorio, corruptis judiciis, nec ulla spe reliqua vel evadendi vel vindicandi injurias à potestatibus illatas, respicere unum, à quo sine ambagibus spes sit impetratum iri, *ubi jus, ubi injuria opus sit,* ut Junii & Vitellii loquebantur. Atque hoc significat Dio lib. 53. ubi agit de ordinatione provinciarum sub Augusto: ὕστερον δὲ ἐπειδὴ τοῖς αὐτῶν οἱ καλῶς ἦρχον, τῷ αὐτοκράτορι καὶ τὰ ἐκεῖνα προσετίθησαν. Dabat & spem meliorum ipsius Tiberii disciplina, qui miram provinciarum curam præ se ferebat: quippe qui præsidibus onerandas majore tributo eas suadentibus rescripserit, *boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere:* Suetonius cap. 32. Et exemplum severitatis præbuit in procuratore Asiæ Lucilio Capitone lib. 4. ann. 15. Quin & contationem suam in mutandis præsidibus eodem studio consulendi provincialibus excusabat, teste Josepho lib. 18, 8. quasi animo haberet, quod apud Statium ait Eteocles: *Non parcit populis regnum breve.* Denique cogitant homines, etsi plerumque in eo decipiantur, quod ait Isocrates Nicocle: Πᾶσι γὰρ ὑμῖν ἀρεστὸς γνώμη προέχειν τὸν νῦν μᾶλλον ἢ πολλαῖς δυναστείαις καὶ παντοδαπαῖς ζητεῖν ἀρέσκειν. Gronovius. Sed rationem hujus querelæ suo judicio obviam scribit Ezech. Spanhemius dissertat. IX. pag. 805. (quod annua essent imperia proconsulum; inde sumptus provincialium graviores in itinera, in adventum eorundem magistratuum, quem Cicero non multum ab hostili expugnatione differre solitum alicubi testatur, & quam gravis esset Provinciis sæpe alibi inculcat: adde in plures Legatos, & majorem Comitatum Proconsulum, penes quos etiam sex fasces, quum Legatorum Cæsaris essent quinque, & diuturniora imperia & minora proinde Provinciæ onera.) An hæc Romana? Ipsa Respublica quantopere his itineribus providerit, patet ex Livio lib. 42. in principio, unde nunquam boni sunt excludendi. Deinde si quis excederet, non potuit mox accusari? At Spanhemius itinera magistratuum confundit cum eis, qui ad bellum gerendum mittantur, de quibus solis agit Cicero in cap. 5. ubi hostis est: quum in his provinciis oriri bellum nequiret. An igitur commodius & facilius erat Cæsareis provinciis? Quæso, quantum distant ab his verba libri 2. c. 42. *Et provincia Syria atque Judæa, fessæ oneribus, deminutionem tributi orabant.* Sunt satis multæ aliæ caussæ. *Jac. Gronovius.*

3 *Tradique Cæsari*] Quod etiam factum. ideoque Strabo, qui vixit medio Tiberii principatu, libro extremo, Achajam & Macedoniam Cæsarianis Provinciis accensuit: aliter quàm Dio, qui populi. Sed mutavit iterum Claudius, qui populo restituit.

quamquam vili sanguine nimis gaudens: [1] quod vulgus formidolosum, & pater arguisse dicebatur. cur abstinuerit spectaculo ipse, varie trahebant: alii tædio cœtus, quidam tristitia ingenii, & metu comparationis, [2] quia Augustus comiter interfuisset. Non crediderim ad ostentandam sævitiam, movendasque populi offensiones, concessam filio materiem: quamquam id quoque dictum est. [3] At Theatri licentia 77
proximo priore anno cœpta, gravius tum erupit, occisis non modo è plebe, sed [4] militibus & centurione, vulnerato tribuno prætoriæ cohortis, dum probra in magistratus & dissensionem vulgi prohibent. Actum de ea seditione apud patres, dicebanturque sententiæ, *ut prætoribus jus virgarum in histriones esset.* intercessit Haterius Agrippa tribunus plebei, increpitusque est Asinii Galli oratione, silente Tiberio, qui ea simulacra libertatis senatui præbebat. valuit tamen intercessio, [5] quia divus Augustus *immunes verberum histriones* quondam responderat, neque fas Tiberio infringere

stituit. Habes in Suetonii cap. xxv. & Dionis LX. *Lipsius.* Quæ repetuntur ab Ez. Spanhemio Dissert. vs. pag. 564.

1 *Quod vulgus*] Confirmo scrib. *quod in vulgus.* Ita prisci scriptores, & ipse Tacitus: *Multaque in vulgus grata usurpavit, incedere sine milite, pedibus intectis, & pari cum Græcis amictu.* Idem.

Quod vulgus formidolosum] Lipsius, *in vulgus.* At sic etiam recte. Vulgus enim, illam in Druso sanguinis appetentiam, formidabilem judicavit, ac sævitiæ indicium: idque & pater suspicatus est. *Pichena.* Tolerari posset hoc, sed tolerari. Verum egregie pro Taciti genio Lipsius, *quod in vulgus formidolosum.* Sic 1, 52. *Nunciata ea Tiberium lætitia curaque adfecere.* H. 1, 18. *Observatum id antiquitus dirimendis comitiis, non terruit Galbam* &c. *Freinshemius.* Cur id soli *vulgo formidolosum?* An non etiam vel maxime illustribus & sapientibus viris metum terroremque injicit adolescentis Principis ingenium, sanguine nimium gaudentis? Profecto. Legam igitur potius; *quod multis formidolosum*; iis nimirum, qui ex his initiis prudenter futura colligebant. Nisi malis construere cum sequentibus; *quod vulgus formidolosum arguisse dicebatur.* Hoc enim proprium est formidolosi & simul imprudentis vulgi, arguere facta Principum. Sapientes sunt cautiores; quibus non desunt vera de malis Principibus judicia, sed vix aperiuntur. *Boxhornius.* Pichenæ interpretationi obstat vox *dicebatur*, quod est *quidam dicebant*, ut de re non nimis certa. quale quod Tiberius cum filio in secreto egerat. Id vero non convenit populo: ejus enim affectio publice nota fuit. Rectius igitur Lipsius *in vulgus.* Cicero ad Atticum, 2, 22. *quod egregie non modo iis, qui utuntur opera, sed etiam in vulgus gratum esse sentimus.* Nisi malis, *quod vulgo formidolosum.* Sic enim amat loqui l. 15. *formidolosum paci virum insignem.* lib. 53. *formidolosum id imperatori dictitans.* Agricola: *quippe legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat* legio. Et rursum: *id sibi maxime formidolosum.* *Vulgo* autem, quod propius horum humilitas ab istorum vilitate distabat. Ad rem pertinet, quod Suetonius de Claudio cap. 34. *Quocumque gladiatorio munere vel suo vel alieno etiam forte prolapsos jugulari jubebat:* & quæ sequuntur. Et de avo Neronis cap. 4. *Munus etiam gladiatorium: sed tanta sævitia, ut necesse fuerit Augusto clam frustra monitum edicto coercere.* At Nero ipse nondum perditus, *munere neminem occidit, ne noxiorum quidem.* cap. 52. *Gronovius.*

2 *Quia Augustus comiter interfuisset*] De eo enim Suetonius cap. 45. ait: *Verum quotiens adesset, nihil præterea agebat: seu vitandi rumoris causa, quo patrem Cæsarem vulgo reprehensum commemorabat, quod inter spectandum, epistolis libellisque legendis, ac rescribendis vacaret, seu studio spectandi ac voluptate.* Pichena.

3 *At theatri licentia proximo priore anno cœpta*] Reposui ex Man. particulam, *At*, in impressis omissam. *Idem.*

4 *Militibus & centurione*] Refer ad cohortem, quæ adsidere ludis solita: itemque nota cruentas istas seditiones, & quid nisi pugnas? ut non injuria Valerius *Theatra* dixerit *Urbana castra: quoniam hæc quoque*, inquit, *sæpenumero voluptatem & religionem civili sanguine, scenicorum portentorum gratia macularunt.* lib. 15. cap. 1511. *Lipsius.*

5 *Quia divus Augustus*] Augustus ad frangendos rigidos illos animos, non dubie rei ludicræ fautor. Ideo *Coërcitionem in histriones magistratibus, omni loco & tempore, lege vetere permissam, ademit: præterquam ludos & scenam.* ait. Suet. cap. XLV. Ubi emendo, *ludis & scena.* verissima optimaque sententia. Mos vetus puniri histriones ab Ædilibus, Prætoribus, Consulibus, quovis tempore & quovis loco permittebat: artavit Augustus, & non nisi per tempus ludorum permisit, & in loco ipso ubi peccarant, id est, in scena. Ademit etiam jus virgarum. Quod tamen redditum esse magistratibus videtur lege Julia de vi publica: non quidem nominatim, sed prudentum interpretatione. Vide Paullum lib. v. Sentent. tit. xxvs. Quæ tamen coercitio relicta ab Augusto? Exsilium, & carcer. Ideo infra in Tiberii principatu legis, *Pulsi tum histriones*

Italia:

gere dicta ejus. [1] De modo lucaris, & adversus lasciviam fautorum, multa decernuntur; ex quis maxime insignia: [2] *Ne domos pantomimorum senator introiret, ne egredientis in publicum* [3] *equites Romani cingerent:* [4] *aut alibi quam in theatro spectarentur: &*
78 *spectantium immodestiam* [5] *exsilio multandi potestas praetoribus fieret.* [6] Templum ut in colonia

Italia: & alibi, *in vincla ductos fautores histrionum.* idem ergo juris in histriones ipsos. *Idem.*

1 *De modo lucaris*] Lucar, merces histrionum. à lucis, qui multi circa urbem, quorum reditus destinati ad ludos. Plutarchus in Caussis, & Festus: ibique, magni patris magna proles. Pluscula adde ex Excurs in *N.* Idem.

De modo Lucaris] *Lucar*, inquit Festus, *appellatur aes, quod ex lucis capitur;* & *lucaris pecunia, quae in loco dabatur.* Ferretus. Plutarch Διὰ τί τὸ τελούμενον εἰς θέας λούκαρ καλοῦσιν; ἢ ὅτι πολλὰ ἦν ἄλση περὶ τὴν πόλιν ἀνειμένα θεοῖς, ἃ καλοῦσι λούκους, καὶ τὴν ἀπὸ τούτων πρόσοδον εἰς τὰς θέας ἀνήλισκον. *Lucar*, θεατρικόν. Carisius & Glossarii. Tertullianus adversus Gnosticos. *Ipse* (de S. Joanne Baptista loquitur) *clausula legis, & prophetarum, nec prophetes, sed Angelus dictus, contumeliosa caede truncatur in puellae saltatricis lucar.* Muretus. In fragmento marmoreo incisum est: *De lucari ludorum. saecularium.* Item, *Lucaris nomine* &c. nam *Lucar*, ut docet Plutarchus, dicebatur, τὸ τελούμενον εἰς θέας, sive ut apud Glossarum scriptorem, τὸ θεατρικὸν, ut notavimus ad librum de legibus, & antiquis Senatus consultis, in quo saecularium ludorum fragmentum hoc protulimus *Ursin.* *Lucar* scribebant, quod est *locar*, τὸ θεατρικὸν, merces pro loco in spectaculis, ex ea depravata scribendi consuetudine *Lucar* a lucis deducunt ineptissime. Inde *Locarii* qui sedes in theatro locabant. Martialis: *Hermes delicia locariorum.* Varro *locarium* dici notat quod datur in stabulo & taberna qui consistant. *Salmasius.*

2 *Ne domos pantomimorum*] Magnum studium, ut video, Romanorum in has nugas hominum, imo furor Vestibula eorum, quasi principum, frequentabantur: adhaerebant egressibus, non vulgus modo, sed Eques Senatusque. Plinius lib. xxix. *Nullius histrionis equorumve trigarii comitatior egressus in publico erat, cum Crinas Massiliensis,* &c. Seneca Epistola xlvii. *Ostendam nobilissimos juvenes mancipia pantomimorum.* Idem fine libri 7. Quaest. natural. *Stat per successores Pyladis & Bathylli domus, harum artium multi discipuli sunt multique doctores. privatum urbe tota sonat pulpitum: in hoc viri, in hoc foemina tripudiant. mares inter se uxoresque contendunt, uter det latus illis.* Dare latus, explico, uter latero sit illis: ut hic Tacitus: *Ne egredientes, Equites Rom. cingerent:* ut Martialis,

Eutychus ille tuum, Castrice, dulce latus.

Hanc insaniam quam bene notat damnatque Tertullianus! *Etenim ipsi actores* (ait, libello De spectaculis) *& administratores spectaculorum, quadrigarios, scenicos, xysticos, arenarios illos amentissimos, quibus viris animas, feminis aut illis etiam corpora sua substernunt, propter quos in ea committunt quae reprehendunt, quam magnifaciunt? deponunt & diminuunt ignominia & capitis minutione.* quem libens adduxi, ut eruam correctione elegantem sensum: *quibus viri animas, feminae autem illis etiam corpora sua substernunt.* idque verissimum. Vir magnus qui conatus est ante me, non attigit. *Lipsius.*

3 *Equites Rom. cingerent*] Verba Senecae fine Libri vii. Quaest. natural. *mares inter se uxoresque contendunt, uter det latus illis*, quamvis etiam de comitatu accipi possint, aliud videntur velle; forma loquendi, ut solitum illi auctori, consulto ambigua; idque adeo ipsum, quod Tertullianus libello de spectaculis, corrupto loco, quem tangit Lipsius: sed legerim: *quibus viri animas, feminae, aut etiam illi,* (viris mollitiem exprobrat) *corpora sua substernunt.* Dictum autem *cingerent*, ut *latus cingere*, quod fiebat illis, qui multos habebant clientes, à quibus per officium egredientes in publicum, regredienteive deducebantur: quod 3, 33. *egressus solere* dixit. Ovid. de Ponto 4, 9, 17. ad Graecinum Consulem designatum:

Dumque latus sancti cinget tibi turba Senatus,
Consulis ante pedes ire juberer eques:
Et quamquam cuperem semper tibi proximus esse,
Gauderem lateris non habuisse locum.

Freinshemius.

4 *Aut alibi*] Puto, ne domi, ne in hortis. *Lipsius.*

5 *Exsilio multandi*] Etiam vinculis. Infra, lib. xiii. *Inter Vibullium praetorem & tribunum Antistium ortum certamen, quod immodestos fautores histrionum à praetore in vincla ductos omitti jussisset. comprobavere patres, incusata Antistii licentia.* Ex hoc decreto patrum nata lex, quae Pandectis insita, De poenis, l. xxviii. *Solent quidam qui volgo se Juvenes appellant, in quibusdam civitatibus, turbulentibus se adclamationibus popularium* (ita vocat locum ipsum, ubi spectabat populi plebs) *accommodare. qui si amplius nihil admiserint, fustibus caesi dimittuntur, aut etiam spectaculis eis interdicitur. quod si correcti in eisdem deprehenduntur, exsilio puniendi sunt.* Ait ecce diserte, Exsilio; ut hic, noster. *Idem.*

6 *Templum ut in colonia Tarraconensi*] Mansit id templum ad aevum Hadriani. In ejus vita, *Tarracone hiemavit, ubi sumptu suo aedem Augusti restituit.* Item in Severi vita. Somniavit sibi dici, *ut templum Tarraconense Augusti, quod jam labebatur, restitueret.* Antea jam vivus aram illic habuerat; de qua, & palma ibi enata, jocus ejus in Fabio. Quod sequitur *Datumque in omnes provincias exemplum*, cave

colonia Tarraconensi strueretur Augusto, [1] petentibus Hispanis permissum; datumque in omnes provincias exemplum. [2] Centesimam rerum venalium post bella civilia institutam deprecante populo, edixit Tiberius [3] *militare ærarium eo subsidio niti: simul* [4] *imparem oneri rempublicam, nisi vicesimo militiæ anno veterani dimitterentur.* ita proximæ seditionis male consulta, quibus [5] sedecim stipendiorum finem expresserant, abolita in posterum. [6] Actum deinde in senatu ab Arruntio & Atejo, an ob mode- 79
randas Tiberis exundationes verterentur flumina & lacus, per quos augescit. Auditæque municipiorum & coloniarum legationes; [7] orantibus Florentinis, [8] *ne Clanis*

ve acceperis, quasi litterarum exemplaria diffusa & transscripta ad omnes provincias, cum Vertranio. sed hoc ait, exemplo Tarraconensium monitos alios, ut peterent impetrarentque. *Idem.*

1 *Petentibus Hispanis permissum*] Sicut & formas ejus ex duplici nummo prompsit Cl. Vaillantius, tum ut spectari queat, tum ut veritas hujus rei firmaretur, tomo 1. Colon. August. pag. 65. *Jac. Gronovius.*

2 *Centesimam*] Dico libro II. *Idem.*

Centesimam rerum venalium] De hac, quam Tiberius postea *Ducentesimam* fecit, ipse Tacitus infra 2, 42. Hanc postea remisit C. Cæsar Caligula, ut ex ejus nummo æreo, qui est apud me, intelligimus; in cujus una parte inscriptum est. *C. CÆSAR DIVI AUG. PRON. AUG. S. C.* in altera, *COS. QUAT. PON. M. TR. P.* IIII. *PP. R. CC.* hoc est, *Remissa Ducentesima*, ut in nummo Galbæ imp. *R. XL.* hoc est, *Remissa quadragesima*, sive, *Remissio quadragesimæ.* Ducentesimæ igitur vectigal, quod erat aurei semissis in centenarium, primus instituit Tiberius sublata centesima, remisit autem C. Caligula, ut scribit Suetonius cap. 16. *Ursinus.*

3 *Militare ærarium*] Cujus inventor Augustus. Suetonius. cap. XLIX. *Utque perpetuo sine difficultate sumptus ad tuendos milites prosequendosque suppeteret, ærarium militare cum vectigalibus novis instituit.* Id factum anno DCCLIX. ex Dionis LV. Zonaras Agrippæ Postumi damnati bona in ærarium militare relata ait. Proprii que huic ærario Præfecti. Tacitus lib. V. de P. Vitellio: *claustra ærarii cui Præfectus erat, & militarem pecuniam rebus novis obtulisse.* Lapis in Samnio,

L. NERATIO. C. F.
VOL. PROCVLO
PRÆF. ÆRARI. MILITARIS.

Lipsius.

4 *Imparem oneri rem.*] Quo enim citius dimittebantur (expresserant autem ut decimosexto anno) eo plura & statim repræsentanda præmia. Ideo id indultum, revocatum. *Idem.*

5 *Sexdecim stipendiorum finem*] Putem multo convenientius restitui posse *sextodecimo stip.* ut error iste natus sit ex numerorum nota. Aliud enim est, opinor, *sexdecim stipendiorum finis:* & omnium stipendiorum totiusque militiæ *finis sextodecimo stipendio* circumscriptus. *Freinshemius.* Fateor sic posse accipi: sed non posse aliter accipi, & quidem pro eodem, quod substituit Freinshemius, metuo dicere. *Finis sexdecim stipendiorum* est finis militiæ complexus non plura stipendia, quam sexdecim, sistens in sexdecim stipendiis completis. Nempe *finis alicujus* non tantum est, quo finitur aliquid, sed etiam qui quodve finit. Sic Cicero 1. de officiis: *Vulgaris liberalitas referenda est ad illum Ennii finem*, id est, quem Ennius facit vel statuit. Sic *finis sexdecim stipendiorum*, quem sedecim stipendia statuunt. *Gronovius.* Exemplum est egregium, quo progrediatur error, ubi levem modo accepit oportunitatem. Nunquam Freinshemius venisset ad hoc absurdum, nisi deduxissent illum editiones ultra fas evagantes, ut exhibeant *sexdecim*, quum in MS. etiam hoc loco scriptum exstet *sedecim:* de qua istius literæ interpositione crebrius commissa ideo & alibi debeo monere lectorem, ut sciat quid sequatur in hoc futili omnium editionum incerto; quæ quum sæpius præbeant *sexdecim*, attamen 12, 58. produnt *sedecim*, per inertissimam absurditatem. Elige unum & sequere quod bonum in MSS. sicut hoc ipso loco vetus manus præferebat *sedecim*, sed x suprascribi contigit. Itaque & nunc ita imminui. *Jac. Gronovius.*

6 *Actum in senatu*] Tacitus hic & supra duobus modo commissam eam curam scripsit. at Dio auctor quinqueviros à Tiberio constitutos, qui Tiberis inundationes arcerent verterentque. Vide ejus verba, lib. LVII. actis anni DCCLXVIII. Cur opus fuerit nova electione nescio: quia præfecerat pridem Augustus. Sueton. cap. XXXVII. In monumentis frequenter, CVRATOR. RIPARVM. ET. ALVEI. TIBERIS. *Lipsius.*

7 *Orantibus Florentinis*] Fesulam, quam Φαισύλην Theon appellat ex Hyadibus unam, Fesulæ civitati nomen dedisse recentiores scripsere. ea à Gothis diruta, concessisse cives in proximam planiciem, & urbem habuisse, quæ à flore, sibi Caroli Magni munificentia pro insigniis donato, nomen Florentiæ sumpserit. quæ falsa esse, nedum hic Taciti locus, sed & alii auctores ostendunt. Procopius à Totila non potuisse expugnari auctor est. Sed & in fragmentis Frontini de coloniis ita legitur: *C. Cæs. & Ant. Lepid. III. VIR. colonia Florentina deducta à III. viris adsignata L. Julia centuria Cæsa-*

Clanis solito alveo demotus in amnem Arnum transferretur, idque ipsis perniciem adferret. [1] Congruentia his Interamnates disseruere; *pessum ituros fœcundissimos Italiæ campos, si amnis Nar* (id enim parabatur) *in rivos deductus superstagnavisset.* Nec Reatini silebant, Velinum lacum, qua in Narem effunditur, obstrui recusantes; *quippe in adjacentia erupturum. optume rebus mortalium consuluisse naturam, quæ* [2] *sua ora fluminibus, suos cursus, utque originem, ita fines dederit. spectandas etiam religiones sociorum, qui* [3] *sacra & lucos & aras patriis amnibus dicaverint. quin ipsum Tiberim nolle prorsus accolis fluviis orbatum minore gloria fluere.* Seu preces coloniarum, seu [4] difficultas operum, sive superstitio, valuit [5] ut in sententiam Pisonis concederetur, qui nil mutandum censuerat. Prorogatur Poppæo Sabino provincia Mœsia, additis Achaja ac Macedonia. [6] Id quoque morum Tiberii fuit, continuare imperia, ac plerosque ad finem vitæ in iisdem exercitibus, [7] aut jurisdictionibus habere. [8] Caussæ variæ traduntur:

Cæsariana in jugera CC. per cardines & decumanos termini rotundi pedales distant à se in pedes CCCC. Meminit & Ptolomæus: ut dubio procul antiquam nobilemque coloniam extitisse credendum sit, Francorum beneficio minime conditam. Celebrat eam & Plinius lib. 14. cap. 3. & in Scholiis Græcis *Φλωρέντια*. quapropter helleboro indigere arbitror, qui *Fluentiam* dicunt. *Alciatus.*

8 *Ne Clanis*] Hunc non esse fluvium eundem illi, cujus meminit Virgilius lib. 2. Georgic. prout opinabatur Cl. Ryckius, alibi ostendimus. *Jac. Gronovius.*

1 *Congruentia his Interamnates*] Non temere in Manuscr. *Antemanates*, fortasse dempta litera legendum, *Antemnates*. Varro lib. IV. de ling. Lat. *Antemna, quod ante amnem, qui influit in Tiberim.* Urbs fuit in Sabinis. Et quia Antemnæ, & Interamnia non longe ab urbe Roma, & ipso Tiberi; haud facilis est inquisitio, propter antiquitatem, cujus harum urbium Tacitus meminerit. Vulgatam itaque scripturam non contemno, sed de lectione libri veteris attestor. *Pichena.* Cicero ad Att. lib. 4. epist. 15. aliquid refert non absimile ab historia Taciti. *Reatini*, inquit, *me ad sua τέμπη duxerunt, ut agerem causam contra Interamnates apud Consulem & decem legatos, quod lacus Velinus à M. Curio emissus interciso monte in Nar defluit: ex quo est illa siccata, & humida tamen modice Rosea.* Aurelius.

2 *Sua ora fluminibus*] Sua ostia, etsi vocabulum *ora* nonnihil ambiguitatis habeat: tam enim fortassis pro scaturigine ipsa, quam pro ostiis, quibus exonerantur flumina, potest accipi. *Freinshemius.* Si fas est credere.

3 *Sacra, & lucos*] Nam fluvii priscis inter deos: & res notior, quam ut exemplis firmetur. *Lipsius.*

4 *Difficultas operum*] Quidam de sumptibus accipiunt. Sed consentaneum est, Patres in tanta opulentia magnificentiaque publica, non tam magnitudine sumptuum fuisse deterritos, quam desperatione metuque, ne incassum insumerentur. *Freinshemius.*

5 *Ut in sententiam Pisonis*] Ita omissa nunc res. Nerva tamen postea, sive Trajanus, ad arcendos fatales hujus fluvii & non sine omine auctus, fossam duxit. de qua Plinius sensit lib. VIII. Epistol. *Tiberis alveum excessit, & quamquam fossa, quam providentissimus Imperator fecit, exhaustus, premit valles, innatat campis, quaque planum solum, pro solo cernitur.* Legerim, *quaque planum, solus pro solo cernitur.* Lipsius.

In sententiam Pisonis concederetur] Hoc postremum *ur* est editionum aliarum. Nam prout in MS. unico exstat *concederet*, ita quoque exhibuit Beroaldus. Cur autem nolunt hoc ex Tiberii aut Senatus declaratione accipere? Mox in eodem MS. legitur *Achaja ac Macedonia*, quod jam mutavit Beroaldus in *&*, verum sine causa, unde rediit antiquum in locum suum. *Jac. Gronovius.*

6 *Id quoque morum Tiberii fuit*] Josephus de eo lib. 8. *ἀρχαιολογίας. Μελλητὴς, εἰ καί τις ἕτερος βασιλέων ἢ τυράννων γενόμενος, οὔτε γὰρ πρεσβειῶν ὑποδοχὰς ἐκ τοῦ ὀξέος ἐποιεῖτο. ἡγεμόσι τε ἢ ἐπιτρόποις ὑπ' αὐτοῦ σταλεῖσιν οὐδεμία ἡ διαδοχὴ, ὁπότε μὴ φθαῖεν τετελευτηκότες.* Hoc se Tiberius cur facere diceret, statim exponit. In XXII. annis quibus imperavit, duos tantum præsides misit in Judæam Gratum & Pilatum. *Muretus.* Non solum in imperiis militaribus, & administrationibus provinciarum, id moris Tiberio, sed & in privatis rebus. Infra lib. IV. *Res suas Cæsar spectatissimo cuique, quibusdam ignotis, ex fama mandabat; semelque adsumpti tenebantur, prorsus sine modo, cum plerique iisdem negotiis insenescerent.* Pichena.

7 *Aut jurisdictionibus*] Provincias inermes sic appellat, à præcipuo in iis Præsidum munere, quod sola fere jurisdictione implebatur. *Lipsius.*

8 *Caussa variæ traduntur*] Non temere hoc mutem: sed proclivis est suspicio esse scribendum: *Caussa variè trahuntur:* ut supra: *Cur abstinuerit spectaculo ipse, variè trahebant, alii* &c. *Acidalius.* Præter causas à Tacito traditas, aliam affert Joseph. antiq. Jud. lib. XVIII. cap. VIII. scilicet, ut subjectis parceret. Nam lucris exsatiati segniores fiunt

duntur: alii *tædio novæ curæ semel placita pro æternis servavisse:* quidam *invidia, ne
plures fruerentur.* sunt qui existiment, [1] ut callidum ejus ingenium, ita anxium judi-
cium. neque enim eminentis virtutes sectabatur, & rursum vitia oderat: ex optimis
periculum sibi, à pessimis dedecus publicum metuebat. qua hæsitatione postremo eo
provectus est, [2] ut mandaverit quibusdam provincias, quos egredi urbe non erat paf- 81
surus. [3] De comitiis consularibus, [4] quæ tum primum illo principe, ac deinceps fue-
re, vix quidquam firmare ausim; adeo diversa non modo apud auctores, sed in ipsius
orationibus reperiuntur. [5] Modo subtractis candidatorum nominibus originem cu-
jusque, & vitam, & stipendia descripsit, ut qui forent intelligeretur: aliquando ea
quoque significatione subtracta, candidatos hortatus, ne ambitu comitia turbarent,
suam ad id curam pollicitus est: plerumque *eos tantum apud se professos* disseruit, *quo-
rum nomina consulibus edidisset; posse & alios profiteri, si gratiæ, aut meritis confiderent.*
speciosa verbis, re inania, aut subdola: quantoque majore libertatis imagine tege-
bantur, tanto eruptura ad infensius servitium.

fiunt ad rapiendum. Ideoque Civilis, dux Batavorum, injurias Romanorum enumerans, *tradi se*, ait, *præfectis centurionibusque, quos ubi spoliis, & sanguine expleverint, mutari, exquirique novos sinus, & varia prædandi vocabula*, infra lib. IV. *Pichena.*

1 *Ut callidum ejus ingenium*] Est enim hominum acutorum proprietas hærere ubique, & novas subinde dubitandi caussas sibi subjicere; quod etiam notat Lipsius ad Politica sua 3, 4, 11. *Freinshemius.*

2 *Ut mandaverit quibusdam*] Inter hos Ælius Lamia. de quo libro sexto: *Administrandæ Syriæ imagine tandem exsolutus: urbi præfuerat. genus illi decorum, vivida senectus, & non permissa provincia dignationem addiderat.* Et paulo post de Arruntio: *oblitus, Arruntium, ne in Hispaniam pergeret, decimum jam annum attineri.* De his fortasse intelligit Suetonius in Tiberio cap. LXIII. *Unum & alterum consularem oblatis provinciis, non ausus à se dimittere, usque adeo detinuit, donec successores post aliquot annos præsentibus daret.* Dio libro LVIII. Has artes sequentes quoque principes imitati sunt. De Nerone Tacit. libro XIII. *Syria P. Anteio destinata, & variis mox artibus elusus, ad postremum in urbe retentus est.* De Vitellio libro secundo histor. *Cluvius comitatu principis adjectus, non adempta Hispania, quam rexit absens, exemplo L. Arruntii, quem Tiberius Cæsar ob metum, Vitellius Cluvium nulla formidine, retinebat.* Elusus etiam à Domitiano Julius Agricola, ut ex vita ipsius. *Pichena.* Mirum quam prorsus similia interdum subveniant viris doctis. Hæc enim prorsus eadem sunt Casauboniana ad Suetonium in Tiberio capite 63 citato. *Jac. Gronovius.*

3 *De comitiis consularibus*] Diversa, Tiberio principe, ratio consularium comitiorum: nam & consules solus facere, & speciem apud senatum relinquere volebat. Ideoque nec redegit ad certum ordinem, & varie semper in senatu de ea re disseruit: quadam fortasse verecundia, quod Augustus comitia ea cum senatu participaverit. Apparet utcunque, candidatorum, quos probaverat, nomina edidisse consulibus: qui ea per senatum divulgarent, nulla principis commendatione apposita, nulla permissa facultate dissuadendi, aut repellendi. Inane itaque suffragii nomen senatui relictum. Idemque obtinuit apud sequentes principes. *Pichena.*

4 *Quæ tum primum illo principe*] *Quæ tum*, h. e. iis temporibus, *primum illo Principe*, primo donec imperavit Tiberius, *ac deinceps*, nempe subsequentibus principibus. *Freinshemius.*

5 *Modo subtractis candidatorum*] Totus hic locus, quo de comitiis consularibus agitur, qualia sub Tiberio fuere, non satis ab eruditis viris explicatus: neque forsan à quovis intelligitur, præsertim ista: *aliquando ea quoque significatione subtracta.* Si enim Tiberius aliquando neque significatione, neque nominatione produxit candidatos consulatus apud se professos, quomodo in his comitiis se gessit? quomodo tamen gratos addictosque sibi promovit ad consulatum? Neque enim alia via esse videtur, quam ista vel significandi, vel nominandi. Imo tertia jam superest illa privatim, nimirum, quosdam iis commendandi, qui in consularibus istis comitiis ferendæ sententiæ jus habebant. Hoc est illud, ad quod curam suam aliquando candidatis pollicitus est, & obtulit Cæsar. Commendatio ista privata tanti Principis, imperii ineluctabilis erat loco. Sic fracta vis libertatis. Interim qui sibi à Principe commendatos in comitiis consularibus laudabant, non tam ex Principis arbitrio, quam suo, dicere sententiam videbantur. Quin vero & ipsi quoque suam à commendante Principe etiamnum agnosci auctoritatem sibi persuadebant. Sic superfuit species libertatis. Vides hic quoque, ut in significatione & nominatione, ea fuisse, quibus Tacitus hæc concludit: *speciosa verbis, re inania, aut subdola.* Aliena, neque ex mente auctoris disserunt, qui hæc aliter interpretantur. *Boxhornius.*

C. CORNELII TACITI
AB
EXCESSU AUGUSTI
ANNALIUM
LIBER SECUNDUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Motus aliqui in Oriente. Vonones Parthorum rex solio & solo ab Artabano pellitur: & ad Armenios profugus, ab his in regnum accipitur. Qui eodem mox demovetur à Silano Præside Syriæ, ob metum & Artabani minas. At Tiberius, specie moti Orientis, Germanicum à legionibus suetis abstrahit. cui paret ille, sed lente. Prius enim Germaniam ingreditur, & fabricata ingenti classe, exercitum oceano ad Amisiam flumen vehit. Illic Angrivarios Stertinio duce populatur & sternit. mox Cheruscos & Arminium ingenti prælio vincit. multumque gloriæ partum, nisi in regressu fortuita clades eam obliterasset. Navium enim hominumque maximam partem in oceano amisit, vi tempestatis & imperitia ejus maris. Interea Romæ vir nobilis Libo Drusus studii rerum novarum defertur. accusatur in Senatu, & parte aliqua convincitur. Tiberium infensum expertus, & veniæ nulla spe, gladio incubuit. M. Hortali preces (nepos is Hortensii) in manifesta paupertate, spretæ à Principe. Clemens Postumi Agrippæ servus, domino interfecto, faciem & nomen ejus mentitur. res Romanas turbat. occulte conscios & adjutores multos habet. opera tamen & ingenio Sallustii Crispi sine motu capitur, & Romam perducitur. Sub id tempus Germanicus de Cattis, Cheruscis, aliisque gentibus triumphat. Archelaus Cappadocum rex in urbem accitus, & indigne habitus, fato moritur. Regnum ejus in provinciam redactum. Germanico Oriens permissus, cum majore, quoquo adisset, imperio: Cn. Pisoni Syria, cum occultis (ut creditur) in Germanicum mandatis. Drusus in Illyricum it, dux contra Germanos. qui inter se discordes, otium & securitatem Romanis fecere. Cherusci duce Arminio, potentem & veterem regem Maroboduum, magno nec incruento prælio vincunt. In Asia duodecim celebres urbes terræ motu collapsæ, aut haustæ sunt. Tacfarinas in Africa bellum

sive

sive latrocinium exercet. idque à Furio proconsule statim repressum. Germanicus in Armeniam venit: regem Zenonem volentibus iis imponit. Drusus Germanos ad discordias inlicit. Maroboduus vi Catualdæ regno pulsus in Italiam venit, & Ravennæ per duodeviginti annos egit. Idem Catualdæ mox casus, qui Forum Julium missus. Rhescuporis Thracum rex, opera Pomponii Flacci in vincla datur: Romam perducitur. Germanicus Ægyptum lustrat. reversus, inimicitias cum Pisone exercet, & denunciat. sed paullo post morbo correptus, cum ingenti gentium omnium luctu, Antiochiæ extinguitur. Veneni à Pisone dati suspicio erat. qui conatus armis Syriam repetere, à Sentio aliisque Germanici amicis impeditur. Honores multi Germanico mortuo Romæ decreti. Sanctiones contra muliebrem impudicitiam. Virgo Vestalis capta. Arminius in Germania dolo cæsus. Hæc gesta annis quatuor.

T. STATILIO SISENNA TAURO, L. SCRIBONIO LIBONE.
C. COELIO RUFO, L. POMPONIO FLACCO.
TIBERIO CÆSARE AUG. III. GERMANICO CÆSARE II.
M. IUNIO SILANO, C. NORBANO FLACCO.
} Coss.

1 Sisenna Statilio Tauro, L. Libone consulibus mota Orientis re- 1
gna, provinciæque Romanæ; initio apud Parthos orto, qui petitum Roma acceptumque regem, quamvis [2] gentis Arsacidarum, ut externum aspernabantur. Is fuit Vonones, obses Augusto datus à Phrahate. Nam [3] Phrahates quamquam depulisset exercitus ducesque Romanos, cuncta venerantium officia ad Augustum verterat,

COMMENTARIUS.

1 *Sisenna Statilio Tauro L. Libone Coss.*] Eorum integra nomina hæc sunt: *T. Statilius T. F. Sisenna Taurus. L. Scribonius L. F. Libo.* Utriusque pater consul fuerat triumviratus tempore; Statilius quidem cum Agrippa, suffectus in locum L. Caninii, Libo autem cum M. Antonio II. consule. *Muretus*

2 *Gentis Arsacidarum*] Strabo lib. 15. Τοιοῦτον δὲ καὶ τὸ παρὰ τοῖς Παρθυαίοις. Ἀρσάκαι γὰρ καλοῦνται πάντες, ἰδίᾳ δὲ ὁ μὲν Ὀρώδης, ὁ δὲ Φραάτης, ὁ δὲ ἄλλο τι. Ubi vir magnus, Imo *Arsacidæ* vocabantur, inquit, non *Arsacæ*; & ita legendum dictare cum Grammaticorum canonas, tum Dionem & alibi Strabonem. Idem tamen ad lib. 12. Paphlagoniæ reges *Pylæmenes* vocabantur: Cappadociæ plerique *Ariarathes*: Thraciæ plurimis *Cotys* nomen fuit: Parthorum *Arsacæ*: sic ibi. Nimirum si πατρωνυμικὸν formandum sit, Grammaticorum canones Ἀρσακίδης volunt, ut *Priamides*, *Tydides*: sed ipsi haud dubie salutabantur & se scribebant quisque, *Arsaces*; non *Arsacides*, simul imperare cœperant, etsi prius alio nomine fuissent. Sic apud Sallustium, *Rex Mithridates Regi Arsaci*, scribit. Is erat Phraates secundus Pacori filius, gente *Arsacides*, nomine inter suos *Arsaces*. Dio libro 36. τοῦ γὰρ Ἀρσάκου τοῦ τῶν Πάρθων βασιλέως ἀποθανόντος ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ, Φραάτην τὸν διάδοχον αὐτοῦ προσεδόκησεν οἰκειώσεσθαι. Hic Arsaces erat Pacorus, quem modo nominabamus. Sic & Trogus testatur memoriæ conditoris Parthos hunc honorem habuisse, *ut omnes exinde reges suos Arsacis nomine nuncupent*. Lapis vetus Romæ:

SERASPADANES. PHRAATIS.
ARSACIS. REGUM. REGIS. F.
PARTHUS.
RHODASPES. PHRAATIS.
ARSACIS. REGUM. REGIS
PARTHUS.

Recte igitur & Strabo Ἀρσάκαι. Gronovius.

3 *Phraates quanquam depulisset*] Phraates cum M. Antonio conflixerat, eumque Præasporum obsidionem solvere coëgerat: sed tamen audita Augusti clementia & æquitate, reddiderat ei Armeniam,

verterat, [1] partemque prolis firmandæ amicitiæ miserat: [2] haud perinde nostri me-
2 tu, quam [3] fidei popularium diffisus. Post finem Phrahatis & [4] sequentium regum, [5] ob internas cædes, venere in urbem legati à primoribus Parthis, qui Vononem [1] vetu-

niam, & signa militaria, quæ Crasso & Antonio ademta fuerant, & filios, uxores, nepotes ei obsides firmandæ pacis causa dederat. Strabo ad finem libri sexti. Hac de re ita Horatius in epistolis: *Jus imperiumque Phraates Cæsaris accepit genibus minor.* Et Suetonius: *Parthi quoque & Armeniam vindicanti facile cesserunt: & signa militaria, quæ M. Crasso, & M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt, obsidesque insuper obtulerunt.* Muretus.

1 *Partemque prolis*] Quatuor filios, si Straboni credimus, & eorum uxores duas cum filiis item quatuor misit Romam. Verba ejus sententiaque gemina sunt huic loco, lib. XVI. Ὁ Φραάτης καλέσας εἰς σύλλογον Τίτιον, τὸν ἐπιστατοῦντα τότε τῆς Συρίας, τέτταρας παῖδας γνησίους ἐνεχείρισεν ὅμηρα αὐτῷ, Σαρασπάδην, καὶ Κεροσπάδην, καὶ Φραάτην, καὶ Βοώνην, καὶ γυναῖκας τούτων δύο, καὶ υἱεῖς τέτταρας, δεδιὼς τὰς στάσεις καὶ τοὺς ἐπιτιθεμένους αὐτῷ. *Phraates vocato ad colloquium Titio, qui tunc Syriæ præerat, quatuor legitimos filios ei tradidit obsides, Saraspadem, & Cerospadem, & Phraatem, & Vononem, & uxores horum duas, & quattuor liberos, veritus domesticas seditiones & insidias.* Tantum in iis emendaverim, Φραάτην καὶ Βονώνην. Fuerunt enim inter obsides Phraates & Vonones. Vide eumdem scriptorem libro VI. Hac ipsa de re Justinus libro XLII. *Sed & filii nepotesque Phrahatis obsides Augusto dati.* Lipsius.

2 *Haud perinde nostri metu*] Non hic rationem reddit Tacitus, cur Phrahates partem prolis Romam miserit. quod tamen velle video viros eruditos. Id enim factum est quod jam dixit, *firmandæ amicitiæ* causa. Nam liberi non tantum maxima conjugii pignora sunt domi, sed fidei etiam inter externos. Causam igitur hic dat, cur Phraates, victor, post depulsos exercitus ducesque Romanos, quod alias absurdum videri possit, tanquam minor, & quasi ipse victus, cuncta venerantium officia verterit ad Augustum. Nempe quia fidei levium & facile ac libenter Principes suos mutantium popularium diffidebat. Qnippe qui domi validis munimentis non insistit, foris societate potentiorum confirmare sese necesse habet. Sic enim suos facilius in officio continet domi. quod hic inprimis habet locum. Alias & illa ratio est, cur victores nonnunquam cuncta venerantium officia vertant in victos, quod non sit diu cum illis bellum gerendum, qui diutius perire possunt, quam nos vincere. De quo lege Senecam Suasor. v. libro I. *Boxhornius.* Immo utriusque facti hæc ratio est: nam τὰ *firmandæ amicitiæ* nil nisi prætextum significant. Imperaturum Parthis oportebat esse Arsacidem. Quem gravem facile destituebant, si copiam alterius haberent eadem stirpe prognati: fin, spes erat minus ausuros, cum deesset, quem subornarent adversus præsentem, cujusque auctoritatem sequetentur. Sic Ptolomæus Physcon arcessitum maximum à Cyrenis filium Memphitem, ne eum Alexandrini contra se regem crearent, interfecit. Hoc spectavit & Nero in Britannico tollendo; *tanto magis fovendum patribus populoque Principem, qui unus superesset è familia summum ad fastigium genita.* 13. Ann. 17. Hic ipse Phraates, cum infestos sibi optimates propter assidua scelera videret; ne esset, qui rex nominari posset, adultum filium interfici jussit, teste Trogo. Eandem ob causam hos amandavit. Nam quod Josephus narrat, etiam verum censeo. Phraates metuebat exemplum suum: eum metum intendit mulier quasi & ipsa pro marito timens, cum revera filio locum ad successionem pararet. Species assumpta, ut firmandæ amicitiæ obsides essent. *Gronovius.*

3 *Fidei popularium*] Eadem caussa in Strabone. nec injuria etiam liberis suis diffisus, ne suo exemplo se tollerent. Ipse enim Orodem patrem sustulerat, itemque fratres viginiinovem. Josephus missionem hanc obsidum ad Thermusæ uxoris artes refert, ut illis absentibus filio suo Phraataci regnum conficeret, quod evenit. *Lipsius.*

4 *Sequentium Regum*] Adeo ergo multi interjecti inter Phraatem, & filium ejus hunc Vononem? Ego sane duos reperio, Phraatacem, & Orodem. Sed quia confusum hoc totum stemma, & multa ejus in Tacito mentio: dedi in EXCVRS. super eo, quod opus, littera *A.* Idem.

5 *Ob internas cædes*] Domesticas, civiles, sicut *interna certamina* 2, 54. non clandestina, ut qnidam accipiunt, sed intestina. *Fremshemius.* Phraates ejus nominis tertius, Rex Parthorum duodecimus, cum à patre regni successor destinatus esset, ne quid sibi à competitoribus molestiæ exhiberetur, triginta fratres interfecit: deinde patrem id indigne ferentem, prius veneno tentatum, cum id parum successisset, strangulavit. Hic inter cæteras uxores (quas Parthi multas habere solent, quasi in una parum incommodi esse soleat) habuit & Thermusam ancillam, Italici generis, ad se ab Augusto missam: cujus blanditiis delinitus, Phraatacen filium, quem ex ea susceperat, successorem regni nominavit. Non degeneravit à paterna virtute filius: sed communicato cum matre consilio, (quam officiosus adolescens, non pro matre tantum, sed pro pellice habebat) ne paternam mortem, quod improborum filiorum est, exspectare diceretur, patrem interfecit. Ipse postea concitato omnium in se odio, per tumultum occiditur. Successit ei Orodes: quo & ipso propter barbaram & ferinam crudelitatem inter epulas à suis occiso, missus est petentibus Parthis à Tiberio hic, de quo nunc

[1] vetustissimum liberorum ejus accirent. Magnificum id sibi credidit Cæsar [2] auxitque opibus. Et accepere barbari lætantes, ut ferme ad nova imperia. Mox subit pudor, *degeneravisse Parthos, petitum [3] alio ex orbe regem hostium artibus infectum: jam inter provincias Romanas [4] solium Arsacidarum haberi, darique. [5] Ubi illam gloriam trucidantium Crassum, exturbantium Antonium; [6] si mancipium Cæsaris, tot per annos servitutem perpessum, Parthis imperitet?* Accendebat dedignantes & ipse, diversus à majorum institutis, [7] raro venatu, [8] segni equorum cura; quotiens per urbes incederet, [9] lecticæ gestamine, [10] fastuque erga patrias epulas; inridebantur & [11] Græci comites,

nunc acturi sumus, Vonones. *Muretus.*

1 *Vetustissimum liberorum*] Atqui in Strabone quartus ordine, minimusque ponitur. *Lipsius.*

Vetustissimum liberorum] Atqui in Strabone libro 16. quartus ordine, minimusque ponitur. Nempe per *liberos* hìc non intelligendi filii tantum, sed & nepotes simul, adeoque tota ejus progenies, ex qua natu maximus hic Vonones, quo tempore legatio ista Romam missa. Vide L. *Libererum* 220. de V. S. *Freinshemius.*

2 *Auxitque opibus*] Comitatu, pecunia, alia pompa instruxit, regium in morem. *Lipsius.*

3 *Ex alio orbe*] Universus enim terrarum orbis in Romanos, & in Parthos divisus videbatur. *Muretus.*

4 *Solium Arsacidarum*] Quod & sæpius est factum. eoque velut de more, scribit Hegesippus, in oratione Agrippæ regis: *Persarum superba audimus imperia, sed eorum quoque obsides vidimus: & cum ipsi pluribus nationibus imperent, offerunt liberos suos, & nobilitatem suam, servire Romanis gaudent pro fide pacis, simul ut serviendo discant suis imperare. offerunt vestes, monilia, elephantes quoque Romanis, unum tributum reges impouere.* Postrema huc faciunt, & emendem: *elephantes: quodque Romanis unum* (vel, *summum*) *tributum.* Lipsius.

Solium Arsacidarum] Claudianus IV. Conf. Honorii Pan.

Si tibi Parthorum solium fortuna dedisset,
Care puer, terrisque procul venerandus Eois
Barbarus Arsacio consurgeret ore tiaras:

Apud Hegesippum, quem tentat ὁ πάνυ, legendum censeo: *offerunt vestes, monilia, elephantes; quodque Romanis visum est tributi genus imponere.* Vel, *visum tributorum genus imponere.* Gronovius.

5 *Ubi illam gloriam*] *Ubi* particula elegantem vim habet in exhortando, aut etiam exprobrando omissa bona, quibus eramus fisi vel gloriati. Virg. lib. 5. Æneid. 391.

Ubi nunc nobis deus ille magister
Nequidquam memoratus, Eryx? ubi fama per omnem
Trinacriam?

Ex Homero Iliad. 5.

Πάνδαρε, ποῦ τοι τόξον, ἰδὲ πτερόεντες ὀϊστοί,
Καὶ κλέος;

Psalmo 42, 3. *Ubi Deus tuus?* Freinsh.

6 *Si mancipium*] Τὴν ὁμηρείαν ἀντὶ δουλείας ὀνομάζοντες, Josephus. *Muretus.*

7 *Raro venatu, segni equorum cura*] Quæ tamen unica studia procerum regisque. Xenophon libro VIII. Pædias. Τῆς πολεμικῆς δ' ἕνεκα ἀσκήσεως, ἐπὶ θήρας ἐξῆγεν, ὥσπερ ἀσκεῖν ταῦτα ᾤετο χρῆναι, ταύτην ἡγούμενος καὶ ὅλως ἀρίστην ἄσκησιν πολεμικῶν εἶναι, καὶ ἱππικῆς δὲ ἀληθεστάτην. Καὶ νῦν δὲ Βασιλεὺς, καὶ οἱ ἄλλοι περὶ βασιλέα, ταῦτα ποιοῦντες διατελοῦσι: *Militaris exercitii gratia ad venationem eduxit, quos ad eam idoneos rebatur. hanc existimans & universe optimam exercitationem ad militiam esse, & maxime ad equestrem. Itaque & nunc Rex Persarum, atque alii circa Regem, assidui sunt in venatu.* Lipsius.

Raro venatu] Cum Parthi prope assidui in venatione esse soleant, neque aliis fere carnibus vescantur, quam ferarum, quas venando ceperunt. Suetonius in Caligula narrat ob mortem Germanici regem regum *& exercitatione venandi & convictu Megistanum abstinuisse*; idque *apud Parthos justitii instar* esse. *Muretus.* Darius epitaphio inscribi mandavit Κυνηγῶν ἐκράτει. Strabo libro 15. Et noster de Bardane: *Parthi incautum venationique intentum interfecere.* Aurelius.

8 *Segni equorum cura*] Cum ipsi plurimum equitatu valeant, & in equis curandis studium omne consumant. ἐπιχώριον ἦν αὐτοῖς μὴ ὁρᾶσθαι πεζῇ πορευομένους. Xenophon libro 8 Cyripædias. *Muretus:* Justinus 41. *Equis omni tempore vectantur: illis bella, illis convivia, illis publica ac privata officia obeunt: super illos ire, consistere, mercari, colloqui. Hoc denique discriminis inter servos liberosque est, quod servi pedibus, liberi non nisi equis incedunt.* Dio libro 40. ait Parthorum regionem alendis equis singularem, quia plana & ad equitandum commoda: additque eos equorum armenta tota secum solere ducere in expeditionem. *Aurelius.*

9 *Lectica gestamine*] Quod ipsis molle & muliebre, ut est, videbatur. *Muretus.*

10 *Fastuque erga patrias epulas*] Quas scilicet contemnebat despiciebatque. Tacitus libro 4. in fine: *juxta, gratiam, aut fastus janitorum perpetiebantur.* Petron. Arb. *Contubernalis mea mihi fastum facit.* Pichena. *Patrias epulas*, non tantum cibos intelligo: sed in universum morem convivandi, Parthis solennem, qui Suetonio Cal. cap. 5. *convictus Megistanum* dicitur. *Freinshemius.*

11 *Græci comites*] Hoc comitatu omnes Romani cincti erant, quippe doctorum, eloquentium, &

tes, ac vilissima utensilium [1] anulo clausa: sed [2] prompti aditus, obvia comitas, [3] ignotæ Parthis virtutes, [4] nova vitia; [5] & quia ipsorum moribus aliena, perinde
3 odium pravis & honestis. Igitur Artabanus Arsacidarum è sanguine apud Dahas adultus excitur, primoque congressu fusus [6] reparat vires, regnoque potitur. Victo Vononi [7] perfugium Armenia fuit, vacua tunc, interque Parthorum & Romanas opes infida, [8] ob scelus Antonii, qui Artauasden regem Armeniorum specie amicitiæ inlectum, dein [9] catenis oneratum, postremo interfecerat. Ejus filius Artaxias memoria patris nobis infensus, Arsacidarum vi seque regnumque tutatus est. [10] occiso Artaxia [11] per dolum propinquorum, [12] datus à Cæsare Armeniis Tigranes, deductusque

in Philosophia ut plurimum versatorum. Cicero pro Milone: *Græci comites, quocumque ibat.* Tacitus 4. Ann. *Reliquis liberalibus studiis præditi, ferme Græci, quorum sermonibus levaretur.* Ubi de secessu Caprearum. *Aurelius.*

1 *Anulo clausa*] Signatorium anulum intellegit: sive, ut alii appellant, sigillaricium, qui habeat χαρακτῆρα. De quo Vopiscus in Aureliano: *Uxori & filiæ anulum sigillaricium quasi privatus instituit.* Moris autem Romani, ut domi supellex penusque omnis eo signaretur: nequid negligentia aut furto periret. Exempla in Excurs. vide in B. Lipsius.

Annulo clausa] Ex Romana consuetudine ad vitanda furta servorum. Q. Cicero in epistola ad Tironem, quem locum videtur jam notavisse & Lipsius, sed citat nimis licenter. *sicut olim matrem nostram facere memini, quæ lagenas etiam manes obsignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuisse, quæ furtim essent exsiccatæ.* Idem 2. de Oratore: *Ridiculum est illud Neronianum vetus in furace servo, solum esse, cui domi nihil sit, nec obsignatum, nec occlusum.* Juven Sat. 14. *concham cum parte lacerti Signatam.* Muretus. Persius Sat. 6.

Et signum in vapida naso tetigisse lagena.

Horatius ad Florum: *signo læso non insanire lagenæ.* L. 1. D. de periculo & com. rei. vend. *si non sunt degustata, signata tamen ab emptore vasa.* Aurel. Lucianus Hermotimo: καὶ μόνον ἀριθμῷ παραλαβὼν τὰ κρέα, ὁπόσα τῷ παιδὶ κατέλιπε ἰσῶτι παρέδωκε, καὶ σημηνάμενος ἐπιμελῶς, τὸ ἀπ' ἐκείνου καθεύδει. De utensilibus vide ad lib. 1, 70. *Gronovius.*

2 *Prompti aditus*] Cum alioqui Parthorum Reges, neque facile spectandi sui copiam facere, neque quemquam ad colloquium, sine magno molimine, admittere solerent: aditusque ad ipsos ardui ac difficiles essent. *Muretus.*

3 *Ignotæ Parthis virtutes, nova vitia*] Quidam existimant, *nova vitia* hic esse, lecticæ gestamen, fastumque erga patrias epulas. Ego aliter: promptos scilicet aditus, obviam Vononis comitatem, quæ revera virtutes essent, tamen quia ignotæ Parthis, idcirco suspectæ, ac pro vitiis habitæ. *Pichena.* Ipsæ virtutes, quia Parthis insolitæ, pro vitiis habitæ fuerunt: cum nihil ex vero, sed ex moribus suis omnia æstimantes odissent, quicquid externum esset. *Freinshemius.*

4 *Nova vitia*] Vultne ipsas virtutes ignotas, habitas pro vitiis? possit sic accipi: ut comitas illa pro vilitate fuerit: sed potius est, duo dici. ut & ignotas quasdam virtutes intulerit; & nova etiam vitia, luxum videlicet, delicias, aliaque Romana. Mox, *ipsorum majoribus:* haud male etiam, *moribus.* Lipsius.

5 *Et quia ipsorum majoribus aliena*] Recte se habet. etsi Muretus malit, *ipsorum moribus.* Pichena. Multo elegantior atque Tacito dignior lectio *moribus* quam *majoribus.* Freinshemius.

6 *Reparat vires*] Fuga capta ad montes Mediæ, ait Josephus. *Lipsius.*

7 *Perfugium Armenia*] Primo Seleucia. Vide eumdem Scriptorem libro XVIII. *Idem.*

8 *Ob scelus Antonii*] Vere scelus. nec enim censori Tacito, ludus & jocus, ut hodie, fallere fidem. Artavasdes autem Antonium expeditione Parthicâ deseruisse visus, fallacibus ab eo litteris excitus, in vincla habitus, & in triumpho Alexandriam ductus est. Vide Dionem, & Plutarchum. *Idem.*

9 *Catenis oneratum*] Argenteis sc. in carcere, & in triumpho aureis. Dio lib. 49. Vellejus de Antonio. *Regem ejus Artauasdem fraude deceptum, catenis, sed ne quid honori deesset, aureis vinxit.* Aurelius.

10 *Occiso Artaxia*] Josephus hunc Artaxiam filium facit Artabazis. ita enim appellat pro Artauasde, ut alibi etiam Plutarchus. occisum eum à propinquis non dicit, dici à Tiberio & Archelao pulsum. Horatius gloriam tribuere Tiberio videtur non pulsi solum, sed etiam occisi. Ad Itium,

——— *Claudi virtute Neronis*

Armenius cecidit.

Suetonius, *Ducto ad Orientem exercitu regnum Armeniæ Tigrani restituit, ac pro tribunali diadema imposuit.* Dio historiam confundit, & Artabazem nominat pro Artaxia; Tigranem facit ejus fratrem, lib. LIV. Res autem ita habet. Artauasdes, sive Artabazes, duûm filiorum pater, Artaxiæ & Tigranis. ille major natu. Adi Josephum, lib. XV. cap. IV. *Lipsius.*

11 *Per dolum propinquorum*] Accusatus est apud Augustum, traditaque Tiberio ejus ultio, sed eum propinqui jugularunt, antequam adventaret Tiberius. Josephus, Dio, Zonaras. *Muretus.*

12 *Datus a Cæsare*] Expressit Tacitus antiquam for-

ctusque in regnum à Tiberio Nerone. [1] Nec Tigrani diuturnum imperium fuit,
neque liberis ejus, quamquam [2] sociatis more externo in matrimonium regnumque.
Dein jussu Augusti impositus Artauasdes, & non sine clade nostra dejectus. [3] Tum C. 4
Cæsar componendæ Armeniæ deligitur. Is Ariobarzanem origine Medum, [4] ob
insignem corporis formam, & præclarum animum, volentibus Armeniis præfecit.
Ariobarzane morte fortuita absumpto, stirpem ejus haud toleravere: tentatoque fe-
minæ imperio, cui nomen Erato, eaque brevi pulsa; incerti solutique, & [5] magis si-
ne domino, quam in libertate, profugum [6] Vononen in regnum accipiunt. Sed ubi
minitari [7] Artabanus, & parum subsidii in Armeniis, vel si nostra vi defenderetur,
bellum adversus Parthos sumendum erat; rector Syriæ Creticus Silanus excitum cu-
stodia circumdat, manente luxu & regio nomine. quod ludibrium ut effugere agita-
verit Vonones, [8] in loco reddemus. Ceterum Tiberio haud ingratum accidit tur- 5
bari res Orientis, ut ea specie Germanicum suetis legionibus abstraheret; novisque
provinciis impositum, [9] dolo simul & casibus objectaret. At ille quanto acriora in
eum studia militum, & aversa patrui voluntas, [10] celerandæ victoriæ intentior, [11] tra-
ctare

formulam, quæ in veteribus quoque numismatibus extat. REX. ARMENIS. DATVS. REX. PARTHIS. DATVS. & cætera id genus. *Ursinus.*

1 *Nec Trigrani*] Accusatus enim apud Tiberium, & ab eo interfectus est. *Muretus.*

2 *More externo*] Qui mos etiam Ægyptiis, aliisque barbaris ad Orientem. *Lipsius.*

Sociatis more externo] Ut nimirum tori pariter, regnique consortes essent. Multa notaque exempla in Ptolemaica Ægyptiorum familia, atque inde factum ut ejusmodi par conjugum, quia pari jure potestatis erant, reges vocarentur. Liv. 27, 4. hoc sensu, *Ptolemæum Cleopatramque reges* nominat. item Cæsar de bell. Alex. cap. 33. *Alexandria potitus reges constituit fratrem & sororem*, quod Strabo lib. 17 sic effert: *καθίστησι βασίλισσαν τῆς Αἰγύπτου τὴν Κλεοπάτραν· συμβασιλεύειν δ' ἀπέδειξε τὸν λοιπὸν ἀδελφὸν αὐτῇ: reginam Ægypti constituit Cleopatram eique fratrem superstitem sociavit in regnum.* hoc enim modo melius reddideris, quam, ut vulgo; *in regni partem addidit.* Sic enim divisum esset regnum: quod non factum, sed utrique in solidum jus atque potestas permissa est. Fecit autem hoc Cæsar ex testamento patris Ptolemæi, ut ipse Civ. 3, 108. testatur: cujus verba hæc exstant apud Dionem lib. 40. *ἐκείνους μὲν συνοικῆσαι ἀλλήλοις κατὰ τῶν Αἰγυπτίων τὰ πάτρια, καὶ βασιλεύειν: illos* (Ptolemæum majorem & Cleopatram) *more Ægyptiorum patrio, matrimonio coire, & regno præesse.* Adjicitque ibidem Dio, Cæsari etiam juniori Ptolemæo & Arsinoæ sorori ejus, pari modo connubio junctis, Cyprum concessisse. Simile Carum regum exemplum ex Strabone retuli in supplem. Curtii 2, 8. Et ad eundem auctorem 3, 11. ostendi conjugem Darii, quam Alexander cepit, etiam sororem mariti fuisse. Errant igitur qui sic accipiunt: quasi Tigranis soboles cum Armeniis matrimonio se miscuisset. *Freinshemius.*

3 *Tunc Cæsar*] Agrippæ filius ab Augusto adoptatus, quem ex Armenia redeuntem mortuum esse vidimus lib. 1. *Muretus.*

4 *Ob insignem corp.*] Aristoteles lib. 1. Politicorum ait, si reperirentur homines ea pulchritudine corporis, qua sunt Deorum statuæ, neminem dubitaturum, quin eis potissimum imperium mandari oporteret. Sed & Lucretius lib. 5. ait Reges à priscis illis hominibus delectos, *pro facie cujusque & viribus ingenioque.* Et quosdam ait Euripides esse *εἶδος ἄξιον τυραννίδος.* Aristoteles 4. *πολιτ.* Æthiopas in Regibus eligendis sequi proceritatem corporis: alias autem quasdam gentes pulchritudinem & decorem formæ: quod posterius Strabo tribuit Medis, & quibusdam populis Indiæ. *Idem.*

5 *Magis sine domino*] Nam libertas legibus & magistratibus suis constat, & imperii certa forma. Itaque sine domino esse possunt, nec tamen liberi proprie dicendi. *Lipsius.*

6 *Vononen*] Ita legitur in unico libro, non *Vononem*, ut vulgo. *Jac. Gronovius.*

7 *Artabanus*] Qui Orodem sive Herodem filium suum regem iis dedit. Josephus l. XVIII. c. IV. qui etiam hanc rem fusius exsequitur paullum tamen à Tacito diversus. *Lipsius.*

8 *In loco reddemus*] Reddidit, hoc ipso libro sub finem. *Idem.*

9 *Dolo simul*] Dolo, quem ipse meditabatur, & in longinquis locis veneno tollere, obscuriore sic fama. *Idem.*

10 *Celerandæ victoriæ intentior*] Lipsius ait, priscam lectionem esse, *interior.* At ne quis erret, ego oculatus testis adfirmo, in manuscr. non aliter legi, quam, *intentior.* Pichena.

11 *Tractare præliorum vias*] Lego *præliorum vices.* Clarum & à se (nam quid sunt *viæ præliorum?*) & ab adjunctis statim verbis, *quæ sibi sæva vel prospera evenissent.* At hercule *vias* tamen verum. ex sequentibus istis: *Fundi Germanos acie.* Acidalius.

1 Quæ

ctare prœliorum vias, & [1] quæ sibi tertium jam annum belligeranti [2] sæva vel prospera evenissent. *fundi Germanos [3] acie, & justis locis: juvari silvis, paludibus, brevi æstate, & præmatura hieme: suum militem haud perinde vulneribus, quam spatiis itinerum, [4] damno armorum adfici: fessas Gallias ministrandis equis: longum impedimentorum agmen, opportunum ad insidias, defensantibus iniquum. ac si mare intretur, [5] promptam*

1 *Quæ sibi tertium jam annum belligeranti*] Imo plures. Nam continenter in Germanos bellum gessit, à clade Vari: excepto anno consulatus. Sed Tacitus à postrema ejus missione annos numerat, quæ fuit exacto consulatu ejus, sub Augusti mortem. *Lipsius.*

2 *Sæva vel prospera*] Verius hic esset, *scæva*, id est, sinistra. *Idem.* Fuit cum lascivirent inhoc vocabulo passim inculcando ingenia: sed raris processit. *Sævum* est interdum grave, durum, asperum, crucians: & sic utique non ex sententia & optatis. Sic *sæva tempestas*, *sævus dolor*, *sæva catena*, *sæva paupertas*, *necessitas*. *Fortuna sævo læta negotio*, gaudens adversa secundis miscere. Sallustius in Catil. *quoniam, quæ occulte tentaverat, aspera fœdaque evenerant.* Quid hoc aliud quam *sæva?* & omnia, quam *adversa?* Gronovius.

3 *Acie & justis locis*] Nove dictum, pro æquis locis. *Lipsius.*

4 *Damno armorum adfici*] Cum ea, quæ haberent, quotidianus usus absumeret, alia difficulter subveherentur. *Freinshemius.* Muretus vocem *armorum* delet, scribens, *quam spatiis itinerum damno adfici.* Vix abest, quin vere. Quid autem si eandem vocem sic traducas? *Suum militem haud perinde vulneribus armorum, quam spatiis itinerum damno adfici. Vulnera* enim *armorum* non ineleganter. Sane si quid hic mutandum, ita plane malim. Etsi etiam nihil mutem. Nam vulgatum optimi sensus, optimæ structuræ. *Acidalius.* Legendum censeo: *armentorum*; equorum imprimis. Ita loquitur Annal. 13. *Quotam partem campi jacere, in quam pecora & armenta militum aliquando transmitterentur?* Mendum natum ex contracta scribendi ratione, *armtorum*, pro, *armentorum*, unde librariorum oscitantia factum est, *armorum*. Explicent mihi, quæso, eruditi, qui vulgatam lectionem hactenus probant, quæ sint illa *armorum damna*, de quibus in hac deliberatione Germanicus conqueritur; quorumque causa mare ingredi, & sic minore incommodo Germaniam invadere constituit? Nemo, aut fallor, dixerit per *damna armorum* intelligi, nimis gravia terrestri itinere quaqua ea circumgestanti militi fuisse. Non enim id admitteret mos rigidus & disciplina militiæ Romanæ; per quam aliis etiam insuper gestandis miles onerabatur. Neque etiam ea mens esse potest, *armorum damna* sensisse milites, quum ea quæ haberent quotidianus usus consumeret. Nam & eadem damna in navali expeditione sentiuntur; neque legimus, hujus rei unquam rationem habuisse de expeditione consultantes Imperatores. Apparet nullum idoneum sensum admittere vulgatam lectionem. Voluit aliud longe damnum hoc consilio prævenire in posterum Germanicus. Equis per paludes, inferioris præsertim Germaniæ, nondum adulta æstate; vix via, aut admodum impedita; plurimi in iis defecerant. Jacturam hanc in posterum Gallia non erat resarcitura, ut hactenus; utpote equis prope exhausta. Hoc est illud, quod statim subjungitur, & sententiam nostram inprimis confirmat; *Fessam Galliam ministrandis equis.* Ergo ob hanc etiam rationem de maritimo itinere Germanicus cogitavit. Interim consilii rationibus non respondit eventus. Orta enim atrocissima tempestate, *equi*, ut paullo post loquitur, *jumenta*, sarcinæ, etiam arma præcipitantur; certo documento, incerta admodum & periculosa esse ista consilia, quorum rationes dubiis oceani insistant; in quo, nulla hominum culpa, gravia tamen & atrocia iis damna aliquando inferuntur. *Boxhornius.* Satis defendi vulgatum verbis, quæ leguntur 1, 71. *quod cuique promptum, arma, equos, aurum offerentes: quorum laudato studio Germanicus, armis modo & equis ad bella sumptis, propria pecunia militem juvit:* & hanc historiæ partem, suaque in ea verba, maxime respexisse auctorem posteriori loco putem. ut enim ibi instrumentum utrumque belli, & arma & equos accepisse dicit Germanicum, ita hic tacite secum queri utriusque damno exercitum per expeditionem terrestrem affici. *Gronovius.*

5 *Promptam ipsis poss.*] Nam triremes & classem in Rheno, & ad oceanum, ordinariam Romani habebant. At eo ævo Germani navigiorum rudes: mox quam didicerunt? Saxones, Normanni, & piratarum illa agmina dicant: qui Europam per sæcula aliquot magnis classibus cladibusque infestarunt. *Lipsius.*

Promptam ipsis possession.] Quamnam *possessionem?* vereor ne legendum *profectionem*. Paullo enim ante querebatur spatia itinerum, & longum impedimentorum agmen; & huic omnia reliqua conveniunt, quæ adjuncta, alteri voci eorum nihil. *Acidalius.* Quæ est illa *possessio?* An maris? Haud credam. Non tam maris petebat, quam maritimi itineris beneficio Germaniæ possessionem. Et quomodo possessio maris hostibus ignota? Scribe; *promptam ipsis*, Romanis, *profectionem*, maritimam, *& hostibus ignotam*; id est, ignoraturis hostibus quam adversæ Germaniæ oram ex vasto illo, & longe lateque sese exporrigente oceano Romani essent subituri. Quod inter prima semper & calli-

tam ipsis possessionem, & hostibus ignotam; simul bellum [1] *maturius incipi, legionesque & commeatus pariter vehi; integrum equitem, equosque, per ora & alveos fluminum media in Germania fore.* Igitur huc intendit: missis ad census Galliarum, [2] P. Vitellio & 6
Cantio; Silius, & Antejus, & Cæcina fabricandæ classi præponuntur. Mille naves sufficere visæ, properatæque: aliæ [3] breves, angusta puppi proraque, & lato utero, quo facilius fluctus tolerarent: quædam planæ carinis, ut sine noxa siderent: plures [4] appositis utrimque gubernaculis, converso ut repente remigio, [5] hinc vel illinc adpellerent. [6] multæ pontibus stratæ, super quas tormenta veherentur, simul aptæ ferendis

da consilia Ducum fuit: ut, nempe, in agrum hostilem ea via pergerent, è qua in diversa licet irrumpere. Et hanc promptam Germanici profectionem, hocque ejus consilium, intelligit Arminius, ubi paullo post, in oratione ad suos, eam exagitat, ut ignavam; *Classem & avia oceani quæsita, ne quis venientibus occurreret. Profectionis* autem vocabulo etiam alibi utitur Tacitus. Hoc ipso libro; *sed Germanicus nondum comperto eam profectionem incusari, Nilo subvehebatur.* Vides levi & prope nulla, sed tamen necessaria, mutatione, pulcherrimam sententiam Tacito, aut Germanico restitutam. *Boxhornius.* Nihil mutandum. Facile Romanis, inquit, occupatu esse mare. Nam *possidere* est occupare interdum. Cæsar 4 Gall. *Vel sibi agros attribuant vel patiantur eos tenere, quos possederint.* Liv. 24. *Caussam nactus eras, tam divitis hominis bona possidendi vendendique*, id est, invadendi vel occupandi. Idem in lib. 31. *Urbem ad quam defendendam missa eras, per scelus possedit.* Neque aliter noster in vita Agricolæ: *Monam insulam, cujus possessione revocatum Paullinum rebellione totius Britanniæ supra memoravi.* Gronovius.

1 *Maturius incipi*] Quare? nam & triremibus æstas exspectanda erat. Sed caussam credo in commeatibus, de quibus adjungit. Quia enim tarda æstas & messis in Germania, hæc exspectanda erat, ob frumenta & pabula: aut magna mole & mora, identidem ista subvehenda. *Lipsius.*

2 *P. Vitellio, & Cantio*] Docti viri (Lipsius ad marginem) legunt, *Scantio*, nescio an ex aliqua historia mihi ignota. Si conjecturæ locus sit, magis placeret, *C. Antio*, ne à scriptura veterum librorum longius discedamus. *Ursinus.* Haud aliquid ausim mutare præter libros, cum etiam vivant quadratariorum opera, *Cantii* aliquot: imo & *Cantia*; quos invenire est in volumine Inscriptionum nostrarum; paginis LXX. 5. CCCXXII. 2. CCCLXXXV. 2. MLXXXVIII. 15. *Gruterus.* Non hæc ad meum gustum; nec de *Cantiis* legi quidquam unquam. Legi de *Scantiis.* & orat. in Rullum, de *Scantia silva*, aliquid Cicero submurmurat. Lubentius legerem *Canutio*: nisi malis *Calventio*, aut *Calvisio*, quæ sunt Romana nomina. *Aurelius.* Suspectum hoc mihi nomen & homo ignotus, quem tamen præcipua apud Germanicum gratia fuisse ex hoc loco constat, ut mirum sit alibi in rebus ejus non nominari. adeoque parum abest quin corruptum hoc nomen existimem, aliumque nobis hominem quærendum, & fortasse *Sentium*, qui Germanico comes post mortem ejus Syriam obtinuit. *Freinshemius.*

3 *Breves, angusta puppi*] Breves opponit *Longis* navibus, id est triremibus: & describit lato alveo, angusta prora & puppi, uno verbo naves hodie maris nostri. *Lipsius.*

4 *Appositis utrimque gubernaculis*] Id quidem genus navigii binis gubernaculis, hodie invisum. At noster iterum describit, lib. III. Histor. vocatque Cameras: *Sic inter undas volvuntur pari utrimque prora, & mutabili remigio, quando hinc vel illinc adpellere indiscretum & innoxium est.* Item de moribus Germanorum: *Forma navium eo differt, quod utrimque prora paratam semper adpulsui frontem gerit.* Reperio & apud Suidam prisci scriptoris verba, nescio an hanc ipsam rem narrantis: Πλοῖα μονήρη, ἔστι ἃ καὶ δίκροτα κατεσκευάσαντο. Τινὰ δὲ καὶ ἐκ τῆς πρύμνης καὶ ἐκ τῆς πρώρας ἑκατέρωθεν πηδαλίοις ἥρμοττο, ὅπως αὐτοί τε μὴ μεταστρεφόμενοι καὶ ἐπιπλέωσι καὶ ἀναχωρῶσι, καὶ τοὺς ἐναντίους ἐν τῷ παράπλῳ καὶ ἀπόπλῳ αὐτῶν σφάλλωσιν. *Naves simplices uniusque ordinis, interdum & biremes faciunt. quasdam vero & ex puppe & ex prora gubernaculis instruunt; ut ipsi nihil conversi & accedant & recedant: hostesque & adnavigantes & abnavigantes fallant ac circumveniant.* Lipsius.

Appositis utrimque gubernaculis] Verbis Suidæ & usus hujus rei indicatur. Quia tamen gubernacula proprie ad puppim pertinebant, ideo credo eundem Suidam naves istiusmodi ἀμφιπρύμνους appellasse, quasi quæ nullas proras, duas puppes tantum haberent. Ἀμφιπρύμνους, inquit, εἶδος πλοίων. Addidit postea locum veteris cujusdam. ἔμπαλιν θαλάσσιοι παρασκεύασε τὸν Ἵερον ἐν ταῖς ἀμφιπρύμνοις τῶν νεῶν. *Schefferus.*

5 *Hinc, vel illinc*] Ne tollas: sunt enim mera Taciti verba, qui Histor. 3. ita scribit in re simili: *inter undas volvuntur, pari utrinque prora, & mutabili remigio, quando hinc vel illinc appellere, indiscretum, & innoxium est.* Aurelius.

6 *Multa pontibus strata*] Κατάστρωτοι. *Muretus.* Vult naves pontibus tectas instratasque fuisse, deinde pontibus istis impositas machinas: neque id ad unius fluvii brevem transitum, sed ut ab oceano usque

rendis equis, aut commeatui, velis habiles, citæ remis, [1] augebantur alacritate militum in speciem ac terrorem. [2] Insula Batavorum in quam convenirent prædicta, ob faciles adpulsus, [3] accipiendisque copiis, & [4] transmittendum ad bellum opportuna. Nam Rhenus uno alveo continuus, aut modicas insulas circumveniens, [5] apud principium agri Batavi velut in duos amnes dividitur: servatque nomen, & violentiam cursus, qua Germaniam prævehitur, donec oceano misceatur; ad Gallicam ripam latior & placidior adfluens, verso cognomento, [6] *Vahalem* accolæ dicunt, mox id quoque vocabulum [7] mutat *Mosa* flumine, ejusque [8] immenso ore eundem in oceanum

usque mediam in Germaniam perveherentur. Constratarum navium frequens apud auctores est mentio, item earum quæ tormenta portarent, apud Livium 30, 10. ubi etiam narratur, quomodo Scipio naves onerarias straverit, quo loco itidem *pontes* & *constrata pontium* nominantur. Cur autem pontibus imposita tormenta vexerint, duplicem rationem video; unam, ut commodius onerarentur exonerarenturque naves; alteram, ut si hostis ex ripa impugnaret, in ipsum dirigi possent. *Freinshemius.*

1 *Augebantur alacritate militum*] Qui hujus loci sententiam diligentius inspexerit, probabit, ut opinor, Faerni conjecturam, qui *agebantur*, legebat, quod de navibus proprie dicitur. *Ursinus.* Mutetus voluit, *Cita remis agebantur alacritate.* Non ea mens Taciti: cui ipsi nec conveniunt vel illa postrema verba, *in speciem ac terrorem.* Sed tu τελείαν στιγμὴν pone post vocem *remis.* deinde à capite scribe, *Augebantur alacr. milit.* Hæc enim mens Taciti, mille naves, ut præcessit, sufficere visas, sed auctum hunc numerum alacritate militum in speciem ac terrorem. *Acidalius.* Apposite quidem Faernus, litera detracta, *agebantur*; sed nescio quomodo magis 'arrideat lectio vulgata, vetustate quadam peregrina. *Gruterus.* *Terrorem* non tam ad hostes pertinere arbitror, quam ad quemcunque spectatorem: aut si ad hostes referas, de sequenti tempore accipies: quomodo Virg. Æn. 8, 620. *terribilem cristis galeam* vocat, quam nondum viderant hostes. *Freinshemius.*

2 *Insula Batavorum*] Quod nomen etiam nunc in superiore insulæ parte durat: vocatur quippe incolis *de Betauw* sive *Betouw* & variante dialecto *Betuwe.* Cluverius. In quo non debet ignorari, quod tamen vulgo ignoratur, in unico MS. legi *Batuorum*, omisso *a*, etsi id mox in iteratione ejus appellationis non sit omissum: quasi indicaret illud primum u pertinere ad præcedentem literam a, ut cum ea faciat diphthongum, & per u scribi debere, (ut accurate edidit Beroaldus) non per v, quod fieri vulgo novimus, & hinc corrupte ex hujus temporis norma id ab posteris pronunciari. *Jac. Gronovius.*

3 *Accipiendisque copiis*] Si, qua alia insula, in hac mundi pila. *Lipsius.*

4 *Transmittendum ad bellum opportuna*] Lego, *accipiendisque copiis & transmittendis, ad bellum opportuna.* Acidalius. Corrumpit rem elegantissimam. Ovid. lib. 12. Met.

Permanet Aoniis Nereus violentus in undis,
Bellaque non transfert.

Neque enim hoc mutare ausim. Plinius in Panegyr. *Cum Danubius ripas gelu jungit, duratusque glacie ingentia tergis bella transportat.* Gronovius.

5 *Apud principium agri Batavi*] Haud procul Clivio oppido ad Castrum Schenckianum, sive munimentum, quod vulgo vocatur *Schenkenschantz*: ubi, ut olim, nunc etiam amnis in duo scinditur veluti cornua, dextrumque Germaniam versus Arenacum, Vada, Grinnes, Batavodurum, Trajectum, Lugdunum, præterfluens Rhenus vocatur; lævum protinus ab ipsa divisione Vahalis, Noviomagum, Tiliam, Bommeliam Gelriæ oppida præterlabens. *Cluver.*

6 *Vahalem*] MS. unicus habet *Vahalam*, quod mutari certe non debuit, si Taciti pronunciationem volumus integram & sanam audire. Tria autem ista verba *Vahalam accolæ dicunt*, videntur separari debere per notam parentheseos, quæ alias turbant hanc continentiam, longam licet, sed bene connexam. *Jac. Gronovius.*

7 *Mutat Mosa flumine*] Vahalis hoc tempore præfert nomen suum usque ad arcem Leuvenstein, prope Workum, ubi Mosæ junctus in hujus vocabulum transit. Sed quoniam illic hodieque *Novus Mosa* vocatur, inferius autem *Vetus Mosa*, ubi & *Vahalis* nomen rursus assumunt pars earumdem aquarum iterum divisarum; crediderim Cæsaris ac Taciti seculo omnia media partem Vahalis fuisse; Mosam autem statim ab oppido Megen (non commissum Vahali apud castrum S. Andreæ, non apud Castrum Leonis aut Lævini: nam hæ duæ fossæ serioris ævi videntur) decurrisse per alveum illum nunc licet tenuem, qui à Novo Mosa in lævum devergens, primum *Ediconis Mosa*, deinde *Vetus Mosa* indigetatur, dextra Heusda, sinistro monte Getrudis (unde nunc latus, at olim solidam circa humum certum amni alveum præbuisse indicant reliquiæ vicorum sub undis latentes) infra Dordrechtum usque & inter Geroslitium & Flardingam demum hos confluentes fuisse: ubi quod *veteri Mosa* miscetur, nunc etiam *Vahalis* nomen obtinet. *Cluverius.*

8 *Immenso ore*] Quod à Geroslitio incipit. *Idem.*

1 *Dum*

ceanum effunditur. Sed Cæsar, [1] dum adiguntur naves, Silium legatum cum ex- 7
pedita manu inruptionem in Cattos facere jubet: ipse, audito castellum Luppiæ flumini adpositum obsideri, sex legiones eo duxit. Neque Silio ob subitos imbres aliud actum, quam ut modicam prædam, & Arpi principis Cattorum conjugem filiamque raperet: neque Cæsari copiam pugnæ obsessores fecere; ad famam adventus ejus dilapsi: [2] tumulum tamen nuper Varianis legionibus structum, & [3] veterem aram Druso sitam disjecerant. Restituit aram; honorique patris princeps ipse [4] cum legionibus decu-

1 *Dum adiguntur naves*] *Adigere* hic idem puto quod *adducere*, maxime quum ipsa res hoc doceat. Agi proprie dicuntur naves, quæ remis impelluntur, unde & *actuaria* dictæ. Freinshemius. XI. Ann. 17. *Triremes alveo Rheni, ceteras navium, ut quæque habiles, per æstuaria & fossas adegit*. Gronovius.

2 *Tumulum nuper*] De quo supra libro I. *Primum exstruendo tumulo cespitem Cæsar posuit, gratissimo munere in defunctos*. Tumulus ille, non aliud quam κενοτάφιον fuit. habesque hujus ritus illustre apud Xenophontem exemplum, libro VI. expeditionis Cyri. ubi inane sepulchrum constituitur militibus defunctis, quorum reliquiæ non faciles repertu. Ἐνίους δὲ τοὺς ἐκ τῶν ὁδῶν συνενεγκόντες ἔθαψαν, ἐκ τῶν ὑπαρχόντων ὡς ἐδύναντο κάλλιστα. Οὓς δὲ μὴ εὕρισκον, κενοτάφιον αὐτοῖς ἐποίησαν μέγα, καὶ πυρὰν μεγάλην, καὶ στεφάνους ἐπέθεσαν. Et apud Virgilium libro III.

—— manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem cespite inanem,
Et geminas, caussam lacrimis, sacraverat aras.

Lipsius.

3 *Veterem aram Druso*] Druso mortuo cenotaphium decretum ad Rhenum ipsum. Dio LV. & Suetonius: *Exercitus honorarium ei tumulum excitavit, circa quem stato die quotannis decurreret, & Galliarum civitates publice supplicarent*. Nescio an huic tumulo adjuncta ara: apparet, quia Suetonius ait, supplicarent. Volunt id cenotaphium ad Moguntiacum fuisse, repugnat hic locus, qui constituit inter Lupiam & Rhenum. Sed & Ravennæ sepulchrum Drusus habuit, à Claudione ejus F. an ab Augusto ipso exstructum? cujus memoria in lapide prisco, ibi:

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CÆS. AVG. GERM. PONT. MAX. TRIB. POT. II. COS. DESIG. III. IMP. III. P. P. DEDIT. OB. MEMORIAM. PATRIS. SVI. DEC. VII. COLLEGII. FABR. M. R. HS. ∞. N. LIBERALITATE. DONAVIT. SVB. HAC. CONDICIONE. VT. QVOTANNIS. ROSAS. AD. MONVMENTVM. EIVS. DEFERANT. ET. IBI. EPVLENTVR. DVMTAXAT. IN. V. ID. IVLIAS. QVOD. SI. NEGLEXERINT. TVNC. AD. VIII. EIVSDEM. COLLEGII. PERTINERE. DEBEBIT. CONDICIONE. SVPRADICTA. *Idem*.

Veterem aram Druso sitam] Non acceperim neque de cenotaphio, neque alio quocumque opere in honorem Drusi alieno jussu structo, sed de ara quadam ab ipso exædificata, forte in memoriam victoriæ, aliasve ob causas. Sic Alexander duodecim aras in ingressu Asiæ statuit. Justin. 11, 5. Arrian. lib. 1. aliasque ad Indum fluvium. Justin. 12. 10. Curt. 9. 3. Nam verba hæc *Druso sitam* ab ipso Druso ædificatam volunt. Sic infra 6, 41. *Urbes Macedonibus sitæ*, dixi de hac locutione in Indice Floriano, verbo *Ponere*. Freinshemius.

4 *Cum legionibus decucurrit*] Antiquissimi inventi Decursio in funere illustrium virorum. Homerus in funere Patrocli, Virgilius Pallantis descripsit.

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos.

Livius Pœnis etiam usitatam ostendit libro XXV. in morte Gracchi. *Alii ab Hannibale, & ea vulgatior fama est, in vestibulo primorum* (Legerim *primore*) *castrorum rogum exstructum esse: armatum exercitum decurrisse cum tripudiis Hispanorum, motibusque armorum & corporum sua cuique genti assuetis*. Lucanus libro VIII.

—— totus ut ignem
Projectis mærens exercitus ambiat armis.

Statius libro VI. optime.

Tunc septem numero turmas (centenus ubique
Surgit eques) versis ducunt insignibus ipsi
Grajugenæ reges: lustrantque, ex more sinistro
Orbe rogum, & stantes inclinant pulvere flammas.
Ter curvos egere sinus, illisaque telis
Tela sonant: quater horrendum pepulere fragorem
Arma, quater mollem famularum brachia planctum.

Lipsius.

Decurrit] Homer. Iliad. Ψ.

Οἱ δὲ τρὶς περὶ νεκρὸν ἐΰτριχας ἤλασαν ἵππους
Μυρόμενοι.

Suetonius in Claud. *Ceterum exercitus honorarium ei* (de Druso loquitur) *tumulum excitavit, circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret*. Divinitus describitur hæc decursio libro 5. Æneidos. Talia erant *Equiria* quæ mense Februario & Martio fiebant in Campo Martio, de quibus Ovidius 2 & 3 Fastorum. *Muretus*. Dio memorat istas decursiones in funere Augusti, aitque *equites, tam qui militabant, quam qui non militabant, cursitasse*. Aurelius. Distinguit ipse Tacitus 2, 54. *Exercitio equitum, decursibus cohortium interesse*. Intelliguntur tamen equitum etiam exercitia his verbis *decursus legionum*,

decucurrit; [1] tumulum iterare haud visum. & cuncta [2] inter castellum, Alisonem, ac
8 Rhenum, novis limitibus, aggeribusque permunita. Jamque classis advenerat, cum præmisso commeatu, & distributis in legiones ac socios navibus, [3] fossam cui *Drusiana* nomen, ingressus, [4] precatusque Drusum patrem, *ut se* [5] *eadem ausum, libens placa-*

gionum, tamquam accessio quædam. Sic enim quem attulimus locum repetit auctor 3, 33. *præsedisse nuper feminam* (Plancinam innuit) *exercitio cohortium, decursu legionum:* ubi mentio equitum prætermittitur, neque tamen minus intelligitur, sicut his ipsis verbis, quæ nunc explicamus. *Freinshemius.*

1 *Tumulum iterare*] Cur ita? An quod Tiberius tumulum inceptum non probasset, & ideo minus probaret reparatum? An quia Pontificum, Principisque consensus deerat? nec daturus erat Tiberius, tum summus Pontifex summusque Princeps? Paulus Sent. *Lapsa monumenta licebat reficere intactis corporibus: tamen sollemnibus antea præstitis, & pro reliquiis defunctorum votis & supplicationibus adhibitis.* At de non reparandis tumulis absque Principis & Pontificum permissu, extat lex. *Prætor.* § *Non perpetua.* de sepulch. viol. & L. *ossa.* de reliq. & sumptibus funerum. D. Sed vera ratio est, quod Tiberius laudi Germanici invideret, quam propter tumulum mortuis legionibus datum, apud viventes legiones esset consequutus. *Aurelius.* Quæ eadem traduntur ab Jac. Gutherio libro 2 juris Poutificii cap. 9.

2 *Inter castellum Alisonem*] Distinguendum videri, *castellum, Alisonem, ac Rhenum*, pronuntiavit Vertranius. & recte, ad mentem Dionis, libro LIV. Nam scribit à Druso castellum exstructum ad Lupiæ & Alisonis confluvia, quod opinor ipsum esse, quod dixit noster obsessum fuisse. Vellejo tamen loci nomen Aliso est, & Ptolemæo Ἄλεισον inter Germaniæ urbes. *Vesaliam* hodiernam faciunt. *Lipsius.*

Inter castellum Alisonem] Distinguendum hic ego omnino nego. Dio de Sicambris. Νικηθέντες γὰρ ἐν τούτῳ οὐκ ἔθ' ὁμοίως ἐθρασύνοντο, ἀλλὰ πόρρωθεν μὲν σφᾶς παρελύπουν, ἐγγὺς δ' οὐ προσῄεσαν. ὥστε τὸν Δροῦσον ἀντικαταφρονήσαντα αὐτῶν, ἐκεῖ, ᾗ ὅτε Λουπίας καὶ ὁ Ἐλίσων συμμίγνυνται, φρούριόν τι σφίσιν ἐπιτειχίσαι, καὶ ἕτερον ἐν Χάττοις παρ' αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ. hoc est, castellum ad Lupiæ & Elisonis confluentes. Vellejus libro II. *Pietas sua Cæsarem reduxit in Germaniam: in cujus mediis finibus, ad caput Lupiæ fluminis, hiberna princeps digrediens locaverat.* Eundem hibernorum locum sive castellum diserte postea *Alisonem* vocat in narratione cladis Varianæ: *L. etiam Cædicii*, inquit, *præfecti castrorum, eorumque, qui una circumdati Alisone, immensis Germanorum copiis obsidebantur, laudanda virtus est, qui omnibus difficultatibus superatis, quas inopia rerum intolerabiles, vis hostium faciebat inexsuperabiles, nec temerario consilio, nec segni providentia usi, speculatique opportunitatem, ferro sibi ad suos peperere reditum.* Scilicet clade Variana haud procul Alisone castello, apud Teutoburgiensem saltum facta, protinus Germani ad obsidenda hiberna, Alisone sita, perrexerunt. ex his igitur satis perspicuum fit, apud Tacitum quoque *castellum Luppiæ adpositum, & à Chattis obsessum*, idem esse, quod postea *Alisonem* appellat. hoc quippe *haud procul tumulus Varianis legionibus*, ab Arminio cæsis, *structus* fuerat; apud hoc item *ara Druso, Germanici patri, posita*; quum is inter Salam & Rhenum res gerendo obiisset. hoc inter *ac Rhenum novos limites aggeresque egit Germanicus.* Cluv. Apud Muretum *Aliso* fluvius est, qui in Mosellam erumpit. Quod ne quem inducat in errorem, sciendum, esse quidem fluvium Alisonem, non tamen Mosellæ, sed Luppiæ, qui & ipse longe infra confluentes Rheni & Mosellæ in Rhenum exit, sese miscentem; porro hic à Tacito non *Alisonem* fluvium, sed castellum, situm propter eum fluvium, eodem nomine, intelligi. *Gronovius.* Sed optimum erit, si reverearis Monumenta Paderbonensia, sola huic parti lucem afferentia studio Celsissimi Ferdinandis a Furstenberg sanctæ & laudatissimæ memoriæ.

3 *Fossam, cui Drusiana nomen*] *Fossas* licet Suetonius plurali nomine dixerit; tamen unam solam fuisse constat. ideoque rectius *fossa Drusiana* singulari numero adpellatur Tacito. Haud perinde novum atque immensum fuit opus, uti exaggerat Suetonius; quum VIII. haud amplius fuerit millium passuum, inter vicum *Iseloort*, & oppidum *Doesborg*: nisi forte infra etiam Dusburgium antiquus Salæ alveus, antea modicus, latior tunc fit factus. Causa Druso agendæ nulla alia fuit, quam uti classem hac cum exercitu ex superiore Rheni parte in lacum & oceanum deduceret, Frisios petiturus, & Cauchos. *Cluverius.*

4 *Precatusque Drusum patrem*] Qua superstitione ante prælium ad Isson *victor Atheniensium Philippus pater invocabatur* ab Alexandro, Curtius lib. III. Apud Silium lib. 15.

Ac supplex patrios compellat nomine manes,
Este duces bello & monstratam ducite ad urbem.

De Africano loquitur in Hispania res gerente. *Gronov.*

5 *Eadem ausum*] Ita est. Nam & Drusus classe oceanum tentavit; imo & pugnam navibus conseruit in Amasia fluvio, vicitque Bructeros. Strabo lib. VII. Εἶτα δὲ μεταξὺ καὶ ἄλλοι ποταμοὶ πλωτοί, ὧν ἐν τῷ Ἀμασίᾳ Δροῦσος Βρουκτέρους κατεναυμάχησε: *Sunt & alii interjecti navigabiles fluvii, in quorum uno Amasiâ, Drusus Bructeros navali prælio vicit.* Sed & Petrarcha auctor, arcum triumphalem Romæ sibi visum Druso Neroni huic inscriptum: è quo fracto hos dumtaxat versus à se lectos:

——— *ad divortia Rheni*
Pervasi hostiles depopulatus agros.

Dum

placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum juvaret; [1] lacus inde, & oceanum, usque ad Amisiam flumen, secunda navigatione pervehitur; [2] classis Amisiæ relicta, lævo amne; erratumque in eo, [3] quod non subvexit: transposuit militem dexteras

Dum tibi Roma decus aternaque sudo tropaa,
Ister pacatis lenior ibit aquis.
Lipsius.

5 *Lacus inde*] Lacus nominat semper plures, ut lib. I. suprà: *Ipse impositas navibus quatuor legiones per lacus vexit.* At hodie unus, quod mare Meridiale appellant. Apparet autem clare, gentes ibi terrasque fuisse pluribus lacubus interstinctas. *Idem.*

5 *Classis Amisia relicta*] Locus mihi ambiguæ sententiæ & perplexæ. Vidi qui sic vellet. Classem relictam in ripa citeriore (aspectu Galliæ dico:) & in hoc culpari Germanicum, quod non in ripa ulteriore. Pontibus enim tunc nihil opus fuisset, quibus nunc junxit amnem, & dies plures absumpsit. Simplex hæc sententia, fateor, & ex primo verborum aspectu. At qui scrutetur; valde, vereor, repugnet. Primum si classis in citima ripa posita: quomodo apte annectitur, militem transpositum in terras dextras? Sane eo posito, si quid ego capio, uti amnis classi lævus fuit, ita & terræ trans amnem. Deinde, quis hic (malum) Germanici & Romanorum stupor, classem non appellere ad ulteriorem ripam, in flumine jam noto: & vanam illam operam sumere in exstruendo ponte? præsertim re nulla aut hoste impediente. Tertio, si ea res, cur *Pontes* multitudinis numero nominat? potuit enim & debuit transmitti ponte uno. Cur *Subvehendi* verbo utitur, cum verius *Transvehendi?* Nescio an hæc diluent. Mea de Taciti mente mens est: Classem relictam in ulteriore ripa fluminis, uti debuit: sed tamen in ima, & mari proxima, quod non debuit. Quomodo igitur tunc, inquies, amnis illi lævus? ex positura nempe navium, quas verisimile est quiescentes eas & in statione habuisse. Nempe proras in oceanum verterunt, tamquam redituræ, nec ultra scilicet progressuræ. Pone autem milites in iis & vectores ut solet, facie ad proram versa: nonne sic lævus in iis amnis & terræ in quas transponuntur dextræ? Peccatum tamen à Germanico, quod humilibus & humentibus illis locis militem exposuerit (debuisset longius subvehere:) in quibus transeundis, opus pontium structura. Ad mare enim æstuaria; non sic suprà. *Idem.*

Classis Amisia relicta] Verba sunt, ut videtur, luxata, & sic ordinanda: *relicta, erratumque in eo quod non subvexit. Lavo amne transposuit.* Ursinus. Germanicus per oceanum os Amisiæ ingressus exposuit milites, ut debuit *lave amne*, seu in læva ripa amnis, læva scilicet respectu classis adverso flumine tendentis. At cum militibus ex eo loco pergendum esset *in dextras terras*, dextras respectu loci, in quo descenderant; iter invenerunt impeditum æstuariis, ac paludibus. Id fortasse duci ignarum, ideoque incusatur, quod classem ulterius non subvexerit, ut milites ultra humentia exponeret. *Pichena.* *Classis ad Amisiam*, sive vicum tunc, sive castellum præsidiarium Romanorum, in statione fuit *relicta, lavo amne*, id est, in læva ripa, sive in ore dicti lacus; quemadmodum anno ante expositus hic miles in lævas Amisiæ fluminis terras circa vicum *Pawing*, *in dextras* hinc trans Amisiam *terras iturus*, versus Visurgim amnem, & oppidum *Minden:* quo tandem perventum esse, ex reliqua historia liquet. In dextras terras id ipsum oppidum *Emden* non fuit expositus, quia inde ad dictum locum tendentibus complura erant æstuaria, complures rivi, lacus, atque paludes. In læva igitur ripa postquam aliquot millia passuum emensi erant, tandem placuit Amisiam, forte circa vicum *Jemingen*, ponte trajicere. Sed & hic æstuaria in dextra ripa reperta sunt; *erratumque in eo, quod non classem ultra ea æstuaria ad siccam humum Amisia subvexerat*, tunc maxime expertum. *Pontes* igitur non modo super ipsum amnem, sed etiam super continentia æstuaria, ac paludes facti sunt. *Cluverius.* Sententiam Cluverii sequor, Amisiam hic loci nomen esse: deinde verba hæc *lavo amne* non ita explico, quasi classis fuerit ad dextram ripam, flumen ipsum è sinistro latere, sed quod classis relicta fuerit in ipso lævo amne, in ipsa fluvii sinistra ripa, ut *lavo amne* hic dixerit pro in lævo amne, vel in læva parte amnis, sicut alias dicere solemus extare aliquid *extremo libro*, quod in extrema libri parte extat. sic noster *extremo jam die.* Hist. 3, 10. Amisiæ igitur in castello si forte, aut præsidio Romanorum in sinistra cognominis fluvii ripa, haud longe ab ostio fluminis classem reliquit Germanicus: at eundum illi fuit primo longius in penitiorem Germaniam, deinde etiam in dextras flumini terras. *Freinshemius.*

1 *Lavo amne*] Germanicus relicta Batavorum insula, in qua naves fabricarat, una cum legionibus & auxiliario milite Drusianam fossam navigavit; mox per vada Flevi lacus oceanum appulsus, felici navigatione venit ad Amisiam flumen, in cujus ore naves reliquit, exposuitque exercitum ad lævam. Quæ accipio vulgariter, ut adveniens exercitus ad manum lævam fluvium haberet. Et quia fluvius Amasias transmittendus erat, & petendus Visurgis, qui superiorem influit Germaniam: ideo pontibus struendis multi absumpti dies. *Aurelius.*

2 *Quod non subvexit*] Germanicus in ore fluminis Amisiæ dextra milites exposuit, navibus ibi sinistra relictis, qua statio fortassis erat, mediterraneaque petit, cum potuisset adversum flumen navigando æstuaria vitare, quæ proximis in locis alluvionibus oceani relinquuntur: id enim sibi vult *subvehere:* nimirum adverso flumine progredi. Sed

N 3 quisnam.

dexteras in terras iturum. ita plures dies efficiendis pontibus abſumpti. Et eques quidem ac legiones prima æſtuaria, nondum adereſcente unda, intrepidi transſiere: poſtremum auxiliorum agmen, [1] Batavique in parte ea, dum inſultant aquis, artemque nandi oſtentant, turbati, & quidam hauſti ſunt. Metanti caſtra Cæſari [2] Angrivariorum defectio à tergo nuntiatur. miſſus illico Stertinius cum equite, & armatura
9 levi, igne & cædibus perfidiam ultus eſt. [3] Flumen Viſurgis Romanos Cheruſcoſque interfluebat. ejus in ripa cum ceteris primoribus Arminius adſtitit, quæſitoque *an Cæſar veniſſet?* poſtquam *adeſſe* reſponſum eſt; *ut liceret cum fratre conloqui* oravit. Erat is in exercitu [4] cognomento Flavius, inſignis fide, & amiſſo per vulnus oculo paucis ante annis, duce Tiberio. [5] Tum permiſſum: progreſſuſque ſalutatur ab Arminio. qui amotis ſtipatoribus, *ut ſagittarii noſtra pro ripa diſpoſiti abſcederent*, poſtulat; & poſtquam digreſſi, *unde ea deformitas oris?* interrogat fratrem. illo locum, & prœlium referente; *quodnam præmium recepiſſet?* exquirit. Flavius *aucta ſtipendia, torquem, & coronam, aliaque militaria dona* memorat, irridente Arminio vilia ſervitii
10 pretia. Exin diverſi ordiuntur: hic *magnitudinem Romanam, opes Cæſaris, & victis graves pœnas; in deditionem venienti paratam clementiam; neque conjugem & filium ejus hoſtiliter haberi.* Ille *fas patriæ, libertatem avitam,* [6] *penetralis Germaniæ deos, matrem precum*

quiſnam amabo error iſte, qui Germanico non temere vitio datur? an duo, vel tres Batavi in æſtuariis hauſti? nugæ: quid ergo? plures dies abſumpſit, dum pontes æſtuariis ſuperandis parat: quamobrem tardius revertens, & hieme jam appetente deprehenditur in oceano, procelliſque fœdis agitatur, quod militibus ſubvectis non accidiſſet: nam maturius oceanum ingreſſus eſſet. *Salinerius.* Quæret aliquis, cur naves in faucibus fluminis reliquit, nec ſubduxit, ut pro pontibus eis uteretur. Sane noſter *culpam* vocat: nec tamen in tam claro duce culpa facile credenda eſt. *Inemendabilis eſt error, qui inter arma committitur,* ait Valerius. Exiſtimo in faucibus fluvii reliquiſſe, quo tutiores eſſent ab hoſte propinquo; nec ſubduxiſſe, tum propter incognitas fluvii vias, tum quod longa navium ſeries nimium hoſti patuiſſet, trans fluvium poſito hoſte. Quæri etiam poteſt, cur in ripam dexteriorem dextraſque in terras primo appulſu non tranſvexerit militem, forte, quod appulſus difficilis, quod invius, quod paludum lubrico, vel ſilvarum rubis infeſtus. *Aurelius.* Dupliciter erravit, primo quod *non ſubvexit naves*, quod adverſo flumine longius provectus non eſt. deinde quod militem non in dextra ripa, ſed in ſiniſtra expoſuit. ergo duplex etiam incommodum ſuſtinuit, primo quod inferiorem marique propinquam regionem propter vicinitatem æſtus ſuperare non potuit: deinde quod etiam ſuperatis æſtibus adhuc indiguit ponte, quo ex ſiniſtris terris in dextras iturus, ipſum flumen trajiceret. Sed cur, inquis, Amiſiæ expoſuit? quia forte loci commoditatem ſpectavit, quam nos temporum iſtorum locorumque haud magnopere periti, non ita facile indicaverimus, quam fuiſſe intelligimus, cum Germanicus abſque magna ratione rem eam ita geſturus fuiſſe credi non debeat. Deinde etiam ſi nullam rationem poſſimus reddere, hoc quoque habemus præcipui, quod ne teneamur quidem ad rationem exponendam in ea re, in qua *erratum* fuiſſe Tacitus ſcribit. *Freinshemius.*

1 *Batavique in ea parte*] Sententiam video, ſed elegantiam Cornelianam in ſcribendo hic deſidero. Quis credat illa eſſe à Taciti manu, *Batavique in parte ea?* Emenda; *Batavique interea, dum inſultant aquis*, &c. Boxhornius. Cæſar 1. Gall. *Si pacem P. Rom. cum Helvetiis faceret, in eam partem ituros atque ibi futuros Helvetios, ubi Cæſar conſtituiſſet.* Livius 38. *Pabulatores lignatoreſque Romani in eam partem, in qua colloquium futurum erat, ducti ſunt.* Gronovius.

2 *Angrivariorum*] Hos liquet inter Amiſiam & Viſurgim incoluiſſe. Extat hic etiam nunc nomen eorum in vico *Engeren*, IX. millibus paſſuum, in ſeptemtriones verſus, ab oppido *Oſenbrugge* diſſito. extat item, clariore fama, in oppido *Engeren*, ducatus titulo inſignito. *Cluverius.*

3 *Flumen Viſurgis*] Mutua Romanorum Germanorumque clade nobilis amnis. cui famam præcipuè Tacitus dedit: & ipſe Tacito (mirum fatum) vitam. Nam quinque hi primores libri inventi Corbejæ, quod monaſterium ad Viſurgim eſt. atque illinc depromptum vere hunc theſaurum quæſtor quidam Pontificius ad magnum Leonem detulit, donatus ab eo aureis quingentis. *Lipſius.*

4 *Cognomento Flavius*] Sic quidem exhibet Beroaldus, ſed unica membrana per triplicem hanc iterationem non novit niſi biſyllabum *Flavus* & *Flavum*, quod certe intereſt ſciri, ut mox bis *Chariovalda*, non *Cariovalda*. Jac. Gronovius.

5 *Tum permiſſum, progreſſuſque*] Muretus *Tum* delet, nulla cauſa. *Acidalius.*

6 *Penetralis Germaniæ Deos*] Valet, *penetrales*, priſco ſcribendi more: id eſt, *penates.* Et tamen vis

precum sociam; ne propinquorum, & adfinium, denique gentis suæ desertor & proditor, quam imperator esse mallet. Paulatim inde ad jurgia prolapsi, quo minus pugnam consererent, ne flumine quidem interjecto cohibebantur: ni Stertinius adcurrens, plenum iræ, *armaque & equum* poscentem Flavium attinuisset. cernebatur contra minitabundus Arminius, [1] prœliumque denuntians. nam [2] pleraque Latino sermone interjaciebat, ut qui Romanis in castris ductor popularium meruisset. Postero die Ger- 11
manorum acies trans Visurgim stetit. Cæsar, nisi pontibus præsidiisque impositis, dare in discrimen legiones [3] haud imperatorium ratus, [3] equitem vado tramittit. præfuere Stertinius, & [4] è numero primipilarium Æmilius, distantibus locis invecti, ut hostem diducerent. qua celerrimus amnis, Cariovalda dux Batavorum erupit; eum Cherusci fugam simulantes in planitiem saltibus circumjectam traxere: dein coorti, & undique effusi trudunt adversos, instant cedentibus, [5] collectosque in orbem, pars congressi, quidam eminus proturbant. Cariovalda diu sustentata hostium sævitia, hortatus suos ut ingruentes catervas globo frangerent; atque ipse in densissimos inrumpens, congestis telis & suffosso equo labitur, ac multi nobilium circa: ceteros vis sua, aut equites cum Stertinio Æmilioque subvenientes, periculo exemere. Cæsar trans- 12
gressus Visurgim [7] indicio perfugæ cognoscit, *delectum ab Arminio locum pugnæ: convenisse*

vis quædam in verbo est, quasi intimos penates. *Lipsius.*

Penetrales Germaniæ Deos] Sunt, qui interpretentur, *penetralis Germaniæ*, id est intimæ. Ego, non Germaniæ *penetralis*, sed Deos *penetrales* intelligo. Cicero de natura Deor. libro 2. *Nec longe absunt ab hac vi Dii Penates, sive à penu ducto nomine (est enim omne, quo vescuntur homines, penus) sive ab eo, quod penitus insident, ex quo etiam penetrales à poëtis vocantur.* Sen. Theb. Act. 11. *Ferte arma, facibus petite penetrales Deos.* Pichena. Quibus occasione Ἑρκίου Διὸς addidit nonnulla Henr. Valesius in notis ad Harpocrationis Lexicon. pag. 77.

1 *Prœlium denuncians*] *Denunciare* hic nihil aliud est quam indicere. Sic ferme apud Curtium 4, 10. Dario prœlium denunciat Alexander. *Ite, nunciate regi vestro; & quæ amisit, & quæ adhuc habet, præmia esse belli: hoc regente utriusque terminos regni, id quemque habiturum, quod proxima lucis adsignatura fortuna est.* Tale inquam prœlium denunciavit Arminius, non certamen singulare, quod nec prœlii nomine venit Latinis. *Freinshemius.*

2 *Pleraque Latino sermone interjaciebat*] Hoc dictum esse ad formam ab Propertio usurpatam *dejectu lacrimis* dicente 1, 18 scribit obscurus poetæ illius sacrificulus, si potes credere. *Jac. Gronovius.*

3 *Haud imperatorium ratus*] Cæsar Gall. 4. *Cæsar his de caussis, quas commemoravi, Rhenum transire decreverat: sed navibus transire neque satis tutum esse arbitrabatur, neque sua, neque populi R. dignitatis esse statuebat: itaque etsi summa difficultas faciundi pontis proponebatur, propter latitudinem, rapiditatem, altitudinemque fluminis; tamen id sibi contendendum, aut aliter non transducendum exercitum existimabat.* Gronovius.

4 *Equitem vado tramittit*] Sallust. in frag. Histor. 2. *suos equites hortatus, vado transmisit.* Aurelius.

5 *E numero primipilarium*] Primipili centuriones ex omnibus erant honoratissimi, sic appellati, quod *pilanos*, h. e. triarios (Varro libro 4. de Ling. Latin. Ovid. Fastor. 3, 129.) ducerent. eratque hæc permagna dignitas, nec ferme nisi insignis virtutis precium. vide Cæsar. Civ. 3, 53. erantque in legionibus singulis singuli, quibus omnes ceteri centuriones parebant, ut constat ex Dionysio 9, 10. Igitur non mirabimur sæpius eos magnæ copiarum parti fuisse præpositos, ut hic, & 13, 36. H. 1, 87. H. 4, 15. neque minus apud alios auctores. Freinshemius. *Primipilares* etiamsi omnia stipendia nondum confecissent, quia tamen primum pilum gesserant, habebantur pro emeritis, & equitibus dignitate æquabantur: itaque quoties in gratiam imperatorum & spe præmiorum militiam iterum sumerent, non jam merebant in legionibus, sed separata quædam cum cæteris evocatis manus erant, quæ fere circa imperatorem versabatur, donec ad eundem primipili aut majorem alium honorem promoverentur. Itaque & in castris in pedatura cohortium prætoriarum collocantur proxima Imperatori. *Sebelius.*

6 *Collectosque in orbem*] Livius libro 4. *Circumventi igitur jam in medio ad unum omnes, pœnas rebellionis dedissent, ni Vectius Messius ex Volscis nobilior vir factis quam genere, jam orbem volventes suos increpans clara voce,* &c. Idem libro 22. *Qui plures simul terga dederant, conversi in hostem, volventesque orbem, nunc sensim referre pedem, nunc conglobati restare.* Gronovius.

7 *Indicio perfugæ*] Qui ad hostem se contulit, *perfuga*

venisse & alias nationes in silvam Herculi sacram, ausurosque nocturnam castrorum oppugnationem. habita indici fides, & cernebantur ignes; suggressique propius speculatores, *audiri fremitum equorum, immensique & inconditi agminis murmur*, attulere. Igitur propinquo summæ rei discrimine, [1] explorandos militum animos ratus, quonam id modo incorruptum foret secum agitabat. *Tribunos & centuriones læta sæpius quam comperta nuntiare; libertorum servilia ingenia; amicis inesse adulationem: si concio vocetur, illic quoque, quæ pauci incipiant, reliquos adstrepere.* [2] *penitus noscendas mentes, cum secreti & incustoditi, inter militaris cibos, spem aut metum proferrent.* Nocte cœpta [3] egressus augurali, per occulta & vigilibus ignara, comite uno, contectus humeros [4] ferina pelle, adit castrorum vias, adsistit tabernaculis, [5] fruiturque fama sui:

fuga & *transfuga* promiscue vocatur. Originem autem si penitus introspicias, ab iis quidem quos deseruit, *transfugam*; ab his ad quos profectus est, *perfugam* appellatum existimes. *Freinshemius.*

1 *Explorandos militum animos ratus*] Eustathius ad Ιλ. β. vers. 73. Ὅτι θέμις τοῖς στρατηγοῖς ἐστὶν ὅτε πειρᾶσθαι τῶν στρατιωτῶν πρὸ τοῦ πολέμου, εἴτε ἑκουσίᾳ γνώμῃ πολεμοῦσιν, εἴτε ἀνάγκῃ. τοῦτ' ἐστὶν εἴτε προθύμως ἔχουσι πολεμεῖν, εἴτε καὶ μή. ὡς ἂν προθύμους μὲν ὄντας ἐπιῤῥώσωσιν εἰς πλέον, μὴ προθυμουμένους δὲ εἰς θάῤῥος ἀγάγωσιν. Gronovius.

2 *Penitus noscendas mentes*] Scribe *penitas*. Apulejus l. 11. *Penita mente conditum.* Pricæus. Sed Tacitus Ciceronem sequi maluit. De orat. 1. *motus animorum quos homini natura tribuit penitus pernoscendi.* Bruto: *Cethegus, cui de republica satis suppeditabat oratio. totam enim tenebat eam penitusque cognorat.* Horatius 1. Epist. 18. *Ut penitus notum si tentent crimina.* Gronovius.

3 *Egressus augurali*] Nihil muto. in castris Romanis ad dextram Prætorii Auguraculum fuit, ubi duces auspicarentur, & ex pullis auguria captarent. quod Græcis οἰωνιστήριον est. Hyginus manuss. verbis tamen corruptis, *Auguraterium parte dextra prætoriatur à principalem agnovimus, ut dixi, ne & augurium recte capere potest. parte læva tribunal statuitur, ut augurio accepto insuper ascendat ad exercitum felicia hospicio adloquatur.* Ita Tacito Auguralis ara commemoratur in castris Corbulonis, l. xv. Erudito tamen viro, *egressus Augustali*, legend. videtur: quia in Quinctiliano scriptum lib. VIII. *Carmen funebre, proprio Nenia; & tabernaculum ducis, Augustale.* Non idem mihi videbatur. *Lipsius.*

Egressus augurali] Hygini verba sic legenda sunt: *Auguratorium parte dextra prætorii ad viam principalem adponemus, ut dux in eo augurium recte capere possit: parte læva tribunal statuitur, ut augurio accepto insuper ascendat & exercitum felici auspicio alloquatur.* Romæ ad D. Joannis Lateranensis. *TRAIANVS. HADRIANVS. AVG. PONTIF. MAX. TRIB. POT. XX. IMP. II. COS. III. PP. AVGVRATORIVM. DILAPS.* .... Tacitus ostendit, ita tabernaculo imperatoris adjunctum & continuatum fuisse, ut ignaris vigilibus è prætorio ingredi potuerit. Nisi verius est a parte hac sanctiore & auspicus, quæ unius imperatoris erant, totum prætorium *augurale* appellatum, atque ita hic à Tacito appellari: verba quidem id facile persuadeant. Cum enim dicit *egressum augurali* Germanicum *per occulta & vigilibus ignara*, non *per augurale*, innuit jam ante fuisse & tensionem habuisse in loco, qui *augurale* dicebatur. Et solitum veteribus, augustis ejusmodi locis, quo major inesset religio, à parte sanctiore nomina indere. Sic Capitolium quondam *auguraculum* dictum fuisse, Festus scribit: *Auguraculum appellabant antiqui, quam nos arcem dicimus, quod ibi augures publice auspicarentur.* Nescio anne & Quintilianus confirmet hanc sententiam loco sæpius à viris doctis citato, sed non satis explicato: *Carmen funebre proprie Nenia & tabernaculum ducis augustale.* an fuerat: *augurale?* Josephus constitutum inter media principum tabernacula prætorium, ναῷ παραπλήσιον ait fuisse. *Schelius.* Tabernaculum quoque pro auguraculo occurrere notavit summus vir Henr. Valesius ad Livium 4, 7. Cæterum quod nunc narratur de Germanico, proavi narraverunt de Matthia Hungariæ Rege qui data opera a comitatu in venationibus se interdum abducebat, atque in solitariis rusticorum vel aliquo pago pernoctare colligentem rumores & famam de Rege & administratione Reipublicæ. Res nota. *Jac. Gronovius.*

4 *Ferina pelle*] Quare ferina pelle? ut habitum mentiretur Germani, credo; qui plerumque pelliti. Germani autem multi non in castris solum, sed, ut opinor, inter ejus custodes. *Lipsius.*

Ferina pelle] Sic Homerus 4. Iliad. inducit Agamemnonem contectum pelle Leonis, quod vocat δέρμα λέοντος. Virgilius lib. 7.

Ipse pedes tegmen torquens immane leonis
Terribili impexum seta cum dentibus albis
Indutus capiti.

Et lib. 1. Æn. *Lupæ fulvo nutricis vertice lætus.* & 11. *Tigridis exuviæ per dorsum à vertice.* Aurelius.

5 *Fruiturque fama sui*] Non est necesse hæc ita intelligere, tanquam jucundiores fuerint laudes suæ Germanico, quam par est viro omnia reponenti in conscientia sola. non: sed sic omnia tentoria iisdem resonasse vocibus; ut ne unum quidem invenerit,

fui: cum [1] hic *nobilitatem ducis*, *decorem* alius, [2] plurimi *patientiam*, *comitatem*, *per feria per jocos eundem animum*, laudibus ferrent, [3] *reddendamque gratiam in acie* faterentur; simul *perfidos & ruptores pacis*, *ultioni & gloriæ mactandos*. Inter quæ unus hostium Latinæ linguæ sciens, acto ad vallum equo, voce magna, *conjuges*, *& agros*, *& stipendii indies*, *donec bellaretur*, [4] *sestertios centenos*, *si quis transfugisset*, Arminii nomine pollicetur. Incendit ea contumelia legionum iras: *veniret dies*, *daretur pugna: sumpturum militem Germanorum agros*, *tracturum conjuges*; *accipere omen & matrimonia ac pecunias hostium prædæ destinare*. [5] Tertia ferme vigilia adsultatum est castris, sine conjectu teli; postquam crebras pro munimentis cohortes, & nihil remissum sensere. [6] Nox eadem lætam Germanico quietem tulit, viditque se operatum, 14
&

nerit, qui sinisterius de se loqueretur. Fruebantur igitur aures magis, quam animus. Vere Sen. lib. 1. de Clement. 2. *Eadem de illo homines secreto loquuntur, quæ palam.* Nec falso Plin. Panegyr. ad Trajanum. *Queri libet, quod in secreta nostra non inquirant principes, nisi quos odimus; nam si eadem cura bonis quæ malis, quam ubique admirationem tui, quod gaudium exultationemque deprehenderes, quos omnium cum conjugibus ac liberis, quos etiam cum domesticis aris focisque sermones? Scires mollissimis istis auribus parci.* Gruterus. Verbum *frui* elegantissime hic positum est; significat enim ex re quadam plenissimam delectationem atque voluptatem percipere. Florus 2, 7. *Nec aliter illa consulari sententia, quam modulatissimo aliquo tibiarum, aut fidium cantu, fruebantur.* Aug. de Civ. Dei 11, 25. *Ea re frui dicimur, quæ nos non ad aliud referenda per se ipsam delectat: uti vero ea re, quam propter aliud quærimus. unde temporalibus magis utendum est, quam fruendum, ut frui mereamur æternis.* Freinshemius.

1 *Hic nobilitatem ducis, decorem alius*] Sumpsit à Xenophonte 3. *Κυρουπ.* Ἔλεγον τοῦ Κύρου ὁ μέν τις τὴν σοφίαν, ὁ δὲ τὴν καρτερίαν, ὁ δὲ τὴν πρᾳότητα, ὁ δέ τις καὶ τὸ κάλλος, καὶ τὸ μέγεθος. Gronovius.

2 *Plurimi patientiam*] Acceperunt quasi mansuetudo intelligeretur. ceteri *patientiæ* ipsum vocabulum retinent, nescio an bono ubique sensu. Latinis enim, ut hoc loco, tolerantia est atque robur adversa incommoda sustinendi. unde Cæsar Civ. 3, 96. exercitum suum *miserrimum ac patientissimum* vocavit. *Freinshemius.*

3 *Reddendamque gratiam*] Patroclus ad milites Iliad. π.

Ἀνέρες ἐστὲ, φίλοι, μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς,
Ὡς ἂν Πηλείδην τιμήσομεν.

Diodorus in excerptis lib. 35. de Mario: μεγάλην εὔνοιαν ἐν τοῖς στρατιώταις περιεποιήσατο. πάντες γὰρ τῆς εὐεργεσίας χάριν ἀποδιδόντες ἐν ταῖς μετὰ ταῦτα μάχαις φιλοτιμότερον ἠγωνίζοντο, συναύξοντες αὐτῷ τὴν ἡγεμονίαν. Hanc qui debere se gratiam non putarent, Appio Claudio duce vincere noluerunt. *Gronovius.*

4 *Sestertios centenos*] Æquo numis Imperialibus tribus cum sesquiuncia. vide supra 1, 75, quæ certe summa prægrandis fuerit, & Germanis vix persolvenda. *Freinshemius.* Intellige autem Romanum (confer 1. Histor. 24. & Suetonium Othone cap. 4.) xxv. denarios, nostros Imperiales vel unciales tres ipsos, Philippos duos & dimidiatum. Genera autem illa nummorum & copiam quin ab ipsis habuerint Romanis, dubitare nefas. Nam ut integræ cohortes aut manipuli transirent, qui numero suo difficilem solutionem facere possent, ne Arminius quidem speravit. *Gronovius.*

5 *Tertia ferme vigilia*] Hoc est, à sexta hora noctis. Suidas dictione προφυλακὴ, quatuor esse vigilias seu φυλακὰς tradit in nocte, quarum unaquæque tres horas habet. de his Virgilius: *& noctem custodia ducit.* Alciatus. Id est, post sextam horam noctis: nam quælibet nox in quatuor dividebatur vigilias, hieme longissimas, æstate brevissimas. Unaquæque tres horas continebat, cum perpetuo duodecim diei, duodecim noctis horæ apud antiquos essent, *inæquales* seu *planetariæ* ab Astronomis appellatæ. Lucan. lib. v. *jam castra silebant. Tertia jam vigiles commoverat hora secundos.* Vigiliæ vero clepsydra æqualiter distinguebantur. Veget. lib. III. c. VIII. *In quatuor partes ad clepsydram sunt divisæ vigiliæ.* Pichena.

6 *Nox eadem lætam Germanico quietem tulit, viditque se operatum*] Muretus, *quietem tulit. vidit se operat.* deleto, *que*. Mihi videbatur, *tulit*, *vidit quippe se operatum.* Acidalius.

Viditque se operatum] Operandi verbum ad sacra. Tibullus, *Tunc pubes operata deo.* Curtius: *Per dies decem Libero patri operatum habuit exercitum.* Restitui apud Livium, lib. x. *Dum hostes operati superstitionibus, concilia secreta agunt, Amiternum oppidum de Samnitibus vi cepit.* ita meus codex. vulgo, *superati.* Quod ait, respersam prætextam: scire licet pontifices, imo sacerdotes omnes, cum diis facerent, prætexta usos: Germanicus autem Augur. Lampridius in Alexandro, *Accepit prætextam etiam cum sacra faceret, sed loco Pontificis maximi, non Imperatoris.* Ἐμφυλ. α. Οὕτως μὲν Ἀσελλίων στρατηγῶν τε καὶ σπένδων, καὶ ἱερὰν καὶ ἐπίχρυσον ἐσθῆτα ὡς ἐν θυσίᾳ περικείμενος, ἀμφὶ δευτέραν ὥραν ἐσφάζετο ἐν ἀγορᾷ μέσῃ παρὰ ἱεροῖς. Quinctilianus declamat. CCCXL. *Ego vobis allego etiam ipsum illud sacrum prætextarum, quo sacerdotes velantur, quo magistratus:*

& [1] sanguine sacro respersa prætexta, pulchriorem aliam manibus aviæ Augustæ accepisse. [2] Auctus omine, [3] addicentibus auspiciis, vocat concionem, & [4] quæ sapientia prævisa aptaque imminenti pugnæ disserit: *Non campos modo militi Romano ad prælium bonos, sed si ratio adsit, silvas & saltus. nec enim [5] immensa barbarorum scuta, enormis hastas, inter truncos arborum, & enata humo virgulta, perinde haberi quam pila, & gladios, & hærentia corpori tegmina. [6] densarent ictus, [7] ora mucronibus quærerent: non loricam Germano, [8] non galeam; [9] ne scuta quidem ferro, nervove firmata, [10] sed viminum textus, sed tenuis & fucatas colore tabulas: [11] primam utcumque aciem hastatam; [12] ceteris præusta aut brevia tela. jam corpus, ut visu torvum, & ad brevem impetum validum; sic [13] nulla vulnerum patientia: sine pudore flagitii, sine cura ducum, abire, fugere; pavidos adversis, inter secunda, non divini, non humani juris memores. Si tædio viarum ac maris finem cupiant; hac acie parari: propiorem jam Albim, quam Rhenum;*

quo infirmitatem pueritiæ sacram facimus ac venerabilem. Spartianus in Hadriano: *Natali suo ultimo cum Antoninum commendaret, prætexta sponte delapsa caput ei operuit.* ubi corrigo, *aperuit:* quia sacrificabant capite velato. Adi & Zosimum lib. IV. ubi delata ad Gratianum Christianum Principem prætexta pontificia, & spreta. ab hac mente Plinius placari purpura deos scripsit, respiciens scilicet ad prætextam libro IX. *Distinguit ab equite Curiam, dis advocatur placandis, omnemque vestem illuminat.* Lipsius.

1 *Sanguine sacro*] Illustravit hunc locum etiam Octav. Ferrarius lib. II. Rei Vestiariæ cap. 12. citavitque, ut doceret magistratus provinciales in provinciis, atque adeo etiam in castris & exercitu prætextatos muneribus publicis functos, prout nunc Germanicus & Imperator exercitus & proconsulari potestate. Interim MS. unicus habet *sacri.* Jac. Gronovius.

2 *Auctus omine*] Quod de somnio etiam intelligi post alios censuerunt tradendum notæ obscuræ ad Tibullum 3, 4.

3 *Addicentibus auspiciis*] Versiones aut Latinam vocem retinent, aut de avibus interpretantur. quod quamquam ambiguum, minus tamen abiret à vero, si in istiusmodi Linguis avium nomine *pulli* quoque continerentur. Nam de his proprie intelligenda hæc sunt auspicia: quæ, præsertim ubi prælium instabat, solenniter consulebantur. Florus 2, 2. *à diis ipsis superatus est, quorum auspicia contempserat, quod pugnare ab his vetaretur.* Livii locus egregius est 10, 40. *Tertia vigilia Papirius silentio surgit, & pullarium in auspicium mittit:* & deinceps toto capite. Possent & alia multa in hanc rem adferri, si hoc ageremus; aut ulteriore probatione indigeret expositio nostra. *Freinshemius.*

4 *Quæ sapientia prævisa*] Recte Freinshemius: quæ commoda, quasque opportunitates ad futuram pugnam providentia sua comparasset. Sed hic sensus exigit, ut *provisa*, non *prævisa*, legamus. aliud enim *prævidere*, aliud *providere*; illud animadvertere futurum est, hoc consulere in futurum. *Gronovius.*

5 *Immensa barb. scuta*] Dicimus in Germania, infra. *Lipsius.*

6 *Densarent ictus*] Manifeste legitur in libro unico *denserent*, & hoc ipsum est, quod toties ita corruperunt editores, quasi plane ignoravissent formam τοῦ *denseo.* Incepi jam adolescens notare ad Macrobium in somnium Scipionis 1, 3. Item Heinsius ad Prudentium pag. 6. *Jac. Gronovius.*

7 *Ora mucronibus quærerent*] Sic Cæsar Julius in acie Pharsalica hortabatur militem, ut peteret vultus. Nam intecta illa pars quidem, sed sensu multo multum prædita, & in qua totus homo sit. Vide Philonem Judæum, qui in capite hominis præstantissima organa naturæ collocat. *Aurelius.*

8 *Non galeam*] Tacit. de moribus Germ. *Vix uni, alterive cassis vel galea.* Idem.

9 *Scuta non nervo*] Quod ait *non nervo*, id est, non corio, non tergore boum firmata. Erant autem scuta composita ex ligno & corio & ære. Ovid. Metam. 12. *Quod & æs & proxima rupit Terga novena boum.* Idem.

10 *Sed viminum textus*] Sallust. Hist. lib. IV. *Soliti nectere ex viminibus vasa agrestia, ibi tum quod inopia scutorum fuerat, ad eam artem se quisque in formam parmæ equestris armabat.* Virg. 7. Æn. *Flectuntque salignas Umbonum crates.* Ubi Servius: Ut dicit Sallustius de Lucanis. *Qui de vimine facta scuta, recentibus detractis coriis, quasi glutino adolescebant.* Gronovius.

11 *Primam utcumque*] Vide in Germania, infra. *Lipsius.*

12 *Ceteris præusta*] Legas forte, *prævasta.* Præcessit: *enormes hastas.* Nisi tamen illud in contemptum Germanorum, utpote inermium, dictum censeas. *Acidalius.* Virg. 7. Æn.

Stipitibus duris agitur, sudibusve præustis.

Et eodem, *Hic torre armatus obusto.* Aurelius.

13 *Nulla vulnerum patientia*] Videntur adumbrata è Thucydide, qui Brasidam inducit hortantem suos contra Illurios: eosque iisdem moribus fingit lib. IV. ubi inter cetera: Οὔτε γὰρ τάξιν ἔχοντες, αἰσχυνθεῖεν ἂν λιπεῖν τινα χώραν βιαζόμενοι, ἥτε φυγὴ καὶ ἡ ἔφοδος αὐτῶν ἴσην ἔχουσα δόξαν τοῦ καλοῦ, ἀνεξέλε-

Rhenum; neque bellum ultra, modo se [1] *patris, patruique vestigia prementem iisdem in terris victorem sisterent.* Orationem ducis secutus militum ardor: signumque pugnæ datum. Nec Arminius, aut ceteri Germanorum proceres omittebant suos [2] quisque
15
testari: *Hos esse Romanos Variani exercitus fugacissimos, qui ne bellum tolerarent, seditionem induerint: quorum pars* [3] *onusta vulneribus tergum, pars fluctibus & procellis fractos artus, infensis rursum hostibus,* [4] *adversis diis objiciant, nulla boni spe. classem quippe, & avia oceani quæsita, ne quis venientibus occurreret, ne pulsos premeret: sed ubi miscuerint manus, inane victis ventorum remorumve subsidium. meminissent modo avaritiæ, crudelitatis, superbiæ;* [5] *aliud sibi reliquum, quam tenere libertatem aut mori ante servitium?* Sic accensos, & prœlium poscentes in campum, cui [6] *Idistaviso* nomen, de-
16
ducunt: is medius inter Visurgim & colles, ut [7] ripæ fluminis cedunt, aut prominentia montium resistunt, inæqualiter sinuatur. pone tergum insurgebat silva, editis in altum ramis, & [8] pura humo inter arborum truncos. Campum & prima silvarum barbara acies tenuit; soli Cherusci juga insedere, ut prœliantibus Romanis desuper incurrerent. Noster exercitus sic incessit: auxiliares Galli Germanique in fronte: post quos pedites sagittarii: dein quatuor legiones, & cum duabus prætoriis cohortibus, ac delecto equite Cæsar: exin totidem aliæ legiones, & levis armatura cum equite sagittario, ceteræque sociorum cohortes. Intentus paratusque miles, [9] ut ordo agminis, in aciem adsisteret. Visis Cheruscorum catervis, quæ per
17
ferociam

ἀνεξίλεγκτοι καὶ τὸ ἀνδρεῖον ἔχει. Lipsius.

1 *Patris patruique*] Drusi, & Tiberii. *Idem.*

2 *Quisque testari*] Pro *obtestari*. Quod frequens auctori nostro. Nam infra: *illo in corpore decus Cheruscorum testabatur*. Et Annal. 12. *Illum diem, illam aciem testabatur, recuperandæ libertatis.* Aurelius.

3 *Onusta vulneribus tergum*] Omnino aut *onustum*, aut *terga* scribendum: & hoc potius numero plurativo. Visum & sic Mureto. *Acidalius.* Cum constet omnia referenda esse ad verbum *objiciant*, legerim, *onustum vulneribus terga*, ut ambæ partes hujus periodi invicem sibi respondeant. *Pichena.*

4 *Adversis diis*] Ita correxi: vulgo, *odiis*. Lipsius.

Adversis diis objiciant] Quis (malum) hic *odiis* supposuit? Recte Lipsius ex ingenio. In Man. non *adversis odiis*, ut vulgo, sed, *adversis dis*. Pichena. Potuit ille quicunque auctor est voluisse *adversis, o! diis.* quod male coaluit. Interim acquiscere oportet lectione vetere, quam ex veto dat Pichena. *Jac. Gronovius.*

5 *Aliud sibi reliquum*] Malim, *Non aliud sibi reliquum*, aut, *Nihil aliud sibi reliquum*. Rhenanus: *Nihil*, intellige. *Ferretus.* Ego *nil* antepono ex Beati sententia: neque placet per interrogationem dictum intelligere. *Vertranius.* Ita legitur hic locus in codice manuscripto: *quid aliud sibi reliquum:* cum in vulgatis editt. desit *quid*. Ursinus. Lipsius ad marginem notat, *An aliud.* Mihi rectius videatur, detrahere interrogationem, & immittere, *Nec aliud sibi reliquum*, &c. scilicet *meminissent*, quod præcedentibus junctum ad hæc quoque verba trahendum. Lipsius olim voluit; *Non aliud sibi reliquum.* Quod ait & Rhenanum vidisse. *Acidalius.* Legendum putem *aliud quid.* Tres vocis prioris literæ voci sequenti non dissimili omittendæ caussam dedere. *Grotius.*

6 *Idistaviso nomen*] Ea loca in peregrinatione vidi, & vel scriptoris hujus caussa curiosius lustravi. Animus autem mihi dicit, hunc ipsum campum esse, qui infra Bremam, mare versus, pulchre lateque se pandit, inter flumen & colles saltusque circumjectos. Non potest aptior pugnæ magnæ planicies, & pro Taciti hic descriptione. Distat ab opido Brema duobus circiter Germanicis milliaribus, circa pagum qui *Vegesackus* dicitur. *Lipsius.*

7 *Ripæ fluminis cedunt*] Putem legendum esse *flumini*. nam & verbum *resistunt* huc accommodatur, *ut ripæ flumini cedunt, aut prominentia montium insistunt.* Campus erat inclusus collibus & amne Visurgi, ex cujus cursu inæqualem formam flexuramque accipiebat, cum ipse non recto alveo iret, sed alibi ripas excederet (firmant hoc *incidentes ripæ* seq. capite) alibi objectu montium repelleretur, atque ita sæpe mutaret iter, sinusque plures efficeret. *Freinshemius.*

8 *Pura humo*] Id est, nuda humo, & sine herba. Columell. l. 6. *cum ille quam maxime subacto & puro solo gaudeat, hic navali graminosoque. Purus locus* opponitur inædificato apud jurisconsultum l. ult. de pign. act. sic *pura vestis*, in qua nihil attextum: *purum argentum*, in quo nil celatum: *pura charta*, in qua nil scriptum: *pura hasta*, in qua ferrum nullum. 3 Reg. 4. *Mundobo reliquias Jeroboam, sicut mundari solet fimus usque ad purum.* Aurelius.

9 *Ut ordo agminis, in aciem*] Id est, ut incederent eo ordine, qui in acie servandus erat. Incede-

bant

ferociam proruperant, validissimos equitum incurrere latus, Stertinium cum ceteris turmis circumgredi, tergaque invadere jubet, ipse in tempore adfuturus. Interea pulcherrimum augurium, [1] octo aquilæ petere silvas & intrare visæ, [2] Imperatorem advertere. exclamat, *Irent*, [3] *sequerentur Romanas aves*, *propria* [4] *legionum numina.* simul pedestris acies infertur, & præmissus eques, postremos ac latera impulit: mirumque dictu, duo hostium agmina diversa fuga, qui silvam tenuerant in aperta, qui campis adstiterant in silvam ruebant. medii inter hos Cherusci collibus detrudebantur; inter quos insignis Arminius manu, voce, vulnere, sustentabat pugnam: incubueratque

bant ergo (ut alibi loquitur) *simul itineri, & prælio.* Muretus. Lipsius ad marg. *adsistere.* Malim *adsistere*, vel *adstiterat.* & hoc magis. Paulo namque post idem sequitur, *qui campis adstiterant.* Acidalius. Sunt qui malint *adsistere.* ego, literula detracta, *adsistere*; infinitum pro imperfecto. *Gruterus.* Quærendus erat hostis, nec certum erat; ubi & quando prorumperet. ideoque *incedendum* erat *itineri & prælio*, ut loquitur 1, 51. ita dispositis ordinibus, ut ubicumque occurrisset hostis, statim acies fieret ex agmine, nulla mutatione facta, nisi ut consisterent, & pro itinere prælium capesserent. Nam si tum demum construendi fuissent ordines, quum in conspectu hostis esset, res trepidatione & periculo non caruisset, hoc enim *plerumque iis accidere consuevit, qui in ipso negotio consilium capere coguntur*, ut Cæsar verbis suis & exemplo Titurii Sabini confirmat Gall. 5, 33. possentque memorari multæ clades ob hoc unum acceptæ. *Fremshemius.* Peccatur hic vulgo distinguendo. Quid est enim, *ut ordo agminis.* si à sequentibus separetur? Hinc suspiciones & mutationes doctorum virorum. Uno spiritu lege: *ut ordo agminis in aciem adsisteret.* hoc est, pro se quisque intentus ac paratus, ut, sicunde apparuisset hostis, aut signum dux daret, omne agmen presso pede staret acie structa vel ad excipiendum vel ad invadendum hostem. Sic infra: *hic pedes adstitit. Adsistere in aciem* est incessum sistere atque inhibere formata acie, vel ita, ut stent in gradu milites ad prœliandum. Genus quoque loquendi haud vulgare. *Ut adsisteret in aciem*, est, ut adsisteret fieretque acies, vel essetque stabilis & firma acies. Sic Appulejus lib. 3. *Fixus in lapidem steti gelidus*, ex certa Mich. Piccarti emendatione: & lib. 4. *Jacens in mortuum.* Quæ significant, defixus & quasi lapis factus: jacens & quasi mortuus. Claudianus quarto Honorii consulatu:

Tristis conditio pulsata fronte recedit.
In civem rubuere genæ.

Ubi dubium est, voluerit auctor, sic ut adscripsimus, an *recedit In civem. rubuere genæ.* Neutrum enim improbum: sive hoc malis, quod erit, Servilis conditio recedit, & fit civis: sive illud, quo exponitur, Civis fit & suffunduntur genæ. Sic *relinqui in prata* Plinio 18, 28. quod non aratur, ut pratum fiat: & eidem cap. 29. *in callum præcoquuntur acini: tundi in pollinem* 19, 5. *in farinam* 33, 7. *tundi in exitum ptisanæ*, ut exiret quasi ptisana, Tertulliano. De incessu hujusmodi locus est insignis Sallustii de bello Jugurthino cap. 49. quem incepimus explicare in Omnibus quarti Observationum p. 429. valde infeliciter tractatus Salmasio in Reliquis de re militari p. 70. & 71. & 107. *Gronovius.*

1 *Octo aquilæ*] Miratur id factum Lipsius, cum haud temere in illis Germaniæ locis aquilæ. Non tamen dubito avem illam regiam, in Hercynia habitasse. Plin. lib. 10. cap. 47. *In Hercynio Germaniæ saltu inusitata genera alitum accepimus.* Sane tunc ipsam Hercyniam aperuerat Germanicus, qua ad Cheruscos usque pertinebat. De eo duce Florus lib. 4. *Invisum atque inaccessum in id tempus Hercynium saltum patefecit.* Colerus. Non crediderim tamen visas a Germanico aquilas fuisse ex eo genere, quod γνήσιον vocatur; quippe Germania, uti Rhodos, veras aquilas non habet; sed fuisse *pygargos*, aquilæ genus, quale in edulius absumunt Belgæ, & nos vidimus Antwerpiæ sæpe in tabernis dulciariorum pendentes: quas vocant *aren.* Pygargos autem in edulus fuisse olim etiam apud Romanos, ut apud Germanos, Juvenalis scribit: *Lepus atque aper, atque pygargus.* Interpres tamen Juvenalis accipit eo loci, pro *fera cervo simili.* Nam pygargus ut aquilarum, ita etiam species est caprarum. Plin. 8, 53. *Aurelius.*

2 *Imperatorem advertere*] Sic libro IV. Hist. *Advertit ea res Vespasianum.* & Livius libro I. emendante me; *Adverteratque ea res etiam Sabinos tanti periculo viri.* Nam hactenus *averteratque*, scriptum reperias, ignorantia historicæ dictionis. Ceterum, illud mirum unde hic aquilæ nostris terris haud temere visæ. Ac subvereor ut falsa species objecta Germanico, aliæque alites fuerint. *Lipsius.*

3 *Sequerentur Romanas aves*] Aquilas intellegit, quæ à C. Marii ævo propriæ Romanis. De quibus in EXCURS. C. *Idem.*

Romanas aves] Silius Italicus lib. V. *ales priscum populis de more Latinis Auspicium.* Sic Ovid. in fast. *Regna Palatina prima dedistis aves.* Virg. *Maternas agnoscit aves.* Aurelius.

4 *Legionum numina*] Ita alibi: *Mox conversus ad signa & bellorum deos.* Dionysius: de iisdem: Τιμιώτατα γὰρ Ῥωμαίοις ταῦτα ἐπὶ στρατιᾶς, καὶ ὥσπερ ἱδρύματα θεῶν ἱερὰ νομίζονται. Adeo autem signa pro diis, uti per ea miles juraret, Livius libro VI. *Ob-*

stringere

cubueratque sagittariis, [1] illa rupturus, ni [2] Rætorum Vindelicorumque, & Gallicæ cohortes signa objecissent. nisu tamen corporis, & impetu equi pervasit, oblitus faciem suo cruore, ne nosceretur. quidam *agnitum à Chaucis inter auxilia Romana agentibus emissumque* tradiderunt. Virtus seu fraus eadem Inguiomero effugium dedit; ceteri passim trucidati. & plerosque tranare Visurgim conantes, injecta tela, aut vis fluminis, postremo [3] moles ruentium, & incidentes ripæ, operuere. quidam turpi fuga [4] in summa arborum nisi, ramisque se occultantes, admotis sagittariis per ludibrium figebantur: [5] alios prorutæ arbores adflixere. Magna ea victoria, neque cruenta nobis fuit. [6] Quinta ab hora diei ad noctem cæsi hostes decem millia pas- 18
suum cadaveribus atque armis opplevere; [7] repertis inter spolia eorum catenis, quas in Romanos, ut non dubio eventu, portaverant. Miles in loco prœlii [8] Tiberium Impera-

stringere perjurio non se solum summque caput, sed signa militaria & aquilas, sacramentique religionem. Tertullianus: *Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa jurat, omnibus diis præponit.* Exemplum ejus sacramenti egregium apud Lucanum libro 1. ubi Lælius Cæsari:

——— per signa decem felicia castris,
Perque tuos juro quocumque ex hoste triumphos.

Imo & adorata ea. Disce è Sozomeno Eccles. Hist. libro 1. cap. IV. ubi de Labaro. Σημεῖον δὲ τοῦτο τιμιώτατον, καθότι ἀεὶ τοῦ βασιλέως ἡγεῖσθαι, καὶ προσκυνεῖσθαι νενόμιστο παρὰ στρατιωτῶν: *Hoc signum venerabile maxime, quia & principem antecedere, & adorari etiam à militibus solebat.* Lipsius.

1 *Illa rupturus*] Fortasse legendum *illa erupturus.* Ursinus. Idem Mureto tribuunt Acidalius & Pichena.

2 *Rætorum*] Ita scriptum est in MS. non *Rhætorum*, quod etiam observavi sic habere 1, 44 *Rætiam*, non *Rhætiam*, bene jam antea id ex aliis monumentis colligente Ryckio. *Jac. Gronovius.*

3 *Moles ruentium, & incidentes ripæ*] Noli mutare, *mole ruentium incidentes ripæ.* Si plane hunc sensum vis, qui alias pauxillo diversus, efficitur idem ex illis ipsis quoque verbis. Capies enim ἓν διὰ δυοῖν, quæ figura Tacito crebra. *Acidalius.*

4 *In summa arborum nisi*] Non est mihi animus quod aliis, multa huc scilicet advocare, quæ faciant Tacito ornando: quin punctis singula signare contentus sum, sed tamen non abstineo manum, quin adscribam simile ludibrium insertum historiæ Punicæ Silio Italico lib. 5. 480.

Annosa excelsos tendebat ad æthera ramos Esculus, &c.

Gruterus.

5 *Alios proruta arbores*] An securibus arbores cædebant, ut eos qui adscendissent ad terram eliderent? vix credam. brevius fuit sagittis confodere. Ego existimo arbores, seu potius crassiores ramos, pondere hominum confractos, homines in ruinam traxisse & afflixisse. Pichena. *Prorutæ* omnino sunt succisæ: idque probat partim vis verbi, de qua ad lib. 1, 68. partim exempla similia. Vide locum Silii à Grutero advocatum. Dio l. 36. Συχνοὶ δὲ καὶ κατὰ τὰς ὕλας σκεδασθέντες ἡμέρας μὲν τινας ἀπὸ τῶν δένδρων ὑπερυψήλων ὄντων ἀποτοξεύοντες διεγίνοντο· ἔπειτα δὲ καὶ οὗτοι ὑποτμηθέντων τῶν δένδρων ἐφθάρησαν. In hunc quoque usum militi Romano secures in promptu, ut videre est 3. annal. 46. Idem intutum suffugium cuidam dat Silius lib. 7.

Per dumos miser in vicina cacumina quercus
Repserat, atque alta sese occultabat in umbra
Nampsicus, insistens tremulis sub pondere ramis.

Gronovius.

6 *Quinta ab hora diei*] Id quidem non absurde, quod indicant gnaros se Romani moris, quo non, ut apud nos, à media nocte ad mediam æquales quatuor & viginti horæ computabantur, sed quælibet dies in horas duodecim æquales, atque in totidem quælibet nox, brevis an longa foret, dividebatur. Sic eveniebat, ut meridies semper incideret in horam sextam; à quinta autem pro ratione dierum longius aut propius abesset. Quæ autem hic narrantur, gesta videntur mense Junio, quo, quum dies his locis ferme sit 16. horarum, quinta cœpit, cum altero triente decimæ nostræ. *Freinshemius.*

7 *Repertis catenis*] Fecit idem M. Antonius apud Florum libro III. qui *Cretam invasit cum ingenti quidem victoriæ spe atque fiducia, adeo ut plures catenas in navibus quam arma portaret.* Fecit Flaminius, in Polybio lib. III. qui suos ita vanitatis implevit, *ut plures essent qui* ἀλύσεις καὶ πέδας καὶ τοιαύτην κατασκευὴν *ferrent, quam qui arma.* Sed utriusque quis exitus? qui nunc Germanorum. Nec aliter solet magnus ille deus, qui dejicit quidquid vane se attollit. *Lipsius.*

8 *Tiberium Imperatorem salutavit*] Oportuerat Germanicum ipsum, qui dux & auctor facti. Sed Augustus ut auspicia servavit sibi; sic honorem omnem rei à ducibus suis legatisve gestæ. Nam qui ductu quidem suo, alienis tamen auspiciis vicerat: ne antiquitus quidem Imper. salutabatur, aut triumphabat. Hoc adulans suo Principi Horatius voluit:

Te copias, te consilium, & tuos

Imperatorem ſalutavit, ſtruxitque aggerem, & in modum tropæorum arma, [1] ſub-
19 ſcriptis victarum gentium nominibus, impoſuit. [2] Haud perinde Germanos vulnera, luctus, excidia, quam ea ſpecies dolore & ira adfecit. qui modo abire ſedibus, trans Albim concedere parabant, pugnam volunt, arma rapiunt; plebes, primores, juventus, ſenes, agmen Romanum repente incurſant, turbant. poſtremo deligunt locum, flumine & ſilvis clauſum, arta intus planitie, & humida; ſilvas quoque profunda palus ambibat, niſi quod latus unum Angrivarii lato aggere extulerant, quo à Cheruſcis dirimerentur. hic pedes adſtitit: equitem propinquis lucis texere, ut in-
20 greſſis ſilvam legionibus à tergo foret. Nihil ex iis Cæſari incognitum: conſilia, locos, prompta, occulta noverat, aſtuſque hoſtium in perniciem ipſis vertebat. [3] Sejo Tuberoni legato tradit equitem, campumque. peditum aciem ita inſtruxit, ut pars æquo in ſilvam aditu incederet, pars objectum aggerem eniteretur. quod arduum, ſibi; cetera legatis permiſit. quibus plana evenerant, facile inrupere: quis impugnandus agger, ut ſi [4] murum ſuccederent, gravibus ſuperne ictibus conflictabantur. Senſit dux imparem cominus pugnam, remotiſque paulum legionibus, funditores [5] libritoreſque excutere tela, & proturbare hoſtem jubet. miſſæ è tormentis haſtæ, quantoque conſpicui magis propugnatores, tanto pluribus vulneribus dejecti. Primus Cæſar cum prætoriis cohortibus, capto vallo, dedit impetum in ſilvas. conlato illic gradu certatum: hoſtem à tergo palus, Romanos flumen aut montes claudebant:
21 utriſque neceſſitas in loco, ſpes in virtute, [6] ſalus ex victoria. Nec minor Germanis

Prabente divos.

Et ab hac re ſtatim, in tropæi inſcriptione legis, *Exercitum Tiberii Imperatoris ea monimenta conſecraviſſe*; non, Germanici, qui ducebat. *Idem.*

Tiberium Imperatorem ſalutavit] Ubi princeps non aderat, apud imaginem ſalutabatur. Plin. Paneg. ad Trajanum: *Itaque non te apud imagines, ſed ipſum præſentem, audientemque conſalutabant Imperatorem.* Pichena.

1 *Subſcriptis victarum gentium nominibus*] Similis ſubſcriptio refertur à Plinio libro 3, 20. in tropæo Auguſti, quod in vertice Alpium poſuit, his verbis: *Imperatori Cæſari Divi Fil. Aug. Pontifici Maxime, Imp.* XIII. *tribunitia poteſtatis. S. P. Q. R. quod ejus ductu auſpiciiſque, gentes Alpinæ omnes, quæ à mari ſupero ad inferum pertinebant, ſub imperium populi Romani ſunt redactæ, Gentes Alpinæ devictæ, Triumpilini, Camuni, Vennonetes, Iſarci, Breuni, Naunes, Focunates*, &c. Aurelius.

2 *Haud perinde Germanos vulnera*] Huc maxime facit ſuaſoria V. graviſſimi Senecæ, in qua deliberant Athenienſes, an tropæa Perſica tollant, Xerxe minante rediturum ſe, niſi tollerentur. Inprimis autem ex ea huc referenda verba Gallionis; *Alteram partem ſolus Gallio declamavit, & hortatus eſt ad tollenda tropæa. Dixit, gloriæ nihil detrahi: manſuram enim memoriam victoriæ, quæ perpetua eſſet; ipſa tropæa & ætate & tempeſtatibus conſumi: bellum ſuſcipiendum fuiſſe pro libertate, pro conjugibus, pro liberis; pro re ſupervacua, & nihil nocitura, ſi fieret,* (id eſt, ſi tollerentur tropæa) *non eſſe ſuſcipiendum.* Habes hic ſimillimum exemplum. *Boxhornius.*

3 *Sejo Tuberoni*] De Tuberonis conſulatu extat mentio in veteri hac inſcriptione.

CERERI. AVGVST. MATRI. AGR. L. BENNIVS.
PRIMVS. MAG. PAGI. BENNIA.
PRIMIGENIA. MAGISTRA. FECER.
GERMANICO CÆSARE II.
L. SEIO TVBERONE COSS. DIES. SACRIFICI. XIII. K. MAI. *Urſinus.*

4 *Murum ſuccederent*] *Muro*, uſitatius eſſet. Sed nihil temere mutandum reor. nam à Tacito, ut ſupra diximus, communis uſus ſcribendi non eſt in omnibus nimium requirendus. *Urſinus.* Muretus, *ut ſi muro ſuccederent.* Mihi non placet. *Pichena.*

5 *Libratoreſque*] Sunt qui tormentis haſtas aut lapides excutiunt: quia librant ſcilicet, & jactus arte expendunt. Sic III. Hiſtor. *vincla ac libramenta tormentorum* appellat. Hoc verius, quàm referri ad *libralia*: quod ſuſpicabar IV. Poliorcet. Dialog. III. *Lipſius.* Sed prius de ſcriptura agi oportebat. Nam licet ita ediderit Beroaldus, & ſeries derivandi ab Lipſio prolata ſit non improbabilis, non tamen ita ſtringit, ut aliud circa eas voces conſiderari nequeat aut non debeat. Et utique in libro MS. unico exſtat *libritoreſque.* Attamen rurſus libro 13. cap. 39. utitur *libratoribus funditoribuſque.* Atqui in illo etiam loco vidi perſpicue in exemplari Longobardicæ formæ *libritoribus*, ut *librile*, *librilla*, *libripens*, quarum vocum analogia plane confirmat veterem lectionem, quæ non debuit mutari; unde etiam juſtiſſime a me nunc reſtitui cenſui. *Jac. Gronovius.*

6 *Salus ex victoria*] Muretus, *In victoria.* Bene, nec

nis animus; sed [1] genere pugnæ & armorum superabantur: cum ingens multitudo, artis locis, prælongas hastas non protenderet, [2] non colligeret, neque adsultibus & velocitate corporum uteretur, coacta stabile ad prœlium: contra miles, cui [3] scutum pectori adpressum, & [4] insidens capulo manus, latos barbarorum artus, [5] nuda ora foderet, viamque strage hostium aperiret: imprompto jam Arminio, ob continua pericula, sive illum recens acceptum vulnus tardaverat. Quin & Inguiomerum tota volitantem acie, fortuna magis quam virtus deserebat. & Germanicus quo magis adgnosceretur, [6] detraxerat tegimen capiti, orabatque *insisterent cædibus: nil opus captivis, solam internicionem gentis finem bello fore.* Jamque sero diei subducit ex acie legionem faciendis castris: ceteræ ad noctem cruore hostium satiatæ sunt. equites ambigue certavere. [7] Laudatis pro concione victoribus, Cæsar congeriem armorum 22
struxit, superbo cum titulo: DEBELLATIS INTER RHENUM ALBIMQUE NATIONIBUS EXERCITUM TIBERII CÆSARIS EA MONIMENTA MARTI ET IOVI ET AUGUSTO SACRAVISSE. de se nihil addidit, metu invidiæ, an ratus [8] conscientiam facti satis esse. Mox bellum in Angrivarios Stertinio mandat, ni deditionem properavissent. atque illi supplices, nihil abnuendo, veniam omnium accepere. [9] Sed æstate jam adulta 23
legio-

nec tamen opus. *Acidalius.*

1 *Genere pugnæ*] Livius 31. *Credidere regii, genus pugnæ quo assueverant, fere; ut equites invicem insequentes refugientesque, nunc telis uterentur, nunc terga darent,* &c. lib. 32. *Pro his ordo, & militaris disciplina, & genus armorum erat, aptum urgendis regiis: pro hoste loca, & catapultæ balistæque in omnibus prope rupibus, quasi in muris disposita.* Gronovius.

2 *Non colligeret*] *Colligere hastam* est reducere, quam ante protenderas, ut hostem ferires: atque hæc contraria sunt *protendere* & *colligere hastam.* Turnebus.

3 *Scutum pectori*] Diversum à Germanico. Illud planum, non sic tegebat: hoc incurvum, corpori adhærebat, & circumfundebatur. *Lipsius.*

4 *Insidens capulo*] Pulchrè & significanter dictum, in minoribus gladiis. In oblongis, quibus ritu Gallorum Germani utebantur, non eadem manus habitudo: neque firmiter aut tenet gladios, aut regit. *Idem.*

5 *Nuda ora*] Nam, ait noster in Germania, *vix uni alterive cassis aut galea.* Idem.

6 *Detraxerat tegimen*] Idem video Cyrum mnorem fecisse in pugna illa sibi extrema: cujus canssam tamen Xenophon ambigue refert ad morem Persarum, qui nuois capitibus pugnam inibant. *Idem.*

Detraxerat tegimen capiti] Cassidem scilicet, ostentandæ virtutis gratia. Nam noster lib. 3. *Sacrovir intecto capite, ostentanda, ut ferebat, virtutis.* De Corbulone libro 13. *Ipse cultu levi, capite intecto.* Virgil. 12. Æneid.

At pius Æneas dextram tendebat inermem
Nudato capite, atque suos clamore vocabat:
Quo ruitis?

Et libro 11.

Nudo cui vertice fulva
Cæsaries, nudique humeri, nec vulnera terrent.

Aurelius.

7 *Laudatis pro concione victoribus*] Particulatim has voces citat Ezech. Spanheimius de præst. Numm. p. 482. quod tibi indico, ut videas, an aliquid ibi dicatur, quod vel ipse nescias, vel nescire potest etiam leviter tinctus liberali lectione. Sicut alter δεκατίσοφος nugari nuper potuit de illo, qund antecedit, *sero diei*, ad Propertium. 1, 15. Jac. Gronov.

8 *Conscientiam facti satis esse*] Sufficere vel sapienti vel sibi. Cic. Philipp. 2. *Satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat.* Merito autem ambiguum relinquit, utra causa Germanicum moverit. Prior & modestiam & prudentiam ejus decet; posterint literas & magnitudinem animi. Sic de socero suo Tacitus: *Nec Agricola unquam in suam famam gestis exsultavit; ad auctorem & ducem, ut minister, fortunam referebat: ita virtute in obsequendo, verecundia in prædicando, extra invidiam, nec extra gloriam erat. Factis*, si haberent libri, tolerarem: sed vulgatum mutari non placet. *Gronov.* Sed non exstat nisi unicus MS. liber, inque eo conspicue legitur *factis.* Jac. Gronovius.

9 *Sed æstate jam adulta*] Sæpe ita loquitur noster, imitatione aperta Sallustii: quam phrasim operæ est semel à juventute intellegi, ex Servianis notis, ad illud *Vere novo. Id est*, ait, *primo mense Martio. Nam veteres per singula tempora anni, quæ in tres menses dividuntur, observant, ut sic dicant: Primum mensem, Novum ver: secundum, Adultum: tertium, Præceps. Ita de Hieme, Æstate, Autumno. sic semper Sallustius.* Simile, quod Græci annum partiuntur: Ἱσαμένου τοῦ ἔτους, μεσοῦντος, ἢ λήγοντος. Lipsius.

Æstate jam adulta] Ἀκμάζοντος ἤδη τοῦ θέρους. Muretus.

1 *Pla-*

legionum aliæ itinere terrestri in hibernacula remissæ: plures Cæsar classi impositas per flumen Amisiam oceano invexit. Ac primo [1] placidum æquor mille navium remis strepere, aut velis impelli: mox atro nubium globo [2] effusa grando, simul variis undique procellis incerti fluctus prospectum adimere, regimen impedire: milesque pavidus, & casuum maris ignarus, [3] dum turbat nautas, vel intempestive juvat, officia prudentium corrumpebat. omne dehinc cælum, & [4] mare omne in austrum cessit, [5] qui tumidis Germaniæ terris, profundis amnibus, immenso nubium tractu validus, & rigore vicini septemtrionis horridior, rapuit disjecitque naves in aperta oceani, aut [6] insulas saxis abruptis, vel per occulta vada infestas. quibus paulum ægreque vitatis, postquam [7] mutabat æstus, eodemque quo ventus ferebat; non adhærere anchoris, non exhaurire inrumpentis undas poterant: equi, jumenta, sarcinæ, etiam arma præcipitantur, quo levarentur [8] alvei manantes per latera, & fluctu
24 superurgente. Quanto violentior cetero mari oceanus, & trucultentia cæli præstat Germania, tantum illa clades novitate & magnitudine excessit, hostilibus circum litoribus,

1 *Placidum æquor*] Sallust. III. Histor. *Cohors una mari placido duobus prædonum myoparonibus circumventa.* Gronovius.

2 *Effusa grando*] Sub quam, occulta caussa, semper, ut ajunt, oceanus intumescit. *Lipsius.*

3 *Dum turbat nautas*] Curt. lib. 7. *Vacillantesque milites, &c., ne excuterentur, solliciti nautarum ministeria turbabant.* Gronovius.

4 *Mare omne in Austrum*] Non abnuo de vero Austro. nam ille à terra naves in mare interius rapiat: quod ostendit factum, cum subdit, *disjecitque naves in aperta oceani.* Procul igitur à litore: cui Notus impegisset. Facit eodem, quod de *insulis longius sitis* adjungit: & potest *Orcades* intelligere, aut potius eas, quæ haud procul litore Frisico hodieque exstant. Nam quod *longinquas* facit; fama & redeuntes hæc auxerunt, ac timidis insolitisque maris ita visæ. *Lipsius.*

Mare omne in Austrum cessit] Dubitat Lipsius. de Austro proprie, an de Noto Tacitus intelligat. De Austro crediderim. Nec sequentia obstant. Nam quamvis non ita vehemens in Germania Auster, vehemens fortasse ultra Germanicas terras, ubi classis erat, ac fortasse ex iis terris ventus exoriebatur: & cum septentrionem versus staret, horridus ipsius vicinitate, naturaque terrarum horridior, classi incubuit. Nec absurdum est, naves ab Austro ex ora Frisiorum in Britanniam raptas: nam si intelligas de ultima Britannia, quæ antiquis Caledonia, rectà lineâ illuc ferri patet. *Pichena.*

5 *Qui tumidis Germaniæ terris*] Hoc est, inflatis. Alioqui posset etiam legi, *humidis.* Rhenanus. Faernus legebat: *qui humidis Germaniæ.* Ursinus. Montosis, ut ego intelligo. montibus enim Germania abundat, qui ut plerumque specubus cavernisque scatent, ita vim maximam ventis addunt. Tac. in vita Agr. *Terræ montesque causa ac materia tempestatum.* Pichena.

6 *Insulas saxis abruptas*] Malo, *Abruptis.* Acidalius. Ita Man. & optime. ut sint insulæ infestæ, vel abruptis saxis, vel occultis vadis. Male prius, *saxis abruptas.* Pichena.

7 *Eodem quo ventus ferebat*] Non male etiam, *eodemque quo ventus:* atque ita jam didici in Florentino esse. Livius libro XXVI. *Acer etiam Septemtrio ortus inclinatum stagnum eodem quo æstus ferebat.* Lipsius.

Mutabat æstus, eodemque quo] Ita restitui ex Man. Antea corrupte, *eodem quo ventus.* Pichena. *Mutabat* æstus, & *ferebat* eodem quo ventus: pro *mutabatur*, & *ferebatur.* Hoc unus Ital. 1. videtur adsecutus. nam ceteri omnes illud *ferebat* agendi significatione acceperunt. *Freinshemius.* *Mutabat* pro *mutabatur* admitto; non *ferebat* pro *ferebatur.* Est enim genus loquendi proprium, & *fert æstus*, ut *ferre* dicitur *via* (de quo ad Liv. 39, 27.) ut *ferentis venti.* Intelligimus & fluctus, & quicquid deprehenderat. *Gronovius.*

8 *Alvei manantes*] Nec displiceret scribi, *nantes.* Lipsius.

Alvei manantes per latera] Quid si legendum sit, *innantes per latera?* Quod puto. Nam illo verbo utitur Tacitus, ut supra libro 1. *Quo levior classis vadoso mari innaret.* Et *alveos* pro navibus accipio, ut Juven. Sat. 12. *Cum pleno fluctu medius foret alveus.* Voluit Tacitus soluta oratione expressum, quod Virgilius in re fere simili, lib. 1. Æn.

Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.

Quippe *innare* est intus recepta aqua natare. *Aurelius.* Mihi videtur optime hic sensum expressisse Ital. 11. *per allegerire i vascelli che andavano alla banda.* Sic enim *manandi* vocabulum potius interpretari liceat, fluitare sive nare, (licet etiam *nantes* hoc loco pro *manantes* scriptum fuisse facile credidenim Lipsio) quam aquam accipere, vel admittere, quomodo illi acceperunt: nam & vocis proprietati propior hic est intellectus, & jure non absurdus. *Freinshemius.* Mihi vero nec placet *nantes:* & multo magis miror *manare* proprie esse natare. Tacitus significat, cum depressæ oneribus naves pro-

litoribus, [1] aut ita vasto & profundo, ut credatur novissimum ac sine terris mare. pars navium haustæ sunt; plures, apud insulas longius sitas ejectæ: milesque nullo illic hominum cultu, fame absumptus, nisi quos [2] corpora equorum eodem elisa toleraverant. sola Germanici triremis Chaucorum terram adpulit, quem per omnes illos dies noctesque apud [3] scopulos & prominentis oras, cum *se tanti exitii reum* clamitaret, vix cohibuere amici, quo minus eodem mari oppeteret. Tandem relabente æstu, & secundante vento, [4] claudæ naves raro remigio, [5] aut intentis vestibus, & quædam à validioribus tractæ, revertere: quas raptim refectas misit, ut scrutarentur insulas. collecti ea cura plerique: multos Angrivarii nuper in fidem accepti, redemptos ab interioribus reddidere: quidam in Britanniam rapti, & remissi à regulis. Ut quis ex longinquo revenerat, *miracula* narrabant, *vim turbinum*, & [6] *inauditas volucres*, *monstra maris*, *ambiguas hominum & beluarum formas*: visa, sive ex metu credita. Sed fama classis amissæ, ut [7] Germanos ad spem belli, ita Cæsarem ad coërcendum erexit. C. Silio cum triginta peditum, tribus equitum millibus ire in Cattos imperat: ipse majoribus copiis Marsos inrumpit: quorum dux [8] Malovendus nuper in deditionem acceptus, [9] *propinquo luco defossam Varianæ legionis aquilam modico præsidio servari* indicat. Missa extemplo manus, quæ hostem à fronte eliceret; alii qui terga circumgressi recluderent humum: & utrisque adfuit fortuna. eo promptior

profundius mare secarent, earum summa latera propius adfuisse ab ejus superficie; atque eo plus aquæ à superurgente fluctu accepisse: levatas igitur oneribus, ut labra laterum exstarent altius aquis, & sic minus assilientium undarum acciperent. In quo hoc est paullo insolentius, quod alvei *manare* dicuntur, cum proprie manent ipsa liquida. Sed non caret id auctoribus, & manant etiam, in quibus liquidum fluit. Sic Livius libro 1. *manantem cruore cultrum*: Ovidius & Seneca *marmora manantia lacrimas*, de Niobe: sic Plinius *arbores succo manantes*. Sunt ergo *alvei manantes per latera* irrumpentem aquam magna copia recipientes. *Gronovius.*

1 *Aut ita vasto & profundo*] Notum antiquorum somnium de oceano terram undiquaque cingente. Florus 1, 13. *Galli ab ultimis terrarum oris & cingente omnia oceano profecti.* Dionysius Periegetes: Ὠκεανὸς περιδέδρομε γαῖαν ἅπασαν. *Freinshemius.* Vix assequor, quid sibi velit. nam terram undique mari cingi non antiquorum magis quam horum hominum est somnium. In Taciti verbis aliquid agnosco, quod somnium veterum vocare possis: quale & apud M. Senecam suasor. 1. *Ita est rerum natura: post omnia oceanus: post oceanum nihil.* Sed illæ ipsæ terræ, quas propiorum seculorum navigatio deprehendit, quæque trans oceanum nos coercentem jacent, oceano cingi & contineri non desinunt. Timide autem suspicabar scripsisse Tacitum: *hostilibus circum litoribus, aut ita vasto & profundo, ut credatur novissimum ac sine terris, mari.* Gronovius.

2 *Corpora equorum eodem elisa*] Minus quidem fœdum famem tolerare equis *enisis* quam *elisis*: sed tamen haud mutarem ideo substituendum *enisa*. Fere in mari pereunt equi: cadavera jam facta impinguntur litori à fluctibus. quod heic factum. Gruterus. *Elisa* recte. nam equos in mare præcipitatos dixit prius, quo naves levarentur: atque ita inlisa vadis & rupibus equorum corpora. Et firmant, quæ sequuntur infra: *post constrata equorum virorumque corporibus litora.* Aurelius.

3 *Scopulos & prom.*] Quantum ego vidi vel audivi, non sunt in eo tractu litorales scopuli. Est mollis aut arenosa terra, nec nisi arte aut opere elata. *Lipsius.*

4 *Claudæ naves*] Livius lib. 37. *Contemplatus Eudamus hostes claudas mutilasque naves apertis navibus remulco trahentes.* Gronovius.

5 *Aut intentis vestibus*] Juvenalis Sat. 12. *Inopi miserabilis arte cucurrit Vestibus extentis.* Noster in fine 5. histor. *Simul captæ lintres sagulis versicoloribus haud indecore pro velis utebantur.* Aurelius.

6 *Inauditas volucres*] Nec eæ quidem sunt. Libuit istis apud ignaras aures, in his & sequentibus, τερατολογεῖν; & narrare quæ noster merito ambigit, *visa, sive ex metu credita.* Imo nec visa, nec credita, sed vanitate efficta. *Lipsius.* Nempe ut *gaudent Garrula securi narrare pericula nautæ* apud Juvenal. sat. 12.

7 *Germanos ad spem belli*] Tanquam Romanis adflictis & perculsis. *Ad coërcendum*, ne per occasionem superbirent. *Muretus.*

8 *Malovendus*] In MS. tamen apparet *Mallovendus*, quod sic debuit non minutum tradere publico Beroaldus, sed jam iste alterum l omisit. Quid mirum de citerioribus? *Jac. Gronovius.*

9 *Propinquo loco*] Malim, *luco*. Hic autem inventa aquilarum una, & supra lib. 1. altera. ergo receptæ nunc omnes, quia tertia servata militis astu. Florus tamen scripsit, *Signa, & aquilas duas*

 adhuc

ptior Cæsar pergit introrsus, populatur, exscindit [1] non ausum congredi hostem; aut sicubi restiterat, statim pulsum; nec unquam magis, ut ex captivis cognitum est, paventem. Quippe *invictos & nullis casibus* [2] *superabiles Romanos* prædicabant, *qui perdita classe, amissis armis, post constrata equorum virorumque corporibus litora, ea-*
26 *dem virtute, pari ferocia, & veluti aucti numero inrupissent.* Reductus inde [3] in hiberna miles, lætus animi, quod adversa maris expeditione prospera pensavisset. addidit munificentiam Cæsar, quantum quis damni professus erat exsolvendo. Nec dubium habebatur labare hostes, petendæque pacis consilia sumere, & si proxima æstas adjiceretur, posse bellum patrari: sed crebris epistolis Tiberius monebat, *rediret ad decretum triumphum. satis jam eventuum, satis casuum: prospera illi & magna prælia: eorum quoque meminisset, quæ venti & fluctus, nulla ducis culpa, gravia tamen & sæva damna intulissent.* [4] *se novies à divo Augusto in Germaniam missum, plura consilio quam vi perfecisse.* [5] *sic Sugambros in deditionem acceptos, sic Suevos, regemque Marobodum pace obstrictum. posse & Cheruscos, ceterasque rebellium gentes, quando* [6] *Romanæ ultioni consultum est, internis discordiis relinqui.* Precante Germanico annum efficiendis cœptis, acrius modestiam ejus adgreditur, alterum consulatum offerendo, cujus munia præsens obiret. simul adnectebat, *si foret adhuc bellandum,* [7] *relinqueret materiem Drusi fratris gloriæ, qui nullo tum alio hoste, non nisi apud Germanias adsequi* nomen impe-

adhuc Barbari possident: tertiam signifer. &c. Parum considerate. nisi ex Livii persona & ætate loqui hominem placet. *Lipsius.*

1 *Non ausum congredi hostem*] Legerim hæc & sequentia, *Non auso c. hoste, pulso, pavente.* Lipsius.

2 *Superabiles Romanos prædicabant*] Mirum ni illud *prædicabant* ab interprete quopiam est: cui deesse tale quid videretur. Additiones ejusmodi aliquot è Curtio sustulimus. In proxime præcedentibus omnino cum Lipsio legendum, *non auso congredi hoste.* item *pulso, pavente.* non accusandi casu, ut vulgatur. *Acidalius.* Meo judicio τὸ *prædicabant* non est nisi Taciti, & verbum pro materia lectum. Neque vero Lipsius audiendus. Quin quæsita elegantia est: nec novum profecto possessoris nomen pro re possessa poni. Sic, *jam proximus ardet Ucalegon.* Adde si libet 4. Observ. 24. *Hostem* igitur *non ausum ingredi* est loca & res hostis non ausi congredi, &c. *Gronovius.*

3 *In Hiona miles*] Vera correctio Beroaldi, *in hiberna miles*, ex Taciti verbis ipsis. Rhenanus qui, *Jubiona*, legit; & ego qui serio olim refelli, digni ambo qui piemur. *Lipsius.*

In hiberna miles] Non tanquam omnes hi milites una hiberna habuerint, sed in sua quosque hiberna reductos intellige: hibernabat enim quinta & unetvicesima legio Veteribus 1, 45. prima ac vicesima apud Ubios 2, 37. tertiadecima Petovione, Hist. 3, 1. *Freinshemius.*

4 *Se novies in Germaniam*] Non toties in proprie Germaniam: quære in Historiis, & examina: sed intellegit sumitque una missiones, opinor, in Pannoniam, & Illyricum. *Lipsius.*

Se novies à D. Augusto] Contra historiæ fidem. quod & Lipsius notavit. Quid si ergo rescribas, *se toties à D. Augusto.* Sæpius enim Tiberius, nec tamen novies, in Germaniam ire jussus est ab Augusto. *Boxhornius.*

5 *Sic Sugambros*] Id accidit Tiberio ipso duce. Vide Dionem lib. LV. in cujus verbis menda, Cantabrique appellantur in Germania, qui revera Sugambri: ut monui olim Antiquar. lect. lib. I. cap. VI. Suetonius: *Suevos & Sugambros dedentes se in Galliam traduxit, & in proximis Rheno agris collocavit.* Eutropius lib. VII. *Tiberius* CCCC. M. *captivorum ex Germania transtulit, & supra ripam Rheni in Gallia collocavit.* Isidorus non obscure indicat hos ipsos esse, qui Burgundiones postea appellati, largiter potuerunt. *Burgundiones*, inquit, *quondam à Romanis subacta interiore Germania per castrorum limites positi à Tiberio Cæsare, in magnam coaluerunt gentem. atque ita nomen ex locis sumpserunt, quia crebra per limites habitacula constituta, Burgos vulgo vocant. Hi postea rebelles effecti Romanis, plusquam* LXXX. ∞. *armatorum ripas Rheni fluminis insederunt, & nomen gentis obtinuerunt.* A quo tamen diversus it Ammianus, qui originem eorum à Romanis trahit: *Gratanter ratione gemina Principis accepta sunt litteræ. prima, quod jam inde temporibus priscis sobolem se esse Romanam Burgundii sciunt: dein, quod salinarum, finiumque caussa Alemanis sæpe jurgabant.* Lipsius.

6 *Romana ultioni consultum est*] Lego *esset.* & Muretus mecum. *Acidalius.* Ita posui, Muretum secutus. Libri omnes *consultum est.* *Pichena.*

7 *Relinqueret materiem Drusi*] M. Seneca I. controv. 8. *Hoc impero reipublicæ causa, tua causa, mea causa. Primum, ut pluribus juvenibus pateat ad virtutem aditus, non debere omnium occasionem fortiter faciendi ab uno occupari; deinde expedire reipublicæ*

imperatorium, & [1] *deportare lauream posset.* Haud cunctatus est ultra Germanicus, quamquam fingi ea, seque per invidiam parto jam decori abstrahi intelligeret. Sub 27
idem tempus è familia Scriboniorum Libo Drusus defertur moliri res novas. Ejus negotii initium, ordinem, finem curatius disseram; quia tum primum reperta sunt, quæ per tot annos rempublicam exedere. Firmius Catus Senator ex intima Libonis amicitia, [2] juvenem improvidum & facilem inanibus, ad [3] Chaldæorum promissa, [4] Magorum sacra, [5] somniorum etiam interpretes impulit: dum [6] *proavum Pompejum, amitam*

blica non videri tantum ex uno pendere. Aurelius.

1 *Deportare lauream posset*] Id est, triumphare. Triumphantes enim ascendere Capitolium soliti, & laurum, quam manu tenebant, quæque in fascibus lictorum, deponere in gremio Jovis: arbitri scilicet victoriæ & auctoris. Plura in EXCURS. D. *Lipsius.*

Deportare lauream] Rectum est deportare. Reportantur, quæ portata fuerant. ut lib. IV. *Serenus Amergum reportatur.* & *legio reportatur*, quæ transvecta fuerat. At *deportatur* laurea, quæ non eo lata: *deportatur* fama, quæ ibi parta. Infra lib. IV. *insignes captivos, cædem ducis, belloque confecti famam deportarat.* Et sic omnes alii. Cicero I. de Offic. *frustra se tertium triumphum deportaturum fuisse.* Mercerus.

2 *Juvenem improvidum*] *Tam stolidum quam nobilem*, Seneca. *Facilem inanibus*, χαῦνον Muretus.

3 *Chaldæorum promissa*] Populi sunt Assyriæ; qui primi putantur excogitasse rationem illam inescandi stultos: qua infatuati etiam hodie plerique, quid cuique eventurum sit, è siderum aspectu posse prænosci putant. Cicero primo de divinat. *Assyrii propter planitiem magnitudinemque regionum, quas incolebant, cum cœlum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, transitiones motusque stellarum observaverunt: quibus notatis, quid cuique significaretur, memoriæ prodiderunt: qua in gente Chaldæi, non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, diuturna observatione siderum scientiam putantur fecisse, ut prædici posset, quid cuique eventurum, & quo quisque fato natus esset.* Proclus lib. 4. in Timæum: Θαυμασιωτάτην δὲ εἶναί φησιν ὁ Θεόφραστος ἐν τοῖς κατ' αὐτὸν χρόνοις τὴν τῶν Χαλδαίων περὶ ταῦτα θεωρίαν, τά τε ἄλλα προλέγουσαν, καὶ τοὺς βίους ἑκάστων, καὶ τοὺς θανάτους· καὶ οὐ κοινὰ μόνον, οἷον χειμῶνας καὶ εὐδίας, ὥσπερ καὶ τὸν ἀστέρα τοῦ Ἑρμοῦ, χειμῶνος μὲν ἐμφανῆ γενόμενον, ψύχη σημαίνειν, καύματα δὲ θέρους ἐὰν ἐκεῖνος ἀποπέμπῃ· πάντα δ' οὖν αὐτοὺς καὶ τὰ ἴδια καὶ τὰ κοινὰ προγινώσκειν ἀπὸ τῶν οὐρανίων, ἐν τῇ περὶ σημείων βίβλῳ φησὶν ἐκεῖνος. Muretus.

4 *Magorum sacra*] Qui fuere in Gallia *Druides*, in India *Gymnosophistæ*, ii apud Persas erant *magi*, portentosæ cujusdam sapientiæ professores: qua opera quædam admirabilia effici, sidera de cœlo deripi, mutari fluminum cursus, mortuorum animas ab inferis elici, morbos aliis immitti, ab aliis depelli mentiebantur. Sparsa est vanitas illa toto pro pe orbe terrarum, eo efficacius, quod ex tribus partibus conflata videbatur, quæ singulæ ad permovendos animos plurimum valent, religione, medicina, futurorum prædictione. Ad inventorem Zoroastren refertur: quem tradit Eudoxus vixisse sex millibus annorum ante mortem Platonis: multis annorum millibus ante divinum Mosen: cui & ipsi opinionem aliquam hujus nefariæ superstitionis affingere homines impudentissimi conati sunt. Ejus discendæ causa Plato & Democritus longinquas admodum peregrinationes susceperunt. De ejus vanitate videndus Plinius cap. 4. lib. 26. & cap. 1. & 1. lib. 30. *Muretus.*

5 *Somniorum etiam interpretes*] Hoc videlicet unum restabat stultitiæ genus, ut è vanis somniorum imaginibus veritatem futurorum quæreremus. Repertor artificii Amphictyon quidam fuisse dicitur. Ac Plato quidem lib. 9. de republ. animos bene compositos multa per quietem providere posse confirmat. Et exstant tum Hippocratis, tum Aristotelis libelli de divinatione per somnium: & Artemidori libri aliquot de interpretatione somniorum: & Aristidæ Hadriani orationes de somniis suis: & Synesii liber ejusdem argumenti, illustratus commentario Nicephori Gregoræ: & apud Suidam versus multi ad interpretationem somniorum pertinentes. Sed mihi quidem probatur Ennius, qui se ait *non nauci habere Marsum augurem, Non haruspices vicanos, non de circo astrologos, Non Isiacos conjectores, somniorum interpretes*, &c. Sed neque talibus impostoribus fatui deerunt. Semper damnabuntur, semper consulentur. Somnia pro somniis habenda sunt. De temperatura corporis nostri è somniis judicari aliquid potest. Alia qui è somniis quærit, vigilans somniat. *Muretus.*

6 *Dum proavum Pompejum*] Ante lucem quærere occepi hoc stemma, & vereor ut concubium noctis sit priusquam pertingam. Cur Liboni huic proavus Pompejus, scio: cur Cæsares consobrini. In Scribonia amita hæreo, quæ ex historiis quidem adstruitur saltem matertera major. nisi placet amitæ nomine abusum Tacitum esse. Si non est: sequitur ut paternum genus etiam (nam de materno constat) huic adolescenti è Scriboniis sit. Et suadet hercle nomen: quia Tacito dicitur, Scribonius Libo Drusus. Censeo L. Scribonio Liboni, qui consul cum M. Antonio fuit, fratrem fuisse alium Scribonium, cujus nepos iste. ita, inquam, ut maritus Pompejæ Scribonius aliquis fuerit.

amitam Scriboniam, quæ quondam Augusti conjunx fuerat, consobrinos Cæsares, plenam imaginibus domum ostentat: hortaturque ad luxum & æs alienum, socius libidinum
28 [1] & necessitatum, quo pluribus indiciis inligaret. Ut satis testium, & [2] qui servi eadem noscerent, reperit, aditum ad principem postulat; demonstrato crimine & reo [3] per Flaccum Vescularium equitem Romanum, cui propior cum Tiberio usus erat. Cæsar indicium haud aspernatus, congressus abnuit: *posse enim, eodem Flacco internuntio, sermones commeare.* Atque interim Libonem [4] ornat prætura, convictibus adhibet, non vultu alienatus, non verbis commotior (adeo iram condiderat) cunctaque ejus dicta factaque [5] cum prohibere posset, scire malebat. donec Junius quidam tentatus ut infernas umbras carminibus eliceret, ad Fulcinium Trionem indicium detulit.

rit. Liquere res nisi ex genesi non potest: quam in EXCVRS. vide E. *Lipsius.*

Amitam Scriboniam] Digna lectu de tota hac re apud Senec. epist. LXXI. *Idem.*

Proavum Pompejum, amitam Scriboniam] Videntur Sex. Pompejus Cn. Magni filius & L. Scribonius Libo a. V. C. 719. consul fuisse consoceri: & Pompejam illius filiam duxit hujus filius L. Scribonius Libo: ex quo conjugio nati L. Scribonius Libo Drusus cum fratre consule anni 769. qui à Dione L. F. appellatur, & Scribonia Crasso Frugi nupta, de qua in libris historiarum. Hinc Drusus Magni pronepos. Aliam genesin edit Lipsius, sed ut videtur, parum firmam. *Rupertus.* Prope temerarium est, in his aliquid audere. Video tamen Scriboniam Augusti etiam Senecæ appellari hujus Drusi *amitam.* Video & Dioni & Appiano Scribonium Libonem consulem anni V. 719. dici socerum Sex. Pompeji. Hujus igitur Scribonii filius si Pompejam duxit, sororis suæ filiam duxit, quæ Romanis non erant justæ nuptiæ. Nec vero Pompejam Sex. F. possum putare, quam cum Fausti liberis conservatam Hirtius, Florus (haud dubie falso) interfectam cum patruelibus è Sulla scribunt. Quod vult Rupertus, etsi alibi Hirtianam Magni, Flori Pompejam Sexti filiam faciat. Utrobique profecto eadem designatur, & Magni filia, Cn. & Sexti soror. Relinquitur, ut suspicemur, si possimus, Sexto aliam fuisse uxorem, ex qua genuerit Pompejam Libonis Drusi matrem, antequam Scriboniam duceret. *Gronovius.*

1 *Et necessitatum*] Solus Ital. 11. *necessitates* non cum aliis pro familiaritate, usu, necessitudine, sed mecum pro *angustiis* videtur accipere, quamquam vix satis efficaci vocabulo, *Spese*, exprimat. Certe res ipsa, si probe consideres, hanc expositionem docet, illas respuit. Neque de vocabuli significatione dubium. Ne longius abeamus, ipse Tacitus 3, 54. *pauperes necessitas in melius mutet.* H. 4, 22. *per licentiam absumpta sunt, quæ adversus necessitates in longum suffecissent.* G. 15. *quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subvenit.* Freinshemius. Immo rectius ille, qui *necessitates* accepit pro sumptibus vel impensis. Et hoc confirmant loca duo posteriora: ut & quæ 1, 11. *vectigalia & necessitates. Angustiæ* autem, quæ vox tantopere placet hic Freinshemio, quid aliud sunt quam egestas, inopia? Quæ sequitur quidem immodicos sumptus, sed non petitur ex destinato neque ad societatem placet. Quam belle igitur, *socius libidinum & egestatis!* Immo prodigentiæ, sumptuum. Proponit ei avitam nobilitatem, ob quam ostendit eum posse ad imperium pervenire: modo se dignum illo præstet munificentia & conviviis gratiam quærendo, (eo efficacioribus, quod ab hac ambitione remotus esset triparcus Tiberius) nec parceret pecuniæ, vel si mutuandum gravibus sub usuris esset quod donaretur: (sic enim & Julius auctor dominationis fecerat:) utque ostenderet sese adjutorem consilii, quod dederat, ipse, quasi pro Libone laborans, similiter faciebat, luxuriosus & damnosus; revera, ut plures conscii fierent temerariæ ambitionis, per quos Libonem convinceret. *Gronovius.*

2 *Qui servi eadem noscerent reperit*] Nam & servi deferentes dominos in crimine majestatis audiuntur. l. *Famos.* D. ad L. Jul. Majest. quamvis alioqui testimonii dictionem non habeant. Terent. in in Phor. & vix adversus dominos audiantur. L. *Vix certis.* D. de judiciis. *Muretus.* Lego *reperti.* Sum Sponsor ad hanc rem: & pro pignore cape veritatem ipsam, qua nihil pretiosius. *Aurelius.* Credo scriptum fuisse: *qui servi eadem noscerent, reperti.* quomodo hoc ipso libro 62. *negotiatores reperti,* & 6, 33. *repertique corruptores.* Freinshemius.

3 *Per Flaccum Vescularium*] Qui tamen infra lib. V. est, Vescularius Atticus insidiarum in Libonem internuncius. *Lipsius.*

4 *Ornat pratura*] Horatius: *Eutrapelus cuicumque nocere volebat, Vestimenta dabat pretiosa.* Ista sævitiæ velamenta objicit Domitiano Suetonius, ut noster Neroni. *Aurelius.*

5 *Cum prohibere posset, scire malebat*] Nam mali principes aucta eorum scelera cupiunt, quos cupiunt funditus eversos: crudelium que est malle dissimulatis aliquamdiu & sic crescentibus sceleribus, tandem atrociter punire, quam in tempore prævenire atrocioris pœnæ necessitatem. Sed & crediderim hac dissimulatione aliquandiu usum Tiberium, rerum omnium destinationumque Libonis jam gnarum, ut interea eos deprehenderet, qui se impiis

lit. celebre inter accusatores Trionis ingenium erat, [1] avidumque famæ malæ. Sta-
tim corripit reum, adit consules, [2] cognitionem senatus poscit: [3] & vocantur patres,
addito, *consultandum super re magna & atroci*. Libo interim [4] veste mutata, cum 29
primoribus feminis circumire domos, orare adfines, [5] vocem adversum pericula po-
scere: abnuentibus cunctis, cum diversa prætenderent, [6] eadem formidine. die sena-
tus metu & ægritudine fessus, sive, ut tradidere quidam, [7] simulato morbo, [8] le-
ctica delatus ad fores curiæ, [9] innisusque fratri, & manus ac supplices voces ad Ti-
berium tendens, immoto ejus vultu excipitur. mox [10] libellos & auctores recitat
Cæsar, ita moderans, ne lenire, neve asperare crimina videretur. Accesserant præ- 30
ter Trionem & Catum accusatores, Fontejus Agrippa, [11] & C. Livius, [12] certabant-
que

impiis aut stolidis potius hujus consiliis forte essent illigaturi. *Boxhornius.*

1 *Avidumque famæ malæ*] Accepit nonnemo, quasi dictum foret, *avidum sermonum*, ut infra 13, 6. *in urbe sermonum avida*. Sed longe diversus hic sensus, idem nimirum, qui in his 11, 27. *Nomen tamen matrimonii concupivit, ob magnitudinem infamiæ, cujus apud prodigos novissima voluptas est.* Freinshemius.]

2 *Senatus cognitionem poscit*] Non senatum, ut nonnulli. aliud hoc. neque enim continuo, qui *cognitionem senatus* poscit, idem etiam senatum haberi vocarique. quamquam hic pro rei atrocitate utrumque fortassis factum, neque legitimus senatus exspectatus, sed extra ordinem indictus fuerit. *Idem.* Quem ordinem cur sic invito Tacito imperaverit Beroaldus, non intelligo, quum in vetere sit *cognitionem senatus poscit*, prout nunc edidi. *Jac. Gronovius.*

3 *Et vocantur Patres*] Faernus legebat: *senatus cognitionem poscit. advocantur Patres.* Ursinus.

4 *Veste mutata*] Cultus supplicis hic est, qualis lib. 43. Livii, ubi principes civitatis in conspectu populi *annulis aureis positis vestem mutarunt*, ut supplices plebem circumirent. Mutatur autem vestis candida in obsoletam & sordidam. Neque sine causa vestem sordidam in publico habere capillumve summittere licuit: qua de re Venuleji scriptum superest ex lib. 2. publicorum D. injuriis: & censorum olim ea de re cognitio & severitas in M. Livium exstat apud Titum lib. 27. Sane delatos receptosque reos capillum & barbam promittere, vestemque solitos demutare, testimoniis receptissimis fidem faciunt Agellius 3, 4. Plinius ad Suram 7. epistolarum & M Seneca lib. 9. decl. 4. *Vertranius.*

5 *Vocem adversus pericula*] Supplicem scilicet. nam supplicatio emollit iras. *Aurelius.* Fuit etiam qui intellexit, ut quum in senatu sententiam dicerent, ipsius in favorem loquerentur, quod falsum puto. nam sequentia satis aperte declarant, quæsitos à Libone advocatos ac patronos, qui *voce*, i. oratione causam ejus defenderent, intercederentve pro eo ac deprecarentur. Hoc sensu *vox* apud Ciceronem pro P. Sextio: *conciones haberi quotidie contra me, vocem pro me ac republica neminem mittere.* Freinshemius.

6 *Eadem formidine*] Omnes enim timebant Principis offensam. *Lipsius.*

7 *Simulato morbo*] Verum fuisse morbum scribit Dio, additque letalem, nec Tiberium ausum sanum & valentem Libonem aggredi, sed in ægrum & viribus fractum insiluisse. Quod faciunt timidiores. *Aurelius.*

8 *Lectica delatus*] Quod receptum in solis ægris. Nam lecticæ quamquam jam vulgatæ, tamen spernebantur adhuc à Curiæ aditu. Sueton. de Tiberio: *Numquam curiam nisi solus intravit: lectica quondam introlatus æger comites à se removit.* Lipsius.

9 *Innisusque fratri*] Puto L. Scribonio Liboni, qui hoc anno consul. *Idem.*

10 *Libellos & auctores*] Libellos enim dabant, qui alium deferebant, sua manu subscriptos, aut pro eis ab aliis, si forte ipsi literas nescirent. L. *Libellorum.* D. de accusat. & inscript. *Muretus.* Libellos, in quibus erant accusationis capita, quæ apud acta deponebantur, & nomina *auctorum*, id est, accusatorum, manu eorum scripta l. 2. D. de accus. nam accusatorem certum esse oportuit, in quem accusationis probata calumnia cuderetur. *Aurelius.*

11 *Et C. Livius*] Nescio an, *Cluvius*. Lipsius.

Et C. Livius] Cum deinceps non recurrat *Livius* iste, & recenseat Tacitus inter Libonis accusatores *Q. Vibium Serenum* lib. 4, 29. suspicor restituendum: *& Q. Vibius*. Nimirum degeneravit nomen ignotum in multo notius: quod non semel accidisse ostenderem pluribus, si concinnarem commentaria. *Gruterus.* Mihi videtur hic sermo esse de eo ipso *C. Vibio* Sereno, qui postea procos. Hispaniæ in insulam deportatus, 4, 13. deinde à proprio filio accusatus est, instigante Tiberio, nec occultante *vetus odium adversus exsulem Serenum: nam post damnatum Libonem, missis ad Cæsarem litteris, exprobraverat, suum tantum studium sine fructu fuisse* 4, 29. Freinshemius. Lege, *Q. Vibius:* & mox iterum, *donec Vibius*. Infra annal. 4. ita diserte nominatur, & post damnatum Libonem questus dicitur *suum tantum studium sine fructu fuisse*. Non debuit ergo in hac historia omitti. *Grotius.*

12 *Certabantque cui jus*] Hoc genus judicii *divi-*

que cui jus perorandi in reum daretur: donec Livius, quia nec ipsi inter se concederent, & Libo sine patrono introisset, [1] singillatim se crimina objecturum professus, protulit libellos [2] vecordes adeo, ut consultaverit Libo, *an habiturus foret opes*, [3] *quis viam Appiam Brundisium usque pecunia operiret*. inerant & alia hujuscemodi, stolida, vana; si mollius acciperes, miseranda. Uni tamen libello manu Libonis, nominibus Cæsarum aut senatorum, additas [4] atroces vel occultas notas, accusator arguebat. Negante reo, adgnoscentes servos per tormenta interrogari placuit. Et quia [5] vetere senatusconsulto quæstio in caput domini [6] prohibebatur, callidus & [7] novi juris

nationem vocabant. *Asconius. Muretus.*

1 *Singillatim se crimina*] Idem fecit Cicero in Verrem, & ita conatus Hortensii elusit. *Muretus.*

2 *Vecordes adeo*] Hoc vitio Libonem non absolvo. Vereor tamen, ne Tacito hic exciderit, quale Floro, cum τέχνασμα Tarquinii eminentia paverum capita demetentis *superbiam* vocavit. Speciem stultitiæ obtendi agnosco: sed sub ea rem atrocem velatam diffiteri nequeo. Nec tam stolida quam perplexantis ea oratio videtur, qui rogare aperte non auderet, an majorem habiturus esset, quam quisquam privatorum: ad quantam accederet forsan nemo, propinquius tamen nemo accederet Principe: denique an principatu potiturus esset. Omnis superlatio, quam vocant rhetores, exprimit, quod fieri non quit, ut quod summum veri est, intelligamus. Darius pecuniam deferebat Alexandro *quantam tota Macedonia caperet*. Et solent in consultationibus istis perplexim loqui, dum vanum è re in dubios exitus veniæ patrocinium præparant, qui spei vetitæ indulgent. Sic iste patrum nostrorum memoria consulebat, an in capitato argento suam faciem quandoque visurus esset. *Gronovius.*

3 *Quis viam Appiam*] Non temere de via Appia consultavit vanum caput, quia ea inter Romanas vias longissima, & quasi regina, ut ait Statius:

> - - - *qua limite noto*
> *Appia longarum teritur regina viarum.*

Sed pertinuitne ea Brundisium usque? Negat Frontinus de Aquæductibus, qui ultra Capuam non porrigit. *Appia aqua*, inquit, *inducta est ab Ap. Claudio Censore. qui & viam Appiam à porta Capena usque ad urbem Capuam muniendam curavit*. Adfirmat tamen hic Tacitus, & Strabo, prolixe lib. v. & vi. & Horatius:

> *Brundisium melius Numici via ducat, an Appi.*

aliique. Omnes bene. Nam Appius ipse non hercle ultra Capuam perduxit. ne potuit quidem, ut fines tunc erant imperii Romani. perduxit postea sive C. Gracchus tribunus, qui plerasque vias fecit, refecit; sive C. Cæsar, qui curator viæ Appiæ non leviter in eam impendit: sive Augustus: de quo inscriptiones priscæ, S. P. Q. R. QVOD. VIÆ. MVNITÆ SVNT. Nam certum aliquid non alii, non ego inveni. *Lipsius.*

Viam Appiam] Via Appia à porta Capena, quæ nunc S. Sebastiani dicitur, Brundisium usque ducebat. *Horatius. Muretus.*

4 *Atroces vel occultas*] Quæ ad mortem eorum pertinerent, aut cædem. *Lipsius.*

5 *Vetere Senatusconsulto*] Quando & à quo latum id SC. quæro? Sane antiquum est, & Cicero referre videtur ad morem majorum potius, quam ad legem. *Nam cum more majorum de servis in dominum ne tormentis quidem quæri liceat: exortus est servus, qui quem in eculeo appellare non posset, eum accuset solutus.* Idem: *Majores nostri in dominum de servo quæri noluerunt, non quia non posset verum inveniri, sed quia videbatur indignum esse, & domino morte ipsa tristius.* Derogatum ei legi antiquitus, in caussa incesti. Pro Milone: *De servis nulla lege quæstio est in dominum, nisi de incestis, ut fuit in Clodium.* Jurisconsulti excipiunt etiam adulterii crimen, fraudati census, & majestatis. l. 1. C. de quæstionibus. *Lipsius.*

Vetere SC.] Quod hic Senatusconsulto tribuit, Cicero Partitione, Institutis & ea pro Dejotaro *moribus majorum* tribuit. Nobis amplius patere nihil potest. *Vertranius.*

6 *Prohibebatur*] Causa erat, quia, ut Cato dicere solebat, *quot servi, tot hostes*. Macrobius I. Saturnal. cap. 11. *Muretus.*

7 *Novi juris repertor Tiberius*] Imo infamia hujus inventi penes Augustum: erratque noster, si non errat Dio libro LV. Ὅτι δὲ οὐκ ἐξῆν δοῦλον κατὰ δεσπότου βασανισθῆναι, ἐκέλευσεν ὁσάκις ἂν χρεία τοιούτου τινὸς γίγνηται, τῷ δημοσίῳ αὐτόν, ἢ καὶ ἑαυτῷ πιπράσκεσθαι, ὅπως ἀλλότριος τοῦ κρινομένου ὢν ἐξετάζηται, οἱ μὲν ᾐτιῶντο, ὅτι ὁ νόμος τῇ τοῦ δεσπότου μεταλλαγῇ καταλύεσθαι ἔμελλεν: *Quod vero cum non liceret servum in caput domini torqueri, jussit ut quoties ejus rei usus esset, vendi servum vel Actori publico, vel sibi ipsi Principi: ut jam quasi alienus à reo examinari posset: id sane nonnulli criminati sunt, quasi legem ea domini mutatione dissolveret.* Lipsius.

Novi juris repertor] Vanissimum Tiberii illud εὕρημα fuit, quo servos privatorum publico actori tradi jussit: dum enim veretur, ne SC. offendat, callidus (si diis placet) in jus gentile committit, quo dominium, quod obtigit, quemque tenere fas est. At ex hoc novo Tiberii invento nolenti domino sua res eripitur: quo mihi non *repertor novi juris*, sed assertor veteris injuriæ videtur, cujus usum sub Augusto prodidit. Dio libro LV. Quid enim fuit, cur potius jus singulare non introduxit, quo servi vel

juris repertor Tiberius [1] mancipari singulos [2] actori publico jubet: [3] scilicet ut in Libonem ex servis salvo senatusconsulto quæreretur. Ob quæ [4] posterum diem reus petivit. domumque digressus extremas preces [5] P. Quirino propinquo suo ad principem

vel in dominos torquerentur, ubi de crimine majestatis actum, quod ad personas principum attinuisset? Utique sequentes principes id non latuit, I D de quæstionibus. Ea certe sine ullo mancipationis circuitu expeditior & planior fuisset via. *Vertranius.* Non vanissimum hoc debet dici, quoniam sævitia inde corripuit, quidquid voluit, eique satisfactum est. Sed non jus illud poterat vocari, quam potius tyrannica impotentia ad perdendam sanctitatem legum, non ad eas conservandas ut sapienter statuit Vir Doctissimus & primarius nostro ævn juris interpres meusque quod glorior per multos annos Collega & amicus Ger. Noodt in elaboratissimo Probabilium scripto 3, 12. *Jac. Gronovius.*

1 *Mancipari*] Addici. *Ferretus.* Pro composito simplex, ut libro 2. histor. *luxui & sagina mancipatus emptusque.* Igitur emancipatione publicus servus traditos à delato reo privatos accepit, non ut Æmilio placebat, addictione, quæ à judice causa cognita decernitur. *Vertranius.* *Mancipatio* genus alienationis, quod fiebat libripende & quinque testibus præsentibus. Ulpianus libro 19. Boethius in Topica. *Muretus.*

2 *Actori publico*] Mancipari, mancupio tradi: πιπράσκεσθαι, sive vendi, dixit Dio. Supra: *Hortisque venditis statuam Augusti simul mancipasset.* Libro III. *Servos quoque Silani, ut tormentis interrogarentur, actor publicus mancipio acceperat.* Sed quis publicus actor? non alius, quam publicus sive servus sive libertus: proprio tamen munere, qui res rationesque Reip. administrabat. Plura in EXCURS. F. *Lipsius.*

Actori publico] Servus erat publicus, qui publicis tabulis publicisque rebus præponebatur: itaque alibi *servus publicus*, alibi *actor publicus*, alibi *persona publica* appellatur. *Ferretus.* Ofidii Antiochum *servum actorem* l. XCVII. D. leg. III. invenio, ex quo actor publicus servus quoque videtur; qui actis præpositus decreta magistratuum & quæ ad judicia pertinerent, excipiebat, &, ut ajunt, in acta referebat. Unde est, quod apud Marcellum *cavet quis servo publico se alii restituturum*, XVIII. D. de adoptionib. & idem apud Ulpianum *pro absente apud Prætorem stipulatur*, 11, 12. Rem pupilli salvam fore. Ideo vero servo munus illud mandatum, quia jure civili libera persona alteri acquirere nihil potuit. Servus igitur reipubl. adhibendus fuit, qui sicut Communis nomine stipulatus ei acquireret obligationem, teste Julio Paulo XL. de usuris, ita singulorum nomine stipulatus singulis quærere posset, qui ex parte domini magis, quam essent, viderentur. Cornelius histor. 1. *servum publicum* æditum facere videtur. Ut & Livius custodes refert in atrio Libertatis, *signatis* à Censoribus *tabellis publicis, clausoque tabulario dimissos servos publicos* libro XLIII. Agellius quoque XIII. cap. XIII. ædilium stipatores *servos publicos* ait. Ut liceat ex his suspicari, sicut in privatorum familiis, ita servos publicos Po. Romani traditos ministeriis diversis fuisse. *Vertranius.* *Actores*, i. διοικητὰς, συνδίκους, reipubl. olim servos fuisse, constat ex tit. qui exstat lib. XI. Cod. Ne quis liber invitus actum gerere cogatur. *Mureius.* *Actores* fuisse veteribus inter præcipuos servorum notius est, quam ut probatione egeat. Ejus officium optime exponitur his verbis Rabani Mauri de instit. cleric. 1, 10. *Actor prudens & bonus scit, quis sit domini sui census & omnis substantiæ modus, & redigit apud se totius possessionis instrumenta originalia.* Hinc apparet etymon nominis, ut constet *Actorem* appellatum, quia quod in re familiari domini curandum agendumque erat, ipse exsequeretur. Græcis, ut in l. 41. §. 4. de fideic. libert. πραγματευτὴς erat, non ob dissimilem causam. Jam ut singuli, ita etiam respublicæ servos suos habuerunt: unde toties apud JC. aliosque *servorum publicorum* occurrit mentio. Inter hos etiam actores fuisse ratio dictat, præsertim exemplis confirmantibus. Sic *actor municipii* in l. 12. Ut in possess. legat. Sed quid acta agimus? Pridem hæc aliaque multa observavit vir summus Barn. Brissonius in lexico, ubi notandum, principibus etiam suos fuisse actores, unde *Actores dominicos, rei dominicæ, rei privatæ* ibidem leges. Idem indicavit locum Plinii epist. 7, 18. ex quo reperio municipalem etiam *actorem* appellatum *publicum: pro quingentis millibus nummum, agrum ex meis longe pluris,* (ita distingui debet) *actori publico mancipavi.* Talis igitur hic actor publicus urbis Romæ, cui quum servi Libonis mancipio dati essent, publici facti sunt. atque ita in Libonem, jam non amplius dominum suum, torqueri potuerunt. *Freinshemius.*

3 *Scilicet ut in Libonem*] Hinc optime intelligi potest, id quod tradetur in l. Contra legem cum l. seq. D. de legibus. Tale est, quod de Tiberio Suetonius tradit; *Immatura puella, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiata prius à carnifice, dein strangulata.* Quod in Sejani filiola factum narrat Tacitus li. 5. *Muretus.*

4 *Posterum diem*] Comperendinati rei prope pro damnatis habebantur. Comperendinationem enim ii fere tantum petebant, qui aut exsilio aut morte voluntaria prævenire condemnationem volebant. Si enim ita se purgaverat reus, ut omnia quæ sibi objecta erant, diluisse videretur, statim absolvebatur. Comperendinabatur, cum satis munita defensio non erat. *Idem.*

5 *P. Quirinio propinquo suo*] Est P. Sulpicius Quirinius,

31 pem mandavit. responsum est, *ut senatum rogaret*. Cingebatur interim [1] milite do-
mus; [2] strepebant etiam in vestibulo, ut audiri, ut aspici possent: cum Libo, ipsis,
quas [3] in novissimam voluptatem adhibuerat, epulis excruciatus, vocare percusso-
rem, prensare servorum dextras, inserere gladium. atque illis, dum trepidant, dum
refugiunt, evertentibus adpositum mensa lumen, feralibus jam sibi tenebris duos
ictus in viscera direxit. Ad gemitum conlabentis, adcurrere liberti, & cæde visa
miles [4] abstitit. Accusatio tamen apud patres adseveratione eadem peracta, juravit-
que Tiberius, *petiturum se vitam quamvis nocenti*, *nisi voluntariam mortem properavis-*
32 *set*. Bona inter accusatores dividuntur: & [5] præturæ extra ordinem datæ, his qui
senatorii ordinis erant. [6] Tunc Cotta Messallinus, *ne imago Libonis exequias postero-*
rum

rinius, qui Æmiliam Lepidam habuit uxorem. unde adfinitas. Nam ipse ignobilis. *Lipsius.* Cæterum & MS. unicus & prima inde Beroaldi editio cum Aldina aliisque habent *P. Quirino*, de quo etiam notavit Cl. Ryckius, etsi non bene Sulpicium Quirinum, quo nomine plures exstiterunt, quum hic P. Quirinus potuerit fuisse optimo jure natus in urbe Roma & civis ingenuus, cujuscunque etiam familiæ, quam tegit Tacitus, nec nos valemus eum conjectura monstrare, quum iste Sulpicius Quirinius 3, 48. fit ex Lanuvino. Ex certa igitur notitia ipsius unici MS. repono, quod debui. *Jac. Gronov.*

1 *Milite domus*] Qui necessitatem ostenderent, & sponte aut vi pereundum. *Lipsius.*

2 *Strepebant etiam in vestibulo*] Editi *strepebantque etiam*. Ego MSS. auctoritate copulam expunxi. *Pichena.* *Vestibulum* est spatium ante januam domus vacuum inter viam publicam atque ipsas ædes. quod quamquam extra ædes esset, tamen quodammodo pro parte earum accipiebatur. Vide Baldum in verbis Vitruvianis. Multum itaque hæc distant *in vestibulo* & *ante fores*. nam *ante fores* esse dicuntur, qui proximi sunt foribus: at *in vestibulo* esse potest, qui à foribus satis longe remotus est. Et hoc posteriore modo accipienda sunt Taciti verba, non priori. *Freinshemius.* Velim, *strepebantque jam in v.* Gronovius. Mirum unde ista mutatio, quum Beroaldus religiose ediderit, ut Pichena jactat se nunc facere *strepebant etiam*. Jac. Gronovius.

3 *In novissimam voluptatem*] Sic Livius facit Vibium & XXVII. senatores Campanos lautis epulis exsatiatos & temulentos venenum hausisse. Sic noster Asiaticum in extrema vitæ linea, lauto corpore, hilare epulatum ait & sibi vitam ademisse. Sic Jubam regem Maurorum & Petrejum magnifice epulatos, dein mutuis vulneribus tradunt se confecisse. Sic Florus Cantabros ferro venenoque inter epulas se trucidasse. Scholiastes Juvenalis in Sat. 6. *Pontia P. Petronii filia, quam Nero convictam in crimine conjurationis damnavit, defuncto marito filios suos veneno necasse convicta, cum largis se epulis onerasset & veneno* (quid si *vino* legas) *venis incisis saltans, quo maxime studio oblectabatur, exstincta est.* Aurelius.

4 *Abstitit*] Hoc etiam est eorum, qui editionem post Beroaldum ex arbitrio suo finxerunt. Nam & ille & adhuc Aldina editio anno 1534. & MS. unicus habet *adstitit*, quasi quum ante vivo adhuc Libone urgeret ac propius afferre illi vim ac necessitatem pergeret, nunc post cædem propria manu illatam quietus maneret loco, donec ab præfecto abduceretur. Rhenanus *astitit*, ut videas lusisse. *Jac. Gronovius.*

5 *Prætura extra ordinem*] An supra numerum eos Prætores adjectos vult? certe enim unius prætura tantum vacabat. An potius, in annum proximum destinatos eos, extra sortem aleamque comitiorum? *Lipsius.*

Prætura] Res ita habet. Gliscente adulatione majestatis accusatio sævissime peragebatur, ita quidem ut etiam indicibus aut accusatoribus ob damnatos reos præmia decernerentur: quo videlicet & ipsi pietatis suæ in principem fructum caperent, & alii eorum honoribus ad custodiendam vindicandamque illius majestatem excitarentur. Fuerunt autem duplicia hæc præmia, pecuniæ & honores. utriusque apud nostrum plura exempla; sed prætermissis illis, 3, 19. Pisonis accusatoribus, aliis *sacerdotia*, uni *suffragium ad honores* promittuntur: 11, 4. *insignia prætura Crispino decreta* 11, 38. decreta Narcisso *quæstoria insignia*. 15, 72. *triumphale decus Petronio, Nervæ, Tigellino tribuit*; consularia insignia Nymphidio. Pertinet huc locus H. 4, 41. *Neque se præmium aut honorem ex calamitate civium cepisse.* Sic igitur *his qui senatorii ordinis erant*, hoc loco *prætura data*, non in locum Libonis, quomodo enim uni plures sufficerentur? sed in annum sequentem: gesta enim hæc videntur sub tempus comitiorum habendorum, ut apparebit sequentia capita diligenter excutienti. ex quibus 6 ac 30 hoc etiam argumentum suppeditat, quod ibi tractari videmus de comitiis, quorum haud dubie tempus admonebat, deque iis agendi occasionem subjiciebat. *Præturas extra ordinem* interpretor extra comitiorum ordinem, Principis suffragio tribuendas: de quibus etiam capio locum supra relatum ex 3, 19. de quo in tempore dicemus. Sermo autem hic est Tacito non de aliis senatoribus, quam qui inter accusatores Libonis fuerant. *Freinshemius.*

6 *Tunc Cotta Messallinus*] Cotta hic inter notas
&

rum comitaretur, censuit: Cn. Lentulus, *ne quis Scribonius cognomentum Drusi adsumeret*: *supplicationum dies* Pomponii Flacci sententia constituti. [1] *ut dona Jovi, Marti, Concordiæ, utque Iduum Septembrium dies quo se Libo interfecerat, dies festus haberetur*, [2] L. P. & Gallus Asinius, & Papius Mutilus, & L. Apronius decrevere: quorum auctoritates, adulationesque retuli, ut sciretur vetus id in republica malum. [3] Facta & de mathematicis magisque Italia pellendis senatus consulta; quorum è numero, L. Pituanius [4] saxo dejectus est: In P. Marcium consules [5] extra portam Exquilinam, cum

& vibices ejus fecli, filius, ut Plinius ait libro 10. cap. 22. Messallæ oratoris: patris optimi degener proles. De imaginibus in funere, deque hoc interdicto, non repeto ea quæ scripsi in Electis cap. XXIX. Sic Bruti & Cassii imagines abolitæ, infra libro III. *Viginti clarissimarum familiarum imagines antelatæ sunt, Manlii, Quinctii, aliaque ejusdem nobilitatis nomina? sed præfulgebant Cassius atque Brutus hoc ipso, quod effigies eorum non visebantur.* Lipsius. In codice tamen MS. est *Messalinus*, ut editum ab Beroaldo. Et Messalini & Messalæ nomina possunt forsan produci ex variis monimentis. Sed unicum Taciti nostri monimentum est codex MS. Mediceus, quem nihil supergreditur. In eo scias semper scribi ista per unum l. ut. 6, 11. 13, 43. Id debui nunc profiteri, & ex ista citatione colliges sibi invicem consentire ista duo exemplaria.

1 *Ut dona Jovi, Marti*] Delenda *Ut* particula. decreverunt dona Jovi, & decreverunt, ut Id. Septembr. dies festus haberetur. *Freinshemius.*

2 *L. P. & Gallus Asinius*] Vereor ut elapsum exscriptori sit aliquod nomen. Divinabam olim. *L. Pætus, Gallus Asinius.* Pætos sane illo ævo in Senatu fuisse, docet liber XV. ubi Cæsonius Pætus. Quid si etiam, *L. P. & Gallus Asinii?* ut prænominibus distinguat plures ejus gentis. Nam Asinii aliquot Senatores, imo consulares, uti infra dicam. *Lipsius.*

L. P. & Gallus Asinius] Lego *Lucius Pætus & Gallus Asinius.* Ut duo sint tantum non tres. *Aurelius.* Non tres sed duo tantum fuisse videntur, neque ambo Asinii, sed distinguendum, *L. Publius, Gallus Asinius* &c. ut tamen adhuc pro *Publio* aliud nomen gentis substituendum arbitrer. quod mihi quidem jam non succurrit: nisi forte *L. Paullum*, quo consule mortuus est Augustus; aut *L. Plancum*, cujus in superiori libro mentio, substituamus. Quod tamen sine firmioribus indiciis conjecturisque nequaquam fecerimus. *Freinshemius.* Fortasse, *L. Piso & Gallus Asinius.* Gronovius. Sic quod meminisse potes, processit & alter a quo prætenditur primo *L. Publius*, deinde *L. Publicius.* Mihi non placet literam c huc arcessi, sed scriptor videtur deceptus temerario & festino jactu oculi existimasse nihil hic scribi nisi *Publius*, quum integrum foret *Publius.* Tu elige: nam nec ipsum majoris fidei aut pretii, quam sunt reliqua. *Jac. Gronov.*

3 *Facta & de Mathematicis*] Immo repetita potius. Nam veteri lege edictoque, pridem amota à rep. illa pestis. Adde quæ in Excurs. *G.* Lipsius.

Mathematicos] Sciendum *Mathematicorum* cognomentum imperatorum tempore, per imperitiam vulgi, & imprudentiam impostorum, qui magnifico & venerabili hoc nomine vanitatem artis suæ tegebant, ad Chaldæos sive Apotelesmaticos fuisse deductum. Agellius I. 9. *Geometriam, Gnomonicam, Musicam ceterasque item disciplinas altiores μαθήματα veteres Græci appellabant. vulgus autem quos gentilicio vocabulo Chaldæos dicere oportet, mathematicos dicit.* Freinshemius.

4 *Saxo dejectus est*] Tarpejo. ita dicebant, sine alia additione. Plautus:

Qui in amore, (malim *amorem*) *præcipitavit, pejus perit, quam si saxo saliat.* Lucretius;

——— *scelerisque luela Carcer, & horribilis de saxo jactus deorsum.* Lipsius.

Saxo dejectus est] Vetus id & vulgare supplicium apud Romanos Dionysius ait, libro 8. quo ducti in eminentem foro tumulum, ibi vasta rupe dejiciebantur, cujus erat altitudo, etiam secure aspicientibus horrenda, testibus eodem libro 8. & Seneca; Declamat. libro I. illo respicit Plautus Trinummo. & Lucretius libro 3. Sane Eleorum lex de saxo Tipæo fœminas dejici jussit, quæ ad Olympicos ludos penetrassent, quæve Alphæum, quibus erat eis interdictum diebus, omnino transmisissent, ut habet Pausanias Eliacorum priore. Cujus legis ad exemplum XII. tab. lex habuit *Falsus testis Tarpejo dejicitor.* Sunt autem eo maxime veteres usi supplicio, quamdiu sanguine civium puras manus abstinuerunt: at ubi pro libidine dominantium insontes cædi, vel nocentes plecti cœperunt, in nova republica, legibus actum est nobis. Ideoque jam interpretatione prudentum non potest quis sic damnari, ut de saxo præcipitetur, auctore Modestino lib. XXV. D. de pœnis. *Vertranius.*

5 *Extra portam Exquilinam*] Supplicia pleraque apud Romanos sumi solita extra portas. credo. ne frequenti sanguine & cæde, contaminari oculi civium, aut delibari videretur libertas. Exempla in Excurs. *H.* Lipsius.

Portam Exquilinam] Nunc *Porta Major* vocatur. *Muretus.* Magna agitatur quæstio inter antiquarios, an *porta Sancti Laurentii*, quæ proxima est Viminali, olim Esquilina fuerit. Quidam affirmant: alii Tiburtinam hanc nominant: alii Næviæ sequenti, vulgo Majori, Esquilinæ nomen attribuunt. Me Livii auctoritas cogit, Dionysii, Stra-

33 cum [1] classicum canere jussissent, [2] more prisco advertere. Proximo senatus die multa in luxum civitatis dicta à Q. Haterio consulari, Octavio Frontone [3] prætura functo: decretumque [4] *ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent*; [5] *ne vestis serica viros fœdaret*. Excessit Fronto, ac postulavit [6] *modum argento, suppellectili, familiæ*. [7] Erat quippe adhuc frequens senatoribus, si quid è republica crederent, loco sententiæ promere. Contra Gallus Asinius disseruit: *Auctu imperii adolevisse etiam privatas opes; idque non novum, sed è vetustissimis moribus.* [8] *aliam apud Fabricios,* [1] *aliam*

Strabonis, ut Esquilinam appellem: nec quemquam priscorum invenio, ut Marlianus, Tiburtinam nominasse. *Al. Donatus.*

1 *Classicum canere*] Non cuilibet è plebe doctorum notus mos. Cum civi rei capitalis dies dicta esset, classicum in celeberrimis urbis locis canebat, & postremo ante januam damnati. Plutarchus in Gracchis: Καίτοι πάτριόν ἐστιν ἡμῖν, εἴ τις ἔχων δίκην θανατικὴν μὴ ὑπακούοι, τούτου πρὸς τὰς θύρας ἕωθεν ἐλθόντα σαλπιγκτὴν ἀνακαλεῖσθαι τῇ σάλπιγγι, καὶ μὴ πρότερον ἐπιφέρειν ψῆφον αὐτῷ τοὺς δικαστάς. *Patrius nobis mos est, siquis capitis accusatur, neque obaudit, ad ejus fores mane tubicinem ire, & classicum canere, nec ante judices sententiam de eo ferre.* Seneca libro I. de Ira: *Itaque etsi perversa induenda magistratui vestis, & convocanda classico concio est, procedam in tribunal non furens nec infestus, sed vultu legis, & illa solennia verba gravi magis quam rabida voce concipiam.* In Commentario M. Sergii apud Varronem, libro v. de LL. *Quo die comitia erunt, in arce classicum canat, eudo* (sic emendo) *circumque mœros, & ante privati hujusce T. Quinctii Trogi scelerosi hominis hosticum* (leg. est, *hostium*) *canat, & ut in campo cum primo luci adsit.* Seneca iterum huc respexit Epist. XVII. *Cum classicum cecinit, scit non se peti: cum aliqua conclamatio est, quomodo exeat, non quid efferat, quærit.* Puto & Lucilius, hoc versu Trochaico:

Rauco concionem sonitu & curvis cogant cornibus.

Nec Romæ solum & inter cives servatus ille mos: sed etiam in provinciis, nisi fallunt me Declamatores (& hercle vereor ut animi ingeniique caussa fallant) apud Senecam patrem libro IX. Controv. II. de Flaminio qui inter cœnam noxium punivit. Capito: *Fit à præcone silentium: adhibentur deinde legitima verba: canitur ex altera parte classicum.* Cassius Severus: *Si tribunal conscenderit convivali veste: si cum classicum canere debeat, symphoniam canere jusserit.* Lipsius.

2 *More prisco*] Supplicium prisci moris quale, pete à me in libro XV. *Idem.*

More prisco advertere] Ut eum infelici arbori alligatum virgis cædi, & postremo securi percuti juberent. libro 5. *placitum posthac, ut in reliquos Sejani liberos adverteretur.* Muretus.

3 *Prætura functo*] Non temere dictum puto Tacito *Prætura functus*: nam inter hunc & *prætorium*, illis quidem temporibus, nonnihil interfuisse deprehendo. quapropter frequentissime sic loquitur auctor, ut *functus consulatu*, 1, 39. *prætura*, 2, 67. 3, 31. 5, 8. & alibi: quod genus loquendi, an in vetustioribus reperiatur, ambigo. Plane enim ortum puto sub principibus, quum jam insignia magistratuum ornamentaque, puta consularia, prætoria, quæstoria &c. beneficio principis tribui obtinuisset: quum hi qui ea consequuti fuerant, consulares, prætorii &c. videri vellent, neque minus ceteri aliqua appellatione hos præminere niterentur. sicut etiam Dio à veris consularibusatque prætoriis distinguere videtur hos repentinos & factitios, τούς γε δοκοῦντας ὑπατευκέναι, ἢ ἐστρατηγηκέναι *qui consulatu aut prætura functi videbantur:* hoc est, habebantur eodem loco, quo ii qui magistratus eos gessissent. Interim *prætorii* vocabulo vetus etiam significatio mansit, ut iis quoque tribueretur, qui revera magistratu functi erant, neque minus tamen interdum in speciem transiret, ac *prætura functis* opponeretur. sicut *adoptionis* vocem, aliasque hoc genus, modo generis, modo speciei appellationem esse constat. Sic etiam *triumphalis senex* appellatur Vespasianus Histor. 4, 8. quum nondum triumphasset, sed tantum triumphalia adeptus fuisset sub Claudio, ut Sueton. Vespasian. cap. 4. retulit. Atque hoc sensu videntur apud eundem Sueton. Neron. cap. 30. accipi posse *triumphalium virorum patrimonia.* Sic apud nostrum Poppæa *triumphales avos* jactat. qui autem intelligantur, clarum est ex 13, 45. *Poppæa Sabina T. Ollio patre genita, sed nomen avi materni sumpserat, illustri memoria Poppæi Sabini consulari & triumphali decore præfulgentis.* Jam autem constat ex nostro 4, 46. eum tantum *insignia triumphalia* (nam triumphus ipse privatis decerni olim desierat) accepisse. Quomodo igitur hi *triumphales* ob insignia honoris, non ipsum; ita *consulares* & *prætorii* similem ob rationem, ornamentis consularibus prætoriisve donati. *Freinshemius.*

4 *Ne vasa auro*] Vide luxum ejus ævi, & gratulare sæculo nostro. Dio paullo communius id concipit: quasi interdicta omnia vasa auri, nisi quæ ad sacra. *Lipsius.*

5 *Ne vestis serica*] Nolim erres, distincta genera vestium olim. Byssina, Bombycina, Serica. quæ persequor & evolvo in Excurs. *I.* Idem.

6 *Modum argento*] Id est, certum pondus numerumque definiri voluit: tot pondo argenti, tot servos, talem suppellectilem. *Idem.*

7 *Erat quippe*] De hoc more vide, si libet, Obser. mearum libro I. cap. 17. *Gronovius.*

8 *Aliam apud Fabricios*] Inde acute Seneca Epistola

[1] *aliam apud Scipiones pecuniam; & cuncta ad rempublicam referri: qua tenui, angustas civium domos; postquam eo magnificentiæ venerit,* [2] *gliscere singulos. neque in familia & argento, quæque ad usum parentur, nimium aliquid, aut modicum, nisi ex fortuna possidentis. distinctos senatus & equitum census, non quia diversi natura, sed ut locis, ordinibus, dignationibus antistent,* [3] *talesque ad requiem animi, aut salubritatem corporum parentur. nisi forte clarissimo cuique plures curas, majora pericula subeunda:* [4] *delenimentis curarum & periculorum carendum esse.* Facilem adsensum Gallo, sub nominibus honestis,

stola 17. *Saculum muta, nimis habes.* Neque aliquid medicinæ adhibere debebat Criticorum ordinis princeps Valerii Maximi loco cap. 4. libro 4. *Cornelia Gracchorum mater cum Campana matrona apud illam hospita, ornamenta sua illo saculo pulcerrima ostenderet,* &c. non debebat, inquam, contra MSS. omnes, in quibus, *illius saculi*, reponere *illius oculis.* Etsi enim hæc referantur ex Pomponio Rufo, non adeo remoto ab ævo Gracchano, quis tamen neget una auctam Campanorum luxuriem cum felicitate temporum? Quid quod nihil vetat, ista, *illius seculi*, esse à manu Valerii, comparantis id cum suo. *Gruterus.* Apulejus Apol. *Non habuit tantam rem familiarem Philus, quantam Lelius, quantam Scipio; nec Scipio, quantam Crassus Dives; at enim, nec Crassus Dives, quantum volebat.* Quam *pecuniam* vocat Tacitus, hic, *rem familiarem*, idem autem uterque vult. *Boxhornius.*

1 *Aliam apud Scipiones pecuniam*] Larga significatione pecuniam dixit, ut lex xviralis, & Jurisconsulti. *Lipsius.*

2 *Gliscere singulos*] Vir nobilis corrigit, *gliscere in singulos.* ut suppleatur, *magnificentiam.* Nam *gliscere singulos* Latine non dici putat, certe non explicare, quod auctor dicere voluerit: nisi forte senserit, unumquemque indulgere sibi & velut in lubrico ferri. Nimirum putavit *gliscere* Latinum esse Gallicum *glisser*: quæ multum differunt. *Gliscere* Latinis est crescere. Vide Nonium. Et sæpe sic usurpat ipse Tacitus. Hic *gliscere singulos*, est augeri opibus, crescere paratu & nitore instrumenti rerumque necessariarum ad victum & cultum. *Gronovius.*

3 *Talesque ad requiem animi*] Quid est illud, *tales?* Censeo rescribendum, *dignationibus antistent, aliisque, qua ad requiem.* Ideo (inquit bonus patronus luxuriæ) repertum discernere censum Senatorum equitumque à plebe: non solum ut loco, ordine, dignitate, præmineant, sed etiam supellectile, veste, aliisque quæ animo aut corpori cara. Potes etiam legere, *ita aliis qua ad.* minusque recedes à scriptura. *Lipsius.*

Talesque ad requiem animi] Emendavit olim Muretus: *sed ut locis, ordinibus; dignationibus antistent aliis, qua ad requiem animi.* At *locis* & *ordinibus*, non recte opponuntur *dignationes*, cum fere idem sit, *dignatio* & *ordo*. Sensus videtur: ubi honores, ibi commoda. Lipsius legit, ac distinguit; *sed ut locis, ordinibus, dignationibus antistent, & aliis, qua ad requiem.* bono quidem sensu, sed constructione non integra. Manuscriptus non aliud juvat, nisi quod habet, *talisque ad requiem.* ac fortasse ibi latet particula, *ita*, quæ necessaria videtur ad sententiam explendam. Itaque sic legerem: *Sed ut locis, ordinibus, dignationibus antistent: ita aliis, qua ad requiem animi,* &c. Pichena. Lego ex conjectura quam veram puto: *aqualesque, que ad requiem animi, aut salubritatem corporum parentur.* Aurelius. Optime cohærebit sensus & minimum mutabitur, si scribas *& aliis qua.* Grotius. Hæc sic legenda esse prope mihi persuasi: *sed ut locis, ordinibus, dignationibus antistent; voluptates quoque ad requiem animi, & salubritatem corporum parentur.* Adeo ut totius loci hæc sit sententia. Majorum nostrorum laudabili instituto distincti certique definiti sunt Senatorum & Equitum amplissimi census; non quod illi qua homines natura pluribus indigeant quam reliquum vulgus, ac propterea majoribus opibus debeant abundare; sed quod in amplissimis dignitatibus positi, ut iis cæteris antistant, in quibus plurimæ curæ devorandæ tolerandique immensi labores ipsis sunt: ita quoque gaudere & frui præ aliis debeant honestis quibusdam voluptatibus, ad requiem fatigati animi & salubritatem vigiliis plurimis afflictorum extenuatorumque corporum facientibus, velut tot communium curarum, tot periculorum, solis prope atque unicis delinimentis. Neque est, quod quempiam offendat vox ista, *voluptates.* Illas enim hic intelligit Gallus Asinius, aut intelligi vult, quæ *honesta, concessa*, alibi apud Tacitum vocantur. quibus quidem epithetis hic non est opus, cum tales illæ voluptates, ut ad requiem animi & salubritatem corporum comparatæ, describantur. *Boxhornius.* Distinguo & lego: *non diversi natura, sed ut locis, ordinibus, dignationibus, antistent & aliis, qua ad requiem animi aut salubritatem corporum parentur.* In qua oratione multiplex ἔλλειψις obscuritatem facit & occasionem mendo dedit. Intelligendum enim inter τὸ *sed ut* ex superioribus τὸ *Quia*, & post τὸ *dignationibus* ex sequenti τὸ *antistant* intra idem comma; denique ante τὸ *antistent* particula comparativa. Est enim integrum: *non quia diversi natura sint, sed quia, quemadmodum locis, ordinibus, dignationibus antistant, sic antistent & aliis.* Gronovius.

4 *Delenimentis*] Sic exstat in MS. unico & Beroaldi etiam ac Aldi editione; quod cur posteriores transtulerunt in *delinimentis?* Nulla solida causa est.

honestis, [1] confessio vitiorum, & similitudo audientium dedit. [2] Adjecerat & Ti-
berius, *non id tempus censuræ; nec si quid in moribus labaret, defuturum corrigendi au-*
34 *ctorem.* Inter quæ L. Piso *ambitum fori, corrupta judicia, sævitiam oratorum, accu-*
sationes minitantium increpans, *abire se & cedere urbe, victurum in aliquo abdito &*
longinquo rure testabatur: simul curiam relinquebat. Commotus est Tiberius, &
quamquam mitibus verbis Pisonem permulsisset, propinquos quoque ejus impulit, ut
abeuntem auctoritate vel [3] precibus tenerent. Haud minus liberi doloris documen-
tum idem Piso mox dedit, vocata in jus Urgulania, quam supra leges amicitia Au-
gustæ extulerat. nec aut Urgulania obtemperavit, in domum Cæsaris spreto Pisone
vecta; [4] aut ille abstitit, quamquam Augusta *se violari & imminui* quereretur. Ti-
berius hactenus indulgere matri civile ratus, ut *se iturum ad prætoris tribunal, adfutu-*
rum Urgulaniæ diceret, processit palatio, procul sequi jussis militibus. spectabatur oc-
cursante populo, compositus ore, & sermonibus variis tempus atque iter ducens; do-
nec propinquis Pisonem frustra coërcentibus, deferri Augusta pecuniam quæ pete-
batur juberet. Isque finis rei, ex qua neque Piso inglorius, & Cæsar majore fama
fuit. Ceterum Urgulaniæ potentia adeo nimia civitati erat, ut testis in caussa qua-
dam quæ apud senatum tractabatur, venire dedignaretur; [5] missus est prætor, qui
domi interrogaret: cum virgines Vestales in foro & judicio audiri, quotiens testi-
35 monium dicerent, vetus mos fuerit. [6] Res eo anno prolatas haud referrem, ni pre-
tium

est. *Jac. Gronovius.*

1 *Confessio vitiorum*] Possit legi, *consensio.* Lipsius.

Confessio vitiorum] Ne assentiamur Lipsio, legi posse *consensio. Confessio* retine, sed comma ante ipsam vocem dele. Jungenda enim illa, *Confessio vitiorum sub honestis nominibus.* Et quæ illa infantia, *Consensio assensum dedit?* Acidalius. Non, ita si mihi creditur, sed, *concessio vitiorum & similitudo audientium.* Nam licet quis vitia confiteatur, tamen non assentit, ut vitia locum habeant: sed assensere Asinio, propter similitudinem morum, quam Senatores cum illo habebant, & quod facile vitiis concederent, in quæ transierant dudum. Sic manus manum fricat. *Aurelius.* Absit, ut mutemus, quod pulcerrime dictum est. Neque vero hæc confessio est Galli, ut censuit Freinshemius, qui παραφράζει. *Huic Asinii orationi non difficulter assensi sunt reliqui, qui, quod ipsi similiter animati essent, gratum habebant exstitisse virum primarium, qui iisdem, quibus ipsi tenebantur vitiis, teneri se confiteretur, & tamen obtegenda eorum turpitudini honesta nomina reperire potuisset.* Immo, impudentia, inquit, plurium, qui prætextu & vocabulis *commodorum* & *necessariorum* luxuriam suam tantum non prodebant & palam confitebantur, & quod hæc istis similes audiebant. *Confessio* est illorum qui post Gallum sententias dixere: *similitudo audientium* est illorum, qui non sunt locuti, sed verbo aut manu promissa assensere, aut denique pedibus in eam sententiam iere. Defendere turpia instar confessionis est infirorum vitiorum. Ludit pari suavitate lib. 14. *adverso rumore Seneca erat, quod oratione tali confessionem scripsisset.* Gronovius.

2 *Adjecerat & T. non id tempus censuræ*] Oro te, quis vere Latine loquitur, utrum Tacitus per ista, an Ezech. Spanhemius per sua illa *Tiberio adserente non id tempus censuræ?* in Dissert. pag. 739.

3 *Precibus tenerent*] Pro retinerent. Sic lib. 4. *semelque assumpti tenebantur*, pro *retinebantur.* Aurelius.

4 *Aut ille abstitit*] Hoc rursus est eorum, qui edendo Tacito superfuerunt, hinc clam arbitrio nimio usi forsan & libro 3. hist. 74. Nacti ansam *petiere ut absisteret* id patet ex Beroaldo, qui habet *absistit*, unde venit in editionem Aldi *abstitit.* Sed unicus MS. habet *aut illi abscessit*, quo certe videri potest etiam unum *abscessit*: eoque pertinet cap. 46. *Mox conditionibus æquis discessum.* Jac. Gronovius.

5 *Missus est Prætor*] Quod in egregiis personis observari Paulus jubet, l. xv. De jurejurando: *Ad egregias personas, eosque qui valetudine impediuntur, domum mitti oportet ad jurandum* Lipsius.

6 *Res eo anno*] Petrus Pithœus Adversariorum lib. ss. cap. ultimo, hanc rerum prolationem refert ad ferias, quæ quotannis indicebantur, messium ac vindemiarum tempore. tunc enim negocia silebant, litesque differebantur. Hunc sensum ego certe non improbaverim. Movent me primum verba, *eo anno*, quæ significare videntur morem solemnem. Dein verba, *haud referrem:* quasi dicat ut in præteritorum annorum gestis haud retuli. Cicero pro L. Muræna: *Sapiens existimari nemo potest: in ea prudentia, quæ neque extra Romam rebus prolatis, quicquam valet.* Idem ad Att. lib. vii. ep. xi, & lib. xiv. ep. v. Quisquis plura exempla quæ-
rit,

tium foret, [1] Cn. Pisonis & Asinii Galli super eo negotio diversas sententias noscere. Piso, [2] *quamquam absuturum se dixerat Cæsar*, [3] *ob id magis agendum* censebat, *ut absente principe, senatus & equites possent sua munia sustinere decorum reipublicæ fore.* Gallus, quia speciem libertatis Piso præceperat, *nihil satis inlustre, aut ex dignitate populi Romani, nisi coram & sub oculis Cæsaris: eoque* [4] *conventum Italiæ* [5] *& adfluentis provincias præsentia ejus servanda* dicebat. Audiente hæc Tiberio ac silente, magnis utrinque contentionibus acta; sed res dilatæ. Et certamen Gallo adversus 36
Cæsarem exortum est. nam [6] censuit *in quinquennium magistratuum comitia habenda:* [1] *atque*

rit, Pithœum ipsum adeat. *Pichena.*

1 *Cn. Pisonis*] *Cn. Piso fuit memoria nostra vir à multis vitiis integer, sed pravus, & cui placeret pro constantia rigor*, &c. Seneca libro primo de Ira. *Muretus.*

2 *Absuturum se dixerat*] Omnino sic legendum. Atqui non abfuit, ut è sequentibus omnibus colligas. Ita est: sed dixerat, ut sæpe, & hæc talia ex usu aut caussa simulabat. *Lipsius.*

Quamquam absuturum] In Man. legitur, *afuturum*, ex quo non defuere, qui mallent *adfuturum*, quod minime mihi probatur. Cum enim in Senatu ageretur de feriis indicendis, Tiberius, quo promptius id fieret, dixerat se absuturum. Hinc inter Pisonem Gallumque contentiones. *Pichena.* *Adfuturum* legerunt plerique & intellexerunt Tiberio statutum adesse Urgulaniæ in judicio: quos haud dubie male discretum Pisonis nomen in hoc somnium induxit. Alius enim est hic Piso, quam ille, cui cum Urgulania negotium fuerat: atque si idem foret, quam inepte hæc dicerentur à Cæsare, se adfuturum Urgulaniæ, quum ea causa jam composita esset? aut à Pisone in suo negotio sententia & quidem tam impudens atque stolida diceretur. *Freinshemius.*

3 *Ob id magis agendum*] Feliciter, si Beroaldus ab Tacito id acceperit, unde summo impetu & consensu sic agunt. Sed MS. unicus commendaverat Beroaldo *agendas*, quod utique commodissimum huic loco, nempe per intellectum vocabuli præcedentis *res*, quas ut *proferri*, ita & *agi* proprie Romæ dicebatur. In sequentibus eodem jam auctore & principe male & truculentius turbarunt, ubi in MS. non modo legitur *Senatum*, sed etiam *posse*. Omnino vides Taciti fuisse: *ob id magis agendas censebat, & absente principe Senatum & Equites posse sua munia sustinere decorum reipublicæ fore.* Ita simpliciter cohærent omnia, quum vulgo tres postremas voces separatim adjiciant. Miror Pichenæ conniventiam. *Jac. Gronovius.*

4 *Conventum Italiæ*] Accipiunt, quasi de certo indictoque conventu loqueretur. Sed, nisi fallor, de fortuito atque consueto Tacitus sentit, ponitque vocabulum hoc pro concursu sive confluxu totius Italiæ, quam, ut apparet, apud senatum frequentia negotia tractare contingebat: non simul universam, sed ut cuique municipio, aut etiam singulis, negocium esset. Nominavit autem *conventum*, non propria vocis significatione volens uti, sed extollens caussarum, quæ ad Patres agerentur, momentum atque multitudinem, *conventui* eam affluentiam assimilat. Dicebatur autem *conventus* auctore Festo, *quum à magistratibus, judicii caussa, populus congregatur. Erant enim in provinciis statuti conventus per rectores earum ad judicia facienda.* Exempla hujus rei vel apud unum Plinium in prioribus libris sunt frequentissima; etiam in uno capite undetrigesimo quinti complura. ubi simul ipsius rei naturam licet deprehendere. *Conveniunt Lycaones, Appiani, Eucarpeni &c.* & *Alabanda libera, quæ conventum eum cognominavit: Longinquiores eodem disceptant foro.* Tum, *Sardiana nunc appellatur ea jurisdictio. Conveniuntque in eam extra prædictos, Macedones Caduæni &c.* Idem. Habeo, quo vulgatum tuear: malim tamen *servandas.* Gronovius.

5 *Et adfluentis*] In MS. legitur *& ei adfluentis.* nec scio cur media vox debeat supprimi. *Jac. Gronovius.*

6 *Censuit in quinquennium*] Non à se id invenit Gallus, sed imitari decretum C. Cæsaris voluit, de quo Appianus, in persona M. Antonii, II. Civil. Ἡμεῖς γὰρ αὐτοὶ σχεδὸν ἅπαντες, οἱ μὲν ἤρξαμεν ὑπὸ τῷ Καίσαρι, οἱ δὲ ἔτι ἄρχομεν, αἱρετοὶ πρὸς ἐκείνου γενόμενοι, οἱ δὲ ἐς τὸ μέλλον ἄρχειν κεχειροτονήμεθα. Ἐς γὰρ πενταετὲς, ὡς ἴστε, καὶ τὰ ἀστικὰ ἡμῖν καὶ τὰ ἐτήσια, καὶ τὰς τῶν ἐθνῶν ἢ στρατοπέδων ἡγεμονίας διετάξατο: *Nos enim prope omnes, alii gessimus magistratus electi à Cæsare, alii jam nunc gerimus, alii geremus etiam ab eo designati. Nam in quinquennium, ut scitis, urbanos annuosque magistratus, & item provinciarum aut exercituum Præfecturas ordinavit.* De quo etiam Suet. sentit c. LXXVI. in Julio: *Magistratus in plures annos ordinavit.* Lipsius.

Censuit in quinquennium magistratuum comitia habenda] Duplex est hujus loci sententia. Prima, ut magistratus crearentur, munus suum per quinquennium obituri. Altera, ut proximo quinquennio magistratus inituri, omnes uno die designarentur, ut scilicet annuo magistratu functis, ab aliis rursus è designatis succederetur. Primam innuunt verba: *superbire homines etiam annua designatione, quid si honorem per quinquennium agitent?* Alteram probo. Nam quid sibi volunt verba Tiberii: *Grave moderationi suæ, tot eligere, tot differre?* Nam si duode-

[1] *utque legionum legati, qui ante præturam ea militia fungebantur,* [2] *jam tum prætores destinarentur: princeps duodecim candidatos, in annos singulos nominaret.* Haud dubium erat, eam sententiam altius penetrare, & [3] arcana imperii tentari. Tiberius tamen [1] quasi

cim nominasset, numerum quidem non auxisset. Tacitus de eodem lib. 1. *Candidatos præturæ duodecim nominavit.* Quid igitur verbum, *tot*, quod augmentum exprimit? Præterea, commodior est sententia verbis Taciti, nam nihil necesse mutare verba, *in annos singulos*, quæ Lipsius corrigit, *in annos quinos*. Idem enim est, duodecim in annos singulos, quod sexaginta in quinos nominare. Videtur etiam ex numero aucta principi potestas: ideoque ait, *Grave moderationi suæ.* Exemplis etiam juvatur opinio, cum Cæsarem, & Augustum in plures annos magistratus ordinasse, auctores tradant. De quinquennalibus autem magistratibus, nusquam, ut opinor, nisi per prorogationem. Clare Appianus 2. Civil. ὡς γὰρ ἐπὶ χρόνον στρατοῖς ἐξῆν, ἐπὶ πενταετὲς ἦσαν. Et in Oratione Ant. ἐς γὰρ πενταετὲς (ὡς ἴστε) καὶ τὰς ἀρχὰς ἡμῖν, καὶ τὰ ἔτησια, καὶ τὰς τῶν ἐθνῶν ἢ στρατοπέδων ἡγεμονίας διατάξατο. Idem significavit Sueton. in Cæs. 76. *eadem licentia spreto patrio more, magistratus in plures annos ordinavit.* De Aug. narrat Dio lib. 53. prope finem. *Augustus fere decem tantum Pretores, quia pluribus opus non erat, constituit, idque in plures etiam annos: quorum reliqui eadem quæ prius officia exequerentur, duo vero administrationi singulis annis præessent.* Etiam Lipsius idem sentire videtur, cum dicat, Gallum imitatum fuisse Cæsaris decretum ab Appiano, ut supra, relatum. Neque obstant Taciti verba, *quid si honorem per quinquennium agitent?* cum de honore designatorum intelligenda sint: qui quodammodo magis quam ipsi magistratus superbire videntur. Atque idem innuunt verba 1 *superbire homines etiam annua designatione.* ubi designationem expressit, non magistratum. At, non omnes LX. designati, honorem per quinquennium agitaturi erant. Immo duodecim per annum, duodecim per biennium &c. Falsus ergo Tacitus. Sed in majori termino includitur minor, satisque fuit Tiberio expressisse, quod maxime erat absurdum in sententia Galli. Unum adhuc monebo, mihi videri, Tacitum verbis illis, *magistratuum comitia*, de Prætorum tantum comitiis intelligere, qui sermonem quodammodo referat ad ea, quæ lib. 1. de iisdem Prætoriis comitiis tradidit. Hic enim non nisi de Prætoribus loquitur, cum de comitiis consularibus jam suo peculiari loco tradiderit in fine libri primi. Alibi etiam observavi, *magistratuum* appellatione, Prætores tantum à Tacito designari. nam lib. XI. de se ipso loquens, ait: *iisque* (id est ludis secularibus) *intentius affui, sacerdotio. Quindecimvirali præditus, ac tum Prætor. quod non jactantia refero, sed quia Collegio Quindecimvirum antiquitus ea cura, & magistratus potissimum exsequebantur officia cærimoniarum.* intelligit enim, *magistratus*, id est Prætores. *Pichena.*

1 *Utque legionum legati*] In exercitu duplices legati, Consulares & Prætorii. Consularis toti exercitui, Prætorius legioni uni præsidebat. At ecce Gallus, quia multæ legiones, & plures sane quam quotannis Prætores (nam ad XXV. aut VI. illo ævo erant.) Gallus, inquam, hic blanditum legatis ivit, &, ut putabat, Cæsari. Voluit illos, qui ab eo præpositi ante Præturam, jamtum Prætores designatos eo ipso facto esse; & sequenti anno inire. Quid amplius? *duodecim candidatos in singulos annos a Principe nominari.* Sed cujus rei canditatos? Legationis, an Præturæ? Si istud, tum augeatur valde Prætorum numerus, aut certe Prætoriorum: quod tamen Gallus callide suasit novo reperto, quia Cæsar juraverat (1. Annal.) se numerum duodenarium in Prætoribus non excessurum. At nunc potest excedere, sed alio titulo & mantello. An placet legationis candidatos accipi? & ut Cæsar quotannis omnes illos nominet, solusque comitia hæc peragat? Neque id sperno: sed sprevit valde Tiberius, qui totum hoc caput ejus sententiæ nec refutatione, imo nec repetitione dignum censuit: & in oratione rejicit prius caput tantum, de magistratibus in quinque annos. *Lipsius.*

2 *Jam tum*] Sic edidit Beroaldus & sequuntur posteri, prout illa sæpe connectuntur, ut cap. 51. & 52. Sed in MS. nunc legitur *jamdum*, qua ratione Pichena de codice Longobardico testatus fuit 2. hist. 92. *Julium Priscum dum centurionem*, apud alios *nullidum*. Certe etiam 3, 18. idem MS. habet *Et dum.*

3 *Arcana imperii*] Quare? Quia validi nimis illi electi fuissent, & potuissent tractu in Principem coire. Item, odia ferebantur in ipsum, & fortasse conspiratio, a repulsis. Et sane ea mens Taciti. quod verba illa mox ostendunt: *favorabili oratione vim imperii tenuit*; quæ resoluta igitur, & velut enervata fuisset, illa sententia. Nam addo etiam, inter arcana imperii esse, ut Princeps gratiæ & beneficii sit potens: vix aut non esset, in tam longum tempus honoribus semel datis. *Idem.*

Arcana imperii tentari] Multum enim ea ratione potestati Principis decessisset, quippe magistratibus in quinquennium constitutis, neque eos qui interim displicerent, amoliri potuisset, neque alios, quibus faveret, promovere; atque ita potestas eligendi, quam singulis annis exercere poterat, multum accisa, & tantum ad singula quinquennia redacta fuisset. *Freinshemius.* Aliæ rationes apud alios videantur. Illa interim prætermitti non debet, quam elicimus ex his verbis Galli: *utque legionum legati, qui ante præturam ea militia fungebantur, jam tum Pratores destinarentur.* Vides hic etiam arcana imperii vel maxime versari. Hac enim sententia fibula

[1] quasi augeretur potestas ejus, disseruit: *Grave moderationi suæ, tot eligere, tot differre. vix per singulos annos offensiones vitari, quamvis repulsam propinqua spes soletur: quantum odii fore ab his qui ultra quinquennium projiciantur. unde prospici posse quæ cuique tam longo temporis spatio [2] mens, domus, fortuna? superbire homines etiam annua designatione: quid si [3] honorem per quinquennium agitent? [4] quinquiplicari prorsus magistratus, subverti leges; quæ sua [5] spacia exercendæ candidatorum industriæ quærendisque aut potiundis honoribus statuerint.* Favorabili in speciem oratione vim imperii tenuit, [6] censusque quorundam 37
senatorum juvit. quo magis mirum fuit, quod [7] preces M. Hortali nobilis juvenis, in paupertate

la injicitur Cæsari, & potestati nominandi præturæ Candidatos arctiores limites ponuntur. Malebat Tiberius, quos vellet Candidatos nominare ex omnibus, quam teneri ad nominandos eos legionum legatos, qui nondum præturam gessissent. Minus enim potest, qui potestatem nominandi & distinandi Candidatos intra certos ordines constrictam habet, quam qui ea amplissima, & plane libera, atque ad omnes sese extendente est instructus. *Boxhornius.*

1 *Quasi augeretur*] In Mediceo *auretur*, legitur voce admutilata. Illa vera lectio. Augebatur enim potestas, cum in ejus manum comitia tot annorum, nova ratione, darentur. *Lipsius.*

2 *Mens, domus, fortuna*] A vulgatis plerisque abest interrogandi nota, sensu fortasse superiora respiciente: id est odium eorum, qui ultra quinquennium projicerentur. Nos juxta Aldinam editionem, hæc interrogative pronuntiamus, & ad sequentia referimus, nempe ad designatorum superbiam: quorum mens, domus, fortuna, ea honoris diuturnitate, in deterius forte converterentur, seditiones, ac res novas spectando. Status enim mutatio, mentem etiam animumque mutare solet. *Pichena.* Quæ alii ad hujus loci interpretationem adferunt, lapides sunt auribus meis. Quin hæc omnino attribuenda designatis istis. & longe alia notant *mens*, longe alia *domus*, longe alia *fortuna*, quam volunt, de quibus ego in suspicionibus. *Gruterus.* *Quæ mens*, utrum nimirum bona, an animus reipubl. infensus 4, 70. 6, 24. non ex hac tantum continuatione spei, sed undecumque. *Domus*, familia, gens, cognatio & necessitudines: nam & horum peccata poterant efficere, ut aliquis in suspicionem veniret, & potestas ei male credi videretur. *Fortuna*, res familiaris, integra an attenuata. *Gronovius.*

3 *Honorem per quinquennium agitent*] Sermo ad invidiam rem augens. Ut lib. 1. *Compressa à muliere seditione.* Et paulo ante: *confessio vitiorum.* Designati à gerentibus magistratum potestate, non dignatione, neque gratia differunt: immo majorem sæpe gratiam habent, ut plerumque, a quibus speratur. Adorant ferme solem orientem, & semper, quæ sperant homines, ampliora sibi fingunt, quam præsentia vel inveniunt vel æstimant. Unde non mirum, si & ipsi sumerent superbiam quasi meritis quæsitam. Liv. l. 33. *quia ex quæstura in judices, potentissimum ordinem, referebantur, jam pro futuris mox opibus animos gerebant.* Cicero act. 1. in Verrem. *Quid igitur? quod tota Sicilia, quod omnes Siculi, omnes negotiatores, omnes publicæ privatæque literæ Romæ sunt, nihilne id valebit? nihil invito consule designato.* Verebatur igitur haud injuria, ne quis eorum qui tot annos in oculis & expectatione hominum fuissent, vires colligeret ad invadendum imperium. *Idem.*

4 *Quinquiplicari prorsus*] Expressi Manuscripti verbum, in antiquioribus etiam editis receptum, licet recentiores scripserint, *quintuplicari.* Pichena.

5 *Spatia exercendæ*] Tot mensibus aut diebus petant, & iti candida sunto: tot deinde adepti gerant. Neque enim sollenniter petere toto anno licebat. Atque hoc est *spatium exercendæ candidatorum industriæ*, olim legibus finitum. *Lipsius.*

6 *Censusque quorundam senatorum*] Sic fecit Augustus, quo sibi gratiam conciliaret: sic Julia Augusta, quæ equitum pauperiorum virgines maritabat: sic multi postea imperatores fecere, quo dominationem amicitia, majestatem familiaritate & beneficiis firmarent. *Aurelius.* Quidam in versione Latinam vocem retinuit. Bene, licet enim *censu* aucto, *reditus* etiam augeantur; tamen inter utriusque vocabuli significationem multum interest: *census* enim pro toto patrimonio, sive universis bonis accipitur. Apud Juvenalem Sat. 16.

—— nam quæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore census,
Omne tenet cujus regimen pater.

Freinshemius. Suet. Vesp. 17. *in omne hominum genus liberalissimus, explevit censum Senatorium: consulares inopes quingenis sestertiis annuis sustentavit.* Gronovius.

7 *Preces M. Hortali*] Ortalus scribitur in Suetonio: *Pleresque modestia & pudore deterruit, in quibus Ortalum Q. Hortensii oratoris nepotem, qui permodica re familiari, auctore Augusto, quatuor liberos tulerat.* Ortalus igitur Hortensiæ gentis cognomen. Cicero ad Atticum. l. iv. *Ortalus in ea causa fuit, cujusmodi solet.* Infanda quædam de hoc ipso, nisi fallor, Hortensio Valerius Maximus narrat l. iii. *Jam Q. quidem Hortensii, qui in maximo & ingenuorum civium & amplissimorum proventu, summum auctoritatis atque eloquentiæ gradum obtinuit, Nepos Hortensius*

paupertate manifesta, superbius accepisset. Nepos erat oratoris Hortensii, [1] inlectus
à divo Augusto liberalitate [2] decies sestertium ducere uxorem, suscipere liberos, ne
clarissima familia exstingueretur. Igitur quatuor filiis ante limen curiæ adstantibus,
loco sententiæ, quum in palatio senatus haberetur, modo Hortensii inter oratores
sitam imaginem, modo Augusti intuens; ad hunc modum cœpit: *Patres conscripti,*
hos quorum numerum & pueritiam videtis, non sponte sustuli, sed quia princeps monebat:
simul majores mei meruerant, ut posteros haberent. nam ego, qui non pecuniam, non stu-
dia populi, neque eloquentiam gentile domus nostræ bonum varietate temporum accipere vel
parare potuissem, satis habebam, si tenues res meæ nec mihi pudori, nec cuiquam oneri
forent. [3] *jussus ab imperatore, uxorem duxi. En stirps & progenies* [4] *tot consulum, tot*
dictatorum. [5] *nec ad invidiam ista, sed conciliandæ misericordiæ refero.* [6] *adsequentur flo-*
rente te Cæsar quos dederis honores; interim Q. Hortensii pronepotes, divi Augusti alum-
38 *nos, ab inopia defende.* [7] Inclinatio senatus incitamentum Tiberio fuit, quo prom-
ptius adversaretur, his ferme verbis usus: *Si quantum pauperum est, venire huc, & li-*
beris suis petere pecunias cœperint; singuli numquam exsatiabuntur, resp. deficiet. nec sane
ideo à majoribus concessum est egredi aliquando relationem, & quod in commune conducat
loco sententiæ proferre, ut privata negotia, res familiares nostras hic augeamus; cum invi-
dia

tensius Corbio omnibus scortis abjectiorem & obscaniorem vitam exegit: ad ultimumque lingua ejus tam libidini cunctorum inter lupanaria prostitit, quam avi pro salute civium in foro excubuerat. sed vocat Corbionem. Anne igitur scrib. *Hortalus Corbio?* an corrupta ea vox, substituendumque, *Ortalus?* alterum rerte horum. Principio etiam Valerianæ narrationis emendo, *in maximo & ingeniorum, & civium amplissimorum proventu.* Facio judicem nostrum Pighium, cui scriptor hic non medicinam debet, sed vitam. Sed hic Ortalus Hortensii nepos, numquid ex filio? Apparet. nam & Valerius diserte. Hortensium eum appellat. Attamen filius magni illius Oratoris, bello civili. Brutiano periit, præmature. Vellejus: *Eadem Lucullum Hortensiumque eminentissimorum virorum filios fortuna abstulit.* Sed debuit scilicet jam tunc prolem sevisse, & reliquisse in urbe. Catulli Elegia quæ ad Ortalum est: censeo eam esse ad hujus avum. *Lipsius.*

1 *Inlectus à divo Augusto*] Cum videlicet ageret, ut credibile est, de tollendo cœlibatu. Vide Dion. libro 56. in principio; nam id curavit studiosissime. *Aurelius.*

2 *Decies H. S.*] Is est ipse census Senatorius, qui sub Augusto fuit. nam auxit eum & produxit. Sunt ista *vigintiquinque millia Philippicum.* Lipsius.

Decies sestertium] *Liberalitatem decies sestertii* dicebant veteres, & scripsit haud dubie Tacitus; non *sestertium.* Gronovius. Egregium vero & quis credat hominum manum sic pronam esse ad impolita? Edidit enim Beroaldus *decies sestertium*, quum in unico MS. clare scriptum sit *sestertii*, sed ita, ut posteriori vocali superinscriptum sit *u.* prava, procul dubio posterioris temporis accessione. Hinc potuit se ad perversa abstrahendum dare, & Pichena ne quidem monendum de eo lectorem judicavit. Utinam id scivisset Pater! *Jac. Gronovius.*

3 *Jussus ab imperatore*] Non ex vi legis Juliæ de maritandis ordinibus jussus Hortalus, sed pro ea potestate, qua superior amicus minori suasit matrimonium, cujus & dicitur *auctor*, Suetonii Tiberio 47. Quod explicavi pluribus in commentario de jure liberorum. *Vertranius.*

4 *Tot Consulum*] Vaniloqua hominis oratio & falsa. ubi enim isti tot Consules, tot Dictatores? Certe ego in Hortensia gente unum Dictatorem reperio, & Consulem unum. Dictatorem anno urbis CDLXVII. secessione plebis. Consulem, Q. Hortensium, hujus avum. Sed intellegit fortasse majores suos etiam ex gente materna. *Lipsius.*

5 *Nec ad invidiam ista*] Intelligo aliorum; quasi alios oblique perstringens. Quod non ideo dico, quasi miseriam nostram indigner, aut iis qui ex inferioribus locis ad magistratus opesque pervenerunt, quidquam invideam; sed ut misericordiam nobis conciliem. Quidam verterunt ostentationem, cui nullum opinor hic esse locum. Alii vocem *invidia* retinuerunt, sed non significationem, quæ non nisi vulgaris est in hisce linguis, neque hanc, qua hic & alibi frequentissime reperitur, exæquat: quam etiam vix alterius sermonis vox expresserit. *Freinshemius.*

6 *Adsequentur florente te*] Forte melius *adsequantur.* Acidalius. Non placet; certius enim omen in vulgata, etsi ratum non fuerit. *Gronovius.*

7 *Inclinatio senatus*] Quare illa impedivit, aut arcuit? debuisset incitare. nam videri volebat omnia per Senatum agere. Sed hic aliud. ista inclinatio popularitatem quamdam referebat, & severum Principem, quasi ad famam & gratiam componebat: spretum Tiberio. Fortasse etiam, quia sponte volebat dare, & solus gratiam habere, non
ab

dia senatus & principum, sive indulserint largitionem, sive abnuerint. [1] *non enim preces sunt istuc, sed efflagitatio intempestiva quidem & improvisa, cum aliis de rebus convenerint patres,* [2] *consurgere; & numero atque ætate liberum suorum urgere modestiam senatus,* [3] *eamdem vim in me transmittere, ac velut perfringere ærarium: quod si ambitione exhauserimus, per scelera supplendum erit. dedit tibi, Hortale, divus Augustus pecuniam, sed non compellatus, nec ea lege ut semper daretur. languescet alioqui industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus, aut spes; & securi omnes aliena subsidia exspectabunt, sibi ignavi, nobis graves?* Hæc atque talia, quamquam cum adsensu audita ab his, quibus omnia principum honesta atque inhonesta laudare mos est, plures per silentium aut occultum murmur excepere. sensitque Tiberius. & cum paulum reticuisset, *Hortalo se respondisse* ait: *ceterum si patribus videretur, daturum liberis ejus ducena sestertia singulis, qui sexus virilis essent.* egere alii grates; siluit Hortalus, pavore, an avitæ nobilitatis etiam inter angustias fortunæ retinens. neque miseratus est posthac Tiberius, quamvis domus Hortensii pudendam ad inopiam dilaberetur. Eodem anno 39
mancipii unius audacia, ni mature subventum foret, discordiis armisque civilibus rempublicam perculisset. Postumi Agrippæ servus nomine *Clemens*, comperto fine Augusti, pergere in insulam Planasiam, fraude aut vi raptum Agrippam [4] ferre ad exercitus

ab aliis invitatus aut impulsus. *Lipsius.*

1 *Non enim preces sunt istuc*] Quo tendit hæc vox postrema, aut unde venit? Nihil scio. Sed in MS. legitur *istut*, pro *istud*, quod est planissimum & ex loquutione Taciti. Idem enim prorsus, quod est 4, 9. *Quasi aut Varro consul aut illud respublica esset.* 16, 22. *Secessionem jam id & partes, & si idem multi audeant, bellum esse.* Jac. Gronovius.

2 *Consurgere*] Nam ad dicendam sententiam, surrexit Hortalus. Moris autem fuisse consurgere in dicenda sententia Poëta ostendit Æneid. 11. *Tum Drances idem infensus*, &c. *Surgit, & his onerat dictis.* Aurelius.

3 *Eamdem vim*] Prisca scriptura, *in me transmerei.* ex quo Beatus, *transumere.* Legebam, *eadem, invidiam in me transmittere.* vel etiam; *tandem vim.* Primo, inquit, urgent modestiam Senatus, denique velut vim mihi adhibent, & ærarium perfringunt. Vim dico, quia velut pro sententia dicunt, & Senatus assensum capiunt, aut captant: cui parere me sit necessum. *Lipsius.*

Eandem vim in me transmittere] Antonius Augustinus ex antiqui codicis scriptura, quæ est, *transmerei*, faciebat, *transmittei.* Ursinus. Corrigendum olim putavi: *invidiam vere in me transmittere*: litteris quidem non dissimilibus. Sed nuper vulgatam lectionem amplector. Nam ut, *modestiam senatus urgere*, significat, senatus modestiæ vim facere: ita recte Tiberius ait, *eandem vim* ab Hortalo in se quoque transmitti. quod idem est, ac si dixisset, urgere modestiam senatus meamque. *Pichena.* Emendem: *Urgere modestiam senatus, invidiam miseratione movere, ac velut.* De invidia & miseratione aptissimum hic esse, tum ex ipsa re, tum ex Hortali ipsius ante recitatis verbis patet. Possis tamen etiam, *invidiam miseratione miscere*: quomodo lib. 1. alii Tacitum locutum volunt: *lacrimas gaudio, questus adulatione miscebant.* Sed prius ad rem aptius. Poterat & simpliciter, *Invidiam in me transmittere.* Quomodo infra locutus est: *Proinde tradite Cotye ventres, transferretque invidiam criminis.* Acidalius. Lego, *eandem odii vim in me transmittere.* Mirandulanus codex, mihi in ea re facula. Nisi codex manuscriptus urgeret, excusam probarem, quæ aptissima est. *Aurelius.* Optime habet vulgatum. nam & *vis* infertur pudori: vis etiam est, cum aliquid *exterquet improbitas*, ut loquitur Arbiter: cui concedit frontis imbecillitas. Sic lib. 15, 36. *Ergo ut in privatis necessitudinibus proxima pignora prævalerent, ita Po. R. plurimam vim habere, parendumque retinenti.* Gronovius. Judicavit hunc infaustum locum & sibi tangendum Oct. Ferrarius in Electis 1, 10, sed nullo delenimento dolorem mitigat. Atque ita per omnes fit, ut nequaquam fruamur manu Taciti; & quum Beroaldus accurate exhibuerit lectionem codicis MS. *transmerei*, Aldus inde æquatis literis *transmitti* protulit, donec id mutarunt in activum. Atqui judice me scriptura illa vetus plane respondet verbo *transjicere*, in quo eædem & totidem lineolarum ductus exstant, ut hoc sit verum Taciti. *Jac. Gronovius.*

4 *Ferre ad exercitus*] Quibus, eum propter patris memoriam gratissimum fore intelligebat. *Muretus.* Suet. Oct. 19. *Audasius atque Epicadus Juliam filiam & Agrippam nepotem ex insulis, quibus continebantur, rapere ad exercitus destinaverant.* Tib. 3. *Novissime calumniatus, modo ad statuam Augusti, modo ad exercitus confugere velle, Pandatariam relegavit.* Noster 4. Ann. 67. *Ultroque struebantur, qui monerent perfugere ad Germaniæ exercitus.* Gronovius.

exercitus Germanicos, [1] non servili animo concepit. ausa ejus impedivit tarditas onerariæ navis: atque interim patrata cæde, ad majora & magis præcipitia conversus, [2] furatur cineres, [3] vectusque Cosam Etruriæ promontorium, ignotis locis sese abdit, donec crinem barbamque promitteret, nam ætate & forma haud dissimili in dominum erat. tum per idoneos & secreti ejus socios, crebrescit *vivere Agrippam*, occultis primum sermonibus, ut vetita solent; mox vago rumore apud imperitissimi cujusque promptas aures, aut rursum apud turbidos, eoque nova cupientes. atque ipse adire municipia obscuro diei, [4] neque propalam adspici, neque diutius iisdem locis. sed quia [5] veritas visu & mora; falsa festinatione & incertis valescunt, [6] relinquebat

1 *Non servili animo*] Interim, *servile*, pro vili, abjecto, & nequam: nam per humilia depressus vix, aut raro, ad præclara se erigit. *Aurelius.* Lib. 13, 2. *Neque Neroni infra servos ingenium.* Justinus lib. 18, 3. *Non servilis ingenii ratio visa.*

2 *Furatur cineres*] Quare hoc? an ne constaret eo argumento mortuum Postumum, quem vivum ille, & se esse, credi volebat? An caritate in dominum fecit, & alibi sepulturus? *Lipsius.*

Furatur cineres] Ut tanto facilius persuaderet, Agrippam Postumum mortuum non esse. *Muretus.* In paraphrasi sic exposui, *ne mortis illius* (Agrippæ) *argumentum forent*; magis quia Taciti sententia, ex universo hoc loco probe considerato emergens, ita postulare videbatur; quam quod ipsa res mihi credibilis videretur. Si enim Ægyptio more conditum fuisset corpus, agnoscerem precium, quod in eo auferendo Clemens quæsivisset: at in confusis cineribus quodnam indicium superesse potuit, quo potius Agrippæ, quam cujuscumque hominis viderentur. *Freinshemius.*

3 *Vectusque Coram*] Apud Dionem leges, in Galliam profectum eum. Sed Coræ nomen ego apud Geographos in hoc tractu non reperio: reperio Cosæ. quod Etruriæ opidum fuit in sublimi colle ad mare, cum subjecto sinu. Strabo libro v. *Μετὰ δὲ Ποπλώνιον Κόσσα πόλις, μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης· ἔστι δὲ ἐν κόλπῳ βουνὸς ὑψηλός.* Vicinum id portui Herculis Rutilius in Itinerario locat: *Et desolata mœnia fœda Cosa.* Servius de eodem: *Cosa civitas Thusciæ, quæ numero singulari etiam secundum Sallustium dicitur.* Nominat & Plinius lib. 11. Itaque qui me audiet, *Cosam* hic restituet. *Lipsius.*

Coram Etruriæ promontorium] *Coram* seu *Cosam*, puto esse promontorium, quod olim *Telamon*, hodie *mons Argentarius* dicitur. Argumento est, quod *Cosa* oppidum, cui hodie *Orbetello* nomen est, antiquitus in cacumine ejus promontorii erat. Vulgatum autem est, idem nomen esse, & oppidis & montibus, fluviisque, in quibus, aut ad quos oppida sita sunt. Ad radices autem ejus promontorii est Portus Herculis. *Muretus.* Lipsio firmamentum addo ex Rutilii Itinerario 1, 294.

Sardoam Lepido præcipitante fugam.
Littora namque Cosæ cognatos depulit hostes.
Virtutem Catuli Roma secuta ducis.

Ubi *Cosæ littore* hoc ipsum Taciti promontorium intelligi, docet Historia. Flor. 3, 23. Lepidus *incruenta fuga Etruriam; inde Sardiniam recessit.* Freinshemius.

4 *Neque propalam aspici*] Idem de Hilarione, illo inter monachos celeberrimo, tradit Nicephorus libro x. hist. cap. ix. *ἐσπούδαζε γὰρ ἀφανὴς εἶναι τοῖς μεταβάσεσιν, ὡς τὸ τάχιστα διαλύειν τὴν περὶ αὐτοῦ ἐπιγινομένην δόξαν.* *Inprimisque studio habebat, ut migratione crebra obscurior esset, & quam primum opinio ac existimatio de eo excitata evanesceret.* Sed hujus melior causa, quam illius pseudoagrippæ. *Boxhornius.*

5 *Veritas, visu & mora*] Histor. libro 1. *scelera impetu, bona consilia mora valescere.* Pichena.

6 *Relinquebat famam*] Statim abeundo scilicet, priusquam bene innotesceret: *præveniebat* autem, ex inopinato & celeriter se sistendo. Ita parum gnaros relinquebat, parum providis se sistebat. *Lipsius.*

Relinquebat famam, aut præveniebat] Mira hominis versutia & festinatio. *Relinquebat famam*, cum fere ignotus abiret, *præveniebat* cum adiret: fama utrumque sequente. *Pichena.* Id est, sicubi esset, ajebat esse se Agrippam, & Agrippam verum, eamque famam ibi relinquebat: vel si nondum eo pervasisset, per rumores præveniebat. *Aurelius.* Non satis capio. Licet enim utcumque explicare sim conatus, video tamen in his, quæ tamquam diversa proponuntur, aut nullam omnino differentiam, aut certe pertenuem esse. Nam oro te, qui *relinquit famam*, nonne idem *prævenit*, & qui prævenit, relinquit? An non ob id ipsum quod homo præcedit famam, illa sequitur hominem? Parum abest, ut referam hæc inter argutias nimia subtilitate vanas, quales in hoc auctore Saviles alibi reprehendit. ut hoc ex Histor. 1. 4. *ut non modo casus eventusque rerum: qui plerumque fortuiti sunt; sed ratio etiam caussæque noscantur.* Quomodo enim aut fortuitorum caussæ tradi possunt; aut quorum caussæ possunt tradi, haberi pro fortuitis? *Freinshemius.* Sane cavillari licet totum diem. Ego vero ne Savillio quidem jus fuisse censeo ista verba improbandi, ut infra videbimus. Totum autem interpretor de abitu, idque præcipit ipse Tacitus, cum ait: *neque diutius iisdem locis, sed aut relinquebat*

linquebat famam, aut præveniebat. Vulgabatur interim per Italiam *servatum munere deum Agrippam*; credebatur Romæ: jamque [1] Ostiam invectum multitudo ingens, jam in urbe clandestini cœtus celebrabant: cum Tiberium anceps cura distrahere, vine militum [2] servum suum coërceret, an inanem credulitatem tempore ipso vanescere sineret. [3] modo nihil spernendum, [4] modo non omnia metuenda, [5] ambiguus pudoris ac metus reputabat. postremo dat negotium Sallustio Crispo: ille è clientibus duos (quidam milites fuisse tradunt) [6] deligit, atque hortatur, [7] simulata conscientia 40

bat aut præveniebat: quid fecerit, narrat, in mutandis locis. Etsi autem *relinquere* interdum dicimur, quicquid post tergum est vel venit, proprie tamen relinquimus quod nobiscum fuit, aut quod *jam* adest, cum ab eo discedimus; prævenimus id quod nondum adest, seu quod post nos demum exultit. Hoc igitur ait, abibat vel cum inciperetur spargi, vel priusquam spargeretur rumor eum adesse. *Gronovius.*

1 *Ostiam invectum multitudo ingens celebrabat*] Hoc est multi jam per omnem videlicet Italiam dicebant Agrippam ingressum esse Ostiam: eam, inquam; rem licet falsam, ut videtur, celebrabant sermonibus; idque clarum ex eo, quod interserit; *jam in urbe clandestini cœtus.* Freinshemius. Crederem si adjiceretur *fama, rumore, sermone, vocibus.* Nam mihi nihil exploratius, quam, quem *multitudo celebrare ingens* dicitur veteribus, eum magnam turbam comitum, anteambulonum, sectatorum secum trahere intelligi. Cic. pro Sext. *Via multitudine legatorum undique missorum celebrabantur.* Ad Att. 4, 1. *Similis frequentia me usque ad Capitolium celebravit.* libro 1. de Orat. *Testis est hujusce Q. Mucii janua atque vestibulum, quod maxima quotidie frequentia civium celebratur.* Plane sic & Tacitus loquitur, narratque, simul egressus in terram esset, magna frequentia vulgi circumfusum comitatumque incessisse per vias gaudentis, gratulantis, deducentis, mirantis. Et quid in eo novi? Pseudogracchi & Pseudomarii juxta magnos concursus fecerunt. Neque abhorret, quod præcedit, *adire obscuro,* &c. & *relinquebat aut præveniebat.* Sic tum illic, postea Ostiæ aliter: crescunt enim & in scelere ac fraude animi parvi metu primo: rursusque pro occasione minuuntur. Quos progressus regressusque curate satis annotavit Tacitus. Ostiæ effuderant sese. In urbe sub oculis principis minus audebant. Aut si audebant, ipse dimisit illos monitos conducere magis rebus suis, ut minus conspectus Romam intraret. Postquam igitur mœnia irrepsit, coitiones interim clandestinæ ad eum fiebant, donec matura, si daretur, fieret seditio. XXII. lapide ab urbe distare Ostiam accepit, opinor, Freinshemius è corrupto Strabonis loco, cum tot alii auctores, tabulæ, itineraria XVI. quidam etiam XIII. millibus contenti sint. Vide Cluverium. *Gronovius.* *Hostiam* inique edidit Beroaldus, quum in ipso MS. sit *Ostiam.*

2 *Servum suum coerceret*] Rectum est. Etsi enim Clemens hic servus Agrippæ olim: tamen nunc Tiberii. ad quem scilicet universa Agrippæ hereditas venerat. *Lipsius.*

Servum suum coërceret] Muretus *suum* deleri voluit, quod refutat Lipsius, suppresso nomine & ipsa conjectura, tantum rectum esse vulgatum ajens. Et est forte rectum. Mihi tamen non inconcinnè ex *suum* scribi posse *statim* videbatur. quod profecto valde ad loci sententiam, si sequentia verba pensitas. *Acidalius.* Multo efficacius τὸ *suum.* Justin. libro 42. *Phraates legatos statim ad Cæsarem mittit, servum suum Tyridatem, & filium remitti sibi postulat.* Gronovius.

3 *Modo nihil spernendum*] Nam ut tenuis scintilla: si in materiam ad ignem concipiendum idoneam inciderit, magnum incendium excitat: sic ex tenui & exiguo principio magnæ interdum turbæ ac seditiones exoriri solent. *Muretus.*

4 *Modo non omnia metuenda*] Quædam enim quæ contempta evanescerent, interdum eo ipso crescunt, quod non negliguntur. *Muretus.*

5 *Ambiguus pudoris*] Pudebat, servi causa, commoveri. Metus erat, nisi malum nascens opprimeretur, ne convalesceret. Principiis obstandum esse, medici docent. *Muretus.*

6 *Dilegit atque hortatur*] Muretus *deligit.* Parum interest, *diligit*, an *deligit* scribas: dum tempore non præterito, sed præsenti. *Acidalius.*

7 *Simulata conscientia*] Id est, dissimulantes, quod scirent, quodque ipsi in præcordiis haberent certissima. *Aurelius.* Simulare se totius fabulæ conscios esse, eique adjumento fore, ut consilium suum ad optatum exitum perduceret. Alii, se agnoscere illum pro Agrippa, quod *conscientia* non congruit. *Conscire* enim est idem scire, quod alius scit. Porro Clemens sciebat se non esse Agrippam. *Freinshemius.* Hanc interpretationem admittere non possum. Quemadmodum enim planus hic confideret committeretque sese illis, qui dicerent: *Scimus te non esse Agrippam, quem præfert?* Prorsus hoc erat totam tragœdiam evertere. Qua fronte poterant offerre pecuniam, fidem & pericula polliceri, qui detrahebant ei aperte personam, sub qua erat favorabilis? Non erat tam fatuus Clemens, ut crederet homines, si nihil aliud, ingenuos & militares sacramento dicturos ei, quem fugitivum esse nossent. Quin *simulata conscientia* est fingentes se conscios ac participes eorum, qui jampridem illius adventum optarint & exspectarint,

adeoque

conscientia adeant, offerant pecuniam, [1] fidem, atque pericula polliceantur. Exsequuntur ut jussum erat. dein speculati noctem incustoditam, accepta idonea manu, vinctum clauso ore in palatium traxere. Percunctanti Tiberio, *Quomodo Agrippa factus esset?* respondisse fertur, [2] *Quomodo tu Cæsar.* Ut ederet socios, subigi non potuit. nec Tiberius pœnam ejus palam ausus, in secreta palatii parte interfici jussit, corpusque clam auferri. & quamquam multi è domo principis, equitesque ac sena-
41 tores, sustentasse opibus, juvisse consiliis dicerentur, haud [3] quæsitum. Fine anni arcus propter ædem Saturni [4] ob recepta signa cum Varo amissa, [5] ductu Germanici, auspiciis Tiberii; & ædes [6] Fortis Fortunæ Tiberim juxta in hortis, quos Cæsar dictator populo Romano legaverat; [7] sacrarium genti Juliæ, effigiesque divo Augusto apud Bovillas, dicantur. C. Cœlio L. Pomponio Consulibus Germanicus Cæsar A. D. VII Kalendas Junias [8] triumphavit de Cheruscis Cattisque & Angrivariis, quæque aliæ nationes usque ad Albim colunt: vecta spolia, captivi, [9] simula-

cra

adeoque conspirationis pro servato munere deum Agrippa factæ, & velle omni modo Augusti sanguinem adversus inimicos tueri. *Gronovius.*

1 *Fidem atque pericula polliceantur*] Forte, *fidem ad pericula polliceantur.* Tamen & vulgatum commode accipi potest: tanquam si communia sibi cum ipso pericula fore spondeant. *Acidalius.*

2 *Quomodo tu Cæsar*] Melius, opinor, sine interrogatione. significabat autem se astu & dolo Agrippam factum esse, itidem ut Tiberius astu & dolis Liviæ Cæsar effectus erat. *Muretus.* Germana historia in Xiphilino, de Bulla latrone, qui sub Severo captus, & interrogatus à Papiniano præfecto, juris nostri asylo, cur latrocinaretur. *Et tu*, inquit, *cur præfectus es?* Aurelius.

3 *Haud quæsitum*] Prudentissime. Nam sive vicisset, sive ignoscere voluisset, multos sibi inimicos reddidisset. Simile quiddam narratur de Cæsare cum reperisset multas literas ad Pompejum scriptas. *Muretus.*

4 *Ob recepta signa*] Vidi nummum æreum, in vicino agro Clivensi nuper effossum, qui hujus rei disertam injicit mentionem. Is altera parte repræsentat currum triumphalem, inque eo stantem Germanicum, manibus habenas ac Aquilam tenentem, addito, GERMANICVS CÆSAR. Altera parte idem Imperator conspicitur, capite laurea revincto, & manu itidem Aquilam militarem complexus, adscripto hoc elogio, SIGNIS. RECEPTIS. DEVICTIS. GERMANIS. S. C. Miror superbam inscriptionem. Magis hic ex vero Tacitus, qui subdit, Germanicum modo de Cheruscis, Cattisque & Angrivariis, quæque aliæ nationes usque ad Albim colunt, triumphasse. Et omnium verissime alibi, Germaniam à Romanis magis triumphatam fuisse, quam victam. Libro de Mor. Germ. *Boxhornius.* Habes apud Tristanum tabula quarta.

5 *Ductu Germanici, auspiciis Tiberii*] Sueton. in August. *partim ductu, partim auspiciis suis.* Apud Plin. libro 3. cap. 20. extat de eodem Augusto vetus inscriptio: *Quod ejus ductu auspiciisque gentes Alpinæ omnes, quæ à mari supero ad inferum pertinebant, sub imperium populi Romani sunt redactæ.* Q. Curtius libro VI. *Quorum alia ductu meo, alia imperio auspicioque perdomui. Ductu*, id est per se ipsum; *auspiciis*, quando per legatos bellum agitur, ut notum est. Tamen apud Plautum confunduntur. Sosia enim de hero Amphitruone loquens, qui contra Theleboas militaverat, ait: *ut gesserit remp. ductu, imperio, auspicio suo.* & ipse Amphitruo alibi: *eos auspicio meo atque ductu, primo cœtu vicimus.* Nam vere Creontis Thebani Regis auspiciis bellum patratum fuerat. *Pichena.*

6 *Fortis fortunæ*] German. & Ital. s. *della insperata Fortuna.* quod placet præ illo Angli, *of strong fortune.* Non enim *Fortis Fortuna*, sed *Fors Fortuna* dicitur. Gall. II. omisit cognomentum, tamquam nihil referret. Alter autem vertit *à l'heureuse Fortune*, quam sententiam probari videtur Grutero & Taubmanno in Plaut. Bacch. 4, 8, 75. *Freinshemius.* Antiqui *Forctum* dicebant pro bono. unde *Forctis*, qui bonus & frugi. In XII. Tabulis: *Sanatibus idem quod Forctibus jus esto.* Ex eodem *Forctuuus*, unde *Fors Forctuna*, id est, bona. Recentiores absolute *Fortunam*, de bona proprie ac secunda prosperaque. Hinc *Fortuna* pro bonis. *Salmasius.*

7 *Sacrarium genti Juliæ*] Addito etiam ludicro Circensi. quod docent Cornelii verba, libro XV. *Ludicrum Circense, ut Juliæ genti apud Bovillas, ita Claudiæ Domitiæque apud Antium ederetur.* At de Sacrario, exemplum imitatus in gente Flavia Domitianus, Statius V. Silvar.

——— *æternæ modo qui sacraria genti*
Condidit, inque alio posuit sua sidera cœlo.

Lipsius.

8 *Triumphavit de Cheruscis*] Plures gentes in hoc triumpho Strabo nominat, sed verbis corruptis: de quibus videro in Germania Taciti. *Idem.*

9 *Simulacra montium, fluminum*] Ovid. lib. 2. de Ponto El. 1.

Protinus argento versos imitantia muros

Barbara

cra montium, fluminum, prœliorum: bellumque, quia conficere prohibitus erat,
pro confecto accipiebatur. augebat intuentium visus eximia ipsius species, [1] currusque quinque liberis onustus. sed suberat occulta formido reputantibus, *haud prosperum in Druso patre ejus favorem vulgi: avunculum ejusdem Marcellum flagrantibus plebis studiis intra juventam ereptum: breves & infaustos populi Romani amores.* Ceterum Tibe- 42
rius, nomine Germanici, [2] trecenos plebi sestertios viritim dedit, seque collegam consulatui ejus destinavit. nec ideo sinceræ caritatis fidem adsecutus, amoliri juvenem specie honoris statuit, struxitque caussas, aut forte oblatas arripuit. [3] Rex Archelaus [4] quinquagesimum annum Cappadocia potiebatur, invisus Tiberio, quod eum Rhodi agentem, [5] nullo officio coluisset. nec id Archelaus per superbiam omiserat, sed ab intimis Augusti monitus; quia florente C. Cæsare, missoque ad res Orientis, intuta Tiberii amicitia, credebatur. Ut [6] versa Cæsarum sobole, imperium adeptus est; elicit Archelaum matris litteris, quæ non dissimulatis filii offensionibus, clementiam offerebat, si ad precandum veniret. ille ignarus doli, vel si intelligere crederetur, vim metuens, in urbem properat: exceptusque immiti à principe, & mox [7] accusatus in senatu; non ob crimina quæ fingebantur, sed [8] angore, simul fessus senio, & quia regibus [9] æqua nedum infima insolita sunt, finem vitæ, sponte an fato implevit. Regnum [10] in provinciam redactum est, *fructibusque ejus levari posse* [11] *centesima vectigal* professus Cæsar, ducentesimam in posterum statuit. Per idem tempus

Barbara cum victis oppida lata viris.
Fluminaque & montes, & in altis pascua silvis,
Armaque cum telis in strue juncta suis.

Horat. l. 2. Ep. 1.

Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.

Flor. *Rhenus, Rhodanus, & ex auro captivus Oceanus. Altera laurus Ægyptia. Tunc in ferculis Nilus, Arsinoe, & ad simulachrum ignium ardens Pharus.* Plin. l. 21. c. 5. *Aurelius.*

1 *Currus quinque liberis*] Ex triumphantium ritu, qui pueros minores in curru, grandiores interdum equis triumphalibus imponebant. Cicero pro Murena, Plutarchus, Suetonius, alii. *Lipsius.*

2 *Trecenos plebi sestertios*] Duodecim aureos. *Muretus.* Tres aureos Romanos, nostros septem Philippos vel ducatones argenteos & dimidiatum. *Gronovius.*

3 *Rex Archelaus*] Judææ tetrarcha, rex Cappadociæ. *Muretus.* Immo rex Cappadocum, non Judææ tetrarcha. Hic Herodis erat filius: ille ex posteris Archelai, Mithridatis præfecti. Archelai Judæi frater Alexander Archelai Cappadocis filiam Glaphyren uxorem habuit. *Gronovius.*

4 *Quinquagesimum annum*] Justa putatio. Cepit enim regnum ab Antonio, anno urbis DCCXVIII. Consule Dionem lib. XLIX. *Lipsius.*

5 *Nullo officio coluisset*] Cum tamen à suis apud Augustum accusatus, Tiberii patrocinio usus esset. Dio, Suetonius & Josephus lib. 2. de bello Judaico. *Muretus.* Iterum confundit duos Archelaos: nam de Cappadoce Dio 57. & Suetonius, de Judæo Josephus. *Gronovius.*

6 *Versa Cæsarum sobole*] Quidam *finitam* interpretantur. Sed *versam* Tacitus, non *finitam*, ait: supererat enim adhuc Agrippa Postumus, sed eversus, & in exilium missus. *Freinshemius.*

7 *Accusatus in senatu*] Quod novis rebus studeret. *Muretus.*

8 *Angore*] Suet. Tib. 49. *Cn. Lentulum augurem, cui census maximus fuerit, metu & angore ad fastidium vitæ ab eo actum.* Gronovius.

9 *Æqua, nedum infima*] De conditione hic statuque hominum, non jure vel injuria sermo est, regum summus est gradus, civium æquus, reorum infimus, qui hic innuitur. *Freinshemius.*

10 *In provinciam redactum est*] Non nunc quidem, sed paullo post à Germanico misso ad res Orientis. Infra: *At Cappadoces in formam provinciæ redacti, Q. Veranium legatum accepere.* Strabo lib. XII. Τῆς δὲ μεγάλης Καππαδοκίας νῦν μὲν οὐκ ἴσμεν πρώτην διάταξιν. Τελευτήσαντος γὰρ τὸν βίον Ἀρχελάου τοῦ βασιλεύσαντος ἔγνω Καῖσάρ τε καὶ ἡ σύγκλητος ἐπαρχίαν εἶναι Ῥωμαίων αὐτήν. Regnum autem Cappadociæ à Tiberio primum in provinciam redactum, consensu traditum est, Appianum quis hic audiet, qui refert ad Augustum? Verba ejus in Mithridatico: Ἀριοβαρζάνης μὲν ἂν τὴν βασιλείαν ὅλην τῷ παιδὶ ἐνεχείρισε, καὶ πολλαὶ μεταβολαὶ μέχρι Καίσαρος ἐγένοντο τοῦ Σεβαστοῦ. Ἐφ' οὗ, καθάπερ τὰ λοιπά, καὶ ἥδε ἡ βασιλεία περιῆλθεν ἐς στρατηγίαν: *Ariobarzanes regnum filio tradidit: variaque mutationes intervenerunt ad Cæsarem usque Augustum. Is, ut pleraque alia, etiam hoc regnum* (Cappadociam) *in Provinciam redegit.* Via excidisti, ô bone & fide alias scriptor. *Lipsius.*

11 *Centesima vectigal*] Onus hoc impositum urbi

tempus Antiocho [1] Comagenorum, Philopatore Cilicum regibus defunctis, turbabantur nationes, [2] plerisque Romanum, aliis regium imperium cupientibus: & pro-
43 vinciæ Syria atque Judæa, [3] fessæ oneribus, deminutionem tributi orabant. Igitur hæc, & de Armenia quæ supra memoravi apud patres disseruit; *nec posse* [4] *motum Orientem nisi Germanici sapientia componi, nam suam ætatem vergere, Drusi, nondum satis adolevisse.* Tunc decreto patrum permissæ Germanico provinciæ quæ mari dividuntur, [5] majusque imperium quoquo adisset, quam his qui sorte aut missu Principis obtinerent. Sed Tiberius demoverat Syria [6] Creticum Silanum per adfinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni vetustissimo liberorum ejus pacta erat: præfeceratque Cn. Pisonem ingenio violentum, & obsequii ignarum, insita ferocia à patre Pisone, qui [7] civili bello resurgentes in Africa partes acerrimo ministerio adversus Cæsarem juvit: mox Brutum & Cassium secutus, concesso reditu, petitione honorum abstinuit, donec ultro ambiretur delatum ab Augusto [8] consulatum accipere. Sed præter paternos spiritus, uxoris quoque [9] Plancinæ nobilitate & opibus accendebatur. vix Tiberio concedere; [10] liberos ejus ut multum infra despectare: nec dubium

& Italiæ, post bella civilia, ab Augusto: anno, nisi erro, DCCLIX. quo tempore ærarium militare institutum, ut tradit Dio l. LV. Colligo ex verbis Taciti, quæ l. I, *Centesimam rerum venalium post bella civilia institutam deprecante populo, edixit Tiberius militare ærarium eo subsidio niti.* Non aliud autem hoc vectigal, quam centesimus rerum in auctione venalium nummus. Auctor sic interpretandi Suetonius, qui ducentesimam auctionum appellat, in Caligula cap. XVI. *Ducentesimam auctionum Italiæ remisit.* ubi bene Turnebus emendat, *Centesimam.* Bene, inquam, maximus ille Criticus ævi nostri. Nec juvat Suetonii receptam lectionem hic locus Taciti: quia ille idem Tiberius, quasi pœnitentia beneficii, centesimam iterum instituit, ducentesima inducta. Clare Dio lib. LVIII. *Καὶ μετὰ τοῦτο* (id est, post Sejani mortem) *τέλος διακοσιοστὸν ἶχον, ἑκατοστὸν ἤγαγε.* Non narrat id Tacitus. fateor, quia ea omnis historia exstincta. At Dio idem, ubi de Caligula, sibi constans, centesimam ab eo sublatam ait, non ducentesimam. Vide ejus verba, LIX. *Idem.*

1 *Comagenorum*] Sic jam edidit Beroaldus suo arbitratu. At in MS. geminata litera m *Commagenorum* habet non solum in hoc loco, sed etiam c. 56. *Commagenis.* Utique hoc modo appellantur assidue in nummis, quin & apud alios auctores ita effertur hæc appellatio, quo justius ea usus fuit Em. Norisius ad Cenotaphia Pisana pag. 229. *Jac. Gronovius.*

2 *Plerisque Romanum*] Nobilibus: *aliis* regium imperium plebe. Josephus. *Muretus.*

3 *Fessa oneribus*] Sic *bello fessos* dixit lib. 12. Aliter Sidonius Apollinaris Carm. v.

Gallia continuis quanquam sis lassa tributis.

Pichena.

4 *Motum Orientem*] Recte; quasi dicat, turbatum commotumque Orientem. alias, non peccabis si legas, *motum Orientis.* Lipsius.

5 *Majusque imperium*] Id eximium jus tributum etiam olim Pompejo Magno, bello in piratas. Quod ait, sorte aut missu: dividit Proconsules, à Proprætoribus Legatisque. ut vere notavi lib. I. supra. *Idem.*

6 *Creticum Silanum*] Ex Junia familia hic Silanus, sed adoptione in Cæciliam transierat. Itaque nomina illi, Q. Cæcilius Metellus Creticus Silanus. Ex Dione, Cassiodoro, aliisque qui scripserunt Fastos. Consul fuit anno urbis DCCLX. cum Nerva Siliano. *Idem.*

7 *Civili bello*] Ita est, & nominat semel iterumque inter duces adversarios Hirtius tersissimo belli Africi Commentariolo: *M. Petrejus, & Cn. Piso cum equitibus Numidis mille sexcentum electis, peditatuque ejus generis satis grandi occurrunt.* Item ante: *Adrumeti Cn. Piso cum Maurorum circiter tribus millibus apparuit.* Idem.

8 *Consulatum accipere*] Consul fuit Cn. Calpurnius Piso, cum ipso Augusto, anno DCCXXXI. De ministerio ejus in bello Africo, vide, si lubet, Hirtium initio libri. *Idem.*

9 *Plancinæ nobilitate*] A Dione Munatia Plancina dicitur: ut certum sit eam celebris illius L. Munatii Planci filiam fuisse aut neptem. Nominat hanc ipsam Romæ lapis, in ædibus Cæsiis:

DIS. MANIBUS
L. MVNATI
PLANCINÆ. L.
POLYCLITI.

id est, Plancinæ liberti. *Idem.*

Nobilitate accendebatur] Hoc est, quia ditem & nobilem uxorem habebat, superbior erat redditus. diversum est dicere, exstimulatum ab uxore fuisse, ut quidam accepit, qui & sequentium, *vix Tiberio concedere*, &c. causam huic feminæ adsignat, præter auctoris mentem. *Freinshemius.*

10 *Liberos ejus*] Germanicum intellege, & Drusum. *Lipsius.*

1 *Mu-*

dubium habebat, se delectum, qui Syriæ imponeretur, ad spes Germanici coërcendas. credidere quidam data & à Tiberio occulta mandata, & Plancinam haud dubie Augusta monuit [1] muliebri æmulatione Agrippinam [2] insectandi. divisa namque & discors aula erat, tacitis in Drusum, aut Germanicum studiis. Tiberius ut proprium & sui sanguinis Drusum fovebat: Germanico alienatio patrui amorem apud ceteros auxerat; & quia claritudine materni generis anteibat, [3] avum M. Antonium, avunculum Augustum ferens. contra Druso proavus eques Romanus [4] Pomponius Atticus dedecere Claudiorum imagines videbatur. & conjunx Germanici Agrippina, fecunditate ac fama Liviam uxorem Drusi præcellebat. sed fratres egregie concordes, & proximorum certaminibus inconcussi. Nec multo post Drusus in Illyricum mis- 44
sus est, ut suesceret militiæ, studiaque exercitus pararet; simul juvenem urbano luxu lascivientem melius in castris haberi Tiberius, seque tutiorem rebatur, utroque filio legiones obtinente. Sed Suevi prætendebantur auxilium adversus Cheruscos orantes. nam discessu Romanorum, [5] ac vacui externo metu, gentis adsuetudine, & tum æmulatione gloriæ, arma in se verterant. vis nationum virtus ducum in æquo: sed Maroboduum regis nomen [6] invisum apud populares; Arminium pro libertate bellantem favor habebat. Igitur non modo Cherusci sociique eorum, vetus Arminii 45
miles, sumpsere bellum: sed è regno etiam Marobodui Suevæ gentes Semnones, ac Langobardi, defecere ad eum. quibus additis præpollebat, ni Inguiomerus cum manu [7] clientum

1 *Muliebri æmulatione*] Vult uxorem ejus à Livia stimulatam fuisse, ut in honoribus, qui ejus ordinis feminis deferuntur, Agrippinæ æmulam se ostenderet, nec in ullo negotio, quo mulierum animi occupari solent, quidquam ei concederet. Vulgo accipiunt, tamquam ita connectenda foret constructio. *Augusta muliebri æmulatione monuit Plancinam*; quum ego sic conjungerem, *muliebri æmulatione insectandi Agrippinam*. Freinshemius.

2 *Insectandi*] Non muto, etsi dictio non trita. Sic lib. xv. *Vologesi penitus infixum erat arma Romana vitandi*. Lipsius.

3 *Avum M. Antonium*] Tu qui in historia tiro, hæc pete ex Tabula stirpis Augustæ, quam inserui, fine librorum. Videbis autem *avunculum*, intellegi *proavunculum*. Idem.

4 *Pomponius Atticus*] Pomponius filiam virginem M. Agrippæ collocavit, ex quo Agrippina neptis illi nata est. Hanc Octavius Cæsar vix anniculam Ti. Claudio Neroni privigno suo despondit: quæ conjunctio, ut ait Cornelius Nepos, *necessitudinem eorum auxit, familiaritatem reddidit frequentiorem*. Vertranius.

5 *Vacui externo metu*] Simile illi Sallustiano: *Postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit*. Lipsius.

Ac vacui] Lib. vet. *vacue*. Muretus. Videtur voluisse, *vacua externo metu gentes, assuetudine, & tum æmulatione gloriæ*. Sed ita fuisse in unico Ms. codice non puto. *Gronovius*.

6 *Invisum apud populares*] Jure. Nam hic Maroboduus adolescens, Romæ benigne ab Augusto habitus reversus ad suos, artes & servitutem intulit externas. de quo jucunda & necessaria scitu Strabo lib. VII. Ἐν ταύτῃ δὲ ἐστὶ καὶ ὁ Ἑρκύνιος δρυμὸς, καὶ τὰ τῶν Σοήβων ἔθνη. Τὰ μὲν οἰκοῦντα ἐντὸς τοῦ δρυμοῦ, καθάπερ τὰ τῶν Κολδύλων. Ἐν οἷς ἐστὶ καὶ τὸ Βουιασμὸν, τὸ τοῦ Μαροβόδου βασίλειον, εἰς ὃν ἐκεῖνος τόπον, ἄλλους τε μετανέστησε πλείους, καὶ δὴ τοὺς ὁμοεθνεῖς ἑαυτῷ Μαρκομάννους. Ἐπέστη γὰρ τοῖς πράγμασιν οὗτος ἐξ ἰδιώτου, μετὰ τὴν ἐκ Ῥώμης ἐπάνοδον. Νέος γὰρ ἦν ἐνθάδε καὶ εὐεργετεῖτο ὑπὸ τοῦ Σεβαστοῦ, Ἐπανελθὼν δὲ ἐδυνάστευσε, καὶ κατεκτήσατο, πρὸς οἷς εἶπον, Λυΐους τὸ μέγα ἔθνος, καὶ Ζούμους, καὶ Βούτωνας, καὶ Μουγιλώνας, καὶ Σιβινοὺς καὶ τῶν Σοήβων αὐτῶν μέγα ἔθνος Σέμνωνας: *In hac Germania parte est etiam Hercynius saltus, & gentes Suevorum: quarum aliæ ipsam incolunt silvam, ut Celduli* (suspecta lectio, nec eam gentem nominatam alibi reperio) *in quibus est & Boviasmum* (forte, *Boyhaimum* vera scriptura, quasi Bojorum domus) *Marobodui regia. in quem locum cum alios complures transtulit, tum populares suos Marcomannos. Occupavit enim dominationem privatus, post reditum suum Roma: ubi juvenis vixerat, & beneficiis ab Augusto affectus fuerat. Reversus autem regnavit, & subjecit sibi, præter dictos, Luios* (omnino scribo Λυγίους, sive Lygios, quæ præcipua Suevorum gens Tacito) *magnam nationem, Zumos, Butones* (lego, *Guthones*) *Mugilones, Sibinos, & inter ipsos Suevos magnum populum Semnonas*. Ex his clara illa Taciti, quæ sequuntur; Maroboduum *Hercynia latebris defensum; Cæsaris satellitem*: magisque è Vellejo, quem omnino vide. *Lipsius*.

7 *Clientum*] In MS. unico legitur *clientium*, quod mutari non oportuerat magis in hoc loco, quam 3, 42.

1 Quia

tum ad Maraboduum perfugisset; non aliam ob caussam, quam [1] quia fratris filio juveni, patruus senex parere dedignabatur. Diriguntur acies [2] pari utrimque spe, nec, ut olim apud Germanos; vagis incursibus, aut disjectas per catervas: quippe longa adversum nos militia insueverant sequi signa, subsidiis firmari, dicta imperatorum accipere. At tunc Arminius equo conlustrans cuncta, [3] ut quosque advectus erat: *Reciperatam libertatem, trucidatas legiones, spolia adhuc & [4] tela Romanis derepta in manibus multorum*, ostentabat contra [5] *fugacem Marobodum* appellans, [6] *præliorum expertem*, [7] *Hercyniæ latebris defensum; ac mox per dona & legationes petivisse fœdus, proditorem patriæ, satellitem Cæsaris, haud minus infensis animis exturbandum, quam Varum Quinctilium interfecerint. meminissent modo tot præliorum, quorum eventu, & ad postremum ejectis Romanis, satis probatum*, [8] *penes utros summa belli fuerit.* Neque Ma-
46 roboduus jactantia sui, aut probris in hostem abstinebat: sed Inguiomerum tenens, *Illo in corpore decus omne Cheruscorum, illius consiliis gesta quæ prospere ceciderint*, testabatur. [9] *vecordem Arminium, & rerum nescium, alienam gloriam in se trahere, quoniam tres* [10] *vacuas legiones & ducem fraudis ignarum perfidia deceperit; magna cum clade Germaniæ,*

1 *Quia fratris filio juveni*] Juvenili prorsus ætate res magnas gessit, decus illud Germaniæ. Varum fudit anno vigesimosexto ætatis. Maroboduum nunc, anno xxxv. facile collectu ex Tacito, qui eum triginta septem annos vitæ, duodecim imperii explesse scribit. Obiit autem anno DCCLXXII. biennio post hanc pugnam. *Idem.*

Quia fratris] Segimeri. Vellej. lib. 2. *Juvenis genere nobilis, manu fortis, sensu celer, ultra barbarum promptus ingenio, nomine Arminius, Segimeri, principis gentis ejus, filius, ardorem animi vultu, oculisque præferens, assiduus militiæ nostræ prioris comes, & jam civitatis Romanæ jus, equestremque consecutus gradum.* Gronovius.

2 *Pari utrinque spe*] Recte sane *spe*. Rectius videri possit tamen *specie*, si sequentia statim verba consideras. *Acidalius.* Pari fiducia & spe acies utrimque instructa est. *Freinshemius.*

3 *Ut quosque advectus erat*] Plus est hic in auctore, quam in versionibus: neque hoc tantum adfirmatur, omnes ab eo fuisse commonitos: sed simul istud, non universos eadem opera, iisdemque verbis, verum alios alio tempore modoque fuisse appellatos, neque enim omnibus eadem quadrant: sicuti *spolia adhuc & tela Romanis derepta*, apud Cheruscos dicta intelligas; non apud Longobardos aut Semnones. Confer quæ nuper notavi ad Curt. 3, 10. *Ut cujusque animis aptum erat.* Freinshemius.

4 *Tela Romanis direpta*] Melius *derepta*. Plaut. in Aulul. *luce clara deripiamus aurum matrenis palam.* Acidalius. Non aliter scriptum est in unica MS. membrana, quam negligenter expresserunt typi, ut supra *destrictis*. In ea quoque legebatur paulo ante *longa adversum nos*, non *adversus*, pari motu vitiandi, ut c. 46. *Integrum adversum Romanos bellum*, ubi similiter edunt *adversus*.

5 *Fugacem Maroboduum*] Vide dictum Antalcidæ in Agesilaum apud Plutarchum in Lycurgo. *Muretus.*

6 *Præliorum expertem*] Arminius non tantum Romani belli tempora respicit, verum omnino præliorum imperitum vocat. Posset enim alias cum Romanis quidem non pugnasse, cum aliis autem, & forte vicinis suis sæpius; sed hic omnium præliorum peritia ei adimitur, non Romanorum solummodo. *Freinshemius.*

7 *Hercyniæ latebris*] Dierum hæc sexaginta iter occupabat. *Pomp. Mela.* Latitudo novem dierum iter expedito patet. Cæsar lib. 6. *Muretus.*

8 *Penes utres summa belli fuerit*] Quidam accipiunt de præsenti bello Marobodui cum Arminio, & *fuerint* interpretantur *futura sit*. Ego cum aliis malui *fuerit* habere pro præterito, & referre ad bellum Arminii cum Romanis. *Freinshemius.*

9 *Vecordem Arminium*] *Vecors* Tacito non significat *timidum* ut quidam accipiunt, sed amentem potius, temerarium & stolide ferocem. Sic 1, 32. 4, 22. 11, 26. 14, 62. & alibi. *Idem.*

10 *Vacuas legiones*] Id est, vacantes. Sic infra Tacitus, *vacantem provinciam, vacantem & vacuam mulierem* dixit pro vidua. Sic *vacuum uterum* dixit Jurisconsultus l. 30. §. pen. de adq. hered. *vacuas tabulas* l. 11. de injust. rupt. Nec melius explicaverit quisquam Paterculo istam cladem. *Exercitus*, inquit, *omnium fortissimus, disciplina, manu, experientiaque bellorum, Romanos inter milites, princeps, marcore ducis, perfidia hostis, iniquitate fortunæ circumventus, cum nec pugnandi quidem egregie occasio in quantum voluerant, data esset miseris, castigatis etiam quibusdam gravi pœna, quia Romanis & armis & animis usi fuissent: inclusus silvis, paludibus, insidiis, ab sævo hoste trucidatus est.* Aurelius. Quidam reddunt male instructas: ego de numero capiendum arbitror, qui non fuerit expletus: hoc est, ut puto, οὐκ ἐντελεῖς, verbo Strabonis lib. 17. de Ægypto, τρισὶ γὰρ σπείραις, οὐδὲ ταύταις ἐντελέσιν ἡ χώρα φρουρεῖται. *Freinshemius.* Subit illud Cæsaris, se *ire ad exercitum sine duce, atque inde rediturum ad ducem sine exercitu*

mania, & ignominia sua, cum conjunx, [1] *cum filius ejus servitium adhuc tolerent. At se duodecim legionibus petitum duce Tiberio, illibatam Germanorum gloriam servavisse. mox conditionibus æquis* [2] *discessum: neque pœnitere quod ipsorum in manu sit,* [3] *integrum adversus Romanos bellum, an pacem incruentam malint.* His vocibus instinctos exercitus propriæ quoque caussæ stimulabant. cum à Cheruscis, Langobardisque, pro antiquo decore, aut recenti libertate; & contra, augendæ dominationi certaretur. Non alias majore mole concursum, neque ambiguo magis eventu, fusis utrimque dextris cornibus. Sperabaturque rursum pugna, ni Maroboduus castra in colles subduxisset. Id signum perculsi fuit: [4] & transfugis paulatim nudatus, in Marcomannos concessit, misitque legatos ad Tiberium oraturos auxilia. Responsum est, *non jure eum adversus Cheruscos arma Romana invocare, qui pugnantis in eundem hostem Romanos nulla ope juvisset.* Missus tamen Drusus, ut retulimus, pacis firmator. [5] Eodem anno duo- 47
decim

exercitu. Et hoc *vacuum* sæpe, carens præside, vindice, defensore, domino. Brutus ad Cic. lib. 11. fam. 10. *Quantam perturbationem rerum afferat obitus consulum, quantamque cupiditatem hominibus injiciat vacuitas.* i. orba respublica. Hoc libro: *repeteret provinciam non jure ablatam & vacuam.* lib. 12. *vacuam rursus Armeniam Rhadamistus invasit.* Et sæpe. Ambrosius in Hegesippo 2, 17. *tanquam in vacuum populum omni injuriarum genere processit.* Sed additur, inquis, *ducem fraudis ignarum.* Respondeo, ideo *vacuæ legiones*, hoc est, sine duce, quia dux fraudis ignarus & improvidus: non enim cautor, ipse qui capitur. *Gronovius.*

1 *Cum conjunx, cum filius ejus servitium adhuc tolerent*] Sic placuit sequi Beroaldum, cui e vestigio decretum fixumque fuit ita scripsisse Tacitum, postposita & suppressa lectione antiqui codicis, ut minime succenseri queat posterioribus nulla animadversione scripturæ veteris in hoc proclivibus. Membrana vero unica exhibet *filios*, non *filius*, verum eo pacto, ut litera postrema sit longe brevior antecedenti, non aliter ac si fuisset *filio*, cui deinde adjecta litera sibilans, sed in exiguum contracta. At Tacitus exacte scripserat *cum conjunx cum filio ejus servitium adhuc tolerent.* Id ipsum namque nunc in mente habuit auctor, quod ille, quum scriberet; *Remus cum fratre Quirino jura dabant.* Jac. Gronovius.

2 *Discessum. neque pœnitere*] Sententia vult sic potius distingui: *Mox c. æ. discessum, neque pœnitere. quod* (id est quoniam) *ips. i. m. sit* &c. *Acidalius.*

3 *Integrum bellum*] Plerique novum aut acre accipiunt. Sed *integrum bellum* dicitur hic, quod pari spe & robore geritur: neutro adhuc inclinante victoria: sicut *integra res*, aut *causa*, nullo præjudicio delibata, aut in alterutram partem propendens. *Fremshemius.*

4 *Et transfugis paulatim nudatus*] Hoc eo pertinet, quod supra proxime legitur: *Ni Inguiomerus, cum manu clientium ad Maroboduum perfugisset.* Ferretus. Lipsius mavult, *transfugis.* Sed nihil est mutandum. Intellige *transfugas*, qui cum Inguiomero, patruo Arminii, ab Arminio, sub hujus belli initium, ad Maroboduum defecerant. De quibus supra Tacitus. Hi afflicta Marobodui fortuna, ut tales solent, eum deseruere. Nulla quippe constantia fidei in istis, neque iis fidendum, qui in suos fidem non servavere. *Boxhornius.* Quare autem his potius quam quibusvis aliis, quos levitas ingeniorum ubique, sed magis apud inferiores fortuna, præbet? An non dixit Tacitus jam ab initio belli Semnones & Longobardos quoque è regno Marobodui defecisse ad Arminium? Quanto magis quosvis alios inclinato statu? Neque illud *paulatim nudatus* de paucis aut uno genere multitudinis satis commode intelligas. Subscribo igitur Lipsio, quem & Freinshemius secutus: *multi subinde ex ipsius partibus ad Arminium transfugerunt; & sic cum vires suas decrescere, seque paulatim copiis exui animadverteret.* libro 2. histor. *Crebris ut in civili bello transfugiis.* libro 3. *Crebra transfugia tribunorum centurionumque.* Gronovius.

5 *Eodem anno*] Terræmotus hujus mentio Plinio: *Maximus terræ, memoria mortalium, exstitit motus Tiberii Cæsaris principatu, XII. urbibus Asiæ una nocte prostratis.* Bonum Orosium quam fugit ratio, qui hunc tremorem terræ ad tempus refert mortui nostri Servatoris? quod nos quidem scimus totis quatuordecim annis posterius fuisse. Scilicet egebant hoc fuco sacræ literæ. De eodem Strabo, libro XII. Καὶ τὰ περὶ Σίπυλον δὲ καὶ τὴν ἀνατροπὴν αὐτοῦ, οὐ δεῖ μῦθον τίθεσθαι. Καὶ γὰρ νῦν τὴν Μαγνησίαν, τὴν ὑπ' αὐτῷ, κατέβαλον σεισμοί. Ἡνίκα καὶ Σάρδεις καὶ τῶν ἄλλων τὰς ἐπιφανεστάτας κατὰ πολλὰ μέρη διελυμήναντο. Ἐπηνώρθωσε δὲ ὁ ἡγεμὼν χρήματα ἐπιδούς, καθάπερ καὶ πρότερον ἐπὶ τῆς γενομένης συμφορᾶς Τραλλιανοῖς ὁ πατὴρ αὐτοῦ καὶ Λαοδικεῦσιν: *Et quæ de Sipylo, deque ejus subversione dicuntur, non oportet fabulam censere. Nam & nunc Magnesiam, quæ sub ipso est, terræmotus dejecerunt; quando & Sardes, & alias illustres urbium, pluribus locis labefactavit. Instauravit autem Princeps, pecunias largiens, sicut & pater ejus* (Augustus) *antea, in simili clade, Trallianis & Laodicenis subvenerat.* Lipsius.

decim celebres Asiæ urbes conlapsæ nocturno motu terræ, quo improvisior graviorque pestis fuit. neque solitum in tali casu effugium subveniebat in [1] aperta prorumpendi, quia diductis terris hauriebantur. [2] *Sedisse immensos montes, visa in arduo quæ plana fuerint, effulsisse inter ruinam ignis* memorant. [3] Asperrima in Sardianos lues plurimum in eosdem misericordiæ traxit. nam centies sestertium pollicitus Cæsar, & quantum ærario, aut fisco pendebant, in quinquennium remisit. [4] Magnetes à Sipylo, proximi damno ac remedio habiti. [5] Temnios, [6] Philadelphenos, [7] Ægeatas, [8] Apollonienses, [9] quique Mosceni aut Macedones Hyrcani vocantur,

Duodecim] At Tredecim eas facit Eusebius in Chronico, sed nominibus valde corruptis. *Tredecim urbes terramotu corruerunt. Ephesus, Magnesia, Sardis, Mosthene, Megachyero, Cæsarea, Philadelphia, Himolus, Temis, Cuma, Myrrhina, Apollonia, Diahircania.* Emendabis *Mosthene Æga, Hierocæsarea, Philadelphia, Tmolus, Temnus, Cuma, Myrina, Apollonia, Hyrcania.* Idem.

Eodem anno duodecim celebr. Asiæ urbes] Terræ motu cum dominus noster Jesus crucifixus est, Asiæ civitates dirutas, quibus remissum tributum, & datam libertatem Paulus Orosius refert, nescio quos secutus auctores. Ejus certe relatio annis XIV. posterior scriptione Dionis & Cornelii est: hoc præterea differens, quod ille dici hora sexta, hic vero terram noctu movisse scribit. *Vertranius.* Plinius libro 2. cap. 84. Eusebius XIII. fuisse ait, & eas nominat. meminit & Strabo ad finem libro 12. & 13. & Suetonius. *Muretus.* Fuit Asia semper his voraginibus obnoxia. Et tangit in Pallio Tertullian. *Utinam*, inquit, *& Asia secura jam sit de soli ingluvie.* Agathias male, qui hunc terræ motum temporibus Augusti tribuit, libro 2. qui sub Tiberio accidit, & in chasmate describendo fœlix fuit, imo & acutus plurimum, cum dicat: *Terræ motum rem esse aptabilem, si discerneret bonos à malis; & hos perderet, illis parceret.* Aurelius.

1 *In aperta prorumpendi*] *Aperta* palam est opponi tectis. Sicut itaque tectis ruentibus majus in tali casu periculum, sic in apertis locis major est fiducia & spes salutis. *Freinshemius.*

2 *Sedisse immensos montes*] Juvenal. Sat. 6. *Nutare urbes, subsidere terras.* Et Sallustius in fragm. *Ventis per cava terræ citatis, rupti aliquot montes, tumulique sedere.* Aurelius.

3 *Asperrima in Sardianos lues*] Bianoris epigramma in hanc rem est libro 1. Anthologiæ:

Σάρδιες αἱ τὸ πάλαι Γύγου πόλις, αἵ τ' Ἀλυάττεω,
Σάρδιες, αἱ βασιλεῖ Περσὶς ἐν Ἀσιάδι,
Αἱ Κροίσῳ τὸ παλαιὸν ἐπλινθώσασθε μέλαθρον,
Ὄλβον Πακτωλοῦ ῥεύματι δεξάμεναι.
Νῦν δὲ ὅλαι δύστηνοι, ἐς ἓν κακὸν ἁρπασθεῖσαι,
Ἐς βυθὸν ἐξ ἀχανοῦς χάσματος ἠρίπετε.
Βοῦρα, καὶ ἐν Ἑλίκῃ κεκλυσμένα, αἱ δ' ἐνὶ χέρσῳ
Σάρδιες ἐν βυθίοις ἐς ἓν ἵκεσθε τέλος.

Lipsius.

4 *Magnetes à Sipylo*] Strabo. Οὐκ ἄπωθεν δὲ τούτων τῶν πόλεων, οὐδ' ἡ Μαγνησία ἐστὶν ἡ ὑπὸ Σιπύλῳ, ἐλευθέρα πόλις ὑπὸ Ῥωμαίων κεκριμένη. Καὶ ταύτην δὲ ἐκάκωσαν οἱ νεωστὶ γενόμενοι σεισμοί. *Haud procul his urbibus & Magnesia est à Sipylo: quæ libera judicata est à Romanis. Hanc & terræmotus ii adflixerunt, qui nuper exstiterunt.* Scitum jam autem duas Magnesias esse, à Sipylo, & à Mæandro. Tiberiani nummi exstant, monumentum benivolentiæ & liberalitatis in adflictas urbes, quibus inscriptum: CIVITATIBVS. ASIÆ. RESTITVTIS. *Idem.*

Magnetes à Sipylo] Plinius libro 5. cap. 9. *Smyrnæum conventum, magna pars Æoliæ frequentat: præterque Macedones Hyrcani cognominati, & Magnetes à Sipylo.* Ferretus. Magnetes, alii ἐπὶ Μαιάνδρῳ. alii ὑπὸ Σιπύλῳ. Strabo libro 13. & Plinius. Cic. in epist. ad Q. Fratrem. Ptolemæus libro 5. *Muretus.* Duæ fuere Magnesiæ: una inter Caystrum & Mæandrum, non longe à Trallibus; quæ antiquissima, & cum Cumis eodem tempore condita, ut ait Euseb. de Præpar. Euang. libro 10. cap. 3. Altera Sipylo propinqua. Quod passim in Conciliorum tomis observari potest, in episcoporum subscriptionibus. Et ambæ à Magnete lapide dictæ. *Aurelius.*

5 *Temnios*] Urbs ipsa Temnus Straboni XIII. *Lipsius.*

Temnios] *Fuit*, inquit Plinius lib. 5. cap. 30. *in ore Hermi fluvii oppidum Temnos.* Quod ostendit ejus ætate amplius non fuisse. Et fortasse ita dicta, quod in ea nemus esset deo cuidam dicatum. Fuit autem & alia, sed Asiaticam memorat, quia in Asia quassatio, de qua hic loquitur. *Aurelius.*

6 *Philadelphenos*] In Asia duæ sunt Philadelphiæ; una in Cilicia, altera non longe à Tmolo, de qua heic. Vicinæ Tmolo urbes hac clade fuerunt affectæ, non illa Philadelphia quæ in Cilicia. *Aurelius.*

7 *Ægeatas*] *Æge*, inquit Plin. libro 5. cap. 27. *Urbs Ciliciæ, & oppidum liberum.* Sed quia hæc, quæ in Cilicia, distat nimium à loco terræ motu exhausto, putarem hic debere intelligi istos *Ægeatas*, ab *Æge*, quæ sita ad Hermum fluvium: tamen aliorum sit judicium: de ista enim Æge ita Plin. cap. 30. lib. 5. ubi de Æolide: *Æge. Attalea. Possidea.* At in Æolide hic terræ motus. *Idem.*

8 *Apollonienses*] Multæ Apolloniæ, Pontica, Macedonica, Cyrenaica. Hic Apollonia Troadis, quæ prius Assos dicta. Plin. lib. 5. cap. 30. πόλις εὐνομωτάτη, ait Strabo 7. *Idem.*

9 *Quique Mosceni*] Verius *Mosteni*. quo nomine urbs

cantur, & [1] Hierocæſaream, [2] Myrinam, Cymen, Tmolum, levari idem in tempus tributis, mittique, ex ſenatu placuit, qui præſentia ſpectaret, refoveretque. delectus eſt M. Aletus è prætoriis, ne conſulari obtinente Aſiam, æmulatio inter pares, & ex eo impedimentum oriretur. [3] Magnificam in publicum largitionem auxit Cæſar 48
haud minus grata liberalitate, quod [4] bona Æmiliæ Muſæ locupletis inteſtatæ petita in

urbs Lydiæ. *Lipſius.* Non tantum ita edidit Beroaldus, ſed etiam ſcriptum clare eſt in codice unico, eamque veram appellationem confirmavit ſine ſcrupulo marmorea Baſis Puteolana, quam laudabili labore illuſtravit optimus & unicus frater meus Laurentius Theodorus, ubi etiam rite probavit *Apollonidenſes* vocatos fuiſſe, qui vulgo in Taciti editionibus dicuntur *Apollonienſes*; quod mutare tamen non ſuſtinui, quoniam in membrana vetere ſic perhibentur, prout facile excidere librario potuit. *Jac. Gronovius.*

Quique Moſceni aut Macedones] Mentio Moſthenorum fit Plinio. *Rhenanus.* Si hos confundimus, non amplius duodecim urbes, ut Tacitus voluit, ſed una minus, numerabuntur. Diſtinguendi igitur hi populi, vimque hanc habet particula *aut*, ac ſi dixiſſet, *quique Moſceni, & qui Macedones Hyrcani vocantur.* Sic 4, 63. *Par forma aut ætas*, item, *debilitata vel obtrita*, de diverſis, non de iiſdem, capienda ſunt. *Freinshemius.*

1 *Hierocæſaream*] A Ptolemæo ponitur inter Aſiæ urbes, in Doride. *Aurelius.*

2 *Myrinam, Cymen, Tmolum*] Plin. libro 5. cap. 30. *In Æolide ſunt Cyme, Myrina, quæ Sebaſtopolim ſe vocat.* Aurelius. Non ſatis expedio me ex hoc loco, quia *Tmolum* hic inter urbes numerat, qui ſemper ut mons memoratur, nec ullum in eo oppidum reperio. Certe Strabo, qui ſub hæc tempora ſcripſit, hujuſque terræ motus mentionem facit, nullius in eo ædificii meminit, præterquam ſpeculæ cujuſdam Perſicæ, non omiſſurus urbem, ſi qua ibi fuiſſet. Inde aliquando in mentem venit legere, *quique Moſceni* (*Moſteni* ſunt Ptolemæo, Plin. 5, 30. *Moſſuni*) *aut Macedones Hyrcani vocantur, & Hierocæſaream, Myrinam, Cymen incolunt.* Sed reclamat Euſebius, qui ad annum MMCCC. inter urbes hoc terræ motu afflictas exſerte *Tmolum* nominat. Nec tamen ſequi ſatis tutum ſit, cum in eadem hiſtoria alibi quoque peccet. Cum enim noſter & Plinius 2, 84. conſenſu tradant de duodecim urbibus, ille tredecim numerat, interque eas neſcio quam *Hyrganiam*, quæ & ipſa nuſquam, quod ſciam, reperitur. Sane campum Hyrcanium Stephanus de urbibus, & Strabo libro 13. agnoſcunt, quem à colonis juſſu Perſarum eo deductis ſic appellatum Strabo ſcribit. In iiſdem locis poſtea Macedones conſediſſe veriſimile eſt, atque ita gente utraque permixta geminarum quoque nomen fuiſſe, ut *Macedones Hyrcani* vocarentur, quomodo & Plinius 5, 29. nominat, quos conſentaneum eſt non unam aliquam urbem, ſed plures eo tractu coluiſſe. *Freinshemius.*

3 *Magnificam in publicum largitionem*] Quid per hæc verba Tacitus intellexerit, non advertunt; quum auctor de nulla alia re, niſi levatis terræ motu adflictarum damnis, hic loquatur aut ſentiat. *Freinshemius.*

4 *Bona Æmiliæ Muſæ*] In tenebroſo loco collineabo ad ſcopum. & neſcio an tangam. Æmiliam hanc Muſam libertam fuiſſe, id primum pono. argumento cognominis Græci, quod ſcio notam ſervitutis. Ideo in Tacito legerim, *Muſæ L. locupletis*, id eſt, Libertæ locupletis, uſitata formula ſcribendi. Sed cur, inquies, bona ejus petita in fiſcum? cur non data patrono patroniſve, uti lex jubet? Julianus ait libro 23. de bon. libert. *Si libertus inteſtato deceſſerit, patronum aut filium nepotemve ejus ad ſucceſſionem vocari, indubitatum eſt.* Ulpianus ait libro 2. de ſuis her. *Liberto inteſtato mortuo, primum ſuis deferri hereditatem verum eſt: ſi hi non fuerint, tunc patrono.* Hæc ſi vera: quis locus potuit eſſe fiſco? An forte nec ſuus heres huic Muſæ, nec patronus ſuper quiſquam fuit? Tale aliquid elicias ex Taciti verbis, dum ait, *Lepido conceſſit, cujus è domo videbatur*: quaſi ambiguum de domo patronoque fuiſſet. Erant autem non Romæ ſolum, ſed & in provinciis Procuratores ſive Rationales, qui bona ejuſmodi caduca legerent tollerentque. Strabo de Ægypto: Ἄλλος δ' ἐστὶν ὁ προσαγορευόμενος ἴδιος λόγος, ὃς τῶν ἀδεσπότων καὶ τῶν εἰς Καίσαρα πίπτειν ὀφειλόντων ἐξεταστής ἐστι. Lipſius.

Bona Æmiliæ Muſæ] Ambigi video cur hæc bona petita in fiſcum: & placuiſſe viris magnis, Æmiliam libertam, & libertam ſine patrono fuiſſe. Hoc poſtremum cauſam aliquam dederit confiſcandis bonis, quaſi vacantibus; illud non item. Nunquam enim jus principi in bona libertorum, ſive teſtamento facto ſive inteſtato morientium, niſi ſuorum; eodem jure, quo privati utuntur ſcilicet. Nam de Cerylo Veſpaſiani non eſt, quod ita fluctuent viri docti, quem certum mihi aut ipſius Veſpaſiani, aut alicujus è proximis ejus libertum. Torrentius Latinum vult fuiſſe: ſed in Latini bonis quid juris fiſco? Immo libertum Imperatoris ipſius, aut alicujus è propinquis; nam & in libertos propinquorum jus nobis ſemiſſis, ſi moriuntur ſine liberis teſtati; aſſis, ſi inteſtati. §. *multis* Inſtit. de ſucc. libert. quod eſt ex veteri jure, ut docet L. *Liberto* 17. D. de bonis libert. & aliæ. Indeque explicandus & ille locus è Suetonii Nerone; *Ante omnia inſtituit, ut è libertorum bonis pro ſemiſſe dodrans cogeretur ei, qui ſine probabili cauſa eo nomine eſſent,*

in fiſcum, Æmilio Lepido, cujus è domo videbatur; & [1] Patulei divitis equitis Romani hereditatem (quamquam ipſe [2] heres in parte legeretur) [3] tradidit. M. Servilio, quem prioribus neque ſuſpectis tabulis ſcriptum compererat; *nobilitatem utriuſque pecunia juvandam* præfatus. Neque hereditatem cujuſquam adiit, [4] niſi cum amicitia meruiſſet. [5] ignotos & [6] aliis infenſos, eoque principem nuncupantes, procul arcebat. Ceterum ut honeſtam innocentium paupertatem levavit; ita prodigos & ob flagitia egentes Vibidium Varronem, [7] Marium Nepotem, Appium Appianum, 49 Cornelium Sullam, [8] Q. Vitellium movit ſenatu, aut ſponte cedere paſſus eſt. Iiſdem

eſſent, quo fuiſſent illa familia, quas ipſe contingeret. Qui locus haud dubie capiendus de libertis, qui ſine patrono. Si enim patronus fuit, cur deminutum jus ejus fraudati ſuo ſemiſſe? Et omnino de iis, qui liberti fuerant eorum, quos Tiberius, Cajus, Claudius, Nero ipſe, nobiles & illuſtribus è familiis occiderant, bona eorum voluit cogi in fiſcum Nero, quaſi ſua; quippe qui liberti eorum, quos ipſe cognatione contingeret: id enim ex nomine apparet. Et hoc eſt, quod ait, *ſine probabili cauſa:* qui nimirum patronum vivum non haberent, à quo id nomen: nam ſi habent, nullum jus fiſci aut Cæſaris. Semiſſem quidem habebat jure; ſed voluit etiam alterius ſemiſſis ſemiſſem, hoc eſt, dodrantem, ſi ea lectio recta. Nam cedere in bona libertorum quorumlibet jus ſemiſſis fiſco, divinare eſt: præcepta enim iis eſſet omnis teſtamenti facultas, altero jam ſemiſſe debito patronis. Et in eo loco Suetonii, *cogeretur ei*, id eſt, fiſco principis; propria voce cogendi, quam obſervabis fere ſemper in hoc jure. Infra libro 5. *Ablata ærario, ut in fiſcum cogerentur*, & in D. Marci Conſtitutione, Inſtitut. de eo, cui lib. cau. bo.add. Non ergo jus fiſco aliud in bona libertorum alienorum, quam bonorum vacantium, ſcilicet idem quod in bona ingenuorum: quo ego jure capio delata Æmiliæ bona ad fiſcum, ingenuæ ac ſine ſucceſſione mortuæ. ita enim fit. lib. *Quidam.* §. *quoties.* de legat. 1. & paſſim apud veteres ſcriptores. Verum ea reſtituta Lepido, quaſi gentili; quippe, cui nomen idem. *Domus* ergo, pro familia, gente; ut ſæpe. *Mercerus.*

1 *Patulei*] In unico MS. libro eſt *Patulei.* Et quantum ea appellatio differt ab iſto corrupto *Pancello*, qui legebatur 13,22. ſub quo ſagaciter Lipſius fiat odoratus latere *P. Anteio.* Certe ſunt omnia in unum idemque nomen vergentia. *Jac. Gronovius.*

2 *In parte heres*] Haud dubium eſt æquivalentem eſſe formulam his uſitatioribus, *ex parte*, vel *in partem.* Cic. ad Att. 7, 8. *Dolabellam eſſe video in triente.* Frinshemius.

3 *Tradidit M. Servilio*] Patulejus duo teſtamenta fecerat, utrumque rite & recte. Priore inſtituerat hæredem Servilium, eumque ſolum & ex aſſe. Secundo, Servilium & Tiberium pro æquis partibus. Secundo teſtamento primum infirmabatur; nec dubium eſt. Tiberius tamen totam hæreditatem Servilio adjudicavit. Quod poſtea D. D. Severus & Antoninus, in eadem quæſtione, judicio ſuo comprobarunt, §. *ſed etſi quis.* Inſtit. Quib. mod. teſt. infirm. & hæredem ſcriptum ſecundo teſtamento, hæreditatem totam reſtituere voluerunt. Sed Tiberius laudabilior; quod hi, nihil de ſuo, ille jure teſtamento ſibi quæſita largitus eſt. *Aurelius.*

4 *Niſi cum amicitia meruiſſet*] Mur. *niſi quam am.* Rectius ſane. At legi etiam poterat, *niſi cujus amicitiam meruiſſet.* De verbo *merendi* eo ſignificatu ad Plinii & Symmachi Epiſtolas actum dictumque. *Acidalius. Niſi cum*, vel quoties, inquit Tacitus, ab eo ſcribebatur hæres, à quo id *amicitia*, hoc eſt, familiaritate aut beneficiis, *meruiſſet.* Nihil ſollicitandum. *Gronovius.*

5 *Ignotos*] Adulationes averſatus Tiberius, hæres ab ignoto factus, non adiit, quia amicitia judicium defuncti non meruiſſet. *Vertranius.*

6 *Aliis infenſos*] Hoc Tiberii factum ſecutis principibus exemplar fuit; & adhuc eſt, relatumque à Julio Paulo ſententiarum lib. v. cujus verba ſunt: *Imperatorem litis cauſa heredem inſtitui invidioſum eſt: nec calumniæ facultatem ex principali majeſtate capi oportet.* lib. xci. D. de hæredibus inſtituendis. lib. xxii. D. de jure fiſci. *Vertranius.* Pertinax Tiberium imitatus dicebat ſe *non admiſſurum hereditatem ejus, qui litis cauſa, principem ſcripſiſſet heredem: neque tabulas non legitime factas, in quibus ipſe ob eam cauſam heres inſtitutus eſſet, probaturum. neque ex nuda voce heredis nomen, neque ex ulla ſcriptura, cui juris auctoritas deſit, aliquid adepturum.* §. ult. quib. mod. teſt. infirm. En exemplar juſti & boni principis. Vis ad hæc præclarum verbum? *A bono patre non ſcribi heredem niſi malum principem*, ait Tacitus in Agricola. *Aurelius.*

7 *Marium Nepotem*] Hunc Senecæ quoque nominatum arbitror, de beneficiis, 2, 7. *Tiberius Cæſar rogatus à nepote M. Allio prætorio, ut æri alieno ſuccurreret.* Neque ibi *nepotem* pro decoctore & prodigo, cum Mureto capiam, neque putem eum eodem & Lipſio, Tacitum hujus hominis nullam mentionem facere. Potius emendem in Seneca *rogatus à Nepote Mallio* (ſive malis ex Taciti ſcriptura, *Mario*) ut ita cognomen familiæ fuerit *Nepos.* ſicuti Corneliis, Liciniis, & Metellis &c. *Freinshemius.*

8 *Q. Vitellium*] Suetonius in Vitellio cap. 11. ſatis obſcure: *Quintus caruit ordine, cum auctore Tiberio*

dem temporibus deum ædes vetustate aut igni abolitas, cœptasque ab Augusto, dedicavit, [1] Libero Liberæque & Cereri juxta Circum maximum, [2] quam A. Postumius dictator voverat; eodemque in loco ædem Floræ, ab Lucio & Marco Publiciis ædilibus constitutam: & Jano templum, quod apud forum olitorium [3] C. Duillius struxerat; qui primus rem Romanam prospere mari gessit, triumphumque navalem de Pœnis meruit. [4] Spei ædes à Germanico sacratur: hanc Atilius voverat eodem bello. Adolescebat interea lex majestatis. & Apulejam Variliam [5] sororis Augusti

rio secerni minus idoneos Senatores removerique placuisset. Lipsius.

1 *Libero Liberaque & Cereri*] Pro *Libera* Proserpinam accipiendam arbitror. Diodorus in IIII auctor est, ex Jove Cererem Liberum genuisse. In antiquis spectationibus legitur hujusmodi epitaphium. *Fab. Acconiae. Paulinae. C. F. Acceuii. Catulini. V. C. expraef. consul. ord. uxori. Vetti. Praetextati. V. C. praef. & cons. des. sacratae. apud Eleusinam. deo. Baccho. Cereri. & Corae. sacratae. apud Laernam. deo. Libero. Cereri & Corae. sacratae. apud Æginam deabus. Tauroboliae. & Hierophantriae.* Alciatus. Sic quoque Livius dixit libro XLI. extremo: *Supplicatio ad Cereris, Liberi, Liberaque fuit.* Ædis autem illius ab A. Postumio votæ, meminit Dionysius libro VI. extremo, & M. Tullius II. de natura Deorum. *Vertranius.* Mire *Laernam* vocavit, pro qua Lipsius *Ægynam.* Haud dubie vitiosus omittendis nonnullis Alciatus, & Lipsius intellexit insulam Æginam, ut recte legitur apud Gruterum.

2 *Quas A. Postumius Dictator*] Emendo, *quam.* His enim tribus unum templum. A solo Dionysio copiosa lux huic loco, libro VI. de A. Postumio: Ἀπὸ δὲ τῶν λαφύρων ἐξελόμενος τὰς δεκάτας, ἀγῶνάς τε καὶ θυσίας τοῖς θεοῖς ἐποίει καὶ ναῶν κατασκευὰς ἐξεμίσθωσε Δήμητρι, καὶ Διονύσῳ, καὶ Κόρῃ, κατ' εὐχήν. Vovit igitur A. Posthumius, sed dedicavit C. Cassius Consul. Idem Dionysius, fine ejusce libri: Κάσσιος δὲ ὁ ἕτερος τῶν ὑπάτων, ὁ καταλειφθεὶς ἐν τῇ Ῥώμῃ, τόν τε ναὸν τῆς Δήμητρος καὶ Διονύσου καὶ Κόρης ἐν τῷ μεταξὺ χρόνῳ καθιέρωσεν, ὅς ἐστιν ἐπὶ τοῖς τοῦ μεγίστου ἱπποδρόμου τέρμασιν, ὑπὲρ αὐτὰς ἱδρυμένος τὰς ἀφέσεις, εὐξαμένου μὲν αὐτὸν Αὔλου Ποστουμίου τοῦ δικτάτορος, &c. *Cassius alter Consul relictus Romæ templum interim Cereris, Liberi, Liberaque dedicavit. quod est in extremo Circo maximo super ipsos carceres situm, votum olim ab A. Postumio dictatore, &c.* Est autem Liber, Bacchus: Libera, soror ejus Proserpina, nati ex Cerere uterque. Ideo ordo decentior in Dionysio, qui matrem religiose ubique præponit, quam in nostro qui posthabuit. Libera autem alias Cora. Lapis Romæ, DEO. BACCHO. CERERI. ET. CORÆ. SACRATÆ. APVD. ÆGINAM. Estque eadem cum Proserpina. E Solino tolli velim glossema cap. XI. *Quem propter est demersum foramen quo Ditem patrem ad raptus Proserpinæ liberè exeuntem fama est in lucem ausum.* scribe, *ad raptus Liberæ exeuntem, &, fama est lucem ausum.* Adde Livii locum libro III. *Familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberaque venum iret.* Lipsius.

Quos A. Postumius] Hic devictis Volscis triumphans, de spoliorum decimis ludos & sacra diis fecit XL talentorum impendio, & ædem locavit Cereris, Liberi, Liberæque. Nam initio belli laboratum erat victus inopia, ideoque inspectis libris Sibyllinis, voverat dictator, si imperii sui tempore uber proventus esset, se illis templa structurum, & annua sacra institurum. Dionys. libro 6. Circus autem Maximus, est tota illa planities inter Palatinum & Aventinum. *Muretus.*

3 *C. Duillius*] Ædes Jani ad infimum Argiletum, in foro Olitorio fuit: & structam volunt Livius atque alii à Numa. An aliud ab illo templum noster igitur intellegit? an restitutum, aut amplius structum, à Duilio fuit? Hoc putem. *Lipsius.*

C. Duillius] Hoc antiquum nomen. Sed ut ex *duello bellum, ex duis, bis,* sic ex *Duilio* fecere *Bilium.* Cicero in Oratore. Quintil. lib. I. cap. 4. *Consuetudo fecit ex duello bellum: unde Duilios quidam dicere Bilios ausi.* Et inde hic consul semper in libris Polybii vocatur Λίβιος corrupte pro Βίλιος. S. Hieronymus libro I. adversus Jovinianum. *Duilius qui primus Romæ navali certamine triumphavit, Biliam virginem duxit uxorem.* Ubi Petrus Ciacconus homo admirabili doctrinæ copia præditus, è veteribus libris, non *Duilius*, sed *Bilius*, legit, & *Biliam* eadem gente, qua virum suum fuisse ortam judicat. *Duilium* tamen sæpius legas. Cicero de senectute: *C. Duilium M. F. qui Pœnos classe primus devicerat.* Ammianus libro 26. *Duilium accepimus veterem post gloriosa illa navalis rei certamina id sibi sumpsisse, ut tibicine lenius præcinente rediret ad sua post cœnam.* At Liv. eum illi perpetuo honorem habitum esse narrat. In fastis quoque Capitolinis & in fragmento nusquam extat nomen integrum. Horatius: *Bilius in Fausta Sullæ gener.* Muretus.

4 *Spei ædes*] Cicero II. de Legibus: *Recte etiam à Calatino Spes consecrata est.* Livius libro XXIII. *Ædem Spei, quæ in foro olitorio est, fulmine tactam.* Lipsius.

5 *Sororis Augusti neptem*] Utrius sororis? Octaviæ majoris, an minoris? Sane de minoris liberis aut conjugio, nihil legi: si majoris, oportet aliquam Marcellarum (duæ fuerunt) nuptam in gentem Apulejam, & liberos habuisse. Facit, quod Dio Cassius duobus locis (lib. LXV. & LXVI.) *Sext. Apulejum*, qui consul fuit in Augusti morte, eum συγγενῆ Αὐγούστου appellat, *cognatum Augusti.* Idem.

gusti neptem, quia probrosis sermonibus [1] divum Augustum, ac Tiberium, & matrem ejus inlusisset, [2] Cæsarique connexa adulterio teneretur, majestatis delator arcessebat. *De adulterio satis caveri lege Julia* visum: *majestatis crimen distingui* Cæsar postulavit; *damnarique* [3] *si qua de Augusto inreligiose dixisset: In se jacta nolle ad cognitionem vocari.* Interrogatus à Consule *quid de his censeret, quæ de matre ejus* [4] *locuta secusargueretur*, reticuit: dein proximo senatus die, illius quoque nomine oravit, *ne cui verba in eam quoquo modo habita crimini forent.* liberavitque Apulejam lege majestatis: [5] adulterii

1 *Divum*] Quidam vertunt Imperatorem, quidam plane prætereunt. Sed illud hic exprimi debuit; quia magis adgravabat intentatum crimen, quod in numerum deorum relatus violaretur, pertinet huc V. 2. vocula *inreligiose.* Sic 1, 73. *violatum perjurio numen Augusti* Rubrio crimini datum. *Fremshemius.*

2 *Cæsarique connexa*] Duplex crimen in hac inscriptione Majestatis. Prius, convitia in Principes: alterum, adulterium. Quomodo istud? quia, inquit, *Cæsari connexa.* Est enim interpretatio ab ipso Augusto petita, *qui culpam inter viros ac feminas vulgatam* (noster III. Annali) *gravi nomine læsarum religionum, ac violatæ Majestatis, appellabat.* Ita nunc igitur delator Majestatis arcessit, quia cognata Cæsari. *Lipsius.*

Cæsarique connexa] Sanguine proxima atque conjuncta. Itaque legendum arbitror infra libro 4. *Qua claris majoribus, & Varo connexus.* Non *connixus.* Ferretus. Id est, conjuncta: ut speciem adoptionis spectes, qua Tiberius factus Augusti filius fuit. Præterea Tiberius primo Vipsaniam Variliæ, deinde Juliam, Marcellæ Octaviæ filiæ & Variliæ matris consobrinam, duxerat uxores. *Vertranius.* Antonius Augustinus legebat: *Cæsarique cum nexa adulterio teneretur.* Ursinus. Familiare Principibus, ut vulgata ac communia crimina quovis prætextu trahant ad crimen majestatis. Curtius libro x. ubi accusati Cleander, & alii spoliatarum Provinciarum, & per libidines alienatarum: *Rex*, inquit, *cognita causa pronunciavit, ab accusatoribus unum & id maximum crimen esse præteritum, desperationem salutis suæ, numquam enim talia ausuros, qui ipsum ex India sospitem aut optassent reverti, aut credidissent reversurum.* Ita D. Augustus adulteria filiæ ac neptis traxit ad crimina majestatis, quod notat Tacitus libro sequenti. Cui prorsus simile istud objectum Apulejæ. Et ab eadem mente Vellejus indignatur *pœnas pependisse quasi cujuslibet uxore violata, qui Cæsaris filiam & Neronis violassent conjugem.* Mercerus.

3 *Si qua de Augusto*] At Dio contra, ait omnes, ita volente Tiberio, impietatis accusatos, non modo qui in ipsum, matremve quicquam sequius fecisse aut dixisse arguerentur, quæstionesque ea de causa de servis in capita dominorum habitas: & liberorum etiam ac civium torta corpora: magnisque præmiis affectos accusatores. *Muretus.*

4 *Locuta secus argueretur*] Muret. *sequius.* Recte. Acidalius. *Secus* quasi maligne, seu inreligiose. *Pichena.*

5 *Graviorem pœnam*] De hoc loco, & pœna legitima adulterii, dicendum mihi infra libro IV. si tibi cura est vide. *Lipsius.*

Adulteris graviorem pœnam] Relegatio legitima pœna adulterii fuit, ut vel ex Cornelio jam licuit, & observare licebit. Sed si pro nefario scelere nulla fere mitior infligi pœna potuit, quæ nec civitatis, nec alia ulla rei jura læderet, quæret aliquis, cur veluti graviorem Tiberius molliri pœnam a Senatu precaretur. Ego reperio in perpetuum & ad tempus relegatum: potuit ergo Tiberius pro jure affinitatis orare, ne perpetua Variliæ indiceretur relegatio. At exoravit, ne ex vi legis Juliæ, sed ex more veteri damnata adulterii puniretur: quod datum Cæsaris gratiæ, Apulejaque Varilia cognatis remissa fuit. *Vetustiores enim*, ait Livius, *mulieres damnatas cognatis, aut in quorum manu essent, tradebant, ut ipsi in private animadverterent in eas. Si nemo erat idoneus supplicii exactor, in publico animadvertebatur.* Inde est quod Publilia & Licinia nobiles fœminæ, quæ viros suos necasse insimulabantur, causa cognita, cum prætori vades dedissent, cognatorum decreto necatæ sunt, ut ait Florus ex Livii XLVIII. Inde quoque est, quod *matronas prostrata pudicitia, quibus accusator publicus deesset, ut propinqui, majorum more, de communi sententia coercerent*, auctor fuit Tiberius; teste Suetonio. Quod moris specie retentum ex lege Romuli jus olim fuerat, ex illius verbis: *Adulterii convictam vir, & cognati, uti volent, puniunto.* Verum Apulejæ delator, & extraneus, qui publici judicii accusaret, non defuit. Igitur non debuit cognatis remitti, sine precibus & intercessione Cæsaris, qui fortasse nondum auctor juris ejus extiterat. Sane cum necessarium exilium triplex Martiano sit, nempe certorum locorum interdictio, lata fuga, & insulæ vinculum, l. v. D. de interdictis & releg. cognatis Variliæ suasit Cæsar, eam ultra cc. lapides ab urbe removere; leviori multo pœna, quam si assignata insula, ejus egressu damnatæ interdictum fuisset. Mos autem ille vetus, ut alia pleraque Romanorum instituta, ex Romuli lege regia discendit, de qua hoc sensu Dionysius Antiquitatum libro secundo scripsit. *si mulier aliquid peccasset, ex læsi mariti arbitrio pœnam luebat, & de delictis, quibus erat violata pudicitia, cognati cum ipso cognoscebant.* Quare infra libro tertio decimo: *Plautius prisco instituto* propin-

ulterii graviorem pœnam deprecatus, *ut exemplo majorum* [1] *propinquis suis ultra ducentesimum lapidem removeretur*, suasit. [2] Adultero Manlio Italia atque Africa interdi-
ctum est. De prætore in locum [3] Vipsanii Galli, quem mors abstulerat, subrogan- 51
do, certamen incessit. Germanicus atque Drusus (nam etiam tum Romæ erant) [4] Haterium Agrippam propinquum Germanici fovebant: contra plerique nitebantur, [5] ut numerus liberorum in candidatis præpolleret, quod lex jubebat. lætabatur Tiberius, cum inter filios ejus & leges senatus disceptaret. victa est sine dubio lex; sed neque
statim, & paucis suffragiis: quomodo, etiam cum valerent, leges vincebantur. Eodem 52
anno cœptum in Africa bellum, duce hostium Tacfarinate. is natione Numida, [6] in castris

propinquis coram, de capite famaque conjugis, cognovit, & insontem nunciavit. Vertranius.

1 *Propinquis suis*] Id est, à propinquis. Amat ita loqui noster, ut, *Ceterasque urbes, quæ Macedonibus sita Græca vocabula retinent.* Sueton. in August. c. 1. *Et ostendebatur ara Octavio consecrata.* id est, ab Octavio: nec crede cum interpretibus, rudi illo & ignaro adulandi ævo, Octavio ipsi sacratam aram, Quod ait, exemplo majorum: satis notum est, ex lege Romuli uxorem ita fuisse in manu viri, ut de crimine ejus omni, cum propinquis cognosceret, statueretque. Dionysius auctor l. II. & Cato: *Vir cum divortium facit* (ita inibi leg. est) *mulieri judex procensorque est. imperium quod videtur habet. Siquid perverse tetreque factum est à muliere, mulcatur: si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur.* Livius libro XXXIX. *Mulieres damnatas cognatis, aut in quorum manu essent, tradebant, ut ipsi in privato animadverterent. si nemo idoneus supplicii exactor, in publico animadvertebatur.* Suetonius in Tiberio: *Matronas prostratæ pudicitiæ, quibus accusator publicus deesset, ut propinqui, more majorum de communi sententia coërcerent, auctor fuit.* Tacitus lib. XIII. *Plautius, prisco instituto, propinquis coram, de capite famaque conjugis cognovit, & insontem nuntiavit.* Adi & Valerium lib. VI. cap. III. *Lipsius.*

2 *Adultero Manlio Italia*] Hinc Philologus ad jus civile referet, pœnam legis Juliæ de adulteriis generaliter relegationem scriptam fuisse. Juliam enim Augusti filiam, & alias complures relegatas in insulam novimus: Manlio ab urbe remoto, nulla insula assignata, Italia & Africa interdicitur; quæ pœna simplex relegatio est, ut ab Ulpiano didici, l. VII. D. de interd. & relegatis. Unum tamen ex libris civilibus huc translatum volo, quod ex legis præscripto Papinianus creditur respondisse: *Duos adulterii marem & feminam, propter commune crimen simul, non jure, nec à viro postulari convenit.* l. XXXIX. §. 6. D. ad legem Juliam, de adulter. Quare quis Manlium una cum Varilia delatum, ut criminis consortem, non sine auctore negaverit. Cornelius tamen infra libro quarto: *Aquiliam*, inquit, *adulterii delatam, cum Vario Ligure* &c. *exilio punivit.* & infra, *de adulterio Pulchra & Furius damnantur.* Verum neque delatus cum Aquilia Varus, sed Aquilia ob adulterium cum illo commissum, accusata fuit: quod tamen de Pulchra & Furio non ita liquet. Equidem apud Plinium lib. 4. Epist. refertur ex cognitione Cæsaris damnato adultero, admonitum maritum, ut perageret accusationem: de qua ibi. *Vertranius.*

3 *Vipsanii Galli*] Quem puto filium fuisse Asinii Galli, & Vipsaniæ Agrippæ filiæ. Nam Gallus post matrimonium Tiberii cum Julia, à Tiberio vacuam duxerat: unde hic Vipsanius, si bene conjicio, nec erro. *Aurelius.*

4 *Haterium Agrippam*] Est is, qui supra Tribunus plebis fuit: *Intercessit Haterius Agrippa Tribunus plebei, increpitusque est Asinii Galli oratione.* De propinquitate, nihil mihi compertum. *Lipsius.*

5 *Ut numerus liberorum*] Non ergo prorsus libera comitia illa patrum, sed devincta lege. Legem quam intellegit, est Papia, quæ in magistratu, & sorte provinciarum, prætulit improlibus eos quibus proles. Noster lib. XV. *Percrebuerat ea tempestate pravissimus mos, cum propinquis comitiis aut sorte provinciarum, plerique orbi fictis adoptionibus adsciscerent filios: præturasque & provincias inter patres sortiti, statim emitterent manu quos adoptaverant.* ubi clare de præturis, ut hic. Simile in Tribunatu. Plinius lib. VII. *Calestrium Tironem familiarissime diligo. ille me in Tribunatu liberorum jure præcessit: ego illum in Prætura sum consecutus, cum mihi Cæsar annum remisisset.* Idem.

6 *In castris Romanis auxiliariis*] Sic quidem 3, 21. dicit *cohortibus auxiliariis.* Sed quis novit talia castra auxiliaria? Immo an fuerunt? Nescio quem sponsorem aut vindicem hujus locutionis accire editores illi possent; quum auxiliares æque ac legiones tenderent in iisdem castris, sed locis diversis, quod publice notum. Beroaldus enim edidit *in castris Romanis auxiliaria stipendia meritus*, proculdubio ex vetustissimo MS. codice, quum temeritatis eum arcessere metuam retinente etiam istud Aldo: unde in Lipsii editione anni 1581. jam editum *auxiliaris*, idque retinuit Pichena, mirum, nulla edita causa, cur desereret Beroaldum, ut magis mire hic se gerat Cl. Rycquius forte ita legendum dicens, quum ipse sciverit sic jam citari hunc locum ab Mercero. Quid quod is in nota etiam citaverit *auxiliarius*, sed opinor errore typorum. Vincat vetus

castris Romanis auxiliaria stipendia meritus, mox [1] desertor, vagos primum, & latrociniis suetos ad prædam & raptus congregare; dein more militiæ [2] per vexilla, & turmas componere; postremo non inconditæ turbæ, sed [3] Musulanorum dux haberi. valida ea gens, & solitudinibus Africæ propinqua, [4] nullo etiam tum urbium cultu, cepit arma, Maurosque accolas in bellum traxit. dux & his Mazippa. divisusque exercitus: ut Tacfarinas lectos viros, & Romanum in modum armatos [5] castris attineret, [6] disciplina & imperiis suesceret; Mazippa levi cum copia incendia, & cædes, & terrorem circumferret. compulerantque [7] Cinithios haud spernendam nationem in eadem; cum [8] Furius Camillus proconsule Africæ, legionem & quod sub signis sociorum, in unum conductos ad hostem duxit. modicam manum, si multitudinem Numidarum atque Maurorum spectares: sed nihil æque cavebatur, quam ne bellum [9] metu eluderent. spe victoriæ inducti sunt, ut vincerentur. Igitur legio medio, leves cohortes duæque alæ in cornibus locantur. nec Tacfarinas pugnam detrectavit. fusi Numidæ, multosque post annos Furio nomini partum decus militiæ. [10] nam post

tus lectio, quum etiam Lipsius suspicetur jam auxilia adstricta ad certum militiæ modum. Et forsan auctori allusit Ovidianum ex libro 4. Met. *Quum frustra resonant æra auxiliaria Lunæ*, quæ expressit, licet diverso sensu. *Jac. Gronov.*

1 *Desertor*] Hoc minus esse puto, quam quod Gall. 1. extulit, *revolté*. Rebellis enim est *revolté*, atque hæc toto genere differunt. quum & *desertor* esse possit sine rebellione, & *rebellis* sine desertione. *Freinshemius.*

2 *Per vexilla & turmas*] Singulis Centuriis singula vexilla erant. Turma est equitum 32. *Muretus.*

3 *Musulanorum dux*] Ptolemæus vocat, *Μουσουλάμιοι*; Plinius, Misulanos. *Lipsius.*

Musulanorum dux] *Mosulani.* Promontorium est, & emporium haud procul ab Africa deserta. Ptol. *Mossylicum* vocat Plinius. *Muretus.* Duas in his partibus gentes nobiles & vetustas memorat Plinius: unam *Musulanorum*, alteram *Maurusiorum*. Illam exstinctam scribit idem suis temporibus, licet hodie etiam longe clarissima dicatur apud illas gentes, ut ait Leo Africanus. *Aurelius.* Lib. IV. Ann. *Musulamos*, eos appellat, quod rectius videtur, ex Ptolemæo. *Pichena.*

4 *Nullo etiam tum urbium cultu*] Alii hæc omittunt; reliqui sic interpretantur, quasi dictum esset, Musulamos nullas tum urbes incoluisse. quod quidem verum arbitror, sed ulterius quid innuere Tacitum putavi, ut non tantum ipsis nullas urbes fuisse, sed omnino nullas in iis locis, ostendere voluerit: quo non tantum agrestes rudesque hominum mores intelligerentur, sed etiam facilitas arma capiendi, quia scilicet nullus tum per ea loca urbibus, comprimendi procul præsidium foret. Urbes enim feroces inter nationes conditæ, fræni instar, ad coërcendas eas, habentur. Curtium 7, 10. vide. Movebar etiam eo, quod Tacitus inquit, *nullo tum cultu.* neque vero videbatur simile, ex eo tempore ad ævum usque Taciti, homines eos ex nomadibus oppidanos esse factos. hoc potius, ad reprimendos eos & in officio retinendos, colonias in ea loca fuisse deductas. *Freinshemius.*

5 *Castris attineret*] *Attinere castris*, est in castris continere, atque coërcere, nec evagari sinere, quod natura & usu gentis erat solitum. *Idem.*

6 *Disciplina & imperiis suesceret*] Antea *disciplina & imperiis.* Mutavi, volente Tacito, qui, ni fallor, sic perpetuo loquitur. supra lib. I. *vernacula multitudo, lascivia sueta.* lib. II. *ut suesceret militia.* lib. XVI. *externa superbia sueto.* Pichena. Haud scio an jure mutaverit. nam cur non liceat variare Tacito, & eidem verbo nunc hoc, nunc alio flexu nomen jungere? juxta autem bonum & Latinum *disciplina suescere.* vide ad Livium lib. 31, 35. *Gronovius.*

7 *Cinithios*] Plinio dicti videntur Ethini. *Lipsius.*

Cinithios] Lege *Cinyphios.* Snnt autem populi minoris Africæ. Silius: *Cinyphiaque globos dubitarem irrumpere turma.* Muretus. Sunt in Africa *Cinithii*, qui à Ptolemæo *Cinithæ* dicuntur, ubi de Numidica Africa, & non longe à Tritone fluvio, ut sunt Cinyphii, à flumine dicti Cinypho. *Aurelius.*

8 *Furius Camillus Proconsul Africæ*] Et hic, & alibi, ubi vulgo, *Proconsul*, aut, *Proprætor*, Manuscripti habent, *Proconsule*, aut *Proprætore.* quod semel monuisse sufficiat. Simili fere modo lib. XIII. *Romæ Prætor, per provincias, qui pro prætore aut consule essent.* Pichena.

9 *Metu eluderent*] Optime, id est, ne metu Romanarum virium traherent bellum, nulla copia pugnæ. Assidet huic illud Claudiani, De laudib. Stilic. lib. I.

—— res mira relatu:
Ne timeare, times; & quem vindicta manebat,
Desperare vetas.

Rhenanus tamen, *astu*, maluit. *Lipsius.*

10 *Nam post illum*] Tamen ex eadem gente duo adhuc

post illum reciperatorem urbis, filiumque ejus Camillum, penes alias familias imperatoria laus fuerat. Atque hic, [1] quem memoravimus, bellorum expers habebatur. [2] eo pronior Tiberius res gestas apud Senatum celebravit: & decrevere patres triumphalia insignia. quod Camillo ob modestiam vitæ impune fuit. Sequens annus Tiberium tertio, [3] Germanicum iterum consules habuit. sed eum honorem Germanicus iniit apud [4] urbem Achajæ Nicopolim, quo venerat per Illyricam oram viso fratre Druso [5] in Dalmatia agente, Hadriatici ac mox Ionii maris adversam navigationem perpessus. igitur paucos dies insumpsit reficiendæ classi: simul sinus Actiaca victoria inclitos, & [6] sacratas ab Augusto manubias, castraque Antonii cum recordatione majorum suorum adiit. namque ei, ut memoravi, avunculus Augustus, avus Antonius erant, magnaque illic imago [7] tristium lætorumque. Hinc ventum Athenas, fœderique sociæ & vetustæ urbis datum, ut [8] uno lictore uteretur. Excepere Græci [9] quæsitissimis honoribus, vetera suorum facta dictaque præferentes, quo plus digna-

adhuc triumphi notantur, alter P. Furii de Galleis, anno DXXX. alter L. Furii Purpureonis de hisdem Galleis, DLIII. Hujus autem Camilli, de quo nunc, filius credo fuit, qui imperium temporibus Claudii frustra sibi vindicavit. *Idem.*

1 *Quem memoravimus*] Nullus video, cur auctor debuerit usurpavisse istud tempus, quum in eo etiamnum versetur. Scias in ipsa membrana quidem legi *memoramus.* Sane per omnia tempora decenter eo verbo Tacitus utitur, ut potes ipse annotare. Hoc autem præsens nunc decentissimum. *Jac. Gronovius.*

2 *Eo pronior*] Est, qui non cepit vim hujus argumentationis, quæ hæc est: Tiberius claros viros detrectare & suspectare solitus, hunc ideo pronius extulit, quia hominem nulla eo usque militari fama, ob unicum hoc prælium satis intelligebat, eo gloriæ atque auctoritatis non posse ascendere, ut exinde sibi periculum haberet metuendum. At ille putabat, Tiberium celebrasse pronius id factum, tamquam ex animo lætum atque exultantem, quod vir ille contra quam spes de eo fuerit, egregium ducem se ostendisset. *Freinshemius.*

3 *Germanicum iterum*] De illo Germanici Consulatu marmor Brixiæ. *GERMANICO. CÆSARI. TI. F. AVG. N. PONTIF. Q. COSS. II. D. D.* Aurelius.

4 *Achaja Nicopolim*] Bene latè *Achaja* nomen sumit, non pro Græcia solum (quod alibi annotamus) sed pro Epiro, ubi sane hæc urbs est, ab Augusto structa ad Ambracium sinum: monumentum scilicet victoriæ Actiacæ. Credo ideo, quia illo ævo tota hæc regio uni Præsidi permissa, ideoque & nomine uno dicta. *Lipsius.*

Urbem Achajæ Nicopolin] *Nicopolis*, quæ & *Ambracia* dicitur, quæque exstructa est ab Augusto post Antonium & Cleopatram victos, in Amphilochia est, non in ea quæ vere ac proprie *Achaja* dicitur, quæ est in Peloponneso, sed totam illam oram inter Macedoniam & Peloponnesum, veteres interdum *Achajæ* nomine comprehendebant. Sita autem est Nicopolis ad sinum Ambracium, exadversum Actio Promontorio. *Muretus.* Mussate gaudet Muretus similia Lipsio, ut doceat aliquid satis cognitum, dubito utrum ignaro utroque, an simulante se nescire Hieron. Suritam in notis ad Antonini itinerarium pag 482. subjecisse *urbem Acarnaniæ*, quod bene elidunt Lipsiana. *Jac. Gronovius.*

5 *In Dalmatia*] Unicus codex manifeste *Delmatia*, sicut etiam 3, 9. *Delmatico*, quod in MS. servatum perinde ut hoc loco mutavit editor jam Beroaldus. Quin etiam in Floro 4, 12. Salmasius ex Nazariano codice adscripsit *Delmata*, unde & urbs illic *Delminium*. Hæc scriptura vehementer placuit Velio Longo in Orthographia, ut palam illic testatur. Hic semel id nomen annotare visum est, quod sæpius recurrit, opinor, eodem modo signatum, sed non semper putavi scribendum. *Jac. Gronovius.*

6 *Sacratas Augusto manubias*] Ex quibus templum Apollini struxit Augustus, ludosque quinquennales instituit. Suet. Aug. 18. *Muretus.* Dio lib. 51. ait Augustum lapidibus quadratis, locum, in quo tetenderat & castra habuerat, à fundamentis struxisse, & rostris captarum navium instruxisse apud Nicopolim. *Aurelius.*

7 *Tristium lætorumque*] Tristium, si Antonium spectaret: lætorum, si Augustum. Et ipse ab utroque, in utrumque affectus. *Lipsius.*

8 *Uno lictore uteretur*] Vim terroremque imperii Romani ostendebant, lictores, secures, fasces. Ideo cum, adempto illo metu, magistratus quasi ad amicos agere volebant, removebant insignia potestatis. Sic Antonio olim in eadem urbe (ait Appianus.) Ἔξοδοι ἦσαν ἄνευ σημείων, σὺν δύο φίλοις καὶ σὺν ἀκολούθοις δύο, ἐς διδασκάλων διατριβὰς ἢ ἀκροάσεις. Et Tiberius Rhodi: *genus vitæ admodum civile instituit, sine lictore aut viatore, gymnasia interdum obambulans.* Sueton. cap. 11. *Idem.*

9 *Quæsitissimis honoribus*] Verbum Sallustianum è secundo historiarum. *Muretus.* Video doctissi-

T mos

54 dignationis adulatio haberet. Petita inde Eubœa, [1] tramisit Lesbum, ubi Agrippina novissimo partu Juliam edidit. tum extrema Asiæ, Perinthumque ac Byzantium Thracias urbes, mox Propontidis angustias, & os Ponticum intrat, cupidine veteres locos & fama celebratos noscendi; pariterque provincias [2] internis certaminibus, aut magi-

mos viros illa vetera Atheniensium facta dictaque, ea interpretari, quibus ipsi olim ejusmodi magnorum hospitum adventum honestassent. Nec probo. Rationes in promtu sunt, & recte exputanti, in aperto. An dixerint, olim ejusmodi Principes, majores suos, quorum res florentiores, majore pompa excepisse, nec se imminutis rebus suis, eadem Germanicum nunc posse honestare? Quis credat? Scribit enim hic disertim Tacitus, *quæsitissimis honoribus* Germanicum nunc fuisse affectum. Tales illi sunt, quibus nihil potest addi. Num vero exposuerint historiam ac seriem ejusdem, cujus Germanicus, aut majoris, aut minoris loci Principum, qui aliquando ab Atheniensibus hoc aut simili modo fuerint excepti? Quis credat? Quomodo id fecerit ad horum, quidvis in Germanicum conferre studentium, institutum? Commemoratio parium aut majorum Principum, conjuncta fuisset cum minori æstimatione beneficii, quo nunc à Germanico afficiebantur Athenienses; qui haud dubie hoc summum, & rarissimum voluerunt interpretari: minoribus dicendis, quod quivis videt, nullus hic erat locus. Itaque longe alia mens est Taciti. Quæ ipsa colligi potest, ex his ejus verbis; *quo plus dignationis adulatio haberet*. Quando autem hæc plus habet dignationis? Haud dubie tunc maxime, cum laudatissimi celebratissimique sunt illi, à quibus quæsitissimi ejusmodi honores in alios conferuntur. Pulchrum est à laudato laudari; Tanto major collatus honor est, quanto is, qui confert, major habetur. Intelligebant id Athenienses. Sed & necessarium censebant, Romanis in præsens despecti & contempti. Referantur huc, & cum his contendantur, quæ paulo post sequuntur: *At Cn. Piso* &c. Itaque vetera suorum facta dictaque, inter alia, prætulere, ex quibus, nimirum, constaret; quanta fuisset, vel etiam quantopere nunc æstimanda esset ea respubl. quæ tamen tanta veterum ducum, rerum, consiliorumque gloria atque magnitudine circumfusa, inter omnium maxima & antiquissima nunc haberet, præsentem Germanicum, nobilissimi sanguinis, celebratissimæque virtutis Principem intueri. *Facta* & *dicta* fere quasi solenni formula, conjunguntur, cum de iis sermo est, qui remp. tenuerunt. *Facta* sunt, res ipsæ; *dicta* autem, consilia, sententiæ, auctoritates, atque ejusmodi alia, quæ facta antecedunt. M. Valerius Corvinus apud Livium lib. VII. *Quod meum factum dictumve Consulis gravius, quam tribuni audistis?* ipse Tacitus in Agricola; *Id filia quoque uxorique præceperim, ut omnia facta dictaque ejus secum revolvant.* Ann. IV. *facta dictaque Augusti*, conjungit Tiberius ea oratione, qua recusat oblatum ab Hispanis templi honorem. Histor. III. de Antonio Primo: *Omnibus dictis factisque viam sibi ad potentiam struere.* *Dicta* sunt sententiæ, consilia, quæ si magnifica sint, etiam ab eventu destituta; non minus dignationis habent, & conferunt suis, quam ipsa facta. Quare etiam à factis, hac loquendi ratione distinguntur. Neque publica *dicta* minus quam *facta*, Annalium laudationumque sunt argumentum: &, si quod jam dixi, erecta sint ac heroica, haud minus, quam facta, in auctorum & rerump. gloriam cedunt. Possis etiam *dicta*, imperia interpretari. Ut *dicere* sæpe nihil aliud designat, quam imperare: unde *Edicta* & *Dictatorum* nomen. Ita *dicta* accepit Tacitus sub initium Ann. VI. *Quid illi cum militibus? quos neque dicta, neque præmia accipere nisi ab imperatore par esset.* Annius Setinus, Prætor Latinorum. apud Liv. lib. VIII. *Quid abest, quin, proditi Sidicinis, non Romanorum solum; sed Samnitium quoque dicto pareamus?* De his plura mihi dicere liceret, nisi manus injiceret compendium hujus, quod jam excessimus, nostri instituti. Videt quisque Taciti mentem, & cur, ac quomodo, veterum Atheniensium *facta dictaque* in medium allata, ad hos quæsitissimos, Germanico delatos, honores, plurimum attulerint dignationis. Neque jam necesse est, eorum conjecturas refellere, qui hunc locum mutare sunt aggressi. *Boxhornius.*

1 *Transmisit Lesbum*] Quidam interpretatur, prætervectus est Lesbum, quod verum potius, quam Latino verbo *transmittendi* exacte respondens, arbitror. Nam *transmisit Lesbum*, valet, ab Eubœa trajecit in Lesbum. uti supra, I, 5. *Planasiam vectum*, pro in Planasiam. *Freinshemius.*

2 *Internis certaminibus, aut magistratuum injuriis*] Cicero ad Q. Fr. lib. I. ep. 8. *Cujus quidem generis, constare inter omnes video, abs te summam adhiberi diligentiam, nullum æs alienum novum contrahi civitatibus. vetere autem magno, & gravi multas abs te esse liberatas urbes complureis dirutas, ac pœne desertas, in quibus unam Ioniæ nobilissimam, alteram Cariæ, Samum & Halicarnassum, per te esse recreatas. nullas discordias: provideri abs te, ut civitates optimatum consiliis administrentur: sublata Mysiæ latrocinia: cædes multis locis repressas: pacem tota provincia constitutam: neque solum illa itinerum atque agrorum, sed multo etiam plura, & majora oppidorum, & fanorum furta & latrocinia esse depulsa.* Lib. 3. fam. Ep. I. *Ego autem, cum hoc suscepissem, non justitia, sed etiam misericordia adductus, ut levarem miseriis perditas civitates, & perditas maxime per magistratus suos, non potui*

magiſtratuum injuriis feſſas refovebat. atque illum in regreſſu [1] ſacra Samothracum viſere nitentem, [2] obvii aquilones depulere. [3] Igitur alio * quæque ibi varietate fortunæ

potui in illo ſumptu non neceſſario negligens eſſe. Lib. 6. ad Att. Ep. 2. *Mirabilia quadam effecimus: ita multa civitates omni are alieno liberata, multa valde levata ſunt: omnes ſuis legibus, & judiciis uſa, αὐτονομίας adepta, revixerunt &c. Mira erant in civitatibus ipſorum furta Græcorum, quæ magiſtratus ſui fecerant, quæſivi ipſe de iis, qui annis decem proximis magiſtratum geſſerant. aperte fatebantur. itaque ſine ulla ignominia ſuis humeris pecunias populis retulerunt.* Quanquam & vox *magiſtratuum* Roma miſſos complecti poſſit. lib. v. ad Att. Ep. 20. *Laodiceam pridie Kal. Sext. venimus. ibi morati biduum, perilluſtres fuimus, honorificiſque verbis omnes injurias revellimus ſuperiores.* Gronovius.

1 *Sacra Samothracum*] Samothracia inſula non eadem cum Imbraſia, ut cenſet Muſarum decus: nec Imbraſus fluvius ſive Parthenius in hac, ſed in Ionica Samo, quæ ideo Parthenias dicta, ut diſcimus ex Strabone, Plinio, & Hygino, Euſtathius: Ἡ δὲ Θρᾳκία Σάμος λέγεται, καὶ Σαμοθρᾴκη συνθέτως. Καλεῖται καὶ οὕτω πρὸς διαστολὴν τῆς ἑτέρας Σάμου, τῆς Ἰωνικῆς. Imo tres diſtinctæ Sami, de quibus docte noſter Ortelius in Theſauro Geographico, quem vide. Ideo firmanda in Varrone priſca lectio. *Terra & cœlum, ut Samothracum initia docent, ſunt Dei magni, & hi, quos dixi, multis nominibus. Nam neque quas Samothracia* (non *Ambracia*, aut, *Imbraſia*,) *ante portas ſtatuit duas viriles ſpecies ahenas, dei magni: neque ut vulgus putat, hi Samothraces dii, qui Caſtor & Pollux: ſed hi, mas & femina, & hi quos augurum libri ſcriptos habent ſic Divi potes: & ſunt pro illis qui in Samothrace θεοὶ δυνατοί.* Initia quæ Varro dicit, ſunt hæc ſacra, de quibus noſter, ſacra religioſa in primis etiam apud Romanos. Ideo Poëta ſatyricus,

——— *jurat licet & Samothracum*
Et noſtrorum aras.

Suidas: Ἐν Σαμοθρᾴκῃ ἦσαν τελεταί τινες, ἃς ἐδόκουν τελεῖσθαι πρὸς ἀλεξιφάρμακα κινδύνων τινῶν. Ἦν δὲ ἐκεῖσε καὶ τὰ τῶν Κορυβάντων μυστήρια, καὶ τὰ τῆς Ἑκάτης. Propter religionem loci, confugiebant illuc olim nocentes, ut colliges ex 11. Anthologiæ, & facto Perſei Macedonum regis, apud Livium. Ad de Strabonem lib. x. *Lipſius.*

Sacra Samothracum] Samothrace eſt inſula in mari Ægæo oppoſita Thraciæ. In ea fiebant myſteria Corybantum, quos & *Cabyros*, & *Telchinas*, & *Idæos dactylos* vocabant, ſimilia orgiis Bacchi, aut Cybeles, tumultus & inſaniæ plena, unde κορυβαντιᾶν Ariſtophani in Veſpis, eaque de cauſa vocat eam Dionyſius Κορυβάντων ἄστυ. Magna in veneratione erant apud veteres: & qui eorum dæmonum nomina edidicerant, in terroribus ea pronunciabant, ſeque ita putabant tutos fore. Plutarchus τῶν πῶς αἰσθάνοιτο ἑαυτοῦ προκ. ἐπ' ἀρετῇ. Οἱ ἐμπρμυηθέντες τὰ τῶν Ἰδαίων ὀνόματα Δακτύλων, χρῶνται πρὸς τοὺς φόβους αὐτοῖς, ὡς ἀλεξικάκοις, ἀτρέμα καταλέγοντες ἕκαστον. Quo reſpiciens Ariſtophanes in Pace, ita, conſpecto bello, vindemitorem loquentem facit: Ὤνδρες τί πειςόμεσθα, νῦν ἀγὼν μέγας. Ἀλλ' εἴ τις ὑμῶν ἐν Σαμοθρᾴκῃ τυγχάνει Μεμυημένος, νῦν ἐστὶν εὔξασθαι καλόν. Cur *Dactyli* dicti ſint, cauſa eleganter à Diomede grammatico refertur. *Muretus.*

2 *Obvii aquilones*] Lucretianum ex libro 6.

Quandoquidem ſemel inſignem conſcendere currum
Ventorum exhortantur ſpes, atque obvia rurſum
Qua fuerant, ſunt placato converſa furore.

Jac. Gronovius.

3 *Igitur aliaque*] Turbatus locus, aut mutilus. Si turbatus tantum, ſic reponito. *Atque illum in regreſſu ſacra Samothracum viſere nitentem, aliaque quæ ibi varietate fortunæ & origine noſtri veneranda, obvii Aquilones depulere. Igitur relegit Aſiam.* Sed quæ varietas fortunæ aut origo Romanorum in Samothrace? Principium Trojanæ gentis inde: à Trojanis autem Romani. Dionyſius lib. 1. Dardanum facit in hanc inſulam veniſſe, quæ tunc Melane dicta; & pulſum inde ſterilitate ſoli deveniſſe ea Phrygiæ loca, ubi poſt Troja. Ideo olim Dardania dicta Samothrace, ut Plinius auctor. Bene ergo, *origine noſtri.* Sed & Varro 11. Humanarum, *Dardanum deos penates ex Samothrace in Phrygiam Æneam ex Phrygia Italiam advexiſſe,* tradidit. Et quædam huic rei ſuggeret Servius, in illud vatis magni,

——— *antiquam exquirite matrem.*

Varietatem fortunæ vel ad Dardanum refer; vel ad Romanos, qui ex tam parvis magni. Fieri tamen poteſt, ut mutilus locus ſit, fueritque aliquid de Ilio etiam inſertum, fonte non dubio Romulæ gentis. *Lipſius.*

Igitur aliaque qua ibi] Arbitror hic à librario factam tranſpoſitionem. Ut forſan ſic ſcripſerit Tacitus. *Atque illum in regreſſu ſacra Samothracum viſere nitentem, aliaque ibi varietate fortuna & noſtri origine veneranda, obvii aquilones depulere. Itaque relegit Aſiam, appellitque Colophona.* Nam, *quæ*, relativum pronomen videtur mihi vacare. Ideo vero dixit, *noſtri origine veneranda*, quod Æneas propter oraculi reſponſum; *Antiquam exquirite matrem*, quum Italiam peteret, profectus ad Thraciam, Samothracas deos ſuſtulerit, & pertulerit ſecum, propter originem matris. Auctor Servius, exponens illud Maronis carmen Æneidos libro 7. *Rhenanus.* Faernus locum hunc mutilum, mendoſumque ita veteribus libris adjutus reſtituebat: *Igitur illum, aliaque ibi varietate fortuna, & noſtri origine veneranda cum aſpexiſſet, relegit Aſiam,* &c. *Urſinus.* Emendo: *Atque illum in regreſſu, & ſacra*

fortunæ & nostri origine veneranda, relegit Asiam, appellitque [1] Colophona, ut Clarii

era Samothracum. Recte enim Ilium in regressu prius habuit objectum, dein Samothraciam. *Colerus.* Asperitas compositionis magnitudini non parum inservit. ὥσπερ γὰρ ὄνομα τραχὺ μέγεθος ἐργάζεται, οὕτω σύνθεσις. Hinc apud Thucydidem compositio τραχύτερος ὢν μᾶλλον, καὶ ὑπερβατικόν. Qua de re neminem audio, cui sine spe restitutionis hæc deplorata sunt, noster enim asperavit compositionem magnitudinis gratia, quod Thucydides, & ὑπερβατικώτερον fecit. Vel cum doctissimo viro restitue; *Igitur relegit Asiam, aliaque, quæ ibi varietate fortunæ & nostri origine veneranda.* Nunc recenseamus Germanici navigationem, ut res omnis magis in aperto sit. is ab Ægæo petit Hellespontum, litusque Abydi Asiaticum prius venit, ut viseret loca Trojana: indeque ad aliud vehitur; ubi Sestos erat, ibique adit Byzantium & Perinthum; mox intrat Propontidem, & Euxinum Pontum: postea revertens & Ægæum secans versus Samothraciam, vento reflante ad eadem Asiæ littora jam sibi visa rejicitur: secundum quæ Colophona tendit. hæc omnia Tacitus. At opus inhærere verbis, quæ prægnantia sæpe scribit: *Relegit Asiam*, ut Virgilius, *relegens errata retrorsum littora.* Ilium vero sciunt omnes, Romanorum originem fuisse, fortunæque variantis insigne documentum. *Salinerius.* Corruptus procul dubio locus. Olim voce transposita legebam: *Igitur Asiam, aliaque ibi varietate fortunæ & nostri origine veneranda, relegit, appellitque*, &c. at nunc improbo. Existimat Lipsius, fuisse hic aliquid insertum de Ilio, Romulæ gentis fonte. Id suspicor latere in voce, *alio*, quam habet MS. nam ego ejus lectionem fideliter retuli, quæ est *Igitur * alio, quaque ibi var.* cum antea non minus corrupte legeretur: *Igitur aliaque qua ibi*, &c. Forte aliquid tale scripsit Tacitus: *Igitur viso Ilio, quæque ibi varietate fortunæ & nostri origine veneranda, relegit Asiam.* Pichena. Locus ab omnibus conclamatus, cui vitam reddo, pollinctoribus abire jussis, & tibicine. Nam ita lego: *Igitur relinquens, quæ ibi varietate fortunæ.* Aurelius. In loco manifeste corrupto quilibet interpres pro captu aut arbitrio suo versatus est. mihi quæ de origine Romana hic inseruntur, haud dubium judicium fecerunt *Ilii* mentionem hoc loco fuisse, ipsiusque veræ scripturæ superesse vestigia, unde haud difficulter eruatur: *Igitur Ilio, quæque ibi varietate fortunæ & nostri origine veneranda, relegit Asiam. Ilio relegit Asiam*, eadem formula loquendi, qua modo *transmisit Lesbum*, ut nimirum utrobique neglecta sit præpositio. Pari modo ellipsis est in his, *Ilio quæque ibi*, pro ab Ilio, & ab iis, quæ ibi. Sic I, 38. *Exterritis qui obstiterant*, hoc est, illis, qui. Frequenter atque eleganter omittitur *is*, aut *ille*, sequente *qui*: sicur modo notavi ad Curtium in Indice, voce *ille*. Freinshemius. Vox male repetita & nonnihil mutata sensum turbat, legam: *Igitur Asiam quaque ibi varietate fortunæ & nostri origine veneranda relegit, appellitque Colophona.* Navigatio hæc Germanici inter Europam est Asiamque. Supra dictus fuit tramissa Lesbo adiisse extrema Asiæ: sed inde in Europæ oram, ubi Perinthus & Byzantium, perlatus fuit. retroque versus & à Samothrace insula rejectus ventis, qui rursus ipsum in Asiæ oram tulere, ea regione ubi fuit Troja. Vides cur dicat *relegit* & cur *varietatem fortunæ, originemque Romanam* memoret. *Grotius.* Hic locus sine dubio corruptus est & sensum perfectum non habet. Transponere verba, ut facit Lipsius, violentum est. Quare corrigo parvula mutatione: *Igitur alia, quæ ibi varietate fortunæ & nostri origine veneranda relegit, Asiamque; appellitque Colophona.* Ach. Harlæus. Subscribo uni Freinshemio, cujus ipsa prorsus conjectura olim & mihi nata est: ut pro *aliaque qua* sit *Ilio quaque.* Intelligimus Trojæ reliquias conspectas Germanico, non quum transiret angustias Hellesponti, & ad Στόμα Πόντου properaret, ut vult Salinerius (etsi præter ea *extrema Asiæ* à Lesbo conscendenti brevis cursus Seston & ad Europæum Hellesponti ac Propontidis latus fuerit) sed regresso, cum & alia superiora lateris Asiatici eum prælegisse otiosius credibile est. Ibi forte navibus ad Sigæum appulsis venit ei in mentem de Samothracum diis venerandis, jamque eo velis, si daretur, & remis; sed illum è Septentrionum filiis præcipue quem Thrasciam vocant, pertinaciter adversus ab incepto desistere compulit. *Igitur Ilio quaque ibi*, hoc est, igitur continuato itinere ab Ilio, quod redux à Bosporo Thracio tenuit, & illis, quæ illic loci, vel quod varia forte celebris fortunæ ludus fuerunt, nunc splendida regna, nunc rudera & cadavera civitatum, vel quod inde origo Romanæ gentis descendit, conspecta nec sine sacro horrore & religione quadam visenda: his, inquam relictis, ut inceperat, Asiæ oram legere pergit. Ideo *relegit.* Gronovius. Non aliter Cl. Rycquius: sed nimia ejus libertas, præcipiti impetu mutantis ipsum contextum tam longe ab prisca lectione, tantummodo quoniam nescio quæ inventi Freinshemiani species blanditur. Hinc æstuans crepat indubitatam conjecturam, interrogat tantum non ob urgans. Plane autem est inanis, & si vetera rite inspicias, Ilio non melior reliquis, qui tanquam consortio peregrinandi instituto, circa hoc Ilium discordes & miris modis digredientes alius aliam viam petunt, ut quum ipsi ab se invicem alienentur, etiam nihil horum mihi placeat, & jubeam eos dilabi quo volunt, non dubitans, quin Tacitus aliam viam monstret, licet illam nunc ingredi nequeam. *Jac. Gronov.*

1 *Clarii Apollinis oraculo*] Strabo tamen, qui huic ætati compar, ita loquitur de hoc oraculo, tamquam nullum tunc fuerit. Κολοφὼν πόλις Ἰωνική, καὶ

Clarii Apollinis oraculo uteretur. Non femina illic, ut apud Delphos, sed certis è familiis, & ferme Mileto accitus sacerdos, numerum modo consultantium & nomina audit: tum in specum degressus, hausta fontis arcani aqua, [1] ignarus plerumque litterarum & carminum, edit responsa versibus, compositis super rebus quas quis mente concepit. & ferebatur Germanico per ambages, ut mos oraculis, *maturum exitium* cecinisse. At Cn. Piso quo properantius destinata inciperet, civitatem Athe- 55
niensium, turbido [2] incessu exterritam, oratione sæva increpat; oblique Germanicum perstringens, *quod contra decus Romani nominis, non Athenienses tot cladibus extinctos, sed colluviem illam nationum comitate nimia coluisset. hos enim esse Mithridatis adversus Sullam, Antonii adversus divum Augustum socios.* etiam vetera objectabat, quæ in Macedones improspere, violenter in suos fecissent: offensus urbi propria quoque ira; quia Theophilum quemdam [3] Areo judicio falsi damnatum, precibus suis non concederent. Exin navigatione celeri per Cycladas, & compendia maris, adsequitur Germanicum apud insulam Rhodum, haud nescium quibus insectationibus petitus foret: sed tanta mansuetudine agebat, ut cum orta tempestas raperet in abrupta, possetque interitus inimici ad casum referri, [4] miserit triremes, quarum subsidio discrimini eximeretur. Neque tamen mitigatus Piso, & vix diei moram perpessus, linquit Germanicum, prævenitque. & postquam Syriam ac legiones attigit, largitione, ambitu, infimos manipularium juvando, cum veteres centuriones, [5] severos tribunos demoveret, locaque eorum clientibus suis, vel deterrimo cuique attribueret, desidiam in castris, licentiam in urbibus, vagum ac lascivientem per agros militem fineret, eo usque corruptionis provectus est, ut sermone vulgi, *parens legionum* haberetur. Nec Plancina se intra decora feminis tenebat; sed exercitio equitum, [6] decursibus cohortium interesse: in Agrippinam, in Germanicum contumelias jacere: quibusdam etiam bonorum militum ad [7] mala obsequia promptis, quod *haud*

καὶ πρὸ αὐτῆς ἄλσος τοῦ Κλαρίου Ἀπόλλωνος, ἐν ᾧ καὶ μαντεῖον ἦν πάνυ παλαιόν. Lipsius.

Oraculo uteretur] Dixit Græcorum more *uti oraculo*, pro *oraculum consulere.* Illi enim dicunt χρῆσθαι. ac mihi videtur exoticum illum Græcorum sermonem imitari voluisse, novitatis aucupio gratiam elocutioni quærens. *Turnebus.*

Colophona, ut Claris] Claros navale Colophoniorum. Plin. lib. 2. cap. 103. *In Apollinis Clarii specu lacuna est, cujus potu mira redduntur oracula, bibentium breviori vita.* Muretus. Plin. 5, 29. *Ab Epheso Manteium aliud Colophoniorum, & intus ipsa Colophon, Haleso affluente: inde Apollinis Clarii fanum.* Tertull. de Anima, *Lymphaticos efficit Colophonis scaturigo dæmoniaca.* Euseb. de Præp. Euang. libro 2. cap. 5. *Castalius & Colophonius fontes.* Aurelius.

1 *Ignarus literarum*] Liberalium studiorum. Etsi alii accipiant pro ipsis elementis. *Freinshemius.*

2 *Turbido incessu*] Noster Jurisconsultus in L. *Observare.* de offic. Proconf. D. *recte*, inquit, *& ordine facies, si edictum decessori suo miseris*, (loquitur de Proconsule,) *significetque quo die fines sit ingressurus. Plerumque enim, incerta hæc & inopina turbant provinciales.* Aurelius.

3 *Areo judicio falsi*] Lego, *Areo judicio*, hoc est, judicio Arei pagi. τῇ ἀρείῳ κρίσει. Dicasterii notum nomen est apud Athenas ἄρειος πάγος, ubi capitales causæ cognoscebantur. *Rhenanus.*

4 *Miserit Triremes*] Alii triremes suas, tamquam omnes, alii quasdam missas interpretantur: neutri absurde. *Freinshemius.* Livius 23, 34. *P. Valerius Flaccus ceteros ad persequendam retrahendamque navem cum misisset.* Utrobique intelligitur *aliquot.* Gronovius. Sed & MS. habet & Beroaldus edidit *triremis*, quod reposui, ut 14, 4. *sueverat triremis vehi.* Aliquid simile tetigi 1, 60. *Jac. Gronov.*

5 *Severos tribunos*] Vertunt fideles & veteres, sed non ad fidem hic respicitur, verum ad disciplinam. *Freinshemius.*

6 *Decursibus cohortium interesse*] Alia hæc Decursio ab illa funebri, de qua dixi. Nam hæc exercitii fuit: solita usurpari ter quot mensibus ex institutione divi Augusti. Vegetio Campicursio dicitur: quem vide libro 1. cap. XXVII. & libro III. cap. IV. Campestris decursio Suetonio, in Galba: *Campestrem decursionem scuto moderatus.* in Nerone: *Indictaque decursione Prætorianis, scutum sua manu prætulit.* Et sane indecorum, feminam in his spectari, & velut moderari. *Lipsius.*

7 *Mala obsequia*] Quidam ad Germanicum & Agrippinam referunt, cum ad Pisonem referendum fit,

56 *haud invito imperatore ea fieri* occultus rumor incedebat. Nota hæc Germanico; sed [1] præverti ad Armenios instantior cura fuit. Ambigua gens ea antiquitus, [2] hominum ingeniis, & situ terrarum, quo [3] nostris provinciis late prætenta, penitus ad Medos porrigitur; maximisque imperiis interjecti, & sæpius discordes sunt, adversus Romanos odio, & in Parthum invidia. Regem illa tempestate non habebant, amoto Vonone: sed favor nationis inclinabat in Zenonem [4] Polemonis regis Pontici filium, quod is prima ab infantia instituta & cultum Armeniorum [5] æmulatus, venatu, epulis, & quæ alia barbari celebrant, proceres plebemque juxta devinxerat. Igitur Germanicus in urbe Artaxata, adprobantibus nobilibus, circumfusa multitudine, [6] insigne regium capiti ejus imposuit. ceteri venerantes regem, *Artaxiam* consalutavere; quod illi vocabulum indiderant [7] ex nomine urbis. At Cappadoces in formam provinciæ redacti Q. Veranium [8] legatum accepere: & quædam ex regiis tributis deminuta, quo mitius Romanum imperium speraretur. Commagenis Q. Servæus

sit, ad cujus obsequia prompti erant etiam in malis rebus. *Malum* est *obsequium*, quod ubi non debet redditur, perversum. Sic *male alacres* sunt 4, 74. perverse alacres; læti, quum minime deberent. *Freinshemius.*

1 *Præverti ad Armenios*] Ita infra: *Aut si quando ad interna præverterent.* Curtius VI. *Tamen ad Satibarzanem opprimendum præverti optimum ratus.* Apulejus Apol. II. *Nunc tempus est ad epistolas Pudentillæ præverti.* Plautus & Livius quoque, sed sine præpositione. *Lipsius.*

2 *Hominum ingeniis, & situ terrarum*] Quid hac Manuscripti lectione melius aut clarius? tamen sive à librariis corrupta, sive à censoribus mutata, sic in vulgatis habebatur: *Ambigua gens ea antiquitus, non modo ingeniis, sed situ terrarum.* Pichena. Opponit terras ingeniis hominum, quæ varia variis locis. Tertull. lib. de Anima. *Thebis hebetes & brutos nasci, relatum est: Athenis sapiendi dicendique acutissimos, ubi penes Colytum pueri mense citius eloquuntur præcoce lingua. Comici Phrygas timidos illudunt. Sallustius vanos Mauros, & feroces Dalmatas pulsat: mendaces Cretas etiam Apostolus inurit.* Aurelius.

3 *Provinciis nostris late prætenta*] Sic Virgil. dixit *prætentaque Syrtibus arva.* Et Valer. 5. Argonaut.

Horruit immensum Ponti latus, horruit omnis
Armeniæ prætentus Iber.

Idem.

4 *Polemonis regis Pontici*] Melius, *regis Ponti.* Polemo autem Zenonis Rhetoris filius ad regnum pervenit concessu Antonii & Augusti. de quo vide Dionem in actis anni DCCXXIX. Uxorem habuit Pythodorim: quam mire à prudentia aliisque virtutibus laudat Strabo; & quæ nunc, mortuo marito, præerat rebus regni. Polemoni illi filius item Zeno, qui nunc Armeniæ datus rex. Strabo libro XII. Τῶν δὲ τῆς Πυθοδωρίδος υἱῶν ὁ μὲν ἰδιώτης συνδιῴκει τῇ μητρὶ τὴν ἀρχήν, ὁ δὲ ἄρτι καθίσταται τῆς μεγάλης Ἀρμενίας βασιλεύς. *Lipsius.*

5 *Æmulatus*] Possit Sallustiano exemplo legi, *æmulus.* *At Pompeius à prima adolescentia, Alexandri regis facta dictaque æmulus erat.* Idem. Sed suo exemplo utitur Tacitus ex 3. hist. 81. *Studium philosophiæ & placita Stoicorum æmulatus.* Jac. Gronovius.

6 *Insigne regium*] Zenonem itaque regem Armeniæ dedit Germanicus, sed sine ullo, ut vides, bello. addo, nec metu belli. Mirum igitur à Suetonio scribi, Cal. cap. I. Germanicus *ad componendum Orientis statum expulsus, cum Armeniæ regem devicisset, Cappadociam in provinciæ formam redegisset, Antiochiæ obiit.* Quem, sodes, ille regem devicit? auctoritate tota res perfecta, non armis. Videbar apposite corrigere, *dejecisset.* sed nec id plene verum: quia Vonones à Silano dudum regno amotus, ante Germanici adventum. Itaque corrigas potius, *regem dedisset.* Lipsius.

7 *Ex nomine urbis*] Mirum. cum jam ante plures reges eo nomine fuerint: & urbs ipsa potius nomen habuit ab aliquo regum, uti Tigranocerta. *Idem.* Patet igitur nimis clare vitium lectionis & simul patet facilitas reparandi, nempe *indiderant ex conditore urbis.* An excidit vox, ut scripserit *ex nomine conditoris urbis?* Jac. Gronovius.

8 *Legatum accepere*] Hiems media est, tamen æstuo. Legatum, inquit, nonne id est, Prætorem sive Proprætorem? Ita enim dicti, qui in Cæsaris provincias missi: & hos omnes legi reperio è Senatu. Si id est: quis Dionem nobis conciliet, super eadem re scribentem: Καὶ τότε καὶ ἡ Καππαδοκία τῶν τε Ῥωμαίων ἐγένετο, καὶ ἱππεῖ ἐπετράπη. *Secundum hæc & Cappadocia Romani juris facta, & Equiti regenda permissa.* Si enim Equiti, quomodo Legato? Fateor in minores provincias sæpe Equites missos, imo & Libertos; sed cum Procuratorum titulo, non Legatorum. Tamen à Dione & Tranquillus est, in Vespas. cap. VIII. *Cappadociæ, propter assiduos Barbarorum incursus, Legiones addidit, Consularemque rectorem imposuit pro Equite Romano.* Ego censeam primo quidem Legatum impositum: sed post id mutasse. Dionem autem oculos

væus præponitur tum primum ad [1] jus prætoris translatis. Cunctaque socialia prospe- 57
re composita non ideo lætum Germanicum habebant, ob superbiam Pisonis, qui jussus partem legionum ipse, aut per filium in Armeniam ducere, utrumque neglexerat. [2] Cyrri demum apud hiberna decumæ legionis convenere, firmato vultu, Piso adversus metum, Germanicus ne minari crederetur: & erat, ut retuli, clementior. sed amici accendendis offensionibus callidi, intendere vera, adgerere falsa, ipsumque & Plancinam, [3] & filios variis modis criminari. postremo paucis familiarium adhibitis sermo cœptus à Cæsare [4] qualem ira & dissimulatio gignit: responsum à Pisone [5] precibus contumacibus, discesseruntque [6] opertis odiis. [1] post-

los habuisse in eo quod obtineret, non quod obtinuisset. *Lipsius.*

1 *Ad jus Prætoris*] Verius esset, *Proprætoris:* sed ista miscentur, & passim in Tacito Prætor, Proprætor, Legatus, munere eodem. Strabo ad hanc rem: Ἡ Κομαγηνὴ μικρά τις ἐστίν. Ἔχει δὲ ἐρυμνὴν πόλιν Σαμόσατα, καὶ ᾗ τὸ βασίλειον ὑπῆρχε, νῦν δὲ ἐπαρχία γέγονε. id est: *Comagene, modica regio, urbem munitam habet Samosata, in qua regia fuit. nunc in provinciam redacta est.* Nec moveat te quod Suetonius provinciam eam factam primum vult à Vespasiano, cap. VIII. quia Caligula regibus eam iterum tradiderat, ut narrat Dio LIX. *Antiocho*, inquit, *Antiochi filio Comagenem paternum regnum adjectis Ciliciæ maritimis dedit.* Uti ergo Caligula Tiberii: sic Caligulæ decretum Vespasianus rescidit. *Lipsius.* Sed & hoc loco vitiose editur tum vulgo in contextu, tum ab Lipsio in nota, illa appellatio regionis per unum m, quum & MS. ipse geminans habeat *Commagenis*, atque etiam Beroaldus. Certe ab Suetonio etiam fuisse geminatam scio ex vetustissimis codicibus, quod per negligentiam nonnulli minus attenderunt. Itaque & Casaubonus illic ita citat, agnoscens etiam in verbis Dionis. Immo & in versione Strabonis semper geminat, etiam in contextu ejus scriptoris, unde Lipsius inconsulte agit, quum in citatione inde discedit. Adde ad caput 42. *Jac. Gronovius.*

2 *Cyrri demum*] Cyrrum oppidum in Cyrrhestica, seu Cyrristica regione Cœlesyriæ, ait Plinius. & sic à Ptolomæo dicitur, reponiturque inter urbes Syriæ. *Aurelius.*

3 *Et filios criminari*] Hæc de dissidio & calumniis inter Pisonem & Germanicum, quique partium utriusque ibi erant. Sed quomodo *filios* criminantur? sane unus ibi *M. Piso* filius: & *Cnæus* alter, *omne hoc tempus in urbe egit.* quod ipse Tacitus infra libro III. scripsit: nec paternæ fortunæ aut crimini potuit adjungi. Vide an non *filium*; nisi & Cnæus Romæ aliquid in Germanicum; aut criminati universe sunt filiorum superbiam, contumaciam, aut tale. *Lipsius.*

4 *Qualem ira & dissimulatio gignit*] Forte: *qualem ira dissimulatio.* Muretus. Male & contra mentem Taciti: nam *ira dissimulatio* talis potest esse, ut frontem & verba præferat summopere amantium: at *ira & dissimulatio* est, ubi insignis & nota ira sic insigni comprimitur animo, ut identidem erumpat sese ac male tegat. Accipe igitur, qualem vicissim nunc ira, nunc ejus dissimulatio gignit. qualis solet alternari inter eos, qui eodem tempore eodemque congressu frænos iracundiæ modo relaxant, modo adducunt. *Gronovius.*

5 *Precibus contumacibus*] Illa contraria videntur, & revera sunt, *contumacia* ac *preces*. Sed ea opposita loquendi ratione uti amat Tacitus & singularem non elegantiam modo, sed vim etiam ista habet in iis sive moribus, sive ingeniis, sive factis, sive dictis describendis, in quibus, diversas ob causas, diversa & contraria concurrunt, & aliquid ex utrisque mixtum est. Ita hic, *Preces contumaces.* Sub initium hujus libri, *segnis equorum cura.* Libro I. *arrogans moderatio.* Ann. 4. *Ignoti ex fama.* Faciunt etiam huc ista; *sermo cœptus à Cæsare, qualem ira & dissimulatio gignit.* Hoc ipso libro: *Pro Plancina cum pudore & flagitio disseruit.* Et *Adeo vertit ac miscuit ira ac clementia signa.* Annal. III. Et alia ejusmodi infinita. *Boxhornius. Precibus contumacibus*, ut Jupiter apud Nasonem, *precibusque minas regaliter addit:* quibus petebat quidem, ne ea, quæ reipubl. causa & ex instituto egisset, in suam contumeliam verteret, (ut Pompejus apud Cæsarem initio belli civilis) simul demonstrabat, si tamen id faceret atque indignaretur, se id susque deque ferre, ut Cicero ad Appium 3. fam. 7. forsan & adjiciebat scire velle, quot sibi sint domini: Tiberio putasse soli rationem actorum reddendam. *Idem.*

6 *Opertis odiis*] Lego *apertis.* Lipsius.

Opertis odiis] Eruditissimus vir *apertis.* Ego nequeo videre, quo pacto odia ab eo aperiantur, cujus sermo est, *qualem ira & dissimulatio gignit:* neque facile persuadear, illum simultatis affectus effudisse, qui precibus contumacibus objecta sibi deprecatur. *responsum à Pisone precibus contumacibus.* Uterque igitur (quantum in se fuit) odia tunc dissimulavere: verum iis invitis emicuerunt quædam scintillæ animi alienati, quem postea Piso detexit, qui alioquin iræ potens non erat. *rarus in tribunali Cæsaris Piso, & si quando adsideret atrox & dissentire manifestus.* Salinerius. *Discesseruntque* reposui. vulgo *discesserantque.* Quod ad vocem *opertis*, mihi quidem

[1] postque rarus in tribunali Cæsaris Piso; & si quando adsideret, atrox, ac dissentire manifestus. vox quoque ejus audita est in convivio, cum apud Regem Nabatæorum [2] coronæ aureæ magno pondere Cæsari & Agrippinæ, leves Pisoni & ceteris offerrentur; [3] *principis Romani, non Parthi regis filio eas epulas dari:* abjecitque simul coronam, & multa in luxum addidit, quæ Germanico, quamquam acerba, tolerabantur

quidem Lipsii conjectura valde probatur. Nam ex antecedentibus, & sequentibus mutua odia satis declarantur. Nec ideo *aperta* dicuntur, quia Germanicus & Piso ea patefecerint, inimicitiamque indixerint, sed quoniam & ipsis inter se, & eorum amicis, manifesta erant, licet ab utrisque male dissimularentur. Alteram tamen vocem non sperno, quæ & ipsa commodum sensum habet. *Pichena.* Non sine causa in partes hic itum: nam & altera lectio, *apertis odiis*, similitudinem habet veri. Sed omnibus probe consideratis illam prætuli. *Freinshemius.* Cum ita restet in autographo unico, haud id temere sollicitaverim, facto ex *opertis* contrario ejus *apertis*. Si enim tunc odia palam profitebantur, cur infra sequitur? cap. 70. *componit epistolas, queis ei amicitiam renuntiabat.* extatque diserte libro 6. Ann. cap. 29. hujusmodi demum amicitiarum direptionem, *finem gratiæ ponere*. Gruterus. Scio *offensarum operta* in 3 Histor. Attamen omnino Lipsio subscribo, & plane alterum τῷ *opertis* alienum puto. Naturaliter enim evenit, ut ex hujusmodi colloquiis, inter ingenia præsertim dissociabilia, exeant professi inimici. Et tum quæ præcedunt, tum quæ sequuntur, alterum firmant. Si odiis opertis discessissent, lenes querelas expurgatio, hanc ejus qualiscunque acceptio, & rursus aliqua mutuæ fidei species sollicitosque vultus læti excepissent. At hic sermo ita & dissimulatione mixtus, dein preces arrogantes ac nihil cedentis, quid possunt gignere aliud quam odia retecta & apparentia? Jam si nolebat sciri Piso se cum Germanico in gratia non esse, cur rarus in tribunali Cæsaris, cur austerus, cur diversa semper sententia? Stultitiam Cicero vocat *in obscuro odio apertas inimicitias* ostendere 3 Fam. 10. Denique innata utrique indoles, hoc est, & simplicitas Germanici & ferocia Pisonis, satis refutare vulgatum videntur. Quæ Gruterus urget, ad ea responsio facilis. Aliud è colloquio *discedere odiis apertis*, hoc est, ita ut alienatorum animorum signa satis apparuerint; aliud denunciare inimicitias & omnem consuetudinem rumpere. Velim scire Lucullus & Pompejus in Galatia digressine fuerint etiam *apertis odiis? Certatam inter imperatores jurgiis*, inquit Vellejus. Item annon postea quoque vixerint *apertis odiis*, quum Pompejus in Provincia Luculli acta rescinderet; Lucullus Pompeji acta confirmari à Senatu prohiberet? Πομπηίῳ δ' ἦν μὲν ἐκ τῆς στρατηγίας διαφορὰ πρὸς Λούκουλλον, ait Plutarchus. Neutrum tamen alteri amicitiam libello renuntiasse legimus. Sed *eum finem gratiæ* ponebant. Sed quibus libuisset; non utique omnes. Sed qui simpliciter in gravissimis offensis agerent, sed non ita præfestine, quos honoris collegium aut provinciæ societas conglutinasset, etiam post manifesta odia. *Gronovius.*

1 *Postque rarus in tribunali*] Maluit Muret. divisum, *post quæ raras.* Idem in utroque momentum. *Acidalius.*

2 *Coronæ aureæ*] Coronæ conviviorum è floribus foliisque vulgatæ: non æque ex auro. Quas tamen non solum in illo Orientis luxu, sed etiam Romæ usum aliquem habuisse discas ex Capitolino: qui in Ælio Vero scribit. *Data etiam conviviis aurea atque argentea pocula & gemmata: coronas quinetiam datas lemniscis aureis interpositis, & alieni temporis floribus.* Item Ulpiano, De auro & argento legato: *Cedeat igitur gemma fialis vel lancibus, inclusa auro argentove. sed & in coronis mensarum, gemma coronis cedent, & hæ mensis.* At in Ægypto hunc morem Justinus tangit lib. XVIII. *Missi*, inquit, *à Senatu in Ægyptum Legati, cum ingentia sibi à Ptolemæo rege missa munera sprevissent, interjectis diebus ad cœnam invitatis aurea corona missa sunt, quas illi honoris caussa receptas, postera die statuis regis imposuerant.* Etiam Polybius l. xv. qui ostendit tamen Regibus tantum ex auro dari solere, aliis alias. Itaque narrat de Aristomene quodam, qui Agathocli, etsi non regi, per adulationem ejus generis imposuit: Πρῶτος μὲν γὰρ, inquit, ὡς ἑαυτὸν ἐπὶ δεῖπνον καλέσας τὸν Ἀγαθοκλέα, χρυσοῦν στέφανον ἀνέδωκε μόνῳ τῶν παρόντων. Ὃ τοῖς βασιλεῦσιν αὐτοῖς ἔθος ἐστὶ μόνοις συγχωρεῖσθαι: *Primus hic enim Agathoclem ad se in cœnam invitans, auream ei coronam dedit soli omnium convivarum, quod solis regibus tribui mos est.* Neque scio an huc faciat, quod Laërtius in Xenocrate scribit: χρυσῷ στεφάνῳ τιμηθέντα ἐπ' ἄθλῳ πολυποσίας: *aurea corona donatum, in præmium multæ potationis.* Certe ad convivia etiam spectat. *Lipsius.*

In convivio corona aurea magno pondere &c.] Solebant antiqui in compotationibus coronas gestare, ut est apud Aristophanem in Equitibus, ubi Poeta, ὅστις (ait) κοινᾶς στέφανον μὲν ἔχω οἴνῳ δ' ἀπολώλεκας. invehitur enim in Cratinum tanquam ebrium & insanientem. Meminit & Diogenianus, unde Plauti carmen in Pseud. *Quid ego video? cum corona ebrium Pseudolum tuum?* Mentio est etiam Athenæo & aliis auctoribus. *Alciatus.* Æneæ coronæ & corneæ ante aureas Romæ hibernæ, ubi natura flores negaverat, Plinius 21, 2. Sane Crassus Dives primus ex auro & argento invenit, Plin. ib. 3. Licet priore ævo solis diis aureæ darentur, Dio 44. *Aurel.*

3 *Principis Romani*] Claret sententia. quasi dicat,

lerabantur tamen. Inter quæ ab rege Parthorum Artabano legati venere: miserat 58
[1] *amicitiam ac fœdus* memoraturos, & *cupere* [2] *renovari dextras, daturumque honori*
Germanici, ut ripam Euphratis accederet: petere interim, ne Vonones in Syria haberetur,
[3] *neu proceres gentium propinquis nuntiis ad discordias traheret.* Ad ea Germanicus, de
societate Romanorum Parthorumque magnifice; de adventu regis & cultu sui, cum
decore ac modestia respondit. Vonones Pompejopolim Ciliciæ maritimam urbem
amotus est. datum id non modo precibus Artabani, sed contumeliæ Pisonis, cui
gratissimus erat, ob plurima officia & dona, quibus Plancinam devinxerat. M.
Silano, L. Norbano consulibus, Germanicus [4] Ægyptum proficiscitur, [5] cognoscen- 59
dæ antiquitatis. sed cura provinciæ prætendebatur, levavitque [6] apertis horreis
pretia frugum: multaque in vulgus grata usurpavit, sine milite incedere, [7] pedibus
intectis,

cat, luxum illum alienum Romanis moribus, dignum Parthorum. Æmilius tamen hic λιπτολογεῖ, & perdit multa verba. *Lipsius.*

Principis Romani] Apud Cornelium infra libro 1. Hist. Galba Pisonem adoptans. *Neque hic*, inquit, *ut in ceteris gentibus, quæ regnantur, certa dominorum domus, & ceteri servi: sed imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem.* Sentiebat igitur Piso in dandis coronis non adeo magnum fieri oportuisse discrimen inter se & Germanicum. quamvis enim principis filius esset Germanicus, tamen esse ejus principis, qui non subjectos ut servos, sed regendos ut liberos & amicos cives suos accepisset. Itaque non dari epulas filio Parthorum regis omnium domini: sed filio principis Romani, amico & prope æquali cum civibus jure viventi. *Ferrettus.* Rectissime, meo quidem animo hæc explicavit Ferrettus hoc loco, mentem Pisonis fuisse, in dandis coronis non adeo magnum fieri oportuisse discrimen inter se & Germanicum, &c. *Freinshemius.*

1 *Amicitiam ac fœdus memoraturos*] Verbo signato & proprio hac in re usum Tacitum notavimus ad Plautum Pseud. 5, 1, 36. *Gronovius.*

2 *Renovari dextras*] In fœderibus dextræ, & in dextris religio. Plinius 11. cap. 46. Extant nummi in quibus sunt compactæ dextræ invicem cum hac inscriptione, CONCORDIA LEGIONVM. Et apud Triumviros, tres manus invicem se tenentes, nequitiæ & sceleris, & tyrannidis fœdus testabantur, cum hoc titulo: *SALVS. GENERIS. HVMANI. Dextra*, inquit Plinius, *osculis aversa aperitur, in fide, recta porrigitur.* Aurelius. Dextras pro fide & fœderibus sumi, notum est, illis præsertim gentibus. vide notata ad Curtium 6, 4. *Freinshemius.*

3 *Neu proceres gentium*] Legendum, *ne proceres gentium.* Causa cur removeri velit Vononem è Syria, ne dum proceres gentium, Artabanus Persicæ, Germanicus Romanæ, proximi sunt, si propius adsit Vonones, serat inter eos nuntiis è propinquo causas discordiarum. Eo mox amolitus in Ciliciam, & in ejus oram maritimam, quæ remotissima. *Mercerus.* Particula *neu*, sententiam confundit. Censeo legendum, *ne proceres gentium.* vel potius, *ne is proceres gentium.* Pichena. Nihil mutari placet. Videtur enim & genus τοῦ ἓν διὰ δυοῖν esse, & sermo legibus, pactionibus, conditionibus, proprius: *Ne sit, neu faciat*, pro illo, *Ne sit, ubi vetitum faciat.* Quare autem *proceres gentium* Germanicus & Artabanus ingeniosissimo Mercero? Saltem tempus anguste captum, quasi Vonones Artabano tantummodo gravis vicinus, dum ipse & Germanicus in proximo. Quin *proceres gentium* acceperim præfectos & satrapas plurimarum gentium Parthis parentium, & *discordias*, rebelliones, defectiones, dissensiones Parthorum inter sese. Neque aliter Freinshemius, puto. *Gronovius.*

4 *Ægyptum proficiscitur*] Malim, *in Ægyptum.* Pichena. Frustra. Sic enim loquebantur. Liv. lib. 45. *Ad susceptam legationem peragendam navigare Ægyptum pergit.* Justinus vel Trogus lib. 23. *Uxorem genitosque ex ea duos parvulos Ægyptum, unde uxorem acceperat, remittit.* Et lib. 28. *Cum conjuge & liberis Ægyptum ad Ptolemæum proficiscitur.* Idem.

5 *Cognoscendæ antiquitatis*] Auditis Principes? imitamini. Hæc cognitio ad gloriam honestumque excitat: hæc parandi vias ostendit. *Lipsius.*

6 *Apertis horreis*] Publicis, opinor. ubi frumentum asservabant in plebis Romanæ, & quod superesset, in alios usus: At ille, in caritate forte annonæ, indignis indulsit. *Idem.*

7 *Pedibus intectis incedere*] Interpretor, incessisse crepidatum palliatumque. Plura in EXCVRS. K. *Idem.*

Pedibus intectis] Id est; non calceatis, sed soleatis: quippe calceorum aluta tegit pedem, solea nudat. Calceus tibias vestit, solea plantas tantum. *Solea*, ait Verrius Flaccus, *quæ solo pedis subjicitur.* Et ita *Thuscum calceamentum* accipio apud Virg. 8. Æn.

Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis.

Quod ex Hesychio probat Turnebus. Suetonius ita scribit de Augusto. *Discalceatus ludis æstivis intererat*, id est, soleatus. Et Asinius Pollio lib. 10. Famil. scribens Ciceroni. *Cum quidem pransus & nudis pedibus.* Apulejus *nudis & intectis pedibus* dixit 2 Metam. Aliud autem est *mero*, vel *puro pede.* Ut Juven. Sat. 3. *Observant ubi festa mero pede Sabbata reges.*

intectis, & [1] pari cum Græcis amictu, [2] P. Scipionis æmulatione; quem eadem factitavisse apud Siciliam, quamvis flagrante adhuc Pœnorum bello, accepimus. Tiberius cultu habituque ejus lenibus verbis perstricto, acerrime increpuit, [3] quod contra instituta Augusti, [4] non sponte principis [5] Alexandriam introisset. nam Augustus inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi senatoribus, aut [6] equitibus Romanis inlustribus, [7] seposuit Ægyptum: ne [8] fame urgeret Italiam,

reges. Nam *merus pes* totus in nudo & purus, nec calceum, nec soleam habet. Prudentius dixit *mera calce*, in Hymno D. Fructuosi. *Stabas calce mera.* Aurelius. Quidam acceperunt pro tectis, qua quidem significatione reperitur etiam, sed hoc loco melior est non tectis. Nec tamen omnino nudis pedibus incedebat, sed calceos apertos gestabat, hoc est, soleas, Græco more. Tertull. de pall. cap. 5. *Si quid calceatus inducitur, mundissimum apud est, aut pedes nudi magis, certe viriles magis, quam in calceis.* Agell. 13, 20. *Omnia id ferme genus, quibus plantarum calces tantum infima teguntur, cetera prope nuda & teretibus habenis vincta sunt, soleas dixerunt: nonnumquam voce Græca crepidulas.* Plura Lipsius ad hunc locum Taciti. Patet hinc cur Francisci sodales appellentur *Nudipedes.* Freinshemius.

1 *Pari cum Græcis amictu*] Id est pallio. Apulejus enim Græcos quod essent palliati *palliata mendicabula* dixit. Inde palliatæ comœdiæ, non togatæ, quales Afranius fecit. *Aurelius.*

2 *P. Scipionis æmulatione*] P. Scipionem Africanum dicit, quem etiam eo nomine multi calumniati sunt. Fabius quidem Maximus eum ad corrumpendam disciplinam militarem natum esse dicebat. Liv. lib. 29. *Ipsius enim Imperatoris non Romanus modo, sed ne militaris quidem cultus jactabatur; cum pallio crepidisque inambulare in Gymnasio, libellis etiam palæstræque operam dare.* Magnam autem vim habet ad conciliandam imperatori benevolentiam victus, cultusque similitudo. Sic Alexander victo Dario Persas imitatus est: quo facto Persarum quidem gratiam iniit, sed Macedonum adversus se odium concitavit. Sic Caracalla in Germania, Romano cultu deposito, sagulis argento intextis, Germanorum more utebatur, flavam etiam capiti cæsariem imponens, forsan Germanum in modum. Herodianus lib. 4. *Muretus.*

3 *Quod contra instituta*] Vide Suet. Tiberio, cap. LII. & quæ dicam ad lib. 1. Histor. *Lipsius.*

4 *Non sponte Principis*] Non voluntate & permissu principis. Inde infra lib. 4. *Exstructa jam sponte præfecti castra:* hoc est, jussu præfecti. Et alibi: *Proxima sponte inimicorum recepta*, id est, volentibus inimicis. *Ferrettus.*

5 *Alexandriam introisset*] Suetonius: *Quod vero Alexandriam, propter immensam & repentinam famam, inconsulto se adisset, questus est in Senatu.* Muretus.

6 *Equitibus Romanis illustribus*] De hoc cognomine equitum infra. *Lipsius.*

Equitibus Romanis illustribus] Ita conjunctim hæc accipienda sunt; ut quis eques Romanus esset, nec ex modicis, ut 1, 75. sed illustribus, ut 4, 58. hoc est, qui ex Equestri ordine opibus & genere præcellerent, ut explicat Salmasius in epistola ad Gronovium, Elencho Antidiatribes Papinianæ præfixa. Nam hæc interpretatio melior videtur illa Savilis ad H. 1. 11. ubi hunc locum referens, *illustres equites* Rom. putat intelligi, qui 16, 17. appellantur *dignitate senatoria.* Licet enim hos quam maxime illustribus connumerandos arbitrer, tamen præter hos aliis quoque gradum hunc patuisse existimo. Quo referendos arbitror & *notes equites Rom.* apud Cæsar. de bell. Civ. 3, 71. *Freinshemius.*

7 *Seposuit Ægyptum*] Cum magna pars frumenti, quo pop. Romanus alebatur, Alexandria veheretur, ob idque Alexandrinæ naves cum apparuerant, magno gaudio populum afficerent, ut est apud Sen. Epist. 78. Augustus, imperio prospiciens, vetuerat, ne quis senator, equesve Romanus inconsulto principe ingrederetur Ægyptum: quod videret in potestate ejus fore, fame urgere Italiam, seque levi præsidio adversus ingentes exercitus tueri: simulque metuens imperio à summa levitate & inconstantia Alexandrinorum, ut auctor est Dio lib. LI. Itaque non à proconsule, aut à proprætore administrabatur Alexandria, sed à Juridico δικαιοδότῃ, & à libertis Cæsaris, qui cogendæ pecuniæ publicæ præpositi erant, ut est apud Strabonem libro 17. Erat autem *Juridicus*, eques aliquis, non tamen ex illustribus, & magna auctoritate præditis, unde est Tit. lib. I. D. *de officio Juridici Alexandr.* ubi Ulpiani verba sunt. *Adoptare quis apud Juridicum potest; quia data est ei legis actio*, quæ verba nullo ex loco melius intelligi possunt, quam ex his, quæ leguntur apud Tacit. l. 12, 60. Addita erat prohibitioni superstitio: ferebatur enim apud Memphim in aurea columna Ægyptiis litteris scriptum, tunc demum Ægyptum liberam fore, cum in eam venissent Romani fasces, & prætexta Romanorum. Auctor Trebellius Pollio in libro de 30 Tyrannis. Alexandriam Suetonius in Vespas. vocat *claustra Ægypti*, Ammianus *verticem omnium civitatum*, ad finem libri 23. ubi multa de hac urbe narrantur cognitu dignissima. *Muretus.*

8 *Fame urgeret*] Ægypti fœcunditas multo maxima: ideoque Cornelius infr. lib. 2. Hist. eam appellat *claustra annonæ, & vectigal provinciarum:* & alibi, *annonæ fœcundam.* Item lib. 12. *Africam potius & Ægyptum exercemus.* Ferrettus.

1 *Claustra-*

liam, quisquis eam provinciam, [1] claustraque terræ ac maris, quamvis levi præsidio adversum ingentes exercitus, insedisset. Sed Germanicus nondum comperto profe- 60
ctionem eam incusari, Nilo subvehebatur, orsus opido à [2] Canopo. Condidere id Spartani ob sepultum illic rectorem navis Canopum; [3] qua tempestate Menelaus Græciam repetens, diversum ad mare terramque [4] Libyam dejectus. Inde proximum

1 *Claustraque terræ ac maris*] Intellegit Pelusium, Paretonium, & Alexandriam. In Propertio.

Claustraque Pelusii Romano subruta ferro.

Lipsius.

Claustraque terræ ac maris] Rectius erit per appositionem legere: *quisquis eam provinciam, claustra terræ ac maris.* Sic mox: *Syenen claustra olim Romani imperii.* & apud Lucanum *Regni claustra Phile.* Grotius.

2 *Canopo*] Strabo. Κάνωβος δ' ἐστὶ πόλις ἐν εἴκοσι καὶ ἑκατὸν σταδίοις ἀπ' Ἀλεξανδρείας πεζῇ ἰοῦσιν, ἐπώνυμος Κανώβου τοῦ Μενελάου κυβερνήτου, ἀποθανόντος αὐτόθι. Ammianus: *Canopus in duodecimo distinguitur lapide, quem ut prisca memoria tradunt, Menelai gubernator sepultus ibi cognominavit. Ibi unum est ex septem ostiis Nili dignitate Alexandrino proximum.* Plinius. Vide Aristidem in oratione Ægyptiaca. Æschylus, Ἔστι πόλις Κάνωβος ἐσχάτη χθονός. Hic Canobus à serpente, qui αἱμοῤῥοῦς vocatur, morsus interiit, Nicander in Theriacis. Ælianus de historia animal. lib. 14. cap. 13. Hujus serpentis meminit & Dioscorides lib. 6. & Galenus libro de theriaca ad Pisonem. *Muretus.*

3 *Qua tempestate*] Sic Cic. 2. de orat. *Qua tempestate Paris Helenam*, &c. Vide Euripidem in Helena. *Idem.*

4 *Libyam delatus. Inde proximum*] Dispungit doctissimus vir aliter atque ad hoc temporis factum: *delatus inde. proximum amnis os*, quasi Tacitus sit in manifesta pugna cum Homero, qui Menelaum dicit, adita prius Ægypto, Sidonios, Erembos, inde Libyam devenisse. lib 4. Odyss. 83. Occurrit itaque & sua distinctione Tacitum se cum Homero conciliasse putat. Verum Germanicus antiquitatis curiosus adit Canopum, quia ibi Serapidis templum, Strabo lib. 17. intrat os Heraclium: deinde visit vestigia Thebarum. Hæc aperta ex vetere distinctione. At per novam, Heraclium non aditur, & Cornelius non oportune verba facit, unde id nominis ei fluminis ostio datum sit. Insuper quid hoc monstri? Spartanos Canupum condidisse, cum ex Ægypto in Libyam delati sunt? immo cum ex Græcia illud ostium Nili tenuere: nec Menelaus Canopo discedens in Libyam solum defertur, sed plures per gentes, quibus omissis non video cur tantum Libyam nominaverit. Non obstat, quod objicitur ex versibus Homeri. Nam non eo ordine aditæ gentes à Menelao, quo ab Homero scriptæ sunt. Phœnice profecto prius (si ordini credimus) quam Æthiopes petita fuit, cujus tamen metropolis posterior recensetur. Non ergo ad amussim hujusmodi carminum res est metienda. De Sidoniis equidem Phœnices loquitur Homerus, idque de Strabone petas, qui rationem reddit, cur generaliter facta Phœniciæ mentione, de Sidoniis iteravit. Adde non insubide dici posse, non semel in Ægyptum Menelaum rejectum fuisse, antequam in patriam se reciperet. De una appulsione, & inde ad alios peregrinatione lib. 3. Odyss. 299. Nestor, qui jam dixerat se à Troja socium reversionis habuisse Menelaum, primaque tempestate ventum plures ejus naves Cretam, quinque reliquas in Ægyptum disparasse. De altera, & inde in patriam prospera navigatione lib. 4. Odyss. 585. Menelaus, cui perfectis Hecatombis contigit reditus innocuus ab Ægypto, nec per tot varias gentes erravit. Quis neget igitur potuisse Menelaum prius in Libyam Mareotidem deferri, quæ Ægypto finitima? Plinius 2, 2. *ea, quæ sequitur, regio Mareotis Libya appellatur, Ægypto contermina.* Sed quid conjecturis indulgemus? Accepit noster Libyam pro Africa, ut Tertullianus *Æon in Atlantico Libyam aut Asiam adæquans.* Et id voluit, cum Menelaus ex Europa in Africam rejectus est, nempe in Ægyptum ejus Provinciam. *Salmerius.* Hunc locum Julius Salinerius doctissime defendit. Ideo nihil aliud monebo, nisi quod verbum, *est*, in fine dictionis, sæpissime in Man. signatur hac nota, ⁊. Non mirum ergo, si aliquando prætermissum sit à librariis. Hic certe reponerem, *delatus est.* Pichena. Itane nihil amplius? Atqui uterque vestrum vidit in MSto unico non haberi istud participium, sed *delectus.* Hinc non debueratis ita fovere participium *delatus*, quod imprudenter supposuit Beroaldus, quum satis probabili verisimilitudine pateat Tacitum scripsisse *dejectus*, quippe quod Latina lingua in hac maritima violentia sibi proprium fecit. Nonne sic Pater ex MSS. restituit Livium 23, 34. *Classis fœda tempestate vexata ad Baleares insulas dejicitur?* Id quidem tam elegans, tam verum videtur, ut debuerim spurium è contextu expellere & hoc reponere. Idem hoc participium, sed alio sensu, auctori restituit Pater lib. 4. *Jac. Gronovius.*

Inde proximum amnis os] Distinctio vulgata non impedit, neque negat Menelaum è Canopo in Sidonios, Libyamque delatum. Neque Tacito sane propositum bina illa Nili ora, alterum Canopicum, alterum Heracleoticum describere: sed tangit saltem. Neque autem structura orationis ipsius sic distingui patitur; quæ tamen juvanda leviter etiam est insitione particulæ *ad.* Lege: *inde ad proximum amnis os*, &c. Nam ita recte oratio se consequitur:

proximum amnis os dicatum [1] Herculi, quem indigenæ ortum apud se [2] & antiquissimum perhibent, eosque qui postea pari virtute fuerint, [3] in cognomentum ejus adscitos. Mox visit [4] veterum Thebarum magna vestigia. & manebant [5] structis molibus litteræ Ægyptiæ, priorem opulentiam complexæ: jussusque è senioribus sacerdotum [6] patrium sermonem interpretari, referebat *habitasse quondam [7] septingenta millia ætate militari: atque eo cum exercitu [8] regem Rhamsen Libya, Æthiopia, Medisque & Persis, & Bactriano, ac Scytha potitum; quasque terras Suri Armeniique & contigui*

Nilo subvehebatur, orsus à Canopo, &c. *Mox visit Thebarum magna vestigia* &c. *Acidalius.* At Tacitus ea particula, qua juvare illum se putat Acidalius, uti noluit: quippe qui ad verba illa, *inde proximum amnis os* intellectum voluit ex sequenti membro τὸ *visit.* quasi esset: *inde visit proximum amnis os dicatum Herculi, mox Thebarum vestigia.* Quod haud scio an satis consideraverit & vir doctus, qui καταφράζει. *Abhinc proximum Nili ostium Heracleoticum appellatur:* quasi rationem hujus vocabuli tantum edat Tacitus; non ipsum os ingressum, & quæ circa occurrerent visenda, adisse & contemplatum esse significet Germanicum. Immo, *abhinc proximum Nili ostium adiit, Heracleoticum appellatum*, &c. *Gronovius.*

1 *Herculi quem*] De Hercule Ægyptio videndus Herodotus in Euterpe. Mela libro III. Meminit & Arrianus libro II. de rebus Alexandri. Græcum Herculem suo posteriorem fuisse amplius decem millibus annorum Ægyptii ajunt. Diodor. lib. I. *Muretus.*

2 *Et antiquissimum*] Comparative dictum cape, *ceteris omnibus antiquiorem.* Non enim ut transferunt, *Ne antiquam* aut *consuetudinem antiquam.* Freinshemius.

3 *In cognomentum ejus adscitos*] Hisp. *tomaron el mismo nombre*, quo non satis explicatur nominis ejus dignitas, quod non ex arbitrio cujusvis adsumptum est, sed qui digni videbantur, consensu quodam populorum, cognomenti ejus honore Herculi sunt æquati, eique sensui optime servit verbum *adscitos.* Quod tamen & reliqui non satis expressere. Quorum Angl. etiam *cognomentum* reddit *surname:* quum Tacito nihil sit aliud, quam *nomen*, ut 4, 65. *Freinshemius.*

4 *Veterum Thebarum*] Thebæ, quæ & ἑκατόμπυλος. unde Juvenalis, *Atque vetus Theba centum jacet obruta portis.* & Diospolis & Heliopolis, antiquitus Ægyptus dicebatur: quod est nomen etiam Nili. Erat autem in Ægypto superiore, quæ ex ea urbe vocatur Thebais, eam urbem condidit Busiris. Ambitus mœnium complectebatur 140. stadia, id est, 20 millia passuum. Strabo ait è vestigiis constare eam longam fuisse circiter 80 stadia. Ex ea prodibant in bellum 20 millia curruum. Homerus ιλ. ι. 182. Eam diruit Cambyses. Videndus Herodotus libro 2. Strabo libro 17. Diodorus in secunda parte libri primi. *Muretus.*

5 *Structis molibus*] Intellegit obeliscos. de quorum frequentia & notis consule omnino Ammianum, lib. XVII. atque in hac ipsa re Nos etiam in Ægyptiis ADMIRANDIS. *Lipsius.*

Structis molibus] Qua voce non tam ædificia vulgaria, ut alia inusitatæ magnitudinis, nec ferme ulla re præterquam ipso structuræ luxu commendata, designantur: veluti Pyramides, obelisci &c. *Freinshemius.*

6 *Patrium sermonem*] Alii omittunt, alii ad Romanum transferunt: quasi respectu Germanici *patrius sermo* dictus foret. quod non ita se habet; verum Ægyptius sacerdos jussus est *suum*, hoc est Ægyptium, sermonem, complexas litteras interpretari Germanico, quod ille, quatenus conjecturæ locus est, non Romana, sed Græca potius lingua fuerit exsequutus. *Idem.*

7 *Septingenta millia*] Strabo περὶ ἑκατὸν μυριάδας. *Muretus.*

8 *Regem Rhamsen*] De hac tanta potentia Ægyptiorum nihil legi. nec facile credam. Nam quod Suidas ait, Thulin quemdam Ægyptium regem, usque ad Oceanum imperium tenuisse, à quo dicta sit Thule: quid tam infandum somniavit ullus ægrotus? Nescio an hic sit Rhamses, quo regnante Ilium captum esse vult Plinius libro XXXVI. cap. VIII. ubi tamen leges, *Ramises*, corrupte. *Lipsius.*

Regem Rhamsem] Eadem dicuntur de Sesostride à Diodoro. *Muretus. Armais* apud Josephum, unde hos reges depromsit Eusebius, frater Sesothios, ipso fratre expeditionem in Asiam faciente, invasit regnum Ægypti: unde postea à fratre expulsus est. Iste *Sesothis* trinominis fuit, teste Manethone. Vocatus enim est *Ramesses*, & præterea *Ægyptos.* Sed Josephus hæc nomina permiscuit. Nam Sesothis Josephi est Σέσωστρις Herodoti, & Σεσόωσις Diodori. *Scaliger.* Ῥαμίσης in obelisco apud Ammianum Marcellinum videtur esse, qui *Rhameses*, seu *Rhamesses* dicitur ab Eusebio in Chronico, & à Josepho in lib. 2. contra Appionem Ῥάμεσσης & Ῥαμψής. Qui etiam alio nomine Σέθωσις dicebatur, ut docet ibidem Josephus ex Manethone. Herodotus in lib. 2. *Sesostrim* appellat. Eundem enim esse *Sesothim*, seu *Sethosim* Manethonis cum Herodoti Sesostri ex utriusque rebus gestis inter se collatis recte probavit Scaliger in Notis ad Eusebium numero 530. Eundem Tacitus in lib. 2. Ann. *Ramsem* vocat. Et de eo scribit quæ optime in Sesostrem conveniunt. *Valesius.*

1 *Inde*

contigui Cappadoces colunt, [1] *inde Bithynum, hinc Lycium ad mare imperio tenuisse.* [2] legebantur & indicta gentibus tributa, pondus argenti & auri, numerus armorum equorumque, & dona templis ebur, atque odores, quasque copias frumenti & omnium utensilium quæque natio penderet, haud minus magnifica, quam nunc [3] vi Parthorum, aut potentia Romana jubentur. Ceterum Germanicus aliis quoque miracu- 61
lis [4] intendit animum, quorum præcipua fuere [5] Memnonis saxea effigies, ubi radiis solis icta est, vocalem sonum reddens: [6] disjectasque inter & vix pervias arenas instar montium eductæ Pyramides, certamine & opibus regum: lacusque effossa humo, superfluentis Nili receptacula: atque alibi angustiæ, & [7] profunda altitudo, nullis inquirentium spatiis penetrabilis. Exin ventum [8] Elephantinen ac [9] Syenen, [10] claustra olim Romani imperii; quod nunc rubrum ad mare patescit. Dum ea æ- 62
stas Germanico plures per provincias transigitur, haud leve decus Drusus quæsivit inliciens

1 *Inde Bithynum, hinc Lycium*] Referenda hæc sunt ad populos proxime nominatos Syros, Armenios, Cappadocas: non universum Ægyptiorum imperium, quod his finibus velle includere ridiculum esset. *Freinshemius.*

2 *Legebantur & indicta*] De his prioribusque vide Strabonem in descriptione Thebarum. l. XVII. qui eum Cornelio Gallo illuc profectus pleraque refert oculata fide: egregius mehercules, & non ad vulgi gustum scriptor. *Lipsius.*

3 *Vi Parthorum*] *Vim* hic tantum pro imperio, aut potentia, neque ullo alio aspectu positam arbitror; uti sæpius de ipsis Romanis 3, 60. *Regum etiam, qui ante vim Romanam valuerant, decreta.* H. 4 69. *Vim Romanam, pacisque bona dissertans.* Freinshemius.

4 *Intendit animum*] *Intendere animum* rei cuidam dicitur, non qui desiderat absentem, sed qui considerat præsentem. *Freinshemius.* Livius præfat. lib. 1. *Ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint.* Gronovius.

5 *Memnonis saxea effigies*] Visitur, ut Plinius, vult, in Serapis templo forma colossi: *quem*, ait, *cottidiano solis ortu contactum radiis crepare dicunt.* Juvenal.

Dimidio magica resonant ubi Memnone chordæ.

Dimidium cur vocet, explicat Strabo: Τοῦ δὲ ἑνὸς τὰ ἄνω μέρη τὰ ἀπὸ τῆς καθέδρας πέπτωκε σεισμοῦ γενηθέντος, ὥς φασι, qui etiam vidisse se ait, & cum multis aliis circiter horam primam diei sonitum aliquem audisse. Philostratus ab Apollonio eam statuam in Æthiopia visam ait: & mentitur non insolens, sive ipse, sive impurus ille magus. Nam certum est in Ægypto fuisse. Vide præter alios Pausaniam in Atticis. *Lipsius.*

Memnonis saxea effigies] Strabo lib. 13. Plin. lib. 10 26. & 26, 7. Philostratus lib. 6, 3. *Muretus.*

6 *Disjectasque inter & vix pervias*] Inter incertas & vix penetrabiles arenas. τὸ *disjectas* alii omittunt, alii ad Pyramides hoc vocabulum referunt. Nimirum fefellit eos novitas rei, quum non imaginarentur, quid per arenas *disjectas* intelligendum foret. quod eos docere potuerat recordatio copiarum Cambysis, in his locis, per dispersas vento arenas obrutarum, apud Herodot. 3, 26. *Freinshemius.* Haud scio, an recte intellexerit; certe loquitur, quasi nolit intelligi. Quis enim assequitur *incertas arenas?* nam *dispersas* quis non putet passim jacentes, aut spargente aliquo, sive is ventus sit, portatas & passim abjectas: ut apud Maronem *pedibus qui spargat arenam*, & *sparsa ad pugnam proludit arena?* Necdum tamen ex his scias, quæ sint Tacito *arena disjecta.* Quo vocabulo significat ille proprium hujus materiæ τὸ ἀσύναπτον, ἀσύγκλειστον, quod singula corpuscula, vel singuli pulvisculi ab aliis secedunt, eoque ad moliendum aut accipiendo suscipiendoque operi est inutilis. Unde ὁ Λόγος. ὅτις ᾠκοδόμησε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ ἐπὶ τὴν ἄμμον, &c. Merito igitur Tacitus ad augendum rei miraculum addit arenas inter *disjectas*, id est, solutas, dissociabiles, intractabiles ob segregem naturam, tantas moles structas. Nam etsi hæ vento quoque, ut ubique, agitentur & jactentur, non sunt tamen, ubi sitæ Pyramides, Garamantum arenæ, quæ castra obruere possint. *Gronovius.*

7 *Profunda altitudo*] Ἄβυσσοι πηγαί Herodotus. *Muretus.*

8 *Elephantinen*] Hæc insula infra novissimam cataractam habitatur, & est Ægyptiæ navigationis finis. Plin. lib. 5, 9. Strabo lib. 17. *In ea perpetuum est ver arborum, ita ut ne vitium quidem palmites decidant.* Idem Plin. libro 16, 21. Est autem Elephantina Æthiopiæ vicina, quæ Elephantorum ferax, & non longe à Meroë. *Aurelius.*

9 *Syenen*] Plin. 12, 4. *Nuper allata Neroni principi Æthiopia forma raram arborem ebenum ad Meroën usque à Syene fine imperii* &c. *esse docuit.* Aurelius. In Elephantine puteus, qui indicat incrementa Nili. In Syene puteus, qui indicat solstitium. Ibi dum sol in Cancro est, erecta corpora nullam faciunt umbram. Lucan. lib. 2. *Atque umbras nusquam flectente Syene.* Muretus.

10 *Claustra olim Romani imperii*] Alio sensu *Claustra*, quam paullo ante. nam nunc terminum & finem

liciens Germanos ad discordias; utque fracto jam Maroboduo usque in exitium insisteretur. Erat inter Gotones nobilis juvenis nomine Catualda, profugus olim vi Marobodui, & tunc, dubiis rebus ejus, ultionem ausus. Is valida manu fines Marcomannorum ingreditur, corruptisque primoribus ad societatem [1] inrumpit regiam, castellumque juxta situm. veteres illic Suevorum prædæ, & nostris è provinciis lixæ, ac negotiatores reperti, quos jus commercii, dein cupido augendi pecuniam, postre-
63 mum oblivio patriæ, suis quemque ab sedibus hostilem in agrum transtulit. Maroboduo undique deserto non aliud subsidium quam misericordia Cæsaris fuit. transgressus Danubium qua Noricam provinciam præfluit, scripsit Tiberio, non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunæ. *nam multis nationibus clarissimum quondam regem ad se vocantibus*, [2] *Romanam amicitiam prætulisse*. Responsum à Cæsare, *tutam ei honoratamque sedem in Italia fore*, *si maneret*: [3] *sin rebus ejus aliud conduceret, abiturum fide qua venisset*. ceterum apud senatum disseruit, *non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum, aut Antiochum, populo Romano perinde metuendos fuisse*. Extat oratio, qua *magnitudinem viri*, [4] *violentiam subjectarum ei gentium*, *&* *quam propinquus Italiæ hostis*, *suaque in destruendo eo consilia* extulit. Et Maroboduus quidem Ravennæ habitus, [5] si quando insolescerent Suevi, [6] quasi rediturus in regnum ostentabatur. sed non excessit Italia per duodeviginti annos; consenuitque multum imminuta claritate ob nimiam vivendi cupidinem. Idem Catualdæ casus, neque aliud perfugium. pulsus haud multo post Hermundurorum opibus, & Vibilio duce; receptusque, forum Julium Narbonensis Galliæ coloniam mittitur. Barbari utrumque comitati ne quietas provincias immixti turbarent, Danubium ultra inter flumina [7] Marum & Cu-
64 sum locantur, dato Rege Vannio gentis Quadorum. Simul nunciato *regem* [8] *Artaxiam*

finem intellegit, qui claudit. Insertum hoc autem in gratiam laudemque Trajani, qui res magnas gessit ad Orientem, limitibus imperii ad rubrum mare promotis. Eleganter apud Suidam scriptor incertus super hac ipsa re: Ῥωμαίων ἀρχὴ, αὕτη τῆς Ἀσσυρίων καὶ Περσῶν καὶ Μακεδόνων τῶν πριν, μακρῷ ὑπερῆρεν, Ὠκεανὸν πέρατα ἑαυτῆς, πρὸς μὲν ἕω, Ἰνδοὺς καὶ ἐρυθρὰν θάλασσαν, καὶ Νεῖλον καὶ καταῤῥάκτας, καὶ λίμνην Μαιῶτιν. & reliqua, quæ non dubie adtexit de rebus Tra ani. Ita Tacitus libro IV. *Quanto sit angustius imperatum*: præ quam nunc videlicet meo ævo. *Lipsius*.

Claustra olim] Præcise de tempore sermo est, quo Germanicus ea loca pervasit: quod tamen nemini eorum qui verterunt licuit exserte dicere. *Freinshemius*.

1 *Inrumpit regiam*] Boviasmum in Hercynia silva, de quo attuli supra Strabonis verba. *Lipsius*.

2 *Romanam amicitiam prætulisse*] Male addunt *semper*; nam ad hunc unum casum respicitur, ubi fortunarum suarum perfugium habiturus esset Maroboduus: atque hic ait, se quidem à multis gentibus ultro invitatum esse, sed ad Romanos malle confugere. *Freinshemius*.

3 *Sin rebus ejus*] Ita manuscriptus, sed subtiliores Grammaticorum regulas fortasse in Tacito requirentes, reposuerunt, *sin rebus suis*, & tamen supra dixit: *tutam ei honoratamque sedem in Italia fore*. Pichena.

4 *Violentiam*] Pro robore, fortitudine positam arbitror, ut interdum *ferociam*: male pro crudelitate accipitur. *Freinshemius*.

5 *Ne si quando*] Aut scribendum *næ*, cum diphthongo, ut sit particula Græca, certe, sive utique significans. & tum in *habitus* subauditur verbum *est*, aut scribendum, *ne quando*. vel, *ne aliquando*. aut omittendum *ne*, ut legas, *si quando insol. Suevi*. Rhenanus. Mallem *si quando*, circumscriptis duabus illis prioribus litteris. *Ferretus*. Man. *ne si quando*. forte, *ac si quando*. Pichena.

6 *Quasi rediturus in r. ost.*] In his dominatur manus edentium, quum constet in MS. unico tantum legi *reditus*, quod solum quoque expressit Beroaldus, ut illo posteriores id mutaverint in futurum. Sed aversa illis mens fuit ab stylo Taciti, quem manifeste indicat vetus lectio scripsisse *quasi reditui*, qui est ille dativus in hoc quidem scriptore continui usus. I. Hist. 49. *Sed claritas natalium & metus temporum obtentui*, quem locum & duos similes notavit Rhenanus in Thesauro locutionum Taciti. *Jac. Gronovius*.

7 *Marum & Cusum*] Marisus hic fluvius dictus Straboni libro VII. Maris, Herodoto: Marisia, Jornandi: Æthico Margus. Retinet nomen hodie, & incolis appellatur Maros. *Lipsius*.

8 *Artaxiam*] Nescio cur id hue degenerare patiantur,

taxiam Armeniis à Germanico datum, decrevere patres, *ut Germanicus atque Drusus ovantes urbem introirent.* structi & arcus circum latera templi Martis Ultoris, [1] cum effigie Cæsarum: lætiore Tiberio, quia pacem sapientia firmaverat, quam si bellum per acies confecisset. Igitur [2] Rhescuporim quoque Thraciæ regem astu adgreditur. Omnem eam nationem Rhœmetalces tenuerat: quo defuncto Augustus partem Thracum Rhescuporidi fratri ejus, partem filio Cotyi permisit. In [3] ea divisione arva, & urbes, & vicina Græcis, Cotyi; quod incultum, ferox, adnexum hostibus, Rhescuporidi cessit: [4] ipsorumque regum ingenia, illi mite, & amœnum; huic atrox, avidum, & societatis impatiens erat. [5] Sed primo subdola concordia egere: mox Rhescuporis egredi fines, [6] vertere in se Cotyi data, & resistenti vim facere; cunctanter sub Augusto, quem auctorem utriusque regni, si sperneretur, vindicem metuebat. enimvero audita mutatione principis, immittere latronum globos, exscindere castella, caussas bello. Nihil æque Tiberium anxium habebat, quam [7] ne com- 65
posita turbarentur. deligit centurionem, qui nuntiaret regibus, *ne armis disceptarent:* statimque à Cotye dimissa sunt, quæ paraverat, auxilia. Rhescuporis ficta modestia, postulat *eundem in locum coiretur, posse de controversiis conloquio transigi.* nec diu dubitatum de tempore, loco, dein conditionibus: cum alter facilitate, alter fraude cuncta inter se concederent, acciperentque. Rhescuporis sanciendo, [8] ut dictitabat, fœderi, [9] convivium adjicit; tractaque in multam noctem lætitia, per epulas ac vinolen-

tiantur, quum editionem Beroaldi confirmet codex MS. ut utrobique legatur *Artaxian.* Jac. Gronovius.

1 *Cum effigie Cæsarum*] Germanici, & Drusi. *Lipsius.*

2 *Rhescuporim*] Non in alio nomine magis variatum. Dio 'Ρασκύπορις, Vellejus Rhascupolin, Suetonii optimus in Vaticano codex, Thrascypolin. quomodo & in Livio scriptum leges. Lucanus vocat

——— *gelidæ dominum Rascipolin oræ.*

De historia autem ipsa consule Dionem libro LIV. in actis anni DCCXXXVIII. *Idem.*

3 *In ea divisione*] Talis prope divisio Numidiæ inter Jugurtham & Adherbalem. *Muretus.*

4 *Ipsorumque regum*] Adeo hoc verum est, ut Cotys ille etiam litteris & poesi excultus fuerit. Ad eum enim est elegia IX. Ovidii lib. III. De Ponto; & in hujus regno Vates ille exsulavit. quod scire volo juventutem. *Lipsius.*

Cessit, ipsorumque regum ingenia] Nec constructio satis concinna, nec sententia satis expedita. Lege, *Rhescuporidi cessit, ut ipsorum regum ingenia, illi quippe mite & amœnum; huic atrox* &c. Comparat enim ingenio ipsorum regum cum ingenio subjectarum regionum. *Acidalius.*

5 *Sed primo subdola*] Restitui illud, *sed*, ex Manuscr. Antea, *&* *primo.* Pichena. Clare patet in Beroaldi editione illud *sed*; erronee autem in ea *resistentium facere.*

6 *Vertere in se Cotyi data*] Livius lib. 24. *Deponendaque tutela, quæ ipsi cum pluribus communis erat, in se unam omnium vires convertit.* Suetonius Vesp. 4. *Ut primum provinciam attigit, proximas quoque convertit in se.* Gronovius.

7 *Ne composita turbarentur*] In universum accipe. ridicule enim ad Thraciam tantum trahas cum nonnullis. Scilicet ea cura quietum sollicitabat. *Freinshemius.*

8 *Ut dictitabat*] Vulgo imminuta syllaba, *dictabat:* quam manuscripti auctoritate reposui. *Pichena.* Certe quadrisyllabicum exhibuit probe Beroaldus, ut mutatio hæc prava contigerit citra eum. *Jac. Gronov.*

9 *Convivium adjicit*] Josephus Scaliger ad Varronem ait, Tacitum hoc verbo: *adjicit*, alludere voluisse ad *cœnas adjiciales:* quæ erant quotiens aut inaugurandi alicujus gratia, aut propter aliud quid, puta publicam lætitiam, indicebatur epulum. idque dicebant, epulum, aut cœnam adjicere. Idem sentit Fulvius Ursinus, in appendice ad Petrum Ciacconium de triclinio. Acuta quidem interpretatio: sed an vera, judicium aliorum erit. Nam cum *adjiciales cœnæ* proprie essent Augurales, seu Pontificiæ, ut ex Plinio, ac Varrone colligitur, nulla est in hoc Taciti loco de Sacerdotibus mentio. nisi dicas, hic de sanciendo fœdere agi, ac fœdera sacrosancta haberi: ergo tanquam religiosum convivium appellari posse; quod admodum frivolum videtur. *Pichena.* Vellem hoc Scaligero non venisset in mentem. Satis enim multos traxit etiam doctos viros. At sciant tirones *adjiciales cœnas* esse nugas meras. *Aditiales* dicendum, ut P. Faber, Gruterus, Lipsius monuere, ab aditu Sacerdotii, vel adeundo sacerdotio. Veteres etiam *aditus aditi*, ut *senatus senati* dicebant. Et interpres optimus Suetonius

vinolentiam incautum Cotyn, & postquam dolum intellexerat, [1] *sacra regni*, *ejusdem familiæ deos*, *&* [2] *hospitalis mensas* obtestantem, catenis onerat. Thraciaque omni potitus, scripsit ad Tiberium, *structas sibi insidias*, *praventum insidiatorem :* simul bellum adversus Basternas, Scythasque prætendens, novis peditum & equitum copiis sese firmabat. Molliter rescriptum, *si fraus abesset*, *posse eum innocentia fidere : ceterum neque se*, *neque senatum*, *nisi cognita caussa*, *jus & injuream discreturos. proinde tradito Cotye veniret*, *transferretque invidiam criminis.* Eas litteras Latinius Pandus [3] proprætore Mœsiæ, cum militibus quis Cotys traderetur, in Thraciam misit. Rhescuporis inter metum & iram cunctatus, maluit patrati, quam incepti facinoris reus esse: *occidi Cotyn* jubet, *mortemque sponte sumptam* ementitur. Nec tamen Cæsar placitas semel artes mutavit, sed [4] defuncto Pando, quem sibi infensum Rhescuporis arguebat, [5] Pomponium Flaccum [6] veterem stipendiis, & arta cum rege amicitia,

tonius in Claud. cap. 9. qui *aditialem* interpretatur, quæ daretur *pro introitu sacerdotii.* Gronovius. Fœdera sine sacrificio non fiebant, nec sacrificia sine convivio. Euseb. de Præp. Euang. ex Apollinis verbis, cap. 4. libro 4. Plaut. in Amph. *Ut re divina facta, mecum prandeat.* Idem in Rud. *Quod prandium obsecro te? Nempe rem divinam facitis heic.* Apul. 9. Met. *Dominus adium sacrificales epulas cum sacerdotibus Dei cœnitabat.* Aurelius.

1 *Sacra regni*] Quid vocat *sacra regni?* Puto ea quæ adhibito sacrificio de regnorum statu fiebant. Forsan etiam dixit *sacra regni*, quod reges sacri, de sacris regni & arcanis, Deos consulerent. Forsan etiam, quod arcano quodam & sacro fœdere omnes reges inter se sint colligati. *Aurelius. Regnum* hic absolute capiendum est, non ad Thraciam restringendum. *Sacra regni*, sunt fas & jura, & honores consensu gentium regibus tribui solita. *Omnibus* enim *gentibus*, ut gravissimus auctor Cicero pro L. Manilia cap. 9. adfirmat, *regale nomen magnum & sanctum videtur:* Sallust. fragm. 6, 9. *Illis ingenita est sanctitas regii nominis.* Hoc igitur voluit Cotys, sanctos & inviolabiles esse reges: nec sine sacrilegio lædi. eoque provocari regiorum deorum iram, si quis adversus eos quid audeat. Ii *βασίλειοι θεοὶ* sunt Plutarcho de fortun. Alex. 2, 14. & aliis quos citat Brissonius lib. 2. de regno Persarum. *Freinshemius.*

2 *Hospitales mensas*] Notum de jure hospitii, diisque hospitalibus, qui sacra mensæ tueri putabantur, sicuti *regii dii* sacra regni. *Idem.*

3 *Proprætor Mœsia*] Mirari oportet Pichenam, qui quum notaverit ad caput 52. & in isto loco & alibi, ubi vulgo *Proconsul* aut *Proprætor*, manuscriptos habere *proconsule* aut *proprætore*, quod semel monuisse sufficiat, in hoc tamen loco quum recte riteque edidetit Beroaldus *proprætore*, cum reliquis abstulisse syllabæ postremam æ literam finalem. Certe enim in MSto Florentino exstat plene expressum. Ergo etiam sic 3, 32. *proconsule deligendum* & 35. & 38. ut mutavi, & hinc similiter cap. 66. ubi Beroaldus edidit *proconf.* quum in MS. formatum esset *procōs*, quod etiam sic per hanc varietatem uterque effert cap. 72. ibidem, ut hinc nihil affirmari proprie queat de principio lib. 13. ubi *proconsulis* & *proconsuli* legitur. *Jac. Gronov.*

4 *Defuncto Pando*] Quidam interpretantur: cum decessisset provincia. Sed alii rectius *defunctum* accipiunt pro *mortuo.* Fefellit priores vetus reip. forma, quum annui prætores essent, & administratione finita, provincia decederent. Hujus igitur generis hunc quoque Pandum fuisse putaverunt. Sed errant: nam Augustus (qui hæc mutavit) quos suis provinciis præficiebat, τότε ἐπικλήσει τῇ τῶν ἀντιστρατηγῶν χρῆσθαι, καὶ ἐπὶ πλείω καὶ ἐνιαυτοῦ χρόνον ἐφ' ὅσον ἂν ἑαυτῷ δόξῃ, ἄρχειν ἐποίησεν, ait Dio lib. 53. iis *vocabulum* Proprætorum *dabat*, *& pro arbitro suo tempus imperii eorum continuabat.* Jam vero *id quoque morum Tiberii fuisse* scimus, *continuare imperia; ac plerosque ad finem vita in iisdem exercitibus, aut jurisdictionibus habere.* Tac. 1, 80. *Freinshemius.*

5 *Pomponium Flaccum*] Est ipse de quo Ovidius libro IV. de Ponto eleg. IX.

Prafuit his, Gracine, locis modo Flaccus, & illo
Ripa ferox Istri sub duce tuta fuit.
Hic tenuit Mysas gentes in pace fideli:
Hic arcu fisos terruit ense Getas.

Atque idem præfuit postea Syriæ, ut scribit noster l. IV. *Lipsius.*

Pomponium Flaccum] Vellej. *Qua ille prudentia Rhascupolim, interemptorem fratris sui filii Cotyis, consortisque ejusdem imperii, evocavit? Singulari in eo negotio usus opera Flacci Pomponii consularis viri, nati ad omnia qua recte facienda sunt, simplicique virtute merentis semperque captantis gloriam.* Muretus. Is est Tiberii compotor, & (ut ait Cicero de Antonio) compransor & collusor, quod noctem continuumque biduum, epulando potandoque cum Tiberio consumpsisset. Fuit, ni fallor, consul cum C. Cælio Rufo, Dio libro 57. Et ad eum, ut puto, scribit Ovidius in libris de Ponto. Ad Pomponium patrem refero, quod scribit Horat. Sat. 4 libro I. *numquid Pomponius istis Audiret leviora, pater, si viveret.* Nam loquitur de ebrio filio, qui noster est Flaccus. *Aurelius.*

6 *Veterem stipendiis*] Legendum puto, *veterem stipendiis.*

micitia, eoque accommodatiorem ad fallendum, ob id maxime Mœsiæ præfecit. 67
Flaccus in Thraciam transgressus, per ingentia promissa, quamvis ambiguum & scelera sua reputantem, perpulit, ut præsidia Romana intraret. circumdata hinc regi specie honoris valida manus, tribunique, & centuriones, monendo, suadendo; [1] & quanto longius abscedebatur apertiore custodia; postremo gnarum necessitatis in urbem traxere. Accusatus in senatu ab uxore Cotyis, damnatur, ut procul regno teneretur. Thracia in Rhœmetalcen filium, quem paternis consiliis adversatum constabat, inque liberos Cotyis dividitur: iisque nondum adultis [2] Trebellienus Rufus prætura functus datur, qui regnum interim tractaret, exemplo quo majores [3] Marcum Lepidum [4] Ptolemæi liberis tutorem, in Ægyptum miserant. Rhescuporis Alexandriam devectus, atque illic fugam tentans, an ficto crimine, interficitur. Per 68
idem tempus Vonones, quem [5] amotum in Ciliciam memoravi, corruptis custodibus effugere ad Armenios, inde in Albanos Heniochosque, & consanguineum sibi regem Scytharum conatus est. [6] specie venandi, omissis maritimis locis, avia saltuum petiit: mox pernicitate equi ad amnem Pyramum contendit, cujus pontes accolæ ruperant audita regis fuga; neque vado penetrari poterat. Igitur in ripa fluminis, à Vibio Frontone præfecto equitum vincitur. mox [7] Remmius evocatus priori custodiæ regis

stipendii. phrasi Corneliana. Vide quæ notavi in lib. I. in verbis, *vetus operis ac laboris.* Pichena. Absolute dictum arbitror, pro viro qui multa stipendia militiæ expleverit, non qui in eo loco militaverit, ut quidam. *Freinshemius.*

1 *Et quanto longius abscedebatur*] Ita Manuscriptus. &, ut mihi videtur, melius, quam vulgo *abscedebat.* Pichena.

2 *Trebellienus*] *Trebellianus*, quidam; quod per analogiam videatur rectum; ut Julianus, Æmilianus, à Julio, Æmilio, sic Trebellianus à Trebellio. Unde & *Trebellianum* SCtum non *Trebellienum*, apud JCtos. *Freinshemius.* Quasi non perinde per analogiam dicerentur, *Allius Allienus*, *Nasidius Nasidienus*, *Aufidius Aufidienus*, *Gallius Gallienus*, *Bellius Bellienus*, & hujusmodi infinita. Sic *Matius Matienus.* Et tamen *Matianum malum* dicebant. *Gronovius.*

3 *M. Lepidum*] Valerius Maxim. libro IV. cap. IV. *Cum Ptolemæus rex tutorem populum Rom. filio reliquisset, Senatus M. Æmilium Lepidum Pontif. Max. bis consulem ad pueri tutelam gerendam Alexandream misit: amplissimique & integerrimi viri sanctitatem, reip. usibus & sacris comparatam externæ procurationi vacare voluit, ne fides civitatis nostræ frustra petita existimaretur.* Justin. lib. XXX. *Mittitur & M. Lepidus in Ægyptum, qui tutoris nomine regnum pupilli administraret.* Exstant & denarii argentei cum inscriptione, M. LEPIDUS. PONT. MAX. TUTOR. REG. in parte versa, caput turritum, subscriptum, ALEXANDREA. *Lipsius.*

4 *Ptolemæi*] Ptolemæus Philopator ex Arsinoë Ptolemæum Epiphanem suscepit: quem moriens quinquennem reliquit. Ejus ætas cum contemptui esset, cumque Antiochus Magnus avunculus regno ipsius insidiaretur; missus à S. P. Q. R. M. Lepidus, qui & pupillum tueretur & regnum. Polybius, Josephus, Justinus. Sic etiam Antiochi regis impuberi filio tres tutores missi sunt à Senatu, Zonaras. *Muretus.*

5 *Amotum in Ciliciam memoravi*] Pompejopolim, supra. Sueton. paullo aliter hæc narrat, & cum Tiberii probro: *Sed & Vononem Parthorum regem, qui pulsus à suis quasi in fidem populi Romani cum ingenti gaza Antiochiam se receperat, spoliavit perfidia, & occidit.* Ut Taciti narratio est, Imperator extra culpam. *Lipsius.*

6 *Specie venandi, omissis*] Possis dubitare, annon potius sit distingui: *conatus est. Specie venandi, omissis maritim. locis*, &c. *Acidalius.* Potius an non delendum τὸ *est*, & continua oratione faciendum: *inde in Albanos Heniochosque ad consanguineum sibi regem Scytharum conatus, specie venandi, omissis maritimis locis, avia saltuum petiit.* Gronovius.

7 *Remmius evocatus*] Ita cognominatus forsan, quod ejus avus, aut pater, ex illa legione fuisset, quæ dicta est *Evocatorum:* quippe à Julio Cæsare militia soluta, & in Campania Capuæ degens, ab Octaviano Cæsare iterum coacta est, & sub signis locata: quæ operam ei navavit egregiam, fida sane & fortis legio. Dio 45. *Aurelius.* Hoc *Evocatum* vulgo majuscula *E* scribunt, & pro nomine proprio habent: eademque opinio tenet omnes interpretes. Mihi non hominis, sed muneris aut conditionis vocabulum est visum. Dio libro 45. καὶ τὸ τῶν Ἠουοκάτων ἢ Ὀυοκάτων σύστημα, οὓς Ἀνακλήτους ἄν τις ἑλληνίσας, ὅτι πεπαυμένοι τῆς στρατείας, ἐπ' αὐτὴν αὖθις ἀνεκλήθησαν, ὀνομάσειεν. *Et Evocatorum seu Vocatorum cohors, quos* Ἀνακλήτους *aliquis Græce appellet, quia militia defunctis rursus ad ipsam revocantur.* Talis apud Cæsar. de bell. Civ. 3, 91. *Erat Crastinus evocatus.* Talis ille, cujus nomen non proditur, H.

1, 46.

regis adpositus, quasi per iram gladio eum transfigit: unde major fides, conscientia
69 sceleris, & metu indicii, mortem Vononi inlatam. At Germanicus Ægypto remeans, cuncta quæ apud legiones aut urbes jusserat, abolita, vel in contrarium versa cognoscit: hinc graves in Pisonem [1] contumeliæ, nec minus acerba quæ ab illo in Cæsarem [2] tentabantur. Dein Piso abire Suria statuit; mox adversa Germanici valetudine detentus, ubi recreatum accepit, votaque pro incolumitate solvebantur, [3] admotas hostias, sacrificalem apparatum, [4] festam Antiochensium plebem, per lictores proturbat. Tum [5] Seleuciam digreditur, opperiens ægritudinem, quæ rursum Germanico acciderat. sævam vim morbi augebat persuasio veneni à Pisone accepti: & reperiebantur [6] solo ac parietibus [7] erutæ humanorum corporum reliquiæ, carmina, & devotiones, & nomen Germanici [8] plumbeis tabulis insculptum, semusti cineres, ac [9] tabe obliti, aliaque maleficia, quis creditur animas numinibus infer-

nis

1, 46. à quo Laco præfectus est confossus. quo & ipso loco pro nomine viri proprio perperam habetur à versionibus. *Freinshemius.* Si vir egregius inspexisset editionem Beroaldi, vidisset prave ab se uno ordine haberi Achivos, eumque edidisse *Remius evocatus.* Et quæ affert, nonne pleraque apud Lipsium collecta occurrunt libro 1 de Militia Romana Dial. 8? Imprimis inpudens citatio Dionis. *Jac. Gronovius.*

1 *Contumeliæ*] Non solum verbis inferuntur, ut senserunt interpretes, sed etiam factis. Ita leg 38. §. 1. de adult. incestum stuprum appellatur *contumelia sanguinis.* Et apud nostrum 14, 31. quum regias mulieres verberibus adfectas, stupris pollutas, propinquos regis inter mancipia habitos memorasset, ea cuncta *contumeliæ* vocabulo complectitur. Sic *injuria* mox 3, 13. *Freinshemius.*

2 *Tentabantur.* * *Dein Piso*] Ad eam quam posui notam, suspicio mihi est, ne quid desit. non enim satis plena videtur narratio. *Lipsius.*

Dein Piso abire] Non frustra hic deesse quæpiam notavit Lipsius. Tamen videatur sic satis integer locus esse, si pro *Dein* legas *Denique.* Hæc enim particula non raro sic usurpatur, ubi omnia sigillatim narrare non libet, & ad exitium rei properamus. *Acidalius.*

3 *Admotas hostias*] Sacrorum verbum est. Suetonius in Caligula. *Admota altaribus victima, succinctus poparum habitu.* idem significat, quod Tibullo & aliis, statuere ad aram. *Lipsius.*

4 *Festam Antioche*] Læto habitu, & candidatam. *Idem.*

5 *Seleuciam*] Plures Seleuciæ, atque adeo in ipsa Syria. Sed hanc puto, quæ *Pieria* cognominatur Straboni, Ciceroni, Polybio, Ptolemæo. Nam in litore maris est, parabatque navigationem Piso: tum etiam haud procul Antiochia, à qua veniebat. *Idem.*

6 *Solo ac parietebus*] Muretus, *parietinis* conjicit. *Idem.*

Solo ac parietibus] Muret. *Parietinis.* Causam satis evidentem non habet. *Acidalius.* Muretus mallet, *solo & parietinis.* aliquanto rectius. *Pichena.* Nam intra parietes recondita erant defunctorum hominum corpora. D. Hieron. cap. 40. in Ezechielem. Cum, inquit, *essem Romæ puer, & liberalibus studiis erudirer, solebam cum ceteris ejusdem ætatis & propositi, diebus Dominicis, sepulchra Apostolorum & Martyrum circuire, crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ, ex utraque parte ingredientium per parietes haberent corpora sepultorum.* Et sane hypogæa illa ita fuere exstructa, ut in parietibus haberent fornices excavatos, & concameratos, in quibus aut urnæ, ut in urnis cineres defunctorum, quos cremaverant, aut corpora in loculis posita. *Aurelius.*

7 *Eruta humanorum corporum reliquia*] Dio sic expressit, Ὀςᾶ γὰρ ἀνθρώπων ἐν τῇ οἰκίᾳ ἐν ᾗ ᾤκει κατορωρυγμένα, καὶ ἐλασμοὶ μολίβδινοι ἀρὰς τινὰς μετὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἔχοντες εὑρέθη. Sunt hæ persuationes à vulgo; & ideo vanæ. Appulejus callide descripsit 111. Milesiar. *Instruxit feralem officinam omne genus aromatis, & ignorabiliter laminis litteratis, & infelicium manium durantibus calvis, deflectorum, sepultorum etiam cadaverum expositis multis admodum membris. hic nares & digiti, illic carnosi* (vel etiam *cariosi*) *clavi pendentium; alibi trucidatorum servatus cruor, & extorta dentibus ferarum trunca calvaria.* Ita nos eum locum totum emaculamus. *Lipsius.*

8 *Plumbeis tabulis*] Aliquando adamantinis. Papinius 2 Theb. *Infaustas percussum adamanta figuras.* Aliquando etiam *cereis.* Ovidius, *Phœnicea defixit nomina cera.* Sed *plumbeis* utuntur, non cereis hodie, quo tam facile illa nomina non deleantur. Vocat autem Appulejus 3. *laminas litteratas.* Aurelius.

9 *Tabe obliti*] Malim, *tabo.* Lipsius.

Tabe obliti] Forte *tabo*, etsi hoc quoque legitur. *Muretus.* Semicremati cineres, ac tabe sanieque illiti. *Sanguinem* pro *tabe*, falso posuerunt, item *cineres*, quales hic intelligantur, an omnes ceperint, dubito: intelliguntur autem corporum humanorum, pro instituto illius ævi crematorum, reliquiæ.

Freins-

nis sacrari. simul missi à Pisone incusabantur, [1] ut valetudinis adversa rimantes. Ea 70
Germanico [2] haud minus ira, quam per metum accepta; *si limen obsideretur, si effundendus spiritus sub oculis inimicorum foret, quid deinde miserrimæ conjugi? quid [3] infantibus liberis eventurum? lenta videri veneficia: festinare & urgere, ut provinciam, ut legiones solus habeat. sed non usque eo defectum Germanicum, neque præmia cædis apud interfectorem mansura.* [4] componit epistolas, *quis amicitiam ei renunciabat.* Addunt plerique jussum *provincia decedere.* nec Piso moratus ultra, navis solvit, moderabaturque cursui, [5] quo propius regrederetur, si mors Germanici Suriam aperuisset. Cæ- 71
sar paulisper ad spem erectus, dein fesso corpore, ubi finis aderat, adsistentes amicos in hunc modum adloquitur: *Si fato concederem, justus mihi dolor etiam adversus deos esset, quod me [6] parentibus, liberis, patriæ, [7] intra juventam præmaturo exitu raperent. nunc scelere Pisonis & Plancinæ interceptus, ultimas preces pectoribus vestris relinquo, referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus, dilaceratus, quibus insidiis circumventus, miserrimam vitam pessima morte finierim. Si quos spes meæ, si quos propinquus sanguis, etiam quos invidia erga viventem movebat; inlacrymabunt, quondam florentem, & tot bellorum superstitem, [8] muliebri fraude cecidisse. Erit vobis locus querendi apud senatum, invocandi leges. Non hoc præcipuum amicorum munus est, prosequi defunctum igna-*

vo

Freinshemius.

1 *Ut valetudinis adversa rimantes*] Illud *ut* hanc vim habet, ut non omnino rem adfirmet, verum aliorum opinionem indicet. *Ut rimantes*, est tamquam qui rimarentur. non ergo tamquam explorata re, adseveranter verti debuit. *Idem.*

2 *Haud minus ira quam per metum*] Sed utroque modo æqualiter. Recte fecerunt, qui hæc invertunt, & sic exponunt, *haud minus metu quam per iram.* & certe sequentia volunt, hunc potius inesse sensum: quem & figura hæc loquendi facile patitur. Sicut in his Senec. Epist. 19, 19. *tam hominum, quam urbium fata volvuntur.* Sensus est, non hominum modo, verum etiam urbium. *Freinshemius.*

3 *Infantibus liberis*] *Infantes* hic quoque appellantur, qui loqui possunt, modo septennibus minores sint. ut l. 1. §. *sufficit*, de administr. tut. & l. 18. C. de jure deliber. definitum est. Neque sane credibile est, de Julia tantum nuper 2, 54. nata solicitum fuisse, de Cajo tum ferme septenni, aut Agrippina ferme trienni (Sueton. Calig. 7.) quia forte loqui tum poterant, non fuisse. *Idem.*

4 *Componit epistolas*] Mox ex veteri illa & simplici vita: qua receptum, amicitiam promptam habere in ore & in fronte. Adi Excurs. in *L.* Lipsius.

Componit epistolas, quis amicitiam ei renuntiat] Quare? Ut sic etiam, harum, scilicet, epistolarum auctoritate, probari posset venenum Germanico insidiis Pisonis datum. Cæterum de hoc more multa Lipsius in Excursibus, ex auctoribus Romanis. Addo ex Græco illustrem, & imprimis huc facientem locum. Ita Lysias orat. VII. in qua Accusator ad familiares obtrectatores; χρῆν γὰρ ὑμᾶς ἢ μὴ κακῶς λέγειν, ἢ μὴ ξυνιέναι. Καὶ ταῦτα, φανερῶς ἀπειπόντας ὁμιλίαν. *Oportebat enim vos aut non conviciari, aut me non uti familiariter, idque aperte renunciando familiaritati.* Et sub finem idem ille, ἐγὼ τοίνυν ἑκὼν ὑμῖν ἐξίσταμαι τῆς φιλίας. *Lubens itaque amicitiæ jus vobis remitto.* Et addit rationem, non videre se, quid obfuturum sibi sit, si illorum obtrectatorum careat familiaritate; neque quid profuturum, si ea diutius fruatur. *Boxhornius.* Miram causam epistolæ hujus. Quasi renuntiandæ amicicitiæ non sit alia ratio, quam suspicio accepti veneni. Tacitus ipse satis significat, quid spectarit Germanicus, nempe ne limen obsideretur; ne pasceret oculos inimici, si quid sibi accideret: ne conjux & liberi essent in ejus ditione. Hoc scilicet agebat, ut è vicinia hominem abigeret. Et intellexit Piso, sive, adjectum fuerit, decederet provincia, sive non adjectum. Nam qui renuntiat amicitiam, interdicit domo; qui domo, & locis suæ potestatis, ut Augustus Cornelio Gallo domo & suis provinciis interdixit, Sueton. cap. 66. *Gronovius.*

5 *Quo propius*] Bene, suo quodam sensu. quid si tamen, *properius?* Lipsius.

6 *Parentibus, liberis*] Atqui unica parens supererat. Antonia mater, Druso pridem functo. *Idem.* Mire tamen oblitus adoptivi patris, quem pari colebat pietate, præsertim quum mox velit referri *patri ac fratri.* Jac. Gronov.

7 *Intra juventam*] Romano more. quibus juventa finiebatur anno XLV. *Lipsius.*

8 *Muliebri fraude*] Plancinam intellege: nec Liviam omitte. quam certum mihi est huic sceleri fuisse architectam. *Idem.*

Muliebri fraude cecidisse] Respexit fortasse Tacitus ad verba Herculis furentis apud Sophoclem in Trachiniis, à Cicerone lib. II. Tuscul. relata:

Hos, non hostilis dextra, non terra edita

 Moles

vo questu; sed quæ voluerit meminisse; [1] *quæ mandaverit exsequi. flebunt Germanicum etiam ignoti:* [2] *vindicabitis vos, si me potius quam fortunam meam fovebatis. Ostendite populo Romano divi Augusti neptem, eandemque conjugem meam: numerate sex liberos. Misericordia cum accusantibus erit: fingentibusque scelesta mandata, aut non credent homines, aut non ignoscent.* Juravere amici, [3] dextram morientis contingentes, *spiri-*
72 *tum ante quam ultionem amissuros.* Tum ad uxorem versus, *per memoriam sui, per communes liberos* oravit, *exueret ferociam, sævienti fortunæ submitteret animum; neu regressa in urbem æmulatione potentiæ validiores irritaret.* Hæc palam, & alia secreto, per quæ ostendere credebatur metum ex Tiberio. Neque multo post exstinguitur, ingenti luctu provinciæ & circumjacentium populorum. Indoluere exteræ nationes regesque; tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes; visuque & auditu juxta venerabilis, cum magnitudinem & gravitatem summæ fortunæ retineret, invidiam
73 & adrogantiam effugerat. Funus [4] sine imaginibus & pompa, per laudes, [5] ac memoriam virtutum ejus celebre fuit. [6] Et erant qui formam, ætatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit, Magni Alexandri fatis adæquarent. *Nam utrumque corpore decoro, genere insigni,* [7] *haud multum triginta annos egressum, suorum insidiis externas inter gentes occidisse: sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, uno matrimonio, certis liberis egisse: neque minus præliatorem, etiam si temeritas*

Moles Gigantum, non biformato impetu
Centaurus, ictus corpori inflexit meo, &c.
Sed fœminea vis, fœminea interimor manu.

Iterum Tacitus: *Flebunt Germanicum etiam ignoti.* Sophocles: *Gentes nostras flebunt miserias.* Pichena.

1 *Quæ mandaverit, exsequi*] Sumpsit sive ipse Germanicus sive scriptor hic ex æmulatione Ajacis, qui apud Sophoclem hæc ipsa loquitur vs. 703. Ἐγὼ γὰρ εἶμ' ἐκεῖσ' ὅποι πορευτέον. Ὑμεῖς δ' ἃ φράζω δρᾶτε. *Jac. Gronov.*

2 *Vindicabitis vos*] Id quoque antiqui moris. Ita Lysias Oratione XII. contra Agoratum; *Coram sorore autem,* inquit, *mea Dionysodorus res suas domesticas, ut sibi visum est, ordinavit; & Agoratum hunc suæ mortis causam esse dixit; mandavitque mihi, & huic fratri suo Dionysio, & omnibus amicis, ut Agorati scelus in se perpetratum ulciscerentur: & uxori suæ, quam ex se gravidam crediderat, mandavit; ut, si masculum pareret, ipsi nato indicaret, patrem ejus ab Agorato esse interfectum, juberetque injurias ab ipso, velut homicida, acceptas persequi.* Græca apud oratorem ipsum legantur. Nihil similius his morientis Germanici mandatis. *Boxhornius.*

3 *Dextram morientis contingentes*] Quæ sedes fidei. Sed & apud Xenophontem Cyrus moriens hortatur amicos ut dextram suam contingant. Εἴτις δὲ ὑμῶν, ἢ δεξιᾶς βούλεται τῆς ἐμῆς ἅψασθαι, ἢ ὄμμα τοὐμοῦ ζῶντος ἔτι προσιδεῖν ἐθέλει, προσίτω. *Lipsius.*

Dextram morientis contingentes] Valer. 5, 2. ait Masinissam à Manilio Proconsule Africæ petiisse, ut ad se morientem, Scipionem Æmilianum sub eo militantem mitteret; *fœliciorem suam mortem futuram ratus, si in complexu dextra ejus, supremum spiritum, ac mandata posuisset.* Et eodem lib. cap. 1. ubi de Alexandro Macedone. *Quamquam violentia morbi dilabebatur, in cubitum tamen erectus, dextram omnibus, qui eam contingere vellent, porrexit.* Aurelius.

Morientis] In hoc non leve pondus est, scelestius enim habetur morientem fallere: itaque male qui neglexerunt. *Freinshemius.*

4 *Sine imaginibus*] Germ. scutum & galeam interpretatur. Apparet eum ignorasse morem Romanum, quo majorum effigies in cera expressas servabant in atriis ædium. Quo respicit notus Juvenalis Sat. 8, 19. versus

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria.

Ex his autem atriis petebantur præferebanturque exornandis posterorum exequiis. hic & 5, 76. unde apud Valer. Max. 8, 15. *Africanus imaginem in cella Jovis opt. max. positam habet: quæ quotiescumque funus aliquod Corneliæ genti celebrandum est, inde petitur: unique illi instar atrii, Capitolium est. Tam hercle quam superiori Catoni, Curia, unde effigies illius ad ejusdem generis officia expromitur.* Plin. 35, 2. *Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera, semperque defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus.* præmittitque has imagines in atriis fuisse custoditas. *Freinshemius.*

5 *Ac memoriam*] Ita scriptum est in vetere membrana, non &, quod est edentium. *Jac. Gronovius.*

6 *Et erant qui formam*] Videtur deesse particula, *ob*, legendumque; *Et erant qui ob formam, ætatem, &c.* & ita legebat Danesius. *Ursinus.*

7 *Haud multum triginta annos egressum*] Obiit Germanicus anno XXXIV. vitæ acceptæ. *Lipsius.*

1 Præ-

meritas abfuerit, [1] *præpeditufque fit perculfas tot victoriis Germanias fervitio premere.*
quod fi [2] *folus arbiter rerum, fi jure & nomine regio fuiffet, tanto promptius adfecuturum*
gloriam militiæ, quantum clementia, temperantia, ceteris bonis artibus præftitiffet. Cor-
pus antequam cremaretur nudatum [3] in foro Antiochenfium, qui locus fepulturæ
deftinabatur, [4] prætuleritne veneficii figna, parum conftitit: nam ut quis miferi-
cordia in Germanicum, & præfumpta fufpicione, aut favore in Pifonem pronior,
[5] diverfi interpretabantur. Confultatum inde inter [6] legatos, quique alii fenatorum 74
aderant, *quifnam Suriæ præficeretur.* & ceteris modice nifis, inter Vibium Marfum, &
Cn. Sentium diu quæfitum: dein Marfus feniori, & acrius tendenti Sentio conceffit.
Ifque infamem veneficiis ea in provincia, & Plancinæ percaram [7] nomine Martinam
in urbem mifit, poftulantibus Vitellio ac Veranio, ceterifque qui [8] crimina & accu-
fationem tamquam adverfus receptos jam reos inftruebant. At Agrippina, quamquam 75
defeffa luctu, & corpore ægro, omnium tamen quæ ultionem morarentur intolerans,
afcendit claffem cum cineribus Germanici, & liberis; miferantibus cunctis, *quod fe-*
mina nobilitate princeps, pulcherrimo modo matrimonio inter venerantis gratantifque afpici
folita, tunc feralis reliquias finu ferret, incerta ultionis, anxia fui, [9] *infelici fecunditate*
fortunæ totiens obnoxia. Pifonem interim apud Coum infulam nuntius adfequitur, *ex-*
ceffiffe Germanicum. Quo intemperanter accepto, cædit victimas, adit templa: ne-
que ipfe gaudium moderans, & magis infolefcente Plancina, quæ luctum amiffæ fo-
roris

1 *Præpeditufque fit*] Hic mihi non fatisfaciunt, qui in hunc fenfum hæc exponunt; & fine dubio fubjugaffet Germanias, nifi præpeditus fuiffet: quum hoc dicat auctor, non minus bellatorem eum habitum, atque Alexandrum, quamvis fuerit præpeditus Germaniam fubjugare, quod ipfi alias facile fuiffet, tot jam victoriis afflicto hofte: idem igitur fenfus eft, qui fupra 2, 41. *bellumque, quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur.* Freinshemius.

2 *Solus arbiter rerum*] Livius lib. 9. *Et quo fint mirabiliores, quam Alexander, aut quifquam alius rex; denos, vicenofque dies quidam dictaturam, nemo plufquam annum confulatum geffit: ab tribunis plebis delectus impediti funt: poft tempus ad bella ierunt: ante tempus, comitiorum caufa revocati funt: in ipfo conatu rerum circumegit fe annus: collega nunc temeritas, nunc pravitas, impedimento aut damno fuit: male geftis rebus alterius fucceffum eft: tironem, aut mala difciplina inftitutum exercitum acceperunt. At, Hercule, reges non liberi folum impedimentis omnibus, fed domini rerum temporumque, trahunt confiliis cuncta, non fequuntur.* Gronovius.

3 *In foro Antiochenfium*] Quod quanti fit, patet ex collectaneis Joh. Meurfii de funeribus cap. 42. *Jac. Gronovius.*

4 *Prætuleritne veneficii figna*] Multi adfirmant. Plinius lib. XI. *Cor negatur cremari poffe in iis qui cardiaco morbo obierunt, aut veneno interemptis. Certe exftat oratio Vitellii qua reum Pifonem ejus fceleris coarguit, hoc ufus argumento: palamque teftatus non potuiffe ob venenum cor Germanici Cæfaris comburi.* Lipfius.

5 *Diverfi interpretabantur*] Hoc imperfectum commendat fe folo arbitratu edentium, qui id prætulerunt ex adjunctis, quum in MS. legatur tantum *interpretantur*; quafi rem præfentem nunc ftatueret in illa urbe. *Jac. Gronov.*

6 *Legatos*] Dubitari poteft legatine legionis foli intelligantur, an præter hos alii, qui proconfulibus ex veteri more adjungi folebant, ut 4, 56. quos à legatis legionum diverfos fuiffe certum eft. *Freinshemius.*

7 *Nomine Martinam*] Sic & infra id nomen fcribi video. Sed cum provincialis, id eft, Syra, fuerit hæc venefica, nomen non Romanum, fed Syriacum requiro. Id vero eft *Martha*: quomodo & illa divinacula Syra dicta eft, quæ Marium fectabatur. vide Plutarchum. *Grotius.*

8 *Crimina & accufationem inftruebant*] Quod Tacitus *crimina inftruere* dicit, id Ulp. in l. 2. §. pen. de adult. *accufationem parare, & probationibus inftruere atque munire. Inftruere* inquam, nam profecto difconveniens vox eft, adeoque ipfi propofitæ definitioni contraria. quæ vulgo legitur, *inftituente.* Freinshemius. Leg. 1. de Fide inftr. *Inftrumentorum nomine ea omnia accipienda funt quibus caufa inftrui poteft.* Leg. 1. D. de leg. Corn. de falfis. *Pœna legis Corneliæ irrogatur ei, qui ob inftruendam advocationem teftimoniave pecuniam acceperit.* Cic. pro Cluent. *Cum inftructum accufatorem filio fuo Romam ipfa mififfet.* Plin. 10. Ep. 85. *Ut longiorem diem ad inftruendam caufam darem.* Gronovius.

9 *Infelici fœcunditate fortunæ*] Toties enim poterat in fortunæ injurias incurrere, quoties pepererat. *Ferretus.*

76 roris tum primum [1] læto cultu mutavit. [2] Adfluebant centuriones, monebantque, *prompta illi legionum studia, repeteret provinciam non jure ablatam, & vacuam.* Igitur *quid agendum* consultanti, M. Piso filius *properandum in urbem* censebat: *nihil adhuc inexpiabile admissum, neque suspiciones imbecillas aut inania famæ pertimescenda. discordiam erga Germanicum odio fortasse dignam, non pœna: & ademptione provinciæ, satisfactum inimicis. Quod si regrederetur, obsistente Sentio, civile bellum incipi; nec duraturos in partibus centuriones militesque, apud quos recens imperatoris sui memoria, & penitus*
77 *infixus in Cæsares amor prævaleret.* Contra Domitius Celer ex intima ejus amicitia disseruit: *Utendum eventu. Pisonem, non Sentium, Syriæ præpositum: huic fasces & jus prætoris, huic legiones datas. si quid hostile ingruat,* [3] *quam justius arma oppositurum, qui legati auctoritatem, & propria mandata acceperit?* [4] *relinquendum etiam rumoribus tempus, quo senescant. plerumque innocentes, recenti invidiæ impares. At si teneat exercitum, augeat vires; multa quæ provideri non possint* [5] *fortuito in melius casura. An festinamus cum Germanici cineribus adpellere, ut te inauditum & indefensum planctus Agrippinæ, ac vulgus imperitum, primo rumore rapiant? Est tibi* [6] *Augustæ conscientia, est Cæsaris favor, sed in occulto: & periisse Germanicum nulli jactantius mærent, quam qui maxime lætantur.*
78 Haud magna mole Piso promptus ferocibus in sententiam trahitur: missisque ad Tiberium epistolis, incusat *Germanicum luxus & superbiæ; seque pulsum, ut locus rebus novis patefieret, curam exercitus, eadem fide qua tenuerit, repetivisse.* Simul Domitium impositum triremi *vitare litorum oram, præterque insulas* [7] *lato mari pergere in Suriam* jubet. concurrentes desertores per manipulos componit, armat lixas. trajectisque in continentem navibus, vexillum tironum in Suriam euntium [8] intercipit. Regulis Cilicum *ut se auxiliis juvarent* scribit; haud ignavo ad ministeria belli juvene Pisone,
79 [9] quamquam suscipiendum bellum abnuisset. Igitur oram Lyciæ ac Pamphyliæ prælegentes, obviis navibus, quæ Agrippinam vehebant, utrimque infensi, arma primo

1 *Læto cultu mutavit*] Quasi in gratulatione, aut quasi voti damnata. Vide Festum, in verbis, Minuitur luctus. Quis autem feminæ tristis, quis lætus cultus; nos in EXCURS. quærimus, in *M.* Lipsius.

2 *Adfluebant*] Hoc verbo copia aliorum super alios venientium exprimitur. *Freinshemius.*

3 *Quem justius arma oppositurum quam qui*] Exiguum quidem mendum erat in Man. Sed nimis audaci manui sanatum fuit. nam cum in eo legeretur: *quem justius arma oppositurum, qui legati*; &c. ego nihil aliud immutans, nisi, *quam*, pro, *quem*, locum ni fallor, in suam sanitatem restitui. *Pichena.* Hanc esse lectionem manuscripti sui indicavit Pichena. ipse bene emendasse videtur *quam justius arma*, &c. *quam* pro quanto. ut in his Quinctiliani, lib. I. *Quam in his quoque libris erunt omnia compositiora.* Freinshemius.

4 *Relinquendum etiam rumoribus tempus*] Παύει γὰρ ὀργὴν ὁ χρόνος. Arist. 2. Rhetor. & Cleon. apud Thucid. lib. 3. ait, τὸ χρόνον διατρίβειν ἐμποιεῖ, πρὸς τῶν ἠδικηκότων μᾶλλον εἶναι. Dictum Philocratis. Ὅταν ἄλλον ἴδω διαβεβλημένον, &c. Plutarchus in Pelopida. εἰσήχθη μὲν ὢν πρότερος εἰς τὸ δικαστήριον, Πελοπίδας. διὸ καὶ μᾶλλον ἐκινδύνευσε. Ἀμφότεροι δὲ ἀπελύθησαν. Lysias. ὡς γὰρ ἐπιτοπολὺ οἱ τελευταῖοι κρινόμενοι σώζονται. πεπαυμένοι γὰρ τῆς ὀργῆς αὐτῶν ἀκροᾶσθε. *Muretus.*

5 *Fortuito in melius casura*] Ταὐτόματον ἡμῶν κάλλιον βουλεύεται. Id est, Fortuna nobis sæpe melius consuluit. *Idem.*

6 *Augustæ conscientia*] Ut nimirum Pisonis facto conscia sit illa. *Freinshemius.*

7 *Lato mari*] Equidem tolero, sed verius fortasse, *alto.* Lipsius.

Lato mari pergere] Verius rectiusque censet Lipsius; *alto mari.* Non ego. *Latum mare* hic est ipsum apertum & interius mare. Quo pergere in Syriam Domitium jussit Piso, vitatis litorum oris. Non aliter Belgæ nostri loquuntur: *in de wijde zee,* cum de ipso quasi meditullio maris sermo est. Et hoc *latum* dicitur, longiusque abest à litore. *Altum* vero etiam ibi esse potest, ubi proximum est littorum oris. *Boxhornius.*

8 *Intercipit*] Hæc vox interdum de captis, interdum de occisis, usurpata reperitur, hic non pro occisis, ut quidam tamen, qui vertunt, velle videntur: sed pro captis sive detentis accipienda est. *Freinshemius.*

9 *Quanquam susc. b. abnuisset*] Quod didicit vel ex formula, qua finiebant orationem dissuadentes ac fortiter dissentientes, addendo, *vos quod faxitis,* Deos

mo expediere; dein mutua formidine, non ultra jurgium processum est; Marsusque
Vibius nuntiavit Pisoni, *Romam ad dicendam caussam veniret.* Ille eludens respondit,
adfuturum ubi prætor qui de veneficiis quæreret, reo atque accusatoribus [1] *diem prædixisset.*
Interim Domitius Laodiceam urbem Suriæ adpulsus, cum hiberna sextæ legionis peteret, quod eam maxime novis consiliis idoneam rebatur, à Pacuvio legato prævenitur. Id Sentius Pisoni per litteras aperit, monetque *ne castra corruptoribus, ne provinciam bello tentet.* quosque [2] Germanici memores, aut inimicis ejus adversos cognoverat, contrahit; *magnitudinem imperatoris* identidem ingerens, & *Rempublicam armis peti*: ducitque validam manum, & prœlio paratam. Nec Piso, quamquam 80
cœpta secus cadebant, omisit tutissima è præsentibus, sed castellum Ciliciæ munitum admodum, cui nomen [3] Celendris, occupat. Nam admixtis desertoribus & [4] tirone nuper intercepto, suisque & Plancinæ servitiis, auxilia Cilicum quæ reguli miserant, [5] in numerum legionis composuerat. *Cæsarisque se legatum*, testabatur, *provincia quam is dedisset arceri, non à legionibus (earum quippe accitu venire) sed à Sentio, privatum odium falsis criminibus tegente.* [6] *consisterent in acie, non pugnaturis militibus, ubi Pisonem ab ipsis* parentem *quondam appellatum*; *si jure ageretur, potiorem*; *si armis, non invalidum, vidissent.* Tum pro munimentis castelli manipulos explicat, colle arduo & derupto; nam cetera mari cinguntur. Contra veterani, ordinibus ac subsidiis instructi. [7] hinc militum, inde locorum asperitas. sed non animus, non spes, ne tela quidem nisi agrestia ad subitum usum properata: ut

venere

Deos omnes fortunare velim, ut profert Livius 34, 4. in exemplo Catonis. Quin etiam noverat se commendare *approbando consilia, quibus nequidquam adversaretur*, quæ sunt & ipsa Liviana 23, 2. *Jac. Gronovius.*

1 *Diem prædixisse*] *Referri diem prodictam, id est, anteferri religiosum est*, ut ait Veranius, Festus. Gellius libro 12. cap. 13. *Kalendasque mihi productas, ut intra eum diem pronunciarem.* Male vulgo, *productas.* . Recte ergo, *prolata* pro *prelata* D. de edendo. *Muretus.* An potius *prodixisset?* Id enim verbi potius in hac re usurpatum. Livius libro 3. *In carcerem est conjectus, eique Tribunus diem prodixit.* Ex eodem & item aliis plura exempla dat Scaliger in Festum. Sane & Muret. ita legit. *Acidalius.*

2 *Germanici memores*] Quicquid in universo exercitu per Germanici memoriam, aut odia in ejus inimicos, suis rebus fidum cognoverat, in unum contrahit, *subinde ipsis magnitudinem gloriamque imperatoris sui*, quem ulciscerentur, salutemque reip. quam armis inimicorum petitam defensum irent, in mentem revocans. *Memores* quidam dicunt amicos. Sed plus continet illud: quid enim si potius fortunam Germanici quam ipsum fovissent 1, 71. *memores* ejus non recte dicerentur. *Imperatorem* hic omnes de Principe Tiberio capere videntur. mihi visus est ad Germanicum pertinere ob præcedens *memores*, & quia statim de republ. armis petita sequitur, quod ipsum involvit Principis quoque salutem, ejusque magnitudinem tangit: ut eam exserte hic memorare, nihil sit opus. Sic mox 3, 14. *Imperatoris* nomine Germanicus intelligitur, non Tiberius. *Freinshemius.* Ego vero *Imperatorem* omnino accipio Tiberium, nec *magnitudinem imperatoris à republica* sejungo. Hoc enim vult Tacitus, ingerens, armis peti rempublicam & magnitudinem imperatoris. *Magnitudo*, majestas. Ut Lib. 3. de Augusto: *simul modestia Neronis & sua magnitudini fidebat.* Lib. 16. *an ut magnitudinem imperatoriam cede insignium virorum, quasi regio facinore ostentaret.* Gronovius.

3 *Celenderis*] Nominat id Josephus l. XVII. collocatque in via qua Romam ibatur. sed in eo scriptum reperies, *Celendris.* meminit & Ptolemæus. Antiquissimum id fuit, si Apollodoro fides lib. III. Biblioth. qui conditionem ejus refert ad Sandarum Tithoni nepotem. Ὃς, inquit, ἐκ Συρίας ἐλθὼν εἰς Κιλικίαν πόλιν ἔκτισε Κελένδεριν. Lipsius.

Celenderis] Sic cum esset in vulgatis, Lipsius testatur, apud Josephum legi, *Celendris.* quam vocem repperi etiam in Man. *Pichena.*

4 *Tirone nuper intercepto*] Vexillo, quod in Syriam ibat. *Muretus.*

5 *In numerum legionis composuerat*] Recte, *in numerum*, nam neque animos, neque experientiam aut usum, ne arma quidem legionariorum habebant, adeoque nihil præter numerum. *Freinshemius.*

6 *Consisterent in acie*] Nihil præter præsentiam eorum requirit: non enim pugnæ caussa ibi futuros ait, quæ nulla esset oritura. *Idem.*

7 *Hinc militum, inde locorum*] Supplet Muretus: *hinc militum vis, inde locorum asperitas.* Sed ex ingenio tantum. *Pichena.* Ego probo. *Acidalius.* Excusa bene stat. nam asperitas non tantum loci, sed militis. Sic Horat. ode 1. *acrem militiam* dixit, id

est

venere in manus, non ultra dubitatum, quam dum Romanæ cohortes [1] in æquum eniterentur. vertunt terga Cilices, seque castello claudunt. [2] Interim Piso [3] classem haud procul opperientem adpugnare frustra tentavit: regressusque, & pro muris modo [4] semet adflictando, modo singulos nomine ciens, præmiis vocans, seditionem cœptabat; adeoque commoverat, ut signifer legionis sextæ signum ad eum transtulerit. Tum Sentius [5] occanere cornua tubasque, & [6] peti aggerem, erigi scalas jussit, ac promptissimum quemque succedere; alios tormentis hastas, saxa, & faces ingerere. Tandem victa pertinacia Piso oravit, *uti traditis armis maneret in castello, dum Cæsar cui Suriam permitteret, consulitur.* Non receptæ conditiones: nec aliud
82 quam naves & tutum in urbem iter concessum est. At Romæ postquam Germanici valetudo percrebuit, cunctaque ut ex longinquo aucta in deterius adferebantur; [7] dolor, ira, & erumpebant questus: *Ideo nimirum* [8] *in extremas terras relegatum: ideo Pisoni*

est *asperam:* & alibi, *gnavus & asper.* Et *sævitiam Centurionum*, noster libro 1. qui rigidi dicti, & asperi. *Aurel.*

1 *In æquum eniterentur*] Id est, usque dum æquis locis adortæ essent Pisonianos milites. Nam in colle arduo & abrupto Piso suas copias explicaverat: quem dum cohortes Romanæ scanderent, paulum dubitatum fuit: ubi ex æquo ventum ad manus, tunc nulla dubitatio. *Aurelius.* Quia in alpestribus locis commissa est pugna, non tam de plano aliquo loco capiendum hoc *æquum* existimo, quam de æque alto, ac ille erat, quem hostes tenebant. *Freinshemius.*

2 *Interim Piso*] Pisoni consilium fuit, quale Thracibus 4, 48. & Germanis H. 5, 21. *Idem.*

3 *Classem haud procul opp. oppugnare*] Quasi sonum parilem in prima syllaba captavisse Tacitum credidissent viri docti, (quod sane contingit sæpius in his libris) ideo sic in editionum multitudine legitur. Sed absurde, quum jam ipse Beroaldus ediderit *adpugnare*, unde fatue deflexerunt typi, ne Pichena quidem attendente. Habes id ipsum verbum quoque 15, 13. neque enim Melchior Freinshemius dignum habuit, quod in indice annotaret. *Jac. Gronov.*

4 *Semet adflictando*] Non est credibile Pisonem virum arrogantis animi, & primæ nobilitatis & ex stirpe Numæ regis, nec fortunæ succumbentem, semet afflictasse. Lego igitur, *Et pro muris modo sua castra metatus ad conflictandum.* Aurelius. *Progressus extra muros nihil omittebat, quibus ad misericordiam flecterentur; modo semet ipsum miserans, suamque sortem deplorans. Pro muris* reddit Germ. supra murum. falso. licet adstipulentur omnes, præter Gal. *Freinshemius.* Recte meo judicio omnes, qui *pro muris*, ut *pro rostris*, *pro tribunali* acceperunt: nec potest placere *progressus extra muros.* Quousque enim progredi tuto poterat, qui extra muros, qua parte incubuerant Sentiani, nihil vacuum aut liberum habebat? Et quanto commodius hæc invidia fiebat ex alto & late conspecto loco? quantoque ad plures pertinebat & visus adflictantis sese & vox querentis ac sollicitantis? Sic igitur accipe, Pisonem circa id ipsum tempus, quo rejiciebantur & se claudebant intra munimenta sui, eodem per aversam portam rediisse à tentata classe & dum parant Sentiani, quæ oppugnando essent idonea, in summis mœnibus hanc tragœdiam saltasse, donec Sentius parata jam parte instrumenti canere signa & vim fieri jussit. *Gronovius.*

5 *Occanere cornua*] Occulte surreptum Sallustio est, *Jussu Metalli cornicines occanuere.* Lipsius.

6 *Peti aggerem*] Quidam accipiunt quasi *petere* hoc loco significaret aggredi, & *agger* muros, qua notione miror, si usquam reperias. muris enim castellum hoc fuisse cinctum, neque alia munitione, satis ex auctore colligitur. Longe igitur aliud est *petere aggerem*, quam phrasin, quum supra 1, 65. occurreret, plerique non inepte verterant. *Aggerem petere*, est terram ad struendum aggerem comportare. Struebatur autem agger oppugnationis ergo. Vide Lipsii Poliorcet. 2, 3. *Freinshemius.*

7 *Dolor, ira & erumpebant*] Ingens in urbe dolor, atque etiam ira exstitit: ita ut ne quidem abstinere possent, quin apertas in querelas erumperent. Nec enim tacitus modo dolor & recondita ira mentibus inerat, verum etiam in querelas prorumpebat. *Freinshemius.* Sic potius distingue: *cunctaque, ut ex longinquo, aucta in deterius adferebantur; dolor, ira. Et erumpebant questus: Ideo nimirum in extremas terras relegatum*, &c. Ita fere loquitur Tacitus. qui in re indigna & atroci admodum, cum animi humani diversis, ac majoribus motibus, ipsas quoque dicendi periodos distinguit. Sicut hoc loco. Priores etiam doloris, dein iræ interiores hic motus. Tandem, indignitate rei & acerbitate, erumpunt etiam questus. Eundem ordinem in exprimendis affectibus ejusmodi, eorum singularem artificem sequi Nasonem, passim observare est. Quod monendum erat, quia ejusmodi elegantias, aut potius fulmina ac vires scribendi, pauci observant, pauciores exprimunt & sequuntur. Nam hæc quoque non prætermittenda sunt illis, qui ad antiquorum exemplar ac judicium se componunt. *Boxhornius.*

8 *In extremas terras relegatum*] Cum libro proximo *externæ terræ* dicantur illæ Orientis, in quas relegatus

Pisoni permissam provinciam: hoc egisse secretos Augustæ cum Plancina sermones. vera prorsus de Druso seniores locutos, displicere regnantibus civilia filiorum ingenia: neque ob aliud interceptos, quam quia populum Romanum æquo jure complecti reddita libertate agitaverint.
Hos vulgi sermones audita mors adeo incendit, ut ante edictum magistratuum, ante
senatusconsultum, [1] sumpto justitio desererentur fora, clauderentur domus; passim silentia
& gemitus, nihil compositum in ostentationem: & quamquam [2] neque insignibus lugentium abstinerent, altius animis mærebant. Forte negotiatores vivente adhuc Germanico Syria egressi, lætiora de valetudine ejus attulere: statim credita, statim vulgata sunt:
ut quisque obvius, quamvis leviter audita, in alios, atque illi in plures cumulata gaudio transferunt. cursant per urbem [3] moliuntur templorum fores. juvit credulitatem
nox, & promptior inter tenebras adfirmatio. Nec obstitit falsis Tiberius, donec
tempore ac spatio vanescerent. Et populus quasi rursum ereptum acrius doluit. Ho- 8
nores ut quis amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti, decretique: *ut
nomen ejus [4] Saliari carmine caneretur: [5] sedes curules sacerdotum Augustalium locis, superque*

relegatus est Germanicus, ut infra, *Ob longinquitatem itineris externis terris quoque modo crematum:* & *differri etiam per externos.* Imo hoc ipso libro ubi Alexander & Germanicus comparantur; *Utrumque suorum insidiis externas inter gentes occidisset:* hic etiam scribendum censeo: *Ideo nimirum in externas terras relegatum.* Adde, quod apud veteres extrema potius sæpiusque dicantur loca Septentrionis & Occidentis, quam Orientis, ut, *Extremi hominum Morini*, & ejusmodi alia. Imo extremæ fere terræ dicuntur ultimæ, post quas aliæ non restant. In quam rem plurima ipse Tacitus sufficit exempla. Vide Agric. vitam. *Boxhornius. Extremas terras* intellige imperii Romani. Florus 4, 1. *quod in extremis finibus mundi arma Romana peregrinabantur.* Cicero ad fratrem 1, 1. *Non ignoro, quid sociis accidat in ultimis terris, cum audiverim in Italia querelas civium.* Locorum, quæ affert pro *externis*, alia ratio est. *Gronovius.*

1 *Sumpto justitio*] Olim in tumultu aut calamitate à Dictatore Consulibusve indici justitium solitum, ex decreto Senatus: nunc passim in funere principum virorum. Sic libro 1. *Qui fine Augusti & initiis Tiberii auditis, ob justitium aut gaudium intermiserat.* De vi habituque justitii nihil melius possum Petro Fabro, eruditæ diligentiæ viro. quem consule libro 11. Semestrium cap. x. *Lipsius.*

2 *Neque insignibus lugentium*] Indicto enim justitio, mutabant etiam vestem. Lucanus:

—— ferale per urbem
Justitium, latuit plebejo tectus amictu
Omnis honos, nullos comitata est purpura fasces.

Juvenalis:

Pullati proceres, differt vadimonia Prætor.

Seneca epist. xviii. *Nam quod fieri nisi in tumultu & tristi tempore civitatis non solebat, voluptatis caussa vestem mutavimus.* Idem.

3 *Moliuntur templorum fores*] Nam vespere hæc gesta, aut nocte, & tum clausa templa. Suetonius Calig. cap. vi. de ipsa hac re: *Repente jam vesperi, cum incertis auctoribus convaluisse percrebuisset; passim cum luminibus & victimis in Capitolium concursum est, ac pæne revulsæ templi fores ne quid gestientes vota reddere moraretur.* Idem.

4 *Saliari carmine*] Qui honos non nisi nominibus deorum. Hoc exemplo M. Antoninus Philosophus, mortuo filio vero, *jussit ut nomen ejus Saliari carmini insereretur.* ita malo apud Spartianum, quam, *inferretur.* Lipsius.

Saliari carmine] His carminibus nominari valde laudabile erat. Sic *Mamurius Veturius, cum ancile fabricasset insigne, petiit, ut Saliari carmine nomen suum caneretur.* Plutarchus in Numa. Et Servius in 8. Æneid. *Famam cupit*, ais, *pro opera, videlicet, quod est votum illustrium virorum.* Varro tamen ait Salios, qui cantant Mamurium Veturium, significare veterem Memoriam. Quæ aliquis γραμματοκάπηλος composuerit, non ego. *Aurelius.*

5 *Sedes curules*] Spectaculis Romam transductis, magno honori fuit publicus in iis locus. exempla multa. Evaluit paullatim adulatio, ut non solum vivis, sed etiam absentibus mortuisque daretur is locus, memoriæ conservandæ. Loci præbiti indicium, sella esset. Primum vestigium ejus ritus odorari videor in Livii verbis, libro 11. de Valerio Dictatore: *Dictator triumphans in urbem invehitur. super solitos honores locus in Circo ipsi posterisque, ad spectaculum datus: sella in eo loco curulis posita.* Cæsari habitus deinde idem honos, ut clare Dio libro xliv. Ἐψηφίσαντο τόν τε δίφρον αὐτοῦ τὸν ἐπίχρυσον ἐς τὰ θέατρα καὶ τὸν στέφανον τὸν διάλιθον καὶ διάχρυσον ἐσάγεσθαι. Mox M. Marcello defuncto. de quo verba ejusdem scriptoris, libro liii. Μαρκέλλῳ δὲ καὶ εἰκόνα χρυσῆν, καὶ στέφανον χρυσοῦν, δίφρον τε ἀρχικὸν ἔς τε τὸ θέατρον ἐν τῇ τῶν Ῥωμαίων πανηγύρει ἐσφέρεσθαι, καὶ ἐς τὸ μέσον τῶν ἀρχόντων τῶν τελούντων αὐτὰ τίθεσθαι ἐκέλευσε, id est, *Marcello & imaginem auream, & coronam auream, & sedem curulem Romanis ludis in theatrum inferri jussit, mediaque illa poni inter sedes editorum.* Sed & Severus, Pertinaci mortuo non

perque eas [1] *quercea corona ſtatuerentur:* [2] *ludos Circenſes eburna effigies praeiret: neve quis flamen aut augur in locum Germanici, niſi gentis Juliæ, crearetur.* [3] Arcus additi Romæ, & apud ripam Rheni, & in monte Syriæ Amano, cum inſcriptione rerum geſtarum, ac [4] *mortem ob rempublicam obiiſſe.* ſepulchrum Antiochiæ ubi crematus: [5] tribunal Epidaphnæ. quo in loco vitam finierat. Statuarum locorumve [6] in quis colerentur, haud facile quis numerum inierit. [7] Cum cenſeretur clypeus, auro & magnitudine

unam ſellam, ſed tres in theatro poſuit: uti apud Xiphilinum ſcribitur his verbis. Καὶ χρυσῆν εἰκόνα αὐτῇ ἐφ' ἅρματος ἐλεφάντων ἐς τὸν ἱππόδρομον ἐσάγεσθαι, καὶ ἐς τὰ λοιπὰ ἐκεῖνα τὰ θέατρα θρόνους τε τρεῖς κατακεχρυσωμένους αὐτῷ ἐσκομίζεσθαι. Lego etiam ſedes aureas in Theatrum illatas Tiberio & Sejano abſentibus. & miror interpretem id vertiſſe, currus, apud Dionem libro LVIII. Δίφρους τε ἐπιχρύσους ἐς τὰ θέατρα ἀμφοῖν ἐτίθεσαν. Germanico igitur decretæ ejuſmodi curules ſedes per trina, ut opinor, theatra inter ſacerdotum Auguſtalium ſedes: & coronæ in iis è quercu, ob cives ſcilicet ſervatos. Hunc ritum non alibi adhuc videram explicatum. *Lipſius.*

1 *Quercea corona ſtatuerentur*] De hoc ponendi coronas querceas, vel etiam aureas ſuper curules ſellas antiquo more, & veteres ſcriptores meminerunt, & ex argenteis denariis conſtat, in quibus ſellæ hujuſmodi ſuperimpoſitis coronis ſignificatæ ſunt. & fortaſſe denarius Auguſti, in cujus altera parte, ſella curulis habetur cum duabus coronis, ad honorem pertinet Cæſari decretum, de quo ita Dio libro 44. Ἐψηφίσαντο, inquit, τόν τε δίφρον αὐτοῦ τὸν ἐπίχρυσον ἐς τὰ θέατρα, καὶ τὸν στέφανον, τὸν διάλιθον, καὶ διάχρυσον ἐσάγεσθαι. Itaque ſellæ curuli in eo denario inſcriptum eſt, CÆSAR. DIC. PERP. *Urſinus.*

2 *Ludos Circenſes*] Qui honos diis habitus, & qui divinos deinde honores meriti videbantur. Ritus non obſcurus. *Lipſius.*

3 *Arcus additi*] De iſtis arcubus Suet. Claud. 1. *Præterea Senatus inter alia complura marmoreum arcum cum tropæis via Appia decrevit, & Germanici cognomen ipſi poſteriſque ejus dedit.* Aurelius.

4 *Mortem ob Remp. obiiſſe*] Hoc Druſo quoque patri ejus tributum, & voluit dictum Pedo ad Liviam:

Conſul, & ignoti victor Germanicus orbis,
Qui fuit heu mortis publica cauſſa, legor.

Sed tu reſcribe, *Cui fuit:* ad hanc mentem. *Lipſius.*

5 *Tribunal Epidaphne*] Plin. libro 5. cap. 21. Epidaphnes ſcribit eſſe cognomen Antiochiæ. Ego regionem ejus urbis fuiſſe arbitror. *Muretus.* In æreo numiſmate, quod eſt apud me, ANTIOΧΕΩΝ ΤΩΝ ΕΠΙΔΑΦΝΗ, inſcriptum eſt, quod facit ad Taciti locum. *Urſinus.* Lib. Mach. 2. cap. 4. ſic habet: *Ipſe loco tuto ſe continens, Antiochiæ ſecus Daphnem.* Et noſter heic *Antiochiam* ab *Epidaphne* diſparat, cum ait, *Antiochiæ ſepulchrum, tribunal Epidaphnæ poſitum.* Epidaphne autem pars eſt, & ſuburbium Antiochiæ. Et Antiochiæ porta erat, quæ Daphne dicebatur, qua ſcilicet iter erat ad Daphnem, de qua D. Hieron. in vita D. Ignatii, Catalogo ſcriptorum Eccleſ. Dio libro 51. de Daphne ſuburbio Antiochiæ mentionem facit. Et Libanius ſcripſit de Daphne orationem luculentam, quam laudat Julianus ſcribens ad eum. Auctor quoque Egeſippus libro 3. cap. 5. Daphnem iſtud ſuburbium ſcribit vocari, quod perpetuam habeat viriditatem. Eamque deſcribit eleganter Sozomenus libro 5. cap. 18. hiſtor. Eccleſ. aitque templo Apollinis & oraculo valde commendatam fuiſſe apud paganos. Narrat & in eo lucum Daphnes, de quo 11. libro Cod. *de cupreſſis ex luco Daphnes.* Et credibile eſt, amœnum iſtud Suburbanum, Germanicum ſubiiſſe in adverſa valetudine, in quo Baliſta unus ex XXX tyrannis agrum habuit, ut ſcribit Spartianus. Quamvis autem Suetonius dicat *Antiochiæ obiiſſe*, & noſter *Epidaphne*, idem eſt. Quippe nomine urbis, etiam ſuburbia continentur, ut ait L. Ut Alphenus. de verb. ſignif. D. Plinius quoque ita accipiendus eſt lib. 5. cap. 21. *Antiochia libera, Epidaphne cognominata.* Quod ſcribit ad differentiam ejus Antiochiæ, quæ in Meſopotamia & Cilicia. *Aurelius.*

6 *In quis colerentur*] Infracta pertinacia ſic ab Beroaldo excipiunt editiones, quum tamen in MS. perſpicue legatur *colerentur*, ut innuat circa ſtatuas facta vel decreta gentium, ut cauſa nulla ſit ejus repudiandi. Certe cultus ille deſtinabatur Germanico; ſed & ſtatuæ colebantur in illius memoria, ut 4, 2. *Colique per theatra & fora effigies ejus* Sejani *interque principia legionum ſineret.* Id minus fuit animadverſum. *Jac. Gronovius.*

7 *Cum cenſeretur clypeus*] Veteris inventi fuit imagines illuſtrium virorum publice in templo, curiaque deponi & quaſi dedicari. Sic Africani imago in Capitolio, Catonis Cenſorii in Curia collocatæ. Valerius Maximus, libro VIII. cap. XV. *Africanus imaginem in cella Jovis optim. maxim. poſitam habet: quæ quotieſcumque funus aliquod Corneliæ genti celebrandum eſt inde petitur: unique illi inſtar atrii, Capitolium eſt. Tam hercle quam ſuperiori Catoni, Curia. unde effigies illius ad ejuſdem generis officia expromitur. Gratum ordinem, qui utiliſſimum reip. Senatorem tantum non ſemper ſecum habitare voluerit.* Sed cumulatius id fecit, ut apparet, Auguſtus, qui primarias imagines in Curia collocavit, ſuis quaſque locis diſtinctas: ſive quis belli, ſive pacis artibus claruiſſet. Ita ſupra legimus, *Hortenſii imaginem*

gnitudine insignis, inter auctores eloquentiæ; [1] adseveravit Tiberius, *solitum paremque ceteris dicaturum. neque enim eloquentiam fortuna discerni; & satis inlustre, si veteres inter scriptores haberetur.* Equester ordo [2] *cuneum Germanici* appellavit, qui *Juniorum* dicebatur; instituitque [3] uti turmæ Idibus Juliis imaginem ejus sequerentur. pleraque manent: quædam statim omissa sunt, aut vetustas oblitteravit. Ceterum re- 84
centi adhuc mæstitia, soror Germanici Livia nupta Druso [4] duos virilis sexus simul enixa

nem positam inter Oratores: idemque honos nunc Germanico petitus. Sed clypei nomine Tacitus cur usus? quia imagines illæ, ut censeo, instar militaris clypei rotundæ: ex ære, auro, argento. Firmamentum aut lucem EXCVRSVS noster dabit, in N. vide. *Lipsius.*

Conferetur Clypeus] Clypeus qui imaginem repræsentaret, non militaribus solum viris in bello, sed & togatis in pace, ut hodie quoque est, jam olim in usu fuit. Si quidem lib. 35, 3. Plinius major inquit; *Scutis qualibus apud Trojam pugnatum est, continebantur imagines: unde & nomen habuere clypeorum.* Mos itaque erat in curia, ubi senatus haberi solebat, virorum illustrium imagines locare: quod idem Cornelius supra per transennam indicavit. Eodem spectat quod Trebellius de Claudio Secundo inquit: *Clypeus aureus senatus totius judicio in Romana curia collocatus est; ut etiam nunc videtur expressa thorace vultus ejus imago.* & infra: *Rogo quantum pretium est Clypeus in curia? tantæ victoriæ, quanta una aurea statua.* Vertranius. De hac clypei ponendi consuetudine, & quando primum Clypei imaginum publice, quando in domibus positi, itemque de æteis Clypeis cum argenteis imaginibus, videndus Plin. 35, 2. & 3. Addi potest locus ex oratione 12 Hadriani Imp. quem refert Charisius libro II. *Divus*, inquit, *Hadrianus orationum* XII. *A vobis, P. C. peto, & impetratum validissime cupio, ut proxime imaginem Augusti argenteum potius Clypeum sicut Augusto ponatis*, &c. Atque hic ipse ex argento Clypeus signatus est in pluribus Augusti denariis cum inscriptione, CLV. hoc est, CLVPEVS, antiqua scriptura, ut *Sulla* pro *Sylla*, nisi forte sit, CL. V. pro Clypeus votivus. Præterea Pedianus in Verr. libro II. *Fornix*, inquit, *Fabianus arcus*, &c. Atque hujusmodi scuta in argenteo denario M. Lepidi columnis Basilicæ Æmiliæ affixa videntur. Suetonius in Cajo, 16. *inter reliquos honores decretus est Clypeus aureus, quem quotannis certo die collegia sacerdotum in Capitolium ferrent.* Trebellius Pollio in Claudio, *Claudio*, inquit, *Clypeus aureus senatus totius judicio in Romana curia collocatus est*, &c. De Clypeo Scipionis cum imagine patris & patrui videndus Silius Italicus, lib. 7. *Ursinus.* Egregia multa de clypeis istis Ursinus & Lipsius, quorum monumentis, addat licet antiquariæ rei mysta Inscriptionem unam alteramque, quarum hæc comparet in operis integri pag. 496. 4, 6. ilia 172, 2. *Gruterus.*

1 *Adseruit Tiberius*] Insignitum ferociæ & ignorantiæ specimen. Si subjecissent *disseruit* ex lib. 3, 17. potuisset tolerari. At quomodo crediderunt ab Tacito tam perverse id verbum spectatum fuisse, ut ipsi tam strenue & diu vindicaverint, quod apud alios sanos auctores non nisi per errorem irrepens ab doctis editoribus expulsum fuit? Crede, mi lector, non esse Taciti, licet Beroaldus jam ita præiverit, & tacere potuerit Pichena. In ipso enim MS. clare legitur *adseravit*, certissimo defectu pro *adseveravit*, quod passim Tacitus adhibet, ut statim 3, 16. Si quid ad rem facit, aut pro momento esse potest, 3, 49. etiam in MS. legitur *adsevavit*, ubi recte editur *adseveravit.* Jac. Gronovius.

2 *Cuneum Germanici appellavit*] Mos olim receptus, honoris causa, bene meritorum, inprimis Principum, nomina iis etiam indere rebus, quarum frequentior, ac in cujusvis ore, & perpetuum fere ob usum perpetua mentio est, ut legibus, urbibus, legionibus, turmis &c. Et hodie observatur. Militiæ celebriora opera, bellicæ naves, aliaque ejusmodi, tantorum hominum nominibus apud nos aliosque insigniuntur. *Boxhornius.*

3 *Uti turmæ*] Ita accipio, ut in solenni illa Transvectione equitum Germanici imago pro vexillo esset, quod sequerentur. Libro VI. *Quorum imagines pro vexillis secuti essent, duces imperatoresque diligerent.* Aliud autem Transvectio equitum: aliud Recognitio, sive Censio, sive Probatio. & cave ea confundas. Transvectio à Q. Fabio Rulliano instituta, ut Livius lib. IX. Valerius I. auctores sunt. ejusque formam & quasi Pompam graphice depinxit Dionysius lib. VI. Idibus Quinctilibus sive Juliis fieri solitam Dionysius idem dixit, quia victoria ad lacum Regillum incidit in eum diem. Sed & *Castorum ædes Idibus Quinctilibus dedicata*, ait Livius l. II. quorum honori præcipue transvectio instituta. At recognitio equitum, olim à Censoribus singulis lustris: postea ab Imperatoribus passim facta tempore non certo. idque non aliud fuit, quam censura quædam in equites equosque publicos, & quasi examen. Nos plura lib. I. De Milit. Adi, si lubet. *Lipsius.*

4 *Duos virilis sexus*] Disce ergo hinc, quod nondum alii, Tiberium illum Drusi F. Tiberii N. quem Cajus sustulit, superfuisse ex his geminis: & ideo Gemellum cognominatum. Et sane numismata quædam hujus Drusi ærea exstare ajunt, in quibus expressa gemellorum capita surgentia è copiæ cornu. *Idem.*

Duos virilis sexus] Notatu dignum est, quod quam

enixa est. quod rarum lætumque etiam modicis penatibus, tanto gaudio Principem adfecit, ut non temperaverit, quin jactaret apud patres, *nulli ante Romanorum ejusdem fastigii viro geminam stirpem editam.* nam cuncta etiam fortuita ad gloriam vertebat. Sed populo tali in tempore id quoque dolorem tulit; tamquam auctus liberis Drusus,
85 domum Germanici magis urgeret. Eodem anno gravibus [1] senatus decretis libido feminarum coërcita, cautumque *ne quæstum corpore faceret, cui avus, aut pater, aut maritus Eques Romanus fuisset.* nam [2] Vistilia prætoria familia genita, licentiam stupri [3] apud ædiles vulgaverat; more inter veteres recepto, qui satis pœnarum adversum impudicas in ipsa professione flagitiii credebant. [4] exactum & à Titidio Labeone Vistiliæ marito, *cur in uxore delicti manifesta [5] ultionem legis omisisset?* atque illo prætendente

liquide in MS. exaratum est *viriles.* Id statim ita tinnulum constituit Beroaldus, quum debuisset se ad aliud & melius convertere; quippe inde patet hoc etiam in loco Tacitum scripsisse *duos virile secus*, quod ubique sic deformatum est, sed varie restitutum ab doctis. Vide ad librum 4. cap. 62. ubi testor contra Pichenam clare in MS. unico exstare *secus*, non *sexus.* Jac. Gronovius.

1 *Senatus decretis*] Quorum decretorum particula hæc apud Tertullianum, de Pallio. *Habes spectare quod Cæcina Severus graviter Senatui impressit, matrona sine stola in publico denique Lentuli Auguris consultus, quæ ita sese exauctorasset, pro stupro erat pœna: quoniam quidem indices custodesque dignitatis habitus, ut lenocinii factitandi impedimenta, sedulo quædam desuefecerant.* Idem.

2 *Vistilia*] Cum probatam à Labeone Vistiliam uxorem & quiescens matrimonium turbaret nemo, se ipsam Vistilia, more meretricio, detulit. Moris enim fuit nomen apud Ædiles profiteri, non prostibulis, sed meretricibus, quæ honestioris loci & quæstus, copiam sui noctu tantummodo facerent. Cæteris fœminis, si deesset accusator publicus, Ædiles ipsi probrosam fœminam ream agebant, ut ex Livio notum est, qui lib. 25. scribit, *L. Villius Tappulus & M. Fundarius Ædiles plebei, aliquot matronas apud populum probri accusarunt: quasdam ex eis damnatas, in exilium egerunt.* Quod autem de se Vistilia professa est, eludendæ legitimæ accusationis, & evitandi adulterii pœnæ gratia fecit. *Vertranius.*

3 *Apud Ædiles vulgaverat*] Minus expressa apud alios vestigia hujus moris: quæ hic in Tacito clara. Apparet autem in stupra matronarum ordinis primi aut secundi, graviter semper animadversum, ad servandum publicum decus: non tam graviter in libertinarum aut è plebe, quibus hæc militia Venerea, moribus tantum non permissa: quod vel ex Horatio, Ovidio aliisque liquere potest. Sic & illud patet cuivis feminæ licitum fuisse vulgare corpus, modo apud Ædiles id profiteretur. Cui professioni consequens, ut jure cederet & dignitate matronali, etiam, ut opinor, ornamentis, censereturque inter togatas. Quod facile adstruo ex Suetonii verbis in Tiberio, c. XXXV. *Feminæ famosæ, ut ad evitandas legum pœnas jure ac dignitate matronali exsolverentur, lenocinium profiteri cœperant: quas, ne quod refugium in tali fraude cuiquam esset: exsilio affecit.* Ut ergo ibi lenocinium profitebantur, ad amittendum jus matronarum: sic hic stuprum, eadem fine. Plura in EXCURS. O. Lipsius.

4 *Exacta & à Titidio*] Vertranius *exactum:* cui adsentio. *Idem.*

Exacta & à Titidio] Legerim *exactum*, pro, quæsitum à marito, cur Vistiliæ uxori, delicti manifestæ, cui sine mora repudium mittere ex lege debuisset, missæ neque novis interdiceret nuptiis, neque se adulterii acturum denunciaret. Labeo respondit, datos ad consultandum, sexaginta dies, non elapsos, intra quos jure mariti accusandi facultas erat: cui favet Paulianum illud, *Sexaginta dies à divortio numerantur: in diebus autem sexaginta & ipse sexagesimus est.* Illud autem à Labeone quærebatur, ne legem proderet, qui passus uxorem delinquere ob negligentiam, vel culpam, vel quandam patientiam, vel nimiam credulitatem, extra legem positus fuisset, ut habet Ulpianus: sed quo casu manifesta Vestiliæ peccata essent, sine sua culpa excusare ignorantiam, vel adumbrare patientiam suam prætextu incredulitatis Titidius Labeo non posset. *Vertranius.* Faernus addebat vocem, *ratio*, & legebat: *Exacta & à Titidio Labeone Vistilia marito ratio, cur*, &c. Fieri autem potuit, ut id verbum, quod duabus tantum literis notatum esset, τὸ facile librarius omiserit. *Ursinus.*

5 *Ultionem legis*] De pœna ab ipso marito inferenda omnes accipiunt. Ego propterea quia *legis* diserte fit mentio, qua haud dubie Julia de adulteriis intelligitur, ad accusationem trahere malui: hæc enim lege Julia pertinebat ad maritum, ut ex reliquiis ejus per JCtos ad nos transmissis patet. Ac ne quis *ultionis* vocabulo moveatur, se at tam illi hoc tribui, qui accusando, quam qui decernendo efficit, ut reus puniatur. ut 3, 66. *Videlicet Scipio & Cato talia ulciscebantur.* &c. Neque more veteri contrariam opinionem tueri licet, quamquam enim viro permissa fuerit de uxore cognitio, 13, 32. tamen permissa fuit, non injuncta, nec ab eo necessitate legis exacta; aut si omisisset, cuiquam ejus rei rationem reddere coactus est. *Freinshemius.*

1 *Sexa-*

dente [1] *sexaginta dies ad consultandum datos necdum praeterisse*, satis visum de Vistilia statuere: eaque in insulam Seriphon abdita est. [2] Actum & [3] de sacris Ægyptiis Judaicisque pellendis: factumque patrum consultum, *ut* [4] *quattuor millia libertini generis* [5] *ea super-*

1 *Sexaginta dies*] Dies sexaginta dari lege Julia, à die divortii, marito ad accusandum. Clarum ex l. XI. XIV. XV. Ad legem Juliam de adulteriis. quas vide. *Lipsius.*

Sexaginta dies] Crimen adulterii ex lege Julia publici judicii est. Expectantur autem sexaginta dies, quibus maritus in accusationem fertur: qui si interim neglexerit, adulteræ pater admittitur, hinc alii, Jurisconsultis auctoribus. Maritus autem qui matrimonium suum ita contemnit, ut adulteram uxorem non accuset, lege Julia tenetur Ulpiano. *Alciatus.* Eustathius περὶ χρονικῶν διαστημάτων, Ἄχρι ξ' ἡμερῶν συνεχῶν ἔχει ὁ ἀνὴρ δικαίῳ ἀνδρὸς κατὰ τῆς γυναικὸς τὸ μοίχειον, id est, ut præferatur cæteris, & accuset sine inscriptione l. Pater. D. ad l. Juliam, de adult. Potest tamen postea agere jure extranei l. 6. C. ad l. Jul. de adult. ubi contra quam Eustathius, ait, sexaginta illi dies à divortio utiles esse dicuntur. *Muretus.*

2 *Actum &*] Non tunc primum. Nam & Agrippa Præfectus urbi ab Augusto, sacra Ægyptia repressit: edicto, nequis ea intra quingentos ab urbe passus exerceret. Id accidit anno DCCXXXIV. ut habes apud Dionem LIV. Sed de hoc Tiberiano edicto capiendus Seneca epist. CIX. *His instinctus abstinere animalibus cœpi: & anno peracto, non tantum facilis mihi erat consuetudo, sed dulcis. Quæris quomodo desierim? In Tiberii Cæsaris principatum juventæ tempus inciderat. alienigena tum sacra movebantur: & inter argumenta superstitionis ponebatur animalium quorumdam abstinentia.* Apparetque eum intelligere etiam Judaica sacra, qui abstinuerunt animalibus quibusdam, ut sue. Quamquam & Romani postea diebus religiosis abstinere carne cœperint, Ægyptio ritu. Spartianus in Juliano: *Sæpe autem, nulla existente religione, oleribus leguminibusque contentus, sine carne cœnavit.* Lipsius.

3 *De sacris Ægyptiis*] Sueton. Tib. 36. Similiter multis ante annis Ægyptios deos *Capitolio prohibitos inferri, id est, curia deorum pulsos, Piso & Gabinius Coss. non utique Christiani, eversis etiam aris eorum abdicaverant, turpium & otiosarum superstitionum vitia cohibentes*, ait Q. Septimius Apologetico VI. *Vertranius.* In omni rep. bene instituta semper summo studio provisum est, ne inter cives esset varietas religionum. Itaque sapienter Cic. in legibus hoc statim à principio statuit, *separatim nemo habessit Deos, neve novos, sed nec advenas, nisi publice adscitos, colunto.* Postumius consul apud Liv. 39, 16. Servius in lib. 8. vers. 187. Cum igitur multi, & in urbe & per Italiam Ægyptiis & Judaicis ritibus dediti essent, eos senatus pellendos judicavit. Atque Ægyptii quidem omnium mortalium superstitiosissimi erant, ut ex Herodoto, Diodoro, Plutarcho, Juvenali Sat. 15. aliisque cognosci potest. Multi autem Romæ Ægyptiis superstitionibus infecti erant: colebantque Isin, Anubin, Serapin, Ægyptios Deos, quibus etiam templa publice polita erant. Nam & apud Catullum improba quædam puella homines ad lecticam à Catullo commodato petit, quibus ait se velle ad Serapin deferri, & Tibullus ægrotans Isidem invoc. lib. 1. El. 3. Prop. 2, 33. Ovid. 1. de arte 75. Horat. lib. 1. Sat. 9. vers. 20. Juvenal. 14, 97. Sed cum utraque, sive religio, sive superstitio, publice suscepta esset: quid tandem fuit quod huic Senatusconsulto causam dederit? De sacris Isiacis pulchram leges historiam apud Josephum lib. 18. antiquit. cap. 4. De Paulina matrona nobili, sub Tiberio. Judæi cur pulsi ex urbe, narrat idem Josephus lib. 18. antiquit. cap. 4. de Fulvia agens. *Muretus.*

4 *Quattuor millia*] Josephus lib. XVIII. id deplorat, & ostendit in eo numero solos Judæos fuisse. cui subscribit Suetonius: *Judæorum juventutem, per speciem sacramenti, in provincias gravioris cæli distribuit.* Huic calamitati occasionem caussamque præbuisse stupra quædam & fraudes tectas nomine religionis, non injucunde Josephus idem describit, in historia Paullinæ & Mundi. quem, si animus fert, vide lib. XVIII. cap. VII. *Lipsius.*

5 *Ea superstitione*] *Superstitionem* Ægyptiam & Judaicam nemo hic dubitet cultum Deorum, sectamque Ægyptiorum ac Judaicorum significare. Infr. lib. 5. Hist. *Rex Antiochus demere superstitionem, & mores Græcorum dare adnixus.* quamobrem arbitror Ulpianum in tit. de Decurionib. sensisse Judæos non prohiberi esse decuriones: neque eam rem pertinere ad Christianos. De hoc graviter me accusatum fuisse accepi; quod, jam fere receperint scholæ illis verbis demonstratos fuisse *Christianos*, cum testimonio ejusdem Cornelii, qui lib. 15. *execrabilem superstitionem*: & Plinii ad Trajanum, qui *superstitionem pravam immodicamque*, & Suetonii qui *novam ac maleficam*, appellant Christianam religionem, tum quia in lege ultima Cod. de *Judæis & cœlic.* Judæi arcentur dignitatibus atque honoribus. Quamobrem nisi de Christianis Ulpianum sensisse dicamus, pugnabunt leges illæ duæ, seque invicem abrogabunt, contra quam JCtorum receptæ regulæ patiantur. Verum obtrectatores istos oportuit docere, non sectam Judaicam appellari *superstitionem*, sed ex probato aliquo auctore, *superstitionem Judaicam*, significare Christianam religionem: ita enim recte, & non ex generibus & regulis pervulgatis aliena vituperassent. Quintil. lib. 3. *Qualis est primus Judaicæ superstitionis auctor.* Quibus verbis Mosen significat. Abrogatio vero legum, alterius negocii est: de qua suo loco scripsi cumulatissime.

superstitione infecta, quis idonea ætas, in insulam Sardiniam veherentur, [1] coërcendis illic
latrociniis, & si [2] ob gravitatem cœli interissent, [3] vile damnum: *ceteri cederent Ita-*
86 *lia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent.* Post quæ retulit Cæsar, [4] *capiendam*
virginem in locum Occiæ, [5] quæ septem & quinquaginta per annos summa sanctimonia
Vestalibus sacris præsederat: egitque grates Fontejo Agrippæ, & Domitio Pollioni,
quod offerendo filias, de officio in rempublicam certarent. prælata est Pollionis filia, non
ob aliud, quam quod mater ejus in [6] eodem conjugio manebat. nam Agrippa
[1] discidio

Ferretus. Quæ tametsi ab Æmilio Ferretto verissime scripta fuissent, Alciatus *Judæos* pro Christianis exaudiens, in diversam partem ivit. Sed aliam *Judæorum*, aliam *Christianorum* appellationem quis non videt? Quod si nomine illorum hos exaudiat hoc loco & similibus Alciatus, quid causæ est, quod non idem faciat apud Tranquillum in Julio 84? Credo equidem, quod nondum, DN. NR. carne tectus esset. Alius igitur *Judæam provinciam*, *Judaicum fiscum*, *Judaicam vitam* apud eundem Tranquillum vir eruditissimus Christianis accommodabit? & hoc nemini visum iri putem. Decepit autem Alciatum ultima constitutio earum, quæ in Justiniani Codice referuntur titulo de Judæis, qua Theodosius & Valentinianus AA. Judæos dignitatibus atque honoribus arcent: cum antea Severus & Antoninus Judæis honores permisissent. Quibus autem mens erit sana, ut olim licuit, semper licebit, posterioribus leges priores abrogatas censere: ita ut Cæsarum rescripto sanctio civilis ab Ulpiani scripto recesserit. *Vertranius.* Andreas Alciatus lib. 3. dispunction. cap. 8. & in tit. de decurionibus, hunc locum putat accipiendum de Christianis, non recte. Idem æque inepte existimat in l. *Generaliter.* D. de decur. nomine *Judæorum* Christianos intelligi. Quod cæteris omissis, tribus tantum argumentis, refellam. Primo, Tiberius Christum non oderat, sed & supplicio affectum graviter tulit, & retulit ad Senatum de eo referendo in numerum Deorum, &c. & ipse, repugnante Senatu, in sententia mansit, comminatusque est periculum accusatoribus Christianorum, Tertull. in Apologetico. Secundo Christiani adhuc nulli erant, nam nomen hoc Antiochiæ primum institutum est, & hoc tempore Christus nondum cœperat concionari, Actor. xi. Tertio Josephus lib. 18. c. 5. Κελεύει πᾶν τὸ Ἰουδαῖον τῆς Ῥώμης ἀπελασθῆναι, οἱ δὲ ὕπατοι τετρακισχιλίους ἀνθρώπους ἐξ αὐτῶν στρατολογήσαντες, ἔπεμψαν ἐς Σαρδὼ τὴν νῆσον. Muretus.

1 *Coërcendis illic latrociniis*] Quæ latrocinia, non modo ex Sardinia, sed à vicina Corsica erant. nam Strabo, qui hoc ævo viguit, scribit in Corsicæ montibus plures, qui latrociniis viverent, ferasque immanitate superarent, exstitisse. Et ad id forsan respexit Tiberius. At in omnibus provinciis Præsides erant aut alii magistratus, qui latrocinia coercerent. *Et Præses provinciæ latrones conquirere debet.* L. 13. de off. præf. Milites autem erant stationarii huic rei destinati. Sic enim in Apolog. Tertull. *latronibus vestigandis per universas provincias militaris statio sortitur.* Non prætereo Sallustium in fragmentis, ubi de Sardinia, statim addidisset: *Genus militum statim à pueritia suetum latrociniis.* Aurelius.

2 *Ob gravitatem cœli*] Sardiniam, Florus & scriptor de viris illustribus in Gracchis, pestilentem vocant. Silius, *tristem cælo.* Cicero *Tigellium Sardum patria sua pestilentiorem.* Martialis, *In medio Tibure Sardinia est.* Muretus. De Sardiniæ gravi cœlo hæc cecinit Claudian. de bello Gildonico, in fine:

—— *qua respicit Arcton,*
Immitis, scopulosa, procax, subitisque sonora
Fluctibus, insanos infamat navita montes.
Hinc hominum pecudumque lues, hinc pestifer aer
Sævit, & inclusis regnant Aquilonibus Austri.

Pomponius Mela de situ orbis lib. II. cap. VII. de Sardinia loquens ait: *soli quam cœli melioris, atque ut fœcunda, ita pene pestilens.* Pichena.

3 *Vile damnum*] An potius *utile damnum* scripsit. Quomodo Vellej. 2, 46. *Utile Imperatoris damnum salvo exercitu fuisset Reip.* Sic in Historia Miscella 13, 15. *Gothos perdidisse Theodosio magis lucrum quam damnum fuit.* Dictum esset ad eam fere formam, qua supra 1, 8. *Adrogantem moderationem* Tiberio exprobrat. *Freinshemius.* Acutius quam verius puto. Statius 1 Th. *jacturaque vilior orbi Mors hominum.* Gronovius.

4 *Capiendam virginem*] Et de verbo, & de ritu toto, scripsi in proprio Syntagmate *De Vesta & Vestalibus.* Lipsius.

Capiendam virginem] Formula hæc erat; *Sacerdotem Vestalem, quæ sacra faciat, quæ jus siet sacerdotem Vestalem facere pro populo Rom. Quiritibus, uti quæ optima lege fuat ita te, Amata, capio.* Vid. Gellium lib. 1, 12. Plutarchum in Numa. *Muretus.*

5 *Quæ septem & quinquaginta*] At lex definiebat ministerio virginum tantum annos triginta. spontanea igitur mansio Occiæ. *Lipsius.*

6 *In eodem conjugio*] Id est, univira esset, cujus rei honos. Tertullianus: *Monogamia apud ethnicos in summo honore est: ut & virginibus nubentibus univira pronuba adhibeatur, & sic auspicii initium est. Item in quibusdam solennibus & auspiciis, ut prior sit univiræ locus. Certe Flaminia non nisi univira est.* Lipsius.

In eodem conjugio manebat] Tertullianus in exhort. ad castitatem, Catullus. *Vos unis senibus bonæ Cognitæ bene fœminæ Collocate puellam.* Idem testatur & Festus. *Muretus.* Non ait univiram fuisse, sed
non

[1] discidio domum imminuerat. Et Cæsar quamvis posthabitam, [2] decies sestertii dote solatus est. *Sævitiam annonæ* incusante plebe, [3] statuit frumento pretium quod 87
emptor penderet, *binosque nummos se additurum negotiatoribus in singulos modios.* Neque tamen ob ea *parentis patriæ* delatum & antea vocabulum adsumpsit, [4] acerbeque increpuit eos, qui *divinas occupationes*, [5] ipsumque *dominum* dixerant. unde angusta & lubrica oratio sub principe, qui libertatem metuebat; adulationem oderat. [6] Repe- 88
rio apud scriptores senatoresque eorundem temporum, Adgandestrii principis Catto-
rum

non divortisse à marito: sequitur enim: *nam Agrippa divortio domum imminuerat*: neque divortium tamen matris impediret capi Vestalem, sicuti mors impediret; nam patrima matrima capi debet: sed præfertur cui mater concors cum viro. Et recte, bono exemplo. De decies sestertii dote dixi ad Aristænetum. *Mercerus.*

1 *Dissidio domum imminuerat*] Scribendum *discidio*, & hic & quotiescumque pro divortio hæc vox occurrit. Verissimum est enim, quod observavit Giphanius, male hoc nomine à Scioppio reprehensus, *dissidium* esse dissensum animorum, *discidium* disjunctionem, quæ fit corpore, loco, domo. Vide ad Liv. 25, 18. *Gronovius.* Mirum est male otiosas manus id potuisse ita infligere Tacito, quum non tantum editio Beroaldi, sed & ipse unicus MS. plane literam tertiam hic exprimant, ut jam tunc fuerit lectum ibi & scriptum *discidio*; utique igitur & nunc ita legatur ista vox, adjuta ingenio paterno & vetustissimi temporis testimonio nunc firmata, ut ei controversia moveri nequeat. *Jac. Gronovius.*

2 *Decies sestertii dote*] Numerus hic in dote, quod observavimus, inter honestiores quasi legitimus & solemnis. notatque diserte Juvenalis,

——— *& ritu decies centena dabuntur*
Antiquo.

Et Seneca: *Beatioresne istos putas, quorum Pantomimæ decies sestertio nubunt, quam Scipionem, cujus liberi à Senatu in dotem æs grave acceperunt?* Et Martialis non uno loco. *Lipsius.*

Decies sestertii dote] Magis placeret: *Et Cæsar quamvis posthabitam decies sestertium, &c.* non, *sestertii.* Ursinus. Fallitur: nam *dos decies sestertium*, Latinum non est, sed *dos decies sestertii.* Gronovius.

3 *Statuit frumento pretium*] De modo pretioque annonæ, infra l. xv. *Lipsius.*

4 *Acerbeque increpuit eos, qui &c.*] Suet. in Tiber. 27. *Alium dicentem sacras ejus occupationes; & rursum alium, auctore eo Senatum se adisse: verba mutare, & pro auctore suasorem, pro sacris laboriosas dicere coegit.* Quod tantum abest, ut inferioris ævi Principes prohibuerint, ut potius sua omnia *sacris, divinis, cœlestibusque* appellationibus vocitarint: nempe *sermones, jussa, literas, responsa, oracula, præcepta*, & similia; quod passim in libris Jurisconsultorum, & apud illius ævi scriptores videre licet. *Pukena.*

5 *Ipsum Dominum*] Rectissime. facta tantum suppetissent dictis. Nam Domini vox proprie, non nisi in servos, aut etiam conjunctos. de quo Excurs. *P.* Lipsius.

Qui ipsum dominum dixerant] Tametsi appellatio hæc priscis temporibus, uti nimis superba, principibus non adderetur, suadente tamen fœda adulatione, tandem quoque recepta, mox etiam in privatos transiit. Notum est illud Martialis: *Edictum domini deique nostri*; & Plinii in epist. ad Trajanum, vocem hanc identidem ingerentis. Sed & Seneca ad Lucilium; *quomodo obvios, si nomen non succurrit, dominos salutamus.* Mart. quoque rursus:

Cum te non nossem, dominum regemque vocabam.

Sed nemo certe felicius, nemo elegantius Græco Poëta Pallada hoc tetrasticho:

Ἢν ὁ φίλος τι λάβῃ, δόμινε φράτερ εὐθὺς ἔγραψεν.
Ἢν δ' αὖ μή τι λάβῃ, τὸ φράτερ εἶπε μόνον.
Ὤνια γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα, αὐτὰρ ἔγωγε
Οὐκ ἐθέλω δόμινε, οὐ γὰρ ἔχω δόμινα.

Negat Poëta, velle se dominum salutari, quia non habet, quod det assentatori hoc modo eum salutanti. Ludit autem similitudine nominis δόμινε & δόμινα. Alciatus.

6 *Scriptores Senatoresque*] Non displiceat, *Senioresque.* primum quia sæpe advocat noster testes ejus ævi, qui fuissent in re præsenti. ut l. III. *Memini audire me ex senioribus, visum inter manus Pisonis libellum*, & l. XI. *Verum audita scriptaque senioribus tradam.* Deinde quia peccatum & alias in ea voce, ut l. XIII. *Sed impetum ejus, multum prius laudata magnitudine animi, attinuere Senatores, dissolutionem imperii docendo*, &c. ubi certe scribo, *seniores.* ut dicam in loco. Possit tamen aliquis defendere hic Senatores: quia res quasi arcano acta in Senatu. Sed viderit Lector. à priori sententia nobilissimus Janus Douza noster est; de quo plura dicere jubet & prohibet me amor. Tollam manum, & in tam boni nominis memoria paulisper conquiescam. *Lipsius.*

Reperio apud scriptores senatoresque eorum temporum] *Senatores*, qui res sui temporis composuere, quorum ferax illud seculum, & quorum unus post illa C. Plinius, de quo lib. 1. Ann. nondum enim in desuetudinem abierat mos ille, quo solum dignissimi historias tractabant. Suet. de clar. Rhet. *Primus omnium libertinorum, scribere historiam orsus, non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam ad id tempus.* Non dedecet ergo missam facere *seniores* eruditissimi viri

subtili-

rum lectas in senatu litteras, quibus *mortem Arminii* promittebat, *si patrandæ neci venenum mitteretur:* responsum esse, *non fraude neque occultis, sed palam & armatum populum Romanum hostes suos ulcisci.* qua gloria æquabat se Tiberius priscis imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum regem vetuerant, prodiderantque. Ceterum Arminius abscedentibus Romanis & pulso Maroboduo, regnum adfectans, libertatem popularium adversam habuit: petitusque armis, cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit, liberator haud dubie Germaniæ, & qui non primordia populi Romani, sicut alii reges ducesque, sed florentissimum imperium lacessierit: [1] prœliis ambiguus, bello non victus. septem & triginta annos vitæ, duodecim potentiæ explevit: [2] caniturque adhuc barbaras apud gentes; Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur: Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi.

substitutionem. *Salinerius.* Dissentire me cogit veritas à reip. literariæ constituendæ Duumviris, quibus placet eatruso illo, *Senatoresque*, substitui, *senioresque*; quia aliquoties infra advocant ævi sui testes Tacitus. Non nego, sed iisdem locis diserte addit, vel, *memini audire me ex senioribus:* vel, *audita scriptaque senioribus tradam.* at hic, inquit, *reperisse*; in libris videlicet horum, quidem *ἀνεκδότοις*, illorum vero luce publica donatis. Nempe Senatores fere commentaria conficiebant eorum, quæ dicerent, quæ audirent in curia. ea manebant in familia, & ostentabantur nonnunquam à posteris; utpote è quibus æque atque ex actis publicis privatisque concinnari posset legitima historia; ut pluribus probavi in Suspicionum libris. *Gruterus.* Lipsius *Senioresque* emendat. Et placuit hoc nob. Dousæ: nescio an etiam aliis, mihi quidem non potest. Si enim vult Tacitus dicere, audisse se hæc ex senioribus, obsecro an utatur tum ea loquendi ratione, *Reperio apud seniores?* Potius, *Comperio ex senioribus.* Sed emendationem quidem puto certam: sensum autem paulo diversum. ut capiamus, non audiisse ex ipsis, sed in scriptis eorum, qui tum temporis vixissent, & audita vel visa scripsissent, reperisse. Cujus mentis est omnino illud etiam lib. xi. *Verum audita scriptaque senioribus tradam.* De cujus loci sententia, suo tamen loco infra hæreo, sed frustra. alia ejus mens esse quam hæc non potest. *Acidalius.* Recte *Seniores* reponunt, non *senatores.* Sic Livius lib. 7. *Repetitum ex seniorum memoria.* Suet. in Claud 15. *Illud quoque à majoribus natis audiebam.* Noster de Druso lib. 3. *Vera prorsus seniores loquutos: displicuisse regnantibus civilia filiorum ingenia.* Et lib. 13. *Adnotabant seniores.* Tertull. in Pallio: *Et autumat superiorum profanitas.* Aurelius. Lectionem Douzæ Lipsioque probatam non audeam comparare priori. non ob eam modo rationem, quia rem in senatu actam, maaime senatorum testimoniis confirmari consentaneum est; sed propter adjecta verba *eorundem temporum*: quæ non videbatur additurus si *seniores* præmisisset. *Freinshemius.*

1 *Prœliis ambiguus, bello non victus*] Lucillius. *Ut populus Rom. victus vi, & superatus prœliis sæpe est multis; bello vero nunquam, in quo sunt omnia.* Mercerus.

2 *Canitur*] Quibusdam, clarus est. Sed exactius alii, qui *canendi* verbum proprio significatu accipiunt. Notus enim hic Germanorum mos ex Taciti German. 2, 3. *Freinshemius.*

C. COR-

C. CORNELII TACITI
AB
EXCESSU AUGUSTI
ANNALIUM
LIBER TERTIUS.

Breviarium Libri.

Agrippina cum Germanici reliquiis Brundisium, inde Romam pervenit. eæ tumulo Augusti illatæ, & funus ductum. Drusus in Illyricum redit. Cn. Piso cum Romam rediisset, veneni & Majestatis postulatur. dicta caussa, cum omnia infensa & infesta experiretur, manus sibi adfert. Tacfarinas bellum in Africa renovat: quod opprimitur à L. Apronio Proconsule. Lepida Æmilia adulterii & veneni defertur, damnaturque. Papia Poppæa lex ad id tempus asperius exercita, mollitur à Tiberio, & nexus ejus exsolvuntur. Iterum Africam incurrit Tacfarinas: cui tutandæ Junius Blæsus deligitur. Equites aliquot Romani Majestatis damnantur. Galliæ rebellant, ducibus Julio Sacroviro & Julio Floro. infeliciter: quia à legionibus Germanicis copiæ earum cæsæ, & ipsæ ad vetus jugum retractæ. C. Lutorius eques, Majestatis damnatus, in carcere exanimatus est. Cura luxus coërcendi cœpta, & omissa. Drusus Tribuniciam potestatem accipit. Flamen Dialis vetitus provinciam sortiri. Asyla Græcorum lustrata & repurgata. C. Silanus repetundarum & Majestatis damnatus. Tacfarinatem Junius proturbat, & fratrem ejus capit. Juniæ illustris feminæ mors & funus. Hæc triennio gesta,

M. Valerio M. Avrelio
Tiberio Imp. IV. Drvso Nerone II. } Coss.
C. Svlpicio D. Haterio

[1] ihil intermissâ navigatione hiberni maris Agrippina Corcyram insulam advehitur, [2] litora Calabriæ contra sitam. Illic paucos dies [3] componendo animo insumit, [4] violenta luctu, & nescia tolerandi. Interim adventu ejus audito, intimus quisque amicorum, & plerique militares, [5] ut quique sub Germanico stipendia fecerant, multique etiam ignoti vicinis è municipiis, [6] pars officium in principem rati, plures illos secuti, ruere ad oppidum Brundisium; quod naviganti [7] celerrimum, fidissimumque adpulsu erat. Atque ubi primum ex alto visa classis, complentur non modo portus & [8] proxima maris, sed mœnia,

COMMENTARIUS.

1 *ihil intermissa*] Quanquam aspera hiems erat, qua tempestate *maria claudi* dicuntur, omnisque navigatio intermitti solet. Mirifice autem exprimit ardorem animi, quo tunc ferebatur Agrippina, quæ tantum iter, nunquam intermissa navigatione, confecerit: cum tamen diuturna navigatio etiam robustissimos viros, nedum feminas conturbare soleat. Homer. Od. θ. 138. Quod si omnis navigatio molesta & difficilis, tanto magis hiberna. nam æstiva quidem minus habet incommodi: jocaturque Cicero, dum quodam loco ad Atticum scribit, *magnum esse negotium navigare* de mense Sextili. Ergo ex die tertio idus Novembris, usque in diem sextum idus Martii, *maria clausa* esse dicebant: ut est apud Vegetium libro 4. quod tempus etiam coarctatum est ab Imperatoribus, qui à Calendis Aprilis ad Calendas Octobris tempestatem ad navigandum idoneam esse definierunt. lib. quoties. Cod. de naufrag. & Virgiliana Dido Æneam media hieme de navigando cogitare miratur. Sed & mare ipsum, cum fremeret, commotumque ac concitatum esset, *hiemare* dicebant. Sic Sallust. *hiemantibus aquis.* Et *hiemem* vocabant *tempestatem.* Muretus.

2 *Litora Calabriæ contra*] Quæsita orationi peregrinitas, poetica vocum collocatione, quails est illa Virgilii, *Italiam contra.* Idem.

3 *Componendo animo*] Non reficiendo corpori, non deponendæ lassitudini, sed componendo, ac mulcendo & compescendo *animo*, qui totus turgebat. *Idem.*

4 *Violenta luctu*] Sic libro superiore: *Omnium quæ ultionem morarentur intolerans.* Cum autem suopte ingenio excelsi erat & elati mulier animi, tum luctus & doloris acerbitas eam violentiorem & contumaciorem reddebant. Eleganter autem dictum est, *nescia tolerandi*, quia quæ nescimus, non facile facimus: idcirco quæ facere, aut quibus assuescere non possumus, ea *nescire* dicimur. Horatius, *Pelideque animum cedere nescii*, quasi hoc in scientia, & cognitione aliqua positum sit, non in conformatione quadam animi ac voluntatis. Idem, *Indoctaque jugum ferre Britannia.* Idem, *Cantabrum Indoctum juga ferre nostra*, & de mercatore: *Indocilis pauperiem pati*, & de fluvio: *Multa mole docendus aprico parcere prato.* Idem.

5 *Ut quisque sub Germanico stipendia fecerant*] Hæc & in editionem suam admisit Cl. Ryckius. Sed proculdubio displicuit Tacito sermo tam ingrata repetitione vocis *quisque* offendens, nec eum dedit vel Beroaldi editio, vel unicus MS. quum in utroque legatur *ut quique*, quod etiam Lipsius in suis curavit exprimi, certe retinuit in illa anni 1581. qua usus fuit pater meus; immo & servatum in Marniana Pichenæ. In indice Freinshemii quam fœde hic locus ita ut editur, positus est in medio similium locorum, in quibus *ut quisque* jungitur singulari, quibus exemplis addi potest infra hujus libri cap. 53. *Ut quisque opibus, domo, paratu speciosus, per nomen & clientelas inlustrior habebatur.* Et lib. 12. c. 52. *Ut quisque crediderit.*

6 *Pars officium in principem rati*] Cum putarent quidam se ea re gratiam à Tiberio inituros: eorum autem exemplum multitudo sequeretur: Est hoc quoque non vulgaris salivæ, *pars rati*, Virgilii exemplo, *Pars in frusta secant.* Idem.

7 *Celerrimum fidissimumque adpulsu erat*] *Celerrimum* quidem, quia ex Græcia & Asia Romam petentibus rectus est Brundisium cursus: *fidissimum* autem propter pulcherrimum & tutissimum portum, quem Florus *inclitum* vocat, & de quo olim Ennius: *Brundisium pulchro præcinctum præpete portu.* De eo videndus Strabo libro 6. *Idem.* Unde sic citat Muretus, quum eadem Pichenæ Marniana exhibeat *fidelissimum*. Id quod ita processit hæsitque, ut etiam Cl. Ryckius retinuerit, nescio quo prætextu, nescio qua origine. Certe MS. & ex eo Beroaldus id ipsum Muretinum probant, quod propterea debui reponere. Sic fuere nugatores, qui mox exhibuere *ac rogitantium*, quum in antiquo libro sit, quod in textum recepi. Fidissimos novit etiam cap. 57. *Jac. Gronovius.*

8 *Proxima maris*] Legendum *mari.* Idem. Nihil est mutandum, quamvis *proxima mari* usitatius sit. *Ursinus.* Omnes interpretantur de locis mari vicinis. Sed ipsa verba interpretationem hanc non ferunt, neque *proxima maris* aliter possunt accipi, quam de proximo mari, sive ipsius maris proxima parte.

mœnia,ac tecta, quaque longiſſime proſpectari poterat, mærentium turba,& rogitantium
inter ſe, [1] *ſilentione an voce aliqua egredientem exciperent?* neque ſatis conſtabat quid
pro tempore foret: cum claſſis paulatim [2] ſucceſſit, non alacri ut adſolet remigio;
ſed cunctis ad triſtitiam compoſitis. Poſtquam [3] duobus cum liberis feralem urnam
tenens egreſſa navi, [4] defixit oculos; idem omnium gemitus, neque diſcerneres,
proximos, alienos, virorum, feminarumve planctus: niſi quod comitatum Agrippi-
næ longo mærore feſſum, obvii & recentes in dolore anteibant. [5] Miſerat duas præ- 2
torias cohortes Cæſar, addito [6] *ut magiſtratus Calabriæ, Apulique, & Campani, ſu-
prema erga memoriam filii ſui* [7] *munera fungerentur.* Igitur tribunorum, centurio-
numque humeris cineres portabantur: [8] præcedebant incompta ſigna, verſi faſces:
[1] atque

parte. Sicut 3, 73. *intima Africa*, pro intima Africa, aut intima parte Africæ 4, 46. & 12, 56. *Edita montium.* & in hoc ipſo vocabulo H. 3, 42. *Proxima litorum.* 15, 58. *Proxima municipiorum*, pro proximis litoribus aut municipiis. Sic igitur & *proxima maris* interpretanda erant, ſi verbis inhæreamus. Nam ſententiam verſionum magis probo; adeoque non *proxima maris*, ſed *mari* legendum arbitror, litera ſcilicet ſibilante, quæ ex vicinitate ſequentis vocabuli temere, ut ſolet, hæſit, rejecta. *Freinshemius.*

1 *Silentione an voce*] Quorum utrumlibet magni doloris ſignificationem habet. Magnus enim dolor interdum clamores exprimit, interdum eos tanquam præcluſis faucibus comprimit. *Muretus.* Mæſtitiæ comes & ſilentium. Job 2. *Sederunt enim eo in terra ſeptem diebus & ſeptem noctibus, & nemo ei loquebatur verbum: videbant enim dolorem eſſe vehementem.* Aurelius.

2 *Succeſſit, non alacri*] Solent enim qui ex longa navigatione portum, quem petebant, vident, terram ſalutare, & multas lætitiæ ſignificationes dare. Virgil. 3. *Italiam, primus conclamat Achates. Italiam læto ſocii clamore ſalutant.* Muretus. Ego cum illis potius ſentio, qui claſſem, ut per ipſam rei naturam opus eſt, ſenſim admotam & propinquiorem litori factam exponunt, non ut ſtudio curſui temperatum, aut ſegnius redditum fuerit remigium, quod ſicut non intendiſſe per alacritatem, ut ſolent appellentes in deſiderata loca, ita neque remiſiſſe videri poſſunt, ſed eodem tenore inceptum iter eſſe proſequuti. *Freinshemius.*

3 *Duobus cum liberis*] Caligula & Druſo. Nero enim Romæ manſerat. *Muretus.* Falſum eſt maſculini ſexus duos liberos hic intelligi: quum manifeſtum ſit adductam tum ſimul fuiſſe Juliam, de cujus natali ſupra 2, 54. Habuit igitur tum Agrippina ſecum duos de ſex liberis, ceteros Romæ. *Freinshemius.*

4 *Defixit oculos*] In turbam ſcilicet adſtantem & mærentem, ineptiſſime ille. Rectius, ita omnium oculos in ſe convertit, ut nemo uſquam alio intueretur. *Muretus.*

5 *Miſerat duas prætorias cohortes*] Poëta de iſto more, ita in funere Pallantis: *Toto lectos ex agmine mittit Mille viros, qui ſupremum comitentur honorem Interſintque patris lacrimis.* Aurelius.

6 *Magiſtratus Calabriæ*] Municipales duumviri, quinqueviri, & ſimiles. *Muretus.*

7 *Munera fungerentur*] Non nove, nec ex Latinitatis portento: quippe ita Plautus in Trinummo: *Sequere, mea nata, ut munus fungaris tuum.* Et in Aſinaria: *Munus adoleſcentuli fungare.* Aurelius.

8 *Incomta ſigna*] De ornatu ſignorum dixi in libro 1. De verſis faſcibus, res ſic habet. In dolore quia omnia fieri præter morem amant: etiam lictores faſces præferebant inverſos. Pedo in Eleg. ad Liviam,

Quos primum vidi faſces, in funere vidi:
Et vidi verſos, indiciumque mali.

Statius Thebaidos VI.

——— *verſis ducunt inſignibus ipſi*
Grajugenæ reges.

Nec faſces ſolum ſuos lictores, ſed milites invertebant etiam ſcuta & arma. Virgilius:

——— *& verſis Arcades armis.*

manentque in militia noſtra hodie veſtigia ejus ritus. Adde, quod non indignum monitu, verſionem hanc armorum, non luctus ſolum notam fuiſſe, ſed etiam transfugii & defectionis. Ammianus lib. XXVI. *Eumque ſecuti complures, jam gladios quatientes & pila, ad Imperatorem tranſeunt, cum vexillis ſcuta perverſa geſtantes: quod defectionis ſignum eſt apertiſſimum.* Sed quare hic, aut unde Faſces? neque enim populi Romani magiſtratus adfuiſſe video. Reſpondeo, ſigna quidem Prætorianorum fuiſſe: at faſces ipſius Germanici defuncti, qui cineribus præferebantur inſignia nuper poteſtatis. Addo, quod Deſignatores lictores ſuos habere ſoliti, qui funeris ordinem & ſolennia curabant. *Lipſius.*

Præcedebant incompta ſigna] Ut Dracones, aquilæ, & ſimilia, non nitida, & præterſa, & fulgentia, corollis laureis ornata, unguentis delibuta, ſed *incompta*, & ſqualentia. *Verſi* ad terram *faſces.* Auctor de morte Druſi. Virg. Nonnunquam eos frangebant. *Conſul init fractis mærentem faſcibus urbem.* Muretus. Tertullian. adverſus Pſychicos. *Magiſtratus purpuras ponunt, faſces vero avertunt, precem indigitant,*

[1] atque ubi colonias transgrederentur, atrata plebes, [2] trabeati equites; pro opibus loci, [3] vestem, [4] odores, aliaque [5] funerum solennia cremabant. etiam quorum [6] diversa oppida, tamen obvii, & victimas atque aras [7] Diis Manibus statuentes, lacrimis & conclamationibus dolorem testabantur. Drusus [8] Tarracinam progressus est, cum Claudio fratre liberisque Germanici, qui in urbe fuerant. Consules [9] M. Valerius

digitant, hostiam instaurant. Aurelius. *Signa* proprie accipienda sunt, pro insignibus cohortium, ut supra I, 24. *Legiones insignibus fulgentes. Et fasces* intelliguntur, qui Germanico præferri consueverant. *Freinshemius.*

1 *Atque ubi colonias transgrederentur, atrata*] Id est, pullis, & lugubribus vestibus amicta. *Plebes* antiquus nominativus pro plebs. *Trabeati equites*, ut a plebe discernerentur, pompamque illam augustiorem & majestatis pleniorem redderent. *Muretus.* Quamvis in Germanici funere *trabeati equites incessissent*, non ob id tamen inferendum, trabeam funerale indumentum extitisse, sed bene familiare equitibus in publicis solennitatibus. *Marc. Donatus.* Existimo tunc trabeas fuisse atratas, & ex nigro colore, sed habuisse formam trabearum, quæ vestimenta erant primum regia, postea militaria & peculiaria equitibus Romanis, è trabibus intextis discoloribus ex purpura & cocco. *Aurelius.*

2 *Trabeati equites*] Trabea quid ad luctum? nihil. imo contra utebantur ea in diebus sollennibus lætisque; ut equitum Transvectione quod Dionysius notat. Sed & Domitiano decretum per honorem, ut quotiens consulatum gereret, *equites Romani quibus sors obtigisset, trabeati, & cum hastis militaribus præcederent eum, inter lictores apparitoresque.* Denique nusquam trabea in luctu? equitesque Romæ toga pulla usi in funere, ut reliqui cives. Credo igitur vestem hanc trabibus purpuræ intextis (id enim trabea) sumptam hic, non doloris indicium, sed ordinis. ad discriminandum, inquam, in coloniis equitem à plebe, & splendorem funeri conciliandum, trabeæ sumptæ. Illæ enim propriæ equitum: (nam Grammaticorum inventa hic non moror, qui faciunt etiam regum, ducum, augurum) & ideo *Trabeata agmina*, ipsi equites Statio, in Epulo Domitiani:

Hic cum Romuleos proceres, trabeataque Cæsar
Agmina, mille simul jussit discumbere mensis.

& in v. Silvarum ad Crispinum: quem locum fusius adscribam, quia mei eget.

—— non te series inhonora parentum,
Obscurum proavis, & prisca lucis egentem
Plebeja de stirpe tulit. non sanguine cretus
Turmali trabeque ac remis, & paupere clavo
Augustam sedem & Latii penetrale Senatus
Advena pulsasti: sed præcedente tuorum
Agmine.

Vere enim emendo, *non sanguine cretus Turmali, trabeaque Remi, nec paupere clavo.* id est, non tu ex plebe satus, imo nec ex ordine equestri. quem deinde describit tribus notis, luxuria non indecora ingenii, ut solet in illo poeta. *Turmalem sanguinem* vocat; quia propriæ equitum Turmæ: *Trabeam Remi*, quia ii trabeati, exemplo regum: *Pauperem clavum*, id est, angustum & artum, qui ordinis equestris. *Lipsius.*

3 *Vestem*] Pretiosæ vestis magnam vim cremare in funeribus solebant. Credo ut significarent, alia jam sibi omnia vilia esse, amisso eo quem lugebant. Virgil. in funere Miseni 6, 221. Statius in Epic. Glauc. 159. Silius lib. 10. in funere L. Æmilii Paulli 570. *Muretus.*

4 *Odores*] Hi quoque incendi solebant. Tibull. *Non soror Assyrios cineri quæ dedat odores.* Propert. *Cur nardo flammæ non oluere meæ.* Statius. *Muretus.*

5 *Funerum solennia*] Observa hunc ritum, quod alibi defunctis, & usto jam cadavere, nihilominus non Aras tantum statuebant, sed struebant & accendebant Rogos, quasi verum ibi funus & cadaver esset. Ostendit hic locus, & Senecæ ad Marciam, cap. III. de Druso, hujus patre, qui in Germania obierat, & reliquiæ item relatæ: *Mater longo itinere reliquias Drusi sui prosecuta, tot per omnem Italiam ardentibus rogis, quasi toties illum amitteret.* Ait, *per omnem Italiam*: in Coloniis nempe & municipiis, qua transibant: ut hic. *Lipsius.*

Solemnia] Νόμιμα, *Muretus.*

6 *Diversa oppida*] Non ii modo, quorum oppida prætervehebatur funus, sed ii quoque, quorum oppida, *diversa*, id est, devia erant, obviam tamen proficiscebantur, & pro copiis pompam illam cohonestabant. *Idem.*

7 *Diis manibus*] Ut eos placatos ac propitios Germanico efficerent, aut fortasse dis manibus ipsius Germanici. *Muretus.*

8 *Terracinam*] Recte vitavit hanc proterviam Cl. Ryckius, quum egregie monuerit Cluverius, cujus culpa sic contigerit immutari. Sufficit, quod in libro 3 histor. semper retinuerint in hoc nomine primam vocalem, & quod exhibeat ipse vetus codex *Tarracinam*, prout edidit Beroaldus, quum ridiculus in indice fit Frinshemius, ubi utrumque agnoscit. Quin etiam addi debet in MS. esse vere *Tarricinam.* Jac. Gronovius.

9 *M. Valerius & M. Aurelius.*] Jam mature his ita succursum est ex imperio Onuphrii & Pigii, qui damnant errorem Taciti, in cujus exemplari vetustissimo legitur *Et C. Aurelius*, ut etiam primi ediderunt. At illi volunt Tacitum ex Dione pendere, quod dubito an omnibus placeat. *Idem.*

Magi-

lerius & M. Aurelius (jam enim [1] magiſtratum occœperant) & ſenatus, ac magna pars populi viam complevere, [2] disjecti, & ut cuique libitum flentes. [3] aberat quippe adulatio, gnaris omnibus lætam Tiberio Germanici mortem male diſſimulari.
Tiberius atque Auguſta publico abſtinuere; inferius majeſtate ſua rati ſi palam lamentarentur; an ne omnium oculis vultum eorum ſcrutantibus, falſi intelligerentur. 3
[4] Matrem Antoniam non [5] apud auctores rerum, non [6] diurna actorum ſcriptura, reperio ullo inſigni officio functam; cum ſuper Agrippinam, & Druſum, & Claudium, ceteri quoque conſanguinei nominatim perſcripti ſint: ſeu valetudine præpediebatur, ſeu victus luctu animus, magnitudinem mali [7] perferre viſu non toleravit. facilius crediderim, Tiberio & Auguſta, qui domo non excedebant, cohibitam; ut par mæror, & matris exemplo avia quoque & patruus attineri viderentur.
Dies quo reliquiæ tumulo Auguſti inferebantur, modo per ſilentium [8] vaſtus, modo ploratibus inquies: 4

1 *Magiſtratum occœperant*] Ergo Januario hæc menſe geſta. *Lipſius.*

2 *Disjecti*] Satis hoc mirum, ubi Coſſ. & Senatus; qui ſolent ordine & compoſite incedere ſive ſtare. Sed hic apparet aliter factum, ſparſoſque fuiſſe: an quia ſponte venetant? an id quoque teſtando doloti? cui confuſio videtur adhærere, nec decori cura. *Idem.*

3 *Aberat quippe adulatio*] Vicerat enim adulationem dolor, erumpebatque. licet neminem falleret, Tiberium gaudere interitu Germanici, &c. *Freinshemius.* Viſi mihi ſunt hujus loci veram ſententiam non cepiſſe viri eruditi. Dicit Tacitus, luctum hunc populi, ob mortem Germanici, ex vero animi ſenſu; non adulatione eſſe profectum. Probat id invicto argumento. Sciebant, inquit, probe omnes, lætam Tiberio accidiſſe Germanici mortem, (quam tamen lætitiam diſſimulare conaretur, nec ſatis diſtimularet) non tamen eo minus in publica immenſi doloris ſui ſignificatione perſiſtebant. Jam autem illi non creduntur adulari, qui hoc publice agunt, quod certo noverint Principi ingratum eſſe & diſplicere. *Boxhornius.* Reddit rationem, quare incompoſiti, ſine arte, ſine ambitione, atque ut natura dabat, doluerint. nempe quia & vere lugebant, ſibi lugebant, non principi; ſuo dolori dabant, non alieno commodabant & venditabant lacrimas: dolendo non adulabantur Tiberium, quippe quem nemo ignorabat gaudere morte Germanici, utcumque triſtitiam fingeret *Gronovius.*

4 *Matrem Antoniam*] Hæc illa eſt Antonia Druſi, quam Plinius ait numquam ſpuiſſe. illa, quam Valerius mire laudat à continentia & amore in conjugem, lib. IV. cap. III. *Lipſius.*

5 *Apud auctores rerum*] Tacitus ab exemplari videtur diſceſſiſſe, cum *auctorem rerum* hiſtoriæ ſcriptorem vocavit, qui Salluſtio eſt rerum adminiſtrator geſtorque, ut imperator qui bella gerit. *Tametſi haudquaquam par gloria ſequatur ſcriptorem & auctorem rerum.* Turnebus. Sic hoc ipſo libro: *C. Salluſtius Romanarum rerum florentiſſimus auctor.* Muretus.

6 *Diurna actorum ſcriptura*] Diaria, ſive ephemeridas ſignificat: quas qui ei muneri præfecti erant, diligentiſſime conficiebant & in eis perſcribebant, quid quoque die memorabile actum foret: *Materiam hiſtoria.* Suet. Claud. 41. *Extat talis ſcriptura in pleriſque libris, actorum diurnis* (vulgo, *ac diurnis*) *titulisque operum.* Dicuntur & *acta diurna.* Tacitus lib. 13. *Cum ex dignitate populi Romani* (repertum) *ſit, res illuſtres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare.* Erant & acta Senatus. Suetonius in Cæſare dictatore: *Inito honore primus omnium inſtituit, ut tam ſenatus, quam populi diurna acta conficerentur, publicarenturque.* Muretus.

7 *Perferre viſu non tol.*] Suſpicionem hanc ſuam Tacitus, ut videtur, docte collegit ex Sophoclis Antigone, verſ. 1261. ubi nuntius profert Ἀχαίτινα, κἄνταν ἐν πόλει γόνις ἀνάξιον, ἀλλ' ὑπὸ στέγης ἵνα Δμωαῖς προθήσειν πένθος οἰκεῖον τινα. *Jac. Gronovius.*

8 *Vaſtus*] Cum interdum tantum ſilentium eſſet, ut in urbe vaſtitas ac ſolitudo eſſe videretur, interdum queſtibus & lamentationibus omnia circumſonarent. *Muretus.* Olim emendavi *per ſilentium vaſtum.* atque adeo certa mihi emendatio viſa eſt, ut eam recipere non dubitaverim. Nam ipſe Tacitus ſic ſæpe locutus eſt. lib. IV. *hoſtiſque clamore turbido, mod per vaſtum ſilentium, incertos obſeſſores effecerat.* Hiſt. lib. III. *Vaſtum primo ſilentium mox cuncta ſimul erumpunt.* In vita Agricolæ: *Vaſtum ubique ſilentium, ſecreti colles.* Etiam Livius lib. 10. *deinde ut ſilentium vaſtum in urbe.* Et optima eſt conſtructio: *Dies erat inquies, modo per vaſtum ſilentium, modo ploratibus.* Obſervavi ſæpiſſime in veteribus libris, idque in nonnullis editis quoque conſpicitur, *m*, litteram, in fine dictionum nonnumquam ſcribi, 3, tanquam ternarii numeri notam, adeo ut mirum non ſit, ſi aliquando pro litera, *s*, accepta ſit à librariis. Hinc in auctore noſtro multi errores irrepſerunt, ut ſuis locis oſtendemus. *Pichena.* At mihi falli vir optimus videtur. Nam ſi *vaſtum ſilentium* accipimus, tam dies inquies fuit ſilentio quam ploratibus. At quid eſt *per ſilentium inquies?* Apud Ovidium in tegia Somni

quies : [1] plena urbis itinera, [2] conlucentes per campum Martis [3] faces illic [4] miles cum armis, [5] sine insignibus magistratus, populus per tribus, *concidisse Rempublicam nihil spei reliquum* clamitabant; promptius apertiusque, [6] quam ut meminisse imperitantium crederes. [7] Nihil tamen Tiberium magis penetravit, quam studia hominum accensa in Agrippinam; cum *decus patria*, [8] *solum Augusti sanguinem*, *unicum antiquitatis specimen* appellarent, versique ad cœlum ac deos, *integram illi subolem*, *ac* [9] *superstitem iniquorum* precarentur. Fuere qui [10] *publici funeris pompam* requirerent, compararentque *quæ in Drusum patrem Germanici honora & magnifica Augustus fecisset.*

ipsum

Muta quies habitat. Apud Statium *pressisque silentia pennis Muta sedent.* Si *ἀντὶ τοῦ magnus* apud Tacitum esset *vastus*, tolerarem. At Tacitus utrique proprium assignat verbum. *Dies magna* dicitur, qua magna res gesta est: *dies faustus*, quo quid feliciter evenit. Sic *dies vastus per silentium* est pars diei silentium habens quasi in vasta solitudine. Interdum præ nimio dolore stupentes conticuerant, & in tanta multitudine erat silentium loci vasti & deserti: interdum ploratus quietem turbabat. Sic cap. 9. *die frequenti*, est parte diei, qua hominum frequentia in publico versatur. *Gronovius.*

1 *Plena urbis itinera*] Omnibus undique, ad campum Martium confluentibus. *Muretus.*

2 *Conlucentes per campum*] Dixit ad morem priscum: quo ii qui funus prosequebantur, cereos manibus gestabant, candelas, funalia, faces. Donatus id obtinuisse eo censet, quia noctu olim cadavera solita efferri. Super hoc more Excvrs. in *A.* Lipsius.

3 *Faces*] Ad cereos efferebantur pueri, ad faces viri. ferebantur autem faces ad ignem subjiciendum rogo. sed tum quoque, cum rogus nullus esset, honoris causa ferebantur. *Muretus.*

4 *Miles cum armis*] Corrigo, *miles sine armis.* Quid enim novi est militem videri cum armis? Sed deposuerat, opinor, arma, ut dolorem testaretur, quemadmodum magistratus insignia sua. *Harlæus.* Ne quis in populo tumultus excitaretur. *Muretus.* Sic lib. 1, 8. *Die funeris milites velut præsidio stetere.* Gronovius.

5 *Sine insignibus Magistratus*] Id est, sine toga prætexta, sine anulis, sine lato clavo. Quæ omnia accurate mihi dicta in scripto de funeribus singulari. *Lipsius.*

Sine insignibus] Ad significationem mæroris: simul quia justitium erat. Ovid. *Jura silent, mutaque tacent sine vindice leges. Aspicitur toto purpura nulla foro.* Muretus.

6 *Quam ut meminisse imperantium*] Nam hæ voces aperte ad aliquam imperantium contumeliam pertinebant: sed illa querentibus metum ademisse videbatur doloris magnitudo. *Idem.*

7 *Nihil tamen Tiberium*] Pessime enim oderat Agrippinam, ejusque gloriæ invidebat, quo iniquiore animo ferebat tanta in eam conspirantis populi studia. *Idem.*

8 *Solum Augusti sanguinem*] Non vere: plures erant, ut Lepidi & Silani ex Julia nepte, sed reliquos velut degeneres, credo, arguunt, hanc solam Augusto dignam. *Lipsius.*

9 *Superstitem iniquorum*] Forsitan *inimicorum*. Rhenanus.

10 *Publici funeris pompam*] Hoc sensu extat infra eodem: *ut mors Sulpicii Quirinii publicis exequiis frequentaretur.* Quid autem sit dicere *funus publicum*, *exequiæ publicæ*, quæstionis fuit. Pansæ atque Hirtii corpora publica sepultura honorata Vellejus scribit: eosdem in campo Martio sepultos ait Florus ex Livio epit. cxix. Unde quidam ex nostris censuit, idem, in campum Martium, publico funere, exequiis, & sepultura efferri. Alii cum ex stirpe collatia, aut publicis impensis funus factum, ut P. Valerio Poplicolæ, Agrippæ Menenio, Scipioni Africano, id *publicum funus* exaudiunt. Ego dum amplius quærerem, inveni apud Livium de Syphace, xxx. extre. *Conspecta*, inquit, *mors ejus fuit, quia publico funere est elatus.* Sic in Eusebii Chronico P. Servilius Isauricus elatus. Apud Suetonium *Tiberii corpus crematum funere publico*: & alibi, *L. Vitellium defunctum Senatus publico funere honoravit.* Quibus locis omnibus publicam mæstitiam accipio, & eas exequias, quibus sicut ob funus domesticum, auro posito, purpuraque, populus complorans interesset. Hoc suggerit prædicto libro Livius, ubi Annibalem ita Carthaginiensibus dixisse refert: *Quia tributum ex privato conferendum est, tanquam in publico funere comploratis.* Ita quoque accipiendus est Numa Pompilius, luctu publico & insigni monumento honoratus, Dionysii Antiquitat. lib. II. Et quidem omnia in eum locum translata vellem, quo Alfenum Varum publico funere elatum scripsi in Jurisconsultorum historia, cap. III. *Vertranius.* Plus est *publici funeris pompa*, quam *publica pompa*. *publica pompa* esset hoc loco publicum funus, utcumque celebratum. ac *pompa publici funeris* continet eam magnificentiam, quæ in publicis funeribus adhiberi debet potestque. Igitur nemo desiderare poterat publicum funus, quod obtigisse Germanico, ex ipsa Taciti narratione perspicuum est: sed hoc tantum, quod illud funus, quum publicum esse deberet, non pari pompa celebratum fuerit. Non, inquam, dicere poterant *publico funere efferri debuit Germanicus*: hoc

enim

ipsum quippe asperrimo hiemis [1] *Ticinum usque progressum, neque abscedentem à corpore simul urbem intravisse: circumfusas lecto* [2] *Claudiorum Juliorumque imagines,* [3] *defletum in foro, laudatum pro rostris: cuncta à majoribus reperta, aut quæ posteri invenerint, cumulata. At Germanico ne solitos quidem, & [4] cuicumque nobili debitos honores contigisse.* [5] *sane corpus ob longinquitatem itinerum externis terris* [6] *quoquo modo crematum: sed tanto plura decora mox tribui par fuisse,* [7] *quanto prima fors negavisset.* [8] *non fratrem nisi unius*

enim factum fuit: sed quia publicum funus istud fuit, majori pompa adornari debuit. Et animadverterunt ceteræ versiones hunc sensum; vocem tamen *publici* consensu prætermiserunt. *Freinshemius.*

1 *Ticinum usque*] Vide quædam non vulgata apud Valerium Maximum, lib. v. cap. v. *Lipsius.*

2 *Claudiorum Juliorumque imagines*] Drusus hic in Juliam familiam ne adoptione quidem venit. unde ergo in pompa funebri imagines illi gentis Juliæ? nisi forte quia mater deducta in domum Augusti. Hæc & talia de summo pectore dici possunt, at mihi nondum eviluit conjectura mea, *Liviorum.* Caussa duplici. primum, non præposuisset Claudios Juliis Tacitus. Id nefas. deinde cum à patre latæ imagines, cur omissæ à matre, quæ præsertim antiquæ, & multæ? *Lipsius.*

Claudiorum Juliorumque imagines] Ut sæpe alias, sic & hoc loco librariorum error è *Liviis Julios* fecit. Lege ergo *Liviorum.* Tiberio enim & Druso, paterna origo ex Claudiis, materna à Liviis fuit, adoptato in eam materno avo. Sueton. idem. testatur & Valerius 2, 4. *Muretus.* Ego potiorem habui veritatis rationem, quam scripturæ. Præsertim quum sciam, quoties ob miram literarum similitudinem confusos legamus cum *Juliis Livios.* Ex testimoniis scriptorum quæ supra 2, 73. relata sunt, aliisque quam plurimis notum est, majorum tantum imagines esse comitata posterorum funera. Quid igitur certius, quam in Drusi exequiis adfuisse Liviorum imagines; quæ materna illi familia fuerit, quum Juliam gentem nulla tam arcta cognatione contingeret. Neque vero simile est Juliorum nomen postpositurum fuisse Tacitum: quod quamquam leve videatur, illis tamen jam tum temporibus observatum scimus, ut digniores qui essent, iidem & priores nominarentur. *Freinshemius.*

3 *Defletum in foro, laudatum pro Rostris*] Auctor de morte Drusi:

Et voce & lacrimis laudasti Cæsar alumnum
Tristia cum medius rumperet orsa dolor.

Muretus.

4 *Cuicumque nobili*] Τῷ τυχόντι τῶν εὐπατριδῶν. *Muretus.* Recte vero, qui vocabulum *nobilis* retinuerunt. Sicut enim nunc longe inferior est quem *nobilem* vocant, quam qui *Gentilhuomo* censetur, ita quondam contra fuit. neque quisquam habitus est *nobilis* præter illustrissimos & *longa decora præferentes*, ut eos describit Seneca apud nostrum 14, 53. *Freinshemius.*

5 *Sane corpus*] Non per adseverationem efferendum est, sed per concessionem, quasi dicas, ut hoc largiamur, sit sane ita. *Idem.*

6 *Quoquo modo*] Utcumque sine magna pompa. *Muretus.*

7 *Quanto prima*] Legendum, *quando*, ἐπειδή. Idem.

8 *Non fratrem*] Scribe, *fratres.* nisi sui & historiæ oblitus Tacitus. Duo enim Germanico superstites fratres, Claudius natura, adoptione Drusus. semperque eo nomine etiam hunc noster insignit. Scripsit autem supra, Drusum & Claudium Tarracinam usque progressos. *Lipsius.*

Non fratrem] Drusum. nam de Claudio vix cogitabant, quem in pecudis prope potius quam hominis loco habebant, & sciebant non potuisse per se longius progredi? cum ita duceretur à Druso, ut nervis alienis mobile lignum, & inter aulæ ludibria, ut ait Suetonius, haberetur: cui rei aliud argumentum paulo post reperiemus. *Muretus.* Non sui, non historiæ obliviscitur noster, sed primo loco loquitur ut historicus, posteriore vicem gerit eorum, qui Tiberium maligne carpunt, suaque id facit sibi solita obliqua oratione. Obtrectatores autem ea de causa de Claudio silent; quod erat despectus, & inter aulæ ludibria, unde parum nihilve decoris Germanico: nisi forte Claudium putas ab eo moribundo his verbis designatum fuisse lib. 2. ann. *Referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumventus miserrimam vitam pessima morte finierim.* Iidem non tamen Drusum transmittunt, immo ex modo ejus occursus, Tiberii adversus Germanicum simultatem, & invidiam metiuntur. Quam autem Claudius vixerit omnibus despicatus, de Suetonio disce, in Claud. cap. 3, 4, 5. *Salinerius.* Cave cum eruditissimo Taciti interprete, *fratres*, rescribas. Quamquam enim duo Germanico superstites fratres, Claudius natura, adoptione Drusus, & supra scripserit Tacitus, utrumque Tarracinam usque progressum: cum tamen hæc omnia invidiose in Tiberium à populo dicantur, unius modo fratris Drusi, filii Tiberii, facit mentionem. Et certe Claudius excusari merebatur, quia haud dubie prohibitus est à Tiberio ulterius progredi, quam Drusus, ne plus, quam hic, lugere, magisque affici videretur. Hæc caussa quoque est, cur de matre Germanici Antonia hic non queratur populus, licet nullo insigni officio in Germanicum functa. Nam id noluerat Tiberius: ut supra. Quidni credamus idem Claudio evenisse?

unius diei via, non patruum saltem porta tenus obvium. ubi illa veterum [1] *instituta?* [2] *præpositam toro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina, & laudationes &*
6 *lacrymas,* [3] *vel doloris imitamenta?* [4] Gnarum id Tiberio fuit; utque premeret vulgi sermones, [5] monuit edicto: *Multos inlustrium Romanorum ob rempublicam obiisse; neminem*

evenisse? Itaque non de eo, sed Druso, hæc sunt accipienda, ut ad majorem invidiam concitandam in Tiberium, ejusque domum, comparata. *Boxhornius.*

1 *Instituta*] Non tantum de legibus dicuntur, ut nonnemo accepit: sed etiam de moribus & consuetudine quæ significatio huic loco convenientior est. *Freinshemius.*

2 *Toro effigiem*] Ritum fuisse arbitror, ut si cadaver adhuc vegetum & coloratum, ipsum in toro sive lecto ostenderetur: sin autem (ut in peregre functis, aut diu functis) aut non esset cadaver, aut decore proponi non posset, tum effigies cerea ejus loco in lecto ostenderetur. Colligo ex hoc loco, tum Dionis de Augusto, qui Nolæ obierat: *lectus erat*, inquit, *ex auro & ebore, purpureis auratisque stragulis: in cujus ima parte cadaver arca inclusum latebat; effigies autem ejus cerea, triumphali habitu supra apparebat.* Idem in Pertinacis funere, quod ei Severus sollenniter duxit, adnotavit idem scriptor & in ipsius Severi Herodianus. *Lipsius.*

Præpositam toro effigiem] Lege, *propositam in toro effigiem.* Herodiani autem locum è principio lib. 4. quoniam ad hæc illustranda mirifice pertinet, etsi jam vulgatus est, ne quid tamen desideretur, apponam, ut à Politiano conversus est, paucis tantum quibusdam, in quibus ille turpiter erravit, emendatis: ne cui tam multa Græca molesta sint. *Mos est Romanis consecrare imperatores, qui superstitibus filiis, vel successoribus moriuntur, quique eo sunt honore affecti, relati dicuntur inter divos. est autem tota urbe quasi luctus quidam festa celebritati promiscuus. Quippe functum vita corpus, ritu hominum, sumtuoso funere sepeliunt. Sed ceream imaginem defuncto quam simillimam fingunt, eamque in regia vestibulo proponunt, supra eburneum lectum maximum atque sublimem, vestibus instratum aureis, & quidem imago illa ad ægroti speciem pallida recumbit: Circa lectum vero utrinque magnam partem diei sedent, à læva quidem senatus omnis vestibus atris amictus; à dextra vero matronæ, quas virorum aut parentum dignitas honestat: harumque nulla vel aurum gestans, vel ornata monilibus conspicitur, sed vestibus albis exilibus induta, mærentium speciem præbens. Hæc ita per septem dies continuos faciunt medicis ad lectum quotidie accedentibus, inspectumque velut ægrum deterius se quotidie habere pronuntiantibus. Deinde ubi jam visus obiisse diem, lectum humeris attollunt equestris senatoriique ordinis nobilissimi ac lectissimi juvenes, perque viam sacram in vetus forum deferunt, ubi Magistratus Romani deponere imperium consueverunt*, &c. Hactenus Herodianus. Constat autem eorum, quæ ab ipso commemorantur, partim etiam vetustioribus temporibus in usu fuisse, alia gliscente, ut fit, adulatione, ad imperatores omni honoris genere celebrandos, à posteris excogitata esse. *Muretus.* Facit huc illud Propertii.

Nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno:
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.

Acidalius. Imo *propositam*, id est, in toro positam conspicuam omnibus. ita enim mos erat. *Grotius.* Sic viri docti lectionem veterem & scriptam tolerare nequeunt. Et recte, si modo melius reciperent. Quod mihi non persuaserint, quum aliud lateat, quod certa fide credo indicare Virgilium, quem Tacitus nunc imitari videtur, lib. 6. Æn. de Miseno: *Fit gemitus; tum membra toro defleta reponunt.* Quod si ad recitationem scriptus sit iste Florentinus codex, nemo mirabitur illic scribi potuisse *præpositam*, pro *repositam*. Etsi alio sensu id ipsum participium occurrat cap. 14. *Jac. Gronovius.*

3 *Vel doloris imitamenta*] Simile in Claudii funere, lib. XII. *Ceterum peractis tristitiæ imitamentis.* Lipsius.

Doloris imitamenta] Vetus scriptura, *rei doloris imitamenta*, legendum est, *veri doloris imitamenta.* Muretus. Falsus Mureti libellus, dum affirmat, veterem scripturam esse, *rei doloris:* unde ipse, *veri doloris.* MS. enim nihil discrepat à vulgatis. *Pichena.* Non recte acceperunt, tamquam in eadem classe cum lacrimis, laudationibus aliis, quæ præmittuntur, ut serio præstari solita censerentur: & hæc veteribus potius quam ipsi Tiberio, ad quem & matrem Liviam unice respiciunt, attribuerentur. Sensus & ordo verborum Taciti talis est: *ubi illa veterum instituta*, subaudi mansisse, aut quid simile: dein exsequitur quænam dicat, *præpositam toro effigiem* &c. *lachrymas*, & hic quidem finiunt instituta veterum, quæ hic recensere voluerat: itaque non conjungentem particulam, sed disparantem subnectit, *vel doloris imitamenta.* Ubi manserunt instituta veterum, aut saltem (si illa serio non potuerunt exprimi) imitamenta doloris. *Freinshemius.*

4 *Gnarum id Tiberio fuit*] Dele verbum *fuit.* Sic lib. I. *gnarum id Cæsari.* Muretus.

5 *Monuit edicto*] Ita motis ætate illa, ut Princeps populum peccantem aut exorbitantem alloqueretur per libellum, coërceretque. Eo respicit metaphora scita Senecæ, epist. XCV. *Præcepta sapientiæ, quæ affectus nostros velut edicto coërcent & obligant.* & cave quidquam ibi mutes. *Lipsius.*

Monuit edicto] Edictis non tantum jubebant aliquid fieri, aut vetabant ne fieret, sed monebant populum, increpabant, docebant. Horat.

Si quis nunc mergos suaves edixerit assos,

Parebit

nem tam flagranti desiderio celebratum. [1] *idque & sibi, & cunctis egregium, si modus adjiceretur.* [2] *non enim eadem decora principibus viris,* [3] *& imperatori populo, quæ modicis domibus, aut civitatibus.* [4] *convenisse recenti dolore luctum, &* [5] *ex mœrore solatia:*

Parebit pravi docilis Romana juventus.

Sic Augustus totos libros veterum interdum per edictum notos populo fecit. Sic Caligula populum objurgavit edicto, quod hilariter viveret. Sic Claudius, aliquando edixit, ut dolia bene picarentur, uberem enim vinearum proventum fore. & eodem die, nihil æque facere ad viperæ morsum, quam taxi arboris succum. Et meditatus edictum dicitur, quo veniam daret efflatum, crepitumque ventris, in convivio emittendi. Sic edicto excusavit iram & iracundiam suam, pollicitus alteram brevem & innoxiam, alteram non injustam fore. *Muretus.*

1 *Idque & sibi & cunctis*] An non magis, *& functis?* in vulgata mihi frigus. *Lipsius.*

Cunctis] Mihi multo majus frigus in τῷ *functis.* Quid enim? an *functis* vel mortuis egregium erat, quod nemo eorum tam flagranti desiderio celebratus esset? Immo & sibi, inquit, honestum decensque esse & omnibus, qui sic Germanicum desiderarunt. Maluit autem dicere *cunctis*, quam *populo Romano*, quia mox voce *populi* usurus erat. Nam gravi luctu & sibi honorem habitum significat, cui proximus erat Germanicus & ipsos lugentes laudem mereri, quod sic testarentur, quanti virtutes ejus facerent. *Gronovius.*

2 *Non enim eadem decora*] Sententia commoda. non eadem decere Principes viros primoresque in republica, & ipsum Imperatorem; eadem inquam, quæ populum. Huic luctum permitti, at non illis. Plane hoc ipsis Tiberii verbis quasi expressum voluit Pedo, illius ævi poëta:

Non eadem vulgusque decent, & culmina rerum.

Ennius poëta, apud D. Hieronymum:

Plebs hocce regi antistat; in loco licet
Lacrimare plebi, regi honeste non licet.

Similia Euripides in Iphigenia, ubi Agamemnon profatur:

Ἡ δυσγένεια δ' ὡς ἔχει τι χρήσιμον;
Καὶ γὰρ δακρῦσαι ῥᾳδίως αὐτοῖς ἔχει
Ἄθλια τ' εἰπεῖν. Τῷ δὲ γενναίῳ φύσιν
Ἄναντα ταῦτα. Τῷ τ' ὄχλῳ δουλεύομεν.
Ἐγὼ γὰρ ἐκβαλεῖν μὲν αἰδοῦμαι δάκρυ.
Plebeja fors quam præstat alibi nobili?
Collacrimare namque iis facile licet,
Et misera fari verba. Contra, nobili
Haud facilia ista. namque plebi nos damus,
Ideoque lacrimare vereor & pudet.

At vero in Taciti verbis, legebam olim: *Non enim decora eadem Principibus viris & imperatori populo. Modicis domibus*, &c. Populus imperator & princeps, Romani sunt: ideoque contra, de *modicis civitatibus* mox sequitur. Probat Pichena, sed hoc amplius vellet: *Populo, quæ mod. d. a. civitatibus, Convenisse*, &c. *Lipsius.*

3 *Et imperatori populoque. Modicis*] Exigua in speciem depravatio scripturæ tantas tenebras offudit huic loco, ut sententia nullo modo perspici queat. Legendum autem hoc modo: *Non enim eadem decora principibus viris, & imperatori populo, quæ modicis domibus, aut civitatibus.* Comparat *principes viros* cum *modicis domibus*, negatque utrisque eadem decora esse. Modicas enim domos infractio quædam & mollities animi non ita dedecet, quæ principibus viris summe indecora est. Comparat *populum imperatorem*, id est, populum Romanum cum *civitatibus*, id est, cum municipiis & aliis tenuioribus oppidis: & ait populum Romanum animo erectiori & fortiori esse debere. Est enim eadem ratio principum virorum ad modicas domus, quæ populi Romani ad civitates: quæ ut etiam in jure proditum est, privatorum loco habentur. *Imperatorem populum* ita dicit populum Rom. Ut Virg. *Romanos rerum dominos.* & ut Claudianus, *dominam plebem.* Muretus. Omnino videtur addendum, *quæ*, quod omissum videri potest à librario, ob alterum, *que*, præcedens. Itaque legendum: *Et imperatori, populoque quæ modicis*, &c. *Ursinus.* Jungenda illa *imperatori populo*, & relativum *quæ* non inserendum retenta copula *que*, sed ex hac ipsa faciendum alterum *quæ*: & totus locus certissima correctione ita scribendus, ita interpungendus: *Et imperatori populo, quæ modicis domibus* &c. Opponit principes viros modicis domibus, imperatorem populum modicis civitatibus. Hoc qui non probabit, ille vero vere Morychus. Imperator populus dicitur, ut Virgilio, *Romanos. r. d.* & Sueton. Cal. 35. *Dominum gentium populum.* Acidalius. Livius lib. 1, 34. & 42. populum Romanum appellat, *principem orbis terrarum populum.* Cic. pro domo sua: *dominum regum, victorem atque imperatorem omnium gentium.* Virg. 1. Æn. *populum late regem.* Post hæc cum Manuscriptum contulissem, eandem penitus in eo correctionem ac distinctionem inveni. *Pichena. Imperator populus* appellatur Romanus, ut apud Florum, *gentium victor, orbisque possessor, princeps, princeps gentium, regum & gentium arbiter.* Arellio Fusco apud Senec. controv. 2, 9. *Victor omnium gentium populus.* Freinshemius.

4 *Convenisse recenti dolore luctum*] An vero tanti est hæc lectio, ut præferri debeat alteri, quam & Beroaldus probe dedit, & in unico MS. servata exstat *doloris?* Hanc vides sic ab omnibus opprimi, ut nec novisse velint, quum utique excellenter usurpetur. Mox per eosdem exhibetur *Megalesium*, non *Megalensium*. Jac. Gronovius.

5 *Ex mœrore solatia*] Ut ait Ovidius: *Expletur lacrimis, egeriturque dolor.* Muretus.

latia: sed referendum jam animum ad firmitudinem, ut quondam [1] *divus Julius amissa unica filia, ut divus Augustus ereptis nepotibus,* [2] *abstruserint tristitiam. Nil opus vetustioribus exemplis, quotiens populus Romanus* [3] *clades exercituum,* [4] *interitum ducum,* [5] *funditus amissas nobiles familias constanter tulerit.* [6] *principes mortales, rempublicam æternam esse. proin* [7] *repeterent solennia*; & quia ludorum [8] Megalensium spectaculum

7 suberat, *etiam voluptates resumerent.* Tum exuto justitio, [9] reditum ad munia; & Drusus [10] Illyricos ad exercitus profectus est, erectis omnium animis [11] petendæ è Pisone ultionis; & crebro questu, *quod vagus interim per amœna Asiæ atque Achaje,* [12] *adroganti & subdola mora scelerum probationes subverteret.* Nam vulgatum erat *missam*, ut dixi, *à Cn. Sentio famosam* [13] *veneficiis Martinam,* [14] *subita morte Brundisii exstin-*

1 *Divus Julius*] Sen. ad Marciam: *D. Cæsar cum Britanniam peragraret, nec Oceano felicitatem suam continere posset, audivit decessisse filiam, publica secum fata ducentem* &c. *tamen intra tertium diem, imperatoria obiit munia: & tam cito dolorem vicit, quam omnia solebat.* Muretus. Sen. eodem loco. *Divus Augustus amissis liberis, nepotibus, exhausta Cæsarum turba, adoptione desertam domum fulsit. Tulit tamen fortiter, tanquam ejus jam res ageretur, cujus tum maxime intererat de Diis neminem queri.* Aurelius.

2 *Abstruserint*] Recondiderint, continuerint, devoraverint. *Muretus.* Verbum *abstruserint* mihi omnino convenire non videtur. Loquitur enim de animi infirmitudine & constantia, quæ non est, si tristitia saltem abscondatur, occultetur, sed abjiciatur. Itaque moveor, ut legendum credam, *Abstersferint.* Acidalius.

3 *Clades exercituum*] Ut ad Trebiam, ad Trasimenum lacum, ad Cannas, quo etiam tempore, cum domus prope nulla esset luctus expers, triginta diebus luctus senatusconsulto finitus est, ne sacra intermitterentur. Liv. lib. 22. *Muretus.*

4 *Interitum ducum*] Ut trium Deciorum, duorum Scipionum in Hispania, Paulli ad Cannas, Marcelli ad Venusiam, & aliorum. *Idem.*

5 *Funditus amissas nobiles*] Ut cum trecenti sex Fabii, cum quinque millibus clientium, Carmentali porta, quæ ex eo *Scelerata* dicta est, egressi omnes in bello adversus Vejentes cæsi sunt: uno tantum adhuc impubere, quasi in semen relicto. Liv. lib. 2. *Idem.*

6 *Principes mortales rempublicam æternam*] Præclare hunc locum exsequitur Scipio apud Liv. lib. 28. *Quid? si ego morerer, mecum expiratura resp. mecum casurum imperium populi Romani erat? Ne istuc Jupiter opt. max. sirit: urbem auspicato, diis auctoribus in æternum conditam, fragili huic & mortali corpori æqualem esse,* & quæ sequuntur. *Idem.*

7 *Solennia repeterent*] Sic Homerus dixit Il. 23. λαοὶ δ᾽ ἐπὶ ἔργα τράπονται. *Populi revertantur ad opera.* Et hoc funere Patrocli peracto. *Aurelius.*

8 *Megalensium spectaculum suberat*] Vides ergo multum temporis intercessisse, à die mortis Germanici. Nam mortuus ipse extremo Novembri. quod facile colligo ex Suetonii verbis scribentis: *Et ut fato functum palam factum est, non solatiis ullis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit: duravitque etiam per festos Decembris mensis dies.* id est, per Saturnalia, quæ medio Decembri. At Megalensium spectaculum, de quo nunc, incidit in Nonas Apriles. per quas, LVDI. MATRI. MAG. ut in Kalendario notatum. *Lipsius.*

9 *Reditum ad munia*] Reditum ad res, apertæ tabernæ, aperta templa, judicia exerceri cœpta. *Muretus.*

10 *Illyricos ad exercitus*] Quibus etiam præfuerat ætate superiori, ut priori libro dictum est. *Idem.*

11 *Petendæ è Pisone ultionis*] Forte legi posset, *spe petendæ* &c. *erigi spe*, nota phrasis. *Fromshemius.*

12 *Arrogianti & subdola mora*] Qui tanti facinoris reus, vix dignaretur ad se purgandum venire, & interea subverteret probationes. *Muretus.*

13 *Veneficiis Martinam*] Ut hic Martina operam Tiberio navavit in tollendo Germanico: sic Neroni in tollendo Britannico Locusta: certe veneficium videtur mulierum peculiare vitium esse. Celebres sunt venenis, ex ultima illa antiquitate, Circe, Medea, aliæque ejusmodi, & totum genus Ægyptiarum mulierum, Helena quoque ab Homero venenorum perita inducitur, neque cuiquam ignotæ sunt Theocriti & Virgilii Pharmaceutriæ. *Canidiam* autem Horatii quis ignorat? & fere ubicumque veneficiorum aut superstitionum magicarum, ibi & mulierum mentio. Unde *venefica* & *trivenefica* vulgaria in mulieres, & usitata in comœdiis convicia. Quin etiam vera causa, cur Pythias in Eunucho Terentiana Chæream *veneficum* vocet, ea est, quod jactatum inter mulieres id convicium esset: non eæ quas adfert Donatus. Unde Medea apud Euripidem universe pronunciat, mulieres, nulla magis alia in re, quam in veneficiis doctas & ingeniosas esse. Id cur ita sit, non difficile est ad explicandum. Mulieres enim, quoniam imbecilliores sunt, eo sunt vindictæ cupidiores. Ulcisci autem eos, à quibus se lædi putant, ferro ac palam, propter eandem illam naturalem imbecillitatem non queunt. Clam igitur venenis idem efficere moliuntur. *Muretus.*

14 *Subita morte*] Videri ergo poterat exanimasse se, hausto veneno, ut acerbitatem cruciatuum, quos

exſtinctam, venenumque nodo crinium ejus occultatum, nec ulla in corpore ſigna ſumpti exitii reperta. At Piſo præmiſſo in urbem filio, datiſque mandatis, per quæ principem 8
molliret; ad Druſum pergit: quem [1] haud fratris interitu trucem, quam remoto æmulo æquiorem ſibi ſperabat. Tiberius quo [2] integrum judicium oſtentaret, exceptum comiter juvenem, [3] ſueta erga filiosfamiliarum nobiles liberalitate auget. Druſus Piſoni, *ſi vera forent quæ jacerentur, præcipuum in dolore ſuum locum* reſpondit; *ſed malle falſa & inania, nec cuiquam mortem Germanici exitioſam eſſe.* [4] Hæc palam, & vitato omni ſecreto: neque dubitabantur [5] præſcripta ei à Tiberio, cum incallidus alioqui & facilis juventa, ſenilibus tum artibus uteretur. Piſo Dalmatico mari tra- 9
miſſo, relictiſque apud Anconam navibus, per Picenum, ac mox Flaminiam viam, adſequitur legionem, quæ è Pannonia in urbem, dein præſidio Africæ ducebatur. eaque res agitata rumoribus, *ut in agmine atque itinere crebro ſe militibus* [6] *oſtentaviſſet.* ab Narnia [7] vitandæ ſuſpicionis, an quia pavidis conſilia in incerto ſunt, Nare, ac mox Tiberi devectus, auxit vulgi iras, quia [8] navem tumulo Cæſarum adpulerat; [1] dieque,

quos ſibi imminere intelligebat, effugeret. Sed cum in corpore nulla ſigna ſumpti exitii exſtarent, non immerito homines ſuſpicari poterant, eam potius opera Piſonis exſtinctam, metuentis, ne tormentorum vi coacta, rem totam detegeret, aperteque fateretur à Piſone & Plancina ſibi id mandatum fuiſſe, quod etiam Tiberii & Auguſtæ voluntate fieri dicerent. *Idem.*

1 *Haud fratris*] Id eſt, non tam fratris interitu trucem. Sic Plautus Rud. *Non ædepol piſces expeto, quam tui ſermonis ſum indigens.* Sic Ulpianus in L. *pro herede* D. de acquirenda hereditate, *Pro herede autem gerere, non eſſe facti quam animi.* Scævola in l. *His verbis*, de legatis 3. *Et chirographis exactis, quam pecunia erogata, reverſus in patriam.* Multos alios ſimiles locos collegit ſummus vir Antonius Auguſtinus lib. 4. l. 8 emendationum. *Idem.*

2 *Integrum judicium*] Non corruptum, non vitiatum, neque ira, neque miſericordia, neque odio adverſus eos qui accuſarentur, neque charitate in ſuos. *Idem.*

3 *Sueta erga fil.*] Mos igitur fuit, Principem donare aliquid filiis Præſidum, qui è provinciis redirent, atque ipſum adirent. Exempla velim notari. *Lipſius.*

Erga filiosfamiliarium] Lege, *Filiosfamiliarum*, una voce. Ita loqui in uſu veteribus, ut patremfamilias, *patresfamiliarum*; filiumfamilias, *filiosfamiliarum* dicerent. Notat id Varro eſſe à Siſenna, VII de Ling. Lat. Et deinceps uſi multi. Infra libro XI. *ne in mortem parentum filiisfamiliarum fenori pecunias darent.* Suet. Cal. 26. *Patresfamiliarum notos.* & Veſp. XI. *filiorumfamiliarum.* ita enim legi in V. C. peroptimo, quo uſi Ranconetus, Turnebus, Cujacius. Vulgo, *filiofamilias.* Mercerus. Mutavi ſuadente Mercero, immo Tacito ipſo: qui lib. I. dixit: *nunquamne ad ſe, niſi filiosfamiliarum venturos.* Pichena. Certe *filiosfamiliarum* exſtat perſpicue ſcriptum in codice antiquo: quod cur non indicat?

4 *Hæc palam*] Tum ad vitandam omnem ſuſpicionem conſcientiæ, tum quia malebat ullam poteſtatem Piſoni facere, illas ſceleratas machinationes apud ſe detegendi. *Muretus.* Hanc cauſam reddi video, quod operam dare voluerit Druſus, ne ſecretis ſermonibus cum Piſone ſuſpectum ſe cuiquam redderet. Ego vero aliter hæc acceperim: ideo, nimirum, callido monitu Tiberii, palam, præſentibuſque aliis, hos cum Piſone commutaſſe ſermones Druſum, atque imprimis dixiſſe, *ſi vera forent, quæ jacerentur, præcipuum in dolore ſuum locum:* ut quanto luctui Tiberianæ domui mors Germanici eſſet, ſic palam intelligeretur. Hoc enim maxime volebat Tiberius, ob alia omnia in vulgus ſuſpectus. *Boxhornius.*

5 *Præſcripta & à Tiberio*] Melius, *præſcripta ei.* Lipſius.

Præſcripta &] Lego *ei.* & paulo poſt *tamen*, pro, *tum.* Muretus.

6 *Oſtentaviſſet*] Quaſi qui malis artibus hoc conſecutus eſſet, ut parens legionum diceretur. Videtur ergo eis ſe venditare, ac ſalutem ſuam commendare, ſi quod periculum ingrueret. *Idem.*

7 *Vitandæ ſuſpicionis*] Ne videretur militum opera ac ſtudio velle aliquid turbare, ac νεωτερίζειν. Subaudiendum autem ἕνεκα Græco more, apud optimos quoſque ſcriptores ſatis frequenti. Sic lib. 2. *Ægyptum proficiſcitur cognoſcendæ antiquitatis.* Et hoc ipſo in libro, *multa populus paravit tuendæ libertatis.* Muretus. Fortaſſe Tacito magis proprium, *vitandæ ſuſpicioni.* infra eod. lib. *Tiberius, quaſi firmandæ valetudini, in Campaniam conceſſit.* lib. 12. *Contrahendæ rurſus multitudini, gladiatorum ſpectaculum editur.* Hiſt. lib. 3. *Is balneas, abluendo cruori, propere petit.* Nihil tamen mutato, nam lib. 14. *Et cetera oſtentandæ pietatis.* Pichena.

8 *Navem tumulo Cæſarum*] Ad eam partem campi Martii, ubi erat Mauſoleum Auguſti, nunc domus Soderinorum. Videbatur autem quodammodo inſultare Germanico, cujus cineres illic conditi erant.

[1] dieque, & ripa frequenti, [2] magno clientium agmine ipse, feminarum comitatu Plancina, & vultu [3] alacres incessere. Fuit inter irritamenta invidiæ domus foro imminens, [4] festo ornatu, conviviumque, & epulæ, & celebritate loci nihil occultum. Postera die Fulcinius Trio Pisonem apud consules postulavit. [5] contra Vitellius ac Veranius ceterique Germanicum comitati tendebant, *nullas [6] esse partes Trioni, neque se accusatores, sed rerum [7] indices & testes, mandata Germanici perlaturos.* Ille dimissa ejus caussæ delatione, [8] *ut priorem vitam accusaret* obtinuit: petitumque est à principe,

erant. *Muretus.*

1 *Dieque & ripa frequenti*] Cum vitare potius conspectum populi deberet, cui se invisum sentiebat. *Idem.*

2 *Magno clientium agm.*] Quæ omnia adrogantiam & ostentationem potentiæ habebant. *Idem.*

3 *Alacres*] Cum tristes potius ac demissi esse deberent in tanto populi luctu; tantaque invidia sua. Verbum quoque *incessere* habet interdum quandam & fastus, & deliciarum significationem. Virg. *Ast ego, quæ divum incedo regina.* Et alibi: *Et vera incessu patuit Dea.* Sen. ad finem libri 7. Q. Nat. *Tenero & molli ingressu suspendimus gradum. non ambulamus, sed incedimus.* Claudian. de Gildone: *His fretus sociis ipso jam principe major Incedit.* Muretus.

4 *Festo ornatu*] Ob lætitiam domini redeuntis. Ornatum festum intellegit laurum & lucernas. Juvenalis:

Ornentur postes, & grandi janua lauro.

De lucernis vide quæ notavi in Electis, cap. III. & adde egregium Ariani locum in Sermonibus Epicteti, libro I. cap. XIX. Ἠξίωται δημαρχίας. πάντες οἱ ἀπαντῶντες συνήδονται, ἄλλος τοὺς ὀφθαλμοὺς καταφιλεῖ, ἄλλος τὸν τράχηλον, οἱ δοῦλοι τὰς χεῖρας. Ἔρχεται εἰς οἶκον, εὑρίσκει λύχνους ἁπτομένους. ἀναβαίνει εἰς τὸ Καπετώλιον, ἐπιθύει. Id est: *Tribunatum aliquis adeptus est. omnes obvii gratulantur, alius oculos, alius collum osculatur, servi manus. Domum venit, invenit collucentes lucernas. in Capitolium ascendit, sacrificat.* Idem libro II. Τίνος, ὦ εὐήθης, ἅψω λύχνους, ταῦτ᾽ ἐστὶ τὰ τοῦ φιλοστόργου. Μέγα σοι ἀγαθὸν ἔσεσθαι δοκεῖ, τούτῳ καὶ λύχνον ἅπτειν ἄξιον. Nec lucernas solum in diebus ejusmodi festis, sed etiam funalia cereosque accendebant. Panegyristes Laudatione Theodosii: *Quid portas virentibus sertis coronatas? quid aulæis tardantes plateas, accensisque funalibus auctum diem referam?* ubi ex optimo libro lego, *aulæis undantes plateas.* Lipsius.

Festa ornatu] Lege, *festo. Ornatum* autem dixit serta, coronas, lumina accensa, quæ omnia etiam hodie in usu manserunt. *Muretus.* Manuscriptus, *festa ornatu*, unde suspicor legendum, *festa, ornata.* Pichena.

5 *Contra Vitellius*] Germanici comites, qui dextram morientis contingentes, juraverant se spiritum ante quam ultionem amissuros, negabant audiendum Trionem, qui in jus vocato Pisone postulaverat, ut ordinario jure nomen ejus reciperent inter reos lege inscripti maleficii. Fuere igitur Trioni prælati, quod omissa solenni accusatione, Pisonem reum extra ordinem facerent, dicentes, *Neque se accusatores esse.* Eos enim si jam à Trione delatum denuo accusaturi deferrent, audire minime jus fuit, cujus auctor Æmilius Macer de Publicis judiciis. Ne dicam ex Lentuli sententia dicta Regulo & Trione Coss. (sic, & non *Sulla*, in Pandectis legendum) Pisonem legatum imperatoris, & præsidem Syriæ provinciæ accusari non licuisse, ut retulit Saturninus. Illum igitur non debere inter reos recipi probe dictum, cui durior pœna extra ordinem immineret, hoc Jurisprudentes suadent. D. de accusationibus. *Vertranius.* Hoc genus contentionis *divinationem* vocabant, cum quærebant, cui potissimum mandanda esset accusatio. Vide Asconium in divin. Ciceronis. *Muretus.*

Vitellius, Veranius] Sic habent editiones novissimæ, nescio quo spoliante eas vocabulo, quod & tuetur codex MS. Beroaldus, Lipsius, Pichena habent in editionibus *Vitellius ac Veranius*, quam certam Taciti manum reposui. *Jac. Gronovius.*

6 *Esse partes Trioni*] Lego, *Trionis.* Muretus.

7 *Indices & testes*] Valde interest inter utrosque. Pedianus scribit, *Indicem esse, qui facinoris, cujus ipse est, conscius, latebras indicat, impunitate proposita.* Sed *indicium* equidem arbitror ad id pertinere, quod conjectura assequimur, & suspicionibus: & quod crimen non probat, sed indicat. *Testimonium* vero dicimus de rebus visis aut auditis: ex quibus crimen non indicatur, sed probatur. Corn. infra libro 15. de Scevino & Milicho: *Quia cetera vana objecisset, adjungere crimen visum, se pariter indicem & testem facere.* Abutuntur tamen interdum scriptores. *Ferrettus.* Qui de crimine cognosci, non solemni jure, sed extra ordinem postulabant, asseruere se rerum indices & testes esse. Sed *index* est Asconio, ut dixit Ferrettus, quo sensu Tullius & Livius id nomen familiariter usurpant. Verum hoc loco non criminis participes indicare intelligendi sunt, sed qui aliter, quam ex consociatione, illud exploratum haberent. Sic licet ignoraret Cornelius Ann. 15. Milichus gnarus an nescius conjurationis foret, illum ait, *se pariter indicem ac testem facere. Judex* igitur est, qui indicat, quod sive consortio delicti sive suspicione sive alio quoque modo rescierit. Cum autem indicium tantum urgeat, & nihil probet, *testes* se comites Germanici professi sunt, qui testimonium de rebus, vel visis, vel cognitis ex auditione dicerent. *Vertranius.*

8 *Ut priorem vitam*] Cum enim quis publici alicujus

principe, [1] *cognitionem exciperet:* quod ne reus quidem abnuebat, studia populi & patrum metuens: contra *Tiberium spernendis rumoribus validum, &* [2] *conscientia matris innexum esse: veraque aut in deterius credita,* [3] *judice ab uno facilius discerni: odium & invidiam apud multos valere,* Haud fallebat Tiberium moles cognitionis, quaque ipse fama distraheretur. Igitur paucis familiarium adhibitis, minas accusantium, & hinc preces audit, integramque caussam [4] ad senatum remittit. Atque interim Drusus rediens 11
Illyrico, quamquam patres censuissent, *ob receptum Marobodunm, & res priore æstate gestas, ut, ovans iniret,* prolato honore urbem intravit. [5] Post quæ reo [6] *T. Arruntium,* [7] *T. Vinicium*

cujus criminis reus agebatur; non ea tantum, quæ ad illud crimen proprie pertinebant, in judicio exponebantur: sed & tota acta vita excutiebatur. Hinc est, quod primus liber accusationis in Verrem est de anteactis, quatuor reliqui de ipso crimine repetundarum. Id autem eo fiebat, quod prior vita magno argumento est, ad crimen aut confirmandum aut diluendum. *Muretus.*

1 *Cognitionem exciperet*] Susciperet. Bene autem, *cognitionem* cum de facto, non de jure, agatur. *Muretus.* Melius erat *acciperet* vel *susciperet.* Et forte pro illo scriptum fuit ἀρχαικῶς, *Exciperet*, quæ mendo causa. *Acidalius.* Polletus de foro Rom. 3, 2. hunc locum exscribens pro *exciperet* præfert *reciperet.* quod si à libro sit, probum esse arbitror. *Freinshemius.* Hoc quidem dilutum nimis, quum constet nullum aliud esse vetus scriptum exemplar horum librorum, quam unde sunt editi. Et nodum in scirpo quærunt. *Exciperet* est admitteret. *Gronovius.*

2 *Conscientia matris innexum*] Ipsum quoque conscium matri eorum, quæ adversus Germanicum facta essent. *Muretus.* Ut breviter absolvam, res ita habet. Fuit in hac causa Pisoni conscientia Augustæ 2, 77. ne Tiberio quidem experte, sed & ipso insidiarum in Germanicum, aut certe offensarum conscio. *Freinshemius.*

3 *Judice ab uno facilius discerni*] Non Tacitus hoc dicit, sed Piso post pessimum ministerium vanissimæ spei serviens. Verius sanctior regis præceptor 3 Pol. cap. 11. Διὰ τῦτο καὶ κρίνει ἄμεινον ὄχλος πολλὰ, ἢ εἷς ὁστισῦν. ἔτι μᾶλλον ἀδιάφθορον τὸ πολύ. καὶ καθάπερ ὕδωρ τὸ πλεῖον, ὅτω καὶ τὸ πλῆθος τῶν ὀλίγων ἀδιαφθορώτερον· τῦ δ' ἑνὸς ὑπ' ὀργῆς κρατηθέντος, ἢ τινος ἑτέρυ πάθους, τοιύτυ, ἀναγκαῖον διεφθάρθαι τὴν κρίσιν. ἐκεῖ δ' ἔργον ἅμα πάντας ὀργισθῆναι καὶ ἁμαρτεῖν, &c. *Gronovius.*

4 *Ad senatum remittit*] Hæc erat una ratio expediendi se. *Muretus.*

5 *Post quam reo*] Lege, *Post quæ*, ut paulo infra hoc ipso in libro. Sed & in veteri libro plane ita scribitur. *Muretus.* Auctore Manuscripto parva, sed congruens mutatio facta est. Sic paulo infra: *Post quæ Tiberius.* & supra lib. 1. *Post quæ L. Arruntius.* Pichena.

6 *T. Arruntium*] Nicolaus Faber, vir quem Probitas & Eruditio juxta amant. (veris, nec ambitiosis laudibus utor.) Notis ad Senecam patrem legendum censet, *Lucium*, non *Titum.* verissime. est illustris ille vir, Senator & Consularis, Augusti judicio dignus Principatu: Tacito nostro sæpe nominatus. *Lipsius.*

T. Arruntium, Fulcinium] Quatuor oratores hic nominat Tacitus: qui cum eos sibi patronos reus postulasset, alius alia excusatione usi, munus illud subterfugerunt. Sed quomodo in eis *Fulcinius* numerari potest? Hic enim & accusationes, ut ita dicam, factitabat: & quum sibi accusandi Pisonis munus ultro depoposcisset, depulsus eo conatu, ut tamen anteactam vitam accusaret, obtinuit & accusavit. Dubium igitur non est, quin hoc loco subsit aliquid mendi. Vetus liber hoc loco non *Fulcinium* habuit, sed *Fuscenium*, ex qua rectæ scripturæ depravatione veritas eruetur. Lego igitur hoc modo: *T. Arellium Fuscum, Cneium Asinium Gallum, Æserninum Marcellum, Sex. Pompejum, patronos petens.* De iis autem omnibus aliquid dicendum est. T. Arellius Fuscus pater, & ejusdem nominis filius, inter nobiles declamatores, sæpissime à Seneca in libris Controversiarum nominantur. *Cneium*, omnibus litteris plerosque veterum solitos scribere diserte testatur Victorinus: cum tamen frequentius *Cn.* duabus litteris scribatur. Est igitur *Cnejus Asinius Gallus, Cn. Asinii Pollionis filius*, qui dicebatur retinere ferociam patris, quique simulante Tiberio, nolle se summæ præesse, quæsiit ex eo, quam partem reip. sibi mandari vellet, ut lib. 1. dictum est. *Æserninus Marcellus*, est *C. Claudius Marcellus Æserninus.* cujus & ipsius aliquoties apud Senecam mentio. Vetus autem esse in Marcellorum familia *Æserninorum* cognomen, argumento est, quod Cicero libro 4. accusationis *Marcellum* quendam *Æserninum* nominat. Sed & *Eprius* quidam *Marcellus* inter disertos nominatur in libro de oratoribus, qui Tacito tribui solet. Qui tamen *Eprius* nullo modo videtur idem esse posse, cum eo, qui hic nominatur. *Sex. Pompejus* is est, qui cum Sex. Apulejo consul fuit, quo anno Augustus excessit, & puto eundem esse, qui à Seneca vocatur *Pompejus Silo.* Eum & Ovidius, ut vitæ suæ auctorem ac parentem laudat. Et Valerius Maximus omnia se illi honorum incrementa debere profitetur. *Muretus.*

7 *Fulcinium*] Quid? Fulcinium Trionem patronum petit Piso? atqui is accusationem ejus petiit, obtinuitque. & mox etiam exsequitur. Ambigo de lectio-

Vinicium, *Asinium Gallum*, [1] *Æserninum Marcellum*, [2] *Sex. Pompejum patronos* petenti, iisque diversa excusantibus, M. Lepidus, & [3] L. Piso, & [4] Livenejus Regulus adfuere, arrecta omni civitate, *quanta fides amicis Germanici*, [5] *quæ fiducia reo*, *satin' cohiberet ac* [6] *premeret sensus suos Tiberius*, *an promeret*. [7] iis haud alias intentior populus,

lectione, nisi alius aliquis Fulcinius ab isto. *Lipsius.*

Fulcinium] Tam diserte scriptum est hoc nomen, ut de eo non ambigam. Et scriptum fuit, *M. Fulcinium.* Et puto, ut accusatorem validum & eloquentem subtraheret adversariis, Pisonem hunc patronum petiisse; quippe & valebat venali eloquentia apud Senatum, & amicitia apud principem. nam quia nondum accusator, ideo nondum prævaricator. Cæterum illud *M*, in fine verbi, *Arruntium*, extat. *Aurelius.* Mireris certe ita disceptari in hoc nomine. Lipsius jure ambigebat. Hunc talem scilicet docere multa & suscire voluit bonus Aurelius, ut evincat additum fuisse prænomen, ut sic duobus quoque nominibus extollatur. Non in vanum omnia; sed præcipua ignorantia in persona. Aude, lector permittere, ut nunc primum discas in unico MS. legi *Fulnicium*, in quo agnoscis non densissima velamenta, sed ab Beroaldo ac Pichena prave spectata, quum literæ illæ jubeant corrigere *P. Vinicium*, ad quod posterius inter vagas conjecturas deferebatur & Ryckius prænomine cæce & calide arrepto. Itaque id restitui, prorsus ex ipso MS. præsertim quum ita etiam fiat probabilior ille Nic. Fabri *L. Arruntius.* Jac. Gronovius.

Marcellum] Eprium nomine: cujus celebre ingenium in foro. *Lipsius.*

1 *Æserninum Marcellum*] Sic legendum esse ostendi conjunctim, ut nempe unius hominis hoc nomen esset, non distincte ut olim, *Æserninum*, *Marcellum.* Quæ distinctio Virum Clarissimum decepit, ut crederet per Marcellum hic designari *Eprium nomine*, *cujus celebre ingenium in foro.* Sed hunc certe patronum dedignatus esset Piso *sordide natum*, ut discimus ex Dialogo de Orat. cap. 8. nam & omnes reliqui, quos hic nominat, sunt ex primoribus civitatis, sanguine Pisoni, aut amicitia juncti: igitur mox Tiberius: *si quos propinquus sanguis, aut sua fides patronos dedit.* Deinde hic Eprius sub Vespasiano, hoc est, quinquaginta plus minus annis postea claruit, ut ex auctore nostro constat. Æserninus autem hic ipse est, qui apud Suetonium in August. 43. memoratur, Asinii Pollionis nepos, frater ut videtur Asinii Marcelli; quo de sermo apud Tacitum 14, 40. Meminit ejus Seneca in præfat. epitomes lib. 4. contr. & noster *ad summa provectum* ait *incorrupta vita & facundia.* Freinshemius.

2 *Sex. Pompeium*] Est ille, qui supra cum Apulejo consul. quem Valerius Maximus amicum patronumque suum nimis plena manu laudat lib. IV. cap. VII. Vocat clarissimum ac disertissimum virum, & addit: *A quo omnium incrementa commodorum ultro oblata cepi: per quem tutior adversus casus steti: qui studia nostra ductu & auspiciis suis lucidiora & alacriora reddidit.* & satis facunde dicta, quæ sequuntur. Et lib. II. cap. I. adsignificat proconsulem eum Asiæ fuisse, comite se. vocat ibi, *virum ut omnibus virtutibus, ita humanitatis quoque laudibus instructissimum:* additque *facundissimum sermonem ore ejus, quasi è beato quodam eloquentiæ fonte manasse.* Nec dissentit Ovidius, qui vitam illi suam fortunasque non uno loco refert acceptas. ut appareat hunc Sextum amicum unice fuisse Musis illudique: & ideo a nobis fugitivam memoriam ejus non frustra retractam. *Lipsius.*

3 *L. Piso*] Rei frater. *Muretus.*

4 *Livenejus*] Puto primam litteram geminandam, ut sit: *L. Livinejus*, ita enim in veteribus nummis scribitur. *Idem.*

5 *Quæ fiducia reo*] Imitatum ex illo Virgilii, *quæ sit fiducia capto.* Idem.

6 *Premeret an promeret*] Elegantia orationi ex similitudine vocum quæsita. *Muretus.* Verba hæc, *an promeret*, non sunt à Manuscripto, in eo enim sic legitur: *satin cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius, ac premeret.* Unde suspicari possumus, perperam, & oscitanter à librario ingeminata. Lector judicet. *Pic.* Ex iis quæ prodit ex codice Mediceo Pichena, inducor fere ut credam, resectis vocibus quatuor, rescribendum tantum: *satin cohiberet sensus suos Tiberius, iis haud.* Gruterus. Voculam *iis* audacter deleo, & totum hunc locum aliter distinguo, recepta Mureti lectione *post quæ*, non *postquam.* quæ vox caussa fuit, ut τὸ *iis* inculcaretur. Ab illo enim *postquam* huc usque pendebat sententia, & ut necteretur necessarium erat hoc *iis* quasi vinculum injicere. At nunc vide, quam omnia melius fluunt; *post quæ reo &c. petenti, iisque diversa excusantibus, M. Lepidus &c. adfuere; arrecta omni civitate, quanta fides amicis Germanici, quæ fiducia reo, satin cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius, an promeret. Haud alias intentior populus plus sibi in principem occulta vocis, aut suspicacis silentii permisit.* Sciens struendæ orationis lector judicabit, & scio probabit. Alium nec probare curo, nec volo judicare. *Acidalius.*

7 *Iis haud alias intentior populus*] Vera & genuina Manuscripti verba: *Is haud alias intentior: populus plus sibi &c.* Quæ, ut alia multa corrupta fuerant, frigido quidem ac persimplici sensu. at contra, optimus est atque efficax in lectione prisca. Duo enim ostendit: Tiberii scilicet in eo negotio intentissimum animum, ac populi majorem licentiam. *Pichena.* Ex Sallustiana oratione, qui in Jugurthino.

lus, plus ſibi in principem occultæ vocis, aut ſuſpicacis ſilentii permiſit. Die ſena- 12
tus Cæſar orationem habuit meditato temperamento: [1] *Patris ſui legatum atque amicum Piſonem fuiſſe,* [2] *adjutoremque Germanico datum à ſe, auctore ſenatu, rebus apud Orientem adminiſtrandis. illic contumacia & certaminibus aſperaſſet juvenem, exituque ejus lætatus eſſet; an ſcelere exſtinxiſſet, integris animis dijudicandum. Nam ſi legatus officii terminos, obſequium erga imperatorem exuit, ejuſdemque morte, & luctu meo lætatus eſt;* [3] *odero, ſeponamque à domo mea, &* [4] *privatas inimicitias* [5] *non Principis ulciſcar: Sin facinus in cujuſcunque mortalium nece vindicandum detegitur; vos vero & liberos Germanici, & nos parentes juſtis ſolatiis adficite. ſimulque illud reputate, turbide & ſeditioſe tractaverit exercitus Piſo; quæſita ſint per ambitionem ſtudia militum; armis repetita provincia; an falſa hæc in majus vulgaverint accuſatores. quorum ego nimiis ſtudiis jure ſuccenſeo. Nam quo pertinuit nudare corpus, & contrectandum vulgi oculis permittere, differrique*

gurthino. *Incredibile memoratu quantum plebs intenta fuerit.* Aurelius. *Tù ac premeres* in unico libro poſteriori loco meram eſſe delirationem librarii, Pichenæ ſubſcribo: neque aut inde faciendum *aut promeret*, aut tam pueriliſ atque ὀχληρώδης, ut Lucilius recte judicat, luſus lenocinio τὸ σεμνὸν ſuum condonaſſe Tacitum cenſeo. *Satin* dixit, non *Utrum*, ut alteram quoque dubitationis partem neceſſe fuerit adſcribi. Quæ præterea hic vel ipſe Pichena vel Gruterus vel Acidalius moliuntur, ea me non afficiunt. Nam de Tiberio, quod ſignificat toties, quid opus nunc repeti? Dein illa *populus plus ſibi permiſit*, curta & manca oratio eſt, niſi populus idem *haud alias intentior* accipitur. Accedit, quod, cum tria poſuerit, quæ tum occupabant cogitationes hominum & ſuſpenſas habebant, parum commode, duobus tranſmiſſis, de tertio aliquid interjicitur, quod nemo ignorabat. Quin, ſi verum volumus, omnis hæc periodos nihil aliud eſt quam repetitio & explicatio τῶν *arrecta omni civitate*, quæ præcidi oportuerat mentione facta rerum, quæ cunctos etiam quietos ſollicitarent. Quaſi eſſet: His, inquam, arrecta omnis civitas, his intentus populus magis quam unquam alias, plus etiam ſibi juris fecit aut in aurem loquendi de principe aut in ſermonibus repente vel obſtinate tacendi neque exſpectato ſono ora ſolvendi. Eſt enim, ubi & ſilentium ſit genus libertatis. Docent apud noſtrum Pætus Thraſea Helvidiuſque Priſcus ejus gener. *Gronovius.*

1 *Patris ſui legatum*] In Hiſpania, ut apparet ex ſequentibus. *Lipſius.*

2 *Adjutorem*] Plus hoc eſt quam legatum, nedum quod nonnulli aſſeſſorem. Sic 4, 7. Druſus invidioſe queritur, apud patrem ſuum *incolumi filio adjutorem imperii alium vocari.* Quamquam *adſeſſores etiam συμπρόους* vocatos reperiam, in Gloſſis, & apud Ulpian qui hæc Demoſthenis in Midiam: Παρεδρεύοντος ἄρχοντι τῷ υἱῷ, exponit, Συμπονοῦντος καὶ συμπαρόντος τῷ παιδί. Sed apud Romanos nullam ferme fuiſſe auctoritatem uſumve adſeſſorum, niſi ut jus ſuggererent, ſatis novimus. Piſo autem Germanico ad res gerendas datus erat *adjutor*: ut quidem Tiberius videri voluit. *Freinshemius.* Juſtinus 13. cum quæ Eumeni eſſent attributæ provinciæ, dixiſſet: *adjutores ei dantur cum exercitibus frater Perdiccæ Alcetas* &c. Livius lib. 6. *Volſcum bellum M. Furio extra ordinem decretum. Adjutor ex tribunis forte L. Furius datus, non tam è republ. quam ut collegæ materia ad omnem laudem eſſet.* Suetonius Tiberio cap. 63. *per legatos & adjutores ſuos.* Gronovius.

3 *Odero ſeponamque à domo mea*] Amicitiam ei, more majorum, renunciabo. *Muretus.*

4 *Privatas inimicitias novi principis ulciſcar*] Dixit Tiberius Cæſar, ſi Cn. Piſo morte Germanici filii mei, luctuque meo lætatus eſt, ulciſcar inimicitias, quas in me ut privatum exercuit. Itaque de privatis inimicitiis Germanici mentio nulla penitus hic eſt, quo minus ad eum *novi principis* appellatio referenda videtur: ſed neque Tiberio convenit, utpote qui jam ſexennio imperaſſet. Qua de re, cum Romæ nos Antonius Vacca amicus meus ſummus lauto prandio accepiſſet, me, & clariſſimum virum P. Fabrum, Gabrielemque Faernum familiarem Pii IV. Pontificis maximi, in ſermonibus, qui poſt epulas haberi ſolent, Faernus, cui tum omnes aſſenſimus, legendum hoc loco cenſuit, *privatas inimicitias, non principis ulciſcar:* quaſi diceret Tiberius, ſe non ut principem lege Julia majeſtatis in Piſonem acturum, ſed uti privatum inimicitias ulturum. *Vertranius.* Antonius Auguſtinus, *non ut Princeps* &c. quæ lectio non diſplicet. *Urſinus.* Legendum *non vi principis.* Sic libro 5. *Paratos ad ultionem vi principis impediri.* Muretus. Eadem Mercerus. *Non vi principis* ſum ſecutus. Eundem ferme ſenſum his verbis complexus eſt Livius 39, 5. negans *ſuas* (privatas) *ſimultates pro magiſtratu exercere boni exempli eſſe.* Sed altera lectio *non principis*, abſurdum ſenſum inducit: tamquam privatas quidem offenſas ulciſci fas eſſet, principis, non eſſet: quum e contrario vere dictum ſit (licet ad adulationem ibi detortum) 3, 70. *ſane lentus in ſuo ſplendore eſſet princeps; Reip. injurias ne largiretur.* Freinshemius.

5 *Non Principis ulciſcar*] Ita emendavimus. tamen

differrique etiam per externos, tanquam veneno interceptus esset, si incerta adhuc ista & scrutanda sunt? Defleo equidem filium meum, semperque deflebo: sed neque reum prohibeo, quo minus cuncta proferat, quibus innocentia ejus sublevari, aut si qua fuit iniquitas Germanici, coargui possit: vosque oro, ne, quia dolori meo caussa connexa est, objecta crimina pro adprobatis accipiatis. Si quos propinquus sanguis, aut [1] *fides sua patronos dedit, quantum quisque eloquentia & cura valet, juvate periclitantem: ad eundem laborem, eandem constantiam accusatores hortor. Id solum Germanico super leges praestiterimus, quod in curia potius quam in foro, apud senatum quam apud judices, de morte ejus anquiritur. cetera pari modestia tractentur. nemo Drusi lacrymas, nemo maestitiam meam spectet, nec*

13 *si qua in nos* [2] *adversa finguntur.* [3] Exin *biduum criminibus objiciendis* statuitur, *utque sex dierum spatio interjecto, reus per triduum defenderetur.* Tum Fulcinius vetera & inania orditur; *ambitiose, avareque habitam Hispaniam.* quod neque convictum noxae reo, si recentia purgaret; neque defensum absolutioni erat, si teneretur majoribus flagitiis. Post quem [4] Servaeus, & Veranius, & Vitellius consimili studio, sed multa eloquentia Vitellius, objecere; *odio Germanici, & rerum novarum studio, Pisonem vulgus militum* [5] *per licentiam & sociorum injurias eo usque corrupisse, ut* parens legionum *à deterrimis appellaretur: contra, in optimum quemque, maxime in comites & amicos Germanici, saevisse: postremo ipsum devotionibus & veneno peremisse: sacra hinc &* [6] *immolationes*

men cum vetus lectio sit, *novi Principis:* aptius, ut nunc censeo, ex ea feceris, *non ut Princeps:* sive mavis, *non vi Principis.* Non utar potestate, quam Princeps habet: sed noxas mihi illatas, ut privatas ulciscar. *Lipsius.*

1 *Fides patronos dedit*] Quidam *datos* interpretantur: quomodo videlicet iis, qui per adversarii potentiam advocatos non reperiunt, dari solent. l. 9. §. 5. de offic. procos. At si sic dati essent, propinquitas sanguinis, aut fides frustra in illis commendaretur. *Freinshemius.*

2 *Adversa finguntur*] Vereor nt integra haec Tiberii oratio. Nam post haec ultima nescio quid aures meae suspensae adhuc ulterius exspectant. Equidem si constructionem spectas, & sensum aspicis, non inspicis; nihil desiderabis: desiderabis, si acutius imeris. Et facile conjectare est quid adnexum fuerit, ex sententia priorum. *Acidalius.* Nihil me movet Acidalii suspicio. Sed quia Tacito fere *adversa* sunt, quae *secundis* opponuntur, hic eum scripsisse censeo, *diversa.* Ea enim & ipse & optimi quique saepe accipiunt pro istis, quae aliter *contraria* dicimus. Vide indicem. Justinus lib. 3. *oraculi diversa sententia fuerat.* Suetonius Julio 1. *diversarum partium habebatur.* Nemo, inquit, Drusi lacrimas, meam maestitiam spectet, ne incitetur illis ad condemnandum innoxium: nemo, quae in contrarium de nobis falso sparguntur, ne fontem eo facilius absolvat. *Gronovius.*

3 *Exin biduum*] Semper plus temporis, reo quam accusatori tribui solebat, nec immerito. Longiori tempore opus est ad sananda vulnera, quam ad infligenda. *Muretus.* Tempus accusatori & reo causam agendi non semper idem antiquitus statutum observamus, praesertim apud Asconium *in Orat.* Cic. Scribitqne Plinius lib. 4. Epist. 9. ad Ursum, in foro coram judicibus lege cautum fuisse, *ut sex hora accusatori, novem vero darentur reo orandi, uno scilicet & altero die.* At Cn. Pompejus tempus hoc magis etiam restrinxit, scribente Pediano in Cic. Orat. pro Milone: *Pompejus legem promulgavit, qua prius testes dati per triduum, dein uno die atque eodem, & ab accusatore & à reo perorari jubebat.* Ego puto id judicis arbitrarium fuisse, pro personarum & criminum qualitate. Sic apud Jurisconsultos legimus, quale quantumque tempus sit, judicis arbitrio relinqui definiendum, *l. ab hostibus, §. final. ex quibus caussis major.* Id autem ex hoc Taciti loco elici potest, siquidem Tiberius habita ratione personarum Germanici scilicet, de cujus nece ambigebatur, & Pisonis, qui reus agebatur, nec non criminis de veneno objecti; certum accusatoribus & reo objiciendorum & diluendorum criminum sex dierum tempus constituit. alioquin id minime facturus, si à lege certum & ordinarium tempus statutum fuisset. *Donatus.*

4 *Servaeus*] De hoc ipso Tacitus lib. VI. *Quintus Servaeus post hac, & Minutius Thermus inducti. Servaeus praetura functus & quondam Germanici comes.* Lipsius.

5 *Per sociorum injurias*] Nonnulli contemptum explicant. Ast quid per *injurias* hic intelligi velit, explicat ipse 2, 55. *Licentiam in urbibus, vagum ac lascivientem per agros militem,* &, 3, 14. *Provinciam pessimo cuique obnoxiam.* Ita supra 2, 69. *Contumeliam* quoque de verbis tantum male interpretabantur. *Freinshemius.*

6 *Immolationes nefandas*] Accipiunt de sacris magicis. At mihi dubium non est sacra respici, de quibus 2, 75. *cadit victimas,* quas *immolationes nefarias*

molationes nefandas ipsius atque Plancinæ: petitam armis rempublicam, utque reus agi posset, acie victum. Defensio in ceteris trepidavit. nam neque ambitionem militarem, 14
neque provinciam [1] pessimo cuique obnoxiam, ne contumelias quidem [2] adversum imperatorem infitiari poterat: solum veneni crimen visus est diluisse. quod ne accusatores quidem satis firmabant, *in convivio Germanici*, [3] *cum super eum Piso discumberet, infectos manibus ejus* [4] *cibos* arguentes. quippe absurdum videbatur, inter aliena servitia, & [5] tot adstantium visu, ipso Germanico coram id ausum. offerebatque familiam reus, & [6] ministros in tormenta flagitabat. Sed judices per diversa implacabiles erant: Cæsar ob bellum provinciæ inlatum; Senatus, nunquam satis credito, sine fraude Germanicum interiisse. [7] * *scripsissent* expostulantes: quod haud minus Tiberius

rias accusatores appellant, quia in luctu publico; & ob eum factæ. Quomodo *nefariam vocem* Lutorii vocat Lepidus, 3, 50. *Freinshemius.*

1 *Pessimo cuique*] Sic jam mature suppleverunt, forsan ex vicino capite 17. ubi dicitur *optimi cujusque.* Attamen scias oportet legi tantum in membrana unica *pessimo cui*, quas literas ita produxerunt ex infinitis quidem exemplis; quum tamen bene constet eas aliis quoque modis suppleri posse. Id intererat publice nosci. *Jac. Gronovius.*

2 *Adversum imperatorem*] *Imperator* hic, non princeps Tiberius, sed exercitus dux Germanicus. Sic paulo supra: *Nam si legatus officii terminos, obsequium erga imperatorem exuit.* Respondent enim sibi invicem, *Legatus* & *Imperator.* Pichena.

3 *Cum super eum Piso*] Interior ergo discubuit Germanicus, ut dignissimus. de quo ordine sedendi non omnia mihi dicta in Convivio: dicam alibi: plene & apertis tibiis. *Lipsius.*

Cum super eum] Discumbebat videlicet Germanicus in imo loco medii lecti, qui locus erat Romanis honoratissimus, & consularis. vide Plutarchum problem. 3. lib. 1. Symposiacon. *Muretus.*

4 *Cibos arguentes*] Statim subjicio: *Quod haud minus Tiberius, quam Piso abnuere:* quæ verba paulo post non suo loco posita sunt. *Idem.*

5 *Tot adstantium visu*] Legendum videtur, *visus.* Lib. 11. *augebat intuentium visus eximia ipsius species:* tamen utcumque ferri potest, *visu*, id est, in oculis tot adstantium. *Pichena.*

6 *Ministros in tormenta*] Cum familiam suam offerret Piso ad tormenta, flagitabat etiam ad idem eos, qui Germanico in eo convivio ministrarunt. Ita enim capio ministros hic. Tacit. lib. seq. *quod is Lygdus ætate atque forma carus domino, interque primos ministros erat.* paulo post: *quin potius ministros veneni excruciaret.* inferius: *ejus os lapsis repente saxis, obruit quosdam ministros.* Pichena. *Ministros* intelligit servos, per quos ut alia, sic mensæ etiam ministeria tum obibantur. Hoc sensu proprie, *ministri* 4, 10. eoque hoc etiam loco proxime præcessit de *familia*, hoc est, servis: sequiturque *in tormenta flagitabat*, quod in liberis capitibus quomodo ei licuisset? *Freinshemius.*

7 *Scripsissent expostulantes*] Alieno loco hæc inserta. Mihi sententia præclare reddi videtur, si iis amotis legas: *Senatus, numquam satis credito sine fraude Germanicum interiisse: simul populi ante Curiam voces audiebantur.* Quo tamen illa quæ superant remittenda sint, mihi non liquet. *Lipsius.*

Scripsissent expostulantes] Sensus est, objectum à Senatu Pisoni, quod ipsi nempe Germanicus & Piso per literas expostulavissent de veneno præbito aut non præbito. *Rhenanus.* Lacunam hic esse necesse est: desunt enim quædam, quæ suspicione & conjectura restitui possent. Sed sine emendatioris ope codicis temerarium esset. *Ferretus.* *Scripsissent expostulantes*, delenda. *Muretus.* Locum esse mutilum indicant verba, quæ Faërnus addebat ex manuscripto libro. Sunt autem hæc, quæ nihilominus non implent: *Scripsissent: instabant accusatores statim scribi sententias expostulantes*, &c. *Ursinus.* Luxata esse judicaverunt viri magni in his literis. Mihi levi mutatione rescribendum videtur: *submisse expostulantes; quod haud minus Tiberius quam Piso abnueret.* Persuasum erat & vulgo & Senatui, fraude periisse Germanicum: id Tiberius semper agnoscere se diffitetur, & hoc crimen longe à Pisone rejicit; mavultque hærere eum in majestatis crimine quam in veneficio. Id patres indignari, quod præcipuum crimen rei non minus princeps quam ipse Piso abnueret. Sed hoc submisse & secreto murmure. Nihil certius. Paulo post de Plancina; *in quam optimi cujusque secreti questus magis ardescebant.* Et paulo inferius hoc ipso libro: *Exin promptum quod multorum intimis questibus tegebatur.* Mercerus. Corruptissimus locus, & plurimis eruditorum conjecturis vexatus. Harum enim, non juvantibus MSS hic tantum usus est. Videantur autem illæ apud suos auctores. Plerique de literis vel à Pisone ad Germanicum, vel à Germanico ad Pisonem, vel ad hunc à Tiberio, aut ab amicis Pisonis scriptis agi existimant, easque à Patribus expostulari, ut ex iis convinci posset Piso. Quod sane mihi non probatur. Quis enim credat, vel scelus in Germanicum cogitatum amicis, quorum nullus hic usus erat, Pisonem per literas aperuisse; vel præsente Tiberio, hujus hac de re scripta mandata Senatores expostulasse? Pisonis, si quæ fuerint, ad Germanicum epistolæ; non tam à Pisone peti,

Tiberius quam Piso abnuere. Simul populi ante curiam voces audiebantur; *non temperaturos manibus, si patrum sententias evasisset.* [1] effigiesque Pisonis traxerant in Gemonias, ac [2] divellebant, ni jussu principis protectæ repositæque forent. Igitur inditus lecticæ, & à tribuno prætoriæ cohortis deductus est: vario rumore, custos salutis, an [3] mortis exactor sequeretur. Eadem Plancinæ invidia, major gratia: eoque ambiguum habebatur, quantum Cæsari in eam liceret. atque ipsa, donec mediæ Pisoni spes, *sociam se cujuscumque fortunæ, & si ita ferret, comitem exitii* promittebat. Ut secretis Augustæ precibus veniam obtinuit, paulatim segregari à marito, dividere defensionem cœpit. quod reus [4] postquam sibi exitiabile intelligit, [5] an adhuc experiretur dubitans, hortantibus filiis durat mentem, senatumque rursum ingreditur: redintegratamque accusationem, infensas patrum voces, [6] adversa & sæva cuncta perpessus, nullo magis exterritus est, quam quod Tiberium sine miseratione, [7] sine ira,

quam Agrippina, debebant. Itaque verisimile mihi est alia hic scripsisse Tacitum. Ac vestigia corruptæ lectionis proxime sequutus, non incommode, totum hunc locum sic mihi videor restituisse; *Sed judices per diversa implacabiles erant: Cæsar ob bellum provinciæ illatum: Senatus nunquam satis credito sine fraude Germanicum interiisse; Cur interfecisset, expostulantes. quod haud minus Tiberius, quam Piso, abnuere.* Adeo certum erat Patribus non sine fraude Pisonis Germanicum interiisse, ut in hujus causæ cognitione, palam expostulaverint, rogaverintque ipsum Pisonem. Cur vero Germanicum, optimum & innocentissimum Principem, interfecisset; qua caussa ad audendum atrox adeo scelus esset impulsus? Tamen id crimen, tanta vi tantaque constantia & adseveratione objectum, non minus Tiberius, quam Piso abnuere. Nam, ut paullo ante loquitur Tacitus, *solum veneni crimen Piso visus est diluisse.* Et intererat Tiberii, ut potius nomine læsæ majestatis, ob bellum provinciæ illatum, quam veneficii, contra Pisonem ageretur; metuentis scilicet, ne alias scelesta, quæ creditus est Pisoni adversus Germanicum dedisse, mandata in lucem protraherentur. Hæ expostulationes Senatus, *infensæ patrum voces*, pagina proxima appellantur. *Boxhornius.* An est causa, cur & ego misere perditum locum perdam? Nihil aliud ab illis prioribus fieri plane credo, & debet fieri, donec tam licenter audent divagari, vel delendo vel mutando, ab eis, quæ offeruntur ab unico libro. Cras illa poterunt aliquid esse, hodie nihil. Itaque diu his inhæsi, sed etiamnum frustra. Spes tamen est felicior. *Jac. Gronovius.*

1 *Effigiesque Pisonis*] Id solet in damnatis. Juvenalis:

——— *descendunt statuæ restemque sequuntur.*

Lipsius.

2 *Divellebant*] Replumbabant à basibus, quibus affixæ atque applumbatæ erant. *Muretus.*

3 *Mortis exactor sequeretur*] Exactor, qui præpositus ad exigendum perficiendumque, & quasi custos. Livius lib. II. De Bruto filios plectente: *Et qui spectator erat amovendus, eum ipsum fortuna exactorem supplicii dedit.* Plinius lib. IX. epistola ad Paullinum: *Ac deinde ex meis aliquos operis exactores, custodes fructibus ponam.* Romæ marmor epitaphium,

M. AVRELIVS. AVGG. NN.
LIB. EPAPHRODITVS.
EXSACTOR. OPERVM. DOM. NN.

Tacitus in suppliciis fere usurpat, ut l. XI. *Denuntiat centurionibus qui aderant, exsequi cadem custos & exactor è libertis Euodus datus.* Ambrosius lib. de Tobia cap. IX. *Dum vadis cum adversario tuo ad magistratum, da operam liberari ab illo, ne forte producat te ad judicem, & judex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem.* Sed & ἁπλῶς repetio, quasi muneris nomen, Exactor. ut in Museo Carpensi,

SEX. POMPEIVS. FAVSTVS.
SEX. POMPEII. EXACTOR.

Lipsius.

4 *Postquam sibi exitiabile intelligit*] Nempe Plancinam gratia Augustæ subnixam, in qua una omnis Pisoni spes erat reposita, dissociare causam suam, & sibi separatim salutem quærere. Male quidam accipiunt, quasi non ex hoc facto Plancinæ, sed aliunde, exitium sibi imminere intellexisset. *Freinshemius.*

5 *An adhuc experiretur*] *Experiri* dicitur tam actor, quam reus; sed sæpius ad actorem pertinet. Est autem ad judicem ire, aut in alium, aut pro se. *Ferrettus.*

6 *Adversa & sæva*] Sic Catilinæ post primam Ciceronis orationem in senatu habitam eo nomine, cum maledicta in consulem congereret: *Obstrepere omnes; hostem atque parricidam vocare.* Gronovius.

7 *Sine ira*] Quidam hoc omiserunt, sine dubio, quia sensui contrarium putaverunt, neque Pisoni metuendum fuisse, si *sine ira* esset conspectus. Sed non ita est. nam si iram in eo advertisset Piso, potuisset sperare, subito quodam adfectu concitatum, si mentem rursus composuisset, mitigari posse. At nunc satis intelligebat, eum adversus omnes motus firmatum, certo fixoque animi decreto, reum liberæ

im, obstinatum clausumque vidit, ne quo adfectu perrumperetur. relatus domum,
tamquam defensionem in posterum meditaretur, pauca conscribit, obsignatque, &
liberto tradit. Tum [1] solita curando corpori exsequitur. dein multam post noctem,
egressa cubiculo uxore, *operiri fores* jussit: & cœpta luce, perfosso jugulo, jacente
humi gladio, repertus est. Audire me memini ex senioribus, visum sæpius inter ma- 16
nus Pisonis libellum, quem ipse non vulgaverit, sed amicos ejus dictitavisse, *litteras
Tiberii & mandata in Germanicum* [2] *continere:* [3] *ac destinatum promere apud patres,
principemque arguere, ni elusus à Sejano per vana promissa foret. nec illum sponte exstinctum,
verum immisso percussore.* quorum neutrum adseveraverim: neque tamen occulere
debui narratum ab iis, qui nostram ad juventam duraverunt. Cæsar [4] flexo in
mæstitiam ore, *suam invidiam tali morte quæsitam* apud senatum, * crebrisque [5] interrogationibus
exquirit *qualem Piso diem supremum, noctemque exegisset.* [6] Atque il-
lo

liberæ Senatus cognitioni relinquere constituisse. *Freinshemius.*

1 *Solita curando*] Lavat, ungitur, fricatur, extergitur, cœnat. *Muretus.*

2 *Continere*] Satis commode, si id venit ab Tacito. Sed est editorum. Nam in vetere membrana legitur *contineri*, quod servavit Beroaldus. Viderit, cujus id est δῶρον ἄδωρον. *Jac. Gronovius.*

3 *Ac destinatum promere*] Ejusdem sententiæ fuit, quod Suetonius scripsit, in Tib. cap. LII. *Quem* (Pisonem) *mox hujus criminis reum putant quidam mandata prolaturum, nisi ea secreta obstarent.* loco hodie non corrupto solum, sed defecto. Conatur tamen ingeniose Torrentius: *ni Sejanus secreto obstaret.* Lipsius.

4 *Flexo in mæstitiam ore*] Bene *flexo.* gaudebat enim potius, (si quis intimos ejus sensus perspicere potuisset) nullum amplius periculum esse, ne tota res patefieret, sublato indice. Ac mihi quidem, pro cetero Tiberii ingenio verisimile fit, immissum ab eo percussorem fuisse. *Muretus.* Ante hæc verba haud dubie asterisci nota ponenda est. Nam hic ea desunt, quæ de liberto Pisonis, nunciante mortem, & codicillos patroni, ut jussum erat, tradente scripserat Tacitus. Et hic ille est, quem, ut subditur, crebris interrogationibus Tiberius convenit. Periit hic etiam verbum, *Queritur*, vel quid simile, quo hæc referenda sunt; *Cæsar flexo in mæstitiam ore, suam invidiam tali morte quæsitam apud senatum.* Boxhornius.

5 *Interrogationibus exquirit*] Et hic Mureti libello fidem ne habeas, dum ait, in vetere libro defectum hujusmodi apparere: *ex. . . . quirit*, quem ille replet: *ex filio quærit.* Scias enim, talem in Man. lacunam non esse. *Pichena.*

6 *Atque illo pleraque*] Non fugiet corruptio loci attentum lectorem. Quis enim erit, ad quem hæc referantur, *Atque illo?* nullum certe nomen præivit. Puto mutila esse. nisi sint; scribe, *Atque filio.* Est enim εὔλογον filium Pisonis attulisse parentis codicillos, & ab eo quæsisse Tiberium singulatim de morte. *Lipsius.*

Atque illo] Filio. *Muretus.* Piso quædam scripsit ante mortem, libertoque tradidit. *pauca conscribit obsignatque, & liberto tradit.* nempe codicillos, quos ab eo in curia Tiberio redditos, ipse Senatui legit, cum prius de extremis domini à liberto multa percontatus esset. At is (ut vulgus libertorum) partim incogitanter, partim cordate respondebat. quid? dicemus ejusmodi aliquid cadere in filios Pisonis? non apte quidem: nam juvenes erant primæ nobilitatis, innutriti parentum præceptis, qui animos tam excelsos gerebant, & horum unus jam dederat egregium specimen juventutis. *M. Piso repetere Syriam dehortatus est. atque utinam ego potius filio juveni, quam ille patri seni cessisset.* Præterea intento majestatis crimine, Piso talia filiis non in unxisset, quos noxios innoxiosve suarum rerum sciebat satacturum; eaque de causa scriptis purgat utrumque. Non negaverim tamen multis a traditione codicillorum interjectis, subobscurum quid exortum. Sed iis magistris usus est Cornelius, quorum scripta haud unquam percipere queas nisi recurras, & provideas. Sinas igitur, quæ inserit de fallaciis Sejani, cæteraque connecte, omnia clara & liquida sunt. *Salmerius.* Mutilum locum quilibet pronuntiabit. Asteriscum tamen opponerem, non post verbum, *exegisset*, sed post verbum, *quæsitam.* Existimo enim, Tacitum loqui de Liberto, cui Piso tradiderat codicillos ad Tiberium. Tali sententia: Cæsarem sensisse, invidiam sibi morte Pisonis quæsitam cumque codicillos sibi à liberto redditos accepisset, crebris interrogationibus ex eodem liberto exquisivisse, qualem supremum diem noctemque Piso exegisset. Respondente illo; quædam ab eo sapienter, quædam inconsultius acta: vel si mavis, ipso liberto quædam verba sapienter, quædam inconsultius ad interrogata respondente: Tiberium recitasse codicillos. *Pichena.* De filio Pisone interrogato non modo εὔλογον, sed necessarium est, si rem recte cogitas. Et oratio concinna aliter non est, nisi sic struatur. Sed quod Lipsius ait, Pisonis filium attulisse parentis codicillos, id non εὔλογον, sed plane ἄλογον. Fugit ipsum ratio, nec meminerat

lo pleraque sapienter, quædam inconsultius respondente, [1] recitat codicillos à Pisone in hunc ferme modum compositos: *Conspiratione inimicorum, & invidia falsi criminis oppressus, [2] quatenus veritati & innocentiæ meæ nusquam locus est; deos immortales testor vixisse me, Cæsar, cum fide adversum te, neque alia in matrem tuam pietate: vosque oro [3] liberis meis consulatis. ex quibus Cn. Piso qualicumque fortunæ meæ non est adjunctus, cum omne hoc tempus in urbe egerit: M. Piso repetere Syriam dehortatus est. atque utinam ego potius filio juveni, quam ille patri seni cessisset! eo impensius precor, ne meæ pravitatis pœnas innoxius luat. Per quinque & quadraginta annorum obsequium, [4] per collegium consulatus quondam divo Augusto parenti tuo probatus, & tibi amicus, nec quidquam post hæc*
17 *rogaturus, salutem infelicis filii rogo.* De [5] Plancina nihil addidit. Post quæ Tiberius adolescentem crimine civilis belli purgavit: [6] *patris quippe jussa, nec potuisse filium detrectare:* simul *nobilitatem domus;* [7] *etiam ipsius, quoque modo meriti, gravem casum* miseratus. Pro Plancina cum pudore & flagitio disseruit, *matris preces* obtendens: in quam optimi cujusque secreti questus magis ardescebant: *Id ergo fas aviæ interfectricem nepotis adspicere, adloqui, eripere senatui? quod pro omnibus civibus leges obtineant, uni Germanico non contigisse! Vitellii & Veranii [8] voce defletum Cæsarem; ab imperatore & Augusta defensam Plancinam! [9] proinde venena, & artes tam feliciter*

ex-

minerat amplius, liberto suo Pisonem dedisse ad Cæsarem ferendos. Nec putemus jam primum a quocunque ad Tiberium delatos, sed in curiam à Tiberio ipso allatos. Etiam cave illa verba, *Recitat codicillos*, de filio Pisone accipias, sed de ipso Cæsare. Quod non modo sententia loci totius vult, sed efflagitat ipsa verborum illorum structura. *Acidalius.* Ipsa periodi structura sententiam juvat ita componentium, *suam invidiam apud senatum quæsitam.* Nisi forte ut in loco corrupto defectoque suspicioni locus sit, aliter hæc ab auctore concepta fuisse. Sequentia certe non amplius sibi constant, & proinde diversis interpretationibus obnoxia fuere. Quippe, *Atque illo*, alii sic efferunt, ut tamen non appareat, quis responderit, alii ad senatum trahunt, tanquam ille responderit Tiberio; quidam ad filium Pisonem: nonnulli verbum verbo reddere contenti, quas in auctore salebras inveniunt, easdem lectori relinquere quam litem hanc suam facere maluerunt. Mihi potior visa est ratio de liberto hæc interpretandi, cui codicillos à Pisone traditos supra memoraverat auctor. præsertim quum & socerum meum Berneggerum, & Curtium Pichenam idem sensisse cernerem. *Freinshemius.* Ex illis verbis *crebrisque interrogationibus exquirit* videtur satis commode aliquid educi posse, quod præcedentibus conveniat. Nam quum illa supponant eum loqui, certe id ipsum facit quoque in illis. Et hoc genus silentii vel omissionis elegantiores Latini sæpius fovetunt. Non dissimile occurret 16, 10. *Jac. Gronovius.*

1 *Recitat codicillos*] Ita vocabant, quæ non in tabulis scripta, sed in charta, aut membranis, quasi memoriæ causa notata essent. *Muretus.*

2 *Quatenus veritati*] Melius, *quatinus*: id est, quoniam. *Lipsius.*

Quatenus] Legendum, *Quatinus.* Hæc autem quid inter se differant, ita exponit Cornelius Fronto: *Quatenus, qua fini, Quatinus, quoniam.* Muretus.

3 *Liberis meis consulatis*] Eam unam causam fuisse puto Pisoni, cur ne moriens quidem scelus Tiberii detexerit, quod metueret liberis suis. *Idem.*

4 *Per Collegium*] Quian' Augusto collega, an quia Tiberio ipsi? Utrumque enim verum. & consul cum Augusto fuit anno DCCXXXI. consul iterum cum Tiberio, DCCXLVII. *Lipsius.*

Collegium consulatus] Utriusque collega fuerat, & Augusti & Tiberii. *Muretus.* Verus sensus, *Orate per obsequium &c. per Consulatum quem una tecum gessi: atque quo magis moveare, is rogo, qui & amicus tibi fui, & nihil post hac sum rogaturus, ut filium meum salvum velis.* Errant qui Pisonis collegam faciunt Augustum, quum intelligatur Tiberius. Nam A. V. C. DCCXLVI. vel, ut alii, DCCXLVII. Tiberius & Piso Consules fuerunt. *Freinshemius.*

5 *De Plancina nihil addidit*] Neque quo eam sublevaret: quam jam oderat, ut perfidam, quæ in communi causa defensionem divisisset. neque ut premeret, cum sciret, frustra fore, quicquid adversus eam diceretur, in tanta gratia Augustæ. *Muretus.*

6 *Patris quippe jussa*] Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris aut domini. *Idem.*

7 *Etiam ipsius*] Graves enim à semetipso pœnas exegerat, quod ad misericordiam plurimum posse monet Aristoteles in Rhetoricis. *Idem.*

8 *Voce defletum*] *Deflere voce*, nihil aliud est, quam conqueri, lamentabili oratione prosequi. Sic de carmine lugubri infra, 3, 49. *Quo Germanici suprema defleverat.* Freinshemius.

9 *Proinde venena*] Quamvis tolerari possit, non

est

[1] *expertas verteret in Agrippinam, in liberos ejus, egregiamque aviam ac patruum sanguine miserrima domus exsatiaret.* [2] Biduum super hæc imagine cognitionis absumptum; urgente Tiberio liberos Pisonis, *matrem uti tuerentur.* Et cum accusatores ac testes certatim perorarent respondente nullo, [3] miseratio quam invidia augebatur. Primus sententiam rogatus Aurelius Cotta consul (nam [4] referente Cæsare [5] magistratus eo etiam munere fungebantur) *nomen Pisonis* [6] *radendum fastis* censuit; *partem bonorum publicandam; pars ut Cn. Pisoni filio concederetur,* [7] *isque prænomen mutaret. M. Piso*

[5] *exuta*

est tamen Taciti, sed *perinde*, quod est in unico MS. & religiose tenet Beroaldus; & quam dilectum Cornelio nostro? Non enim argumentis ratiocinatur, sed ex optato sceleris eventu ad plura incitat. *Jac. Gronovius.*

1 *Expertas*] Παθητικῶς, ut in illo Propertii. *Experta metuens jurgia sævitia.* Muretus.

2 *Biduum imagine cognitionis*] Inani & assimulata specie. *Muretus.* Ex superioribus, & sequentibus videtur, de Plancina tantum rem esse, tamen inferius, in sententiis constat, una de Plancina, Pisone, filiisque. *Pichena.* Videntur moti his verbis, *Biduum absumptum*, putavisse majus temporis spatium, quam æquum aut solitum esset, impensum fuisse: idque tamquam invidiæ periculum subesset, excusatum hoc prætextu, dictumque, ideo tantum temporis sumi, ut causa probe cognosci dijudicarique possit. Sed constat non modo biduum, sed plures dies, causis tam gravibus enodandis, tribui consuevisse. Supra in causa Pisonis 3, 13. undecim dies colliguntur. Non igitur illam ob rationem *bidui* facta est mentio: sed ad artificium Tiberii exponendum: qui sicut eripere Plancinam constituerat, ita dispiciebat, quomodo id minima cum invidia fieret; quam sciebat orituram esse longe maximam, si statim, antequam accusata esset, periculo eximeretur. Ille autem & legibus plenum robur reliquisse videri voluit, & Plancinam non solum Principis arbitrio absolvi, sed quoniam in cognitione causæ nullum, aut exiguum, neque plane venia indignum, crimen compertum esset. Ideoque speciem præbuit judicii, quod propterea non *cognitionem* Tacitus, ut veram & seriam, sed *imaginem cognitionis* nominat. *Freinshemius.*

3 *Miseratio quam invidia augebatur*] Ad Græcorum & Hebræorum imitationem, loquendi hæc forma ecliptici generis est, qua familiarissime usus Cornelius. Ita quoque Ulpianus, Paulus, Modestinus, Martianus, & Florens Tertullianus sæpe locuti sunt: quod & alii ante nos animadverterunt. *Vertranius.*

4 *Referente Cæsare*] Quidam notant, hoc eo notatum à Tiberio, quod more prisco magistratus à judicandi munere immunes essent. idque ex prima actione in Verrem satis intelligi. Verum est, quod notatur, sed ad hunc Taciti locum nihil pertinet. Non poterant quidem ii, qui magistratum gerebant, operam dare Prætori exercenti publicum aliquod judicium: & si qui forte ducti essent, antequam magistratum inirent, simul atque ineundi tempus venerat, amplius non erant in judicibus, sed alius in eorum locum subsortiri necesse erat. Ne poterant quidem ab eo prætore, cui jurisdictio obvenerat, judices dari: sed hic nihil tale agitur. Neque enim agebatur hæc causa apud prætorem, & judices qui sorte ducti, ut moris erat, ei in consilio adessent: sed apud Tiberium & apud Senatum. & hoc est, quod antea dixit Tiberius: *In curia potius quam in foro: apud senatum, quam apud judices.* Sed quod notat Tacitus tale est, Consules, ceterique magistratus, cum quid referebatur ad Senatum, non solebant sententiam dicere, sed sententias aliorum exquirere. Id vel ex eo constat, quod consul designatus primus sententiam rogabatur. Inde consulares, prætorii, ædilicii, cæteri ordine. Quomodo autem ii, qui jam in magistratu erant, cessissent aut designatis tantum, aut iis, qui honore aliquo persuncti, jamque privati essent? Et cum qui rogat, superior sit; qui rogatur, ac dicere jubetur, inferior: quis, quæso, consulem rogare poterat? Qui aut non aderat (quo enim imperante venisset?) aut ipse senatum habebat. Formula rogandi hæc erat, *Dic M. Tulli, Dic C. Juli.* Quis hoc modo consulem compellare ausus esset? At Cæsare referente, qui super omnes magistratus erat, quique eis omnibus imperare poterat, etiam magistratus eo munere fungebantur. *Muretus.*

5 *Magistratus etiam*] Non vane id notat. prisco enim more, magistratus à judicandi onere immunes. Cicero in Verrem actione 1. & alii. *Lipsius.*

6 *Radendum fastis*] Ut memoria ejus prorsus aboleretur. Cicer. pro Sext. de Pisone & Gabinio: *Iidem consules si appellandi sunt consules, quos nemo est, quin non modo ex memoria, sed ex fastis evellendos putet.* Valerius de Mario: *cujus septem in fastis consulatus leguntur*, &c. Tales sunt, qui e foro R. eruti, hodie in Capitolio omnium oculis patent. *Muretus.*

7 *Isque prænomen mutaret*] Quod & factum. nisi Dio mihi imponit, qui libro LX. Lucium (non Cnæum) Pisonem Cn. Pisonis & Plancinæ filium præfuisse Africæ sub Claudio tradidit. *Lipsius.*

Prænomen mutaret] Sic M. Antonio mortuo, decretum est, ne quis ex eadem gente *Marci* prænomine uteretur. Sic M. Manlio Capitolino dejecto, ne cui Manliorum *Marco* prænomen esset. Plutarchus, Livius. Sic lib. superiori, ne quis Scri-

 boniorum.

[1] *exuta dignitate, & accepto* [2] *quinquagies sestertio in decem annos* [3] *relegaretur, concessa*
18 *Plancina incolumitate ob preces Augustæ.* Multa ex ea sententia mitigata sunt à principe: *ne nomen Pisonis fastis eximeretur, quando* [4] *M. Antonii qui bellum patriæ fecisset,* [5] *Juli Antonii qui domum Augusti violasset, manerent.* & M. Pisonem ignominiæ exemit, concessitque ei paterna bona; satis [6] firmus, ut sæpe memoravi, adversum pecuniam; & tum [7] pudore absolutæ Plancinæ placabilior. Atque idem cum [8] Valerius Messallinus [9] *signum aureum in æde Martis Ultoris,* Cæcina Severus [10] *aram ultioni statuendam* censuissent, prohibuit: *ob externas ea victorias sacrari* dictitans, [11] *domestica mala tristitia operienda.* Addiderat Messallinus, *Tiberio, & Augustæ, & Antoniæ, & Agrippinæ, Drusoque, ob vindictam Germanici grates agendas,* omiseratque Claudii mentionem. & Messallinum quidem L. Asprenas senatu coram percunctatus est, *an prudens præterisset?* ac tum demum nomen Claudii adscriptum est. Mihi, [12] quanto plura recentium, seu veterum revolvo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obversantur. quippe fama, spe, veneratione potius omnes destinabantur im-
19 perio, quam quem futurum principem fortuna in occulto tenebat. Paucis post diebus

boniorum *Drusi* cognomentum adsumeret. *Muretus.*

1 *Exuta dignitate*] Senatoria videlicet. Ita inferius scriptum, *exuere ordinem.* Lipsius.

2 *Quinquagies sestertio*] Sunt nobis, *centum vigintiquinque millia Philippicum.* Videsis opes ejus ævi, etiam ab hoc exemplo, & quomodo vel exsuli provisum. Vere ergo Seneca: *Eo temporum luxuria prolapsa est, ut majus viaticum exsulum sit, quam olim patrimonium Principum fuit.* Idem.

Quinquagies sestertio] Puto vocem, *sestertio*, vacare. *Quinquagies centena millia sestertium*, efficiunt more Romano ducenta millia scutorum monetæ. *Muretus.* Videtur legendum: *Et accepto quinquagies sestertium*, &c. non, *sestertio*, ut supra. *Ursinus.* Frustra laborant ambo. *Quinquagies sestertium* sunt nostrorum Philippum centum viginti quinque millia. *Gronovius.*

3 *Relegatur*] Lege, *relegaretur.* Muretus. Pro *relegaretur* placet vulgo *relegatur.* Lipsius correxit. nam supra dixit, *concederetur.* Pichena. Sicut nulla huic imperfecto controversia moveri posset, si ex antiqua membrana pateret ita scripsisse auctorem, ita cur id quod ibi reperitur in præsenti *relegatur*, convelli placeat, vix est causa. Hæc enim pars sententiæ non adhæret priori; sed ponuntur quasi tria ejus capita, quæ ille *censuit*, ut loquitur auctor, vel gerundia subnectens, vel particulam *ut* cum imperfectis, dein quasi narrans rursum Tacitus exsequitur ulteriora ejus sententiæ, quæ non pendent ab eodem verbo *censuit*, dicitque *M. Piso relegatur*, quod est satis simplex & probum. Pichena sane ultra fas ostendit vile sibi fuisse istud illustre Taciti monimentum, in quo solo apparet ejus species, dum vulgo apponit. *Jac. Gronovius.*

4 *M. Antonii*] E fastis tamen Capitolinis erasum, & postea restitutum fuisse constat. & ita factum significat & Cicero his verbis: *Cujus consulatus est ex omni monumentorum memoria revulsus.* Muretus.

5 *Juli Antonii*] Quod notabile est, in MS. diserte exaratur *Julu*, quum non soleat illic posterior litera geminari in his Romanis nominibus. Hinc quoque sic edidit Beroaldus, quod non debuit carpi. Adde 1, 10. *Jac. Gronovius.*

6 *Firmus adversus pecuniam*] Contra de Vespasiano Aurelius Victor: *infirmus tamen, uti quidam prave putant, adversus pecuniam.* Pichena.

7 *Pudore absoluta Plancinæ*] Pudebat enim in alios minus culpæ affines severiorem esse, cum in Plancinam mitis fuisset. *Muretus.*

8 *Valerius Messallinus*] Cur tacetur in MS. constanter legi *Messalinus*, ut 1, 8. *Messala*, item infra hoc lib. cap. 34. & 68. Immo id in utraque vetere membrana per omnes Taciti libros scias ita scribi, nunquam cum gemino ll. Alia producta sunt libro præcedente. *Jac. Gronovius.*

9 *Signum aureum*] Nullus interpretum expressit, cujus rei signum hoc fuerit. Ceterum ipsius illius Martis signum fuisse non ambigo, ob hoc ipsum, quia nihil aliud ab auctore additum est. *Freinshemius.*

10 *Aram Ultioni*] Sic supra, *aram adoptioni:* Sic libro seq. *aram clementiæ, aram amicitiæ.* Sic lib. 15. *Post natam ex Poppæa prolem aram fœcunditati.* Sic Sueton. Calig. *Addit etiam pro argumento aras ibi inscriptas ob Agrippinæ puerperium.* Muretus.

11 *Domestica mala*] Sic ob victorias civiles non triumphabant. Sic nostra ætate monumenta insignium victoriarum, ex civilibus bellis, primum posita, deinde sublata, esse scimus: cum veterum inimicitiarum memoriam, quam oblivione sepeliri satius foret, renovatura viderentur. *Idem.* Sed totum hunc locum laboriose consideravit P. Victorius ad Epistolas Ciceronis lib. 16. familiar. num. 18. quasi in primo libro haberetur, ut etiam non intellexisse appareat. *Jac. Gronovius.*

12 *Quanto plura*] Nolo tacere, etiamsi nullo forsan

bus Cæsar auctor senatui fuit, *Vitellio, atque Veranio, & Servæo* [1] *sacerdotia tribuendi.* Fulcinio *suffragium ad honores* pollicitus, monuit, *ne facundiam violentia præcipitaret.* Is finis fuit ulciscenda Germanici morte, non modo apud illos homines qui tum agebant, etiam secutis temporibus vario rumore jactata. [2] adeo maxima quæque ambigua sunt, dum alii [3] quoquo modo audita pro compertis habent; alii vera in contrarium vertunt. & gliscit utrumque posteritate. [4] At Drusus urbe egressus [5] repetendis auspiciis, mox ovans introiit. paucosque post dies [6] Vipsania mater ejus excessit, una omnium Agrippæ liberorum [7] miti obitu. nam ceteros manifestum ferro, vel creditum est veneno aut fame exstinctos. Eodem anno Tacfarinas, quem priore æstate pulsum à Camillo memoravi, bellum in Africa renovat, vagis primum populationibus, & ob pernicitatem inultis: dein [8] vicos exscindere; trahere graves prædas: postremo haud procul [9] Pagida flumine cohortem Romanam circumsedit. Præerat castello Decrius impiger manu, exercitus militia, & illam obsidionem flagitii ratus. Is cohortatus milites *ut copiam pugnæ in aperto facerent*, aciem pro castris instruit. Primoque impetu pulsa cohorte, promptus inter tela occursat fugientibus, increpat signiferos, *quod* [10] *inconditis aut desertorilus miles Romanus terga daret*, simul excepta

san producendi lucro. Codex unicus MS. iterat *Quanto quanto plura.* Idem.

1 *Sacerdotia*] Quidam *sacerdotium* singulariter: sed Tacitus *sacerdotia* dixit tamquam de pluribus. erant enim varia, nec unius generis, sacerdotum collegia. *Freinshemius.*

2 *Adeo maxima quæque*] Similis querela Thucydidis lib. I. Οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὰς ἀκοὰς τῶν προγεγενημένων, καὶ ἢν ἐπιχώρια σφίσιν ᾖ, ὁμοίως ἀβασανίστως παρ' ἀλλήλων δέχονται. & statim: Οὕτως ἀταλαίπωρος τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας, καὶ ἐπὶ τὰ ἑτοῖμα μᾶλλον τρέπονται. nec dubium, quin ad hæc loca respexerit noster. *Lipsius.*

3 *Quoquo modo audita*] In MS. legitur *audire*, quod retinuit in editione sua Beroaldus. Et merito, quum soleat hic infinitivus pro nomine aut participio usurpari. *Jac. Gronovius.*

4 *At Drusus urbe egressus*] Quæras, quo hæc egressio & reditio? Ad morem priscum. quo obtinuit, ut qui è provinciis cum imperio redirent, illud ipsum amitterent simul intrassent urbem. Ideo Livius lib. XXVI. *Quinte Fulvio ne minueretur imperium, si in urbem venisset, decrevit Senatus.* Et magis ad lucem Taciti, quod Dio lib. LIV. tradit, Augusto decretum perpetuum Proconsulare imperium, ita ut nec si intra urbem venisset, minueretur, neve necessum esset (ut ipse loquitur) ἀνανεοῦσθαι τὴν ἀρχήν. id est, renovare, sive ut Tacitus, repetere auspicia. Nam auspicii nomine etiam imperium hic cape. Sed cui rei Druso opus fuit repetito imperio? ad ovationem. Nam qui triumphans ovansque urbem ingreditur, cum imperio id facit in illum diem: Drusus autem imperium amiserat ingressus urbem ob fratris sui mortem. Debuit ergo repetere, ut ovaret. Ejus sententiæ sunt, quæ apud Ciceronem legis, spem triumphi abjicientem: *Ultar ea porta, quam primam videro.* & apud Cœlium: *Neque enim stulto Appius, qui simul atque Dolabella accessit ad tribunal, introierat in urbem, triumphique postulationem abjecerat.* Apud Ulpianum, l. ult. De off. Proconsul. *Proconsul portam Romæ ingressus deponit imperium.* Iterum apud Ciceronem: *Mihi valde placet de triumpho nos moliri aliquid, & extra urbem esse cum justissima caussa.* Lipsius.

5 *Repetendis auspiciis*] Τὸ ἀνανεοῦσθαι τὴν ἀρχὴν ἴσως. Forsitan legendum, *repetitis.* Muretus. Non aliud hic per *auspicia* magis intelligitur, quam imperium, non quale principes, sed quale proconsules & legati obtinebant. *Freinshemius.*

6 *Vipsania*] MS. *Vipscania.* Scimus, quo repat.

7 *Miti obitu*] Miti obitu, id est, citra vim, & ex fato. Sed videamus. M. Agrippæ tres uxores fuerunt. Prima, Pomponia Attici filia, conciliante eas nuptias M. Antonio Triumviro. ex ea genuit Vipsaniam, de qua hic, Drusi matrem. Altera, Marcella Octaviæ filia. ex ea quoque liberi, si Suetonio fides diserte id in Augusto tradenti. etsi nihil de iis postea reperias, & videatur ea proles non fuisse vitalis. Tertia uxor, Julia. ex ea nati Cajus & Lucius Cæsares, Postumus Agrippa, Agrippina & Julia. In his plerisque vera Taciti nota. Cajus enim & Lucius veneno crediti periisse; Agrippina, fame; Postumus ferro. Juliam excipio. cujus mortem lib. IV. ita narrat ipse Tacitus ut ex natura videatur, ferri aut veneni nulla mentione. *Lipsius.*

8 *Vicos exscindere*] Beroaldus edidit *extindere.* Sed in MS. est *exciucedere.* Habet Tacitus tum *exscindere*, tum *excidere*, & in vicino sunt *multorum excisi status.* Jac. Gronovius.

9 *Pagida flumine*] Quem alio nomine Belum dici Plinius ait. *Lipsius.* MS. legit *Pagyda*, quod exhibet quoque Beroaldus.

10 *Inconditis aut desertoribus*] Duabus his notis universas Tacfarinatis copias complexus est. nam illæ partim ex barbaris constabant; partim ex his, qui

excepta vulnera, & quamquam transfosso oculo, adversum os in hostem intendit;
21 neque prœlium omisit, donec desertus suis caderet. Quæ postquam L. Apronio
(nam Camillo successerat) comperta; magis dedecore suorum, quam gloria hostis
anxius, raro ea tempestate, è vetere memoria facinore, [1] decumum quemque igno-
miniosæ cohortis [2] sorte ductos, [3] fusti necat. Tantumque severitate profectum, ut
[4] vexillum veteranorum non amplius quingenti numero, easdem Tacfarinatis copias,
præsidium, cui Thala nomen, adgressas fuderint. quo prœlio Rufus Helvius grega-
rius miles servati civis decus rettulit; donatusque est ab Apronio torquibus & hasta:
Cæsar addidit civicam coronam, *quod non eam quoque* [5] *Apronius jure proconsulis tri-
buisset*, questus magis, quam offensus. Sed Tacfarinas perculsis Numidis, & [6] ob-
sidia aspernantibus, spargit bellum; ubi instaretur, cedens, ac rursum in terga re-
means. & dum ea ratio barbaro fuit, inritum fessumque Romanum impune ludifica-
batur: postquam deflexit ad maritimos locos; inligatus prœda, stativis castris [7] ad-
hærebat. [8] missu patris Apronius Cæsianus, cum equite & cohortibus auxiliariis,
quis velocissimos legionum addiderat, prosperam adversum Numidas pugnam facit,
22 pellitque in deserta. At Romæ Lepida, cui super Æmiliorum decus [9] L. Sulla ac
Cn. Pompejus proavi erant, defertur *simulavisse partum ex P. Quirinio divite, atque
orbo.* adjiciebantur *adulteria, venena;* [10] *quæsitumque per Chaldæos in domum Cæsaris,*
defendente

qui quum sub Romanis prius stipendia meruissent, deinde ad Tacfarinatem profugerant: Illud genus *inconditorum*, hoc *desertorum* appellatione notavit, neque vel illis horum vel his illorum probrum competebat. *Freinshemius.*

1 *Decumum quemque*] Sic legiones, sic deditos jussu Galbæ decumari, idem Cornelius scribit Histor. libro I. Hucque verbum C. Cassii ex XIV. Annalium traho: *Ex fuso exercitu cum decimus quisque fuste feritur, etiam strenui sortiuntur.* M. Tullius pro Cluentio; *statuerunt majores nostri, si à multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animadverti, ut metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perveniret.* Primus quoque Appius Claudius, nisi memoria fallit, Livii lib. II. *Qui reliquerant ordines, virgis cæsos securi percussit: cætera multitudo sorte decimus quisque ad supplicium lecti.* Vertranius. Morem hunc nemo melius exposuit Polybio 6, 36. *Freinshemius.*

2 *Sorte ductos*] Totidem Sallustiana verba Servius citat, *Sorte ductos fuste necat.* quod ad Crassum referendum videri in decimatione cohortis unius vere observavit noster Douza. *Lipsius.*

3 *Fusti necat*] Ita Manuscriptus. Vulgo, *fuste necat.* Pichena.

4 *Vexillum veteranorum*] Intelligendi veterani, quales *exauctorati retinebantur sub vexillo, ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis.* supra I, 36. *Freinshemius.*

5 *Apronius jure proconsulis*] Huc refer illud Suetonii, cap. XXXII. *Corripuit Consulares exercitibus præpositos. quod de tribuendis quibusdam militaribus donis ad se referrent: quasi non omnium tribuendorum ipsi jus haberent.* Lipsius.

6 *Obsidia aspernantibus*] Id est, cum nollent obsidere aut oppugnare ultra præsidia Romana, male bis terque accepti. *Idem.*

7 *Adhærebat*] Ex Man. Vulgo, *hærebat.* Pichena.

8 *Missu patris, Apronius Cæsianus*] Addita fuerat copula, *missuque patris*, contra auctoritatem Manuscripti. eam ergo abstulimus, minime necessariam. *Idem.* Attamen ea Beroaldi culpa non fuit, qui exhibuit *missu patris*, quem prave alii sequuti non sunt.

9 *L. Sulla ac Cn. Pompeius proavi*] Quod laboriose & probabiliter demonstrat Henr. Norisius ad cenotaphia Pisana pag. 257. Sed admodum idem impotens, dum lapidem Bergomensem ab Lipsio mox allatum citat tanquam sui beneficii decus ac solertiæ munus, scribendo (Extat apud Gruterum pag. 653. hocce epitaphium) sane extabat & alibi, ac frequenter citatum cognitumque viris doctis. Sed quod absurdius est, sustinet ibi hæc etiam scribere (Lipsius in notis ad laudata verba Taciti ac Reinesius epist. 31. pag. 275. scribunt hic appellari Lepidam Lucio Cæsari ac Augusto nurum destinatam) Neuter tali modo se exhibuit, & ab neutro neglecta fuit vox, quæ necessario debet interponi, nempe *uxorem* vel *sponsam* ex capite sequenti. Sed erat ille velocior & inflammatus plus justo, quum existimaret se pisci hamum injecisse. *Jac. Gronovius.*

10 *Quæsitumque per Chaldæos*] Quod semper capitale. *Cui enim opus perscrutari super Cæsaris salute, nisi à quo aliquid adversus illum cogitatur, vel optatur: aut post illum speratur & sustinetur? Non enim ea mente de caris consulitur, qua de dominis*, ait apposite ad hanc rem Tertullianus. *Lipsius.*

Quæsitumque in domum] Est Propertii I, 7. *Atque aliquid duram quærimus in dominam.* Jac. Gronov.

1 *Post*

defendente ream Manio Lepido fratre. Quirinius [1] post dictum repudium adhuc infensus, quamvis infami ac nocenti miserationem addiderat. Haud facile quis dispexerit illa in cognitione mentem Principis; adeo vertit ac miscuit iræ & clementiæ signa; deprecatus primo senatum, *ne majestatis crimina tractarentur:* mox M. Servilium è consularibus, aliosque testes inlexit [2] ad proferenda, quæ velut reticere voluelerat. idemque servos Lepidæ, [3] cum militari custodia haberentur, transtulit ad consules; neque per tormenta interrogari passus est de his, quæ ad domum suam pertinerent. Exemit etiam Drusum [4] consulem designatum dicendæ primo loco sententiæ. quod alii civile rebantur; *ne ceteris adsentiendi necessitas fieret:* quidam ad sævitiam trahebant; [5] *neque enim cessurum nisi damnandi officio.* Lepida ludorum diebus, 23
qui

1 *Post dictum repudium*] Non ita capies, quasi alibi dixerit de eo repudio: sed *Dicere* repudium usurpat, quod *Mittere* vulgo. id est, postquam repudiasset eam Quirinius. Repudiarat autem ante annos xx. Sueton. Tib. cap. XLIX. *Lipsius.*

2 *Ad proferenda ea, quæ velut rejicere voluerat*] Monueram quidem prioribus notis, in Man. legi, *reicere*, sed corruptum existimans, putaveram reponendum, *reticeri*, pro eo quod vulgo legebatur, *reticere*. Sed Julius Nellius J. C. Florentinus, acutissimi ingenii vir, probam sibi videri Manuscripti lectionem affirmavit. Cum enim senatum deprecatus esset Tiberius, ne majestatis crimina tractarentur, testes tamen illexit ad delicta ea proferenda, quorum cognitionem velut rejicere voluerat. Itaque verbum illud reposui. *Pichena.* Muretus *voluerant.* Non, non hæc mens. Tu me auctore legito, *reticeri.* Tiberius simulator & dissimulator, quæ quasi reticeri voluerat, ea proferri studet. *Acidalius.* Miror rationem, quam tenent viri docti, qui ab Beroaldo ad hanc usque horam ita legentes, non videntur dubitare, quin legant Tacitum; opinor, quia satis crebrum id verbum. At si discedas ad unicam manum in membrana, ibi tantum legitur *profenda.* Quid? an non lenius & oportunius inde fiat *profanda*, quam istud vulgatum *proferenda?* Certe id prorsus est oppositum τῷ *reticere.* Jac. Gronovius.

3 *Militari custodia*] Militarem custodiam uti se habuit paullo uberius explicavi: non tibi veterane, sed tibi tiro, in Excurs. nostris: quos utiliter & ad alia Taciti vide, in *B.* Lipsius.

Cum militari custodia haberentur] Rei aut in vincula ducuntur, aut militibus traduntur, quæ *militaris custodia* dicitur; aut fidejussoribus creduntur: aut sibi ipsis, fide accepta non abituros: quæ *libera custodia* dicitur. Horum auctores Ulpianus & Martianus. *Ferretius.* Vetus Juvenalis interpres triplicem in urbe ipsa carcerem fuisse tradit; *Urbanum, rusticum, & castrensem.* Erat & in ipsa Urbe triplex carcer: Militaris, Apud magistratus, Apud fidejussores: quæ & *libera custodia* dicebatur. In militari reus dextera, miles sinistra manu alligari eadem catena solebat. Seneca de Tranquillitate vitæ: *Alligati sunt etiam, qui alligaverunt, nisi tu forte leviorem in sinistra catenam putas.* Idem epist. 5. *Eadem catena custodiam & militem copulat.* Custodiam autem vocabant & militem, & reum. *Apud magistratus*, ut in conjuratione Catilinæ. *Apud fidejussores*, Ulpianus l. 1. D. de custodia reorum. *Muretus.*

4 *Consulem designatum*] Appianus: Σιλανὸς μὲν δὴ πρῶτος ἔλεγεν, ὃς ἐς τὸ μέλλον ᾕρητο ὑπατεύειν. ὧδε γὰρ Ῥωμαίοις ὁ μέλλων ὑπατεύσειν πρῶτος ἐσφέρει γνώμην, ὡς αὐτὸς οἶμαι πολλὰ τῶν κυρωθέντων ἐργασόμενος, καὶ ἐκ τοῦ δὲ εὐβουλότερόν τι καὶ εὐλαβέστερον ἐνθυμητέρως περὶ ἑκάστου: *Silanus primus sententiam dixit, qui in sequentem annum Cos. designatus erat. Ita enim apud Romanos futuri anni Consul primus censet; ut qui ipse multa è consultis patraturus sit, ideoque putatur cautius magisque intente de singulis cogitaturus.* Lipsius.

5 *Neque enim cessurum nisi damnandi officio*] Hoc est, nisi ut damnationem Lepidæ suo cedentis suffragio etiam procuraret. Crediderim Drusum dicendæ primo loco sententiæ exemptum, postremo eam dixisse, & eorum suffragiorum numerum auxisse, quibus Lepida damnabatur. Ubi ex plurium suffragiis aliquid decernitur, vanum sæpe eorum suffragium est, quos primos plures alii exinde non sequuntur; qui vero ultimo dicit loco, sæpe, dum vel unius suffragio auctæ, vel ab eo desertæ hæ aut istæ partes validæ aut invalidæ redduntur, plurimum profecto, imo plus cæteris omnibus potest. Facit huc proverbium Belgarum: *Novissimum judicum* (nostri Scabinos vocant) *plerumque in judiciis plus cæteris posse, in cujusque manu esse reum vel absolvere, vel damnare.* Ob eam nimirum rationem, quam nunc dixi. Talis enim ultimo sententiam pronuntiat loco. Pro ista hujus loci interpretatione faciunt, quæ statim subjiciuntur. *Itumque in sententiam Rubellii Blandi, à quo aqua atque igni arcebatur. Huic Drusus adsensit, quamquam alii mitius censuissent.* Ex his liquet primo cedentem loco, ultimo sententiam Drusum dixisse, & quidem *damnandi officio*, id est, ut sic auctis damnantium suffragiis Lepida damnaretur. *Boxhornius.* Scilicet adeo inops erat Tiberius paratorum ad damnandum, quos vellet perdere, ut, quæ vinceret absolventes una, Drusi sententiam in postremum differendam haberet. Unde autem constat Drusum

 ultimo

qui cognitionem intervenerant, theatrum cum claris feminis ingressa, lamentatione flebili *majores suos* ciens, *ipsumque Pompejum*, cujus [1] ea monumenta & adstantes imagines visebantur, tantum misericordiæ permovit, ut effusi in lacrymas *sæva & detestanda Quirinio* clamitarent, *cujus senectæ atque orbitati* [2] *& obscurissimæ domui*, [3] *destinata quondam uxor L. Cæsari, ac divo Augusto nurus, dederetur*, dein tormentis servorum patefacta sunt flagitia, itumque in sententiam Rubellii Blandi, à quo aqua atque igni arcebatur. huic Drusus adsensit, quamquam alii mitius censuissent. mox Scauro, qui filiam ex eà genuerat, datum, ne bona publicarentur. Tum demum aperuit Tiberius; *compertum sibi etiam ex P. Quirinii servis, veneno eum à Lepida* [4] *petitum.*
24 Inlustrium domuum adversa (etenim haud multum distanti tempore Calpurnii Pisonem, Æmilii Lepidam amiserant) solatio adfecit D. Silanus Juniæ familiæ redditus. casum ejus paucis repetam. Ut valida divo Augusto [5] in rempublicam fortuna;

ultimo loco sententiam dixisse? Neque enim, quod censuerunt aliqui priores mitius, prior etiam Rubellius Blandus, cui Drusus accessit, inde sequitur hunc post omnes demum rogatum. Varia illa judicia fiebant in senatu, simulatque Drusum Tiberius sententiæ primo loco dicendæ, ut consulem designatum, necessitate solvisset. Qui pejorem in partem hoc interpretarentur, conjiciebant eum velle Lepidam condemnari, nam si absolvi vellet, utique non erat passurus, ut gratiam, quam initurus erat primus auctor clementiæ, alius occuparet. Quod eventus comprobavit. *Neque enim cessurum nisi damnandi officio*, est, non enim daturum aliis priorem locum, nisi ad invidiosam causam damnandi. Ut recte & alii omnes acceperunt. *Gronovius.* Octavius tamen Ferrarius vir Cl. in Electis 1, 10. post Taciti editionem paternam editis scribit fortasse legi posse *adsensurum*, Drusum scilicet exemptum dicendæ primo loco sententiæ, nonnisi damnandi officio, adsensurum iis, qui condemnassent. Sed non quæritur, quid legi possit, sed quid Tacitus scripserit. Quod quum sit certum, ab eo non discedimus. Quid autem velit per ista *nonnisi damnandi officio*, mire tacet. Prave autem *cessurum* refert ad Drusum (Quod Drusus & ipse sævus ingenio, ita primo loco cessurus esset, ut tamen condemnaret, iisque accederet, qui sæviora censuissent, & sic partem illam auctoritate firmaret) Hæc sunt omnia aliena; neque ea indicantur ab Tacito. Ab verbis *quod alii civile* &c. incipit auctor de Tiberio loqui, & quid de hoc alii existimaverint in ista Drusi exemptione, declarat, per geminam interpretationem, utramque verisimilem quod etiam patet in explicatione paterna. *Jac. Gronovius.*

1 *Ea monumenta*] De ipso theatro accipienda sunt, quod Pompejus exstruxerat, Dio lib. 39. infra 14, 20. Sed quidam sic videntur accipere, tam quam in illo qualicumque theatro, nescio quæ Pompeji monumenta fuissent conspecta. *Freinshemius.*

2 *Et obscurissima domui*] Abunde infra hoc ipso libro. *Lipsius.*

3 *Destinata uxor L. Cæsari, ac divo Augusto nurus*] Non alibi quam in lapide repperi hanc historiam, qui Bergomi visitur,

PVDENS. M. LEPIDI. L. GRAMMATICVS. PROCVRATOR. ERAM. LEPIDÆ. MORESQVE. REGEBAM DVM. VIXI. MANSIT. CÆSARIS. ILLA. NVRVS. ATTEIVS. PHILOLOGVS. DISCIPVLVS.

Post damnationem demum positus lapis videtur: & Pudenti adscripta gloria, tamquam illo vivo, Lepida casta, bona. *Idem.* In hac tam decora descriptione patet auctoris imitatio ex Virgilii 11. Æneide: 786.

——— *nec Grajis servitum matribus ibo,*
Dardanis, & divæ Veneris nurus, & tua conjux

Jac. Gronovius.

4 *Petitum illustrium domuum*] Subolet hic deesse nonnihil: ibique finem esse periodi, *à Lepido petitum.* Ferrettus. Veretur hic mendum Æmilius, ubi nullum invenio scrupulum, quam in eo quod insolentius *adversa*, jungitur patrio casui, cum alias tertium exigat: intelligitur autem adversa illustrium domuum & familiarum principalium, quæ, ut supra scriptum est, per Chaldæos in domum Cæsaris quæsierit. *Vertranius.* Dudum monui continuanda hæc verba cum illis, *solatio adfecit*, inclusis parenthesi quæ intermedia. *Illustrium domuum adversa (etenim* &c. *amiserant) solatio adfecit D. Silanus Juniæ familiæ redditus.* Narraverat adversa Calpurniorum & Æmiliorum, familiarum sane illustrium. At ea pensata Juniorum prosperis. Non opus verbis: quando tam certam conjecturam & firmavit adsensu suo maximus Lipsius, & editiones nuperæ agnovere. Prorsus simile quid libro sequenti; *His tam adsiduis tamque mœstis modica lætitia interjicitur, quod Cominium equitem Romanum Cæsar precibus fratris concessit.* Mercerus. Sic lib. 4. *paternis adversis.* & in eodem, *adversis casuum.* Muretus.

5 *In Remp. fortuna*] Cato ipse optavit ἔννοιαν Πομπηΐου, τόλμαν Ἀλεξάνδρου, τύχην ἑαυτοῦ, ἀνδρείαν Σκιπίωνος. Plutarch. in apophthegmatis, & in libro de fortuna

tuna; ita domi improspera fuit [1] ob impudicitiam filiæ ac neptis, quas urbe depulit, [2] adulterosque earum morte aut fuga punivit. nam [3] culpam inter viros ac feminas vulgatam, gravi nomine *læsarum religionum*, ac *violatæ majestatis* appellando, clementiam majorum suasque ipse leges egrediebatur. Sed aliorum exitus, simul cetera illius ætatis memorabo, si effectis in quæ tendi, plures ad curas vitam produxero. D. Silanus in nepti Augusti adulter, quamquam non ultra foret sævitum, quam ut amicitia Cæsaris prohiberetur, exsilium sibi demonstrari intellexit; nec nisi Tiberio imperitante deprecari Senatum ac Principem ausus est, M. Silani fratris potentia, [4] qui per insignem nobilitatem & eloquentiam præcellebat. Sed Tiberius grates agenti Silano, patribus coram, respondit, *se quoque lætari, quod frater ejus è peregrinatione longinqua revertisset.* [5] *idque jure licitum, quia non senatusconsulto, non lege pulsus foret. sibi tamen adversus eum integras parentis sui offensiones: neque reditu Silani dissoluta, quæ Augustus voluisset.* Fuit posthac in urbe, neque honores adeptus est. Relatum deinde [6] de moderanda
Papia

fortuna Rom. *Muretus.*

1 *Ob impudicitiam filiæ ac neptis*] Vide Suet. in Aug. 65. Macrob. lib. 5. Saturnal. cap. 5. Plin. 21, 3. *Apud nos exemplum licentiæ hujus non est aliud quam filia D. Augusti, cujus luxuria noctibus coronatum Marsyam littera illius Dei gemunt.* Sic enim lego, non ut amicus noster, *littera illius describunt.* Muretus.

2 *Adulterosque earum*] Hi fuerunt, Julus Antonius, Quinctius Crispinus, Appius Claudius, Sempronius Gracchus, Scipio, aliique minoris nominis. De pœna adulterorum legendus Cujacius lib. 6. Observationum cap. 11. *Idem.*

3 *Culpam vulgatam*] Hoc est, consuetam, passim admitti solitam. Quippe hæc mens Tacito, culpæ non novæ, neque pro atroci habitæ, novum tum & atrox nomen impositum esse. *Freinshemius.*

4 *Qui per insignem nobilitatem & el.*] Lego verissima conjectura: *qui super insignem nobilitatem & eloquentia præcellebat. Et* pro etiam. *Acidalius.*

5 *Licitum, quia non SC. non lege*] Observa. triplex ratio, sive via, à patria abeundi. Primum, jussu decretoque Senatus, quasi reip. interesset. Quae ratio validissima, nec facile veniam aut indulgentiam inveniebat. Ideo Augustus in Agrippa Postumo, *multa de moribus adolescentis questus, ut exsilium ejus SC. sanciretur, perfecerat:* Annalium primo. Altera ratio, per judices, & sententiam ex lege. Hæc quoque firma, & olim usurpata: at tertia novitia, cum Princeps in exsilium mittebat, quæ verius relegatio tantum erat, & velut à parente publico (nam & patribus domi ac privatim hoc jus) facta. Ovidius omnes tangit II. Tristium:

Nec mea decreto damnasti facta Senatus;
Nec mea selecto judice jussa fuga est.
Tristibus invectus verbis (ita Principe dignum)
Ultus es offensas, ut decet, ipse tuas.
Adde, quod Edictum, quamvis immite minaxque,
Attamen in pœna nomine leve fuit.
Quippe Relegatus, non Exsul, dicor in illo.

Gradatim ibi vides tres has species: & levissimam ac lenissimam tertiam, quæ auctoritate magis, quam jure constat. Cum tamen Edicta Principum vim legis haberent: verbo *Legis*, & hanc speciem Tacitus est complexus: & cum nulla harum intervenisset; aperte quidem: Tiberius redeundi merito gratiam fecit. *Lipsius.*

Idque jure licitum, quia non SC.] Ei qui ex SC. vel lege aliqua esset exul, opus beneficio senatus, aut principis fuit: ei qui sponte secessisset, non item. Itaque D. Silano redire per leges licuit. Exilium autem dicitur ea pro Cæcina, non supplicium, sed perfugium portusque supplicii. Nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatem, & solum vertunt, hoc est, sedem ac locum mutant. Sic Cn. Fulvius indemnatus exulaturus Tarquinios abiit: id ei justum exilium esse, scivit plebs. Livii XXVI. Sic Scipio Africanus in exilium voluntarium secessit, & civitatem exoneravit, Seneca ep. LXXXVII. Sic Metellus Numidicus ne Romæ causa malorum certaminum esset, in voluntarium exilium Rhodum profectus est. Livii epit. LXIX. Ne dicam ab Atheniensibus accusatum Protagoram sponte exulasse: Arcadionem ob odium, quo Philippum regem prosequebatur, sibi exilium indixisse, ut ex Theopompo & Duri Samio lib. VI. Athenæus scriptum reliquit. *Vertranius.*

6 *De moderanda Papia Poppæa*] Lex apud veteres in multa fama, & usu: de qua ubertim disseruimus in Excurs. & multa ad Taciti aliorumque lucem, in C. Lipsius.

De moderanda Papia Poppæa] Observatum à doctis est, magnam Romanis semper conjugiorum curam fuisse. Hinc illa Censoria vox: *Ex animi tui sententia uxorem habes?* De qua formula M. Tullius 2. de Oratore, & Gellius 10, 20. Inde quoque ficta lex ab ipso Cicerone, 3. de Legibus: *Cælibes esse prohibento.* Pœna tamen pecuniaria erat. Val. Maximus lib. 2. cap. 9. Multa hac de re sunt

Papia Poppæa, quam senior Augustus post Julias rogationes [1] incitandis cœlibum pœnis, & augendo ærario sanxerat: nec ideo conjugia & educationes liberûm frequentabantur, [2] prævalida orbitate. Ceterum multitudo periclitantium gliscebat, cum omnis [3] domus

apud Xenophontem. D. Julius post bellum Africanum, exhausta juventute, præmia proposuit τῇ πολυπαιδίᾳ, ut narrat Dio lib. 44. Primus Augustus legem tulit, & præmia pœnasque distinxit anno 736. ab U. C. Ea dicta, *Lex Julia de maritandis ordinibus*, non perlata præ multitudine recusantium. Eam significavit Horatius in carmine seculari. Ad quem locum vide veterem interpretem. Capita autem legis Juliæ erant, ut cuilibet præter Senatores, & filios eorum, libertinas ducere liceret: ne sponsiones, pactionesque nuptiales ultra biennium differrentur. Ut divortiorum certus esset modus: & alia quæ postea in legem Papiam translata sunt. Vide Suetonii Augustum cap. 34. Lex vero Papia lata anno 762. Papio Mutilo, Q. Poppæo II. Cos. lata autem per Senatum. Multa capita habuit: Ut libertinas ducere liceret omnibus præter Senatorios. Antea decemvirali lege, neque Patricio plebejam, neque ingenuo libertinam ducere fas erat. Sed prius illud multo ante abrogatum fuerat: posterius Julia primum, deinde Papia lege sublatum. Ut patrono libertam ducere liceret. De tempore sponsalium contrahendorum & differendorum. Ne mulier quinquaginta annis minor sexagenario nuberet, neu vir minor sexaginta quinquagenariam duceret: Ut ne liberos ducere vel nubere injuria prohiberent. De intervallo à morte conjugis vel à divortio. Lex Julia à morte annum unum, à divortio sex menses; Lex Papia à morte biennium, à divortio annum & sex menses. De præmiis maritorum & patrum Præmia duum generum; Honores & commoda. Honores, honestior in spectaculis locus: prior locus in magistratibus: ut in petitione præferrentur, qui plures liberos procreassent: ut præferrentur in sorte provinciarum: ut diutius obtinerent; ut primi sententiam rogarentur: Ut gratia iis fieret annorum in petendo magistratu, &c. Quæ capita & alii annotarunt; quos doctrina atque judicio J. Lipsius noster superavit. *Muretus.*

1 *Incitandis cœlibum pœnis*] Id est, augendis atque intendendis. *Lipsius.*

Incitandis cœlibum pœnis] Putavi olim scriptum fuisse à Tacito, *incitandi cœlibum pœnis:* Id est, incitandorum cœlibum gratiam. Multa enim ad eum modum scripta antiquis. Plautus Captivis, *nominandi istorum.* Varro de re rust. *Generandi animalium.* Cic. Phil. v. *condonandi agrorum.* Gellius 16,8 *Videtur eum librum scripsisse sui magis admonendi, quam aliorum docendi gratia.* Quem locum non erat, cur de mendo suspectum haberent. Vetus interpres Dyctis Cretensis, in quo multa proba & veteris notæ; sed pleraque depravata ab imperitis correctoribus: *Missi ab Trojanis, qui peterent eorum, qui in bello ceciderant, humandi veniam.* Ita libri scripti; vulgo addiderunt vocem *corpora*, quibus insueta hæc locutio. Corippus lib. II.

Et patrium diadema dedit, curasque regendi
Imposuit rerum genitor, quas ipse creavit.

Et ad eundem modum in l. 22. C. de admin. tut, *pecunia fenerandi* scriptum est: *Huc accedit, quod ipsius pecuniæ fenerandi usus vix diuturnus est.* Suetonium credunt ita locutum in Aug. 98. *Exacta jocandi licentia, diripiendique pomorum, & obsoniorum, rerumque missilium.* Mihi non liquet, quoniam & libri quinque optime habent, *Missilia*, & inter eos fidelissimus ille Ranconeti, quem jam laudavi: & Suetonius solet *rerum missilia* dicere, non *res missiles.* Et hæc quidem ita sunt, sed quid ad Tacitum? qui neque eam locutionem usus alibi, neque hic secundo casu scripsisset *incitandi cœlibum*, & statim tertio, *augendo ærario.* Nihil melius quam quod notatum eruditiss. Lipsio, *Incitandis cœlibum pœnis*, non aliud esse quam augendis. Indixerat quidem pœnas cœlibatui Juliis legibus, sed eas intendit hac lege, quæ ut sane produxit tempus ineundi aut renovandi matrimonii, ita auxit pœnas eorum, qui obstinate à nuptiis abstinerent. *Mercerus.* Non sperno, sed fortasse etiam pœnæ dicuntur *incitatæ*; quia jacebant, neque erant in usu. De his autem pœnis & præmiis Plin. Paneg. *Locupletes ad tollendos, liberos, ingentia præmia, & pares pœnæ cohortantur.* Paneg. ad Maximianum & Constantinum: *Leges hæ, quæ mulcta cœlibes notaverunt, parentes præmiis honorarunt, vere dicuntur esse fundamenta reip. quia seminarium juventutis, & quasi fontem humani corporis semper Romanis exercitibus ministrarunt.* Pichena. Locum haberet hæc interpretatio Pichenæ, si legeretur *excitandis.* Vide 2. Observ. 16. *Gronovius.*

Cœlibum pœnis] *Pœnas* pro commodorum aversione, more Jurisconsultorum, tam hoc loco exaudio, quam in Plinii Panegyrico exposui, Commentario de Jure liberorum. Igitur incitavit auxitque cœlibum pœnas Augustus, qui eos merita benevolentia legata capere, & hæreditates vetuit: adeo ut eum cœlibi relictum omne in jus fisci caderet, ex caducis non parvum ærario incrementum accesserit. *Vertranius.*

2 *Prævalida orbitate*] Quia id genus omnes captabant, colebant. Seneca: *In civitate nostra plus gratiæ orbitas confert: quam eripit: adeoque senectutem solitudo ad potentiam ducit, ut quidam odia filiorum simulent, & liberos ferant, & orbitatem manu faciant.* Lipsius.

3 *Domus subverteretur*] Vulgo *subverterentur*, Manuscripto repugnante. Quod autem ait: *delatorum interpretationibus*, ostendit perplexitatem legis Poppææ.

mus delatorum [1] interpretationibus subverteretur: utque antehac flagitiis, ita tunc
legibus laborabatur. Ea res admonet ut de principiis juris, & quibus modis ad hanc
multitudinem infinitam ac varietatem legum perventum sit, [2] altius disseram. Vetu- 26
stissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine pœ-
na aut coërcitionibus agebant: neque præmiis opus erat, cum honesta [3] suopte inge-
nio peterentur; & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur.
At postquam exui æqualitas, & pro modestia ac pudore ambitio & vis incedebat,
provenere dominationes; multosque apud populos [4] æternum mansere. Quidam sta-
tim, aut postquam Regum pertæsum, leges maluerunt. Hæ primo rudibus homi-
num animis simplices erant: maximeque fama celebravit Cretensium, quas Minos;
Spartanorum, quas Lycurgus; ac mox Atheniensibus quæsitiores jam & plures [5] So-
lon perscripsit. [6] Nobis Romulus ut libitum imperitaverat: [7] dein Numa religioni-
bus & divino jure populum devinxit; [8] repertaque quædam [9] à Tullo & Anco:
sed præcipuus [10] Servius Tullius sanctor legum fuit, quis etiam reges obtempera-
rent. Pulso Tarquinio, adversum [11] patrum factiones multa populus paravit [12] tuen- 27
dæ

pœnæ. Ideoque inferius ait, *exsoluti plerique legis nexus.* Seneca IV. lib. IX. *Scriptum legis angustum est, interpretatio diffusa.* Pichena.

1 *Interpretationibus subverterentur*] Indies augebatur numerus eorum, quibus occasione legis illius, & pœnarum in ipsa statutarum, ingens fortunarum periculum intendebant delatores, qui callidis interpretationibus verba rogationis in tantum extendebant, ut propemodum nulla domus ab ipsorum iniquitate tuta esset. Sic ferme *interpretandi* verbo utitur Agr. 15, 1. *Conferre injurias & interpretando accendere*, hoc est, extendere, augere, trahere ulterius, quam ex mente inferentium. Sic & legum sensus cavillatione & calumniis delatorum extenditur, trahiturque ad casus neque verbis legis, neque mente comprehensos. Cicero in Bruto cap. 52. *Quam captiosum esset populo, quod scriptum esset, negligi, & opinione quæri voluntates, & interpretatione disertorum scripta simplicium hominum pervertere.* Freinshemius. - Quo tendat ista viri egregii pervicacia! ut cum ante oculos habeat monitionem Pichenæ, quæ & vera est, ille tamen citare maluerit *subverterentur*, quod non venit ab Tacito? Unde ista bono viro torvitas. *Jac. Gronovius.*

2 *Altius disseram*] Id est, ulterius repetito principio. 16, 18. & H. 4, 48. est *supra repetere*, Sallustiana phrasi. *Freinshemius.*

3 *Suopte ingenio peterentur*] Lego, *Peterent.* Acidalius. Quæ præcedunt verba, *vetustissimi*, &c. & quæ sequuntur, *cuperent*, &c. postulant, ut legatur, *peterent*, non, *peterentur.* licet & hoc ferri posiit. Ursinus. *Suopte ingenio* refertur ad *honesta*, non ad *vetustissimi.* Sic Liv. lib. 2. *Sed cura fuit consulibus & senioribus Patrum, ut imperium suo vehemens, mansueto permitteretur ingenio.* Gronovius.

4 *Æternum mansere*] Hoc est, usque ad auctoris ætatem, perpetua neque usquam interrupta successione. *Freinshemius.*

5 *Solon*] Ita vulgo. Sed quod notabile est, unicus MS. tam fide, tam antiquitate conspicuus, servat *Solo*, quod rejici non debuerat vel propter illa, quæ notavit Pater ad Senec. Agamemn. 514. *Jac. Gronovius.*

6 *Nobis Romulus*] Hoc est, quod scribit Pomponius in l. 2. de Origine Juris. *Initio Civitatis nostræ populus sine certa lege, sine jure certo, primum agere instituit: omniaque manu à regibus gubernabantur.* Idem testatur Halicarnasseus lib. 2. Tulit tamen Romulus quoque leges quasdam, sed perquam paucas. *Muretus.*

7 *Dein Numa*] Instituit collegium Pontificum, Virgines Vestales, feciales, flamines, multa templa condidit, multa sacra, multos ritus, ac cerimonias instituit. *Muretus.*

8 *Repertaque quædam*] Deleo illud *que.* Idem.

9 *A Tullo & Anco*] Legum ab eis latarum nullam extare memoriam puto: nisi quod jura belli Ancus instituisse dicitur. *Muretus.*

10 *Servius Tullius*] Ut divini Juris Numa, ita humani præcipuus auctor Servius fuit. Censum instituit, populum divisit in classes, multas leges æquissimas, & utilissimas tulit. *Idem.*

11 *Patrum factiones*] Qui plebem oppressam tenebant. *Muretus.* Sallustius 1. Hist. *Neque amplius quam regibus exactis, dum metus à Tarquinio, & bellum grave cum Hetruria positum est, æquo & modesto jure agitatum; dein servili imperio patres plebem exercere, de vita atque tergo more regio consulere, agro pellere, & cæteris expertibus soli in imperio agere, quibus sævitiis, & maxime fœnoris onere oppressa plebs, cum assiduis bellis tributum simul, & militiam toleraret, Aventinum insedit.* Aurelius.

12 *Tuendæ libertatis*] Ut lex de provocatione à magistratibus ad populum, quam tulit Valerius Poplicola, ut *lex Servilia*, ne quis civem Rom. æris alieni causa vinctum aut clausum teneret: ne quis militis, donec in castris esset, bona possideret, aut venderet: quæ tamen neglectæ ab Appio Claudio

dæ libertatis, & [1] firmandæ concordiæ: [2] creatique decemviri, & accitis quæ usquam egregia, compositæ duodecim tabulæ, [3] finis æqui juris. nam secutæ leges, etsi aliquando in maleficos ex delicto, sæpius tamen dissensione ordinum, & apiscendi inlicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava, per vim latæ sunt. Hinc Gracchi, & [4] Saturnini, turbatores plebis; [5] nec minor largitor nomine senatus [6] Drusus; corrupti spe, aut inlusi per intercessionem socii. Ac ne bello quidem [7] Italico, [8] mox civili omissum, quin multa & diversa sciscerentur; donec L. Sulla dictator abolitis vel conversis prioribus, cum plura addidisset, [9] otium ejus rei haud in longum paravit; statim turbidis [10] Lepidi rogationibus, neque multo post Tribunis [11] reddita licentia quoquo vellent populum agitandi. [12] Jamque non modo in commune, sed [13] in singulos homines latæ quæstiones: & corruptissima republica plurimæ

Servilii collega nullam vim habuerunt: leges sacratæ. *Muretus.*

1 *Firmandæ concordiæ*] Publicæ videlicet ordinum, non tantum populi sive plebis, ut quidam acceperunt. *Freinshemius.*

2 *Creatique decemviri*] Anno 299. missi erant tres legati in Græciam ad petendas leges, anno 302 creati decemviri ad leges ferendas. Unde primo decem, postea duodecim tabulæ quas veteres mirifice commendarunt. Crassus apud Ciceronem lib. 1. de Oratore: *Fremant omnes licet, dicam quod sentio. Bibliothecas mehercle omnium philosophorum unus mihi videtur* XII. *tabularum libellus, si quis legum fontes, & capita viderit, & auctoritatis pondere & utilitatis ubertate superare.* Eas ed.scebant pueri, ut carmen necessarium. Idem primo de legibus. Livius lib. 3. ait, eas, *nunc quoque in immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo, esse fontem omnis publici privatique juris.* Phavorinus apud Gellium ait, se non minus diligenser illas legisse, quam Platonis libros de legibus. *Muretus.*

3 *Finis æqui juris*] Hoc est, consensu ordinum introducti. *Finis* nihil aliud quam extremum tempus designat. Sic 2, 34. *Isque finis rei.* 15, 50. *Finem adesse imperii.* Freinshemius.

4 *Saturnini*] L. Appulejum Saturninum significat, qui fuit occisus à populo, cum pœnitentiæ faceret fidem. De cujus morte Cicero in Oratione pro C. Rabirio perduellionis reo, prima in Catilinam, octava in Antonium. Livius lib. 69. Vellejus posteriori volumine. Plutarchus in Masio. Appianus lib. 1. de bellis civilibus. alii. *Muretus.*

5 *Drusus*] De quo Livius lib. 70. & 71. fuit defensor senatus adversus Servilium Cæpionem. Repertus domi mortuus. Extat ejus vox apud Florum, *nihil se ad largitionem ulli reliquisse, nisi si quis aut cœnum dividere vellet, aut cœlum.* Idem.

6 *Nec minor largitor nomine senatus Drusus*] Hoc est, nec minor turbator fuit Drusus, ob largitiones ab eo, nomine senatus, factas. Nam Livius Drusus Latinis civitatem, plebi agros, equitibus curiam, senatui judicia, permisit, ut ex historiis notum est. *Pichena.*

7 *Italico*] Quod & *sociale* dictum est. Florus lib. 3. *Muretus.*

8 *Mox civili*] Inter Marium & Sullam. *Idem.*

9 *Otium ei rei haud in longum paravit*] Syntaxis quidem eadem est c. 54. *splendidissimo cuique exitium parari.* Attamen faciunt omnino præter fas & decus, quum sic clandestino fuco evertunt manum auctoris, qui scripsit *ejus.* Sic enim habet unicus liber MS. ac sequebatur editio Beroaldi. An non fine tertio casu dixit 13, 38. *Ut dolus pararetur.* & 14, 24. *Qui dolum parabant?* Propterea restitui suum Tacito. *Jac. Gronovius.*

10 *Lepidi rogationibus*] De quibus Florus lib. IV. & quædam Sallust. in Fragm. *Lipsius.*

Lepidi rogationibus] Qui consul cum Q Catulo anno 675. acta Sullæ rescindere parabat, & revocare proscriptos, & bona possessoribus eripere. Hic pulsus in Sardinia morbo ex pœnitentia interiit. Florus. Extat oratio Lepidi hac de re in fragmentis Sallustii, & oratio Philippi adversus Lepidum. *Muretus.*

11 *Reddita licentia*] Primo Pompeji consulatu. *Idem.*

12 *Jamque non modo in commune, sed in singulos &c.*] Agnoscis credo vocem *modo* in priore parte positam non habere in posteriore *τὸ etiam*, quæ vox addita illam oppositionem consummat. Quam licet norim interdum quoque derelinqui, ut absit, & hinc forsan in hoc similiter loco non exhibeatur, imaginor tamen mihi aliquid admissum præter mentem Taciti & conturbatum. Nam quæso quis dixit *quoquo vellent agitare populum?* Respectu locorum dixisse scio 3, 74. *Quoquo inclinarent*, non propositorum. 4, 5. *Ituram quoquo terrarum, ubi* &c. Ita nunc fortassis etiam de sententia & secta interpreteris, quod ferri potest. Sed aliter auctor, ut 1 hist. 5. *miles pronus ad res novas, scelere insuper Nymphidii agitatur.* At vide quam bene procedant omnia, si scribas: *Tribunis reddita licentia quoquo modo vellent populum agitandi. Jamque non in commune* &c. Utique occurrebat sic 2, 50. *Ne cui verba in eam quoquo modo habita crimini forent.* Sed & cap. 19. hujus ipsius libri & 73. *Jac. Gronovius.*

13 *In singulos homines*] Cum tamen & sacratis legibus, & XII. tabulis sancitum esset, ut neve privilegium

plurimæ leges. Tum [1] Cn. Pompejus tertium consul, corrigendis moribus delectus, 28
& [2] gravior remediis quam delicta erant, suarumque legum [3] auctor idem ac subversor, quæ armis tuebatur, armis amisit. Exin continua [4] per viginti annos discordia, non mos, non jus. deterrima quæque impune; ac multa honesta exitio fuere. Sexto demum consulatu Cæsar Augustus, potentiæ securus, quæ triumviratu jusserat, abolevit; deditque jura, [5] quis pace & principe uteremur. [6] acriora ex eo vincla, [7] inditi

vilegium irrogari liceret, neve de capite, nisi comitiis centuriatis, rogari. Cicero pro Sextio. Unde lex Ciceronis 3 de legibus. *Privilegia ne irroganto.* Idem pro domo.. *Vetant leges sacratæ. vetant leges XII tabularum, leges privatis hominibus irrogari. id enim privilegium est.* est eadem lex & apud Platonem. *Muretus.*

1 *Cn. Pomp. III. Cos.*] Anno 701. petebant consulatum T. Annius Milo, P. Plautius Hypsæus, Q. Metellus Scipio, non solum largitione palam profusa, sed etiam factionibus armatorum succincti. Cum autem diu tracta comitia consuliaria essent, perficique ob eas ipsas perditas candidatorum contentiones non possent, & ob id mense Januario nulli dum neque consules, neque prætores essent, ac Milo quam primum comitia confici, competitores ejus trahi vellent, ideoque Q. Pompejus gener Scipionis, & T. Munatius Plancus, tribb. plebis referri ad senatum de patritiis convocandis, qui Interregem proderent, non essent passi; Milo Lanuvium, ubi Dictator erat, proficiscens Clodium occidit. Magni tumultus, aliique ex aliis interreges secuti. Tandem Cn. Pompejus sine collega consul creatus est. ipse in v. menses extremos Q. Metellum Scipionem socerum, sibi collegam cooptavit. *Idem.*

2 *Gravior remediis*] Gravior nimirum civitati, dum insolenter aut ambitiose multa constituit, quam ea vitia fuerant, quibus emendandis tantam potestatem acceperat. videatur Dio lib. 40. *Freinshemius.*

3 *Auctor idem ac subversor*] Nam leges de Ambitu & Judiciis tulit: & in suis amicis non servavit, imo perrupit. Ex Dione, Asconio, aliis. *Lipsius.*

Auctor idem & subversor] Ut illius, ne absentium ratio in comitiis haberetur. *Muretus.* Hæc verba, Cæsaris locum, quem hic adducam, non solum illustrant, sed vulgatam etiam ejus scripturam confirmant, quæ dubitari potest, an sincera sit. Sic enim Cæsar libro primo de bell. civil. *Novum in Rep. introductum exemplum queritur, ut Tribunicia intercessio armis notaretur, atque opprimeretur; quæ superioribus annis armis esset restituta*, &c. Dubium autem non est, quin Taciti quoque verba ad Tribuniciam potestatem à Cn. Pompejo restitutam referenda sint. Videnda quæ ad Cæsarem eo loco notavimus. *Ursinus.*

4 *Per viginti annos discordia*] Rotundus numerus, non verus. Nam à Pompeji III. consulatu ad Augusti VI. intersunt anni XXIV. *Lipsius.*

5 *Queis pace & principe*] Corruptus & mutilus locus. *Muretus.* Interpretatur Rhenanus quibus juribus nos uteremur *pace & principe* existente. Triumviratus enim tempore, injusta nec pacifica erat dominatio. secus pace composita, ipsoque Augusto principe. *Pichena.* Et eorum loco jura constituit ita comparata, ut eorum beneficio certa restitutæ tranquillitatis, bonique principis utilitas ad civitatem pertingeret. Quidam accipiunt, quasi dictum esset, *se principe*, alii melius *sub principibus*. nam profecto non tantum in suum principatum, sed perpetuas leges Augustus tulit: quarum pleræque diu post eum valuere: Consentiunt huic opinioni ceteræ versiones, mihi videntur verba *principe uti* paulo acutiorem sensum habere. *Uti principe* non tantum est habere principem, sed etiam usum & utilitatem ex eo capere. Sic χρῆσθαι positum est in apophthegmate Catonis, quod libro 40. Dio refert: ἀγαθοῦ ἀνδρὸς εἶναι ἔργον, μήτ' ἀποδιδράσκειν τὴν προστασίαν τῶν κοινῶν, ἄν γε τινὲς χρῆσθαι αὐτῷ ἐθελήσωσι. *Si qui ipso uti velint.* Freinshemius. Non placet acumen intempestivæ adulationis. *Quibus uteremur*, est, quod cum Pomponio dicas, *aleremur*; regeremur, viveremus. *Pace*, id est, per pacem terra marique ab ipso restitutam, nullo jam civilium armorum metu, eoque non talia, qualia triumviratu jussa, quæ sæpe temporum erant, non justitiæ; præsentis & paucorum, non perpetuæ publicæque utilitatis. *Pace* igitur jam reducta, sed & *Principe*, nempe instituto, introducto, exorto, summæ rei præposito velut eorum vindice ac defensore. Per pacem sub principe, quia pacis interfuit omnium potestatem ad unum conferri; cui scilicet ea non posset eripi, jamdudum parata, confirmata, succincta armis inter victos aut inermes atque imbelles. *Gronovius.*

6 *Acriora ex eo vincla*] Assentior Pichenæ, *artiora.* Lipsius.

7 *Inditi custodes*] Custodes sunt observatores & delatores. Ovid. lib. 3. Amor. El. 4.

Dure vir imposito teneræ custode puellæ.

Matial. lib. 10. Epig. 69.

Custodes das Polla viro, non accipis ipsa, &c.

Juvenalis. *Sed quis custodiet ipsos Custodes*, &c. Seneca ad Polybium, *custodes animi tui sunt.* Sueton. in Tiber. *Non cessavit efflagitare aliquem cujuslibet ordinis custodem factis atque dictis suis.* Deleo autem *inditi*, & lego: *Custodes etiam L. P. P. P. inditi*, & pro *visi*, *ut si.* Muretus.

1 Lege

diti custodes, & [1] lege Papia Poppæa [2] præmiis inducti, [3] ut si * à privilegiis parentum

1 *Lege Papia Poppæa præmiis inducti*] Delatores scilicet accusatoresque. Suetonius Nerone, cap. x. *Præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit.* ut appareat præmia magna fuisse, & fortean tertiam aut semissem. *Lipsius.*

2 *Præmiis inducti*] Tacit. lib. IV. *Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam satis coercitum, per præmia eliciebantur.* Pichena.

3 *Visi à privilegiis*] Lego distinguoque, *inditi custodes, & lege Papia Poppæa præmiis inducti* (subaudi, *sunt illi custodes*) *si à privilegiis parentum cessaretur.* Aut, *sicubi à privilegiis parentum cessaretur.* Aut, *præmiis induct. vi.* veluti præmiis cogentibus. *Rhenanus.* Beatus in his emaculandis ingenium vexavit suum: Æmylius veritus est, ne quidpiam Corneliano scripto deesset: ego sic locum ex opinione nostra legendi in plano pono; *præmiis inducti, ne si à privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus, vacantia teneretur.* Vertranius. Divisis quæ oscitantia transscriptorum in unum coaluerant, *vi si à privilegiis*, ubi quæso corruptio? ubi obscuritas? Lex Papia Poppæa præmiis, & pœnis inducebat ad matrimonia contrahenda: Ex pœnis (de quarum moderatione hic tantum agitur) una fuit, ne cœlibes testamento relicta capere possent, sed ea ad ærarium deferrentur. *incitandis cœlibum pœnis, & augendo ærario.* quibus adtexe Cod. de infirm. cœlib. pœn. *qui jure veteri cœlibes habebantur, imminentibus legum terroribus liberentur, atque ita vivant, ac si numero maritorum matrimonii fœdere fulcirentur; sitque omnibus æqua conditio capessendi, quod quisque mereatur.* utraque sibi invicem præiucent, nec posteriora vulgo satis perspecta sunt τὸ *vi* pro pœna, sive supplicus. Terent. Adelph. *Qui imperium credunt gravius esse, aut stabilius vi quod fit, quam illud quod amicitia adjungitur.* Ordo denique verborum constat, nam finita digressione de origine progressuque legum, deque custodibus ab Augusto additis, quo ipsa firmius observarentur, redit ad narrationem Legis Papiæ, ejusque pœnas tantum recenset, quia solum de pœnis ejus minuendis tractabatur. *Salmerius.* Illud *visi*, mendosum est, proque eo Danesius, *nisi*, reponebat, ut totus locus ita legatur: *Acriora ex eo judicia, custodes etiam lege Papia Poppæa præmiis inducti, nisi à privilegiis parentum cessaretur*, &c. nam vocem, *inditi*, ex ea, quæ sequitur, *inducti*, repetitam esse suspicari possumus. *Ursinus.* Ægrotare hic mihi videtur Tacitus, etiam cum Lipsii medicina. Prius legebatur, *visi*, in Man. atque editis. Leviter ille immutat, facitque, *ut si.* Utcumque tamen sustinetur, ideo eam lectionem recepi. Taciti mens videtur, juxta Lipsii interpretationem: Ut si homines cessarent à matrimoniis, neque curarent fieri patres; tunc quidquid iis legatum aut relictum esset, vacans, sive caducum, quippe contra leges, haberetur, atque ad populum publicumque ærarium devolveretur. *Pichena.* Sententiæ cursus prono quasi alveo defluet, si emendaverimus, *ut si à privilegiis*, quomodo emendasse aliquem memini, sed quis, & ubi, non memini. *Gruterus.* Lipsius olim, *Præmiis inducti aut si à privilegiis.* Muretus tentavit: *acriora ex eo vincla, judicia, custodes: etiam lege P. P. P. inducti, ut si a. p.* &c. Nondum te expedias, imo magis impedias. Mihi levissima mutatione sic videatur aperta & vera sententia confieri. *Acriora ex eo cuncta: indices odiis, & lege Papia Poppæa præmiis inducti, ut si à privil.* &c. *Ex eo*, cape exinde. ut Virgil. *Ex illo fluere ac retro sublapsa referri Spes Danaum. Indices* vocat delatores & accusatores, qui propriis odiis, & mox præmiis lege Papia Poppæa constitutis inducti. Ex *vincla* feci *cuncta.* Ex *inditi custodes, indices odiis.* Quæ hic vis aut audacia? *Acidalius.* ut si utilitate publica non moverentur, saltem ob suam mercedem transgressores earum deferrent. inter alias autem cœlibum & orborum pœnas constitutum fuerat, ut legata iis, qui privilegiis patrum non gauderent, relicta, vel, universa, vel ex parte caduca fierent, & ad populum, tanquam omnium civium communem parentem, devolverentur. Quidam in hunc sensum concordare videntur, iis, qui sine liberis mortui fuissent, rempublicam successisse. Quod maximopere falsum arbitror, quum neque si testati decessissent: heredes instituti debuissent excludi, neque si intestati, propinqui eorum, puta parentes, fratres &c. Quod de testamento dixi, certum ex eo, quod nulibi reperitur interdictum cœlibi testamenti factione: neque credibile est unquam tam crudelem pœnam fuisse statutam, quum & exsulum testamenta manerent, donec Tiberio auctore ea potestas adempta est. Dio libro 57. neque si statuta fuisset, à scriptoribus non fuisset adnotata. Si itaque Resp. non exclusit institutos hæredes, multo minus eos, ad quos jure gentium hæreditas pertinet. Item non intelligo quid sibi velit Ital. quum ait constitutum fuisse, ut si quis nollet frui privilegiis parentum, populus iis frueretur, &c. Superest igitur, ut cum Ferretto, quem & Lipsius probat, dicamus non corruptum modo hunc locum, verum etiam defectum esse. *Vacantia* vero non intelligamus de bonis cœlibum, sed iis quæ quoquo modo talibus erant relicta. Quod optime docet atque firmat idem Lipsius in Excursu. *Fremshemius.* Accipio, *ut si*; de reliquo bonam spem habeo. Ab eo tempore, inquit, quod legibus, pace & principe, usi sumus; quod pax reducta & novo imperii nomine, nova potestate, Principe, juncta locum juri & judiciis dedit; acrius stringebant & impediebant leges, severiusque (si non & sævius interdum) animadversum & exercita vindicta in illos, qui tenerentur: nec tanta impunitas & suffugia, quanta in libertate aut per motus civicos vel

grassantes

tum cessaretur, velut parens omnium populus [1] vacantia teneret. sed altius penetrabant; urbemque, & Italiam, & quod usquam civium, corripuerant, [2] multorumque excisi status: & terror omnibus intentabatur; ni Tiberius statuendo remedio, quinque consularium, quinque è prætoriis, totidem è cetero senatu sorte duxisset; apud quos exsoluti plerique legis nexus modicum in præsens levamentum fuere. Per 29
idem tempus Neronem è liberis Germanici jam ingressum juventam, commendavit patribus; utque *munere* [3] *capessendi vigintiviratus solveretur*, *&* [4] *quinquennio maturius quam per leges* [5] *Quæsturam peteret*, non sine inrisu audientium postulavit.

[1] præ-

grassantes vel impendentes. Neque enim, ut prius, exspectatum, donec alicui forte liberet diserto inimicitias exsequi nomine deferundo, aut magistratus mulctam diceret, de qua ad populum certaretur: sed *inditi custodes & præmiis inducti.* hoc est, capita legibus addita, quibus præmia definiebantur accusatoribus, delatoribus, quadruplatoribus, sycophantis, tanquam bonis viris & custodibus legum & cognitoribus populi ac defensoribus. Vel Papia Poppæa quam insigniter illos invitat! sed minore invidia, cum populus in partem prædæ vocaretur, & magna specie æquitatis, ut, quum tanta privilegia maritatis & patribus essent proposita, si tamen ab illis per matrimonia & susceptos liberos appetendis cœlibes cessarent, eorum in relicta & legata juri populus omnium parens succederet, atque iis ut caducis frueretur. *Inditi* impositi, ut libro 4. *castella rupibus indita*, & libro 11. *vinclis inditis.* *Custodes*, ut 4 annal. 30. Cicero divinat. in Cæcilium de repetundis: *cujus legis non modo a po. Romano, sed etiam ab ultimis nationibus severi custodes requiruntur.* Adde in eadem cap. 20. & 21. Ut & pro Roscio Amerino cap. 20. Illud, *ut si non utilitate publica* &c. neque invenio in Tacito, nec requiro, aut eo locum quasi mancum suppleri existimo. Potuit hoc Augusto in mente aut prætextum tantæ acerbitati fuisse: Tacitus, si hominem novi, sentiebat non opus esse præmiis; delatores qui non castigat, & esse patitur, satis invitare. Pergit: Cæterum non intra æqua stetit delatorum impotentia. neque enim satis habebant ea criminari, quæ palam erat lege obligari: sed velut altius introspicientes & penitius scrutati vim & sententiam legis casus & criminum genera infinita commenti erant, ut propemodum nemo insons esset: & pari vehementia per omnes imperii Romani partes, quicquid ubique civium esset, nihil sæpe minus exspectantes in jus raptabant. Non enim capio, *Sed hæc altius.* Tacitus cum effert *penetrabant* & *corripuerant* intellectum voluit *custodes* illi custodiendi, sive accusatores. *Gronovius.*

1 *Vacantia*] Deficientia, caduca. Erant autem præmia delatorum ultra quartas. Sueton. in Neron. 10. *Præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit.* Murerus.

2 *Multorumque excisi status*] Hoc est quod antea dixit, *omnisque domus delatorum interpretationibus subvertebantur.* Et calumniæ multæ in hac lege circa ingenuitatis jura, & similia: ut periclitaretur non dubie multorum status. Plinius Panegyrico, de hisdem; *Vidimus delatorum judicium quasi grassatorum, quasi latronum. Non solitudinem illi noviter, sed templum, sed forum insederant: nulla jam testamenta secura, nullus status certus, non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum Principum avaritia. Advertisti oculos*, &c. Quibus in verbis emendo, *Non solitudinem illi, non iter.* quod perperam coaleverat, *noviter.* Itinera sane insident obsidentque grassatores. *Lipsius.*

3 *Capessendi vigintiviratus solveretur*] Non ergo aditus ad majores honores, nisi illo adepto? Apparet ex his verbis, itemque è Dione de Claudio, libro LVIII. Τὸς γαμβρὺς τότε ἐν τοῖς εἴκοσιν ἀνδράσιν ἄρξαι, καὶ μετὰ τῦτο πολιαρχῆσαι ἐν ταῖς ἀνοχαῖς, ἐκέλευσε, καὶ ὀψίποτε πέντε ἔτεσι θᾶττον τὰς ἀρχὰς αἰτῆσαι σφίσιν ἐπέτρεψε: *Generos suos jussit in Vigintiviris esse, tum & Præfectos urbi in feriis Latinis, denique quinquennio maturius magistratus petere indulsit.* Vigintiviros aperuit nobis solus Dio LIV. Triumviros Monetales, Triumviros Capitales, Quattuorviros Viales, Decemviros Stlitibus. Instituti sunt hoc numero ab Augusto (antea ad vigintisex erant) anno DCCXLI. Dionem adi, atque etiam Festum in voce Præfecturæ; cujus locum Cujacius emendavit libro XI. Observat. *Idem.*

4 *Quinquennio maturius*] Vides ergo quam aberret vir doctus & Italiæ suæ Suada, qui negat legitimam ullam ætatem Quæsturæ fuisse. Fuit. præter hunc locum, Spartianus in Juliano: *Quæstor, ante annum quam legitima ætas sinebat, designatus est.* Sueton. in Calig. cap. 5. *Quæsturam quinquennio antequam per leges liceret, & post eam Consulatum statim gessit.* Sed quænam illa? vide in EXCURS. *D.* Idem.

5 *Quæsturam peteret*] Quæstura janitrix fuit reliquarum dignitatum. Cicero 3. de leg. nam ad Ædilitatem, Præturam, & Consulatum viam faciebat. Sic in Albin. Capitolin. *Quæstura gratia illi facta est, qua concessa ædilis non amplius quam decem diebus fuit, quod ad exercitum festinanter mitteretur. Deinde Præturam egit sub Commodo famosissimam. Consul à Severo declaratus est.* Vides ordinem dignitatum? Qui necessario servandus erat. Nam sic Liv. libro 32. *Comitia per M. Fulvium & Man. Curium tribunos plebis impediebantur, quod T. Quintium Flaminium Consulatum ex quæstura petere non patiebantur. jam ædilitatem præturamque fastidiri, nec per*

[1] prætendebat *fibi* [2] *atque fratri decreta eadem*, *petente Augusto.* fed neque tum fuiffe dubitaverim, qui ejufmodi preces occulti inluderent. [3] ac tamen initia faftigii Cæfaribus erant: [4] magifque in oculis vetus mos, & privignis cum vitrico levior neceffitudo, quam avo adverfum nepotem. [5] Additur pontificatus, & [6] quo primum die forum ingreffus eft, congiarium plebi, admodum lætæ, quod Germanici ftirpem jam

honorum gradus documentum fui dantes nobiles tendere ad confulatum, fed tranfcendendo media fumma imis continuare. Aurelius.

1 *Prætendebat fibi*] Vide Dionem de Tiberio, libro LIII. in actis anni DCCXXX. de Drufo, libro LIV. actis anni DCCXXXV. *Lipfius.*

Sibi] Dio lib. 53. *Muretus.*

2 *Atque fratri*] Drufo. Dio l. 54. *Idem.*

3 *Ac tamen initia*] Attamen id fuit initium Cæfaribus ad fummum faftigium, & tunc petente Augufto privignis Tiberio atque Drufo quæfturam ante tempus, & folutionem xx. viratus, refpiciebant homines fere veterem morem: præcipue quia minor erat caufa, leviorque conjunctio fanguinis Augufto cum Tiberio & Drufo, quam Tiberio cum Germanico. *Ferretus.* Muretus, *Hæc tamen.* Ego porro ex *magifque* faciam *quamvis* tranfpofitione faltem literarum, & fic diftinguam: *Hæc tamen initia faftigii Cæfaribus erant, quamvis i. o. v. mos, & privig. c. vitrico* &c. Ita vera Taciti fententia exprimitur. *Acidalius.* Tres caufas Tacitus affert quibus oftendit, Augufti preces, pro minimis etiam privignorum honoribus fuiffe excufabiliores, minufque dignas quæ illuderentur. Prima, quia ipfius imperium recens: Tiberii contra diuturnitate firmatum. Secunda quia tum magis in oculis vetus mos, ut fcil. honores à Senatu tribuerentur. Tertia quia minus incongruens vitrico, ob leviorem neceffitudinem, privignis honores precari, quam avo nepoti. Poterat enim Tiberius escufari, fi ipfemet, abfque auctoritate fenatus Neroni nepoti talia conceffiffet. Secus fi Auguftus privignis. *Pichena.* Hoc dicit, etiam Augufti ævo fuiffe qui preces ejufmodi inluderent, quafi fimulatas, cum id peterent Cæfares, quod cogere poterant, confirmata jam etiam in majoris momenti rebus potentia. Quamquam, ait, tum temporis nondum in hoc faftigium escreverant: fed erat adhuc initium faftigii Cæfaribus, præterea in oculis, in confpectu, in recenti memoria, vetus mos, antiqua & libera rep. ufitatus, ut fcilicet leges annales obfervarentur. deinde etiam Auguftus plus cauffæ habebat privilegium excufandi, quod privignis peteret, quam haberet Tiberius pro nepote ea poftulans. Quippe huic quo arctior neceffitudo, fic excufatius quicquid eo intuitu molitur. *Freinshemius.*

4 *Magifque in oculis*] Quafi dicat: tamen alii non illudebant, & attendebant hæc initia & gradus ad Principatum effe. Quæfturam, inquam, extra ordinem aut ætatem datam, & folutionem à Vigintiviratu; itemque attendebant vetus & ab Augufto inftitutum, non recens à Tiberio; quod fi ille feciffet, qui vitricus tantum iftorum erat (Tiberii & Drufi) cur non Tiberius in nepotibus ufurparet, magis junctis? Nepotibus tamen, adoptione: cum fanguine propatruus eorum effet. *Lipfius.*

5 *Additur Pontificatus*] De Nerone agit Germanici F. quem tamen ego Pontificem, in lapidibus, qui data opera honori ejus & memoriæ pofiti, non lego. Exftat urna (à Caligula, ut è Suetonio colligas, dicata) Romæ:

OSSA.
NERONIS. CÆSARIS.
GERMANICI. CÆSARIS. F.
DIVI. AVG. PRON. FLAMIN.
AVGVSTALIS. QVÆSTORIS.

Et in Hifpania marmor, quod amicus nofter Carolus Clufius defcripfit:

NERONI. CÆSARI.
GERMANICI. F.
TI. AVGVSTI. N. DIVI. AVG.
PRON. FLAMINI. AVGVSTALI.
SODALI. AVGVSTALI.

Ubi cum Flamen utrobique infculpatur, non Pontifex: fubvereri in mentem venit, ne in cognato honore Tacitus fi forte aberrarit. *Idem.*

Additur pontificatus] Quanquam non peteretur Pontificatus, adjectum à Patribus indigitat. *Freinshemius.*

6 *Quo primum die*] Id eft Tirocinii die, five togæ virilis. quo, aufpicii cauffa, tirones à patre proximifque folenni officio in forum deduci, & inde in Capitolium folent. Notat Plutarchus in Bruto: & Valerius Max. lib. v. cap. IV. *M. Cotta eo ipfo die quo togam fumfit virilem, protenus ut è Capitolio defcendit, C. Carbonem, à quo pater ejus damnatus fuerat, poftulavit.* Suetonius in Augufto: *Duodecimum & tertiumdecimum confulatum magno, id eft, XVII. annorum intervallo, ultro petiit, ut Cajum & Lucium filios ampliffimo præditus magiftratu, fuo quemque tirocinio deduceret in forum.* In Tiberio: *Romam reverfus, deducto in forum filio Drufo.* Munera etiam fportulafque dari tirocinio folere, obfervabis hic ex Tacito, & Suetonii Nerone, c. VII. *Deductus in forum tiro, populo congiarium, militi donativum propofuit.* & Calig. cap. x.. Nec in principum modo liberis, fed vulgo id fervatum, difco ex Plinio lib. x. Epift. *Qui virilem togam fumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt magiftratum, folent totam bulen atque etiam è plebe non exiguum numerum vocare, binofque denarios vel fingulos dare.* Lipfius.

1 *Nuptiis*

jam puberem adspiciebat. Auctum dehinc gaudium, [1] nuptiis Neronis & Juliæ Drusi filiæ. Utque hæc secundo rumore, ita adversis animis acceptum, [2] quod filio Claudii socer Sejanus destinaretur. polluisse nobilitatem familiæ [3] videbantur, suspectumque jam nimiæ spei Sejanum [4] ultro extulisse. 30
Fine anni concessere vita insignes viri, L. Volusius & Sallustius Crispus. Volusio vetus familia, neque tamen præturam egressa. ipse consulatum intulit, [5] censoria etiam potestate legendis equitum decuriis functus, opumque quis domus illa immensum viguit, primus adcumulator. Crispum equestri ortum loco, C. Sallustius rerum Romanarum florentissimus auctor, sororis nepotem in nomen adscivit. atque ille, quamquam prompto ad capessendos honores aditu, Mæcenatem æmulatus, sine dignitate senatoria multos triumphalium consulariumque potentia anteiit. diversus à veterum instituto, per cultum & munditias; copiaque & [6] affluentia luxu propior: suberat tamen vigor animi, ingentibus negotiis par; eo acrior, quo somnum & inertiam magis ostentabat. Igitur incolumi Mæcenate proximus; mox præcipuus, cui secreta imperatorum inniterentur, & interficiendi Postumi Agrippæ conscius, ætate provecta speciem magis in amicitia principis quam vim tenuit. idque & Mæcenati acciderat; [7] fato potentiæ raro sempiternæ: [8] an satias capit, aut illos cum omnia tribuerunt; aut hos, cum jam nihil reliquum est quod cupiant.
Sequitur Tiberii quartus, Drusi secundus consulatus, pa- 31
tris atque filii collegio insignis. nam biennio ante, Germanici cum Tiberio idem honor,

1 *Nuptiis Neronis*] Quod igitur supra est: *Silani filiam Neroni vetustissimo liberorum Germanici pactam* (*l.* II.) pactam desponsamque fuisse credimus, nuptam deductamque non fuisse. Aut si fuit, fatum abstulit, & locum huic fecit. *Idem.*

2 *Quod filio Claudii*] Explicat Sueton. Claudii c. XXVII. *Drusum Pompejis impuberem amisit, piro per lusum in sublime jacto, & hiatu oris excepto: * cui & ante paucos dies Sejani filiam despondisset.* ita enim eum locum in Antiquis olim restituimus. Vide infra, initium lib. IV. *Idem.*

3 *Videbantur*] Immo *videbatur.* nempe Tiberius. Nam quod Freinshemius intelligit *ii quibus auctoribus id gestum erat*, non videtur hic locum habere. *Gronovius.*

4 *Ultro extulisse*] Satis clare, si id negotium totum sic gubernatum fuit ab Tiberio ipso, vel consortibus Augusteæ familiæ. Haud dubie reor etiam ipsum Sejanum ursisse pro viribus. Et unde illud *ultro?* In unico MS. perspicue legitur *ultra*, nec aliter edidit Beroaldus, idque retineo, invitis omnibus, qui ad inania & falsa deviarunt. *Ultra* scil. quam oportuit, aut illi sperandum fuit. *Jac. Gronovius.*

5 *Censoria etiam potestate*] Munusne illud intellegit, quod Augustus instituit, Triumviratum recognoscendi equites? de quo Suetonius cap. XXXVII. An potius lectas ab eo decurias judicum vult, (quod Censorium olim munus) honore à Principe dato? *Gronovius.*

6 *Affluentia luxu propior*] Sic paulo infra: *simul sexum natura invalidum deseri, & exponi suo luxu.* & Hist. lib. 2. *luxu & sagine mancipatus emptusque.* Sexto casu pro tertio usus videtur. ut Virg. Æn. VI. *Siste gradum teque adspectu ne subtrahe nostro.* Plaut. Amp. *neque nox quoquam concedit die.* Et *facie*, pro *faciei*, antiquis dictum testatur Agellius libro IX. cap. XIV. Tacitus tamen alibi, *luxui*, dixit, ut libro XII. *Non luxui aut voluptatibus assuefactus.* libro XV. *aliquando luxui indulgebat.* Pichena. Non omnino deditus luxui, sed inter luxum & antiquam parcimoniam constitutus, & tamen illo propendens. Sic *propior ignaro*, *miseranti* &c. apud nostrum: qui magis eo accederet, ut pro ignaro, miserante &c. haberetur. quamquam adhuc dubitari possit. Ita Tertullianus alicubi Christianum ex vita abire ait *optanti propiorem.* non quod omnino optet, quod non est Christiani, cujus vota in Dei, non sua potestate sunt; sed quod tamen huc inclinare videatur. *Freinshemius.*

7 *Fato potentiæ raro sempiternæ*] Sophocl. in Ajace, *ὡς ταχεῖά τις βροτοῖς χάρις διαῤῥεῖ; Quam velox mortalibus gratia effluit?* Et Ovid. 2. Met. *Nulla potentia longa est.* Horatius de fluxa mulierum fide ita scribit:

—— Heu quoties fidem
Mutatosque deos flebit & aspera
Nigris æquora ventis
Emirabitur insolens.

Aurelius.

8 *An satias capit*] Hujus vocabuli usurpatio Cornelium antiquarium ostendit, usum nomine, quod Accio Lucilioque, M. Varroni & Sallustio familiare Nonius testatur: ego his addo T. Lucretium ex lib. V. *Nil, ut opinor, ita ad satiatem terra ferarum.* Et infra: *Juvabunt cum satiate cibi.* Eodem

nor, neque patruo lætus, neque natura [1] tam connexus fuerat. Ejus anni principio Tiberius, quasi firmandæ valetudini, in Campaniam concessit: longam & continuam absentiam paulatim meditans; [2] sive ut amoto patre, Drusus munia consulatus solus impleret. Ac forte parva res magnum ad certamen progressa, præbuit juveni materiem [3] apiscendi favoris. Domitius Corbulo prætura functus de L. Sulla nobili juvene questus est apud senatum, [4] *quod sibi inter spectacula gladiatorum*, [5] *loco non decessisset*. pro Corbulone ætas, patrius mos, studia seniorum erant: contra Mamercus Scaurus, & L. Arruntius, aliique Sullæ propinqui nitebantur. [6] certabantque orationibus, & [7] memorabantur *exempla majorum, qui juventutis inreverentiam gravibus decretis notavissent*, donec Drusus apta temperandis animis disseruit; & satisfactum Corbuloni per Mamercum, qui patruus simul ac vitricus Sullæ, & [8] oratorum ea ætate uberrimus erat. Idem Corbulo [9] *plurima per Italiam itinera*, [10] *fraude mancipum & incuria*

sensu apud Liv. lib. 30. *satias amoris in uxore ex multa copia capit.* Sane & *satias*, & *sonor*, & *apiscor*, & *anquiro*, & *quando*, & *propter*, quibus hic noster utitur, verba sunt à vetustate repetita, quæ ut ait M. Fabius, non solum magnos assertores habent, sed etiam afferunt orationi majestatem. *Nam & auctoritatis antiquitatem habent, & quia intermissa sunt, gratiam novitati similem parant*, inquit ille. *Vertranius.*

1 *Tam connexus*] Suspicor Tacitum scripsisse, *connexu*. Gronovius.

2 *Sive ut amoto*] Hic omnino desideratur alia portio alternativæ orationis. *Ferretus.* Non desideratur, etiamsi non apparet priori parti τὸ *sive* præpositum, quod Ænnio fraudi fuit. Sic lib. 2. annal. *visu sive metu credita.* Hoc facile alii assecuti. Sed vim τοῦ *meditans* haud scio an satis perceperint. Id enim est non cogitans, sed in antecessum experiens, prætentans, prægustans, & ei quasi proludens. Ut *meditari* dicimur, in quo nos exercemus ad discendum: & morbi genus in difficultate respirandi *meditationem mortis* vocat Seneca ep. 54. ubi notavimus. Pro eo *discere* ponit in Hercule Furente Somnum alloquens: *genus humanum cogis longam discere mortem.* id est, meditari. *Gronovius.*

3 *Apiscendi favoris*] Id est, obtinendi, *Apisci* namque, à quo *aptus*, idem Pompejo quod *adipisci* est. *Vertranius.*

Materiam apiscendi favoris] En cœcum mutationis furtum. Quum in MS. unico legatur *materiem*, quum Beroaldi editio id caste servet, etiam adhue Aldina, nescio ex quo angulo prorepserit ille malus digitus literam *a* subjecturus. An non ita 1, 76. *Concessam filio materiem.* Retineant *materia* 1, 35. ubi vindicat fides codicis. Itaque repetivi verum. *Jac. Gronovius.*

4 *Quod sibi inter spectacula*] In theatro olim discreta loca: nondum, ut vides, in Circo aut Amphitheatro. Alias, caussa non fuisset huic querelæ. Discrevit primus Claudius Imp. & *in Circo*, (Suetonii verba sunt cap. XXI.) *propria Senatoribus constituit loca, promiscue spectare solitis.* Tamen Augusti temporibus decretum Patrum fuit, *ut quoties quid spectaculi usquam publice ederetur, primus subselliorum ordo vacaret Senatoribus*, ait idem Suet. in August. cap. XLIV. Sed id extra urbem dumtaxat fuit firmum. *Lipsius.*

5 *Loco non decessisset*] Videri queat redundare vox *loco*; sed tantum videri. nam composita pro simplicibus sæpicule ponit noster, & *locus*, meis quidem auribus si absit, videatur magis loqui de eo qui non decesserit de via, quam qui non cesserit sede sua Corbuloni. *Gruterus.*

6 *Certabant orationibus*] Non modo mutare literas in Tacito clandestina lascivia potuit, immo etiam demere. Quum enim Beroaldus atque etiam Aldus ediderint *certabantque* id quod integrum scio exstare in MSto. nescio quibus ita efferre illas & evehere placuerit. Certe miror Pichenam. Ego sequor antiqua & reposui. *Jac. Gronovius.*

7 *Memorabantur exempla majorum*] Si animus est, consule Electa mea, capite de lictoribus. & adde quod in Plutarchi Gracchis scribitur, C. Veturio mortem illatam, quia Tribuno in forum venienti non decessisset. *Lipsius.*

8 *Oratorum ea ætate*] Dio l. VI. *Idem.*

Oratorum ea ætate uberrimus] Non omnes eloquentiæ numeros ei tribuit, quod versiones faciunt; verum hoc tantum, quod fuerit in dicendo copiosus, cui ubertim adflueret oratio. Sed hoc uno perfecti oratoris laus minime absolvitur. Sicut abunde vel ex his Ciceronis intelligatur in Oratore cap. 28. *Hic autem copiosissimus, si nihil est aliud, vix satis sanus videri solet. Qui enim nihil potest tranquille, nihil leniter, nihil partite, definite, distincte, facete dicere, præsertim cum causa partim tota sine eo modo, partim aliqua ex parte tractanda: si is non præparatis auribus inflammare rem cœpit: furere apud sanos, & quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur.* Freinshemius.

9 *Plurima per Italiam itinera*] Dio scribit, Corbulonem magistratibus & Senatui molestum fuisse, quod frequenter de istis itineribus quereretur: verum sub Caligula, eam ob rem, consulatum meruit. Fuit autem veteribus Romanis magna itinerum

incuria magistratuum interrupta & impervia clamitando, [1] exsecutionem ejus negotii libens suscepit: quod haud perinde [2] publice usui habitum, quam exitiosum multis, [3] quorum in pecuniam atque famam damnationibus & hasta sæviebat. Neque multo 32
post missis ad senatum litteris Tiberius *motam rursum Africam incursu Tacfarinatis* docuit; *judicioque patrum* [4] *deligendum proconsule, gnarum militiæ, corpore validum, & bello suffecturum.* quod initium Sex. Pompejus agitandi adversus M. Lepidum odii nactus, [5] *ut socordem, inopem, & majoribus suis dedecorum, eoque etiam* [6] *Asiæ sorte depellendum,*

rum cura. Nam lex Viaria Sempronii nota est, lata à Cajo Sempronio; Q. Cæcilio Metello Baleario & Tito Quintio Coss. qua cautum erat, ut viae Italiæ munirentur, lapidibusque milliaria discernentibus notarentur, pontibusque struerentur. Plutarch. in Gracch. *Aurelius.*

10 *Fraude mancipum*] Mancipes hie, qui vias publicas reficiendas quæstus sui caussa redimebant. Hyginus: *Via publica & Curatores accipiunt, & per redemptores muniuntur.* Lapis Romæ in hortis Carpensibus.

CN. CORNELIO.
CN. F. SAB.
MANCIPI. VIÆ. APPIÆ.

Sed qui magistratus? credo, intellegit minores, id est, Curatores viarum qui ab Augusto. Vide Excvrs. in *E.* Lipsius.

1 *Exsecutionem ejus negotii*] Non nunc tantum, sed & postea iterum sub Cajo: & vir cetera magnus hæsit in his calumniæ sordibus, bonis omnibus invitis. Vide Dionem lib. LIX. *Idem.*

2 *Usui publice habito*] Auctor opponit privata damna publicæ utilitati. hanc quidem adfuisse non negat, sed nimio cum multorum incommodo. *Freinshemius.*

3 *Quorum in pecuniam*] In possessorum videlicet, qui agros haberent viæ vicinos. Quasdam enim vias collaticia pecunia tueri finitimi debebant: ut vulgo hodie. Hyginus manuscriptus: *Via publica auctorum nomina obtinent, & Curatores accipiunt, & per redemptores muniuntur. Nam & quarundam tutela à possessoribus, per tempora, certa summa exigitur.* Lipsius.

4 *Deligendum proconsule*] Sic enim MS. quum vulgo edatur *proconsulem.* Vide ad 2, 66. Sed & mox edit codex ille *nanclus*, quod tolerare nequivit jam Beroaldus, quum toties ea litera *n* adsumatur in Latinis. *Jac. Gronovius.*

5 *Ut socordem*] 'Αβίλτερον. *Muretus.*

6 *Asia sorte depellendum*] De Provinciis, quæ populo Romano relictæ ab Augusto, earumque administratione, pleraque docte notata viris magnis Pauca sunt, quæ addantur luci historiæ. In eas missos Proconsulibus, missos sorte, missos in annum, recte adnotatum est, item Consulares duas, Asiam & Africam, reliquas prætorias, quas decem enumerat Strabo in ipso fine operis elaboratissimi. Sed hoc addendum, sortitos eas provincias consulares & prætorias secundum ordinem, quo eos magistratus in urbe gessissent. Nam & Asiam & Africam sortiti anno suo Consulares duo, qui antiquiores ceteris Consularibus. Anno suo dico, quia arcanum imperii illud ab Augusto, ne imperia continuarentur, ut magistratus deposito honore manerent in urbe saltem quinquennium ante quam provinciam sortirentur, Dio; Suetonius. Itaque non statim ejurato magistratu prætores aut Consules ibant in provincias, sicuti in veteri republica; sed post quinquennium; interdum etiam post sexennium, septennium, aut eo tardius. Id fiebat, quia non ut ante, duo tantum Consules quoquo anno, sed suffectis aliis post paucos menses crescebat numerus Consularium. Itaque duo antiquiores sortiebantur inter se eas provincias Asiam & Africam; sicuti prætorii secundum ordinem gesti magistratus etiam cæteras sorte ducebant: in quis si pluribus ejusdem anni magistratibus locus non esset, prælati in sorte mariti iis, qui essent cœlibes, patentes orbis; ex legibus Juliis & Papia. Apud Tacitum sæpius videbis referri, quis quo anno Asiam, quis Africam rexerit: observa fastos: videbis eo ordine mitti in eas Provincias, quo Consules fuere: clareque id Tacitus ipse indicat, fine hujus libri; *Ita sors Asiæ in eum, qui Consularium Maluginensi proximus erat, conlata.* Inde est, quod paullo ante idem Maluginensis anno suo sortiri vult Asiam, quamvis flamen Dialis. Inde, quod hic Lepido sine sorte datur Asia, quia Africa extra ordinem exempta sorti. inde, quod in Suetonii Galba, *prohibitus à Tiberio sortiri anno suo proconsulatum.* Inde apud nostrum hunc in Agricola, *Aderat jam annus, quo proconsulatum Asiæ & Africæ sortiretur*, hoc est, sorte duceret, utram earum regeret. Quod minus animadversum suspectum mendi locum fecit eruditiss. Lipsio. Hæc ordinaria & solennia. At factum interdum urgentibus provinciarum rebus, ut dilata in proximum annum sorte unius è Consularibus, altera provincia extra ordinem judicio Principis vel Senatus mandaretur: quod in Asia nescio an factum, pacata & quieta provincia. In Africa turbidiore non semel accidit. apud Suetonium, Galba Africam proconsule biennio obtinuit, *extra sortem electus ad ordinandam provinciam, & intestina dissensione, & barbarorum tumultu inquietam.* Idem exemplum hic, ubi Blæsus extra ordinem electos Africæ pacandæ, & sequenti anno continuatus. In Suet. Vitellio causa alia, quod ille duobus annis in Africa: nam priore sortitus eam ex Consulatu ordi-

pellendum, incusavit; adverso senatu, qui *Lepidum mitem magis quam ignavum; paternas ei angustias & nobilitatem sine probro actam, honori quam ignominiæ habendam* du-
33 cebat. Igitur missus in Asiam. Et *de Africa* decretum *ut Cæsar legeret, cui mandanda foret.* Inter quæ Severus Cæcina censuit; *ne quem magistratum, cui provincia obvenisset,* [1] *uxor comitaretur:* multum ante repetito, *concordem sibi conjugem & sex partus enixam: seque quæ in publicum statueret domi servavisse, cohibita intra Italiam,* *quam-*

ordinario; altero legatus fratris, qui in Consulatu suffectus ipsi, & ideo sequenti anno sortitus Consularem provinciam. Causa alia imperii extraordinarii apud Xiphilinum in Tiberio, penuria Consularium aut prætoriorum. qui exhausti ejus tyranni sævitia. *τοσοῦτοι γὰρ πλῆθος τότε ἄλλοι καὶ τῶν βουλευτῶν ἐξώλοντο, ὥστε τοὺς ἄρχοντας τοὺς κληρωτοὺς τοὺς μὲν ἐστρατηγηκότας ἐπὶ τρία, τοὺς δὲ ὑπατευκότας, ἐπὶ ἓξ ἔτη τὰς ἡγεμονίας τῶν ἐθνῶν ἀπορίᾳ τῶν διαδεξομένων αὐτοὺς σχεῖν. Mercerus.* Quam jam obtinuerat. Alii exponunt tamquam adhuc sortiendum fuisset. Sed si hæc vera foret sententia, non addidisset auctor, *Asia*, cur enim illa potissimum exciperetur? nam qui ita loquitur, ad alias sortes, puta Bithyniæ, Cretæ &c. admissum intelligeret. deinde & *depellendi* verbum arguit, eripi debuisse, quod jam habebat, in cujus possessione erat. Sortitus igitur fuerat Asiam, & ubi prior proconsul decessisset, eo profecturus erat. Pompejus autem id concedendum negat: verum sortem eam illi adimendam esse. non ob hoc quia Asiam sortitus erat: sed quamcunque provinciam obtinuisset. non quod ad sortem confirmandam eripiendamve quidquam pertineret. Itaque versionum, à quibus dissentimus, opinio, non aliter locum habere possit, quam si statuamus de una provincia plures simul in sortem mitti solitos: tum enim fieri potuisset, ut unus aliquis excluderetur. Sed hoc numquam factum esse puto. Quin sicut olim in libera rep. tot magistratus fuisse, quod sortes, tot autem sortes quot provincias, ut ita singulis, qui sortirentur, sua eveniret. Liv. 32. 27. *Sex prætores illo anno primum creati: crescentibus jam provinciis & latius patescente imperio.* & mox: *prius de prætoribus transacta res, quæ transigi sorte poterat. urbana Sergio; peregrina jurisdictio Minutio obtigit. Sardiniam Acilius &c. est sortitus.* Eundem igitur morem sub Augusto & postea in sortiendo fuisse, planissime docet Dio lib. 53. *ἐσηρίθμους τε γὰρ τοῖς ἔθνεσι, καὶ οὓς ἂν ἐθελήσῃ κληροῦσθαι κελεύει. tot viros quot & provinciæ sunt* (inter quas hanc ipsam Asiam modo numeraverat) *quos ipsi visum eligere, sortiri jubet.* Non igitur plures de una provincia, & si de pluribus provinciis totidem viri, antequam perfecta esset sortitio, non poterat dignosci, quid cuique esset obventurum. Et proinde Asiæ forte nullo modo depelli potuit Lepidus, nisi illa jam obtigisset. Quid Mercerus senserit, novi. *Freinshemius.* Ego vero non sortitum nec sortiendum habuisse censeo. Sortiri solebant Asiam & Africam. Sed quia extra ordinem deligebatur, cui mandaretur Africa, restabat Asia sola. Quid igitur sorte opus? Porro de his sortiebantur duo consularium omnium vetustissimi. Horum priorem fuisse Man. Æmilium Lepidum accipimus: ita ad hunc jam Asia sine sortitione pertinebat. Hactenus etiam obtinuisse potest dici, nempe spe ac destinatione & sua & omnium, qui non essent ei malevoli, & ea si careret veniente anno, inde depellebatur. Quid ergo est? Impedivit virum doctissimum vocabulum *Sors*, quod putavit locum non habere. nisi utique urna intercessisset. At *Sors* nihil aliud hic Tacito quam provincia, sive sorte, sive sine sorte haberetur, ideo, quia rite ac solenniter non nisi per sortem habebatur: ut sæpe apud Livium. Sic lib. 42. *Illud quoque præcipuum datum sorti Macedoniæ, ut centuriones militesque veteres scriberet, quos vellet, consul usque ad quinquaginta annos.* Sic cum Cicero *conjunctionem sortis, necessitudinem sortis*, dicit, nihil aliud dicit quam communis provinciæ conjunctionem & necessitudinem. Lib. 2. epist. 19. *ad eam necessitudinem, quam nobis sors tribuisset, consuetudinem quoque accedere.* hoc est, provincia conjuncta. Invitis omnibus scriptis ita tenendum; nec magis Victorio ad edendum *sors* quam Gebhardo ad probandum *accidere* fuit intima causa. Sed & frustra captatur *τὸ depellere.* Neque enim id aliter dicitur quam *dejicere honore* Livio, lib. 39. *Coierantque ad dejiciendum honore eum:* & *detrudere* Suetonio in Julio, *detrudendi Domitii causa:* non sane quem jam habebant, in cujus possessione erant, sed quem petebant, spe tantum & votis sibi despondebant. *Gronovius.*

1 *Uxor comitaretur*] Olim id insolens. Declamatores apud Senecam patrem, lib. IX. Controv. de Flaminio. *Hic est Flaminius qui exiturus in provinciam, uxorem à porta dimisit.* & alius: *In hoc tecum uxorem non misimus? ut salva provincia sit, optemus meretrici bonam mentem.* ita lego locum eum & distinguo. Nec in crebro usu etiam temporibus Augusti. ut ex Suetonii verbis apparet, cap. XXIV. *Disciplinam severissime rexit. ne legatorum quidem cuiquam, nisi gravate, hibernisque demum mensibus, permisit uxorem intervisere.* Sed irrepsit: & Germanico Agrippina in provinciis comes, ipsi Augusto Livia. *Lipsius.*

Uxor comitaretur] Adhæsit his accuratissimus Grotius, & in exemplo uxoris Pilati, quam memorat Matthæus 27, 19. scribit invaluisse id Tiberii tempore, quem vide. Inde pronuntiant ita multi.

quamquam ipse pluris per provincias [1] *quadraginta stipendia explevisset. Haud enim frustra placitum olim, ne feminæ in socios aut gentes externas traherentur. inesse mulierum comitatui,* [2] *quæ pacem luxu, bellum formidine morentur, & Romanum agmen ad similitudinem* [3] *barbari incessus convertant. Non imbecillum tantum, & imparem laboribus sexum; sed si licentia adsit, sævum, ambitiosum, potestatis avidum: incedere inter milites, habere ad manum centuriones:* [4] *præsedisse nuper feminam exercitio cohortium, decursu legionum. Cogitarent ipsi, quotiens repetundarum aliqui arguerentur,* [5] *plura uxoribus objectari: his statim adhærescere deterrimum quemque provincialium: ab his negotia suscipi, transigi:* [6] *duorum egressus coli, duo esse prætoria; pervicacibus magis & impotentibus mulierum jussis, quæ* [7] *Oppiis quondam, aliisque legibus constrictæ, nunc* [8] *vinclis exsolutis, domos, fora, jam & exercitus regerent.* Paucorum hæc adsensu audita, plures obtur- 34
babant, [9] *neque relatum de negotio, neque Cæcinam dignum tantæ rei censorem.* mox Valerius

ti. Sed in illo loco non patet duo fuisse prætoria. Credo aliud esse annuam provinciam sorte accipere, aliud ab Cæsare legatum mitti, spatio indefinito, prout ei placuit. *Jac. Gronovius.*

1 *Quadraginta stipendia*] Est ergo idem ille Cæcina de quo supra lib. 1. *Quadragesimum id stipendium Cæcina parendi aut imperitandi habebat.* Lipsius.

2 *Quæ pacem luxu, bellum formidine morentur*] Male vulgo interpretantur. Multum enim interest, utrum quis cum illis dicat *pacem impediri à mulieribus*; an cum hoc, *in pace mulieres* (magistratuum videlicet conjuges, si viros comitentur) *impedimentum esse* res ex præscripto legum & commodo sociorum administrandi. *Freinshemius.*

3 *Barbari incessus*] Germani, Galli, Persæ, uxores, & concubinas secum in bella ducebant, ut Cæsar, Tacitus, & alii referunt. *Muretus.*

4 *Præsedisse nuper feminam*] Tangit Plancinam. supra: *Nec Plancina se intra decora feminis tenebat, sed exercitio equitum, decursibus cohortium interesse.* Lipsius.

5 *Plura uxoribus objectari*] *Proficisci autem Proconsulem melius est sine uxore: sed & cum uxore potest, dummodo sciat, Senatum Cotta & Messalla Coss. censuisse futurum, ut si quid uxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio, & vindicta exigatur.* L. Observare. D. De offic. Procos. *Muretus.* Sic Juven. Sat. 8.

> *Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal*
> *Vendit acersecomes; si nullum in conjuge crimen:*
> *Nec per conventus, & cuncta per oppida curvis*
> *Unguibus ire parat, nummos raptura Celæno.*

Vocat harpyjas, illas Proconsulum uxores. Sic accipio Martialis epigramma:

> *Gentibus in Libycis uxor tua, Galle, notatur*
> *Immodicæ fœdo crimine avaritiæ.*

Aurelius.

6 *Duorum egressus coli*] Rari hoc ceperunt, quippe nihil habent de *egressu*, qui proprie hic perstringitur. & de quo etiam intelligendum hoc ex 4. 68. de Sabino: *neque enim omiserat conjugem liberosque* (Germanici) *percolere, sectator domi, comes in publico.* Neque enim illustriores viri fœminæque sine magna comitantium deducentiumque frequentia in publicum prodire solebant: non domesticorum modo, verum etiam aliorum, qui officii causa cultusque eos sectabantur. Unde Labeo in l. 15. §. 16. de injur. *comitem definit, qui frequentandi cujusque causa ut sequeretur, destinatus est.* Sed solitus ille comitatus ferme consistebat ex familiaribus & clientibus: at magistratuum egressus etiam aliorum honestorum virorum, præsertim si qui ipsorum ope gratiaque indigerent, præsentia decorabantur. Cujus rei plurima passim occurrunt exempla. De Cicerone, Druso, Gracchis quanta frequentia deducti sint aliquando, nota res. Id multo magis in provinciis factum credibile est, quum ab uno ibi penderent omnia. De ejusmodi cultu Martial. Epigr. 3, 36.

> *Horridus ut primo semper te mane salutem,*
> *Per mediumque trahas me tua sella lutum.*

Freinshemius.

7. *Oppiis quondam*] Lex Oppia, quam C. Oppius trib. pleb. bello Punico destringendis mulierum cultibus tulerat, si duntaxat una fuit, quid est quod ejus meminerit Tacitus in numero plurativo? Sic Tertullianus profert leges Julias & leges Papias. Sic Ulpianus caducarias leges. Sic Plinius Voconias & Julias leges, ut alias observavi. Equidem usos auctores ea dicendi forma nihil ob aliud puto, quam ut amplificatione, per numerum multitudinis aliquid majus elocuti fuisse videantur. *Vertranius.*

8 *Vinclis exsolutis*] Dubites, an non etiam *vinclis exsoluta*, scribendum, ut *legibus constricta.* Ego amplius, annon inserendum etiam: *nunc vinclis exsoluta non modo domos, fora jam & exercitus regerent.* Videtur sententia melior esse, & voculæ istæ perire facillime potuisse. *Acidalius.* Plautus enim Truculento: *At si verum eritis fassa, vinclis exsolvemini.* Sed tamen noster supra, *exsoluti plerique legis nexus*; infra, *ad exsolvendum obsidium.* Unde apparet *exsolvere* interdum prorsus idem quod solvere. Statius, *Saturnus mihi compede exsoluta.* Denique Tacitus 3. hist. *vincitur: sed exsoluta statim vincula.* Inserere autem *non modo* incivile est. *Gronovius.*

9 *Neque relatum de negotio*] Verba sunt obturbantium,

lerius Messallinus, cui parens Messalla, ineratque [1] imago paternæ facundiæ, respondit: [2] *Multa duritiæ veterum melius & lætius mutata; neque enim ut olim, obsideri urbem bellis, aut provincias hostilis esse: & pauca feminarum necessitatibus concedi, quæ ne conjugum quidem penates, adeo socios non onerent;* [3] *cetera promiscua cum marito, nec ullum in eo pacis impedimentum. Bella plane accinctis obeunda: sed revertentibus post laborem, quod honestius quam uxorium levamentum? At quasdam in ambitionem aut avaritiam prolapsas. Quid ipsorum magistratuum, nonne plerosque variis libidinibus obnoxios? non tamen ideo neminem in provinciam mitti. corruptos sæpe pravitatibus uxorum maritos: num ergo omnes cælibes integros? placuisse quondam Oppias leges, sic temporibus reipublicæ postulantibus: remissum aliquid postea, & mitigatum, quia expedierit. Frustra nostram ignaviam alia ad vocabula transferri: nam viri in eo culpam, si femina modum excedat. porro ob unius aut alterius imbecillum animum, male eripi maritis consortia rerum secundarum adversarumque. Simul sexum natura invalidum deseri, & exponi suo luxu, cupidinibus alienis. vix præsenti custodia manere inlæsa conjugia: quid fore, si per plures annos* [4] *in modum discidii oblitterentur? Sic obviam irent iis quæ alibi peccarentur, ut flagitiorum urbis meminissent.* Addidit pauca Drusus de matrimonio suo. *nam principibus adeunda sæpius longinqua imperii. Quotiens divum Augustum in Occidentem atque Orientem meavisse comite Livia? se quoque in Illyricum profectum; & si ita conducat, alias ad gentes iturum, haud semper æquo animo, si ab uxore carissima, &* [5] *tot communium liberorum parente divelleretur.* Sic [6] Cæcinæ sententia elusa. Et proximi senatus die, Tiberius per litteras castigatis oblique patribus, *quod cuncta curarum ad principem rejicerent,* [7] Manium Lepidum & Junium Blæsum nominavit; ex quis proconsule Africæ legeretur. Tum audita amborum verba, intentius excusante se Lepido, cum *valetudinem*

bantium, qui negabant decernendum esse in re, de qua relatum non foret. Unde intelligitur initio præcedentis capitis, illa, *inter quæ Cæcina censuit*; accipienda esse de more, qui expositus erat supra 2, 38. *Freinshemius.*

1 *Imago paternæ facundiæ*] *Imaginem* ut alibi, pro levi quadam specie rei, non ipsa, positam opiner. præsertim quum Messallæ facundia celebratissima fuerit, & summis oratoribus æmula. certe ab ipso Cicerone ad Brutum ep. 15. maximopere commendatur. At de Messallino hoc, nihil usquam simile. *Freinshemius.*

2 *Multa duritie veterum*] Videtur legendum *duritia*, non, *duritie.* Ursinus. Lege: *Multa à duritie veterum in melius e. l. m.* Sic etiam Muretus. *Acidalius.*

Multa duritia veterum melius & lætius mutata] Libro 1. Hist. 50. addita præpositione scribit de Vespasiano: *solusque omnium ante se principum in melius mutatus est.* Et infra in cap. 54. *Divites fatias in melius mutet.* Nunc autem clara est imitatio Virgilii ex undecima Æneide: *Multa dies variusque labor mutabilis ævi Transtulit in melius.* Utique inter geminatam literam *m* facile intercidere potuit ista præpositio. Adde ad 13, 57. *Jac. Gronovius.*

3 *Cetera promiscua cum marito*] Dilutis iis, quæ uxoribus objiciebantur, circa onera & sumtus provincialium, cetera nunc diluit; scilicet *his fastum adhærescere* &c. *duorum egressus coli, duo esse prætoria.* Pichena. Hoc est quæ maritis darentur, etiamsi non adessent conjuges. *Freinshemius.*

4 *In modum dissidii oblitterentur*] Scribe *discidii.* hoc est, divortii. Quasi divortium cum eis factum esset. Ut lib 2, 86. *Agrippa discidio domum imminueras.* Gronovius. Et ita exaratum est in editione Beroaldi, ut haud dubie etiam legatur in MS. *Jac. Gronovius.*

5 *Tot communium liberorum parente*] Non plus trium. infra: *Esse illi conjugem, & tres liberos.* Lipsius.

6 *Cæcinæ sententia elusa*] Verbum *eludendi* aptissimum huic rei; non enim vi aperta, aut impudenti aspernatione rejectam ostendit; verum specie moris antiqui, & publicæ utilitatis circumventam atque frustratam. *Freinshemius.*

7 *M. Lepidum*] Duone ergo Lepidi eo tempore prænominibus isdem? Nam alius certe ab isto, qui Proconsul Asiæ, pagina superiori. Non censeo: Manium censeo prænomen fuisse huic, non Marcum, facili scriptorum in nota ea lapsu. Et hercle Manium Lepidum supra reperies clare, Lepidæ, quæ damnata, fratrem. Diversa etiam ingenia istorum. Marcus, ignavus, secors: Manius, prudens, gravis, sævis aliorum adulationibus adversus. quem Tacitus ex professo laudat lib. IV. Repono ergo ubique Manium, in eo Lepido qui in Senatu & in urbe. *Lipsius.*

Manium Lepidum] Ita ex historia restituit Lipsius, & hic, & alibi. Vulgo *M. Lepidum.* Pichena. Sed hunc

valetudinem corporis, [1] *ætatem liberûm*, *nubilem filiam* obtenderet: intelligereturque etiam quod filebat, avunculum esse Sejani Blæsum, atque eo prævalidum. Respondit Blæsus specie recusantis, [2] sed neque eadem adseveratione; & consensu adulantium haud jutus est. Exin promptum quod multorum intimis questibus tegebatur. 36
Incedebat enim deterrimo cuique licentia, impune probra, & invidiam in bonos excitandi, [3] arrepta imagine Cæsaris; [4] libertique etiam ac servi, patrono vel domino, cum voces, cum manus intentarent, ultro metuebantur. Igitur [5] C. Cestius senator disseruit; *Principes quidem instar deorum esse: sed neque à diis nisi justas supplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium, aliave urbis templa perfugere, ut eo subsidio ad flagitia utatur. Abolitas leges, & funditus versas, ubi in foro, in limine curiæ, ab Annia Rufilla, quam fraudis sub judice damnavisset, probra sibi & minæ intendantur: neque*

hunc Marcum potius quam *Manium* dicendum non absurde pugnat Rupertus supra ad 1, 12.

1 *Ætatem liberum*] Adultos intelligunt, contrario sensu, facile enim perspici potest ad excusationem hoc nihil esse facturum, si filios adultos se habere diceret. itaque *ætas* hic de tenera ætate liberorum est intelligenda. *Freinshemius.*

2 *Sed neque eadem asseveratione, & consensu adulantium*] Prius membrum pertinet ad ea, quæ de Blæsi excusatione dixerat auctor: speciem quidem eum recusantis præbuisse, sed non pari ac Lepidum adseveratione nixum esse. *Adseveratio* est serium & constans persuadendi, quæ proposueris, studium & contentio. Sic apud nostrum aliquoties. Dein audita est ejus oratio consensu applausuque eorum, qui ipsi adulabantur; adulabantur autem omnes ut avunculum Sejani. *Freinshemius.* Quid velit Tacitus, satis video; sed hoc ita sit expressum, ut ille voluit, nec ne, parum mihi liquet. Contrarium enim verba menti sonare videntur. Si *auditus est consensu adulantium*, videtur ei contigisse, quod desiderare se fingebat, & valuisse excusatio. Valde itaque mallem; *& consensu adulantium adjutus est.* Intellige, visa est frangi & expugnari ejus modestia, ut honestius remitteret, ac delatum honorem susciperet. Non ita intente serioque sese excusavit: & ut majori cum specie desisteret, subvenerunt pudori ejus & juverunt eum quasi cuneis factis obturbantes per adulationem & cogentes scilicet judicio Cæsaris & senatus cedere. Ut libro 1. *Remisit Cæsar adroganti moderatione.* Libro XII. *Et Cæsar adulationibus senatus libens cessit, ut vicesimo ætatis anno consulatum Nero iniret.* Hi non *auditi* sunt: quippe orationi eorum repugnabatur: sed *adjuti* in eis, quæ specie recusantium flagrantissime cupiebant. Verbum sic habes undecimo extremo: *Juvitque ejus oblivionem Senatus.* Libro 12, 3. *Prævaluere hæc adjuta Agrippinæ illecebris.* Et eodem cap. 61. *Claudius facilitate solita, quod uni concesserat, nullis extrinsecus adjumentis velavit.* Suetonius Vitellio: *Neroni acceptior peculiari merito, quod præsidens certamini Neroneo, cupientem inter citharœdos contendere, nec quamvis flagitantibus cunctis promittere audentem, ideoque egressum theatro, revocaverat quasi perseverantis populi legatione suscepta, exorandumque præbuerat.* Hic quoque adjutus, non auditus. Noster quoque libro 14. *Atque eum auctore Burrho prima centurionum tribunorumque adulatio firmavit.* Et hoc adjuvandi genus. *Gronovius.* Fortassis hanc conjecturam promovet lectio scripta in unico vetere libro *consensu adulantium haut justus est*, quod miror ab Pichena non publicatum, quum sit satis conspicuum, & in adjectivo isto resideat participium *jutus*. 14, 4. *Placuit solertia, tempore etiam juta*, ut notat index. Sic, nisi fallor, illi loco denique satisfactum; ut abhinc credamus Tacitum scripsisse, prout nunc edidi. *Jac. Gronov.*

3 *Arrepta imagine Cæsaris*] Græci moris fuit, ad vim injuriamque arcendam, confugere ad templa, statuas, aras. Eo genere tutelæ frequenter supplices utebantur, frequentissime servi. Vide nostra in EXCVRS. F. Lipsius.

4 *Libertique ac servi ultro*] L. 2. D. De his qui sui juris sunt. *Muretus.* Vocula *ultro* maxime rem adgravat. Satis enim foret, nimiumque, si liberti & servi, etiam injuria lacessiti, metuendi essent: quod jam, quum *ultro*, hoc est sponte, non lacessiti, neque provocati. *Freinshemius.*

5 *C. Cestius Senator*] Nescio an moris Tacito inter titulos addere, *Senator.* Et quid hic opus? aut quis nesciat in Senatu non nisi Senatorem disseruisse? Ambigo (non enim affirmo) an non *Senior* substituendum: ad discrimen. quia reperio illo ævo duos Cestios fuisse, patrem & filium. libro VI. infra, *Admonuit Cestium patrem.* An magis placet, *Senatu?* quod esset in Senatu: elleipsi Tacito percrebra. *Lipsius.*

C. Sestius Senator] Suspectus Lipsio titulus iste, *Senator*, cum sit clarum, in Senatu non nisi Senatorem disseruisse. Neque ego aliter sentio. tamen locum similem in Tacito observavi, libro 1. Annal. prope finem, ubi ait: *Inter quæ Pius Aurelius Senator, questus.* nam & ibi res in Senatu agebantur. Ergo videat lector, sitne utroque in loco librarii error, an Tacitus Senatoris titulum addat? forte ad differentiam aliorum ejusdem nominis &

que ipse [1] *audeat jus experiri, ob effigiem imperatoris oppositam.* Haud dissimilia alii, & quidam atrociora circumstrepebant; precabanturque Drusum, *daret ultionis exemplum:*
37 donec accitam convictamque attineri [2] publica custodia jussit. Et Considius Æquus, & Cœlius Cursor equites Romani quod fictis majestatis criminibus Magium Cæcilianum prætorem petivissent, auctore principe, ac decreto senatus puniti. Utrumque in laudem Drusi trahebatur: *ab eo in urbe inter cœtus & sermones hominum obversante, secreta patris mitigari.* neque luxus in juvene adeo displicebat. [3] *huc potius intenderet,* [4] *diem editionibus, noctem conviviis traheret, quam solus & nullis voluptatibus avocatus, mæstam vigilantiam, & malas curas exerceret.* [5] Non enim Tiberius, non accusatores fatiscebant

cognominis, qni Senatores non erant. *Pichena.*

1 *Audeat jus experiri*] A glossa videtur, *Jus. Experiri* enim, pro jure agere, frequentissimum priscis. *Lipsius.*

Audeat jus experiri] Mihi vera visa est interpretatio, cujus auctor jam non succurrit, quem tamen (neque enim me diu fallere poterit,) a ibi laudare non omittam. illius igitur opinionem meis verbis exposui. & mox V. 5. eum eodem *vinctam* quam *convictam* malui. Nec enim aut cognitione opus erat, aut si fuisset, ille cognoscendi locus, illudve tempus habebatur. Sed ultio poscebatur, in damnato, & manifesto noxia. *Freinshemius.* Olim tuebamur hunc locum Observ. libro 2. cap. 11. quo vise, si tanti est. *Gronovius.*

2 *Publica custodia jussit*] Publicam custodiam, puto carcerem: discretamque à militari. *Lipsius.*

Publica custodia] Rei aut sibi ipsis, aut fidejussoribus creduntur: iidem aut militibus committuntur, quæ *militaris custodia*, Cornelio: aut in carcerem recipiuntur, Ulpiano auctore. Hos in *publica vincula conjici* Venulejus & Papinianus dixere; Lex Julia de vi, *in vinculis custodiave publica esse*, ut pro eodem accipiamus *carcere*, *custodia publica*, *vinculis publicis attineri.* Alias *vinculorum* appellatio, vel publica vel privata significat: *custodia* vero nomen, tantum custodiam publicam, auctore Saturnino D. de verborum significatione. *Vertranius.*

3 *Huc potius intenderet*] Seneca De Benef. 8, 20. *Si marmora & vestes desideraverit, nihil oberit unquam id, quo luxuria ejus instruitur: militem & arma non suggeram. Si pro magno petet munere artifices scena, & scorta, & qua feritatem ejus emolliant, libens efferam. Cui triremes & aratas non mitterem, lusorias & cubiculatas, & alia ludibria regum in mari lascivientium mittam.* Juven. Sat. 4.

Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset
Tempora sævitiæ: claras quibus abstulit urbi
Illustresque animas impune, & vindice nullo.

Gronovius.

4 *Diem ædificationibus*] Verane hæc lectio? si est, interpretor in Druso notari studium ædificandi, & crebras insanasque substructiones. ex sententia scriptoris Græci apud Suidam: Οἰκοδομήματα Ἀσσύρια καὶ δαπανηρὰς λειτουργίας χαίρειν ἰάτνιτας χρὴ τοὺς ἄρχοντας ἄρχειν. Ψυκτίον γὰρ, ὁ ἄρχων ὁ χαίρων οἰκοδομήμασιν ἐνταῦθα. Nam hoc tolerabile, præquam illud Ferretti. *Ædificationibus*, ait, *pro eo quod est emendandis rebus: nisi in verbo mendum sit.* Sed est profecto, me quoque judice, mendum. Quis enim apud Romanos viro principi ædificationes vitio dedit? laudi potius: ut M. Agrippæ, Augusto, aliisque. Et ut vitium sint: quis scriptor id prodidit de Druso? cujus monumentum ullum ædificiumve suspicione non tango. Lego, *editionibus.* convenienter sane ad Drusi mores. Nam Editiones, proprie spectacula muneraque. Editores, qui ea prabent, uti in Saturnalibus dixi. Diem ergo trahebat Drusus editionibus, sive spectaculis: noctem, conviviis epulisque. Notant utrumque id vitium in eo scriptores. Noster supra: *Edendis gladiatoribus Drusus præsedit, quamquam vili sanguine nimis gaudens. quod in vulgus formidolosum, & pater arguisse dicebatur.* Ubi vides describi studium ejus in gladiatores, non sine sævitiæ nota. Nec in gladiatores modo, sed & histriones, scenicosque. Dio. Τοῖς τε ὀρχησταῖς οὕτω προσέκειτο, ὥστε καὶ στασιάζειν αὐτοὺς, καὶ μηδ' ὑπὸ τῶν νόμων, οὓς ὁ Τιβέριος ἐπ' αὐτοῖς ἐπεποιήκει, καθίστασθαι. Id est, *Pantomimis adeo deditus fuit, ut ad seditiones concitaret eos, neque legibus, quas Tiberius super iis tulerat, parere sineret.* Iterum: Τῷ δὲ Δρούσῳ τῷ υἱεῖ, καὶ ἀσελγεστάτῳ καὶ ὠμοτάτῳ, ὥστε καὶ τὰ ὀξύτατα τῶν ξιφῶν Δρουσιανὰ ἀπ' αὐτοῦ κληθῆναι, ὄντι, καὶ ἤχθετο, καὶ ἐπετίμα καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ πολλάκις. Id est, *Druso autem filio, cum petulantissimus & crudelissimus esset, (adeo ut gladii acutissimi, Drusiani ab eo vocentur) vehementer succensuit, publiceque ac privatim sæpe inclamavit.* Crudelis ergo Drusus, & ideo cruentis illis spectaculis gaudens: quæ sibi non in publico solum, ut opinor: sed sæpe domi repræsentabat & in hortis. De ebrietate ejus, vide eumdem libro LVIII. Hæc Taciti mens, hæc lectio: me quidem judice. Sed qui gladii illi Drusiani, quos Dio nominat? vide, si lubet, in EXCURS. G. *Lipsius.*

5 *Non enim*] Hoc *enim* manifesto indicat προδιήγητο ejus, quod statim erat explicaturus, natam ex verbis præmissis, *quam malas curas exerceret.* videlicet ut parens ejus, cujus exempla statim subjiciuntur. neque enim hic narraturus est quam quod intenderat involveratque iis verbis: *Non enim Tiberius, non accusatores fatiscebant.* Jam igitur per partes

fatiscebant; Et Ancharius Priscus Cæsium Cordum proconsule Cretæ postulaverat 38
repetundis; addito majestatis crimine, quod tum omnium accusationum [1] complementum erat. Cæsar Antistium Veterem [2] è primoribus Macedoniæ absolutum adulterii, increpitis judicibus, [3] ad dicendam majestatis caussam retraxit, ut turbidum, & [4] Rhescuporidis consiliis permixtum, qua tempestate [5] Cotye fratre interfecto, bellum

tes exsequitur, quid illi, quid Tiberius egerint. Crebrum hoc nostro, & inprimis decorum, ut primo veluti summam ejus, quod dicturus est, proponat, dein singula exsequatur; sed attentum & memorem lectorem requirit. Illustre exemplum in Hist. 1, 4. quod ad intellectum eorum, quæ dixi, disertius & explicatius tradam. Ait: *Finis Neronis ut lætus primo gaudentium impetu fuerat, ita varios motus animorum non modo in urbe apud patres, aut populum, aut urbanum militem, sed omnes legiones ducesque conciverat.* Id deinceps per membra exponit. de *patribus* quidem statim. *Sed patres læti:* de *populo*, ibidem, *pars populi integra:* de *milite urbano*, Hist. 1, 5. *Miles urbanus.* & hæc quidem usque ad initium capitis 8. Ubi iterum, quia longior excursus intervenerat, lectorem propositionis suæ admonet: *Et hic quidem Romæ* &c. *habitus animorum fuit*; statimque progreditur ad cetera de *legionibus ducibusque* tradenda, *E provinciis Hispaniæ præerat Cluvius Rufus &c.* quæ pertinent usque ad Histor. 1, 11. Ubi rursus in memoriam revocat lectori jam evolutam esse omnem istam syllepsin atque summam instituendæ narrationis. *Hic fuit rerum Romanarum status, cum Ser. Galba iterum, T. Vinius consules* &c. Idem familiare Suetonio, ut Calig. 25. *Matrimonia contraxerit turpius, an dimiserit, an tenuerit.* ubi in subjecta narratione quæ de Livia Orestilla memorat, ad *contrahendum matrimonium* spectant; quæ de Lollia Paulina, ad *dimittendum* præcipue; quæ de Cæsonia, ad *tenendum*. Hæc igitur ut dixi, attentionem requirunt, quam hoc Taciti loco, omnibus interpretibus abfuisse deprehendo. *Freinshemius.*

1 *Complementum erat*] Plinii verbis, *unicum crimen eorum, qui crimine vacabant.* Lipsius.

2 *E primoribus Macedoniæ*] Forsitan scriptum erat *è pr. Macedonia*, hoc est, *è provincia Macedonia.* Muretus. Quasi non Suetonius in Octavio 79. *Ut quidam è primoribus Galliarum confessus sit inter suos* &c. Idem Tiber. 49. *Præterea Galliarum & Hispaniarum, Syriæque & Græciæ principes confiscatos.* Gronovius.

3 *Ad dicendam majestatis causam retraxit*] Mos in vetere rep. fuit, quo in aliquam invidiam aut crimen vocati, sua voce respondendum haberent, ut ait auctor Dialogi de Oratoribus. Quod prius Græcis vetustissimis usitatum comperio, ex Pausaniæ Atticis, cum Halirrhotio occiso, Mars Athenis causam dixerit, eo ipso loco, qui exinde Areopagi nomen habuit. Sic olim jam Romæ T. Manlio indictæ causæ dictio & filii opera remissa legitur. Livii VII. Unde est quod idem ait: *Nihil tam æquandæ libertatis esse, quam potentissimum quemque posse dicere causam.* Item apud Tranquillum Tiberius *præfectum alæ, de vi & rapinis reum, causam in senatu dicere coëgit.* & alibi, *Citati ad causam dicendam.* Ideoque Seneca 6. Declamat. 5. sic habet: *Omnia legitime peracta sunt: accusator suo loco dixit, reus suo respondit.* Quare quod ita moris esset, supra Cornelius scripsit: *Piso relatus domum, tanquam defensionem in posterum meditaretur:* & hoc loco Antistium Veterem ad causam dicendam à Tiberio coactum: Et supra libro 4. *Lucilius Capito, reus ipse causam dixit.* & infra libro 15. *Ubi ad dicendam causam introissent, lætatum erga conjuratos.* Vertranius.

4 *Rescuporidis consiliis permixtum*] *Consilia* sunt institutum, propositum, decretum cujusque: *consiliis permixti* non præcise, qui consilia subministrant, sed omnino idem institutum spe, voto, ope, opera promoverunt: etiamsi consilium nunquam suggesserint. *Freinshemius.*

5 *Cotye fratre*] Minime hercle fratre, sed (Tacito ipsi si fides) *fratris filio.* Ita enim libro 11. scriptum: *Omnem eam nationem Rhœmetalces tenuerat. quo defuncto Augustus partem Thracum Rhescuporidi fratri ejus, partem filio Cotyi permisit.* Et Vellejus: *Qua ille prudentia Rascupolim interfectorem fratris sui filii Cotyis evocavit.* Quin humani ergo aliquid Tacitus hic passus sit, nemo negaverit. *Lipsius.*

Cotye fratre] Scriptum erat *FR. F.* id est, Fratris filio. Putarunt librarii esse *fratre* legendum. *Muretus.* Vacillationis hic Tacitum arguit Lipsius, & humani aliquid passum esse, qui fratrem Rhescuporidis Cotyn dicat, quem libro 11. fratris filium fecerat. Liberat hac culpa Muretus, scribens, *Cotye Fr. F. interfecto.* Et verisimile est has olim notas à librario non intellectas, aut alteram neglectam. atque hinc originem mendi. *Acidalius.* Libens permitto id viris doctis, dummodo constet, tum Tacitum novisse scribere fratris filium, ubi oportebat; tum librarios ita sancte propagare, ut patet ex 2, 44. de Inguiomero patruo Arminii. Quin igitur aliud videatur, nempe ut nimium studiose inserviens hypothesi videatur σωμεράζιν in epistola Tiberius, & vehementer sæviens nunc scripserit non Cotyn modo fratris filium ab Rhescuporide fuisse interfectum, sed & ipsum ejus patrem, suum fratrem Rhœmetalcen, quem libro præcedente dixit defunctum, de mortis modo vel genere nihil determinans, quod per iram nunc publicat, etsi nec probatum & forsan etiam falsum. Sic

 videtur

bellum adversus nos [1] volverat. Igitur *aqua & igni interdictum reo, adpositumque, ut*
teneretur insula, neque Macedonia neque Thracia opportuna. Nam Thracia diviso im-
perio [2] in Rhœmetalcen & liberos Cotyis, quis ob infantiam tutor erat Trebellie-
nus Rufus, [3] insolentia nostri discors agebat; neque minus Rhœmetalcen quam Tre-
bellienum incusans, popularium injurias inultas sinere. [4] Cœlaletæ, Odrusæque,
& alii, validæ nationes, arma cepere, ducibus diversis & paribus inter se per igno-
bilitatem; quæ caussa fuit, ne in bellum atrox coalescerent. pars turbant præsentia;
alii montem Hæmum transgrediuntur, ut remotos populos concirent: plurimi ac
maxime compositi regem, urbemque [5] Philippopolim [6] à Macedone Philippo sitam,
39 circumsidunt. Quæ ubi cognita [7] P. Vellejo, (is proximum exercitum præsidebat)
alarios equites ac leves cohortium mittit in eos, qui prædabundi aut adsumendis auxi-
liis vagabantur. Ipse robur peditum ad exsolvendum obsidium ducit. Simulque
cuncta prospere acta, cæsis populatoribus; & dissensione orta apud obsidentes, regis-
que opportuna eruptione, & adventu legionis. neque aciem aut prœlium dici decue-
40 rit, in quo [8] semermes ac palantes trucidati sunt, sine nostro sanguine. Eodem an-
no Galliarum civitates ob magnitudinem æris alieni rebellionem cœptavere: cujus
exstimulator acerrimus inter Treveros Julius Florus, apud Æduos Julius Sacrovir.
nobilitas

videtur dedisse Tacitus *Catyo & fratre interfecto.* capite 43. deprehendes, quam facile copulativam istam immutant. Mox unicus codex legit *Threcia opportuna. Nam Threcia*, non *Thracia* vel *Thracia.* Idem occurret 6, 10. nisi quod ibi scribatur *Thraecia*, & 4, 46. & 48. *Jac. Gronovius.*

1 *Volverat*] A volvo. Sic libro 1. hist. *bellum volvebat.* Pichena.

2 *In Rhœmetalcem*] Defuncto Rhœmetalce Thracia divisa est inter Rhescuporim fratrem ejus, & inter filium Cotyn. Hunc interfecit Rhescuporis, qui postea Romam adductus, & damnatus est: Thracia divisa inter Rhœmetalcem filium, & liberos Cotyis. *Muretus.*

3 *Insolentia nostri*] Ut Hist. 3, 53. *Obsequii insolens:* hoc est, non adsuetus parere. *Freinshemius.*

4 *Cœlaletæ, Odrusæque, & alii*] A Plinio *Celetæ* dicuntur: à Dione libro LIV. Σιαλῆται, sed corrupte. Qui autem, *Alii?* Populi nomen, sed perversum. Placuit in Epistolicis, *Astii*, reponi: & caussam vide. At nunc verum censeo, *Dii.* quæ vox abiit in *alii*; linea tantum diducta. Similis error notatus mihi infra, in Agricolæ vita. Dii autem, montani Thraces. Locuples auctor Thucydides libro II. Παρεκάλει δὲ καὶ τῶν ὀρεινῶν Θρᾳκῶν πολλοὺς, οἱ Δῖοι καλοῦνται, τὴν Ῥοδόπην οἱ πλεῖστοι οἰκοῦντες. Lipsius.

Odrusæque & alii] Apposui in margine vocem, *Dii*, juxta postremam Lipsii correctionem. *Pichena.* Muretus, *Odrusæ, Setalii, validæ nationes.* Nondum mihi noti *Setalii.* Acidalius.

5 *Philippopolim*] Describit eam Strabo libro VII. in Astorum regione: Ὑπέρκειται δὲ τοῦ Βυζαντίου τὸ τῶν Ἀστῶν ἔθνος, (ex Livio, Ἀστῶν leg. esset) ἐν ᾧ πόλις Καλύβη, Φίλιππος ὁ Ἀμύντου τοὺς πονηροτάτους ἐνταῦθα ἱδρύσατο. id est: *Superjacet Byzantium Astorum gens, in qua oppidum Calybe, in qua Philippus Amyntæ F. pessimos quosque collocavit.* Dicta eadem est, Trimontium, Poneropolis, Δουλόπολις, caussis claris è Strabone. *Lipsius.*

6 *A Macedone Philippo sitam*] Sunt qui emendant dextre admodum, repetita syllaba prioris vocis, *Philippo positam.* Sed ex supervacuo. nihil enim priori forma frequentius auctori nostro, ut exemplis multis prodidit doctissimus Rhenanus. Sed & nos idem vocis tuemur infro libro 4. Hist. cap. 23. *Gruterus.* In indice Floriano voce *Ponere* ostendi legendum *Macedoni Philippo sitam.* Sicut 6, 41. *Urbes Macedonibus sitæ.* Vide & supra ad 2, 7. *Freinshemius.*

7 *P. Vellejo*] Sunt qui illum velint esse, cujus Breviarium historiæ in manu: serium, doctum, quantumvis opus, sed plenum adulationis fœdissimæ, cujus me pudet. Nec abnuerim, quin ille sit. Meruit servitio tam projecto evehi ad res magnas. quamquam modicus originis, ut ipse fateri videtur, & diu tantum Trib. militum: postea præfectus Tib. Cæsaris per novem annos aut Legatus, ait ipse libro II. Prænomen tamen illi in vulgatis libris est Cajus: nec id moveor. Nam Priscianus libro VI. eumdem Marcum appellat: noster hic Publium. Quam confundi illa soleant, doctus scio. *Lipsius.*

P. Vellejo] Sed cur placuit sic abeundo ab unico MS. occasionem hujus notæ Lipsio suppeditare? In isto est *P. Vellaeo*, quod Beroaldus mutavit in *P. Velleo.* Jac. Gronovius.

8 *Semermes ac palantes*] Notatus est hic locus, quum alibi bis dicantur ab Tacito *semermi.* Quid quærimus? Illud vulgatum statim procudere potuit Beroaldus, quum in MS. unico reperiret *semerme*, Quid utrum justius ei litera adfingitur, an
postremum

nobilitas ambobus, [1] & majorum bona facta, eoque Romana civitas olim data, [2] cum id rarum, nec nisi virtuti pretium esset. Ii secretis conloquiis, ferocissimo quoque adsumpto, aut quibus ob egestatem, ac metum ex flagitiis maxima peccandi necessitudo, componunt Florus Belgas, Sacrovir propiores Gallos concire. Igitur [3] per conciliabula & cœtus seditiosa disserebant, *de continuatione tributorum*, [4] *gravitate fœnoris*, *sævitia ac superbia præsidentium*. & *discordare militem*, *audito Germanici exitio*. *egregium resumendæ* [5] *libertati tempus*, *si ipsi florentes*, *quam inops Italia*, *quam imbellis urbana plebes*, *nihil validum in exercitibus*, *nisi quod externum cogitarent*. Haud ferme 41
ulla civitas intacta seminibus ejus motus fuit: sed erupere primi [6] Andecavi, ac Turonii. quorum Andecavos [7] Acilius Aviola legatus, excita cohorte quæ Lugduni præsidium agitabat, coërcuit. Turonii legionario milite, quem [8] Visellius Varro inferioris Germaniæ legatus miserat, oppressi, eodem Aviola duce, & quibusdam Galliarum

postremum *e* positum credimus pro litera *i*? Sane eduntur paulo ante *leves cohortium*, at in MS. est *levis*. Hinc conjice. Sed calidius aliquid & occultius admittitur 1, 6. ubi centurio confecit Postumum Agrippam *ignarum inermumque*, ut est in omnibus quas vidi editionibus, ipso ab usque Beroaldo; at Ryckius ex tacito arbitrio edidit *inermemque*. Id proba, si placet, ut forsan ille probavit, quoniam sic effertur illa vox 6, 31. 1. hist. 40. *Idem.*

1 *Et majorum bona facta*] Forte, *bene facta*. Rhenanus. Ipse Tacitus judicat cap. 63. *pravis dictis factisque.*

2 *Cum id rarum*] Hoc est, quo tempore adhuc rarum erat. id quia non expresserunt plerique, videntur contra notissimam veritatem affirmare Taciti adhuc ævo rarum fuisse: quod mirere; quum constet istis temporibus totas nationes in civitatem Romanam fuisse receptas præsertim sub Claudio. Unde jocus Senecæ in Apocolynt. *Sed Clotho: Ego me hercule, inquit, pusillum temporis adjicere illi volebam, dum hos pauculos, qui supersunt, civitate donaret. Constituerat enim omnes Græcos, Gallos, Hispanos, Britannos togatos videre.* Freinshemius.

3 *Per conciliabula & cœtus*] *Conciliabula* non tam ob minorem convenientium numerum dicta sunt, quam quia clandestino coibant, honesta *conciliorum* appellatione indigna judicabantur. Non enim semper vocabuli diminutio rem quoque minorem arguit: sed interdum per contemptum id schema usurpatur. Verbi gratia *adolescentulus*, apud Tacit. 1, 59. *Tibericlus* 6, 5. Diverso genere peccant, qui *conciliabula* non distinxerunt à legitimis & justis conciliis. *Freinshemius.* Scio quidem nunc vulgo ita loqui doctos etiam homines, ut *conciliabula* dicant per contemptum quantumvis magna & frequentia concilia: sed ubi quis veterum ita locutus sit, etiamnum quæro. Romanis vicorum aut oppidulorum, quæ jus nundinarum haberent, numero erant, ut cum *fora & conciliabula* jungunt. Extra hæc *conciliabulum* haud dubie concilium minus aut minus frequens est. Nec *conciliabula & cætus* aliter dicuntur quam *concilia & cœtus*. Cicero in Somn. Scip. *concilia cœtusque hominum jure sociati.* Item, *in illud divinum animorum concilium cœtumque proficiscar.* De finibus libro 2. *opiniones, quæ apud populum, quæ in omni cœtu concilioque proferenda sunt.* Idem pro domo: *quoniam plebi quoque urbanæ majores nostri conventicula & quasi concilia quædam esse voluerunt.* Non magis apud Tacitum *conciliabula* vel per contemptum vel tantummodo de clandestinis his dicuntur quam Ciceroni *conventicula*. Sed nec *concilii* tam honesta appellatio est, ut non & interdum de clandestinis cœtibus usurpetur. In Tacito igitur ut non excludo congressus quoque secretos: ita expressum censeo id ipsum, quod Florus ait de Vercingentorige: *ille festis diebus & comitialibus, quum frequentissimos in lucis haberet, ferocibus dictis ad jus pristinum libertatis erexit.* Sed tempus Florus, loca Tacitus designat. Per minora & majora populorum concilia, per vicos & oppida mercatuum aut sacrorum tempore, per loca, & tempora ubi quibusque magno aut aliquo numero coire ipsis inter se licebat. *Gronovius.*

4 *Gravitate fænoris*] Ita hoc habet. provinciales & opida, cum tributis gravibus premerentur, aliisque extra ordinem oneribus, pecuniam mutuam capiebant à divitibus illis Romanis, idque grandi fænore. Unde hæc querela, & in Cicerone exempla jam tunc sunt; & Dio scribit *Senecam caussam rebellioni Britannicæ, sub Nerone, dedisse, quod quadringenties HSS. grandi fænore creditum, subito universum repetiisset.* Lipsius.

5 *Libertati tempus*] Mallem, *libertatis*. Pichena.

6 *Andecavi*] Legendum est *Andegavi*. Muretus.

7 *Acilius Aviola*] Hic ille ipse, quem Plinius insigni exemplo, elatum in rogo revixisse tradidit: & quia subveniri non potuit, vivum exustum. Nam quod Onufrius aliique ad illum Acilium referunt, qui consul extremus Claudio: desinant licet erroris, manifestus ἀναχρονισμὸς est. Nam ecce Valerius (quem scripsisse omnes scimus Tiberio imperante) lib. 1. cap. VIII. eamdem historiam recensuit. Quomodo autem ille operi suo inseruerit, quod post Claudium gestum. *Lipsius.*

8 *Visellius Varro*] Nominatur in lapide Romæ.

Galliarum primoribus; qui tulere auxilium, quo dissimularent defectionem, magisque in tempore efferrent. spectatus & Sacrovir intecto capite [1] pugnam pro Romanis ciens, *ostentandæ*, ut ferebat, *virtutis*: sed captivi, *ne incesseretur telis*, *adgnoscendum se præbuisse*, arguebant. Consultus super eo Tiberius, aspernatus est indicium, aluit-

42 que dubitatione bellum. Interim Florus insistere destinatis, pellicere alam equitum, quæ conscripta Treveris, militia disciplinaque nostra habebatur, ut cæsis negotiatoribus Romanis bellum inciperet: paucique equitum corrupti; plures in officio mansere. Aliud [2] vulgus obæratorum [3] aut clientium arma cepit: petebantque saltus, quibus nomen *Arduenna*, cum legiones utroque ab exercitu, quas Visellius & C. Silius adversis itineribus objecerant, arcuerunt. præmissusque cum delecta manu Julius Indus è civitate eadem, discors Floro, & ob id navandæ operæ avidior, inconditam multitudinem adhuc disjecit. Florus incertis latebris victores frustratus; postremo

43 visis militibus qui effugia insederant, sua manu cecidit. Isque Treverici tumultus finis. Apud Æduos major moles exorta, [4] quanto civitas opulentior, & comprimendi procul præsidium. Augustodunum caput gentis, armatis cohortibus Sacrovir occupaverat, [5] nobilissimam

L. VISELLIVS C. F. VARRO
CVRATOR. RIPAR. ET ALVEI
TIBERIS.

Hicne, an alius? *Idem.*

1 *Pugnam ciens*] Hoc est pugnans, nota phrasi, non provocans: licet autem, ut dixi, *pugnam ciere* idem videatur quod pugnare, subtilis quædam inest diversitas: ob quæ isto etiam sermonis genere voluit uti Tacitus, in homine, de quo non poterat dici eum serio depugnavisse, sed tantum ostentavisse operam. *Freinshemius.*

2 *Vulgus obæratorum*] More Galliæ. Vide Cæsarem commentar. 1. *Lipsius.*

Vulgus obæratorum] Non adsentior viro doctissimo, qui illustrando huic loco mittit nos ad Varronem de re rust. 1, 17. Nam quod ibi legimus, *quos obæratos nostri vocitarunt.* nihil ad Taciti & Cæsaris obæratos. Et aperte scribendum *operarios*, ut ex serie totius capitis clarum, manuducente vetere scriptura, *oberarios*, quam & optimus atque eruditiss. Victorius è suis libris adnotavit, & ego ipse legi in optimo Regiæ bibliothecæ libro, qui per omnia fere similis optimo illi Victoriano; hoc melior quod postrema pagina in eo superest, quæ abfuit ab altero, & quia abfuit, extrema Varronis librorum clausula corruptissima, quam juvabit obiter restitutam hic dare. Editur vulgo: *Nos hac; at strepitus à dextra, & occum recta candidatus noster designatus ædilis cui nos occurrimus, & gratulati in Capitolium prosequimur. ille inde eundo suam domum, nos nostram. Opinionis nostra sermonem de pastione villica summatim hunc quem exposui habeto.* At quanto melius in illo veteri: *Et cum lata candidatus noster designatus ædilis se in villam: Cui nos occidimus, & gratulati in Capitolium prosequimur: ille inde endo suam domum; nos nostram. Opinioni noster sermone de pastione villatica summatim hoc quem exposui habito.* Egregie, si addas scribendum, *nos nostram ô Pinni noster.* Nam hic liber scriptus ad Q. Pinnium; ut primus ad Fundaniam uxorem, alter ad Turranium Nigrum. *Endo suam domum*, habet ab Ennio. *Occidere* pro occurrere, notum ex Festo & Plauto. Jam illa, *se in villam*, eleganter addita, quia illi in villa publica, ubi expectavere candidatum: dixerat enim *Respectantibus nobis, quod eo candidatum nostrum venturum sciebamus.* nam ita scribendum, non *& candidatum*, ut vulgant. Unum est in veteri scriptura, quod nondum intellexi, quid sibi velint illa, *cum lata*, nisi sit, cum lata turba. Sed de hoc quæramus amplius. At de toto capite XVII. libri primi, & de operariis illis, plura alio loco. *Mercerus.*

3 *Aut clientium*] Ger. alibi etiam *clientes* accipit pro subditis, quales hodie dynastis atque nobilibus parere solent. Sed *clientes* qui apud Romanos habiti sint, notum est, Gall. quam potuit optime, *vassaux*; quippe licet non plane iidem sint, horum tamen conditio proxime videtur accedere ad clientelam: unde etiam originem accepisse non immerito videntur. Licet non ignorem, quæ de feudorum initiis diversa sententium sit varietas. *Freinshemius.*

4 *Quanto civitas opulentior*] Hirtius ad finem librorum de bello Gallico, ait Æduorum inter Gallos summam esse auctoritatem: idem Cæsar lib. 6. *Muretus.*

5 *Nobilissimarum*] Manuscripti lectionem, licet corruptam, referre malui, quam *nobilissimam*, scribere, sicuti olim fuerat emendatum. Mihi certe legendum videtur, *nobilissimamque*, quod & scripturæ veteri propius, & copulam hic necessariam censeo: ut Sacrovirum duo occupasse dicat, oppidum, & juventutem. *Pichena.* Lipsius, *Et nobilissimam.* Si nihil plus desit, potius erat inseri, *ob nobilissimam.* Acidal. lege, *Et nobilissimam Galliarum subolem studiis ibi operantem.* Qui enim *operati studiis*, aberant tum haud dubie Augustoduno. *Operantes* igitur *studiis* deprehendit, occupavit, & velut

biliſſimam [1] Galliarum ſubolem, [2] liberalibus ſtudiis ibi operatam, ut [3] eo pignore parentes propinquoſque eorum adjungeret. ſimul arma occulte fabricata juventuti diſpertit. Quadraginta millia fuere, quinta ſui parte legionariis armis; ceteri cum venabulis & cultris, quæque alia venantibus tela ſunt. adduntur è ſervitiis [4] gladiaturæ deſtinati, [5] quibus more gentico continuum ferri tegimen ([6] *Cruppellarios* vocant) inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles. augebantur hæ copiæ vicinarum civitatum, [7] ut nondum aperta conſenſione, ita [8] viritim promptis ſtudiis; & certamine ducum Romanorum, quos inter ambigebatur, utroque bellum ſibi poſcente: mox Varro invalidus ſenecta, vigenti Silio conceſſit. At Romæ *non Treveros* 44

ut in cuſtodia habuit. Τὸ *&*, quod inſeruimus, haud dubie ultima ſyllaba præcedentis vocis hactenus abſorpſit. *Boxhornius.* Quaſi *operati ſtudiis* dici nequeant, qui cum maxime ſtudiis attendunt. Livius lib. 4. *rem familiarem ſaltem acquieſcere eo tempore, quo corpus addictum atque operatum reipub. eſſet.* Plinius 26, 2. *ſedere in ſcholis operatos.* Gronovius.

1 *Galliarum ſubolem*] Cato Cenſor. 2. Originum. *Pleraque Gallia res duas induſtrioſiſſime perſequitur, rem militarem & argute loqui.* Strabo l. 4. de Gallis ait eos mercede collata præceptores alere, qui ſapientiam profiteantur, & φιλολόγους nominat *Græcorumque ſtudioſos* quos imitabantur, pretioque ſibi vinciebant & aureis catenis. D. Hieronym. ad Ruſt. monach. epiſtola 4. *Poſt ſtudia Galliarum, quæ vel florentiſſima ſunt, miſit Romam, non parcens ſumptibus, & abſentiam filii, ſpe ſuſtinens futurorum, ut ubertatem Gallici nitoremque ſermonis gravitas Romana condiret.* Aurelius.

2 *Liberalibus ſtudiis ibi operatam*] Digna res nota, quod jam tunc ea urbs hoſpitium Muſarum. Nam Rhenano quæ læva mens fuit, cum gloriam eam transferre voluit ad Auguſtoclivienſes? Scilicet indigni hac gloria nos Galli. Tueor & retineo in EXCURS. *H.* Lipſius.

3 *Eo pignore*] Barbaro more, ſibi oppignoraverat juventutem, Muſis operam navantem: quod à noſtris Juriſconſultis damnatur, præcipue apud Bartolum, in tractatu de Repræſaliis. Legi tamen apud Monſtreletium, Ludovicum XI. regem Francorum, nobiliores exterarum adoleſcentes, Pariſiis, Navarrico Gymnaſio literis operam dantes pro pignore cepiſſe. Quod ſemel factum, ſemper improbatum eſt. Et ita me pro Juribus Regiis patrocinante fuit judicatum à Senatu Pariſienſi. *Aurelius.*

4 *Gladiaturæ deſtinati*] E Gallia genus gladiatorum, qui Mirmillones: quorum arma hic deſcripta. Vide Saturnalia noſtra. *Lipſius.*

5 *Quibus more gentico*] Legerem, *quibus more gentis, &c.* niſi libro 5. ſic quoque loqueretur, *Quorum ſceptuchi utrinque donis acceptis, more gentico, diverſa induere.* Sed ſuſpicor hanc elegantiam librario ferendam acceptam. De qua re mentem noſtram aperuimus in Annotationibus conſtructionum locutionumque quibus Tacitus utitur. *Rhenanus.* Tertullianus de anima: *pro gentica, pro avita, pro publica aut privata devotione.* Habet etiam Avienus Feſtus in Ora Maritima. *Gronovius.*

6 *Crupellarios vocant*] Non alibi ea vox mihi lecta. Hæsi ne *Clibanarios* ſcribendum eſſet. Nazarius in Laudatione Conſtantini: *Quæ enim illa fuiſſe dicitur ſpecies: quam atrox viſu? quam formidoloſa? operimento ferri equi atque homines pariter obſepti. Clibanariis in exercitu nomen eſt: ſuperne omnibus tectis, equorum pectoribus demiſſa lorica & crurum tenus pendens, ſine impedimento greſſus à noxa vulneris vindicabat.* Ammianus l. XVI. *Sparſique cataphracti equites, quos Clibanarios dictitant.* Iterumque: *Norant enim locos prudentem ex equo bellatorem cum Clibanario noſtro congreſſum, tegminibus ferreis abſcondito bellatori nocere non poſſe.* Vocem peregrinam & Perſicam eſſe, ſuadeor Lampridii verbis in Severo: *Centum millia equitum eorum fudimus Cataphractarios, quos illi Clibanarios vocant.* Alioqui non incommode à Græco κλίβανος deduxeris. quod σκεῦός τι σιδηροῦν, ἐφ' ᾧ τοὺς ἄρτους ὀπτῶσι definit Moſchopulus. Et Clibanus apud Leonem Imp. paſſim, pro thorace quo pectus tegitur. At hic tamen nihil mutem: & fortaſſe Crupellarii pedites fuerunt, non equites. Sane ex Taciti narratione non colliges pugnaſſe eos ex equis. *Lipſius.*

Crupellarios vocant] Forſitan leg. *clibanarios*, ut & alii annotarunt. Ammian. Marcell. lib. 16. Vide & Nazarium in laudatione Conſtantini. Talium mentio & apud Plutarchum in Lucullo. *Muretus.* *Cruppellarios* edit codex MS. non quod editoribus placet *Crupellarios*, idque ſervavit Beroaldus, & repetii, quum præter fas inde auferatur alterum *p* ab iis, qui ſpeciem putabant inde addi ſuo invento, quod hinc alieniſſimum. Sed & mox in MS. legitur *augebantur ea copiæ* Jac. Gronovius.

7 *Ut nondum aperta conſenſione*] Leg. *aperte.* & Muretus ita. *Acidalius.*

8 *Viritim promptis ſtudiis*] Non interpretati ſunt, *viritim*, ut vellem. Videntur enim omnes dicere privatos cauſæ Æduorum faviſſe; at Tacitus nihil aliud quam hoc ipſum: publico conſilio nulla ipſis miſſa fuiſſe auxilia à vicinis civitatibus, ſed multos, pro ſe quemque, ad eos confluxiſſe privato ſtudio. Livius 4, 31. *quum tamen nullam publici conſilii ſocietatem moviſſent, voluntarios undique ad ſpem prædæ adſcive-*

ros modo, & Æduos, sed [1] *quatuor & sexaginta Galliarum civitates desciviſſe; adſumptos in ſocietatem Germanos, dubias Hiſpanias,* cuncta (ut mos famæ) in majus credita. optimus quiſque reipublicæ cura mærebat; multi odio præſentium, & cupidine mutationis, ſuis quoque periculis lætabantur: increpabantque Tiberium, *quod in tanto rerum motu, libellis accuſatorum inſumeret operam. An Julium Sacrovirum majeſtatis crimine reum in ſenatu fore? exſtitiſſe tandem viros, qui* [2] *cruentas epiſtolas armis cohiberent. miſeram pacem vel bello bene mutari.* Tanto impenſius in ſecuritatem compoſitus, neque loco, neque vultu mutato, ſed ut ſolitum, per illos dies egit: [3] altitu-
45 dine animi; an compererat modica eſſe, & vulgatis leviora. Interim Silius cum legionibus duabus incedens, præmiſſa auxiliari manu, vaſtat Sequanorum pagos, qui finium extremi & Æduis contermini, ſociique in armis erant. Mox Auguſtodunum petit propero agmine, [4] certantibus inter ſe ſigniferis, fremente etiam gregario milite; *ne ſuetam requiem, ne ſpatia noctium opperiretur; viderent modo adverſos, & aſpicerentur; id ſatis ad victoriam.* Duodecimum apud lapidem, Sacrovir, copiæque patentibus locis apparuere. in fronte ſtatuerat ferratos; in cornibus cohortes; à tergo ſemermos. Ipſe inter primores equo inſigni adire, memorare *veteres Gallorum glorias, quæque Romanis adverſa intuliſſent: quam decora victoribus libertas:* [5] *quanto intole-*
46 *rantior ſervitus iterum victis.* Non diu hæc, nec apud lætos: etenim propinquabat legionum acies; inconditique ac militiæ neſcii oppidani [6] neque oculis neque auribus ſatis competebant. contra Silius, etſi præſumpta ſpes hortandi cauſas exemerat, clamitabat tamen: *Pudendum ipſis, quod Germaniarum victores adverſum Gallos, tamquam in*

adſciverunt. Freinſhemius.

1 *Quatuor & ſexaginta*] In certas gentes videntur Galliam diviſiſſe. Strabo lib. IV. Lugduni aram Auguſto exſtructam ait, à communi Galliæ: cum inſcriptione LX. gentium. Quod in nummis etiam M. Antonii legimus, LVGDVNI. A. XL. libentius ad gentium numerum rettulerim, quam ut alii, ad annorum coloniæ conditæ. Appianus in Celtico ampliore numero, ἔθνη τετρακόσια, in Gallis ponit, πόλεις ὑπὲρ ὀκτακοσίας. Lipſius.

Quatuor & ſexaginta] Hoc eſt, univerſas Galliæ civitates. tot enim fuiſſe intelliguntur. Sic apud Liv. 4, 23. *duæ civitates, legatis circa duos & viginti populos miſſis:* univerſus Hetruriæ populorum numerus comprehenſus eſt, non pars excepta. Sic apud Cicer. de nat. deor. 2, 37. *unius & viginti formæ litterarum.* Diſcrimen id adjectione articuli vulgaribus linguis explicare facile eſt. *Freinſhemius.*

2 *Cruentas epiſtolas*] Principum reſcripta, quibus ſcilicet illi vel ad præſentium poſtulata, vel ad abſentium conſultationes reſpondebant, Epiſtolæ dictæ. Habemus ex Juriſconſultis l. 1. D. de conſtit. Princip. & exemplum in l. ſed addes, 19. §. 3. D. locat. l. divi fratres, D. de jure patron. l. 3. D. de teſtib. Sanctio etiam imperatoria, *Epiſtola* quandoque dicta. Ita *Epiſtola* D. Adriani de peculio dividendo inter mandatores & fidejuſſores, cujus fit mentio l. fin C. de conſtit. pecun. Itaque Cornelius Tacitus inquit, quod quum Tiberius libellis accuſatorum frequentem inſumeret operam, repertos tandem viros, Florum ſcilicet & Sacrovirum, qui bellum intentantes *cruentas Epiſtolas armis cohiberent*, id eſt, Tiberium averterent à decretis & reſcriptis pœnalibus, quibus accuſatorum ob frequens crimen læſæ Majeſtatis modo huic, modo illi attributum, libellis trucibus & ſanguinolentis decretis & reſcriptis reſpondebat, hoc eſt, quibus pœna ſanguinis reis accuſatis infligebatur. *Donatus.*

3 *Altitudine animi, an compererat*] Varro lib. 5. de Ling. Lat. *Quintana an ſeptimana ſint futuræ.* Tacitus l. 2. *Metune invidiæ, an ratus conſcientiam facti, ſatis eſſe.* Et lib. 12. *Socordiane Claudii an vinolentia?* Aurelius.

4 *Certantibus inter ſe ſigniferis*] *Certare* non eſt rixari, ſed ipſo facto cum aliis contendere, ſtudiumque & operam ſuam præ aliis adprobare. *Freinſhemius.*

5 *Quanto intolerantior iterum ſervitus victis*] Non puto aut apud hunc aut alios hiſtoricos reperiri id genus ex participiis verbalia ſenſu paſſivo. Quare præferam *intoleratior* ἀνεκτότερος. Sic lib. XII. *Tanto toleratiora capeſſeret.* Grotius. A. Gellius lib. 19. cap. 7. inter ea quæ notat ex Livio: *item, Curis intolerantibus, pro intolerandis.* Et hinc *intolerantia morum Tiberii*, qui ſcilicet ferri nequirent Suetonio cap. 51. *Gronovius.*

6 *Neque oculis neque*] Salluſtianum eſt apud Nonium: *Formidine attonitus, neque animo, neque auribus, aut lingua competere.* Etiam tale hoc Livii lib. V. *Romani ne auribus quidem atque oculis ſatis conſtare poterant.* Lipſius.

1 *Rebellem*

in hostem ducerentur. una nuper cohors [1] *rebellem Turonium, una ala Treverum, pauca hujus ipsius exercitus turmæ profligavere Sequanos. quanto pecunia dites & voluptatibus opulentos, tanto magis imbelles Æduos, evincite,* [2] *& fugientibus consulite.* [3] Ingens ad ea clamor: & circumfudit eques; frontemque pedites invasere. nec cunctatum apud latera. paulum moræ attulere ferrati, restantibus laminis adversum pila & gladios: sed miles correptis securibus & dolabris, ut si murum perrumperet, cædere tegmina & corpora: quidam trudibus aut furcis inertem molem prosternere; jacentesque nullo ad resurgendum nisu, quasi exanimes linquebantur. Sacrovir primo Augustodunum, dein [4] metu deditionis in villam propinquam cum fidissimis pergit. Illic sua manu, reliqui mutuis ictibus occidere. [5] incensa super villa, omnes cremavit. Tum demum 47
Tiberius ortum patratumque bellum senatui scripsit: neque dempsit, aut addidit vero; sed *fide ac virtute legatos,* [6] *se consiliis superfuisse.* simul caussas, cur non ipse, non Drusus profecti ad id bellum forent, adjunxit, *magnitudinem imperii* extollens; [7] *neque decorum principibus, si una alterave civitas turbet,* [8] *omissa urbe, unde in omnia regimen.*

1 *Rebellem Turonium*] Itane *Turonium*, an verius *Andecavum?* Ipse quidem paulo ante narravit: *Andecavos Acilius Aviola, excita cohorte qua Lugduni præsidium agitabat, coërcuit: Turonii, Legionario milite, quem Visellius Varro miserat, oppressi.* Lipsius.

2 *Et fugientibus consulite*] Livius lib. 24. *Jussi & duces ordinum Præfectique auxiliorum simul consilire* Vulgo legitur *consulere*. Putatur ea vox legi etiam lib. 5. *Aliosque occultos consilii*, sed male. Muretus. Ex loco inferiore, qui est lib. v. *aliosque occultos consilii*, &c. videtur hic scribendum; *& fugientes consilite*, &c. Ursinus. Video & Freinshemium interpretari: *ite, vincite, aut potius sponte jam fugientes cursu sequimini.* Sed quem auctorem apud alium invenire est *consilire* pro cursu sequi? aut quem apud omnino *consilire?* Nam & quod Muretus addit ex Livio, fucatum; est enim c. 28. ubi nihil melius quam omnium codicum *consulere:* & quod ex nostro Ursinus lib. 6, 36. non stat bono talo; legendum enim, *occultos concilii*, ut Acidalius & Freinshemius viderunt. Quid si legamus: *& fugientibus consulite*, id est, trepidos & tantum non jam fugientes exsuite detractisque armis & insignibus militaribus leviores & fugæ paratiores reddite? *Gronovius.* Hoc *consilite* etsi jam Beroaldi editio obtineat, scio tamen in antiquiore MS. legi *consulite.* quod ideo prætuli, quum vel sic recte exponat pater, vel intelligere liceat, occidite, ne cogantur fatigari fuga, prout post partam victoriam solet in fuga sequi cædes. Itaque *consulite* nunc usurpatur illo improbo sensu, quo desperantes dicuntur sibi ipsi consulere, dum se interficiunt. *Jac. Gronovius.*

3 *Ingens ad ea clamor*] Gellius l. 1. cap. 11. *Quid ille vult ardentissimus clamor militum Romanorum, quem in congressibus præliorum fieri solitum, scriptores Annalium memoravere?* Cato Porcius apud Plutarch. dicebat, in præliis solere se *clamare acriter, ferire fortiter, nunquam recedere turpiter.* Livius lib. 33. *Raro alias tantus clamor dicitur in principio pugnæ coortus: nam forte utraque acies simul conclamavere.* Vetustissimus est clamor iste militaris, & Hebræis quoque Græcisque usitatus. *Amelius.*

4 *Metu deditionis*] Verba Taciti magis de Sacroviri deditione, quam urbis accipienda sunt. Nam hoc metuendum habent omnes duces victi. Sic in Appiani Punicis: *Annibal refugit in oppidum, nominatum Thon: ubi cognovit Brutiorum Hispanorumque multos equites eodem è clade fugisse. Metuens igitur Hispanos, ut Barbaros temerarios, Brutios vero, ut Italos, Scipionis conterraneos, ne, quo facilius veniam erratorum & acta contra Italiam militia consequerentur, Scipioni ipsum dederent* &c. Similia idem de Cn. Pompejo filio. *Freinshemius.*

5 *Incensa super villa*] Alius castellum, alius vicum reddit: neuter male. Nam & villas in castellorum speciem exædificari solitas scimus; & casis circum eas exstructis vicos enatos. *Freinshemius.* Cæterum illud *incensa* admodum præcox Tacito obvenit. & jam apparet in Aldina; quum Beroaldus ediderit *ingressa*. Sic patet jam à primo tempore in hoc loco hæsitatum esse, & sæpe pro fœtu Taciti venditatum, quod illi in mentem non venit. Nam quod simpliciter editum est ab Beroaldo, id ipsum exstat sic quoque in veterrimo MS. quæ scriptura non defert lectorem ad Aldi *incensa*, sed clarissime ostentat *ingesta*. Hoc verbum quum jam Rhenanus potuerit adeo jactare 1. hist. 31. miror jam tacere. Res tota patet. *Jac. Gronovius.*

6 *Se consiliis superfuisse*] Vide Gellium l. 1. c. 22. Noct. Atticar. *Muretus.*

7 *Neque decorum Principibus*] Nam in minoribus bellis, Principi, ut Claudianus ait,

Vindictam mandasse sat est.

Et ipsa Roma huic rei apud eumdem vatem:

——— *modum non deserit umquam*
Cœli Phœbus iter, radiis tamen omnia lustrat.

Lipsius.

8 *Omissa urbe*] Parum attento lectori, aliquod verbum deesse videbitur huic sententiæ: quæ tamen plenissima est, si superiora respicias. Subin-

Ff tel-ligitur

gimen. nunc [1] *quia non metu ducatur, iturum ut præsentia spectaret, componeretque.* Decrevere patres vota pro reditu ejus, supplicationesque, & alia decora. Solus Dolabella Cornelius, dum anteire ceteros parat, [2] absurdam in adulationem progressus, censuit *ut ovans è Campania urbem introiret.* Igitur secutæ Cæsaris litteræ, quibus *se non tam vacuum gloria prædicabat, ut post ferocissimas gentes perdomitas, tot receptos in juventa, aut spretos triumphos, jam senior peregrinationis suburbanæ inane præmium pete-*

48 *ret.* Sub idem tempus, *ut mors Sulpicii Quirinii publicis exsequiis frequentaretur*, petivit à senatu. Nihil ad veterem & patriciam Sulpiciorum familiam Quirinius pertinuit, ortus apud municipium Lanuvium: sed impiger militiæ, & acribus ministeriis [3] consulatum sub divo Augusto, [4] mox expugnatis per Ciliciam [5] Homonadensium castellis insignia triumphi adeptus; [6] datusque rector C. Cæsari Armeniam obtinenti, Tiberium quoque Rhodi agentem [7] coluerat. quod tunc patefecit [8] in senatu: laudatis in se officiis, & [9] incusato *M. Lollio*, quem *auctorem C. Cæsari*

[1] *pravitatis*

telligitur enim, id scilicet ad bellum proficisci, principibus minime decorum esse levibus causis. *Pichena.* Nun est oratio integra, ut excusa est. Lego igitur. *Neque decorum principibus, si una alterave civitas turbet, omisisse urbem, unde in omnia regimen.* Quod egregie dictum à Tiberio. Nam *celsior fortuna celsa loqui & sentire debet.* Am. Marc. 17. & istud est, quod Cicero tantopere arguit Pompejum, quod omiserit urbem, qua relicta tota respublica periit. *Aurelius.* Malim *omisisse urbem.* Freinshemius. Immo ex antecedente *profectis* assumat potius universa hæc periodus vocem *proficisci*, & nihil aliud. Et hoc potest molliter fieri, cui simile jam tetigi c. 16. *Jac. Gronovius.*

1 *Quia non metu ducatur*] Muretus è regione vocum, *quia non metu ducatur*, stellulam adpinxerat. Mihi integer locus videtur, si *motu* pro *metu* legas. Excusat Tiberius non Majestatem imperii Romani decuisse, ut turbantibus una alterave civitatibus omissa urbe in bellum ipse iret, nunc, quando non motu aut turbis eo ducatur, iturum ut præsentia spectaret & compararet. *Motum* sic frequentissime Tacitus. Paulo ante: *In tanto rerum motu.* lib. I *Eo in motu arguere Germanicum omnes.* Sic idem sæpe *eos motus.* Acidalius. Nunc autem, quia nulla credendi occasio esset, quasi metu & solicitudine, ne respublica detrimentum ab hujusmodi hostibus acciperet, id facturus esset, velle se proficisci &c. *Freinshemius.*

2 *Absurdam in adulationem*] Neque tum *incivile* fuit adulari: neque novum in adulatione *modum excedere:* neque *turpiter* aut *inhoneste* adulari insolitum. Nihil itaque horum per *absurdam adulationem* designare voluit Tacitus: sed ut res, & Tiberii subjecta verba docent, inepta atque rudis, tempori personæque, cui dabatur, disconveniens erat adulatio, non modo quia contra omnem morem erat, sed multo magis, quia inferior Majestate senis principis, & propius à contumelia ejus quam honore. *Freinshemius.*

3 *Consulatum sub*] Consul fuit anno urbis DCCXLII. cum M. Valerio Messalla. Quirinius à Dione, Josepho, Tacito constanter appellatur: ut mirer cur maluerit Onufrius, Quirinus. *Lipsius.*

4 *Mox expugnatis per Ciliciam*] Tangit historiam solus, quod sciam, Strabo, lib. XII. Τοὺς δὲ Ὁμοναδέας Κυρίνιος ἐξεπόρθησε λιμῷ, καὶ τετρακισχιλίους ἄνδρας ἐζώγρησε καὶ συνῴκισεν εἰς τὰς ἐγγὺς πόλεις. Τὴν δὲ χώραν ἀπέλιπεν ἔρημον τῶν ἐν ἀκμῇ. id est, *Homonadenses autem Quirinius fame expugnavit, quatuor millia virorum cepit & in vicinas urbes distribuit, regione spoliata omni juventute.* At idem is etiam in Africa gessit, si Floro accredam, aut certe veteribus ejus libris. Nam libri ultimi cap. ultimo, ubi legitur: *Marmaridas atque Garamantas Furnio subigendos dedit:* alter meus scriptus codex, *Curinio*, alter *Quirino* refert. & puto recte. *Lipsius.*

5 *Homonadensium castellis*] Plinius, 5, 27. *Simili modo omnibus, qui eadem composuere, ignorata est illi contermina* (Ciliciæ scilicet) *gens Homonadum, quoniam intus oppidum Homona. Cætera castella quadraginta quatuor inter asperas cautes & convalles latent.* Aurelius.

6 *Datusque rector*] Diu etiam post, in Syriam missus ad census describendos. de qua re multa Josephus lib. XVIII. cap. I. II. & seq. Et mentio ejus apud Lucam in historia sacra. *Lipsius.*

7 *Coluerat*] Omnibus officiis prosecutus fuerat. *Freinshemius.*

8 *In Senatu*] Non coram, sed per literas; morabatur enim adhuc in Campania, ut antecedentia, quæque sequuntur, evincunt. *Freinshemius.*

9 *Incusato M. Lollio*] Ita emendavi olim, cum vulgo esset *M. Folio.* Hausi emendationem facile ex historia, quæ apud Suetonium: *Namque privignum Cajum Orienti præpositum, cum visendi gratia trajecisset Samum, alieniorem sibi sensit ex criminationibus M. Lollii comitis & rectoris ejus.* Item Plinium libro IX. & Vellejum libro II. Fuit enim hic Lollius C. Cæsari rector, quo more principibus juvenibus etiam nunc dantur: & post illum P. Sulpicius Quirinius, Tiberio amicus. Causa errori, quod

in

[1] *pravitatis & discordiarum* arguebat. sed ceteris haud læta memoria Quirinii erat, ob intenta, ut memoravi, Lepidæ pericula, [2] sordidamque & præpotentem senectam. Fine anni [3] C. Lutorium Priscum equitem Romanum, post celebre carmen 49
quo Germanici suprema defleverat, pecunia donatum à Cæsare, [4] corripuit delator; objectans *ægro Druso composuisse, quod, si exstinctus foret, majore præmio vulgaretur.* Id C. Lutorius in domo P. Petronii, socru ejus Vitellia coram, multisque inlustribus feminis, per vaniloquentiam legerat. Ut delator exstitit, ceteris [5] ad dicendum testimonium exterritis, sola Vitellia *nihil se audivisse* adseveravit. sed arguentibus ad perniciem plus fidei fuit. sententiaque Haterii Agrippæ consulis designati indictum reo ultimum supplicium. Contra Manius Lepidus in hunc modum exorsus est. *Si,* 50
patres conscripti, unum id spectamus, [6] *quam nefaria voce C. Lutorius Priscus mentem suam & aures hominum polluerit; neque carcer, neque laqueus,* [7] *ne serviles quidem cruciatus in eum suffecerint. sin* [8] *flagitia & facinora sine modo sunt; suppliciis ac remediis, principis moderatio, majorumque & vestra exempla temperant; & vana à scelestis, dicta à maleficiis differunt: est locus sententiæ, per quam neque huic delictum impune sit, & nos clementiæ simul ac severitatis non pæniteat. Sæpe audivi principem nostrum conquerentem, si quis sumpta morte misericordiam ejus prævenisset.* [9] *vita C. Lutorii in integro est, qui neque servatus in periculum reipublicæ, neque interfectus* [10] *in exemplum ibit.* [11] *studia illi ut*

in priscis libris sine geminatione fere: *Lolio.* Lipsius.

1 *Pravitatis & discordiarum*] Sic Livius, *pravitas consulum, discordiaque inter ipsos*, lib. 4, 26. ubi vide nostra. *Gronovius.*

2 *Sordidamque & præpotentem senectam*] Explicant tantum de divitiis: sed pertinet etiam ad ea, quæ ope illarum efficere poterat, si vellet. cujus rei documentum dedit in Lepida, de qua supra 3, 22. *Freinshemius.*

3 *C. Lutorium Priscum*] Vulgo, *Clutorium.* Sed Dio auctor sic emendandi, apud quem est, Γάϊος Λυτώριος. Error ex adhæsu notarum, ut infra *Pantejus*, qui est P. Antejus. Mentio hujus aut alterius Lutorii apud Plinium libro VII. cap. XXIX. ubi tamen male, *Sutorio Prisco.* Lipsius.

C. Lutorium Priscum] Dioni & Xiphilino Γάϊος Λυτώριος Πρίσκος hic est: lectione dixerim eo veriore, quod prænomen equiti Romano tribuit. *Vertranius.*

4 *Corripuit delator*] Impietatis crimine, quasi carmine composito mortem Drusi speravisset. *Freinshemius.* Curtius lib. 10. *Rex cognita causa pronunciavit, ab accusatoribus unum & id maximum crimen esse præteritum, desperationem salutis suæ. nunquam enim talia ausuros, qui ipsum ex India sospitem aut optassent reverti, aut credidissent reversurum.* Gronovius.

5 *Ad dicendum testimonium exterritis*] Id est, metu & vi, ad confitendum compulsis. *Pichena.*

6 *Quam nefaria voce Lutorius Priscus*] Cui datum fuit tantum juris, ut quum Beroaldus exhibuerit *Clutorius Priscus*, perinde ut in cap. antecedente, & sic quoque legatur in vetetrima membrana, quo notatur prænomen *Cajus*, sustinuerit literam primam demere, ut faciunt omnes recentiores? Nec tantum id nunc ita se habet, sed etiam infra *vita C. Lutorii in integro est*, ubi etiam expulerunt. Utrobique restitui. *Jac. Gronovius.*

7 *Ne serviles quidem*] Id est, patibula crucesque. *Lipsius.*

8 *Flagitia sine modo*] Lepidus non innumera volebat intelligi, nec enim hoc ad tem pertinuisset, verum maxima, immensa, omnem modum egressa: adeo ut pares iis pœnas invenire non esset. *Freinshemius.*

9 *In integro est*] Sententia mihi mallet, *esto.* Lipsius.

Vita Lutorii in integro est] Lipsius legit, *in integro esto:* quasi id Lepidus pro sententia censuerit. Ego nihil mutarem, propter id quod supra dixit: principem sæpissime conquestum, si quis sumpta morte, misericordiam ejus prævenisset. Ergo subjicit Lepidus, mortem adhuc Lutorius non sumpsit, vitaque ejus est in integro, ut nobis cavendum sit, ne nimiæ severitatis auctores simus. Suam ipse postremo sententiam profert, ut cedat urbe. *Pichena.* De hoc ipso loco sic meditatur Laur. Ramirezii Pentecontarchus cap. 22. (Venit sanandus locus sola hac interpunctione: *Vita Lutorii in integro, est qui neque servatus in salutem, neque damnatus in exemplum ibit.* ubi deest per ellipsim *esse.*) Jac. Gronovius.

10 *In exemplum ibit*] Quintil. Declamat. 274. *Omnis enim pœna non tam ad delictum pertinet, quam ad exemplum.* Cyprian. de Capt. *Plectuntur quidam, quo cæteri corrigantur. exempla sunt omnium, tormenta paucorum.* Aurelius.

11 *Studia illi ut plena*] *Studia* ponuntur hic pro artibus & genere vitæ, cui se addixerat. id per se honorificum, homo vecors & inanis, ut Lepidus

ut plena vecordiæ, ita inania & fluxa sunt: nec quidquam grave ac serium ex eo metuas, qui suorum ipse flagitiorum proditor, non virorum animis, sed muliercularum [1] *adrepit. cedat tamen urbe, & bonis amissis aqua & igni arceatur. Quod perinde censeo, ac si*
51 *lege majestatis teneretur.* Solus Lepido [2] Rubellius Blandus è consularibus adsensit: ceteri sententiam Agrippæ secuti: [3] ductusque in carcerem Priscus, ac statim exanimatus. Id Tiberius solitis sibi ambagibus apud senatum incusavit, cum extolleret [4] *pietatem quamvis modicas principis injurias acriter ulciscentium*; deprecaretur *tam præcipites* [5] *verborum pœnas:* laudaret Lepidum, neque Agrippam argueret. Igitur factum senatus consultum, *ut decreta patrum* [6] *ante diem decimum* [7] *ad ærarium deferrentur*; *idque vita*

credi vult, amentia implebat ac contaminabat: eoque contemptum, vile, fluxum, nulliusque momenti reddiderat, ut ne quidem periculum esset, si maxime abuti eo vellet, eum cuivis quidquam esse persuasurum, aut, quod ad probrum sive discrimen Principis reive publicæ pertineret, effecturum. *Freinshemius.*

1 *Animis. . adrepit*] Non patitur hoc quiescere Jo. Pricæus, ita ut in notis ad epist. 1. ad Timotheum 3, 5. ex Ambrosio offerat *irrepit*; pravus, si non cogitavit, pejor si non advertit in compositis particulam *ad* saepe placuisse auctori pro altera? Et quid aliud est in novissimo loco 1, 74. *sævitia principis adreperet?* Etiam sævitia est animi, ut sint admodum vicina. *Jac. Gronovius.*

2 *Rubellius Blandus*] Videndum, an hic sit, qui in æreis numismatibus dicitur *C. RVBELLIVS. BLANDVS. III. VIR. A. A. A. F. F.* de quo item infra Tacitus mentionem fecit. *Ursinus.*

3 *Ductusque in carcerem Priscus*] *Carcer* ad terrorem increscentis audaciæ, media urbe, imminens foro, Anci Marcii jussu extructus, à coërcendo & continendo, quasi *coarcer*, nomen habet. In eum conjecti, clusi, non tamen in vinculis omnes fuere, sicut refert Ulpianus ccxvi. D. de verbor. signific. Habuit autem carcer penitiorem sub terra locum, quod *Tullianum* à rege Tullio appellatur: habuit & in plano locum alium vinculorum, *ergastulum*, opinor Nonio dictum. Illo indicta causa & inauditi, qui ducerentur, Tribunorum opem invocabant, vel taciti morem ducenti magistratui gerebant. Neque vero in carcerem ducti fuere cives, nisi prætextu delicti, quod facinus indignum putarent, si quem in eo deprehendissent. quo casu etiam indemnati carcere clusi sunt, ex vinculis causam dicturi. Sed & alias quandoque damnati in provincia, vinctique Romam, quo appellassent, missi, ex vinculis causam iterum dixere, uti Senatui aut principi magis placuit. Inibi reus cervicem securi subjiciebat, carnifex reum decollabat, quod fuisse Romani moris Livii multiplex scriptum, & Seneca l. ix. Declam. ii. indicat. Indeque patet, quod dicitur apud Florum, *Jugurtha necatus in carcere.* Item quod Pomponius refert. D. de origin. juris *necatos in carcere quosdam ex Decemviris.* Sic quoque hic *ductus in carcerem statim exanimatus:* & infra lib. v. *Paconianus in carcere strangulatus:* & ut semel dicam, in reos, qui alicujus nominis, aut significationis essent, in carcere; in eos qui humilioris fortunæ, palam animadvertebatur. *Vertranius.* Nonii loco, quem affert Vertranius, vehementer diffido. De ergastulis vide Lipsium 2. Elect. 15. *Gronovius.*

4 *Pietatem quamvis modicas*] Sic vocabatur tum temporis, quæ veriore vocabulo est *fœva adulatio* 4, 26. Sueton. August. 68. *laudavit quidem pietatem tantopere pro se indignantium.* Domitiano 11. *Permittite, P. C. à pietate vestra impetrari.* Ovidius libro 1. Metam.

Nec tibi grata minus pietas, Auguste, tuorum,
Quam fuit illa Jovi.

Non melior *pietas* Vitellianorum libro 2. histor. cap. 69. *Gronovius.*

5 *Verborum pœnas*] Recte, quia verba, non facta Lutorii pœna adfecta sunt. Nec male tamen, *reorum pœnas*, argumento decreti, quod secutum. *Lipsius.*

6 *Ante diem decimum*] Interciderat nota numeri, quam nos certis auctoribus restituimus. Suetonio in Tiber. cap. lxxv. *Nam cum Senatusconsulo cautum esset, ut pœna damnatorum semper in decimum diem differretur.* Dione libro LVII. Καὶ δόγμα τι παραδοθῆναι ἐκέλευσε, μήτ' ἀποθνήσκειν ἐντὸς δέκα ἡμερῶν τὸν καταψηφισθέντα ὑπ' αὐτῶν, μήτε τὸ γράμμα τὸ ἐπ' αὐτῷ γενόμενον, ἐς τὸ δημόσιον ἐντὸς τῶν αὐτῶν χρόνων ἀποτίθεσθαι. Qui & idem repetit, fine libri LVIII. Nec aliud Seneca sensit, De tranquillitate 1. cap. xiv. *Credisne illum decem medios usque ad supplicium dies sine ulla sollicitudine exegisse?* Mansisse videtur id decretum, donec Theodosius Imp. clementissime convicto & damnato reo dies indulsit triginta vitæ: in l. Si vindicari C. De pœnis. Sidonius ergo non abest quin falsus sit, l. 1. Epist. qui id tribuit SC. Tiberiano. *Ex vetere*, inquit, *Sc. Tiberiano triginta dierum vitam post sententiam trahit.* Hæc satis certa videbantur. at turbant me Declamatores: inter quos Quinctilianus Themate declamationis cccxii. *Damnatorum*, inquit, *supplicia in diem tricesimum differantur.* Et in ipsa Declamatione: *Et mihi videtur ideo constituta esse lex, quæ damnatum post tricesimum diem puniri voluit? quoniam videbat legum lator posse fieri ut deciperetur accusator.*

Item

vita spatium damnatis prorogaretur. sed non senatui libertas ad pœnitendum erat; ne-
que Tiberius [1] interjectu temporis mitigabatur. C. Sulpicius, D. Haterius consu- 52
les sequuntur. Inturbidus externis rebus annus, domi suspecta severitate adversum
luxum; qui immensum proruperat ad cuncta, quis pecunia prodigitur. Sed alia
sumptuum quamvis graviora, dissimulatis plerumque pretiis occultabantur; ventris
& ganeæ paratus adsiduis sermonibus vulgati, fecerant curam, [2] ne princeps anti-
quæ parcimoniæ durius adverteret. Nam incipiente C. Bibulo, ceteri quoque ædiles
disseruerant, [3] *sperni sumptuariam legem*, [4] *vetitaque utensilium pretia augeri in dies:*

[1] *nec*

Item Calpurnius Flaccus (Pithœo nostro auctores hos debemus) Declamat. xxv. *Pœna raptoris in diem trigesimum differatur.* Nam vixisse istos ante Theodosii longe ævum, satis claret. An igitur exolescentem retulit dumtaxat ratamque Tiberianam legem habuit Theodosius, & in Tacito, Dione, Senecâ, suspicamur de mendo? An potius Declamatores illi in transscribendo vitiati à posteris sunt, & ad posteriorem illam legem aptari? Mehercle hæreo. eo magis, quod Quinctilianum illum Augusti ævo vixisse volunt: quod ex hocloco non potest. *Idem.* Sed huic collectioni Lipsii æstuantis comes dari debet nota doctissimi Sirmondi ad locum istum Suetonii in hæc verba: (Aruando pœna non x sed xxx dierum spatio dilata. Quare Justus Lipsius Sidonium memoria lapsum censuit, qui SCto Tiberiano tribuat, quod proprium erat legis Theodosianæ, Si vindicari Cod. de pœnis, quæ dies xxx pœnam suspendi jussit. Sed nos polititimo viro assentiri res ipsa vetat. Etenim lex Theodosii, ut verba declarant, solius Principis sententias coërcuit, Senatusconsultum sola Senatus judicia, ut Dio notat. Aruandi vero judicium Senatorium fuit, ac proinde ex SCto, non ex lege moderandum. Quod igitur xxx dies SCto adscribit, argumento est, ad dies x veteris SCti accessisse postea (quo tempore incertum) dies alios xx, & tamen eidem SCto tributos fuisse, quo more Legibus Juliis aliisque multa, quæ illis postea adjecta fuerunt, tribui solere Juris interpretes observarunt.) *Jac. Gronovius.*

7 *Ad ærarium deferrentur*] In ærario tabulæ publicæ & acta Senatus. Livius libro xxxv. *Verum cum sint notissimæ sibi cum Consule inimicitiæ, quid ab eo posse quemquam æqui exspectare, qui per infrequentiam furtim factum Sc. ad ærarium detulerit?* Necante rata, donec delata. interea Auctoritas dicebatur, non *Sc.* ut ex Cicerone & Dione jam alii notarunt. Vide similem in Tacito locum libro xiii. de multis Ædilium. *Lipsius.*

1 *Interjectu temporis mitigabatur*] Tiberius C. Lutorii mortem ægre tulit, non quod supplicio affectus, sed quod à Senatu, se absente, damnatus esset. Quare SCto caveri voluit: Ne quis reus à Senatu damnatus intra diem decimum necaretur. Neve sententia contra reum lata, ante id tempus publicaretur: ut de sententia admonitus Cæsar, licet absens, causam recognosceret, reo gratificaretur, ex voluntateve de eo judicium proferret. Has causas ferendi Senatusconsulti retulit Dio lib. lvii. quas prætermissas à Tacito, nolui silentio præteriisse. *Vertranius.*

2 *Ne princeps antiquæ parsimoniæ*] Rhenanus, aliique ipsum secuti hunc locum sic construxerunt: ne princeps durius adverteret antiquæ parsimoniæ. Mihi videtur Tiberium ipsum appellari *Principem antiqua parsimonia*, quod ex historia clarum, & testatur Tacitus libro iv. *Rari per Italiam Cæsaris agri, modesta servitia, intra paucos libertos domus.* Similis loquendi modus est libro xii. *Libertinus sestertii ter millies possessor, antiqua parsimonia laudibus cumulabatur.* Pichena.

3 *Sperni sumtuariam legem*] Augusti sumptuariam intellegit, de qua Agellius libro ii. *Postremo lex Julia ad populum pervenit, Cæsare Augusto imperante, qua profestis quidem diebus ducenti finiuntur: Kalendis, Idibus, Nonis, & aliis quibusdam festis, trecenti: nuptiis autem & repotiis HS. millies esse. Etiam dicit Capito Ateius edictum Divini Augusti an Tiberii Cæsaris,* &c. Quo loco claram mendam per occasionem tollo, legoque: *nuptiis autem & repotiis sestertii mille. Esse etiam dicit Capito,* &c. Sestertium millies ad nuptias ut definiat ulla lex? non potest: nimis immane est. At sestertii mille conveniunt, & *συμμετρίαν* habent cum numero priore, ducentorum trecentorumque. Ceterum hanc Tiberii curam intellexit Plinius libro xxxiii. cap. ii. hoc diversius, quod C. Sulpicium Galbam Ædilem nominat, non C. Bibulum, rejicitque in annum sequentem quo consules Vetus & Pollio. *Tiberii demum,* inquit, *principatus nono anno, in unitatem venit equester ordo, anulorumque auctoritati forma constituta est, C. Asinio Pollione, C. Antistio Vetere Coss. anno urbis conditæ* DCCLXXV. *quod miremur, futili pæne de caussa. Cum C. Sulpicius Galba, dum juvenalem famam apud principem popinarum pœnis aucupatur, questus esset in Senatu, vulgo institores ejus culpa defendi anulis.* Fieri tamen potest, ut iterata tunc ea inquisitio. *Lipsius.*

4 *Vetita utensilium pretia augeri*] Freinshemius, *suppellectilium prohibitam taxationem non modo retineri, verum etiam indies augescere.* Mirum omnibus partibus. Tu accipe; & in cibaria & convivia plus plusque indies, quam concessum sit, impendi. De

[1] *nec mediocribus remediis sisti posse.* & consulti patres, integrum id negotium ad principem distulerant. Sed Tiberius sæpe apud se pensitato, an coërceri tam profusæ cupidines possent, num coërcitio [2] plus damni in rempublicam ferret; quam indecorum [3] adtrectare quod non obtineret; vel retentum ignominiam & infamiam virorum inlustrium posceret: postremo litteras ad senatum composuit, quarum sententia in
53 hunc modum fuit. *Ceteris forsitan in rebus, patres conscripti, magis expediat me coram interrogari, & dicere quid è republica censeam: in hac relatione, subtrahi oculos meos melius fuit, ne denotantibus vobis ora ac metum singulorum, qui pudendi luxus arguerentur, ipse etiam viderem eos,* [4] *ac velut deprenderem. Quod si mecum ante* [5] *viri strenui ædiles consilium habuissent; nescio an suasurus fuerim omittere potius prævalida & adulta vitia, quam hoc adsequi, ut palam fieret* [6] *quibus flagitiis impares essemus. sed illi quidem officio functi sunt, ut ceteros quoque magistratus sua munia implere velim: mihi autem neque honestum silere, neque proloqui expeditum, quia non ædilis, aut prætoris, aut consulis partes*

ganeæ namque paratibus agunt: & *utensilia* quæ sint, diximus ad *1, 70.* *Gronovius.*

1 *Nec mediocribus remediis sisti posse*] Corruptus hic quidem est Man. *remedii isti.* qui tamen ad veram lectionem aperit viam, *remediis sisti.* idque & verius & modestius fortasse emendatum, quam quod in vulgatis repositum fuerat, *remediis resisti.* Nam Tacito familiaris loquutio lib. XIV. *Nec jam sisti poterant.* libro XV. *Neque tamen sisti potuit.* Hist. libro V. *nec sisti poterat.* Et fortasse a Livio sumpsit, qui libro III. ait: *non ita civitatem ægram esse, ut consuetis remediis sisti possit.* Pichena. Vide nostra ad Livium lib. 4, 12. *Gronovius.*

2 *Plus damni*] E numero scilicet periclitantium, & malitia delatorum. Itemque ex infamia, ut addit, tot illustrium. *Lipsius.*

Nam coërcitio plus damni in remp. ferret] Quæritur cur luxus coërcitio majus damnum reip. afferat, cum contra, idque plurimis rationibus, utilissima videatur. Respondet ipse Tacitus infra: *Si quis legem sanciat, pœnas indicat, iidem illi civitatem verti, splendidissimo cuique exitium parari, neminem criminis expertem clamitabunt.* Pichena.

3 *Attrectare quod non obtineretur*] Licentia nimia est, ut sic edant, quum auctor tantum dederit *obtineret.* Sic de antiquitate testatur ipse codex MS. sic ex fide publicavit Beroaldus. Quo igitur illud in passivo subpositum? Plane non probavi, & verum reposui. Nimium nonnullis placuisse patet istud tempus & terminationem. Est illa ipsa doctrina, qua Marcellus quondam monuit, multa magnis ducibus sicut non aggredienda, ita semel aggressis non dimittenda esse, quia magna famæ momenta in utramque partem fierent, apud Livium 24, 19. *Jac. Gronovius.*

4 *Ac velut deprehenderem*] Imitantur omnes Beroaldum, qui sic jam produxit istud verbum. Quod cur is fecerit, ignoro, nec cogitando adsequor, quoniam novi in MS. legi *deprenderem*, quod sane concinnius nec ab eo mutari dignum & prætuli, quod quum etiam lib. 4. cap. 8. in MS. habeatur *quibus adprensis*, cur ille cum sequentibus volunt *adprehensis?* Jac. Gronovius.

5 *Viri strenui*] Plerique, diligentes, aut quid simile: tamquam eo respiceretur, quod in administrando Magistratu suo strenuos se præberent. Sed magis est, ut citra hunc aspectum, titulus iste his temporibus hujus & paris dignitatis hominibus tribui consueverit. Idque patet ex adjectione *viri*, *Viri strenui ædiles.* Sic Cic. pro Cluentio cap. 8. *Asurius, vir fortis, & experiens, & domi nobilis.* Atque idem alibi *Virum fortem ac strenuum C. Cæsarem* nominat. Jam tum enim cepit, sobriis quidem & verecundis primordiis, illa titulorum luxuria, quæ postea, ut ex historiæ Augustæ scriptoribus librisque juris constat, immensum aucta est, nostræque adeo ætati, amissis ereptisque pridem rebus ingentem inanium vocabulorum thesaurum reliquit. *Freinshemius.* Insanam epithetorum, quibus vulgo utimur, luxuriam reprehendi facile fero. Sed principium ejus à Cicerone vel Tiberio vel Tacito petere est jocari. Non dubito quin *viri strenui* sint, acres, vigilantes, intenti, suique muneris & officii memores, quod in hoc ipso demonstrarint negotio. Prorsus sic Fabius apud Livium 28, 40. *quemadmodum jam certa provincia Africa consulis, viri fortis ac strenui, sit.* Et Parmenion apud Curtium libro 7. *Rex expeditionem parat in Arachosios. strenuum hominem & nunquam cessantem.* Quæ nequaquam addidissent illi, nisi res præsens eo duceret. *Gronovius.*

6 *Quibus flagitiis impares essemus*] Non promiscue dicitur se vitiis inferiores esse; neque enim verum illud aut honestum; sed eo tendit Tiberii oratio, sicut in progressu ejus disertius exponitur: esse vitia, quibus obviam iri possit; esse alia, quibus non possit. sed vulgo discrimen hoc ignorari, atque ideo etiam in prævalidis vitiis subesse apud homines metum atque diffidentiam. quod si autem hoc jam adgrediantur, tum illud discrimen manifestatum iri, atque neminem deinceps ignoraturum esse, quæ vitia legibus validiora essent, & propterea impune possent

partes sustineo: majus aliquid & excelsius à principe postulatur; & cum recte factorum sibi quisque gratiam trahant, [1] *unius invidia ab omnibus peccatur. Quid enim primum prohibere, & priscum ad morem recidere adgrediar?* [2] *villarumne infinita spatia,* [3] *familiarum numerum, & nationes?* [4] *argenti & auri pondus?* [5] *æris, tabularumque miracula?* [6] *promiscuas viris & feminis vestes? atque illa feminarum propria, quis* [7] *lapidum caussa pecuniæ*

possent exerceri. *Freinshemius.*

1 *Unius invidia ab omnibus peccatur*] Unius, scilicet Principis, cui soli communia vitia imputantur. Aliquid simile dixit Tacitus in vita Agricolæ: *prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur.* Eodem modo paulo infra Tiberius ait: *Simultates faciunt, ac mihi relinquunt.* Pichena.

2 *Villarumne infinita spatia*] Adversum leges agrarias. Horat. *Agri quantum nec milvus oberret.* Lex Licinia plus quingenta jugera agri habere civem Romanum vetabat. Varro 1. de re rustica. Ipse sua lege damnatus, cum substituta filii persona amplius possideret. Plin. 28, 2. *Verum confitentibus Italiam latifundia perdidere.* Idem ejusdem libri cap. 6. *Muretus.*

3 *Familiarum numerum*] Numerum servorum Romanis eum reperio, qui non facile fidem inveniat moribus nostris. *Tacitus* lib. XIV. Pedanio Costæ tribuit quadringentos: Plinius Cæcilio cuidam Isidoro quinquies mille. Et hi nihil dicunt præ Athenæo, cujus ipsa ponam verba, è lib. VI. cap. VII. Πρὸς ταῦτα ἀπαντήσας ὁ Λαρήνσιος ἔφη. Ἀλλὰ Ῥωμαίων ἕκαστος, εἰδὼς δ' ἀκριβῶς ταῦτα ὦ καλὲ Μασσούριε, πλείστους ὅσους κεκτημένος οἰκέτας. Καὶ γὰρ μυρίους καὶ δισμυρίους, καὶ ἔτι πλείους δὲ πάμπολλοι κέκτηνται. οὐκ ἐπὶ προσόδοις δὲ, ὥσπερ ὁ τῶν Ἑλλήνων ζάπλουτος Νικίας. ἀλλ' οἱ πλείους τῶν Ῥωμαίων συμπροϊόντας ἔχουσι τοὺς πλείστους. id est: *Post hæc reversus Larentius ait. At Romanorum unus aliquis quanto plures possideat servos, tu nosti optime Massuri. Nam ad decem & viginti millia, imo plures etiam, multi habuerunt. nec tamen ut quæstum ex iis faciant. sicut Græcorum ditissimus ille Nicias: sed plerique Romani anteambulones eos habent comitesque maxima ex parte.* Seneca de Demetrio: *Feliciorem ne tu Demetrium Pompejanum vocas, quem non puduit locupletiorem esse Pompejo? Numerus illi quotidie servorum velut imperatori exercitus referebatur: cui jamdudum divitiæ esse debuerant duo vicarii & cella laxior.* Tot servi, si Deo placet, uni servo. Ut non injuria queratur & culpet Plinius *mancipiorum legiones, & in domo turbam externam, & servorum quoque caussa nomenclatorem adhibendum.* Nec Romæ solum hæc copia: etiam Athenis. Thucydidem auctorem habeo, ex ea urbe, bello Peloponnesiaco, idque uno tempore, transfugisse ad hostem super viginti millia servorum: & quidem servorum, qui manuarias operas exercerent. Quantam vim in urbe suspicari debemus fuisse reliquam? Verba ejus, si quis requirit, hæc lib. VII. Τῆς τε γὰρ χώρας ἁπάσης (οἱ Ἀθηναῖοι) ἐστέρηντο, καὶ ἀνδραπόδων πλέον ἢ δύο μυριάδες αὐτομολήκεσαν. Καὶ τούτων πολὺ μέρος χειροτέχναι. *Lipsius.*

Familiarum numerum & nationes] Omnia hæc proprie accipienda. Constat enim dites illos atque luxuriosos in servis emendis plurimum etiam ad nationis delectum respexisse, atque proinde quum diversas in familia nationes haberent, in eas tamquam classes, ipsam distribuisse. Vide auctores, quos Pignorius adducit, & nostrum 14, 44. *Freinshemius.*

4 *Argenti & auri pondus*] Cornelius Rufinus Senatu motus est à Fabricio, quod x. pondo vasa argentea comparasset. Val. Maximus libro 2. Livius libro 14. Gellius 4, 8. ubi male legitur *factitaret*, pro *facti haberet*. Idem libro 17. cap. 25. Plutarchus in Sulla. *Muretus.* Virgilius: *sunt auri pondera facti Infectique mihi.* Silius libro 13. ejus imitator.

> *Nec modus argento, cælataque pondera facti*
> *Tantum epulis auri.*

Aurelius.

5 *Æris*] *Objecit accusator Camillo, quod ærata ostia haberet in domo*, ait Plin. lib. 34. cap. 3. Ovid. 6. Fast. *Quæ nunc ære nitent, stipula tunc tecta virebant.* Luxuries æris in candelabris, in columnarum capitellis, & pedibus; etiam in columnis, in lectorum, mensarumque pedibus, in tricliniis, & abacis; quæ omnia legendis auctoribus passim videas, & colligas, & peculiariter in Plinio. *Aurelius.*

6 *Promiscuas viris & feminis vestes*] Sericas intellegit Coasque, quibus abstinebant nec viri. Carpit non semel gravissimus auctor Seneca. ut epist. CXXIII. *Non videntur tibi contra naturam vivere, qui commutant cum feminis vestem? non vivunt contra naturam, qui exspectant* (corrigo *expetunt*) *ut pueritia splendeat tempore alieno?* & CXIV. *Quod vides istos sequi, qui aut vellunt barbam aut intervellunt; qui labra pressius tondent & abradunt, servata & submissa cetera parte: qui lacernas coloris improbi sumunt, qui perlucentem togam.* Et Plinius: *Nec puduit has vestes* (de Cois loquitur) *usurpare etiam viros, levitatem propter æstivam. In tantum à lorica gerenda discessere mores, ut oneri sint etiam vestes.* Plura pete è Clem. Alexandr. lib. III. Pædag. cap. III. cujus index, περὶ τῶν καλλωπιζομένων τῶν ἀνδρῶν. *Lipsius.*

Promiscuas viris] Vide Senecam epist. 123. & Clementem lib. 3. Pædagogi. *Muretus.*

7 *Lapidum caussa pecuniæ*] Gemmas intellegit, & inprimis uniones: quorum feminis ad aures creber usus. Vide *Excurs. I.* Lipsius.

Lapidum causa pecuniæ] Plinius 12, 19. *Arabia etiamnum*

54 *pecuniæ nostræ ad externas aut hostilis gentes transferuntur? Nec ignoro* [1] *in conviviis & circulis incusari ista, & modum posci: sed si quis legem sanciat, pœnas indicat; iidem illi civitatem verti, splendidissimo cuique exitium parari, neminem criminis expertem clamitabunt. atqui ne corporis quidem morbos veteres & diu auctos, nisi per dura & aspera coërceas; corruptus simul & corruptor, æger & flagrans animus, haud levioribus remediis restinguendus est, quam libidinibus ardescit. tot à majoribus repertæ leges, tot quas divus Augustus tulit, illæ oblivione, hæ (quod flagitiosius est) contemptu abolitæ, securiorem luxum fecere. nam si velis quod nondum vetitum est; timeas, ne vetere: at si prohibita impune transcenderis; neque metus ultra, neque pudor est. Cur ergo olim parcimonia pollebat? quia sibi quisque moderabatur: quia* [2] *unius urbis cives eramus: ne irritamenta quidem eadem, intra Italiam dominantibus. externis victoriis aliena, civilibus etiam nostra consumere didicimus. Quantulum istud est de quo ædiles admonent! Quam, si cetera respicias, in levi habendum! At Hercule nemo refert, quod Italia externæ opis indiget, quod* [3] *vita populi Romani per incerta maris & tempestatum quotidie volvitur. ac* [4] *nisi provinciarum copiæ & dominis, & servitiis, & agris subvenerint; nostra nos scilicet nemora, nostræque villæ tuebuntur? Hanc, patres conscripti, curam sustinet princeps. hæc omissa, funditus rempublicam trahet. reliquis intra animum medendum est: nos, pudor; pauperes, necessitas; divites, satias in melius mutet. Aut si quis ex magistratibus, tantam industriam ac severitatem pollicetur, ut ire obviam queat; hunc ego & laudo, & exonerari laborum meorum partem fateor. sin accusare vitia volunt, dein cum gloriam ejus rei adepti sunt,* [5] *simultates faciunt, ac mihi relinquunt; credite, patres conscripti, me quoque non esse offensionum*

etiamnum felicius mare est. Ex illo namque margaritas mittit: minimaque computatione millies sestertium annis omnibus Indi & Seres peninsulaque illa imperio nostro adimunt. Gronovius.

1 *In conviviis & circulis*] Cicero lib. 2. ad Att. 18. *Hac tamen in oppressione sermo in circulis duntaxat & conviviis est liberior.* Livius lib. 44. *In omnibus circulis, atque etiam si diis placet, in conviviis, sunt qui exercitus in Macedoniam ducant.* Aurelius.

2 *Unius urbis cives*] Quasi dicat, at nunc ex omni orbe mixtio sumus. Undique gentes civitate & honoribus donatæ, itemque non donatæ confluximus. Quæ vera sunt de illo ævo: vel Senecam ad Helviam vide, c. VI. *Lipsius.*

Unius urbis cives] Alienigenis enim quam plurimis Romana civitate donatis, jam non omnes urbis incolæ, unius urbis Romæ cives erant; sed ex aliis civitatibus oriundi, & quasi gentium colluvies. Non mirum ergo, si diversi mores, diversa luxus irritamenta intulerunt. *Pichena.*

3 *Vita populi Rom. per incerta*] Nam è Sicilia, ex Africa, ex Ægypto, frumentum advehebatur. Columella l. 1. *Itaque in hac Latia & Saturnia terra, ubi dii cultus agrorum progeniem suam docuerunt; ibi nunc ad hastam locamus, ut nobis ex transmarinis provinciis advehatur frumentum, ne fame laboremus: & vindemias condimus ex insulis Cycladibus, ac regionibus Quadicis Gallicisque.* Muretus. Lib. XII. *Navibusque & casibus vita populi Romani permissa est.* Pichena. Patet *vitam pop. Rom.* appellari commeatus, quibus illa sustinebatur, quique ex transmarinis provinciis Sicilia, Ægypto, Africa subvehebantur. *Freinshemius.*

4 *Provinciarum copiæ & dominis & servitiis*] *Copiæ* accipiendæ, quomodo 15, 16. *Obsessis adeo suppeditavisse rem frumentariam constitit, ut horreis ignem injicerent; contraque prodiderit Corbulo, Parthos inopes copiarum* &c. Sic igitur accipienda *copiarum* vox; *tuendi* vero quomodo Germ. 14, 5. *Magnum comitatum non nisi vi belloque tueare* &c. h. e. alas, sustentes, toleres. *Freinshemius.*

5 *Simultates faciunt*] Jos. Mercerus, *fugiunt*: at ego *faciunt*, verum puto. Semina simultatum illi spargunt, me volunt colligere acerbos fructus. Mox etiam, *remissam curam* interpretantur, *permissam.* nam ita Suetonius Tib. cap. XXXIV. *Annonam macelli Senatus arbitrio quotannis temperandam censuit, dato Ædilibus negotio, popinas ganeasque usque eo inhibendi, ut ne opera quidem pistoria venalia proponi sinerent.* Sed hoc sane ad publicum luxum, & divitum istorum, non spectat: magis ad pretia rerum (prior quidem pars:) & reliqua ad plebeculæ disciplinam. Nihil quidem nunc actum, Tacitus ita clare dicit, & post orationem etiam ostendit, ut calumnia sit aliter interpretari. Et age, dissentiat à Suetonio: an ratum est? *Lipsius.*

Simultates faciunt, at mihi relinquunt] Curiose inquirenti mihi olim in hanc sententiam, visum mendum, & probavi doctis: nunc, nisi fallor, veram medicinam vidi. Rescribendum, *simultates faciendas mihi relinquunt.* Fons mendi ex veteri scriptura, *faciundas.* Ædiles incusaverant luxum generali

num avidum. quas cum graves, [1] *& plerumque iniquas pro republica suscipiam, inanes & irritas, neque mihi aut vobis usui futuras, jure deprecor.* Auditis Cæsaris litteris, [2] remissa Ædilibus talis cura; luxusque mensæ, à fine Actiaci belli ad ea arma [3] quis Servius Galba rerum adeptus est, per annos centum profusis sumptibus exerciti, paulatim exolevere. Caussas ejus mutationis quærere libet. Dites olim familiæ nobilium aut

nerali oratione, gloriamque ex eo capti. Remedium ei malo in singulorum correptione, quod plenum invidiæ & simultatum Senatus ad Principem retulerat. Ille ambigua, ut solebat, oratione primum excusat in universum emendari posse. Sub finem, iisdem, qui gloriam ex reprehensione vitiorum quæsiverant, relinquit emendationem singulorum, hoc est, *simultates faciundas*. Et ne coacti videantur, vult videri relictum hoc ipsorum arbitrio, si pares se judicent tantæ rei. Sensit Senatus Principis voluntatem, & ædilibus, qui emendationem postulaverant, eam curam permisit. Indicio est Suetonius in Tiberio; & quod Tacitus addit *remissam ædilibus talem curam*, non est contra. permissum enim vult ædilibus, ut in luxum inquirant ex sumtuariis legibus. *Remissa* si quidem idem quod permissa, ut lib. I. *Remisit Cæsar*, pro permisit, quod adseruit maximus Cujacius. Symmachus l. 9. Ep. 6. *Actores absentium, quibus res longinqua remittitur, tanquam soluti legibus vivunt, quoniam procul positis nullus damnorum* (scr. *dominorum*) *terror incurrit.* Et alia exempla passim. Sed quid fiet iis, quæ mox Tacitus addit, luxum illum & profusionem annonæ ab Actiaca pugna ad Galbæ imperium licentia summa exercitam, tandem post Vespasiani ævum per se exolevisse. Scilicet ut sumtuariis Augusti ac Tiberii legibus nullus magnus & rigidus vindex, ita quod nunc ædilibus permissum, id exercuere in popinas ac vulgares cœnas, non in procerum & magnatium insana convivia; quod & Plinii locus de Galba ædile popinarum pœnis famam aucupante indicio est. *Mercerus.* Advolavi & ego, muscæ more, ad ulcus istud, & putabam membrum sanum statim exhiberi posse, recisis vocula binis *faciunt ac*: verum jam sero vulgatum; ut dicat Tiberius initium simultatum oriri quidem ab ædilibus: sed excuti statim deinde, & transferri cum augmento in se exsecutorem talium. Simile huic, quod supra, l. 2. Ann. c. 38. *Urgere modestiam Senatus, eandem vim in me transmittere*, &c. Gruterus. Sensus postulat *faciundas mihi relinquunt.* Postulant illi Senatusconsulta acria: deinde negligunt ea exsequi, Cæsaremque ea cura offensionibus plena onerant. Similis sensus lib. VI. *Neque emtio agrorum exercita ad formam Senatus consulti, acribus, ut ferme talia, initiis, incurioso fine.* Grotius.

1 *Plerumque iniquas*] A pravis caussis animisque ortas, non ex merito meo. *Lipsius.*

2 *Remissa ædilibus*] Si *remissa* sic explicamus, ut ædiles ab ejusmodi cura demoti sint, quid Suetonio respondebimus: *dato ædilibus negotio popinas ganeasque usque eo inhibendi, ut ne opera quidem pistoria proponi venalia sinerent.* Si autem permittendi significatu, sicut illud, *Manibus & cineri (si qua est ea cura) remitto*; alio in luto versamur, nam ædiles solentes incumbebant in curam annonæ, & cibariorum. *Annonam curamus, & ædilem gerimus* ait amicus Apulejo, qui pisces nimis caros præstinaverat. Nec dicemus (nisi subfrigide) nonnulla quibusdam permitti, qui ea per se jam facere poterant. His igitur evitandis accipiamus *remissa*, id est, rejecta denuo in ædiles: ii enim Senatum, Senatus Tiberium consuluere, à quo ædiles jussi sunt propriam curam subire. *Remittere* dicta significatione, *integramque caussam ad senatum remittit.* At contentiosis τῷ ἀντιτάκτῃ satisfaciemus. *Salmerius.* Non, *remissa*, hoc est, omissa vel neglecta: sed potius permissa, vel rejecta. quasi dicat: reliquerunt ædilibus, ut ipsi suum munus curarent, quandoquidem neque Princeps, neque Senatus, quidquam super eo negotio statuere volebant. atque ipsorum ædilium alioqui cura erat, ut annonæ præessent. Eam quoque significationem esse verbo, *remittere*, notat Lipsius ex Cujacii observationibus, in verbis, *Remisit Cæsar adroganti moderatione.* Annal. l. I. Eodem sensu Tacitus lib. III. *integramque caussam ad senatum remittit.* Pichena. Ambiguum sensum parit hæc vox: nam potest intelligi tanquam ædilibus permissa fuisset, sic supra 1, 8. *Remisit Cæsar adroganti moderatione*; sed ratio suadet, ut potius interpretemur gratiam ejus curæ factam ædilibus: quomodo enim ipsis permissa intelligi potest, quam illi jam ad senatum, hic ad Principem detulerant: quamque ipse princeps ut nimis invidiosam gravemque declinabat. *Freinshemius.*

3 *Rerum adeptus est*] Faciebam olim, *rem Romanam adeptus*: nunc non muto. Est archaismus, & sic dictum, ut *Rerum potiri.* Nam ita l. VI. *Nihil abnuentem, dum dominationis apisceretur.* Lipsius.

Quis Servius Galba rerum adeptus est] Notha sunt viro doctissimo, qui restituit ab ingenio: *rem Romanam adeptus est.* Non σολοικίζει Tacitus, sed θουκυδιδίζει, apud quem legimus: ὁ δῆμος ἰθὺς ἀναλαβὼν τὰ ὅπλα περὶ ὀργῆς ἐχώρει ἐπί τε Πελοποννησίους καὶ τοὺς ἐναντία σφίσι μετ' αὐτῶν πράξαντας, καὶ προσπεσόντες τρέπουσιν ἅμα μὲν μάχῃ αἰφνιδίῳ, ἅμα δὲ τοῖς Ἀθηναίοις τῶν πυλῶν ἀνοιγομένων φοβηθέντες. i. e. *populus armis ocius arreptis animo irato in Peloponnesios ferebatur, inque suos, qui diversæ factionis erant, & facta impressione vertunt in fugam cum prælio repentino, tum portis Atheniensibus apertis territorum.* Ad quæ Scho-

aut claritudine insignes, studio magnificentiæ prolabebantur. nam etiam tum [1] plebem, socios, regna colere, & coli licitum: ut quisque opibus, domo, paratu speciosus, per nomen & clientelas inlustrior habebatur. postquam cædibus sævitum, & magnitudo famæ exitio erat; ceteri ad sapientiora convertere. simul novi homines è municipiis & coloniis, atque etiam provinciis, in senatum crebro adsumpti, domesticam parcimoniam intulerunt; & quamquam fortuna vel industria plerique pecuniosam ad senectam pervenirent, mansit tamen prior animus. Sed præcipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque. [2] obsequium inde in principem, & æmulandi amor, validior quam pœna ex legibus & metus. Nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur: nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque ætas multa laudis & artium imitanda posteris tulit. [3] Verum hæc nobis * majores certamina ex honesto

liastes φοβηθέντων ἀντὶ τοῦ φοβηθέντος. lege meo periculo φοβηθέντας. Similia Latinis auribus Afranius obtulit apud Nonium: *Optandum uxorem, quæ non vereatur viri.* Verum hæc nobis in mundo sunt, ne foras quæsitum eamus. Tac. 6. Ann. *nihil abnuentem dum dominationis apisceretur.* Salinerius. Galba oblatam à Tarraconensibus coronam auream librarum x. conflavit, & tres uncias, quæ ponderi deerant, exigi jussit: apposita largiore cœna ingemuit. Ordinario dispensatori breviarium rationum adferenti paropsidem leguminis pro sedulitate ac diligentia porrexit. Cano autem choraulæ mire placenti denarios quinque donavit prolatos manu sua è peculiaribus loculis suis. *Sueton.* in Galb. 12. vide quæ scripsimus lib. 15. Variarum lect. cap. 11. *Muretus.*

1 *Plebem, socios, regna colere*] Id est, demereri, θεραπείαν. Sicut apud Dionem 45, 2. Augustus ludos edidisse dicitur, ἐπὶ τῇ τοῦ πλήθους θεραπείᾳ. neque ad solam liberalitatem cum nonnullis restringi debet: quippe omnis generis artes, officia, beneficia, quibus animi conciliari possunt, complectitur. *Freinshemius.*

2 *Obsequium inde in Principem*] Simillimum, quod Panegyristes ad Theodosium: *Tua Imperator epulæ mensis communibus parciores. hinc certatim in omnes luxuria pudor, parcimonia cultus inolevit: & quiescentibus legum minis, subiit quemque* (ita lego) *privatim pœnitentia.* Lipsius. Qui etiam hunc locum promsit lib. 2. Politic. cap. 9. ubi citat *validiora*, nescio unde.

3 *Verum hæc nobis*] In funesto hoc loco olim conclamavi. Forte, *nobis in majores.* id est, adversum majores. medicina, quæ huic mortuo non faciet vitam. *Lipsius.*

Verum hæc nobis majores certamina] Quid si legatur, *erga majores certamina.* Rhenanus. Scribo, *nobis in majores.* Vertranius. Faërnus addebat vocem, *adversus*, & ita legebat: *Verum hæc nobis adversus majores*, &c. Sed incertum, utrum ea lectio ex conjectura sit, an ex vetere aliquo libro. *Ursinus.* Ea quibus de virtute cum majoribus certamus, nec cedimus: quod optat haud ignarus cum Venusino Vate vitii naturæ humanæ, *Mox daturos progeniem vitiosiorem.* Convertit se ad majores, ut infra ad Romanos omnes lib. 3. hist. *quibus armorum causis, quo tanta cladis pretio pro patria pugnavimus?* Verum in quem usum timor iste: jam eo sub Domitiano ventum erat, ut nil pejus timeri posset. Juv. Sat. 1.

Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat
Posteritas, eadem cupient, facientque minores.

Non hæc, non Annales Tacitus vivo Domitiano composuit, sed eo mortuo, cum jam virtutes quasi postliminio sub optimis principibus redirent. lib. 11. Ann. *utriusque principis rationes prætermitto satis narratas libris, quibus res Domitiani imperatoris composui.* Et in Agricol. *nunc demum redit animus, & quamquam primo statim beatissimi seculi ortu Nerva Cæsar res olim dissociabiles miscuerit, principatum & libertatem.* Quid autem virum doctissimum sollicitavit? Davus ego, non Oedipus, nescio. *Salinerius.* Pulcerrime: sed obscure nonnihil. Lipsius illud bene addit: *Verum hæc nobis in majores.* Ego τὸ *verum* transposuerim ita: *verum nec omnia apud priores*, &c. Huic sententiæ porro similis est alia Taciti lib. 11. Ann. *Omnia, Patres conscripti, quæ nunc vetustissima creduntur, nova fuere. Inveterascet & hoc quoque, & quod nunc exemplis tuemur, inter exempla erit.* Sed plane geminus ille Synesii locus 57. Epist. Πολλὰ τῶν δεόντων χρόνος ἐξεῦρε, καὶ διωρθώσατο, οὐχ ἅπαντα πρὸς παράδειγμα γίνεται, καὶ τῶν γινομένων ἕκαστον ἀρχὴν ἔσχε. ἡμεῖς ἀρχὴν δῶμεν ἔθει βελτίονι. *Multa rerum utilium tempus invenit aut correxit. Non omnia ad exempla fiunt, & singula, quæ facta sunt, initium semel habuerunt. Demus & nos principium meliori consuetudini.* Contra tamen nonnihil Cassius Cornelianus Annal. l. 12. *Non quia dubitarem super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum, & quæ converterentur, in deterius mutari: sed ne nimio amore antiqui moris studium meum extollere viderer.* Colerus. Lipsius funestum hunc locum jam olim conclamavit. Idem tamen tentat, *nobis in majores*: sed medicina, ut fatetur ipse, quæ huic mortuo

sto maneant. Tiberius fama moderationis parta, quod ingruentis accusatores repres- 56
serat, mittit litteras ad senatum, quis *potestatem tribuniciam* Druso petebat. Id sum-
mi fastigii vocabulum [1] Augustus repperit, ne *regis* aut *dictatoris* nomen adsumeret,
ac tamen appellatione aliqua cetera imperia præmineret. M. deinde Agrippam so-
cium ejus potestatis, quo defuncto, Tiberium Neronem delegit, [2] ne successor in
incerto foret. sic cohiberi pravas aliorum spes rebatur: simul modestiæ Neronis, &
suæ magnitudini fidebat. Quo tunc exemplo, Tiberius Drusum summæ rei admo-
vet: cum incolumi Germanico integrum inter duos judicium tenuisset. Sed princi-
pio litterarum veneratus deos, *ut consilia sua reipublicæ prosperarent*, modica de mori-
bus adolescentis, neque in falsum aucta rettulit: *esse illi conjugem & tres liberos*, [3] *eam-
que ætatem qua ipse quondam à divo Augusto ad capessendum hoc munus vocatus sit. Ne-
que nunc propere, sed per octo annos capto experimento, compressis seditionibus, compositis
bellis, triumphalem & bis consulem, noti laboris participem sumi.* [4] Præceperant animis 57
orationem patres: quo quæsitior adulatio fuit. nec tamen repertum, nisi *ut effigies
principum, aras Deum, templa & arcus*, aliaque solita censerent. nisi quod M. Silanus
ex contumelia consulatus, honorem principibus petivit: dixitque pro sententia, *ut
[5] publicis privatisve monimentis, ad memoriam temporum, non consulum nomina præscri-
berentur; sed eorum qui tribuniciam potestatem gererent.* [6] At Q. Haterius, cum *ejus
diei senatusconsulta aureis litteris figenda in curia* censuisset, deridiculo fuit, senex fœ-
dissimæ adulationis tantum infamia usurus. Inter quæ provincia Africa Junio Blæso 58
proro-

tuo non faciet vitam. Tentabo & ego, nec scio an depositum excitabo. lege: *posteris tulit: quorum hæc nobis in majores certamina ex honesto maneant.* Optat Tacitus ut sui sæculi morem certandi cum majoribus posteri etiam in se æmulentur. *Nobis maneant certamina*, phrasis nota & perspicua. *Acidalius.* Non est funestus locus, aut ulla opus mutatione. Tu tantum sic distingue: *Verum hæc nobis majores; certamina ex honesto maneant.* Plane ad eam formam, qua alibi: *Maneat gentibus si non amor nostri, saltem odium sui.* Ann. XV. *Maneat provincialibus potentiam suam tali modo ostentandi.* Sententia est:, ceterum hæc immensi luxus à fine Actiaci belli usque ad principatum Galbæ, & dein parsimoniæ exempla reliquere nobis nostri majores: nos ea, quæ in eorum moribus honesta sunt, sequi, &, quod laudabile inprimis est certandi ac æmulandi genus, superare conemur. Vides suam huic loco, hac distinctione interposita, & integritatem & sententiam optime constare. *Boxhorn.*

1 *Augustus repperit*] Ita cum Tacito plerique scriptores tradiderunt. quos refellit Dio, libro XLII. ubi diserte scriptum, *Cæsarem admisisse ut Dictator in integrum annum diceretur, & Tribuniciam potestatem per omne ævum haberet.* Non ergo vocis auctor Augustus. Sed hoc tamen verum, Cæsarem eo titulo publice non usum: usus est primus Augustus, & dedit ei splendorem. ideoque origo ejus non immerito relata ad ipsum. *Lipsius.*

2 *Ne successor in incerto foret*] Quæ hic notat Mercerus vide post excursus Lipsianos.

3 *Eamque ætatem qua*] Egit ergo Drusus tunc trigesimum sextum annum. Nam Tiberius natus est L. Munatio Planco, M. Lepido iterum Coss. anno urbis DCCXII. A quo die, anni medii triginta sex ad Tribuniciam ejus potestatem; quæ delata, anno urbis DCCXLVIII. *Lipsius.*

4 *Præceperant animis orationem*] Fere omnes ita sentiunt Senatum, antequam hæc proponerentur, odoratum fuisse, quid esset petiturus Tiberius. quod quidem verum est: sed non eo respici puto his verbis. quin potius ulterius aliquid innui sentientes jam antea, de qua re referendum esset, præcepisse animis orationem, hoc est, præparatos præmeditatosque, quid censerent, accessisse. Quibus omnino respondent sequentia; *quo quæsitior adulatio fuit.* Freinshemius.

5 *Publicis privatisve monimentis*] Legendum videtur, *privatisque.* Pichena. Muretus, *Privatisque*, rectius. *Acidalius.*

6 *Atque Haterius*] Non dubie scribendum, *At Q. Haterius.* idque illi prænomen. Simile in Suetonii Vitellio mendum cap. I. *Exstatque elogii ad Q. Vitellium libellus.* Scribo, *exstat Q. Longini.* vel ut Muretum video velle, *Q. Clodii.* Lipsius.

At Q. Haterius] Ita Lipsius correxit ex historiæ fide. Male antea, *Atque Haterius.* Pichena. Conjeceram olim, *Æque Haterius.* sed ut attendo magis facto M. Silani, non id tam risum merebatur quam indignationem: itaque qui notam eam leget in Suspicionibus, ei notam adponat, amplexus omnino Lipsianam emendationem: *At Q. Haterius.* Gruterus.

prorogata, Servius Maluginensis flamen Dialis, [1] ut Asiam forte haberet postulavit, *frustra vulgatum* dictitans, *non licere* [2] *Dialibus egredi Italia. neque aliud jus suum, quam* [3] *Martialium, Quirinaliumque Flaminum:* [4] *porro si hi duxissent provincias, cur Dialibus id vetitum? nulla de eo populi scita, non in libris cærimoniarum repperiri. Sæpe Pontifices*

1 *Ut Asiam forte haberet*] De hac fortitione dictum supra 3, 32. & hinc etiam intelligi potest, de sorte jam adquisita, non demum fortunæ favore obtinenda hic agi. sane enim impudens alias erat postulatum, ut *Asiam forte haberet*. Neque moveor, quod opponi posset, si provinciam obtinere prohibiti fuissent flamines, ne quidem ad sortem admitti debuisse. Primo enim exemplis veterum ostenditur, eos ipsos, qui in provincias ire prohibiti fuerant, sortitos fuisse; imo ne prohiberi quidem potuisse ne irent, nisi fuissent sortiti. Vide infra 3, 71. Deinde potuit accidisse, ut sortiti quidem essent nemine prohibente, vel quia provinciæ intra Italiam evenire possent (vide Mæcenatis orationem in Dione lib. 52.) vel etiam incuria cærimoniarum, quarum demum admoneri contigerit homines, quum viderent in provinciam profecturos eos, quos minime oportebat, etiam fortassis, ut fit, invidia aperiente oculos. *Freinsh.* Freinshemius mirifice παραφράζει: Ser. Maluginensis, qui flamen Dialis sive sacerdos Jovis erat, postulavit, ut in Asiam, quam erat sortitus, mitteretur. Putasne Taciti mentem hunc intelligere? Hoc ipsum, ni fallor, controversum erat, an posset *sortiri*, h. e. Proconsul fieri? *Rupertus.* Non difficilis hic nodus, si memineris, quæ ad caput 32 monuimus. Asia & Africa in sortem mittebantur: & de illis sortiebantur duo consularium vetustissimi. Sed Africa tum temporis sine sorte prorogabatur Junio Blæso. Ergo & citra sortem vetustissimo consularium cedebat Asia. Is erat Ser. Cornelius Maluginensis: eoque postulabat, *ut Asia sortem haberet*. Ita enim scripsisse Tacitum mihi pro explorato est. Intelligo Asiam provinciam. Quod miror non animadvertisse virum singularem Josiam Mercerum, qui solus hic saputt, potius quam decurreret ad rem absurdam, etiam, qui sine sorte haberet, *forte obtinere* dictum. Nusquam hoc, sed *sortem*, hoc est, provinciam, quæ nisi extra ordinem aliquid incidisset, sorte deferebatur. *Ut Asia sortem haberet*, id est, ut Asiam alteram provinciarum, quas sortirentur consulares, quando altera earum Africa Junio Blæso prorogata esset, & sic neutra in sortem mitteretur, ipse ut istam ante omnes alios consulatu functos citra sortem haberet. Quam etiam nactus esset, nisi Diale flaminium obstitisset. Ideo sequenti c. 71. *Ita sors Asia in eum, qui consularium Maluginensi proximus erat, conlata.* Provincia nimirum Asiæ sine sortitu. Neque his adversantur illa: *porro si hi duxissent provincias.* quæ primus recte cepit Mercerus. Loquitur enim ut more atque ex instituto fiebat, nisi necessario aliquid præter morem statuendum esset. Et ex antecedente intelligitur consequens. nam si Dialibus flaminibus sortiri concessum, sequebatur, ut quoties sine sorte transibat alterutra harum provinciarum ad primum consularium, si flamen is Dialis esset, non posset excludi. *Gronovius.*

2 *Dialibus egredi Italia*] Adeo non egredi, ut nec urbe abesse iis liceret una nocte. quod lege in Camilli oratione apud Livium, lib. v. *Flamini Diali*, inquit, *noctem unam manere extra urbem nefas est.* Lipsius.

3 *Martialium, Quirinaliumque*] Atqui nec his quidem antiquitus egredi Italia concessum. Valerius lib. 1. cap. 1. *Metellus vero Pont. Max. Postumium Consulem, eumdemque Flaminem Martialem, ad bellum gerendum Africam petentem, ne à sacris discederet, multa indicta, urbem egredi passus non est, religionique summum imperium cessit.* Epitoma Livii, XIX. *Cæcilius Metellus Pont. Max. A. Postumium Consulem quoniam idem & Flamen Martialis erat, in urbe tenuit, nec passus est à sacris recedere.* Et de Quirinali Livius lib. XXXVII. *Priusquam in provincias Prætores irent, certamen inter P. Licinium Pont. Max. fuit & Q. Fabium Pictorem Flaminem Quirinalem, quale patrum memoria inter L. Metellum & Postumium Albinum fuerat. Religio ad postremum vicit, & dicto audiens esse Flamen Pontifici jussus.* Eadem cærimonia Pontificem max. tenuisse videtur ex Liviana epitome LIX. *Adversus eum P. Licinius Crassus consul, cum idem Pont. max. esset, quod numquam antea factum erat, extra Italiam profectus, victus & interemptus est.* Sed scire licet quædam ex his cum ævo mutasse. Alias, aperte falsis exemplis se juvet hic Flamen. *Lipsius.*

4 *Porro si hi duxissent*] Offendo in hac phrasi. Forte, *si hi duo rexissent.* Duo, Martialis & Quirinalis. vel, *si hi direxissent.* Aliquis tamen fortasse ad sortem haud male traxerit: & *duxerint*, id est sorte extraxerint. *Idem.*

Duxissent provincias] Id est, sortiti essent, sorte duxissent. quod idem prorsus est, ac si diceret, si hi in provincias populi Romani iissent; nam earum perpetua nota sors, adeo ut etiamsi aliqua occasio fiat, ut in eas eatur sine sorte, tamen *sorte obtinerà* dicantur: ut supra, de Lepido; *Etiam Asiæ sorte depellendum*; quum provincia Africa extra ordinem data, Asia illi sine sorte restaret regenda. Ita hic Maluginensis petit, ut sibi liceat sorte Asiam habere, quum eadem Africa extra ordinem Blæso continuata, sine sorte eam habiturus esset, si fas ei egredi pomœrio. Et in fine libri: *Ita sors Asiæ in eum, qui consularium Maluginensi proximus erat, collata.* Ita κληρωτοὶ dicti in loco Dionis, quem adduxi supra, provinciarum publicarum præsides. Et Tacit.

Pontifices dialia sacra fecisse, si flamen valetudine aut munere publico impediretur: [1] *duobus & septuaginta annis post Cornelii Merulæ cædem, neminem suffectum; neque tamen cessavisse religiones. Quod si per tot annos possit non creari, nullo sacrorum damno; quanto facilius abfuturum, ad unius anni proconsulare imperium? Privatis olim simultatibus effectum, ut à pontificibus maximis ire in provincias prohiberentur: nunc Deum munere, summum Pontificum etiam summum hominum esse,* [2] *non æmulationi, non odio, aut privatis adfectionibus obnoxium.* Adversus quæ cum augur Lentulus aliique varie differerent, 59 eo decursum est, *ut Pontificis Maximi sententiam opperirentur.* Tiberius dilata notione de jure Flaminis decretas ob tribuniciam Drusi potestatem cærimonias temperavit; nominatim arguens *insolentiam sententiæ, aureasque litteras contra patrium morem.* Recitatæ & Drusi epistolæ, quamquam ad modestiam flexæ, pro superbissimis accipiuntur: [3] *Huc decidisse cuncta, ut ne juvenis quidem tanto honore accepto, adiret urbis deos, ingrederetur senatum,* [4] *auspicia saltem gentile apud solum inciperet?* [5] *Bellum scilicet,*

Tacit. sup. lib. II. *majus imperium quoquo adisset, quam his, qui forte aut missu Principis obtinerent.* Id est, quam omnibus provinciarum præsidibus, sive ii in populi Romani provinciis, sive in Cæsarianis. Præsidibus dixi, quia nomen id olim generale utrisque, quod postea in jure nostro restrictius observatum. Gellius, II, II. *Ad Philosophum Taurum venerat vir clarissimus præses Cretæ provinciæ:* quæ certe in populi Romani provinciis, & ei proconsul. Et ne postea mutasse credas, idem Gellius sine capitis vetat: *sedeat hic potius*, inquit, *qui populi Rom. magistratus est.* Mercerus. Non hæc recte corruptionis arguuntur. *Ducere* pro *regere* cujus παθητικὸν apud Plaut. *Ducuntur omnia Dei nutu.* Indeque *ducatus* ut regimen Sueton. in Neron. cap. 34. *Privignum Ruffinum Crispinum impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus, & imperia ludere.* Junge eundem in Tib. cap. 19. *Ostento sibi ac majoribus suis in omni ducatu expertissimo.* Sic moderatio legionum exprimitur apud Tacit. libro 3. Histor. *Adventu deinde duarum legionum, è quibus tertiam Dillius Aponianus, octavam Numisius Lupus ducebat.* Ad quæ faciunt: *Sex millia Dalmatarum recens delectus comitabantur, ducebat Poppæus Silanus consularis.* Salinerius. Sustuli hinc stellulam ab aliis positam, cum nullum sit mendum, intelligitur enim *duxissent*, id est, sortiti essent, vel forte duxissent. quod Mercero etiam probatur. *Pichena.* Suspectum aliis, &, ut ajunt, non dubie corruptum verbum. Mihi sanus & integer locus proba phrasis videtur. *Ducere provincias* subintellige *forte*, ut idem sit, quod sortiri provincias. Et hic *Servius ut Asiam* (verba sunt Taciti ipsius) *forte haberet postulabat.* Acidalius.

1 *Duobus & septuaginta annis*] Constat ratio. Nam Merula interfectus anno urbis DCLXVIII. Suffectus Flamen novus ab Augusto, anno urbis DCCXLIV. Notat Dio lib. LIV. Καὶ τῷ αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ, ait, ὅ τε ἱερεὺς τοῦ Διὸς πρῶτον μετὰ τὸν Μερούλαν ἀπεδείχθη. Non turbat, quod Julius Cæsar Flamen Dialis destinatus fuerit, teste Suetonio cap. I. quia tantum destinatus & à Sulla eodem sacerdotio mox mulctatus est. Facit huc Suetonii illud, c. XXXI. in Augusto: *Nonnulla ex antiquissimis cærimoniis paullatim abolita restituit, ut Salutis augurium, Diale flaminium.* Lipsius.

2 *Non æmulationi*] A Mureto est emendatio. Male libri omnes, *æmulatione.* nam perspicuum est, omnia hæc respicere verbum, *obnoxium.* Pichena. Leg. *æmulationi.* & ita quoque Muretus. Ego tamen amplius *Aut* deleverim. Leg. *Non æmulationi, non odio, privatis adfectionibus obnoxium.* Lector terius probabit. *Acidalius.*

3 *Huc recidisse cuncta*] Hoc amant editores, quod in qua parte præstantius est altero composito *decidisse?* Atqui hoc amavit Tacitus, prout testatur unica membrana, unde etiam id protulit Beroaldus, servantibus Aldina editione & Lipsianis. Ab Francofurtana Pichenæ video mutatum, & hinc sequuti sunt posteri; quod fieri non debuit. Cæterum in ea exstat *huc decidisse se cuncta*, ut videtur pro *huc decidisse sic cuncta.* Ratio ex ipsa scriptura veteris membranæ jam alibi prompta est. *Jac. Gronovius.*

4 *Auspicia saltem*] Lucem dat Livii locus lib. XXII. de C. Flaminio, qui ante initum Consulatum profectus ab urbe. *Quod enim illi justum imperium, quod auspicium esse? Magistratus id à domo publicis privatisque penatibus, Latinis feriis actis, sacrificio in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis, secum ferre. nec privatum auspicia sequi: nec sine auspiciis profectum in externo ea solo nova atque integra concipere posse.* Vide etiam quæ de auspiciis infra scribo, lib. IV. *Lipsius.*

5 *Bellum scilicet*] Non male etiam, *bello:* sive *bello eum.* sed distinctione adhibita commode servaveris illud prius. *Idem.*

Bellum scilicet] Lipsius ait, non male legi posse, *Bello.* Ego mallem, *Bello eum scilicet.* Pichena. Utrumque, sive *bellum* sive *bello* legas, rectum. *Acidalius.* Immo: quia libet unicus *bellum*, male & non recte subjicies *bello*, etsi oratio reliqua id facile ferat. *Bellum scilicet*, id est, bellum esse scilicet,

licet, aut diverso terrarum distineri, litora & lacus Campaniæ [1] *cum maxime peragrantem. sic imbui rectorem generis humani: id primum è paternis consiliis discere. sane gravaretur aspectum civium senex imperator, fessamque ætatem, & actos labores prætenderet:*
60 *Druso quod, nisi ex adrogantia, impedimentum?* Sed Tiberius vim principatus sibi firmans, imaginem antiquitatis senatui præbebat, postulata provinciarum ad disquisitionem patrum mittendo. Crebrescebat enim Græcas per urbes licentia atque [2] impunitas asyla statuendi: [3] complebantur templa pessimis servitiorum: eodem subsidio obærati adversum creditores. suspectique capitalium criminum receptabantur. Nec ullum satis validum imperium erat coërcendis seditionibus populi, flagitia hominum [4] ut cærimonias Deum protegentis. Igitur placitum ut mitterent civitates jura, atque legatos. Et quædam quod falso usurpaverant sponte omisere: multæ vetustis superstitionibus, aut meritis in populum Romanum fidebant. Magnaque ejus diei species fuit, quo senatus majorum beneficia, sociorum pacta, regum etiam qui ante vim Romanam valuerant decreta, ipsorumque numinum religiones introspexit, libe-
61 ro, ut quondam, quid firmaret mutaretve. [5] Primi omnium Ephesii adiere, memorantes; *non, ut vulgus crederet, Dianam atque Apollinem Delo genitos: esse apud se Cenchrium amnem,* [6] *lucum Ortygiam,* [7] *ubi Latonam partu gravidam, &* [8] *oleæ, quæ tum etiam maneat, adnisam, edidisse ea numina: deorumque monitu sacratum nemus. Atque*

quod moretur Drusum. Quo genere loquendi cur offendare, nulla ratio est. Sic Silius: *Ad portas bellum:* quod Obser. 1, 17. vindicavimus. *Gronovius.*

1 *Tum maxime peragrantem*] Scribo *cum maxime.* Rhenanus. Muretus *cum maximo.* Rectius. *Acidalius.* Manuscriptus, *cum maxime*, quod expressi. *Pichena.*

2 *Impunitas asyla statuendi*] Cum scilicet asyli jus tribui nequiret, quibus in locis lege consecrationis concessum minime fuerat. teste Servio ad Virgilium Æneidos III. *Vertranius.*

3 *Complebantur templa*] Tribus ergo generibus hominum perfugium in asylis, servis, obæratis, maleficis. De maleficis servisque, Plutarchus περὶ Δεισιδαιμονίας. Ἔστι δούλῳ φύξιμος βωμὸς, ἔστι καὶ λῃσταῖς ἀβέβηλα πολλὰ τῶν ἱερῶν. καὶ πολεμίους φεύγοντες, ἂν ἀγάλματος λάβωνται ἢ ναοῦ, θαρροῦσι. De obæratis, idem libello De vitandis usuris: Ἡ μὲν γὰρ Ἄρτεμις ἡ ἐν Ἐφέσῳ τοῖς χρεώσταις, ὅταν καταφύγωσιν εἰς τὸ ἱερὸν αὐτῆς, ἀσυλίαν παρέχει καὶ ἄδειαν ἀπὸ τῶν δανείων. Et Sallustius eleganter de Pompejo, Epistola ad Cæsarem: *Eoque per omne tempus belli, quasi sacro atque inspoliato fano debitores usi.* Adde quæ de Asylis Pollux: Εἰ δὲ καὶ ἄσυλόν τι εἴη, τοῦτο καὶ κρησφύγετον λέγε, καὶ φύξιμον, καὶ ἱεροὺς ὅρους, ἐφ' ὅσον τοῖς ἱκέταις ἀσφάλεια. *Lipsius.*

4 *Ut cerimonias*] Hoc est, pro cærimoniis, tamquam essent cærimoniæ, in quarum observatione deorum suorum majestas atque veneratio verteretur. Perperam igitur vertunt *cum cerimoniis.* perperam *cerimonias* reddunt sacrificia aut sacrum. quum nihil horum hic intelligatur, sed in universum cultus atque jus sacrum, religiones, veneratio denique diis ac eorum ædibus debita. *Freinshemius.*

5 *Primi omnium Ephesii*] Quibus Diana culta celebri illo templo. Statuam ejus describit Minutius Felix in Dialogo: *Diana interim est alte succincta venatrix: & Ephesia mammis multis & verubus exstructa.* ubi repono, *uberibus exstructa.* De toto hoc Asylo eleganter Strabo libro XIV. Ἄσυλον δὲ μένει τὸ ἱερὸν καὶ νῦν, καὶ πρότερον. τῆς δὲ ἀσυλίας τοὺς ὅρους ἀλλαγῆναι συνέβη πολλάκις. Ἀλεξάνδρου μὲν ἐπὶ στάδιον ἐκτείναντος, Μιθριδάτου δὲ τόξευμα ἀφέντος ἀπὸ τῆς γωνίας τοῦ κεράμου, καὶ δόξαντα ὑπερβαλέσθαι μικρὰ τὸ στάδιον. Ἀντωνίου δὲ πλησιάσαντος τούτῳ, καὶ συμπεριλαβόντος τῇ ἀσυλίᾳ μέρος τι τῆς πόλεως. ἐφάνη δὲ τοῦτο βλαβερὸν, καὶ ἐπὶ τοῖς κακούργοις ποιοῦν τὴν πόλιν. ὥστ' ἠκύρωσεν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ. Cui descriptioni caussa non est ut aliunde quippiam addam. *Lipsius.*

6 *Locum Ortygiam*] Scribendum, *Lucum.* Strabo: Ἐν δὲ τῇ αὐτῇ παραλίᾳ μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης ἐστὶ καὶ ἡ Ὀρτυγία, διαπρεπὲς ἄλσος παντοδαπῆς ὕλης, κυπαρίττου δὲ τῆς πλείστης. διαρρεῖ δὲ ὁ Κέγχριος ποταμὸς, οὗ φασι νίψασθαι τὴν Λητὼ μετὰ τὰς ὠδῖνας. Ἐνταῦθα γὰρ μυθεύουσι τὴν λοχείαν καὶ τὴν τροφὸν τὴν Ὀρτυγίαν, καὶ τὸ ἄδυτον, ἐν ᾧ ἡ λοχεία, καὶ τὴν πλησίον ἐλαίαν, ᾗ πρῶτον ἐπαναπαύσασθαί φασι τὴν θεὸν ἀπολυθεῖσαν τῶν ὠδίνων. Quæ sola, satis illustrant hunc totum Græcanicæ fabulæ locum. Vide tamen, si lubet, Epigramatarium Græcum libro IV. εἰς ναούς. ubi Ephesum vocat, Dianæ τὰν τροφόν. *Idem.*

Locum Ortygiam] Quod sequitur, *deorum monitu sacratum nemus*, significat, quod ego contendo scriptum ab auctore, *Lucum Ortygiam.* Vertranius. Lipsium secutus, reposui *lucum.* vulgo *locum.* Sed addiderim copulam: *& lucum.* Pichena.

7 *Ubi Latonam*] Forte melior lectio, ac distinctio: *& lucum Ortygiam. Ibi Latonam.* Idem.

8 *Olea, quæ tum*] Paulo aliter Strabo, ut vidisti: qui

que ipsum illic Apollinem, post interfectos Cyclopas, Jovis iram vitavisse. Mox Liberum patrem bello victorem, [1] *supplicibus Amazonum quæ aram insederant, ignovisse. Auctam hinc concessu Herculis,* [2] *cum Lydia potiretur, cærimoniam templo: neque Persarum ditione, deminutum jus. Post Macedonas, dein nos servavisse.* [3] Proximo Magnetes L. 62
Scipionis, & L. Sullæ constitutis nitebantur: quorum ille Antiocho, hic Mithridate pulsis, fidem atque virtutem Magnetum decoravere, *uti* [4] *Dianæ Leucophrynæ perfugium inviolabile foret.* [5] Aphrodisienses posthac & Stratonicenses dictatoris Cæsaris ob vetusta in partis merita, & recens divi Augusti decretum attulere. [6] Laudati *quod Parthorum irruptionem, nihil mutata in populum Romanum constantia, pertulissent.* [7] Sed Aphrodisiensium civitas Veneris; [8] Stratonicensium, Jovis & [9] Triviæ religionem tuebantur. Altius [10] Hierocæsarienses exposuere, [11] *Persicam apud se Dianam,*

qui vult post partum demum, innisam oleæ quietis caussa. *Lipsius.*

1 *Supplicibus Amazonum*] Aliquid ea de re Pausanias libro VII. ubi de templo Dianæ Ephesiæ. quem suadeo legas. *Idem.*

2 *Cum Lydia potiretur*] Non sustinuit Beroaldus proferre, quod legebat in unico MS. *poteretur*, quomodo etiam habetur fine cap. 73. Sed & in altero MS. volumine libro 11. cap. 12. similiter exaratum est, & occurrit crebro apud poetas. *Jac. Gronovius.*

3 *Proximo Magnetes* &c. *decoravere*] Malo *decoraverit.* Imo melius esset, *decoravissent.* atque etiam *Proximi*, ut respiciatur quod antecessit, *Primi omnium Ephesii adiere.* Acidalius. Scripserim, *Proximi Magnetes:* respondet enim illi præcedenti capiti: *Primi omnium Ephesii adiere.* Sic supra 2, 47. *Magnetes à Sipylo proximi damno ac remedio habiti.* Freinshemius.

4 *Dianæ Leucophryenæ*] Scribe, *Leucophrynæ.* Ejus deæ templum in Magnetibus, describit Strabo l. XIV. Causam cognominis ad feminam aliquam quæ ibi condita, referre ex Arnobio possis, lib. VI. *In Didymæo Milesio Cleochum dicit habuisse suprema Leandrus: funeris Leucophryna monumentum in fano apud Magnesiam Dianæ esse Myndius profitetur ac memorat Zeno.* Et Clemente in Protrept. Ἐνταῦθα τῆς Λευκοφρύνης τὸ μνημεῖον, ὃν ἄξιον παρελθεῖν, ἑπομένοις Ζήνωνι τῷ Μυνδίῳ, ἣ ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀρτέμιδος ἐν Μαγνησίᾳ κεκήδευται. Vel ad Tenedon insulam, quæ olim appellata Leucophryn, ubi Dianæ sanctissimum templum. Xenophon rerum Græcarum libro III. Τὸ δ' Ἑλληνικὸν στράτευμα ἐς Λεύκοφρυν ἀπῆλθε, ἔνθα ἦν Ἀρτέμιδος ἱερὸν μάλα ἅγιον, καὶ λίμνη. ejusque exemplo & cognomine fortasse ædificatum in Magnetibus istud. Pausan. libro I. *Magnetes, quibus ex regis liberalitate imperavit Themistocles, Leucophrynem Dianam colunt.* At Appianus Ἐμφυλ. 1. etiam alterum ejus deæ fanum locat Mileti, cognomento pari. Τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς, inquit, ἱκέτιν οὖσαν ἐν Μιλήτῳ τῆς Λευκοφρύνης Ἀρτέμιδος, πέμψας ὁ Ἀντώνιος ἀνεῖλε. Et Pausanias aram Athenis, cui à Themistoclis filiis dicata statua. *Lipsius.*

Dianæ Leucophrynæ] Fuisse hujus deæ hoc cognomento aram Athenis quoque auctor est Pausanias, cui à Themistoclis filiis dedicata statua fuerit, sed fani, quod in Magnetibus sit, pulchritudinem amplitudinemque Strabo in XIV. exequitur. *Alciatus.*

5 *Aphrodisienses posthac*] Lege *post hos:* deinde *attulere, laudantis quod Parthorum.* Acidalius. Omnia belle habebunt, neque opus erit refingere vocem ullam, modo mutetur interpunctio plenior in leviorem, hoc modo; *attulere; laudati quod,* &c. Gruterus. Recte Acidalius, immo Lipsius, *laudantis.* Gronovius.

6 *Laudati quod Parthorum*] Parthorum irruptionem intellegit, quæ duce Labieno. de qua, & de hac ipsa Stratonicea Dio XLVIII. Ὁ δὲ δὴ Λαβιῆνος ἐν τούτῳ τήν τε Κιλικίαν κατέσχε, καὶ τῆς Ἀσίας τὰς ἠπειρώτιδας πόλεις παρεστήσατο, πλὴν Στρατονικείας, τὰς μὲν πλείστας ἄνευ πολέμου, Μύλασα δὲ καὶ Ἀλάβανδα διὰ κινδύνων εἷλεν. *Lipsius.*

7 *Sed Aphrodisiensium civitas*] Muretus *sed* delet. Ego lego *pertulissent: seque Aphr. c. Veneris; St. Jo. & Triviæ religione tuebantur.* Acidalius. Perperam. *Tuebantur religionem*, ut supra, *flagitia hominum ut cærimonias Deum protegentis.* Gronovius.

8 *Stratonicensium*] Stratonicea Cariæ urbs est, & templa duo in suburbano agro habet, *Jovis Chrysaori, & Hecates (sive Triviæ) in Laginis.* Strabonem vide libro XIIII. Notat & Pausanias, *quod olim ea urbs & regio Chrysaoris dicta fuerit*, nimirum ab hoc templo. *Lipsius.*

9 *Triviæ*] Sive eadem cum Diana aut Luna, quæ & *Trivia*, sive alia hæc Trivia fuerit, Hecates nomine in Stratoniceorum regione Laginis summo conventu, maxima celebritate culta fuit. Auctor libro 14. Strabo. Id autem illi nomen inditum ideo ferunt, quod nata ex Jove & Pheræa Æoli filia à matre in trivio exposita, à pastoribus Pheretis suscepta, & in triviis enutrita fuisset, deinde pro gentium moribus facta Dea: de qua & hæc & alia Theocriti interpretes Eidyllio II. scripsere. *Vertranius.*

10 *Hierocæsarienses*] Opidum est in Lydia. *Lipsius.*

11 *Persicam Dianam*] Atque ipsi Lydi illi *Persici* cogno-

nam, delubrum rege [1] *Cyro dicatum.* & memorabantur *Perperna*, *Isaurici*, multaque a-
lia imperatorum nomina, qui non modo templo, sed duobus millibus passuum ean-
dem sanctitatem tribuerant. Exin Cyprii tribus delubris, quorum vetustissimum Pa-
phiæ Veneri auctor Aerias, post filius ejus Amathus Veneri Amathusiæ, & Jovi Sa-
63 laminio Teucer, Telamonis patris ira profugus posuissent. Auditæ aliarum quoque
que civitatum legationes. Quorum copia fessi patres, & quia studiis certabatur, con-
sulibus permisere, *ut perspecto jure, & si qua iniquitas involveretur, rem integram rur-
sum ad senatum referrent.* Consules super eas civitates quas memoravi, *apud Pergamum
Æsculapii compertum asylum* retulerunt: *ceteros obscuris ob vetustatem initiis niti. nam
Smyrnaeos oraculum Apollinis, cujus imperio* [2] *Stratonicidi Veneri templum dicaverint*;
[3] *Tenios ejusdem carmen referre*, *quo* sacrare Neptuni effigiem ædemque *jussi sint. pro-
piora Sardianos*; *Alexandri victoris id donum*, [4] *neque minus Milesios Dario rege niti. sed
cultus numinum utrisque*, [5] *Dianam aut Apollinem venerandi. Petere & Cretenses simula-
cro divi Augusti.* Factaque Senatusconsulta, quis multo cum honore, [6] modus tamen
præscribebatur, [7] jussique *ipsis in templis figere æra, sacrandam ad memoriam, neu specie
religionis*

cognomen habent, velut inde oriundi. Pausanias notat in Eliacorum 1. *Sunt*, inquit, *Lydis qui Persici cognominantur, templa in Hierocæsarea opido, & Hypæpis. In utroque templo ædicula sive cella est, cum aris: super his cinis. eoque ingressus sacerdos sive magus* (ad Magicam enim Pausanias hoc miraculum refert) tiara caput velatus, foco arida ligna imponit: *& Deum nescio quem barbarico sermone* (Persico, opinor) *invocans, ubi desiit, statim è lignis sponte purissima flamma emicat & adsurgit.* Id se vidisse Pausanias testatur: & non dubie hinc templo religio, & jus mox Asyli. *Idem.*

1 *Cyro dicatum*] Valeret hoc imperante Cyro: sed amplius videtur velle, non sub imperio modo Cyri, sed ab ipso delubrum id dicatum fuisse. Ergo emendem, *Regi Cyro dicatum*: hoc est, quod rex Cyrus dicavit, quæ loquendi forma tam nostro quam aliis usitatissima, ut notavit Lipsius ad lib. 2. Ann. cap. 50. quomodo Justinian. in l. 2. §. 8. C. de V. J. E. *liber singularis nobis excogitatus est.* Ut ita forte explicari possit difficillima l. 3. C. familiæ ercisc. *Expilatæ enim hereditatis crimen frustra coheredi intenditur* &c. hoc est, coheres intendit, cum ista particula *ejus*, quæ in ista lege mox sequitur, neque ad aliud subjectum, quam ad vocem coheredis, absque Latini sermonis injuria, referri possit, neque de alio quam actore, cujus in ea lege mentio, absque sensus perversione intelligi. *Freinshemius.*

2 *Stratonicidi Veneri*] Sic bene videtur restitutum, quum in MS. exstet *Stratonici diva Veneri*, prout quoque edidit Beroaldus. De qua sic memorat Tacitus, tanquam Sardiani & Milesii attulerint *propiora*, vel non adeo vetusta, quam erant ea quæ prætexebantur ab Smyrnæis. Quæ autem erant ista propiora? nempe quæ ab Alexandro & Dario tradebantur orta. Igitur hæc quæ de Stratonicide Venere proferuntur, sunt ultra Alexandri & Darii ætatem, ex doctrina Taciti. Et quid tamen ausus fuit ponere Ezech. Spanhemius? Scribit ille de Præstantia Numismatum pag. 398. (Diis quoque ac Deabus indita virorum ac mulierum cognomina, ut Jovis Agamemnonis Spartæ, & Stratonicidis Veneris ab uxore Antiochi Soteris apud Tacitum) An credimus Tacito ista probatum iri? aut an conveniunt tempori, quod clare Tacitus illius origini attribuit? Certe potuit pluribus inter primarias fœminas & vetustioribus nomen Stratoniceæ contigisse, si inde utique id cognomen venit. Porro MS. ille unicus non agnoscit *Smyrnaeos*, sed *Zmyrneris*, mire per scribentem detorto vocabulo, si posset in eo latere certa quædam appellatio; sed 4, 43. nihil novit nisi *Zmyrnei.* Jac. Gronovius.

3 *Tenios ejusdem carmen*] Insulæ Teni (quæ inter Cycladas) cultores, De hac re, Strabo lib. x. *Tenus insula opidum habet non magnum, sed extra illud in luco Neptuni templum dignum sane quod spectetur*: & de magno ibi conventu addit. *Lipsius.*

4 *Dario rege uti*] Scribo, *niti.* Idem.

Neque minus Milesios Dario rege niti] Verbum, *niti*, reposui, auctore Lipsio longe aptius, quam, *uti.* Pichena. Lipsius, *niti.* & Muretus. Sed & distingue amplius, *Propiora Sardianos: Alexandri victoris id donum: neque minus Milesios: Dario rege niti.* Neque minus propinqua sive recentia Milesios referre, vel quid tale subintelligendum. *Acidalius.*

5 *Dianam aut Apollinem*] Sardiani Dianam cognomento Coloenem, cujus templum μεγάλην ἁγιστείαν ἔχει, ait Strabo: Milesii Apollinem venerabantur, cognomento Didymeum. De quo idem Strabo, & Suetonius Calig. cap. xxi. *Lipsius.*

6 *Modus tamen prescribebatur*] Non satis considerate ergo elapsum hoc Tranquillo: *Abolevit & jus moremque asylorum, quæ usquam erant.* Dumtaxat moderatus est, & temperavit. *Idem.*

Modus tamen prescribebatur] Scilicet, utendi Asylis, quem egredi non liceret. *Pichena.*

7 *Facere aras*] Curtius Pichena in scripto esse ait,

religionis in ambitionem delaberentur. Sub idem tempus Juliæ Augustæ valetudo atrox necessitudinem Principi fecit festinati in urbem reditus: sincera adhuc inter matrem filiumque concordia; sive occultis odiis. Neque enim multo ante, cum haud procul [1] theatro Marcelli, effigiem divo Augusto Julia dicaret, Tiberii nomen suo postscripserat; idque ille credebatur, ut inferius majestate Principis, [2] gravi & dissimulata offensione abdidisse. Sed tum *supplicia diis*, [3] *ludique magni* ab senatu decernuntur, *quos Pontifices, & augures, & quindecimviri, septemviris simul & sodalibus Augustalibus ederent.* Censuerat L. Apronius, *ut feciales quoque iis ludis præsiderent.* Contradixit Cæsar, distincto sacerdotiorum jure, & repetitis exemplis: *neque enim unquam fecialibus hoc majestatis fuisse. ideo Augustales adjectos, quia proprium ejus domus sacerdotium esset, pro qua vota persolverentur.* Exsequi sententias haud institui, nisi 65 insignes per honestum, aut notabili dedecore: quod præcipuum munus annalium reor, ne

64

ait, *fiere æra*: atque ita *figere*, pulcherrime emendat. Voluit nempe Senatus in ære sculpi & proponi hæc decreta, & has suas modificationes. *Lipsius.*

Jussique ipsis in templis figere æra, sacrandam ad memoriam] Turpiter corruptus fuerat hic locus: *jussique ipsis in templis facere aras.* Neque ego de mendo suspicatus fuissem, nisi me Manuscriptus admonuisset, in quo legitur, *fiere æra.* unde facilis fuit emendatio, *figere æra*, una tamen litera adjecta. Intelligit enim de æreis tabulis ad parietes templorum affigendis, ad sacrandam memoriam Senatusconsulti eo die super asylis facti. Sic libro XI. *aspiciuntur etiam nunc in ære publicandis plebiscitis per fora ac templa fixo.* histor. libro 4. *quique æra legum vetustate delapsa noscerent figerentque.* Virgil. VI. Æn. *fixit leges pretio atque refixit. quia*, ut ibi Servius ait, *incisæ in æreis tabulis affigebantur parietibus.* Idem Tacitus paulo supra: *cum ejus diei Senatusconsulta æreis literis figenda in curia censuisset.* Pichena.

1 *Marcelli effigiem divo Augusto*] Nota morem haud etiam notum statuas effigiesque dedicandi certis diis. cujus vestigium in hoc lapide vetusto:

P. VEIDIVS. P. F. POLLIO.
CÆSAREM. IMP. CÆSARI. AVG.
ET. COLONIAI. BENEVENTANAI.

Pollio enim ibi non aliud quam effigiem Cæsaris Imp. dedicat consecratque Augusto & coloniæ suæ. Et clarius in Strabone libro XIV. Ἦν δὲ καὶ ἡ Ἀναδυομένη Ἀφροδίτη, ἣ νῦν ἀνάκειται τῷ θεῷ Καίσαρι ἐν Ῥώμῃ, τοῦ Σεβαστοῦ ἀναθέντος τῷ πατρὶ τὴν ἀρχηγέτιν τοῦ γένους αὐτοῦ. id est: *Erat ibidem & Venus Emergens, quæ nunc sacrata est Divo Cæsari: Romæ, Augusto eam patri ut auctorem generis dedicante.* Etiam Dionysius, libro II. Antiq. scribit, *Romulum ex manubiis Vulcano dedicasse quadrigas aureas, simulque suam effigiem.* Hunc morem in Græcia quoque fuisse, Diogenes mihi præit in vita Platonis: ubi ait Mithridatem, quandam Platonis statuam in Academia dedicasse, cum inscriptione ista: Μιθριδάτης ὁ Ῥοδοβάτου Πέρσης Μούσαις εἰκόνα ἀνέθετο Πλάτωνος, ἣν Σιλανίων ἐποίησε. *Mithridates Rhodobati filius Persa Musis statuam Platonis dedicavit, quam Silanio fecit.* Lipsius.

Theatro Marcelli, effigiem divo Augusto] Persuasi ut ita distingueretur in hac editione: cum vir doctissimus ita legeret *Marcelli effigiem*, atque inde morem dedicandi diis statuas notaret: sed revera hoc negotium ita se habet, ut Livia posuerit statuam Augusto in foro Marcelli, non autem statuam Marcelli Augusto dedicaverit, qui sensus alienissimus ex conjunctione dividendorum natus est. Eodem ergo modo hic, effigies Augusti ubi posita fuerit, indicatur, quo infra 4, 15. narratur, ubi Lucilii statua dedicata fuerit, illis verbis: *novo homini effigiem apud forum Augusti patres decrevere.* Theatrum autem Marcelli Romæ ab ipso Augusto exstructum fuit, ut auctor est Sueton. Augusto c. 29. & Epit. Liv. 128. In ejus ergo vicinia effigies Augusto posita fuit à Livia cum hac aut simili inscriptione, *AVGVSTO IVLIA ET TIBERIVS P. P.* Hoc ergo Tiberium offendit, quod ipse postpositus, ac non potius scriptum fuisset *TIBERIVS ET IVLIA.* Freinshemius.

2 *Gravi & dissimulata offensione abdidisse*] *Abdidisse* non modo occultandi vim habet; verum etiam penitus in pectus demittendi, quam fere non assequuntur. *Idem.*

3 *Ludique Magni*] Ludi Magni, iidem cum Romanis. Quia autem ludi plerique sacri diis, & instituti ad eos placandos: visum est, ut cura eorum editioque sacerdotibus esset. Non omnibus tamen: sed collegiis sacerdotum quatuor. quæ ista: Pontifices, Augures, Septemviri epulones, Quindecimviri. Dio lib. LIII. sub initium de ludis Actiacis Agrippæ: Καὶ αὕτη μὲν (scilicet ἡ πανήγυρις ἡ ἐπὶ τῇ νίκῃ τῇ πρὸς τῷ Ἀκτίῳ) διὰ πέντε ἀεὶ ἐτῶν μέχρι οὗ ἐγίγνετο, ταῖς τέτταρσι ἱερωσύναις ἐκ περιτροπῆς μέλλεται. λέγω δὲ τοὺς ποντίφικας, καὶ τοὺς οἰωνιστάς, τούς τε ἑπτὰ καὶ τοὺς πεντεκαίδεκα ἄνδρας καλουμένους. id est, *Atque ii ludi in hunc usque diem quinquennio quoque celebrati: quorum curatio penes quatuor collegia sacerdotum, ordine & in vices. Dico Pontificum, Augurum, Septemvirorum, uti appellantur, & Quindecimvirorum.*

 Idem

ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate & infamia metus sit. Ceterum tempora illa adeo infecta & adulatione sordida fuere, ut non modo primores civitatis, quibus [1] claritudo sua obsequiis protegenda erat; sed omnes consulares, magna pars eorum qui prætura functi, multique etiam [2] pedarii senatores certatim exsurgerent, fœdaque & nimia censerent. Memoriæ proditur, Tiberium, quotiens curia egrederetur, Græcis verbis in hunc modum eloqui solitum, *ô homines ad servitutem paratos!* scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam proje-
66 ctæ servientium patientiæ tædebat. Paulatim dehinc, ab indecoris ad infesta transgrediebantur. C. Silanum proconsule Asiæ repetundarum à sociis postulatum, Mamercus Scaurus è Consularibus, Junius Otho prætor, [3] Brutidius Niger ædilis, simul corripiunt; objectantque *violatum Augusti numen*, *spretam Tiberii majestatem.* Mamercus antiqua exempla jaciens, [4] *L. Cottam à Scipione Africano*, [5] *Ser. Galbam à Catone censorio*, *P. Rutilium à M. Scauro accusatos.* videlicet Scipio & Cato talia ulciscebantur, aut ille Scaurus, quem proavum suum, [6] opprobrium majorum Mamercus, infami opera dehonestabat. [7] Junio Othoni litterarium ludum exercere ve-

tus

Idem lib. LVIII. de iis quæ decreta post mortem Sejani. Ἐψηφίσαντο δὲ ἑορτὴν διά τε τῶν ἀρχόντων καὶ διὰ τῶν ἱερέων ἁπάντων (ὃ μὴ πώποτε ἐγεγόνει) ἀχθῆναι, καὶ τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ ἐτελεύτησε, καὶ ἵππων ἀγῶσι καὶ θηρίων σφαγαῖς ἐτησίοις, διά τε τῶν ἐς τὰς τέσσαρας ἱερωσύνας τελούντων, καὶ διὰ τῶν τοῦ Αὐγούστου θιασωτῶν ἀγάλλεσθαι, ὃ οὐδέποτε ἐπεποίητο. Quibus verbis interpretis errorem esse scio: qui vertit, *per quatuor collegia Pontificum.* imperite, cum debuisset *sacerdotum.* Pontificum sane collegium unum est. Quod dicit autem Dio non antea pronuntiatos ludos curatosque per quatuor collegia, & Augustales: id si sensit, errat, & refellit hominem clare hic, qui in manu, Taciti locus. Ceterum ad curationem sacerdotalem pertinet Cornelii & ille locus Annali XI. *Iisque ludis intentius adfui, sacerdotio Quindecimvirali præditus, ac tum Prætor. Quod non jactantia refero, sed quia collegio Quindecimvirum antiquitus ea cura.* Lipsius.

1 *Claritudo sua obsequiis*] Sciendum nihil hic intelligi aliud quam ipsos homines claros ob majores videlicet suos, aut honores ipsorum. *Obsequia*, libentius cum Gallis reddam *complaisances*; quam cum Hisp. *servir.* nam *obsequii* vox aliquanto mitior est; & mitiori voce voluit uti Tacitus, in re, ubi magis excusare instituit primores, quam arguere. *Fœdaque & nimia*, de adulatione incruenta sermonem hic esse, quum cetera, tum imprimis initium sequentis capitis adprobant. *Freinshemius.*

2 *Pedarii senatores*] *Pedarii* dicuntur auctore Gellio, ex commentariis C. Bassi, *qui nondum gessissent curulem magistratum, quod pedibus itarent in curiam.* Ferrettus. Alii tamen *pedarios senatores* existimant dictos, qui in Senatu sententiam non dicebant, sed ab alio dictam comprobabant, moventes se loco, & in partem, cujus sententiam approbabant, proficiscentes. Cui opinioni favere videtur Cic. lib. I. ad Att. Epist. 14. & 15. ubi inquit: *Et raptim in eam sententiam pedarii concurrerunt.* Et rursus: *quum præclarum caput recitaretur, ne quis ad nos referret, ut decerneres, ne pedibus iret.* Idem & à Tacito hoc loco confirmari videtur, dum scribit: *Pedarii Senatores certatim exurgerent, fœdaque & nimia censerent.* Festus lib. I. inquit; *Pedarium senatorem significat Lucilius, quum ait: Agipes vocem mittere cœpit, quia ita appellatur, qui tacitus transeundo ad eum, cujus sententiam probat, quid sentiat, indicat.* Hinc *pedibus ire in sententiam*, & *pedariam sententiam* observamus apud Latinos scriptores. *Pedarios* autem Senatores fuisse minoris auctoritatis cæteris, ex dictis & ex Tacito ipso hoc in loco facile constare potest. Clare vero ex Livio l. 27. ubi de Livio antea ex Consulatu à populo damnato, & à Censoribus in Senatu reducto. qui *ignominiæ accepta memor, aut verbo assentiebatur, aut pedibus in sententiam ibat, donec cognati hominis causa in Senatu stantem sententiam dicere coëgit.* Donatus.

3 *Brutidius*] Nomen bene scriptum, & apud alios quoque occurrens auctores. At tamen & apud Beroaldum legitur *Brutedius*, & sic scribitur quoque in MS. An solita hæc est in isto chirographo duarum istarum vocalium confusio? Certe interest id non pro ignoto præteriri. Etiam infra exaratur *Brutedium.* Jac. Gronovius.

4 *L. Cottam*] Cicero Divinatione in Verrem, ibique Asconius: & Valerius lib. VIII. cap. I. *Lipsius.*

5 *Ser. Galbam*] De Galba, ibidem Cicero, & Valerius: de Rutilio Livius Epit. LXX. Cicero in Bruto, & Oratore I. Orosius libro V. *Idem.*

6 *Opprobrium majorum*] Sallustianum est. *Idem.*

7 *Junio Othoni*] Declamator fuit eo ævo notus. Seneca pater & ipsum & genus ejus dicendi describit, non sine nota, lib. II. Controv. I. Ait illum usum tecto genere dicendi & suspicioso, ubi minime opus, & cum aperte liceret agere. *Bene*, inquit, *de hoc vitio illius Scaurus aiebat, illum acta in aurem legere.* Acumen joci reddo, scriboque *le-*

gere.

tus ars fuit: mox Sejani potentia senator, [1] obscura initia impudentibus ausis propellebat. [2] Brutidium artibus honestis copiosum, & si rectum iter pergeret, ad clarissima quæque iturum, festinatio exstimulabat, dum æqualis, dein superiores, postremo suasmet ipse spes anteire parat. quod multos etiam bonos pessum dedit, qui spretis quæ tarda cum securitate, præmatura vel cum exitio properant. Auxere nume- 67
rum accusatorum Gellius Poplicola, & [3] M. Paconius. Ille quæstor Silani, hic legatus. Nec dubium habebatur, sævitiæ captarumque pecuniarum teneri reum: sed multa adgerebantur etiam insontibus periculosa, cum super tot senatores adversos, facundissimis totius Asiæ, eoque ad accusandum delectis responderet solus, & orandi nescius, proprio in metu, qui exercitam quoque eloquentiam debilitat: [4] non temperante Tiberio, quin premeret [5] voce, vultu, eo quod ipse creberrime interrogabat: neque [6] refellere, aut eludere dabatur; ac sæpe etiam confitendum erat, ne frustra

gere. Acta publica sunt, nec aliud tam vulgo promptum notumque; adeo ut proverbii loco Seneca filius alibi dixerit, *Beneficia in acta non mitto*, id est, non publico, non divulgo. Qu d autem magis ridiculum, quam Acta publica alicui recitare in aurem? Subtilis ergo in id vitium hominis jocus: quem belle æmulatus est Martialis:

Garris in aurem semper omnibus Cinna,
Garris & illud, teste quod licet turba.
Adeone penitus sedit hic tibi morbus,
Ut sæpe in aurem Cinna Cæsarem laudes?

Nec enim dubito, quin oculos habuerit ad breve illud Scauri acutumque dictum. *Idem.*

1 *Propelluebat*] Clarissimus Nic. Faber, *perpolluebat*. Hieron. Groslotius noster (vere noster, dudum studiis, nuper amore mihi junctus) *propellebat:* bono pariter & prompto sensu. *Idem.*

Obscura initia impudentibus ausis Prætor polluebat] Jurarem germanam hanc Taciti lectionem esse. Male vulgo, *propolluebat*. Duabus forte literis scriptum compendio fuit, *pr. polluebat*, unde facile librarius deceptus est. Idque cum historia optime congruit. nam supra dixit Tacitus, *Junius Otho prætor.* nunc ipsum ab origine quasi describens, ait, fuisse prius Ludimagistrum, mox Senatorem. Recte ergo sequitur, *prætor*; ut dedecus respectu prætoriæ dignitatis, notabilius ostenderetur. Hanc emendationem eo promptius recepi, quod Lipsius à me super ea consultus, sibi maxime placere rescripsit. *Pichena.* Lipsius olim, *porro polluebat*. Ego, *protollebat*. quod valere hic idem putem ac si esset proferebat, propagabat. *Acidalius.* Haud male, qui mutant, *ausis porro polluebat*, sed non id erat etiam necesse. vocabuli enim *porro* energia includitur item illi *pro*; ut pluribus ostendi in libris Suspicionum. *Gruterus.* Ambiguæ sententiæ scripturæque verbum, *Propolluebat*, aut si forte, *porro polluebat*. Hic mihi sensus in paraphrasi placuit. Nec tamen damnem Ital. qui legisse videtur, *propolabat*. quod profecto neque à scriptura multum dissidet; neque à commoditate sensus quidquam. Poterat enim homo novus in sinu gaudere, & honore, qui obtigerat, sine magna invidia frui, si se intra modestiam continere voluisset. At *impudentibus ausis* advertit omnium oculos, effecitque, ut vulgo denotaretur: conspicuusque fieret. Firmando huic sensui sunt hæc Taciti H. 2, 20. *Uxorem Cæcinæ Saloninam, quamquam in nullius injuriam insigni equo ostroque veheretur, tamquam læsi gravabantur, insita mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspicere; modumque fortunæ à nullis magis exigere, quam quos in æquo videre.* Dicit Saloninam *in nullius injuriam* comparato ornatu, occasionem sermonibus præbuisse; quanto magis igitur Otho, qui virum clarum atque nobilem cupiebat evertere. *Freinshemius.* Quanta varietas fertilium ingeniorum! Et tamen vix crediderim bene ab eis consideratam lectionem antiquam; quippe quæ sponte subjicit *provolvebat*. ut Achelous de se apud Ovidium lib. 8. Metam. *Nymphas memores tum denique nostri In freta provolvi.* Ipse auctor lib. 6. dicit *fortunis provolvi* & alibi. Mox etiam legitur in MS. *Gellius Publicola*, non *Poplicola*. Aliud potuit fuisse in Valeriis. *Jac. Gronovius.*

2 *Brutidium artibus honestis*] Vera laus. Non solum enim inter oratores rhetorasque locum habuit, recensente Seneca non semel: sed etiam historiam scripsit, ut ex fragmentis apparet, cum laude. Pete ea à Seneca patre, in Suasoria De morte Ciceronis. Puto eumdem esse, quem signavit Juvenalis:

—— *pallidulus mi*
Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram. Lips.

3 *M. Paconius*] Quem postilla reum majestatis Tiberius interfecit, admonitu scurræ cujusdam. Sueton. Tib. cap. LXI. *Idem.*

4 *Non temperante*] Divelli hoc non debet à prioribus. est enim ex *multis* illis, quæ tum *adgesta* dixit paulo superius. *Freinshemius.*

5 *Voce, vultu, eo quod*] Lipsius *& quod.* Ego paulo aliter cum alia distinctione: *premeret voce, vultu; eoque quod ipse creberrime interrogabat.* Acidalius. De vultu proprie hic agitur. Sic 4, 34. *Id perniciabile reo, & Cæsar truci vultu defensionem accipiens.* Freinshemius.

6 *Refellere aut eludere dabatur*] Ideo, sicut opinor,

stra quæsivisset. Servos quoque Silani, [1] ut tormentis interrogarentur, actor publicus mancipio acceperat. & ne quis necessariorum juvaret periclitantem, majestatis crimina subdebantur, vinclum & necessitas silendi. Igitur petito paucorum dierum interjectu, defensionem sui deseruit, [2] ausis ad Cæsarem codicillis, quibus invidiam [3] & preces miscuerat. Tiberius quæ in Silanum parabat, quo excusatius sub exemplo acciperentur, libellos divi Augusti de [4] Voleso Messalla ejusdem Asiæ proconsule, factumque in eum senatusconsultum recitari jubet. Tum L. Pisonem sententiam rogat. ille multum de *clementia principis* præfatus, *aqua atque igni Silano interdicendum* censuit, *ipsumque in insulam Gyarum relegandum.* Eadem ceteri, nisi quod Cn. Lentulus *separanda Silani* [5] *materna bona* (*quippe alia parente geniti*) *reddendaque filio* dixit,

nor, quod, ut est apud Curtium 6, 10. *Non supervacua solum, sed etiam invisa defensio est, quæ judicem non docere videtur, sed arguere.* Alii putant eo non potuisse refellere, quod crebris interrogationibus omne tempus respondendi Tiberius exemisset. quod non putem probari cuiquam posse. Alii videntur velle, tam exquisite & minutim interrogatum fuisse, ut necessario hæreret defensio non ad omnia occurrere, & singula statim diluere, gnari. Alii, quasi expresso imperio prohibitus fuisset se defendere: quod quia temporum istorum moribus non convenit, eam quam dixi sententiam præfero, ut existimetur suo metu turbatus impeditusque obticuisse, ne cum ipso Principe sibi altercandum, isque magis etiam irritandus esset. *Idem.*

1 *Ut tormentis interrogarentur*] Ita Lipsius vulgo. *interrogentur.* Pichena. Optime alii *interrogarentur.* Sed unde peccatum tale in re clara, & quam flagitat ἀκολουθία sermonis? Suspicabar aliquando hujusmodi varietates inductas a librariis sic ablativos absolutos, uti vocamus, resolventibus, scripsisseque Tacitum, *servos Silani, tormentis interrogandos, actor.* Sed jam pœnitet licentiæ, & cuicumque potius exerrationi scribæ imputaverim. *Gruterus.*

2 *Ausis*] Faernus legebat, *missis ad Cæsarem codicillis.* Ursinus. Non possum exputare, cur vocem mutare voluerit Faernus in *missis.* Nihil enim usitatius altero etiam scriptori nostro. exempla cumulavit Rhenanus. Nimirum vult nondum extra spem fuisse, ac præsumsisse veniam. nam desperati quiescunt. Seneca Agamemnone 502. *Idem.*

3 *Invidiam & preces*] Sic lib. IV. *Profusis diu ac per silentium lacrymis, mox invidiam & preces orditur. Invidia* plerumque apud Tacitum est, virulenta quædam publici odii concitatio. lib. I. *Tantum consternationis invidiæque concivit.* lib. II. *nec ad invidiam ista, sed conciliandæ misericordiæ refero.* Petronius Arbiter: *Contra, nos perturbati ne videremur nihil agere, & ipsi scissam & sordidam tenere cepimus tunicam, atque eadem invidia proclamare, nostra esse spolia, quæ illi possiderent. Sed nullo genere par erat causa nostra, & conciones, quæ ad clamorem confluxerant, nostram, scilicet de more, ridebant invidiam.* Pichena. Omnino, duriora sunt vocabula, *culpar, sdegno, offence, haine, trotzen,* quam res aut Latini verbi sensus ferat. ad quæ propius accessit Angl. *odious termes.* Sic Agrippina 4, 53. ubi *invidiam & preces orditur*, quamquam ferox ingenio nihil tamen dicit, quo Tiberius aperte videatur argui; sed tacitos invidiæ stimulos infert, *solitudinem, habilem juventam, Germanici conjugem ac liberos*, memorando. nam ea cuncta si contemneret, invidiosum & sermonibus obnoxium apud omnes erat futurum. *Freinshemius.*

4 *Voleso Messalla*] Cujus sævitiæ clarum exemplum in Seneca l. II. De ira. ubi item vocat eum Asiæ Proconsulem sub Augusto. *Volesus nuper sub Divo Augusto proconsul Asiæ, cum trecentos una die securi percussisset, incedens inter cadavera vultu superbo, quasi magnificum quiddam conspiciendumque fecisset, Græce proclamavit, O rem regiam! Quis hæc rex fecisset? non fuit hæc ira, sed majus malum & insanabile.* Nec plura super eo mihi comperta. *Lipsius.*

5 *Alia parente genitis*] Certe hæc implexa. Pichena interpretatur, Silano fuisse matrem & novercam. Materna autem bona intellegi, veræ matris, quæ separanda à novercæ, ac filio danda ut aviæ paternæ. Ego caussæ nihil video, cur bona matris non fuerint Silani hic rei: & simul igitur cum paternis, pari jure, confiscanda. Mihi semper aliquid occulti vulneris in hac scriptura visum, & sententiam affirmare pœne audeam, etsi vix scripturam. Sed hæc quoque fortasse fuerit: *quippe tali parente geniti:* vel *quippe illa parente*, per admirationem. Enimvero Lentulus separari materna bona per honorem voluit, & respectu illius parentis: quæ ex Augusti sanguine scilicet esset. Hoc in Silanis verum est: & Tacitus noster libro XIII. *Silanum abnepotem Divi Augusti* facit. & Plinius, *Divus Augustus neptis suæ nepotem genitum vidit, quo excessit anno.* Stemma tamen seriatim hoc texere difficile sit. Quod si in lectione nihil mutas: tum ego interpretari capiar, Duas matres Silano huic reo fuisse, veram & novercam. Noverca autem bona maxima ex parte Silano reliquerat, in gratiam mariti; vel obsequiis, ut fit, privigni capta. Nunc censet Lentulus, seperanda ea bona, quippe cum *non ea parente genitus esset:* sed adventicia illa, & ex indulgentia data, filio item indulgenda. Hæc dixerim, nec mihi firma aut proba, ut præmisi. Scripsit ad

me

me ex Hiſpania vir doctus, in veteri libro ſe legiſſe: *quippe alia parente.* quod ad noſtrum illum ſenſum faciat, ſed mallem aliud verbi. *Idem.*

Materna bona quippe alia parente] Diſtingue, Silano fuiſſe matrem & novercam. materna bona intelligit veræ matris, quæ à bonis novercæ ſeparanda eſſent, ac Silani filio, tanquam aviæ ipſius paternæ bona reddi. *Pichena.* Lectio palam vitioſa, apparet tamen ſenſus, quem & Lipſius fere vidit, propter dignitatem maternæ ejus familiæ datum Silano, ne bona, quæ inde ad eum pervenerant, publicarentur, ſicut antea in damnatione Æmiliæ Lepidæ: *Scauro, qui filiam ex ea genuerat, datum, ne bona publicarentur.* ſupra 3, 25. Ceterum conſtat Silanos maternam originem ad Auguſtum retuliſſe, quomodo infra 13, 1. *Silanus D. Auguſti abnepos* diſerte traditur. Ut ita non abſurde tentari poſſit: *Quippe Julia parente geniti.* Quid enim abſurdi eſſet, ſi quis exiſtimaret plures fuiſſe Julias, quam quas hæ ſcriptorum reliquiæ nobis exhibent; Ideoque ob præcellentiam hujus familiæ indignum videri poterat, ſi bona inde provenientia publicarentur. quamquam & in illis verbis *reddendaque filio* latet altera mitioris ſententiæ ratio, quam attendi video & in damnatione Suilii, infra 13, 43. *ademta bonorum parte. nam filio & nepti pars concedebatur, eximebanturque etiam, quæ teſtamento matris aut avi acceperant* (an *aviæ ceperant*) ut nimirum à matre vel avia profecta viderentur non tam ad patres aut avos pertinere, quamquam jure poteſtatis patriæ ipſis adquirebantur, quam ad liberos, quibus relicta erant; idque mitiori interpretatione, ut dixi. *Freinshemius.* Hoc maxime probabatur amico meo ex Viris doctis. Id modo reprehendebat, quod alias Julias quam in hiſtoriis traderentur circumſpicerem, & cunctaret ad Auguſti noviſſimam neptem referre hoc ſtemma. Quod ille ſic conſtituebat, ut Silanus, quem Plinius neptis Auguſti nepotem ſcripſit, eſſet hic filius, cui materna bona conceduntur hoc loco; ipſe autem damnatus, filius Juliæ, quæ neptis erat Auguſti. Sed puto ſatisfactum ei nunc, oſtenſo temporum rationem non congruere. Nam Silanus qui hic damnatur, ipſius etiam Amici mei judicio Cos. fuit. A. U. C. DCCLXII. demonſtravi autem, ut omnia alia largirer (inter quæ tamen eſſent, quæ non deberem) Julia nepte, ante annum DCCLIX. nullum Silanum naſci potuiſſe. *Freinshemius.* Qui παραφράζει: Lentulus dixit Silani materna bona in honorem familiæ, ex qua illa oriunda fuerat, non cum cetera ſubſtantia publicanda, ſed filio reddenda eſſe. *Freinshemius.* Nullum hinc ſenſum tolerabilem eruas, nec ex iis quæ alii ſubſtituunt. Repone, *quippe Mallia parente geniti.* Omnia quidem bona Silani, quippe in inſulam deportandi, publicanda erant: ſed Lentulus rigorem ſententia ſua mitigat, & bona materna damnati vult ipſius filio ſervari in honorem Manliæ ſive Malliæ gentis, unde genus maternum Silano. Infra *ſororem quoque Silani Torquatam.* Mos autem frequens Virginibus mulieribuſque Romanis nomen à matre ſumere, præſertim ſi ea pars ſanguinis illuſtrior. Infra lib. XIII. *Sabina Poppæa T. Ollio patre genita, ſed nomen avi materni ſumpſerat, illuſtri memoria Poppæi Sabini Conſulari & triumphali decore præfulgentis.* Grotius. Lege: *Quippe Cornelia parente geniti.* Quia mater Junii gentilis erat Lentuli, grave huic videbatur, quod per legem dimidia parte bonorum multaretur reus. etiam bona ejus materna ſimul confiſcari ſeu publicari, & integra ſeorſum à reliqua maſſa, malebat ad filium conſobrinum ſuum tranſire (ita de Gn. Piſone Præſide Syriæ, qui priuſquam damnaretur, ſe abſolverat, cenſuit Cotta Coſ. A. U. 773. *partem bonorum ejus publicandam, pars ut ut Gn. Piſoni filio concederetur,* Tac. 3. Ann. 17.) quod hoc in favorem familiæ ſuæ vergere prudenter judicaret. Corneliam iſtam amitam hujus Cnæi Lentuli, magnam, eumque Corneliæ è fratre pronepotem facio ſic:

dixit, adnuente Tiberio. At [1] Cornelius Dolabella, dum adulationem longius sequitur, increpitis C. Silani moribus, addidit, *ne quis vita probrosus, & opertus infamia, provinciam sortiretur: idque princeps dijudicaret. nam a legibus delicta puniri: quanto fore*
69 *mitius in ipsos, melius in socios, provideri ne peccaretur?* Adversum quæ disseruit Cæsar: *non quidem sibi ignara quæ de Silano vulgabantur, sed non* [2] *ex rumore statuendum. multos in provinciis contra quam spes aut metus de illis fuerit, egisse. excitari quosdam ad meliora magnitudine rerum; hebescere alios. neque posse principem sua scientia cuncta complecti: neque expedire, ut ambitione aliena trahatur. ideo leges in facta constitui, quia futura in incerto sint. sic à majoribus institutum, ut si antissent delicta, pœna sequerentur. ne verterent sapienter reperta, & semper placita. satis onerum principibus, satis etiam potentiæ.* [3] *minui jura, quotiens gliscat potestas: nec utendum imperio, ubi legibus agi possit.* Quanto

L. Cornel. Lentulus

L. Corn. L. F. Lentulus Cos. a. 750.

Cn. Corn. Cn. F. Lentulus Cos. A. U. 740. Panvinius huic cognomen Gætulici tribuit.

Cossus, qui & Cn. Corn. Cn. F. Lentulus Cos. A. U. 752. post Gætulicus: Pighius Isauricum cognominat è Dione, Panviniusque: sed male.

Cossus, Cossii F. Cn. N. Lentulus, Cos. A. U. 778. in præfectura urbi successor Pisonis, qui obit. A. U. 785. *Tac. Sen.* ep. 83. Hic est qui senserat Præsides Provinciæ non posse accusari, Coss. Sulla & Trione A. U. 784. l. 12. D. de accusat. *Reinesius.*

Cn. Cornel. Cn. F. Lentulus Gætulicus, Cos. A. U. 789. Hic est ille Taciti: Pighio Cn. Triumphalis F.

Corn. Cn. F.

C. Junius Silanus Cos. A. U. 737.

C. Junius Silanus C. F. Cos. A. U. 763. Pro C. Asiæ, damnatus A. U. 775.

C. Appius Junius Silanus Cos. A. U. 781. proc. Hisp. occisus A. U. 795. Domum habuit in monte Cœlio Tac. IV. Ann. 64. Sed quia hunc Senatorem vocat ibi *Tac.* alius ab Appio fuerit.

1 *Cornelius Dolabella*] Præter ceteros adulator: qui supra censuit, ut Tiberius ovans urbem iniret. cujus mentio in prisco lapide conjunctim cum hoc C. Silano:

P. CORNELIVS. P. F. DOLABELLA
C. IVNIVS. C. F. SILANVS. FLAMEN. MARTIAL. EX. S. C.
FACIVNDVM. CVRAVERVNT. IDEM. QVE PROBAVERVNT.

Lipsius.

Corn. Dolabella] Lapis apud Lipsium (in quo Gruterus 6. p. 176. addit *Coss.*) quod cuivis manifestum est, loquitur de P. Cornelio P. F. P. N. Dolabella C. Junio C. F. M. N. Silano Flamine Martiale Coss. A. 762. Consulem vero fuisse hunc, de quo Tacitus hoc loco, ex ejusdem narratione fere negare ausim. Tiberius enim urget nobilitatem familiæ Juniæ, dignitatem senatoriam, voluntatem sororis; cur de consulatu & flaminio, unde efficacius argumentum erat, silet? *Rupertus.*

2 *Ex rumore statuendum*] *Statuendum* verbum, nihil aliud quam privatum cujusque judicium, de hujus illiusve moribus, hic significans, non recte acceperunt de publicis decretis. *Freinshemius.*

3 *Minutura, quoties*] Ne deliberare quidem quemquam puto, quin conjectura nostra vera sit, *Minui jura, quoties glisc. pot.* præclara & ex usu rerum gnome. *Lipsius.*

Minutura quoties gliscat potestas] Doctissimus vir diduxit, & scripsit *minui jura*, ex quibus γνώμη, quam Tiberius præ oculis non habuit: nam legibus, quæ in facta constituuntur, nihil damni contingere potest ex provisu principis, ne peccaturi in provincias mitterentur. Ad quid igitur ea dixit? Impe-

Quanto rarior apud Tiberium popularitas, tanto lætioribus animis accepta. Atque ille prudens moderandi, si propria ira non impelleretur, addidit, *insulam Gyarum immitem & sine cultu hominum esse: darent Juniæ familiæ, & viro quondam ordinis ejusdem,* [1] *ut Cytheram potius concederet. id sororem quoque Silani* [2] *Torquatam, prisca sanctimoniæ virginem, expetere.* [3] In hanc sententiam facta discessio. [4] Post auditi Cyrenenses, 70
& accusante Anchario Prisco, Cæsius Cordus repetundarum damnatur. L. Ennium equitem Romanum majestatis postulatum, *quod effigiem principis* [5] *promiscuum ad usum argenti vertisset*, recipi Cæsar inter reos vetuit; palam aspernante Atejo Capitone, quasi

Imperatorem dissimulabat, nec latum unguem ab artibus Augusti discedebat. Deprecatur itaque vim majorem, quasi tantum teip. princeps esse velit, & sic ratiocinatur: optime mea cum onera tum potentia præfinita sunt, utque Romanum Principem decebat: si quid additis, regis id erit, nec vobis tolerandum. Quamobrem ea in me parcite conferre, quæ toties à me irrita fient, quoties à vobis decreta fuerint. Ad ultimum *minuere πανθ-ρικῶν*. Homer. *μινύθει δέ τοι ἦτος ἑταίρων*. Cæs. libro 3. Gall. *Neque pedibus aditum haberent cum ex alto se æstus incitavisset, quod bis semper accidit horarum* XII. *spatio, neque navibus, quod rursus minuente æstu naves in vadis afflictarentur:* Salmerius. Videndum an *minutura*, mutandum sit in, *minus tuta*. Ursinus. Quamvis doctissimus Salmerius lectionem veterem, *minutura* defendere conetur, ego tamen ab ipsius interpretatione sensum nullum, ad Taciti mentem haurio. Nulla igitur causa, quin correctionem Lipsii veram existimem, atque recipiam. *Pichena.* Non adsentior *jura*, quæ pro libertate & republica (quam adhuc se conservare simulare Tiberius solebat) ponuntur, de *justitia* interpretanti. quam *potestate* illa, quæ *juribus* hic opponitur, in causis privatorum melius, atque in plena libertate, administrari posse, ipsorum Cæsarum priorum exempla docent: unde sup. 1, 2. *Neque provincia illum rerum statum* (monarchicum) *abnuebant: suspecto senatus populique imperio ob certamina potentium & avaritiam magistratuum: invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur.* Angl. *leges.* Bene si *leges* accepit ea significatione, qua libertatem arguunt, & dominationi opponuntur. Quod idem de Gal. 1. dici potest, qui *les droits* reddit, nam hoc etiam de jure & majestate reip. potest accipi, secus si ponatur in singulari, ut apud alterum, *le droit.* tum enim jura, quibus privata negotia disceptantur, intelligi solent. *Freinshemius.*

1 *Cytheram potius*] In manuscripto, *Cythonum.* Putes *Cythnum* fuisse, quæ insula est juxta Atticam, sub Eubœa, nostro alibi, Ptolemæo item & Plinio, nominata. *Lipsius.* Sic editum in Lipsianis. Sed in MS. vere exstat *Cythenum.*

Cytheram concederet] Faernus legebat, *Cytheram potius concederent*, non, *concederet.* Ursinus. Adjeci conjunctionem, *ut*, ex Manuscripto. *Ut Cytheram potius concederet.* Pichena.

2 *Torquatam*] Cujus memoriam servat marmor Romæ:

IVNIÆ. C. SILANI. F.
TORQVATÆ. VIR. VEST.
MAXIMÆ.

itemque alterum in hortis Vaticani mihi lectum:

I. IVNONI.
IVNIÆ. C. SILANI. F.
TORQVATÆ.
SACERDOTI. VESTALI.
ANNIS. LXIIII.
CÆLESTI. PATRONÆ.
ACTIVS. L.

Lipsius.

Silani sorore Torquata] De *Junia Torquata* Silani sorore, & de *Manlia* Torquatorum familia per adoptionem in Juniam Silanorum inserta diximus in lib. de Familiis, additis veteribus inscriptionibus de hac ipsa Junia Torquata. *Ursinus.* Has cum ipsa effigie illius virginis in publicum contulit laudandus propterea plurimum Vir Clarissimus Jac. Sponius in Miscellaneis eruditæ antiquitatis pag. 150.

3 *In hanc sententiam facta discessio*] Id est, in hoc senatus consensit. Duobus enim modis facta SC. ex literis Varronianis Agellius lib. XIV. refert: *aut per discessionem, si consentiretur: aut conquisitis sententiis per singulos, si dubia res esset.* Atejus Capito contra: & Tuberonem vere dicere ait, *nullum SC. fieri, non discessione facta: quod in omnibus SC. etiam, quæ per relationem fierent, discessio esset necessaria.* Ejus, infra libro proximo meminit Cornelius & lib. XIV. inquit, *Postquam discessionem consul permiserat, pedibus in sententiam ejus iere.* Vertranius.

4 *Post auditi Cyrenenses*] Fluctuavi in hoc loco. supra enim scriptum eadem de re: *Ancharius Priscus Cæsium Cordum Proconsulem Cretæ postulaverat repetundis.* Mirum videbatur agere Cyrenenses in illum, qui alienæ provinciæ rector: & inclinabam ut substituerem, *Cretenses.* Dispulit hanc caliginem Strabo, apud quem libro ultimo in divisione provinciarum lego, Cretam cum Cyrenaica ejusdem Proconsulis fuisse. Ab hac mente Suetonius Vespas. cap. II. *Quæstor Cretam & Cyrenas provinciam sorte cepit.* Ubi male quidam libri, *provincias.* Lipsius.

5 *Promiscuum ad usum argenti*] *Promiscuo argenti usu*

quasi per libertatem. *Non enim debere erips patribus vim statuendi: neque tantum maleficium impune habendum. sane* [1] *lentus in suo dolore esset; respublicæ injurias ne largiretur.* Intellexit hæc Tiberius ut erant magis, quam ut dicebantur: perstititque intercedere. [2] Capito insignitior infamia fuit, quod humani divinique juris sciens,
71 [3] egregium publicum, & [4] bonas domi artes dehonestavisset. Incessit dein religio, quonam in templo locandum foret donum, quod pro valetudine Augustæ equites Romani voverant [5] *Equestri Fortunæ.* nam etsi delubra ejus deæ multa in urbe, [1] nullum

usu non tantum supellex argentea debet intelligi, sed omne id, quocumque usus argenti extenditur. puta, si ad arma exornanda, vel phaleras adhibuisset; aut creditoribus dedisset. *Freinshemius.*

1 *Lentus esset*] Summa arte assentatoriæ libertatis hic adhibitum est vocabulum, quod ἐπὶ φαυλίστου, sive in deteriorem sensum usurpari solet. *Freinshemius.* Habuit ex Tibullo 4, 11. *Si tu Nostra potes lento pectore ferre mala.* Sed & ex Ciceronis libro 2. de Oratore eundem sensum ac sonum citat Pichena ad 4, 71. *Jac. Gronovius.*

2 *Capito insignitior infamia fuit*] Ex Man. restitui vocem, *insignitior.* Vulgo, *insignior.* Pichena.

3 *Egregium publicum*] Ita dictum, ut vulgo bonum publicum, & Livio *pessimum publicum*, libro 11. Rhenanum risi scribentem: *Obscurus locus est* (censeo Delphos mittamus ad consulendum) *aut certe mendosus: qui forsan sic legi debeat, Se, remp. & bonas domi artes.* Lipsius.

Egregium publicum] Locus hic Beato videtur mendosus. Ego tam scriptum quam sensum ejus in plano puto, explicoque *egregium publicum*, pro decore publico, ea forma dictum, qua sæpissime idem Cornelius, *bonum*, Seneca *malum*, Livius, *pessimum publicum* ajunt: apud quos *publicum*, de nomine adjectitio factum est substantivum. *Vertranius.* Legit Theodorus Marcilius ex membrana, ut ipse ait, *se, rempublicam, & bonas domi artes.* invita sane Minerva. *Egregium publicum* Tacitus dixit, sicut Varro *villas pessimo publico ædificatas.* quem Livius imitari non veritus est libro 2. *Nec ambigitur, quin Brutus pessimo publico reges exacturus fuisset.* Sed ex ipso Tacito, ut solet, Sulpicius Severus histor. Sacræ libro 2. *Quod initio jure judiciorum & egregio publico defensum.* Colerus.

4 *Bonas artes*] Exponi vocabulo, quod tantum vitam civilem & inculpatam, non etiam studiorum & præcipue juris peritiam (quæ hic unice spectatur) significat; id vero non potest adprobari. *Freinshemius.*

5 *Equestri fortunæ*] Parvula unius apicis additione legerim, *sequestri Fortunæ.* Ut intelligamus supplicasse Romanum equitem Fortunæ, quæ se mediam collocaret inter fatum & Augustam. Nam, ut Gellius vult 20, 11. *sequester à sequendo, quod ejus, qui electus sit, pars utraque sequatur fidem.* Quæ verba transcripsit Isidorus in 10 Orig. Seneca ad Helviam, 12. *Menenius Agrippa qui inter patres & plebem publicæ gratiæ sequester fuit.* Inde etiam est, quod Patribus Salvator noster Christus *sequestri* nomine veniat. *Gruterus.* Ædem fortunæ Equestris Romæ fuisse nemo dubitat. Tacitum ergo omnes accusant. Ego librarios mallem. Robertus Titius humaniores litteras in Bononiensi Gymnasio publice profitens, me monuit, sibi atque eruditissimo viro Jano Grutero legendum videri, *sequestri fortunæ.* Sic Virg. Æn. XI. *pacem sequestram* dixit pro induciis. & ut induciæ mediæ sunt inter præteritum & futurum bellum, vel potius inter bellum & pacem; ita *fortuna sequestris* media est inter adversam & prosperam fortunam, seu inter morbum & valetudinem. Itaque non absurde appellari quodammodo poterit, Fortuna valetudinaria. Sed cum multa Fortunæ cognomina apud antiquos scriptores inveniantur, de sequestri autem nulla mentio, nihil affirmare ausim, judiciumque integrum lectoribus relinquo. *Pichena.* Ita est: quod constaret ex memorabilibus scriptorum libris, in urbe fuisse *templa Fortunæ Equestris*; ausus sum inserere suspicionum libellis emendandum videri, adjectione literæ, *Fortuna sequestris*; cui necdum adstruo veritatis firmiorem imaginem. Lætor interim non id omnino displicuisse comptissimis moribus viro Curtio Pichenæ, ut enim hodie obtinet, nihil placet quam quod nostrum est; alienum omne sanna excipimus, aut pedibus etiam trahimus. *Gruterus.* Valde me permulcet illa *Fortuna Sequestris*: sed & inventor & approbator tam belli cognominis, explicando ejus tædium faciunt. *Sequester* meo judicio non a *sequor*, quod Gellio creditum, sed à *secus* quasi *secuster*, ut à *magis magister*, à *minus minister*, dictus, quoniam intervenit dissidentibus ipse neutrarum partium, semotus ab utroque, & liber à causis eorum, aliusque atque certantes. Duas autem personas significat: vel arbitri, medii, interpretis, quam notionem illi duriter captant; vel custodis, penes quem res controversa deponitur, l. 110. D. de V. S. Plautus Mercat. 4, 3. *Immo sic sequestro mihi data est.* Rudente 4, 3. *nisi pars datur, Aut ad arbitrum reditur, aut sequestro ponitur.* Cato apud Gellium: *Per deos immortales, nolite vos sequestro ponere.* Hoc est, nolite custodiam vestri committere cuiquam præter vosmetipsos: nolite vos, cum liberi sitis, fiduciarios reddere, & cuiquam in potestatem dare. Paulus l. 6. D. Depositi: *Proprie autem in sequestre est depositum, quod à pluribus in solidum certa conditione custodiendum reddendumque traditur.* Unde observant *sequestre* genus esse depositi.

[1] nullum tamen tali cognomento erat. repertum est ædem esse apud Antium quæ sic nuncuparetur, *cunctasque caerimonias Italicis in oppidis, templaque, & numinum effigies, juris atque imperii Romani esse.* ita donum apud Antium statuitur. Et quando de religionibus tractabatur, dilatum nuper responsum adversus Servium Maluginensem Flaminem Dialem, prompsit Cæsar, recitavitque decretum pontificum: *quotiens valetudo adversa Flaminem Dialem incessisset,* [2] *ut Pontificis maximi arbitrio, plusquam binoctium abesset: dum ne diebus publici sacrificii, neu sæpius quam bis eundem in annum.* Quæ principe Augusto constituta, satis ostendebant, annuam absentiam & provinciarum

siti. At ego Pauli verba corrupta esse censeo, neque unquam Latinis dictum aliquid *esse sequestre* aut *in sequestre.* Scribe: *Proprie autem sequestro est positum, quod à pluribus* &c. Idem spectavit Tertullianus de resurrectione cap. 51. *Hic sequester Dei atque hominum appellatus ex utriusque partis deposito commisso sibi.* Et cap. 63. *In deposito* (caro) *est apud Deum per fidelissimum sequestrem Dei & hominum, Jesum Christum.* Et de patientia: *Adeo satis idoneus patientiæ sequester est Deus, si injuriam deposueris penes eum.* Hanc quoque vim hujus vocabuli considerarunt, qui *Fortunæ Sequestri* pro Augustæ valetudine donum voverunt, nempe ut ejus salutem apud Fortunam deponerent, & huic illam custodiendam mandarent. Quod etiam votum, postquam eam dea sartam tectam habuisse visa, solverunt. Ut Domitianus in Capitolii oppugnatione ex incendio servatus *Jovi Custodi.* Gronovius. Etiam de hac voce bene merentur notæ Heinsianæ ad Ovidii Fastos 1, 287.

1 *Nullum tali cognomento erat*] Mirum vero. Nam & Livius & Valerius auctores sunt, Q. Fulvium Romæ dedicasse ædem Fortunæ Equestri. Nominat & Julius Obsequens. *C. Claudio*, inquit, *M. Perpenna Coss. bubo in æde Fortunæ Equestris comprehensus, inter manus exspiravit.* Incendio consumptam suspicemur: nisi obstaret P. Victor, qui eam collocat in regione IX. urbis suo etiam ævo: Fatebor ingenue. aliud quod pro Tacito dicam non habeo. *Lipsius.*

Nullum tali cognomento] Miraberis equitum Romanorum & Taciti conniventiam, si ex antiquitate recitetur Livii libro XL. & postea XLII. testimonium, his fere verbis: *Q. Fulvius ædem Fortunæ Equestri, quam Proconsul in Hispania dimicans cum Celtiberis voverat, annos sex postquam voverat, dedicavit: enixo factam studio, ne ullum Romæ amplius, aut magnificentius templum esset.* Ejusdem Valer. Maximus libro 1. cap. 11. & Lactantius 11. cap. VIII. meminerunt. *Vertranius.* At meminerunt ejus prioris posteriorisque temporis scriptores. Quid ergo? potuit antiquitus exstructa fuisse tali cognomento ædes, mox incendio periisse, demum post Tiberii tempora restituta esse. *Freinshemius.*

2 *Plusquam binoctium*] Ita in manuscripto Mediceo, ablegatis aliis vocibus; placetque. Licere Flamini abesse, sed consulto & consciicente Pontifice, etiam plusquam binoctium: sed dumtaxat in adversa valetudine, & cum exceptionibus quæ sequuntur. Vulgata tamen lectio erat, *dum ne plusquam*: sed novitia cum sit, quis moretur? *Lipsius.*

Ut pontificis Maximi arbitrium plusquam binoctium] Lego, *ut pontificis Maximi arbitrio ne plusquam binoctium abesses.* Rhenanus. Ita legendum arbitror, *Ut Pont. Maximi arbitrium, dum ne plusquam binoctium abesset: ne diebus publici sacrificii, neu sæpius.* &c. Ferret. Hæc, qui me audiet, ita leget, *Quoties valitudo adversa flaminem Dialem incessisses, ut pontificis maximi arbitrio, dum ne plus quam binoctium, abesset: ne diebus publici sacrificii, neu sæpius quam bis in eundem annum.* Livii libro v. Camillus dixit, *Flamini Diali noctem unam manere extra urbem, nefas est.* Collegium tamen Pontificum potuit gratiam veterum ceremoniarum fecisse, scilicet, collata sub modo in arbitrium Pontificis maximi cognitione, quomodo, & quoties, male se habenti Diali urbe abesse liceret. Quod decretum habuit, *ne diebus publici sacrificii*: non accipio de Idibus singulorum mensium, quibus Jovis flamen bove operabatur. Stata enim erant illa sacra, certoque die facienda, quibus Servius Maluginensis dixit supra, *Pontifices, si flamen valitudine impediretur, Dialia sacra fecisse.* Quod si de illis intelligas, decretum Pontificum prohibebit. Aliter igitur expono *sacrificii publici dies*, sacra popularia: ut ait Labeo, sive publica, quæ omnes cives pro populo, montibus, pagis, curiis, sacellisque publico sumptu faciebant. Auctor Pompejus Festus libro XIV. *Vertranius.* Ita ex fide Manuscripti: *Ut pontificis maximi arbitrio plusquam binoctium abesset.* Sententia videtur: Cum Flamini Diali binoctium abesse liceret, venia non petita; Pontificum decreto statutum est, ut valetudini curandæ, ultra binoctium abesse posset, arbitrio tamen Pontificis maximi. Sed hæc expositio redargui videtur, quod nullum decretum appareat, quo binoctii absentia sine Pontificis venia permitteretur. Quin immo noctem unam Diali extra urbem manere nefas, Livius libro v. Sed fortasse Augustus ut pleraque alia, ita hæc ex horrida illa antiquitate deflexit, ut innuunt sequentia: *Quæ Principe Augusto constituta* &c. *Pichena.* Multum debemus diligentiæ Pichenianæ, per quam liquet illud prius, *dum ne*,

ciarum administrationem dialibus non concedi. memorabaturque [1] L. Metelli Pontificis maximi exemplum, qui Aulum Postumium Flaminem attinuisset. Ita sors Asiæ
72 in eum, qui consularium Maluginensi proximus erat, conlata. Iisdem diebus [2] Lepidus ab senatu petivit, *ut* [3] *basilicam Pauli*, [4] *Æmilia monimenta*, *propria pecunia firmaret ornaretque.* erat etiam tum in more publica munificentia: [5] nec Augustus arguerat Taurum, Philippum, Balbum, hostiles exuvias, aut [6] exundantis opes ornatum ad urbis, & posterum gloriam conferre. quo tum exemplo Lepidus, quamquam pecuniæ modicus, avitum decus recoluit. At *Pompeji theatrum* igne fortuito haustum, Cæsar *exstructurum* pollicitus est *eo quod nemo è familia restaurando sufficeret; manente tamen nomine Pompeji.* simul laudibus Sejanum extulit, *tamquam labore vigilantiaque ejus* [7] *tanta vis unum intra damnum stetisset.* Et censuere patres *effigiem Sejano*,

invectum à mala manu, neque conspici in chirographo authentico. nam neaus sane orationis omnino requirit. *recitavitque decretum pontificum* &c. *Gruterus.* Itaque ad nullam rem bonam pertineret huc advocare, quæ scripsit Jae. Gutherius libro I. de jure Pontificio cap. 14. contra auctoritatem unici codicis plura etiam interponens.

1 *L. Metelli Pontif.*] Auctorum loca adduxi supra. *Lipsius.*

2 *Lepidus a senatu petivit*] Fæda & nulli bono serviens ineptia est, quæ occupavit illos qui sic ediderunt, quum priores ab Beroaldo acceperint *ab senatu*, quod egregius iste vir acceperat ab MS. & sancte servaverat. Cur igitur id inviderunt auctori? Sic ab iisdem concipitur voa vicina *monumenta* non hic tantum, sed etiam cap. 23. ubi utrobique in MS. eaaratur *monimenta.* Immo & lib. 4. cap. 7. Id sciri ab lectore interest, cui suppono innotuisse aliorum sententias. Quid multa? Illi qui in his locis ita agunt, aliter censuerunt 13, 23. edentes *ærarii monumenta.* Jac. Gronovius.

3 *Basilicam*] Quidam templum. Decepit eos, quod postea *basilica martyrum*, quarum apud Augustinum aliosque patres frequentissima mentio, sunt appellatæ, quæ sacella prius erant, mox ingentia templa. At Gal. recte, *le palais.* Idem enim Romanis erat *basilica*, quod jam Gallis *palais*, ædificium nimirum magnificum, in quo causæ agebantur. *Freinshemius.*

4 *Æmilia monumenta*] Bene Æmilia monumenta. Non enim unius Æmilii opus. Æmilius Paulus qui postea cum C. Marcello consul, duas Basilicas, veterem refecit, novam locavit. auctor Cicero ad Atticum lib. IV. epist. XVII. Novam interventu bellorum civilium non perfecit ipse, (ut alucinari video virum inter antiquarios primum,) perfecit sub Augusto Paullus Æmilius, qui consul anno DCCX. & postea censor. Dio libro XLIX. Καὶ τὴν στοὰν Παύλου καλουμένην Αἰμίλιος Λέπιδος Παῦλος ἰδίοις τέλεσιν ἐξῳκοδόμησε, καὶ τῇ ὑπατείᾳ καθιέρωσεν. Eam incendio consumptam refecit XX. annis post alius Æmilius, ut narrat idem Dio libro LIV. Ἡ μὲν οὖν στοὰ μετὰ τοῦτο, ὀνόματι μὲν ὑπ' Αἰμιλίου, ἐς ὃν τὸ τοῦ ποιήσαντος αὐτὴν γένος ἐληλύθει, τῷ δὲ ἔργῳ ὑπ' Αὐγούστου καὶ τῶν τοῦ Παύλου φίλων ᾠκοδομήθη. Et nunc post annos XXXV. iterum collapsam, firmavit ornavitque Manius Lepidus, is de quo diai supra. *Lipsius.*

5 *Arguerat Taurum*] Scribendum, *arcuerat.* id est vetuerat, prohibuerat. Tauri amphitheatrum intellegit in campo Martio: Marcii Philippi, ædem Herculis Musarum: Balbi, theatrum. Vide Suetonium Aug. cap. XXIX. Dionem libro LI. & LIV. *Idem.*

Nec Augustus arguerat Taurum] Placet Lipsio, *arcuerat*, id est, prohibuerat, optimo quidem sensu. Sed fortasse vulgata lectio defendi potest, si accipiamus *arguere*, pro sinistre interpretari; ut sensus sit: nec Augusto incidit suspicio, publicam illam munificentiam ad populi favorem captandum eacogitatam fuisse. *Pichena.* Recte Lipsius. Alterum via Latinum. *Arcuerat conferre*, ut Senecæ defendimus in Hippolyto v. 805. *tu licet asperos Pugnacesque deos viribus arceas. Et vasti spatio vincere corporis.* Et solenne librorum vitium est. Ovidio diu fuit libro 15. met. 72. *Primusque animalia mensis Arguit imponi.* pro *Arcuit*, Statio diu lib. 2. Theb. 630. *cur infitiatus honora Arguerim fama*, (& male defendit Gebhardus) pro *Arcuerim.* Valerio Flacco lib. 4, 317. *hac Amycum tandem manus arguit ausis.* pro *arcuit.* Gronovius.

6 *Exundantis opes*] Alias ab hostilibus manubiis intelligi, præfiaa *aut* particula denotat. Quam non temere usurpavit auctor, sed ut ostenderet, duo genera hominum ejusmodi opera exstruxisse: alios non sua impensa, sed manubiis hostilibus usos; alios privatis tantum opibus viguisse, ut huic magnificentiæ sufficerent. Et potest declarari res eaemplis. Philippus, qui hic nominatur, bellorum & perinde manubiarum eapers, ex suis bonis ædem Herculis Musarum, ut apud Suet. in Aug. cap. 29. legitur, exstruait: Statilius Taurus amphitheatrum, Dio lib. 51. Domitius autem Calvinus apud Dionem lib. 48. palatium refecit ex auro coronario. *Freinshemius.*

7 *Tanta vis unum intra damnum*] Muretus mallet, *tanta vis ignium intra damnum stetisset.* quod mihi non probatur. nam in vulgatis recte subintelligitur,

Sejano, qua [1] *apud theatrum Pompeji locaretur.* neque multo post Cæsar cum Junium Blæsum proconsule Africæ [2] triumphi insignibus attolleret, *dare id se* dixit *honori Sejani*, cujus ille avunculus erat. Ac tamen res Blæsi dignæ decore tali fuere. nam 73 Tacfarinas, quamquam sæpius depulsus, reparatis per intima Africæ auxiliis, huc adrogantiæ venerat, ut legatos ad Tiberium mitteret, *sedemque* ultro *sibi atque exercitui suo* postularet, aut *bellum inexplicabile* minitaretur. Non alias magis [3] sua populique Romani contumelia indoluisse Cæsarem ferunt, quam *quod desertor & prædo, hostium more ageret.* [4] *ne Spartaco quidem, post tot consularium exercituum clades inultam Italiam urenti, quamquam* [5] *Sertorii atque Mithridatis* [6] *ingentibus bellis labaret respublica, datum, ut pacto in fidem acciperetur: nedum pulcherrimo populi Romani fastigio, latro Tacfarinas, pace & concessione agrorum redimeretur.* Dat negotium Blæso, *ceteros quidem ad spem proliceret arma sine noxa ponendi; ipsius autem ducis quoque modo potiretur.* Et recepti ea venia plerique. mox adversum artes Tacfarinatis, haud dissimili modo belligeratum. 74 Nam quia ille robore exercitus impar, furandi melior, plures per globos [7] incursaret, eluderetque, & insidias simul tentaret; tres incessus, totidem agmina parantur. ex quis Cornelius Scipio legatus præfuit, qua prædatio [8] in Leptinos, & suffugia Garamantum; alio latere, ne Cirtensium pagi [9] impune traherentur, propriam manum Blæsus filius duxit: medio cum delectis [10] castella & muni-

ligitur, tanta vis ignis, quæ intra unum illud theatri damnum stetit, neque ulterius pervagata est. *Pichena.* Muret. *tanta vis ignium* &c. At vero vox *unum* necessaria. *Acidalius.*

1 *Apud theatrum Pompeji*] De ea Seneca, ad Marciam cap. XXII. *Decernebatur Sejano statua, in Pompeji theatro ponenda, quod exustum Cæsar reficiebat: exclamavit Cordus, Tunc vere theatrum perire.* Lipsius.

2 *Triumphi insignibus attolleret*] Freqnens Cornelio *insignium* horum mentio est: quæ observata sunt ex auctoribus, *corona pateraque aurea, sella curulis, scipio eburneus, toga picta, tunica palmata, statua laureata, nomen triumphale.* Erant autem ea lege ornamenta ejusmodi concessa, ut donato commorerentur, cui, dum viveret, eis perpetuo uti licebat. *Vertranius.*

3 *Sua populique Rom. contumelia*] Verba hæc male transposita fuerant, quæ suadente Lipsio, in suum ordinem reposuimus. *Pichena.* Parerem, si jubente unico codice, dixisset. Quod quando non ausus, illam juncturæ vulgaris horum verborum immutationem, *sua populique contumelia Romani*, haudquaqnam auribus accidere meis ingratam, quin & aliquid magnificum præferre mihi videri, fateor. *Gronovius.* Scias, Lector, illam trajectionem mihi primam occurrere in editione Aldi, quum Beroaldus & perinde ipse unicus codex promant *sua populique Romani contumelia.* idque retinendum. *Jac. Gronov.*

4 *Ne Spartaco quidem*] Spartacus, Oenomaus, & Crixus, effracto Capuæ Lentuli ludo, in quo alebantur cum LXXIV. gladiatoribus, bellum servile in Italia concitarunt, & vocatis ad vexillum servis, occuparunt montem Vesuvium. Vicerunt P. Vatinium Prætorem, & Claudium Pulchrum Legatum, anno IↃCLXXX. Anno seqnenti vicerunt Cn. Lentulum Consulem. Anno IↃCLXXXII. confecti sunt à M. Crasso Prætore, qui de eis ovavit lauro coronatus. *Muretus.*

Sertorii atque Mithridatis] Sertorianum bellum excitatum erat anno IↃCLXXIII. Confectum est à Pompejo, anno IↃCLXXXII. Bellum autem adversus Mithridatem cæpit anno IↃCLXV. post R. C. Confectum anno IↃCLXX. *Muretus.*

6 *Ingentibus bellis labaret*] Non damno *labaret.* Sed erit opinor, cui verbum id grave nimis videbitur, magisque probabit, *laboraret.* Acidalius.

7 *Incursaret, eluderetque*] Re scilicet ipsa factisque, non verbis insultando. *Freinshemius.*

8 *In Leptinos*] Eos intelligit qui Leptim Africæ urbem colunt. at illi ubique, etiam apud nostrum, *Lepitani* vocantur; nusquam, quod sciam, *Leptini*, ut vitium videatur irrepsisse oscitantia librarii, & proclivi in his talibus lapsu. *Freinshemius.*

9 *Impune traherentur*] Scio quidem *trahendi* hanc quandoque significationem esse, quæ his supra 2, 52. *compellere in eadem* vel cogere ad easdem partes suscipiendas, ut H. 2, 100. Sed ipsa res, ex cujus ingenio verborum ambiguitas explicanda est, non patitur aliud esse *trahere*, quam diripere, deprædari, populari. Sic H. 3, 33. *pecuniam vel gravia auro templorum dona, sibi quisque trahunt.* Et facit adjecta vox *impune*, hunc inesse verbo sensum: item, quod in pagis nullum fuisset operæ pretium in partes trahendis. *Freinshemius.*

10 *Castella & munitiones.*] *Oppida* frequentiores & ampliores hominum conventus facere; *Castella* minores atque angustiores, sed murorum tamen ambitu utraque circumsepta, sicuti *vici* sine muris. Quod autem *castellum* locus munitus esset, constat

 ex

munitiones idoneis locis imponens, dux ipſe, arta & infenſa hoſtibus cuncta fecerat; quia quoquo inclinarent, pars aliqua militis Romani in ore, in latere, & ſæpe à tergo erat: multique eo modo cæſi, aut circumventi. Tunc tripartitum exercitum plures in manus diſpergit, præponitque centuriones virtutis expertæ: nec, ut mos fuerat, acta æſtate retrahit copias, aut in hibernaculis veteris provinciæ componit: ſed ut in limine belli, diſpoſitis caſtellis, per expeditos & ſolitudinum gnaros, mutantem mapalia Tacfarinatem proturbat. donec fratre ejus capto, regreſſus eſt, properantius tamen quam ex utilitate ſociorum, relictis per quos reſurgeret bellum. Sed Tiberius pro confecto interpretatus, id quoque Blæſo tribuit, ut *imperator* à legionibus ſalutaretur; priſco erga duces honore, qui bene geſta republica gaudio & impetu victoris exercitus conclamabantur: erantque plures ſimul Imperatores, nec ſuper ceterorum æqualitatem. conceſſit quibuſdam & Auguſtus id vocabulum; ac
75 tunc [1] Tiberius Blæſo poſtremum. Obiere eo anno viri inluſtres [2] Aſinius Saloninus M. Agrip-

ex Cic. ſcribente in Epiſt. *Multa caſtella cepi, multa vaſtavi.* Et ad Att. *Caſtellum natura munitum.* Ab eadem ſimilitudine in acie *caſtella mobilia*, non *ſtabilia* vocata à Tacito & aliis, quod ex Taciti ejuſdem verborum ſerie facile dignoſcitur, dum inquit: *Caſtella & munitiones idoneis locis imponens.* Erant itaque *caſtella* in acie propugnacula, quæ in procinctu portabantur, ex aſſeribus, ſive alia conſimili materia fabricata, ad caſtra metandum quam maxime apta, ita dicta à ſtabilium caſtellorum ſimilitudine & uſus convenientia. *Donatus.* De caſtellis mobilibus in acie ſomnium lepidum. *Gronovius.*

1 *Tiberius Blæſo*] Diſtinguo locum, *Blæſo poſtremum. Obiere eo anno*, non levi ad hiſtoriam momento. Olim & libera rep. multi Impp. dicti, ut quiſque rem ſuis auſpiciis bene geſſiſſet. Diſplicuit Auguſto, & ut reliquos honores in ſe, ſic & hoc nomen traxit. quod communicatum poſtea cum paucis, & fere non niſi ex gente Auguſta. Tiberius tamen hic Blæſum Imperatoris nomine inſignit: eumque è privatis poſtremum. id eſt, ut poſtinde ſoli Principes eo titulo ſint uſi, nemini ultra conceſſo ſubditorum. Vellejus: *Junius Blæſus proconſul in Africa, ornamenta triumphalia, cum appellatione Imperatoria meruit.* Neque etiam indignum nota, quod obſervamus in nummis & inſcriptionibus, Imperatoris titulum cum Principis eſt, præponi; cum victoris, ſubjungi. hoc modo. *Imp. Cæſar Auguſtus*, &c. contra *Junius Blæſus Imp. M. Tullius Cicero Imp.* Quod etiam è Suetonii Julio colligas capite LXXVI. cujus id inventum. *Lipſius.*

Tiberius Blæſo poſtremum] In vulgatis ita diſtinguebatur, *ac tunc Tiberius Blæſo. Poſtremum obiere* &c. Nos ex MS. melius diſtinximus, idque prævideratLipſius ex ingenio. *Pichena.*

2 *Aſinius Saloninus*] Aſinio Pollioni oratori & hiſtorico filius natus Aſinius Gallus, quem captis Salonis Dalmatica urbe agnomento dixit Salonium. Servius auctor in Virg. ecl. III. Etſi id cognomen Tacitus & Dio illi nuſquam tribuunt, contenti dixiſſe Aſinium Gallum. Is Saloninus duxit Vipſaniam, Agrippæ filiam; dimiſſam paullo ante à Tiberio, qui ex ea ſuſtulerat Druſum. Hoc eſt quod Tacitus lib. I. ſcripſit: *Nec Gallus ideo iram ejus lenivit, pridem invuſus tamquam ducta in matrimonium Vipſania M. Agrippæ filia, quæ quondam Tiberii uxor fuerat, pluſquam civilia agitaret.* Habuit ex ea liberos complures. Virilis ſexus iſtos, C. Aſinium Saloninum, de quo hic: Aſinium Gallum, de quo Suetonius, & Dio. Aſinium Pollionem, qui conſul anno urbis DCCLVI. de quo Plinius, Tacitus, Dio & Faſti: Aſinium Agrippam, de quo libro ſequenti: Aſinium Celerem, quem conſularem Plinius nominat & ponit ſub Principe Cajo. Nec vanum eſt, quod ir buo tam multos. Jubet hoc Tacitus lib. VI. ubi de morte Aſinii Galli patris: *Scilicet medio triennio defuerat tempus ſubeundi judicium conſulari ſeni, tot conſularium parenti.* Cui loco abunde lucem fecerint iſta. Supereſt ut virum doctum eripiam è luto. qui hæret, quomodo hic Aſinius Saloninus Druſi frater mortuus dicatur, quem Suetonius & Dio vivum ponunt Claudii ævo? Nam Suetonius ecce, capite XIII. in Claudio: *Conſpiraverant ad res novas Gallus Aſinius & Statilius Corvinus, Pollionis ac Meſſallæ oratorum nepotes.* & Dio lib. ultimo: Ἀσίνιος δὲ δὴ Γάλλος ὁ τοῦ Δρούσου πρὸς μητρὸς ἀδελφὸς ἐπεβούλευσε μὲν τῷ Κλαυδίῳ, &c. Itaque quaſi in pugna clara, concludit: *Quod verum ſit, Deus aliquis viderit.* Imo ego homo. Frater enim hic Salonini, non ipſe: ne ultra turbes, & in ſimpulo, quod dicitur, excites fluctus. *Lipſius.*

Aſinius Salonius] Lectu hoc facile, intellectu difficillimum eſt. Servius meus ad Virgilium Ecloga III. ſcribit, *C. Aſinio Pollioni poſt captas Salonas Dalmatiæ, natum filium, dictum Saloninum.* Is tam Dioni quam Cornelio C. Aſinius C. F. à Tiberio dimiſſam Vipſaniam duxit, ex eaque Aſinium ſuſtulit. Hic ſuperſtite patre oritur, & ſuperſtite uterino Druſo: erant enim Vipſania, M. Agrippæ filia, nati ambo: ſed Tiberio patre, Druſus: Aſinio Gallo, Aſinius, cui patris cognomen *Saloninus*, conve-

M. Agrippa & Pollione Asinio avis, fratre Druso insignis, [1] Cæsarique progener destinatus: & Capito Atejus, de quo memoravi, principem in civitate locum [2] studiis civilibus adsecutus; sed avo centurione Sullano, patre prætorio. [3] consulatum ei adceleraverat Augustus, ut Labeonem Antistium iisdem artibus præcellentem dignatione ejus magistratus anteiret. Namque illa ætas duo pacis decora simul tulit. sed [4] Labeo incorrupta libertate, & ob id fama celebratior: Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur. Illi, quod præturam intra stetit, [5] commendatio ex injuria;

convenientius à Tacito scriptum fuerit. Ergo hujus Asinii, quo de loquimur, avi fuere paternus C. Asinius Pollio, maternus M. Vipsanius Agrippa. Sed in hoc mirum est auctorum dissidium. Tacito nepos Asinii Pollionis, moritur hoc loco: Contra Cassius habet libro LX. *Asinius Gallus Drusi frater uterinus insidiatus est Claudio Cæsari.* Idem Tranquillus Claudio, XIII. inquit, *Conspiraverant ad res novas Gallus Asinius & Statilius Corvinus, Pollionis & Messalæ oratorum nepotes.* Vertranius. Lapis Puteolanus:

CN. ASINIO
POLLIONIS. ET. AGRIPPÆ.
NEPOTI
PVTEOLANI. PATRONO.
PVBLICE

Lipsius quinque Pollionis è Gallo filio nepotes recenset, nullum Cnæum nominat. Ex iis M. cognomine Agrippa Cos. A. U. 777. non Cajo Asinio Gallo, sed Marco, qui alter C. Pollionis filius erat, natus esse videtur: & ex hujus filia M. Asinius Marcellus Esernius; de quo Caji patris nepote Suet. Oct. c. 43. Fuit eodem tempore Asinius Pollio Trallianus Sophista & Historicus, cujus adfinitatem cum Romano isto ostendas. Non dubito Suidam, & qui eum sequuntur in numerandis duorum cognominum coævorum scriptis turbare. Item Casaub. comm. ad Strab. lib. 4. fol. 56. qui Asinium à Strabone laudatum de Rheni longitudine & binis ostiis, Pollionis filium Quadratum, qui res Germanicas scripsit, esse opinatur. *Rupertus.*

1 *Cæsarique progener*] Uti aliquam duceret è liberis Germanici. *Lipsius.*

Progener destinatus] Ut aliquam Germanici filiam duceret. *Muretus.*

2 *Civilibus studiis*] *Civilia studia* opponit bellicis, opinor. suntque eadem quas sup. 3, 70. *bonas domi artes* vocaverat. nisi quod *domus* eo loco, publicis opponitur, ut dictum est; & *bona artes*, sicut hic quoque *civilia studia*, præcipue quidem ad juris peritiam. non tamen unam, referenda sunt. Nam *ceterarum quoque bonarum artium non expers fuit; & in Grammaticam sese, atque Dialecticam literasque antiquiores altioresque penetraverat*, Agellio teste 13, 10. Nec dicit auctor, inter JCtos principem locum adsequutum esse Capitonem: verum non claritudine generis, non virtute militari, sed studiis civilibus, ad summas in urbe dignitates evectum fuisse. *Freinshemius.*

3 *Consulatum*] Quem cepit inter suffectos anno urbis DCCLIX. Lapis priscus Romæ:

C. ATEIO. CAPITONE. C. VIBIO.
POSTVMO. COS.

Lipsius.

Consulatum ei acceleraverat] Anno IↃCCLIX. 10. Calend. Julii cum C. Vibio Postumo. *Muretus.*

4 *Labeo incorrupta libertate*] Patrem æmulatus, virum præclarum & prudentem, qui bello Philippensi pro libertate fortiter occubuit. Appianus lib. IV. *Λαβεὼν δὲ ἐπὶ σοφίᾳ γνώριμος, ὁ πατὴρ Λαβεῶνος τοῦ κατ' ἐμπειρίαν νόμων ἔτι νῦν περιωνύμου, τῷ πιστοτάτῳ τῶν οἰκετῶν τὰς δεξιᾶς λαβόμενος, καὶ περιστρέψας αὑτὸν ὡς ἔθος ἐστὶ Ῥωμαίοις ἐλευθεροῦν, ἐπιστρεφομένῳ ξίφος ἔδωκε, καὶ τὴν σφαγὴν ὑπέσχε.* *Lipsius.*

5 *Commendatio ex injuria*] Antistius ille Labeo agebat incurrupta libertate: *agitabat hominem* (ait adversarius ejus Atejus apud Gell. 13, 12. *libertas quædam nimia atque vecors, usque eo ut D. Augusto jam principe, & remp. obtinente, ratum tamen pensumque nihil haberet, nisi quod justum, sanctumque esse in Romanis antiquitatibus legisset.* Hæc ille, qui sub Augusto servilem in modum subblandiebatur, nec sub Tiberio dedidicerat morem inveteratum. Tac. hoc lib. c. 70. Sueton. in Grammat. cap. 22. Sed quanam *injuria* affectus Labeo, si ei quoque consulatus oblatus est ab Augusto? ut refert Pompon. l. 2. §. 47. D. de orig. jur. Putabam Labeonem suffici noluisse, nam *suffectus* is plerumque dicitur, quem substituunt in locum vita functi: idque (opinor) non erat in ea dignatione, qua electio prima. Suffectus enim nomen famæ non tantum inferebat, quam prior, quod omnia nomine demortui semper signabantur. Verum nihil promovemus, quia Atejus etiam inter suffectos recensetur. Utri horum credam? Cornelio, cum propius vero sit Augustum procul eum à consulatu esse voluisse, ut hominem præfractæ nimis & invictæ libertatis. Nec esset absurdum, si diceremus Pomponium, ut Proculianum, subblanditum esse Antistio Labeoni, cujus ipse sectam profitebatur: idque ne adversa nempe Cassiana, (quæ Atejum Capitonem venerabatur) dignatione præcedere videretur. Dixi Pomponium inter Proculianos fuisse, hæc me induxerunt. l. 12. D. de negot. gest. Pomponius Proculum sequitur, quod non fecisset, si unus ex ejus sectatoribus non fuisset, cum alias diversæ factiones acerrime inter se digladientur. At adversatur lex 40. D. de recep. arbit. Ubi ecce eum Cassianum,

76 juria; huic, quod consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur. Et [1] Junia sexagesimo quarto post Philippensem aciem anno supremum diem explevit, Catone avunculo genita, C. Cassii uxor, M. Bruti soror. Testamentum ejus multo apud vulgum rumore fuit; quia in magnis opibus, cum ferme cunctos proceres cum honore nominavisset, Cæsarem omisit. quod civiliter acceptum: neque prohibuit quo minus laudatione pro rostris, ceterisque solennibus funus cohonestaretur. Viginti clarissimarum familiarum imagines antelatæ sunt, [2] Manlii, Quinctii, aliaque ejusdem nobilitatis nomina: [3] sed præfulgebant Cassius atque Brutus, eo ipso, quod effigies eorum non visebantur.

num. Non decedam tamen de sententia, duos enim invenio Jurisconsultos nomine Pomponios. l. 24. D. de rei vindic. *Salinerius.*

1 *Junia Catone avunculo*] D. Junius Silanus, qui consul cum L. Licinio Murena, uxorem habuit Serviliam sororem M. Catonis. Ex iis nata hæc Junia soror M. Bruti per matrem (nam Bruti pater fuit M. Junius Brutus) Tertia vel Tertulla cognomento: de qua notus Ciceronis jocus, Tertia deducta est. Diversa igitur ab hac Junia, de qua Vellejus: *M. Lepidus juvenis, Lepidi ejus qui* III. *vir fuerat reip. constituendæ filius; Junia Bruti sorore natus.* Nam hæc uxor Lepidi fuit: nisi si ante Cassii, quod non opinor. *Lipsius.*

2 *Manlii, Quinctii*] Quare Manlii? quia Junii Silani, innexi Manliæ genti. T. Manlius Torquatus filium in adoptionem dedit D. Silano. de quo Ciceronem vide 1. de Finibus, Valerium libro v. capite VIII. De Quinctiis nihil dum repperi. *Lipsius.*

3 *Sed præfulgebant Cassius atque Brutus, quod effigies eorum non visebantur*] Immo visebantur. Tacit. l. 4. ann. *Quæ modo imaginibus suis noscuntur, quas nec victor quidem abolevit.* Habebantur domi & in publico, sed ut majestatis damnatorum in funeribus non præferebantur. lib. 2. ann. *Tum Cotta Messalinus, ne imago Libonis exequias posterorum comitaretur censuit.* Hæc autem duo lumina Romanæ gentis parricidæ dicebantur. Nec fidem abrogat jam dictis, quod cultor domi Cassianæ effigiei pessundatus sit: imperator enim arripuit ansam perdendi ex inscriptione. *Objectavitque Cassio, quod inter imagines majorum, etiam C. Cassii effigiem coluisset, ita inscriptam, Duci partium.* Salinerius.

C. COR-

C. CORNELII TACITI
AB
EXCESSU DIVI AUGUSTI
ANNALIUM
LIBER QUARTUS.

Breviarium Libri.

Ælii Sejani præfecti præt. ingenium & mores. Is ad dominationem adspirat: & ut perveniat, Drusum Tib. Filium è medio tollit, adjuvante uxore Livia, quam stupro prius polluerat. Eidem fini castra Prætoria Romæ jubet exstrui, & militem in unum locum conduci. Ab hoc tempore lapsæ imperii res. Ideoque qui status tunc rerum, quis numerus, quæ loca cohortium & legionum, Tacitus opportunè exsequitur. At Druso jam mortuo, Senatum Princeps ingreditur: Germanici duos filios inducit, eosque ut imperii heredes patribus commendat. Sejanus quò destinata perficeret, Agrippinam callidè calumniatur, & semina futuri odii in ipsam liberosque jacit. Tiberius legationes & accusationes aliquot civitatum & provinciarum audit. Histriones sive Pantomimos immodestius agentes Italiâ pellit. De Flamine Diali ejusque cærimoniis temperandis nova lex lata. Sacerdotes, sollennibus votis, etiam Drusum & Neronem Diis commendaverant. ægre id Tiberius tulit, & initium in eos exitii fuit. C. Silius ex amicis Germanici damnatus. Cn Piso, C. Cassius, Plautius Silvanus, accusati aut damnati. In Africa Tacfarinatis bello finis impositus à P. Dolabella. ipse Tacfarinas cæsus. Semina servilis motus in Italiâ, sed statim oppressa. Q. Vibius Serenus in Senatu à filio accusatur, & Amorgum amovetur. P. Suillius, aliique damnantur. Inter eos Cremutius Cordus historiæ scriptor, quod Brutum & Cassium laudavißet, ejusque libri combusti. Cyzicenis libertas adempta. Templi honorem ab Hispanis oblatum Tiberius spernit. Sejanus rebus ex voto adhuc fluentibus, altiora struit: & Liviam sibi uxorem à Principe petit. hic modeste negat, additis caussis. Sed ille ut potentiam sibi augeret, magisque opportunum Tiberium haberet, perpulit eum ad secessum ab urbe. nec multò post persuasit. Intereà Romæ legationes Græcorum auditæ, de jure asylorum. In Hispaniâ

niâ L. Piso prætor à quodam agreste interficitur. In Thracia, montani Thraces dilectus abnuunt, arma sumunt. vicit eos Poppæus Sabinus, & triumphi insignia accepit. Claudia Pulchra Romæ adulterii accusata & damnata. Agrippina maritum sibi postulat, nec accipit. Undecim Asiæ civitates certant, in qua earum templum Tiberio statueretur. Smyrnæi prælati. Tandem Tiberius, non ultra dilato consilio, in Campaniam ab urbe abiit. ubi in speluncâ quadam, repentino lapsu lapidum, periclitatur: sed à Sejano servatur. quæ res huic fidem addidit. Igitur Neronem majorem è liberis Germanici aggreditur, & variis artibus calumniisque subvertit. Amphitheatri casu Fidenis multa hominum millia debilitata, vel obruta. Romæ ingens incendium Cælium montem deurit. Princeps Capreas insulam transit, ibique se recondit. Titus Sabinus turpi fraude circumventus accusatur, damnaturque ipsis anni Kalendis. Julia neptis moritur. Frisii rebellant: quos L. Apronius Proprætor inferioris Germaniæ parum feliciter repressum iit. Cn. Domitius Agrippinam Germanici filiam uxorem accepit. Hæc sexennio fere gesta,

C. Asinio, C. Antistio.
Cornelio Cethego, Visellio Varrone.
Cosso Lentulo, Asinio Agrippa.
Cn. Lentulo Gætul. C. Calvisio.
M. Licinio Crasso, L. Calpurnio Pisone.
Ap. Iunio Silano, P. Silio Nerva.
} Coss.

1 Asinio C. Antistio Coss. [1] nonus Tiberio annus erat [2] compositæ reipublicæ, [3] florentis domus: [4] (nam Germanici mortem inter prospera ducebat) cum repente [5] turbare fortuna cœpit; [6] sævire ipse, aut sævientibus

COMMENTARIUS.

1 N*onus Tiberii annus erat*] Nam quatuor illi menses ejus anni, quo duo Sexti Pompejus & Appulejus consules fuerunt, non numerantur in annis Tiberii. Fuit autem hic annus ab urbe condita DCCLXXV. ut auctor est Plinius l. 33, 2. *Muretus.* Quidam x. sed falso. quanquam enim connumeratis Sex. Pompejo Appulejoque Coss. decimi hi fuerint Consules, ex quo Tiberius principatum susceperat, tamen nondum exacti erant novem anni a. XIV. Cal. Septembr. quo die Augustus decesserat; ad Cal. Januar. quibus consulatum C. Asinius C. Antistius inierunt: sed adhuc currebat quartus noni anni mensis. *Freinsh.*

2 *Composita respubl.*] Nam in urbe pacata erant omnia, externa bella virtute Germanici composita erant. *Muretus.* Non à Tiberio inductam quietem, quæ sub Augusto maxime floruerat, sed conservatam sentit Tacitus. *Idem.*

3 *Florentis domus*] Nihil enim ipsi, quod nollet, acciderat. *Florere* dicuntur, qui vigent. Lucretius; *Tum latas urbes pueris florere videmus.* Hesiodus, *θάλλουσι δ' ἀγαθοῖσι διαμπερές. Muretus.*

4 *Nam Germanici mortem*] Hoc mirum videri non debet, nam semper suspecta & formidolosa tyrannis est aliena virtus. *Regibus boni quam mali suspectiores sunt: semperque his aliena virtus formidolosa est*, Sallust. in Catilin. Aristotel. 5. Polit. Unum præceptum tyrannidis conservandæ, ait esse tollere *τὰς φρονηματίας*. Itaque multi contemptu vitarunt periculum. *Brutus erat stulti* &c. *Idem.*

5 *Turbare*] Turbida esse. Hic notanda rerum humanarum instabilitas & inconstantia, quæ cum prosperrime fluere videntur, tum periculi plenissimæ sunt. Cum enim eodem in statu manere non queant; ubi ad summum venere, in deterius mutentur necesse est. Hippocrates ait, *τὴν εὐεξίην,*

ὅταν

tibus vires præbere. [1] Initium & caussa penes [2] Ælium Sejanum, cohortibus prætoriis præfectum, cujus de potentia supra memoravi: nunc originem, mores, & [3] quo facinore [4] dominationem raptum ierit, expediam. [5] Genitus Vulsiniis, [6] patre Sejo Strabone equite Romano, & prima juventa C. Cæsarem divi Augusti nepotem sectatus, non sine rumore [7] Apicio diviti & prodigo stuprum veno dedisse: mox Tiberium variis artibus devinxit adeo, ut obscurum adversum alios, sibi uni incautum

ὅταν ἐς ἄκρον ἵκῃ, ἐπικινδυνοτάτῳ εἶναι. Ita est & in Fortuna. Ac profiteor me cum Fortunam dico, eam intelligere, de qua Catilinar. I. copiose disserui. *Idem.*

6 *Sævire ipse aut*] Utrumque æque noxium populis. *Idem.*

1 *Initium & causa*] Non sunt omnino idem, etsi in posterioribus videatur Arist. utrumque confudisse, sed in principio quarti *τῶν μετὰ τὰ φυσικά* (ut quidem Græci dividunt) hæc duo distinguuntur. Legendus Simplicius principio *φυσικῆς ἀκροάσεως.* *Idem.*

2 *Ælium Sejanum*] Funestum hoc Romanis caput patrem habuit Sejum Strabonem: sed in adoptionem datus alicui ex Æliis, dictus mutato inflexoque, ut solet, patris nomine, L. Ælius Sejanus. Id enim prænomen illi Dio dat lib. LVII. At in nummo æreo legi adfirmat mihi quidam Tiberium Sejanum, cujus hæc inscriptio: TI. CÆSAR. DIVI. AVGVSTI. F. AVGVSTVS. AVGVSTA. BILBILIS. parte altera, corona è quercu. TI. ÆLIO. SEIANO. Non vidi ego. *Lipsius.*

3 *Quo facinore*] Nece Drusi, quem veneno sustulit. *Idem.*

4 *Dominationem captaverit*] Probum videbatur: & captavit certe, non cepit. Tamen cum in Mediceo sit, *raptum perit*, placet quod Pichena efformat, *raptum ierit.* Idem.

Quo facinore dominationem raptum ierit] Cum Manuscr. habeat, *raptum perit*, mihi facilius veriusque visum est corrigere, *raptum ierit*, quam, *captaverit*, ut in vulgatis. Sic lib. II. histor. *Mox ut Othonem ac Vitellium scelestis armis res Romanas raptum ire, vulgatum est.* Pichena.

5 *Genitus Vulsiniis*] Quia ergo Vulsiniensis Sejanus, ideo acute & non sine morsu Juvenalis:

— idem populus, si Nortia Thusco
Favisset, si oppressa foret secura senectus
Principis, hac ipsa Sejanum diceret hora
Augustum.

Nam Nortia, vel potius, ut libri meliores, Nurscia, Volsiniensium peculiaris dea. Livius lib. VII. *Volsiniis quoque clavos indices numeri annorum fixos in templo Nursciæ Etruscæ deæ diligens talium monumentorum (auctor) Cincius adfirmat.* Ubi velim deleri minutum illud glossema, quod circumscripsi. Tertullianus: *Asculanorum Ancaria dea, Volsiniensium Nurscia, Ocriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia.* Lipsius.

6 *Patre Sejo Strabone*] Qui & ipse prætoriis cohortibus præfuit: sed in Ægypti administrationem misso, solus deinde filius. Ob hæc officia, attollit magnifico elogio Vellejus: *Sejanus Ælius, principe equestris ordinis patre natus, materno vero genere clarissimos, veteresque & honoribus insignes, complexus familias.* Quod autem maternum genus? Junium, ut opinor: hoc argumento, quod *Junius Blæsus Proconsul Africæ, avunculus* ei fuit. Tacitus libro III. extremo. *Idem.*

7 *Apicio diviti*] Quod idem Dio adfirmat libro LVII. qui M. Gavium Apicium nominat. Sed Apicios ejusdem notæ & luxus tres reperio. Primum, qui Athenæo nominatus libro IV. cap. XX. qui veteri rep. vixit, quemque a Posidonio celebratum ait, & auctorem fuisse, ut Rutilius in exsilium mitteretur. Alterum, qui Augusti & Tiberii ævo. de quo noster hic, & Seneca Consolat. ad Elbiam: *Apicius nostra memoria vixit, qui in ea urbe ex qua aliquando Philosophi ut corruptores juventutis abire jussi sunt, scientiam popinæ professus, disciplina sua sæculum infecit.* Qui idem Plinio dictus *nepotum omnium altissimus gurges:* & de cujus deliciis volumen Appioni Grammatico scriptum, lego in Athenæi libro VII. At tertium, qui in imperio Trajani, cujus mentio apud Suidam in Ὄστρεα. *Τραϊανῷ ἐν Πάρθοις ὄντι καὶ τῆς θαλάσσης ἀπέχοντι ἡμερῶν πολλῶν ὁδόν, Ἀπίκιος ὁ ὀψοφάγος ὄστρεα νεαρὰ διεπέμψατο ὑπὸ σοφίας τεθησαυρισμένα.* si tamen Trajani ibi vox incorrupta. *Idem.*

Apicio] Seneca 14. Epist. Plinius 8, 15. & 9, 17. & 10, 48. Dio lib. 57. Fuit & alius Apicius eodem ingenio præditus, quem usque in Parthos ostrea misisse ad Trajanum Atheneus refert: cum artem quandam eorum recentium conservandorum in longitudinem excogitasset. Extant & tertii cujusdam Apicii libri aliquot de re coquinaria. *Muretus.*

Prodigo stuprum veno dedisse] Ita Man. & alibi Tacitus simili modo locutus. Vulgo, *venum dedisse.* Pichena. Ad quod si adhæsisset acrius industria Ryckii, plus profuisset Tacito, quam Apicios effodiendo. Certe quum & ipse id viderim, non dubitavi sequi Pichenæ monitum & in ipso contextu: præsertim quum velleret aurem Cynthius in Minerva Sanctiana, non solitus indictum relinquere, quod credit placere posse, in Tacito alioquin valde rarus. Sed ignotum aliquid antehac de illa voce cernes 13, 25.

Diviti & prodigo] *Ἀσώτῳ. κατὰ τὸν δεύτερον τρόπον τῶν ὑπ' Ἀριστοτέλους λεγομένων, ἐν τῷ Δ. τῶν ἠθικῶν.* Hic ipse libro II. *Ob magnitudinem infamiæ, cujus apud prodigos novissima voluptas est.* Muretus.

tum intectumque efficeret: non tam [1] sollertia, (quippe iisdem artibus victus est) [2] quam Deum ira in rem Romanam, cujus [3] pari exitio viguit, cecciditque. Corpus illi laborum tolerans; animus audax, sui obtegens; in alios criminator; juxta adulatio & superbia; palam compositus pudor; intus summa apiscendi libido, ejusque caussa modo largitio & luxus, sæpius industria ac vigilantia, [4] haud minus no-
2 xiæ, quotiens [5] parando regno finguntur. Vim præfecturæ modicam [6] antea intendit, [7] dispersas per urbem cohortes [8] una in castra conducendo; ut simul imperia acciperent, numeroque & robore, & visu inter se, [9] fiducia ipsis, [10] in ceteros metus crederetur.

1 *Sollertia*] Ἀγχινοία. *Idem.*

2 *Quam Deum ira*] Recte judicabant, irato Deo, maxima mala & publice, & privatim evenire. *Memini relinqui me Deo irato meo.* Virg. 2. Æneid. *Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum Confusam eripuit mentem.* Cat. *Quis Deus tibi non bene advocatus Vecordem parat excitare rixam?* Virg. 10. Aen. *Quis Deus in fraudem, quæ dira potentia nostra Egit?* Homer. Τίς τ' ἄρ σφῶε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι. Non desunt recentia exempla. *Idem.*

3 *Pari exitio viguit, ceciditque*] *Vigens* Sejanus, pravorum consiliorum auctor Tiberio fuit, struxit insidias multis, inimicosque aut suspectos pessum dedit. *Cadens* ruina sua traxit amicos, qui fere omnes à Principe Senatuque, exilio, aut morte multati fuerant. *Pichena.*

4 *Haud minus noxia*] Noxia sunt in eo, qui (ut Sejanus) affectat imperium, largitio & luxus; nam voti compos, supplet per scelera, quod ambitione exhaustum fuit. Sic æque damnosæ sunt industria & vigilantia simulatæ, quia post in contraria vitia gravius erumpunt. Tacit. 2. Hist. *Otho interim contra spem omnium non deliciis, neque desidia torpescere, dilata voluptates, dissimulata luxuria, & cuncta ad decorem imperii composita: eoque plus formidinis afferebant falsæ virtutes, & vitia reditura.* Inde etiam Tiberius, quanto intentius olim ad *publicas curas, tanto occultior in luxus & malum otium resolutus.* hæc sibi noster derivavit de Sallustii fonte, in Jugurth. *Scio ego, Quirites, plerosque non iisdem artibus imperium à vobis petere, & postquam adepti sunt gerere, primo industrios, supplices, modicos esse, dein de per ignaviam ætatem agere.* Salinerius.

5 *Parando regno finguntur*] Angl. *Dissemblingly used to win à Kingdome.* Neque *fingi* neque *regnum* recte expositum puto. Nam immensum distat, *fingat*, h. e. simulet aliquid aliquis, an vero dissimulanter eo utatur: ibi enim videri vult, quod non est; hic, quod est, non videri. Deinde *regnum* latius patet quam *Kingdome*; neque enim tantum de ea potestate, quæ regi proprie sic dicto competit; aut pro imperio, cui præest, ponitur; sed indistincte pro omni dominatione, quocumque nomine appelletur. Vide quæ notavimus in Indice Floriano, voce *Regius.* Freinshemius.

6 *Antea intendit*] Ἐπέτεινε. *Muretus.*

7 *Dispersas per urbem*] Non per urbem modo, sed per opida vicina dispersæ fuerunt Prætoriæ cohortes, ex Suetonii cap. XLIX. in Augusto: *Neque unquam plures quam tres cohortes in urbe esse passus est, easque sine castris: reliquas in hiberna & æstiva circa finitima opida dimittere assuerat.* Lipsius.

Dispersas per urbem cohortes] Sueton. Tib. 37. *Romæ castra constituit, quibus prætorianæ cohortes, vagæ ante id tempus, & per hospitia dispersa continerentur.* Muretus.

8 *Una in castra*] Inter portas Viminalem & Tiburtinam. *Idem.*

9 *Fiducia ipsis*] Xenoph. libro 2. Κύρου παιδείας. *Idem.*

10 *Metus crederetur*] Monuit me Josias Mercerus legendum videri, *dederetur*, vel *dideretur*, quod verbum sane ubique in Tacito velut fataliter corruptum. In manuscripto ajunt esse *crederetur*: si quis aliud forte eruet. *Lipsius.*

Inter ceteros metus crederetur] Faërnus pro corrupto verbo, *crederetur*, reponebat, *oriretur*. Sed legi etiam posset; *cresceret*. Ut vult etiam Muretus. *Ursinus.* Quæ mihi & aliis visa, nunc damno. Verius est quod video placuisse doctissimo Savilio *crearetur*. Mercerus. Doctissimus vir *dederetur* vel *dideretur*. idque non hic tantum, sed ubicumque hoc verbi invenitur. Reor τὸ *crederetur*, (licet *credetur* levi macula legatur in Flor.) idem valere quod *esset* ut *credebatur* pro *erat*. *cui tamen asperitatis etiam adversus levia credebatur*, ubi si substituas *dederetur* sive *dideretur*, nugas egeris magnas. Verum audi eadem Græco sermone. Xiph. in Tib. ὅπως τὰ παραγγέλματα, καὶ ἀθρόως, καὶ διὰ ταχέων λαμβάνοιεν, καὶ φοβεροὶ πᾶσιν ὅτι καὶ ἐν ἑνὶ τείχει ὄντες ὦσι. i. e. *ut congregati citius jussa capesserent, & omnibus (veluti unis in castris) formidabiles essent.* Salinerius. Ego vulgatam lectionem utcumque non sperno. Quod scilicet Sejanus, cohortes in una castra conducendo, Tiberium ipsum, ac populum Rom. decipere cogitaverit: ea specie, ut illam militum conjunctionem, ad ipsorum fiduciam, & ceterorum metum, crederent; cum re vera ad potentiam sibi sedulo parandam pertineret. *Pichena.* Rectissime Mercerus, *dideretur*. Hoc sensu libro hoc ipso inferius. *Quanto majore mole procideret, plus formidinis in alios dispergatur.* *Acidalius.* Male hæc ita scribi & alii notarunt: sed quod substituunt *dideretur* fiduciæ non convenit. Ego pro *crederetur* omnino scribendum esse

crederetur. [1] Prætendebat *lascivire militem diductum: si quid subitum ingruat, majore auxilio pariter subveniri: & severius acturos,* [2] *si vallum statuatur* [3] *procul urbis illecebris.* Ut perfecta sunt castra, inrepere paulatim militares animos, [4] adeundo, appellando: simul centuriones ac tribunos ipse deligere. [5] neque senatorio ambitu abstinebat, clientes suos honoribus aut [6] provinciis ornando, facili Tiberio, atque ita prono, ut *socium laborum*, non modo in sermonibus, sed apud patres & populum celebraret, [7] colique per theatra & fora effigies ejus, [8] interque principia legionum sineret.

esse arbitror *cresceret.* Grotius. Quid si reponas *crearetur.* id sane proxime abesset à manuscripti, quem citant, scriptione *crederetur: & creare arumnas, fraudem, periculum, commoditates,* & similia, passim apud melioris notæ auctores reperias. *Freinshemius.* Sic interpretor: ut multitudinem suam noscendo, robur æstimando, vultus omnium singuli familiariores habendo certi fierent de fiducia inter sese, deque metu sui apud cæteros; se, quicquid esset audendum, confidere inter se, aliis metum facere posse. Vide 3. Observ. 10. *Gronovius.*

1 *Prætendebat lascivire*] Προφασίζετο ἀκρασίᾳ. *Muretus.*

2 *Si vallum statuatur*] Id enim ex disciplina. Veget. lib. 1. 3. *Et si longior expeditio emergit, in agrariis plurimum detinendi sunt, proculque habendi à civitatis illecebris; ut eo modo, & corporibus eorum robur accedat, & animis.* Tac. libro 2. *simul juvenem urbano luxu lascivientem, melius in castris haberi.* Pichena.

3 *Procul urbis inlecebris*] Quomodo hoc verum? nam castra illa ad ipsam urbem fuerunt, juxta portam Viminalem: & hoc antiquarii nostri hodie docuerunt, vel Onufrium in urbe Roma vide. Adde hæc Scholiastis prisci, in Juvenalem: *Juxta Aggerem primus posuit castra Sejanus, id est super Diocletianas; quæ dicta sunt Castra Prætoria.* Sunt ipsa, quæ dixi. nam Agger Tarquinii, est ad Viminalem; & infra, Diocletianæ. Sed quod quærebam, quomodo igitur *procul urbis illecebris?* Non nimis hercle: nisi quod non in mediis ipsis, & quodamoti à consuetudine vulgi. Item, quod vallo clausi, & licentia cohibita: quo adspectum. *Lipsius.*

4 *Adeundo, appellando*] *Adire* non ita capiendum autumem, ut sponte ad eos ventitasse credatur, nisi ad universos, jam in castra collectos: sed ubi fortitan conspexisset aliquos, ad eos se convertisse & blande eos compellasse; neque hoc nominatim, quis enim potuisset nisi forte Xerxis aut Cyri fabulosa memoria præditus? sic *appellare* dicimus etiam penitus ignotos. Plaut. Pœnulo 5, 2, 22. *Adibo hosce, atque appellabo Punice.* Freinshemius.

5 *Neque Senatorio ambitu*] Id est, neque nolebat à Senatu ambiri, coli: cum & eos promoveret, ac posse ibi doceret. *Lipsius.*

Neque Senatorio ambitu abstinebat] Ea largiendo, quæ ambitu & precibus ab senatu impetrari consueverant. *Ferretus.* Neque castrensi ambitione contentus, etiam in senatu eam potentiam factionemque sibi comparavit, ut clientes atque satellites suos magistratibus atque provinciis pro arbitrio suo attolleret. Sic ego aliter quam Lipsius. Universi *Senatorium* à *Senatorius* deductum existimarunt; quum sit ab *senatu.* Sicut apud Latronem in Catilin. 2, 21. & 6, 1. *Senatoria auctoritas,* & *Senatoria simultas,* non singulos senatores, sed universum ordinem respicit. Itaque *Senatorius ambitus* hic mihi videtur non ille, quo senatores sibi potentiam conciliant: neque quo ab aliis ambiuntur & corrumpuntur singuli: sed aliquid majus & ulterius. Callida nimirum ea ratio, quam iniit Sejanus, ut in his etiam negotiis, quæ per senatum & in senatu tractabantur, efficeret, quæ vellet. Est igitur vox *ambitus* accipienda cum effectu: neque *Senatorius* hoc quidem loco significare videtur aliud, quam cui in senatu locus est. *Freinshemius.* *Senatorius* utique formatur à *Senator*, non à *Senatus:* neque tamen propterea significat tantum, quod est unius senatoris, aut singulorum in senatu: sed etiam potest significare, quod est senatorum, & sic senatus vel totius corporis. *Ambitus senatorius* est ambitio in senatu. Neque hoc faciebat, ut extolleret clientes suos: id enim ei largiebatur Tiberius, non aliqua factio in senatu: sed hoc extollere erat via ad potentiam in senatu. Itaque facile admitto *ambitu ornandi*, quod ex MS. notat Pichena. Non cessabat etiam in senatu se venditare, ac gratiosum & potentem reddere. Qua ratione? nempe non patiendo ad honores & imperia pervenire, nisi quibus ipse apud Tiberium suffragatus esset. Quo animadverso, quis dubitaret hunc patronum adoptare? *Gronovius.*

6 *Provinciis ornando*] Non silebo, in Man. legi, *ornandi.* Quod forte spernendum non est, ut quodammodo regatur à voce, *ambitu.* Pichena.

7 *Coli*] Cultum divinum significat, quem Sejani statuis exhibitum fuisse diserte testatur Dio lib. 58. Καὶ τέλος καὶ ταῖς εἰκόσιν αὐτοῦ, ὥσπερ καὶ ταῖς τοῦ Τιβερίου, ἔθυον. respicitque eo his verbis, ubi de ruina Sejani: ὃν προσεκύνουν καὶ ὡς θεῷ ἔθυον, *quem adoraverant, & sacrificiis tanquam Deum coluerant.* Freinshemius.

8 *Interque principia legionum sineret*] Inter militaria signa, ait Suetonius capite XLVIII. in Tiberio. de quo ritu abunde in libris Histor. & Milit. Rom. *Lipsius.*

Interque principia legionum] Inter militaria signa *Sueton.* 48. Muretus. Sinebat quidem, sed invitus, ut

3 ret. Ceterum plena Cæsarum domus, juvenis filius, nepotes adulti, moram cupitis adferebant. [1] & quia vi tot simul corripere intutum; dolus intervalla scelerum poscebat. placuit tamen occultior via, & à Druso incipere, in quem recenti ira ferebatur. Nam Drusus impatiens æmuli, & animo commotior, orto forte jurgio, [2] intenderat Sejano manus, & contra tendentis os verberaverat. Igitur cuncta tentanti promptissimum visum, [3] ad uxorem ejus Liviam convertere. [4] Quæ soror Germanici, [5] formæ initio ætatis indecoræ, mox pulchritudine præcellebat. Hanc, ut amore incensus, adulterio pellexit: & postquam primi flagitii potitus est, ([6] neque femina amissa pudicitia alia abnuerit;) ad conjugii spem, consortium regni, & necem mariti impulit. Atque illa cui [7] avunculus Augustus, socer Tiberius, ex Druso liberi,

ut ex Suetonio colligitur cap. 48. *Quædam munera Syriacis legionibus largitus est, quod sola nullam Sejani imaginem inter signa coluissent.* Pichena. Erant *principia*, locus in castris honoratissimus, in quo jus reddebatur, & aquilæ signaque legionum servabantur, uti demonstratum ad 1, 61. 1, 67. Inter ea autem signa, quæ pro *numinibus legionum* habebantur, 2, 17. postea quoque Imperatorum imagines poni colique cœperunt. Clarissimum, ut alia praeteream, argumentum in illis Taciti H. 1, 36. *In suggestu, in quo paulo ante aurea Galbæ statua fuerat, medium inter signa Othonem vexillis circumdant.* Freinshemius.

1 *Et quia vi tot simul*] Et hoc quoque moram adferebat. *Muretus.* Vide Not. ad 4, 16. *Freinshemius.* Putem *eripere* reponendum pro *corripere*, & delendum *tamen*. Mens enim auctoris, ostendere consilia Sejani fuisse retardata per plura obstacula, inprimis, quod in domo Augusti essent multi Cæsares, filius juvenis, nepotes adulti. Itaque quem admodum considerabat periculosum esse tot homines vi aperta de medio tollere, ita etiam bene norat conspirationem requirere tempus & intervalla ad exsequenda scelera destinata. Tandem elegit viam occultiorem. Alioqui dicendum fuisset: *& quia vi tot simul aggredi intutum:* & non *corripere.* Harlæus. Atqui aggredi, & de medio tollere *corripere* est, non *eripere.* Justinus lib. 3. *Exuentem se ac nudatum gladio trajecit. Tum & filios ejus corripi jubet.* Nec deleverim τὸ *tamen:* id enim tacite demonstrat ambitionis tantæ & Sejani indolem: datque intelligendum: Quamquam ægre ferret ambitio incitata hanc moram, & properaret ad vota Sejanus, *placuit ei tamen occultior via.* Posses alioqui & *tandem* legere. *Gronovius.*

2 *Intenderat Sejano manus*] Intendere manus, principium & caussa jurgii etiam hodie apud Italum vulgus. Libro 1. suprà: *Postremo deserunt tribunal, ut quis Prætorianorum militum amicorumve Cæsaris occurreret, manus intentare, caussam discordiæ & initium armorum.* Libro XIII. *Simul intendere manus, aggerere probra.* Seneca. De clementia libro 1. *Conclamatio civitatis & fuga est, & diis ipsis manus intentantur.* At quod sequitur, Sejani os palma percussum à Druso: alter apud Dionem & Zonaram legas; qui Drusum percussum volunt à Sejano. Itaque eorum fide rescribit hic Vertranius, *Et hic contrà tendentis os verberaverat.* Neutri mihi persuadent; non illi sententiam, non hic lectionem. Sejanum non tam prorupta audacia fuisse crediderim: ut ultro verberarit principis Romani filium, tribunicia potestate, & imperii consortem: & convenit magis in mores Drusi, cui adeo promptæ ad verbera manus, ut hac de caussa Castor sit cognominatus, teste Dione ipso libro LVII. *Lipsius.*

3 *Ad uxorem ejus Liviam*] Suetonius Livillam semper vocat: ut Claudillam, quam noster Claudiam. Nec te movent, ὑποκόρισμα est, ut Secundilla, Tertulla, Quartilla in feminarum nominibus per blanditias frequens. Sic in Museo Carpensi lapis de hac ipsa Livia.

SECVNDA
LIVILLAES
MEDICA
TI. CLAVDIVS
CÆSARIS. L.
CELER. ÆDITVS. A. VESTA.

Idem.

4 *Soror Germanici*] Filia Drusi ex Antonia. *Muretus.*

5 *Forma initio ætatis indecora*] Tacitus *deformem* fuisse dicit; non *minus formosam:* quæ inter duo multum interest. Sic Aristonis Spartanorum regis uxorem ex deformi puella pulcherrimam evasisse tradunt Herodot. 6. cap. 61. & Pausanias in Laconicis. *Mox* nihil aliud significat hoc aliisque multis locis, quam deinde: nec ad proximum tempus restringendum est, ut ad Justinum observavi. *Freinshemius.*

6 *Neque femina amissa pudicitia, alia abnuerit*] Subaudi, flagitia. *Quid enim salvi est mulieri amissa pudicitia?* Apud Livium Lucretiæ verba. *Rhenanus.* Faernus ita legebat: *Neque femina amissa pudicitia alia abnuit* &c. quod magis placet. *Ursinus.* Vox *abnuerit* si decurtetur aliquot literis, ut placitum Faerno; plurimum, mea sententia amiserit dignitatis & virium. *Gruterus.* Video sensum, sed aptior futurus est si legas, *abnueret*, quomodo & Tacitum scripsisse suspicor. *Freinshemius.* Non ego: & miror nodum in scirpo quæri. *Gronovius.*

7 *Avunculus Augustus*] Id est, major avunculus.

beri, seque ac majores & posteros [1] municipali adultero fœdabat; ut pro honestis &
præsentibus, flagitiosa & incerta expectaret. Sumitur in conscientiam [2] Eudemus
amicus ac medicus Liviæ, specie artis [3] frequens secretis: pellit domo Sejanus uxo-
rem Apicatam, ex qua tres liberos genuerat, ne pellici suspectaretur. Sed magnitu-
do facinoris metum, [4] prolationes, diversa interdum [5] consilia adferebat. Interim 4
anni principio Drusus ex Germanici liberis togam virilem sumpsit; [6] quæque fratri
ejus Neroni decreverat senatus, repetita. addidit orationem Cæsar multa cum laude
filii sui, *quod patria benevolentia in fratris liberos foret.* Nam Drusus ([7] quamquam
arduum sit, eodem loci potentiam & concordiam esse) æquus adolescentibus, [8] aut
certe non adversus habebatur. [9] Exin vetus & sæpe simulatum proficiscendi in pro-
vincias consilium refertur. *multitudinem veteranorum* prætexebat imperator, & *delecti-
bus supplendos exercitus. nam voluntarium militem deesse; ac si suppeditet, non eadem vir-
tute ac modestia agere: quia plerumque inopes ac vagi sponte militiam sumant.* percensuit-
que cursim numerum legionum, & quas provincias tutarentur. Quod mihi quoque
exsequendum reor, quæ tum Romana copia in armis, qui socii reges, [10] quanto sit
angu-

lus. Nam Octavia soror Augusti ex Antonio genuit Antoniam, Antoniæ filia Livilla. *Muretus.*

1 *Municipali adultero*] Quasi diceret, Ne Romano quidem. Nam municipales, tunc minus honorati, aut pares urbanis censebantur. Ita Juvenalis, per contemptum: *Municipalis eques.* Florus: *Municipalia prodigia.* Erat autem Sejanus Vulsiniis natus. *Lipsius.*

Municipali adultero] Cic. Phil. 3, 6. *Aricina mater. Trallianam aut Ephesiam putes dicere. Videte, quam despiciamur omnes, qui sumus è municipiis, id est, omnes plane. quotus enim quisque non est? quod autem municipium non contemnit is, qui Aricinum tantopere despicit.* Freinshemius.

2 *Eudemus*] In criminatione medicorum non omisit eum Plinius lib. XXIX. cap. 1. *Jam vero & adulteria etiam in principum domibus, ut Eudemi in Livia Drusi Cæsaris.* Lipsius.

Eudemus medicus Liviæ] Alius ejusdem artis nuper prolatus est ex lapide Florentino ab Jac. Sponio in Itinerar.

CYRVS
LIVIAE DRVSI CAES
MEDIC. *Jac. Gronovius.*

3 *Frequens secretis*] Non modo, ut reddunt, frequenter invisit Liviam: verum etiam, quæ secreto agebat aut consultabat, eorum solebat esse particeps: adeo quidem ut ipse quoque illam adulterio cognovisse arguatur à Plinio 29, 1. hæc autem sub specie sive prætextu artis facile perpetrare poterat: quia dum Livia se consulere cum de valetudine sua fingit, tanquam per verecundiam omnes arbitros submovebat. *Freinshemius.*

4 *Prolationes, diversa*] Muretus, *prolatio diversa interdum.* Audacior hic aliquis gradationem non vereatur: *sed magnitudo sceleris metum, metus prolationem, prolatio diversa interdum consilia adferebat.* Quæ tamen ipsa inclusa brevibus illis Taciti more, qui diducere tam exiliter non solet, sed cogere & in pauca verba copiosas sententias congerere. *Acidalius.*

5 *Diversa consilia*] *Diversa* hic sunt omnino contraria prioribus, ideoque addit *interdum*, ut solet evenire in tam arduis, ubi magnitudinem facinoris reputantibus, interdum pœnitentia subrepit. quod ostendi posset exemplis multorum, qui cædem principum moliti, quamcunque ob causam destiterunt. & quia jam *metum, prolationes* præmisit, quæ ipsa variorum consiliorum causas præbent, indicavi eo, quod ad finem reservabat, plane se dicere velle aliquid majus & minus exspectatum. Hac significatione posita legitur hæc vox apud nostrum 16, 30. *steteruntque diversi ante tribunal*, h. e. adversi invicem. sic apud eundem frequenter, *ex diverso*, pro *ex adversa parte.* sed & alia quædam exempla jam in Indice Floriano notare memini. *Freinshemius.*

6 *Quæque fratri ejus*] Biennio ante lib. 3, 4. *Muretus.*

7 *Quanquam arduum sit*] Lucanus lib. 1. *Nulla fides regni sociis, omnisque potestas Impatiens consortis erit.* Idem.

8 *Aut certe non adversus habebatur*] Haud quidem adfirmarim vocabulum *habebatur* intrusum: sed tamen eo exturbato, omnia belle se habitura, id equidem adfirmarim. *Gruterus.*

9 *Exin vetus refertur*] Particula hæc ostendit eodem tempore hæc gesta esse, quo ea, quæ superius exposuerat. *Refertur* non est positum eo sensu, quo *Consulum relatio* dicitur: sed *refertur* est repetitur, rursum introducitur, denuo adfertur, ab ipso videlicet Tiberio. *Freinshemius.*

10 *Quanto sit angustius*] Rectè. & dictum in Trajani laudem, qui fines imperii promovit. Dixi suprà. *Lipsius.*

Angustius imperitatum] Laus obliqua Trajani. *Muretus.*

anguſtius imperitatum. [1] Italiam utroque mari [2] duæ claſſes, [3] Miſenum apud, & Ravennam; proximumque Galliæ litus [4] roſtratæ naves [5] præſidebant, quas Actiaca victoria captas Auguſtus [6] in oppidum Forojulienſe miſerat, [7] valido cum remige. Sed præcipuum robur Rhenum juxta, commune in Germanos Galloſque ſubſidium, [8] octo legiones erant. [9] Hiſpaniæ recens perdomitæ tribus habebantur. [10] Mauros Juba rex acceperat, donum populi Romani. [11] Cetera Africæ per duas legiones; parique numero Ægyptus. [12] dehinc initio ab Suria uſque ad flumen Euphraten,

quantum

1 *Italiam utroque mari*] Scil. infero ſive Tyrrheno, in quo Miſenum promontorium; ac ſupero ſeu Adriatico, in quo Ravenna civitas. *Suet.* Aug. cap. 49. *Claſſem Miſeni, & alteram Ravennæ, ad tutelam ſuperi & inferi maris collocavit.* Lucanus de Apennino Italiam dividente, l. 2. *Mons inter geminas medius ſe porrigit undas Inferni ſuperique maris.* Pichena.

2 *Duæ claſſes*] Hæc & ſequentia explico ubertim in Admirandis, lib. 1. *Lipſius.*

3 *Miſenum apud*] Promontorium inter Cumas & Puteolos. *Muretus.*

4 *Roſtratæ naves*] Χαλκέμβολοι, æratæ. Virgilius, Horatius, Cæſar, Hirtius. *Muretus.*

5 *Præſidebant*] Sic ſupra de Vellejo: *Is proximum exercitum præſidebat.* Idem.

6 *In oppidum Forojulienſe*] In Carnis. Civida, d'Auſtria, Lazo & Leandro. *Muretus.* Gravis lapſus tanti viri. Immo in Gallia. Vide hiſtor. 3, 43. *Gronovius.*

7 *Valido cum remige*] Videtur voce *validi* præter numerum etiam vigor ætatis & robur corporis intelligi. Sic apud Vellej. 2, 48. *Hinc remiges firmiſſimi; illinc inopia affectiſſimi.* & mox 2, 85. *Omnia in altera parte fuere, dux, remiges, milites; in altera nihil, præter milites.* Ubi negat remiges fuiſſe, non quod nulli aut pauci numero eſſent, ſed quia invalidis corporibus munia ſua explere non poterant. *Freinshemius.*

8 *Octo legiones*] Diviſæ per varia caſtra & caſtella. Florus de Druſo: *Per Rheni quidem ripam amplius quinquaginta caſtella direxit.* Quæ non dubia origo nobilium in eo tractu oppidorum. *Lipſius.*

9 *Hiſpaniæ recens perdomitæ*] Ab Auguſto, Livius libro XXVIII. de Hiſpania: *Ita ergo prima Romanis inita provinciarum, quæ quidem continentis ſint, poſtrema omnium noſtra demum ætate ductu auſpicioque Auguſti Cæſaris perdomita eſt.* Propter Cantabros ſcilicet & Aſtures, quos ipſe devicit. *Idem.*

Recens perdomitæ] Plerique vertunt *recens adquiſita.* Negabit hoc, qui legerit ante annos ferme ducentos jam Romanorum magiſtratus in Hiſpania fuiſſe. debebant igitur exprimere illud *per* in *perdomita:* quo abſolutum opus & ad finem perductum ſignificatur. Rem declarabit Livius 28, 12. Florus 2, 17. Strabo lib. 3. *Freinshemius.*

10 *Mauros Juba rex acceperat*] Filius Jubæ, cujus pater victus à Julio Cæſare in Africa cum Petrejo, poſt epulas lautiores, concidit mutuis vulneribus, manu Petreji acceptis. Evaſit is filius in Regem magnum & eruditum; ita ludente fortuna in rebus humanis, imo ita Deo volente. Et citantur ejus libri ſæpe à Plinio in Indice, de quo lib. 5. cap. 1. ita ſcribit. *Juba Ptolemæi pater, qui primus utrique Mauritaniæ imperavit, ſtudiorum claritate memorabilior, etiam quam regno. Scripſit de expeditione Arabica, volumina dicata Cæſari*, inquit idem lib. 6. cap. 28. Et lib. 12. cap. 14. *Juba rex iis voluminibus quæ ſcripſit ad Cajum Cæſarem Auguſti filium ardentem fama Arabiæ.* Aurelius.

Mauros tenebant] Vertunt ut videantur exiſtimaviſſe, Jubam antequam Mauros accepiſſet, regem fuiſſe: & regionem aliquam poſſediſſe: accepiſſe deinde dono Mauros, homines ſine lare, ſine tribu, & eos in ſuo regno collocaſſe, ibique cuſtodiviſſe ne forſan iterum delaberentur. Ignorabant videlicet gentis nomen creberrime pro regione, quam incolat illa, poni. Sic 1, 55. *Repentino in Cattos excurſu*, & 1, 56. *Exercitum in Cattos rapit.* h. e. in Cattiam, ſive terram Cattorum. *Freinshemius.*

11 *Cetera Africa per duas*] Ain' tu duas? Atqui una legio adtributa Africæ ab Auguſto Tiberioque, te ipſo teſte non uno loco. Libro IV. Hiſtoriarum ſcribis. *Legio in Africâ auxiliaque tutandis imperii finibus, ſub Divo Auguſto Tiberioque principibus, Proconſuli parebant.* Et lib. II. Annalium: *Furius Camillus Proconſul Africæ, legionem, & quod ſub ſignis ſociorum, ad hoſtem duxit.* Libro II. Hiſtor. *In Africâ legio, cohorteſque delectæ à Clodio Macro.* Vidimus hunc nexum, & ſolvemus. Unam legionem ordinariam Africæ fuiſſe, veriſſimum eſt. Unde hic ergo duæ? Per bellum Tacfarinatis abducta è Pannonia legio, & in Africam miſſa. Supra libro III. *Piſo adſequitur legionem, quæ è Pannonia in urbem, dein præſidio Africæ ducebatur.* Ea ibi manſit biennium paulo amplius, iterumque in Pannoniam remiſſa. Hoc ipſo libro, ſtatim: *Cæſar poſt res à Blæſo geſtas, quaſi nullis jam in Africa hoſtibus, reportari Nonam legionem juſſerat; nec Proconſul ejus anni Dolabella retinere auſus fuerat, juſſa Principis magis quam incerta belli metuens.* At enim quia quo loco quæque legio hoc ipſo anno fuerit, decretum ſcribere Tacito, & nondum ea abducta: ideo duas ecce in Africa collocavit, in Pannonia duas. Atqui tres in iſta debuerat: quod clarum vel ex iis, quæ in ſeditione trium Pannonicarum legionum dicta ſupra. Ubi etiam recenſita hæc Nona. *Lipſius.*

12 *Dehinc initio ab Suria uſque ad flumen*] L. cum Mureto,

quantum ingenti terrarum sinu ambitur, [1] quatuor legionibus coërcita: [2] accolis Ibero, Albanoque, & aliis regibus, qui magnitudine nostra proteguntur adversum externa imperia. & Thraeciam Rhœmetalces ac liberi Cotyis; ripamque Danubii, legionum duæ in Pannonia; duæ in Mœsia attinebant. [3] totidem apud Dalmatiam locatis, quæ positu regionis à tergo illis, ac si repentinum auxilium Italia posceret, haud procul accirentur: quamquam insideret urbem proprius miles, [4] tres urbanæ, novem prætoriæ cohortes, [5] Etruria ferme Umbriaque delectæ, aut vetere Latio, [6] & coloniis antiquitus Romanis. At apud idonea provinciarum [7] sociæ triremes, alæque, & auxilia cohortium: [8] neque multo secus in iis virium; [9] sed persequi incertum fuerit, cum ex usu temporis huc illuc mearent, gliscerent numero, & aliquando minuerentur. Congruens crediderim recensere ceteras quoque reipublicæ 6
partes, quibus modis ad eam diem habitæ sint: [10] quando Tiberio mutati in deterius

Mureto, *initio ab Suria usque ad flum.* i. ab initio Suriæ usque ad Euphratem. consuetudine apud Tacitum trajiciendi præpositiones & ejusmodi particulas. *Acidalius.*

1 *Quatuor legionibus coërcita*] Vulgo, *coërcitum.* Sed Man. sequi malui, qui *coercita*, habet, nota figura. *Pichena.*

2 *Accolis Ibero Albanoque*] Planiciem omnem à Cyro usque Albanorum gens tenet, mox Iberum. Plin. 6, 10. Pertinent ad Caucasios montes *Iberiam & Albaniam.* Ptolemæus & Strabo *Caucasios* appellant. Plinius & Mela, *Georges.* Hodie *Georgians* vocantur. *Muretus.*

3 *Totidem apud Dalmatiam*] Dalmatia Augusto tradita, perpetuumque præsidium in ea decretum, anno urbis DCCXLIII. Antea inermis fuit. Adi Dionem, lib. LIV. *Lipsius.*

4 *Tres urbanæ, novem prætoriæ cohortes*] Vigilum autem cur omittit? quæ numero & robore supra urbanas. Septem enim cohortes erant, institutæ jam inde ab Augusto. Caussa hæc, quia id ævi, inter legitimos justosque milites, Vigiles non censebantur. Itaque in omnibus bellis civilibus Galbæ, Othonis, Vitellii, rara eorum mentio, nullus usus. E libertinis lecti erant, vile genus, & Vulcani potius ministri quam Martis. Itaque nec Præfecti vigilum inter illustres dignitates mentio Tacito usquam: cujus auctoritas tamen adolevit, sicut & militum ipsorum, ut ex Pandectis aliisque scriptoribus clarum. Dicam de hoc omni [illegible]ano milite cum cura, ad libros Historiarum. *Idem.*

Tres urbanæ, novem prætoriæ] Labor, ut rescribam, *decem prætoriæ*, quia & Dio decem millia militum fuisse ait, in decem cohortes tributa, & mansisse eundem numerum etiam sequenti ævo fidem facit vetus inscriptio, quam descripsi ex libro Epigrammatum urbis Romæ: *M. Aurelio. Cæsari. Imp. Cæsaris. T. Æli. Hadriani. Antonini. Augusti. Pii. Fil. Divi. Hadriani. Nep. Divi. Trajani. Pronep. Divi. Nervæ. Abnep. Cos. Petronius. Mamertinus. & Gavius. Maximus Pr. Pr. Tribuni. cohortium. Prætoriarum. decem. & Urbanarum. trium. Centuriones. cohortium. Prætoriarum. & Urbanarum, & Statorum. Evocati. cohortes. Prætoriæ. decem. & Urbanæ.* X. XII. XIV. *Centuriæ. Statorum optimo. ac. piissimo.* Nam quod Vitellius sedecim prætorias conscripsit, quatuor urbanas, non mansit diu. De tota ratione prætoriani & urbani militis nihil addi potest ad ea, quæ doctissimus Savillus adnotavit, in accuratissimo tractatu de militia Romana, quem una cum notis ad Taciti Historias, & Agricolam editum ante aliquot annos pauci videre, quia malo maximo rei literariæ Anglica tantum lingua publicatus. *Mercerus.*

5 *Etruria ferme Umbriaque delecta*] Id quidem magnis modis per certa tempora mutatum fuit, adeo ut ab Dione arguente Severum scribatur *καθεστηκότος ἔκ τε τῆς Ἰταλίας καὶ ἐκ τῆς Μακεδονίας, τῆς τε Νωρικῆς καὶ Ἰβηρίας μόνον τοὺς σωματοφύλακας εἶναι.* Sic paulatim in illas cohortes contribuit præter Italiam Macedonia, Noricum & Hispania certe usque ad tempora Severi. Opportune enim ad hujus partis illustrationem duo hæc loca congesta sunt ab Eruditissimo Valesio ad Excerpta Peiresciana pag. 105.

6 *Et colonis*] Potius, *coloniis.* Lipsius.

Et colonis antiquitus Romanis] *Colonis antiquis Romanis.* Muretus.

7 *Sociæ triremes*] Ut classis in Danubio, classis in Rheno, in Ponto. *Lipsius.*

8 *Neque multo secus*] Dicit clare, non minus virium roborisque in Auxiliis fuisse, quam in Legionibus: ex quo magnitudinem opesque videas imperii Romani. *Idem.*

Neque multo secus] Sensus est, Quæ provinciæ idoneæ essent auxiliis dandis, habebant triremes socias & alas & cohortes auxiliares: in quibus non minus erat virium, quam in cohortibus suis, sed illud erat incertum: quia ex utilitate temporum huc & illuc meabant, augebanturque & minuebantur. *Ferretus.*

9 *Sed persequi incertum fuit*] Et hoc Lipsius restituit *fuerit*, pro *fuit.* Pichena. Turbat vox ultima, ideoque reformatur ab aliis, ego mallem deletam una litura. *Gruterus.*

10 *Quando*] Positum est pro quia, ut sæpe. Ita 1, 44. *Nec Cæsar arcebat, quando nullo ipsius jussu, penes*

rius principatus initium ille annus attulit. [1] Jam primum publica negotia, & privatorum maxima, apud patres tractabantur: dabaturque primoribus [2] differere; & in adulationem lapsos, cohibebat ipse; mandabatque honores, nobilitatem majorum, claritudinem militiæ, [3] inlustres domi artes spectando: ut satis constaret, non alios potiores fuisse. sua consulibus, sua prætoribus species. minorum quoque magistratuum exercita potestas; legesque, si majestatis quæstio eximeretur, bono in usu. At [4] frumenta, & pecuniæ vectigales, cetera publicorum fructuum, societatibus [5] equitum Romanorum agitabantur. Res suas Cæsar spectatissimo cuique, quibusdam ignotis ex fama mandabat; semelque adsumpti tenebantur, prorsus sine modo, cum plerique iisdem negotiis insenescerent. Plebes acri quidem annona fatigabatur: sed nulla in eo culpa ex principe; quin infecunditati terrarum, aut asperis maris obviam iit, quantum impendio, diligentiaque poterat. Et ne provinciæ novis oneribus turbarentur, utque vetera sine avaritia aut crudelitate magistratuum tolerarent, provi-
7 debat. corporum verbera, ademptiones bonorum aberant. [6] Rari per Italiam Cæsaris agri; [7] modesta servitia, [8] intra paucos libertos domus, ac si quando cum privatis

penes eosdem sævitia facti & invidia erat. Sed quidam acceperunt vulgari notione, pro *quo tempore*. Freinshemius.

1 *Jam primum*] Ad ordinem narrationis pertinet, idemque valet ac si dixisset, *ut hinc exordiar.* Male, qui ad initia Tiberii retulit. Quod præter alia ipsa quoque re evidenter refutatur: nam Tacitus diserte dixerat se exsequuturum, quibus modis habita sit resp. non tantum inter initia Tiberiani imperii, sed ad eam diem. *Idem.*

2 *Differere*] Nimirum in sententia dicenda probandaque. *Idem.*

3 *Inlustres domi artes*] Plane intelliguntur tales artes, quales supra 3. 75. *Studia civilia*, & alibi *bonas domi artes* vocavit. Non enim *domi* referendum est ad singulas ædes, sed ad urbem, ut fit, ubi hæc opponitur longinquis expeditionibus. quomodo in nota sententia, *Parvi sunt arma foris, nisi consilium sit domi.* Ita frequenter junguntur, *domi belloque.* Idem.

4 *Frumenta*] Intellige non quævis, sed à tributariis pendi solita, quæ apud auctores JCtos præsertim, *annonæ* vocabulo censeri solent. *Idem.*

5 *Equitum Rom. societatibus*] Publicanos ex equestri ordine fuisse plurimis Livii aliorumque locis promtum esset ostendere. Sed sufficiat hic Ciceronis ex Orat. pro Cn. Plancio, cap. 9. *Flos equitum Rom. ornamentum civitatis, firmamentum reip. publicanorum ordine continetur. Agitabantur* bono sensu hic exstat pro *tractabantur.* Freinshemius. Seneca epist. 119. *Jam ego paraveram fiscos: circumspiciebam, in quod me mare negotiaturus immitterem, quod publicum agitarem.* Suetonius Vespas. 1. *publicum quadragesimæ in Asia egit.* Gronovius.

6 *Rari per Italiam*] Non latifundia, ut postea, ex bonorum publicatione, & reorum damnationibus parta. *Lipsius.*

Rari per Italiam] Non ut postea, Emphiteuticarii patrimoniales, tum rei privatæ, tum divinæ domus, tum tamiei, qui impediunt agriculturam, diminuunt vectigalia, pauperant populos. *Muretus.*

7 *Modesta servitia*] Id est, pauca, intra modum. Lib. 3. *Simul modestia Neronis, & sua magnitudine fidebat.* Et lib. 1. *Et ille varia differebat de magnitudine imperii, sua modestia.* Et lib. 12. *Magnaque Deum benignitate & modestia hiemis, rebus extremis subventum.* Vide varias nostras. *Muretus.* Martialis de Domitiano, sed vereor, ne adulatorie, 9, 81.

Oderat ante ducum famulos turbamque priorum,
Et Pallatinum Roma supercilium.
At nunc tantus amor cunctis, Auguste, tuorum,
Ut sit cuique suæ cura secunda domus.
Tam placidæ mentes, tanta est reverentia vestri,
Tam pacata quies, tantus in ore pudor.
Nemo suos (hæc est aulæ natura potentis)
Sed domini mores Cæsarianus habet.

Aurelius. Miror omnes *modesta servitia* pro paucis accepisse. Nihil ego cunctatus sum de servorum non numero, sed modestia exponere: quod ex contrario magis apparebit, si aliorum immodestiam, petulantiam, arrogantiam spectes, qui propterea quod principum essent servi se non modo super ingenuos, sed etiam magistratus extollebant. In hoc auctore 4, 74. *Eo venire patres, eques &c.* & mox; *ibi campo aut litore jacentes, nullo discrimine, noctem ac diem juxta, gratiam aut fastus janitorum perpetiebantur.* 6, 8. *Libertis quoque ac janitoribus ejus notescere, pro magnifico accipiebatur.* Seneca Epist. 74. *Stare ante limen Calisti dominum vidi, & eum qui illi impegerat titulum, qui inter rejicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi.* Ubi similem de Epaphroditi servo, postea sutore Cæsaris facto, narratiunculam adnotat Lipsius ex Epicteto 1, 19. Occiso Commodo inter alias acclamationes senatus hoc quoque legitur, *servis servivimus*, apud Lamprid. c. 19. Hæc est igitur immodestia servitiorum, quam in suo servo retudit Adrianus referente Spartiano

tis disceptaret, forum & jus. Quæ cuncta, [1] non quidem comi via, sed horridus ac plerumque formidatus retinebat tamen, donec morte Drusi verterentur: nam dum superfuit, mansere; quia Sejanus incipiente adhuc potentia, bonis consiliis notescere volebat, & ultor metuebatur, non occultus odii, & crebro querens, *incolumi filio adjutorem imperii alium vocari: & quantum superesse ut collega dicatur? Primas dominandi spes in arduo: ubi sis ingressus, adesse studia & ministros, exstructa jam sponte præfecti castra; datos in manum milites:* [2] *cerni effigiem ejus* [3] *in monumentis Cn. Pompeji:* [4] *communes illi cum familia Drusorum fore nepotes.* [5] *precandam post hæc Modestiam*

tiano cap. 21. *Quum quodam tempore servum suum inter duos senatores è conspectu ambulare vidisset, misit qui ei colaphum daret, & diceret, Noli inter eos ambulare quorum esse adhuc potes servus.* Freinshemius.

8 *Intra paucos libertos domus*] De his libertorum ministeriis plenissime collegit Virdungus ad vitam Agricolæ cap. 40. Sed & adde mox cap. 23.

1 *Non quidem comi via*] Lege, *cum vi*, verissima emendatione. *Acidalius.* Quamquam non comi & in vulgum grata via, sed nimia se veritate asper & plerumque formidatus. *Freinshemius.*

2 *Cerni effigiem ejus*] Statuam æneam in theatro Pompeji. Dio. *Lipsius.*

3 *In monumentis*] Non bene videntur pro *in monumentis*, substituisse, *intra monumenta*. Nihil enim hic intelligitur aliud quam *effigies Sejano apud theatrum Pompeji locata.* Supra 3, 72. Id theatrum hic intelligitur per *monumenta Cn. Pompeji*: sicut ejusdem capitis initio basilica Pauli, per *Æmilia monumenta*. *Freinshemius.*

4 *Communes illi*] Consideremus, quæso. Suetonius Claudii filio Druso desponsam Sejani filiam scribit, cap. XXVII. in Claudio. nec alius sententiæ est, quod noster lib. III. dixit Claudii filio Sejanum socerum destinatum. Hæc certa, clara. sed quomodo hic Drusus queritur, communes illi fore cum Drusorum gente nepotes? Locum non habet ea querela, vana est. si vere idem Suetonius scribit, Drusum exstinctum post paucos dies, quam ei Sejani filia esset desponsa. Desponsa autem ante biennium, ut ex Taciti supra verbis clarum: ante biennium ergo exstinctus, & simul connubii nepotumque spes. An aliud aliquid est, quo noster hic respexit? nemo dicet. In Zonara lego, *Juliam* Drusi filiam desponsam Sejano: corrupte, quia scribendum *Liviam*: intellegitque Germanici sororem, de qua infra dicemus, Drusi majoris prolem. Quid nugamur? cum omnia scrinia excusserimus, non inficiabimur, quin Tacitus guttam attigerit è flumine Lethes. *Lipsius.*

Communes illi] Sueton. Claud. 27. & noster libro tertio. Porro quod notarunt doctissimi viri *μνημονικὸν ἁμάρτημα* in Tacito, assentiri non possum. Longe enim aliud est, *destinare*, aliud *despondere*. Muretus. Hic memoria in Tacito desideratur, quasi ea defectus, scribat, Drusum queri de re quæ jam præterierat. Mihi vero innocens, eumque sic vindico ab ea nota. Aliud est *sponsa*, aliud *destinata*. *Sponsa* non dicebatur ante stipulationes. Gell. 4, 4. *Qui uxorem ducturus erat, ab eo unde ducenda erat, stipulabatur eam in matrimonium ductum iri: qui daturus erat itidem spondebat, is contractus stipulationum sponsionumque dicebatur sponsalia: tunc quæ promissa erat, sponsa appellabatur, & qui spoponderat ducturum, sponsus.* At *destinata* ea erat, quam pater alicui se daturum præ se ferebat, sed eam nondum desponderat: quæ differentia non obscura ex his emergit. Martianus l. 7. D. ad l. Jul. de adul. *Et potest adulterii accusari, qui Tutor vel Curator fuit, & intra vicesimum sextum annum duxerit uxorem, non à patre desponsam vel destinatam vel in testamento denominatam.* Dicamus itaque nostrum respicere ad illud tempus, cum Sejani filia filio Claudii solum fuerat destinata, quo etiam dum vivo non immerito, nec absurde, Drusus id ægre fert: Suetonium vero, cum jam biennio post plus minus ei desponsa fuisset, post quæ brevi Drusus Pompejus vita cessit. *Salmerius.* Ego simplicius intelligo, nihil aliud queri Drusum, nisi quod jam Sejanus conjunctione Cæsaris dignus habitus esset, ut ait Tacitus infra. Ideoque quamvis primum illud matrimonium morte irritum fuerat, fortasse prævidebat fore, ut quandoque Sejanus aliud simile moliretur, affinitatemque cum Drusorum familia iterum & arctius jungeret. *Pichena.* Tacitus aliis aliter excusatur; mihi videtur ita posse commodissime, si non existimemus restringendas has querelas esse ad hoc tempus, quo Tacito memorare eas placitum, sed cogitemus jam ante, nec semel, ut ipse auctor est iis verbis, *crebro querens*, erupisse: & singulas quidem eo maxime tempore, quo ea, quibus offendebatur, facta erant. Eas cum suis quasque locis commemorare nollet, collegit hic loci, in quem seposuerat totam de potentia Sejani historiam, ut patet ex primo statim hujus libri capite. *Freinshemius.*

5 *Precandam post hæc Modestiam*] Mirum genus loquendi, quasi Modestia inter deas. Et cave tamen immutes. simile illud è libro XV. *Sic quoque optimam Fortunam orandam, ut pedes confectis itinerum spatiis equitem assequeretur.* Lipsius.

Precandam post hæc Modestiam] Amicus noster *precandam modestiam* exponebat votis expetendam;

 subtu-

stiam, ut contentus esset. Neque raro, neque apud paucos talia jaciebat: & secreta 8 quoque ejus, corrupta uxore, prodebantur. Igitur Sejanus maturandum ratus [1] deligit venenum, quo paulatim inrepente, fortuitus morbus adsimularetur. id Druso datum per Lygdum spadonem, [2] ut octo post annos cognitum est. Ceterum Tiberius per omnes valetudinis ejus dies, nullo metu (an ut firmitudinem animi ostentaret) etiam defuncto, necdum sepulto, curiam ingressus est. [3] consulesque sede vulgari per speciem mæstitiæ sedentes, honoris locique admonuit; & effusum in lacrimas senatum, [4] victo gemitu, simul oratione continua erexit. *Non quidem sibi ignarum, posse*

subtilius profecto (dicam enim quod sentio) quam verius. & tamen si hunc sensum recipiamus, noster confirmabitur. Si enim votis expeti debet ista modestia? undenam, nisi ab numine, quod eam conferre potest? Porro autem id numen quid, nisi ipsa Modestia? Quod quidem frustra negatur, proterve irridetur. Nam ut nullo possit testimonio veteris scriptoris ostendi, consecratam inter numina fuisse Modestiam, ideone etiam pro absurdo habendum id est, quum Spem, Concordiam, Pudicitiam, Pavorem etiam, aliosque animi habitus adfectusque sciamus pro diis habita? Unde illa invocatio Manlii Statiani, apud Vopiscum in Probo cap. 12. *Jupiter Opt. Max. Juno regina, tuque virtutum presul Minerva, tu orbis Concordia & tu Romana Victoria, date hoc Senatui, populoque Rom. date militibus, date sociis atque exteris nationibus: imperet quomodo militavit.* Omitto Stoicorum opinionem, qui, ut Seneca Ep. 113. Virtutes etiam computabant inter animalia, neque minus Deos. Sed etiamsi neutrum horum probaretur, tamen mirifice elegans esset ea θεοποιΐα, qua hominis ejus nimias spes eo processisse ostenditur, ut non nisi divino quodam auxilio possint cohiberi. Tale quid est hoc in Asinaria 3, 2, 1. *Perfidiæ laudes gratiasque habemus merito magnas.* Freinshemius. Amicus ille qui sit, cujus hic arguitur protervia, si libido est scire: benigne lector; vide 3. Observ. 10. Qui si parum satisfecerit tibi, fruaris licet Modestia dea. Sed illud festivum, si recipiatur sensus, quem Tacito attribuimus, tamen fore, ut constet sensus, quo ille delectatur, nempe exorandum esse Modestiæ numen. Tanquam cum dicitur *precandam modestiam*, non possit intelligi, vel *Sejani* vel *Sejano à diis*, qui eo creverat, ut coerceri, atque adeo modestia ei imperari non posse videretur. Tanquam verbo *precandam* necessario statuatur singularis dea Modestia, à qua modestiam peti oporteret. Male igitur Horatius lib. 1. Sat. 4.

Dii bene fecerunt, inopis me quodque pusilli
Finxerunt animi.

Debuisset dicere: *Modestia numen bene fecit, quod me modestum finxit.* non venit enim scilicet illa modestia virtus & animal, nisi à peculiari numine Modestia: quemadmodum nemini potest optari, nisi ab eo unico numine, quod eam conferre possit. Ego tamen deam nullam, sed quæ tanis facile modestiam ingeneraret, Adrastiam, Rhamnusiam, Nemesin novi. Nam Plautus risum captat. Quid multa? quod illi mire elegans, id mihi κακόζηλον & gravitati cum Taciti, tum materiæ indignum videtur. *Gronovius.*

1 *Diligit venenum*] Tale venenum sibi Carthaginenses dedisse dixit Regulus, non præsentaneum, *sed ejusmodi, quod mortem in diem proferret: eo consilio, ut viveret quidem tantisper, quoad fieret permutatio: post autem grassante sensim veneno, cor tabesceret,* (lego *contabesceret*) Gell 6, 4. Theophrastus lib. 9. περὶ φυτῶν ἱστορ. de aconito. συντίθεσθαι δὲ, ὥστε αὐτὰ χρόνους τινὰς ἀναιρεῖν, οἷον δίμηνον, τρίμηνον, ἑξάμηνον, ἐνιαυτὸν, τοῖς δὲ καὶ δύο ἔτη. Mihi tamen hoc verosimile non fit: causæ sunt obscuræ. *Muretus.*

2 *Ut octo post annos*] Recte. eo ipso videlicet anno, quo interfectus Sejanus, cum Apicata ejus uxor hæc scelera prodidit: Vide Dionem LVIII. *Lipsius.*

3 *Consules sede vulgari*] Id est, in sedibus Prætorum aut Tribunorum, ut Dio interpretari videtur, in morte Augusti, lib. LVI. Ἐκαθίζοντο δὲ οἱ μὲν πολλοὶ ὥς πῃ ἑκάστῳ εἰώθει, οἱ δ' ὕπατοι κάτω ἐν τοῖς βάθροις, ὁ μὲν τῷ τῶν στρατηγῶν, ὁ δὲ τῷ τῶν δημάρχων. Verterem ego: *Sederunt autem vulgus Senatorum, quo quisque loco solebat: Consules vero inferne in subselliis, alter Prætorum, alter Tribunorum.* Nec dissimile est, quod Suetonius scribit, Claudium *de majore negotio acturum, medium inter Consulum sellas Tribunicio subsellio sedisse.* Humiles autem Senatorum omnium sedes, altæ Consulum & excelsæ. Lucanus v.

Ut primum mœstum tenuere silentia cœtum,
Lentulus è celsa sublimis sede profatur.

Lentulus enim ibi Consul. & alius poëta quispiam,

Conspicuum signis cum premet altus ebur.

Intellegit Consulis sellam curulem: in qua, ornatus caussa, signa. Idem:

Signa quoque in sella nossem formata curuli,
Et totum Numidæ sculptile dentis opus.

Lipsius.

4 *Victo gemitu*] An Tiberius vicit sedavitque gemitum Senatorum, quos ait, in lacrimas effusos? Ita videtur cum supra dixerit, ipsum nullo metu, fortitudinemque præferentem, introisse curiam. Tamen verius credo, de ipsius Tiberii gemitu. nam

se argui, quod tam recenti dolore subierit oculos senatus: [1] *vix propinquorum adloquia to-*
lerari, [2] *vix diem adspici à plerisque lugentium. neque illos imbecillitatis damnandos; se*
tamen fortiora solatia, [3] *è complexu Reipublica petivisse.* Miseratusque *Augusta extre-*
mam senectam, rudem adhuc nepotum, & vergentem ætatem suam, ut Germanici liberi,
unica præsentium malorum levamenta, inducerentur, petivit. Egressi consules firmatos
adloquio adolescentulos, deductosque ante Cæsarem statuunt. Quibus adprehensis,
patres conscripti, Hos, inquit, *orbatos parente, tradidi patruo ipsorum, precatusque sum,*
quamquam esset illi propria soboles, ne secus quam suum sanguinem foveret ac tolleret, si-
bique & posteris [4] *conformaret. erepto Druso, preces ad vos converto, diisque & patria*
coram obtestor, Augusti pronepotes, clarissimis majoribus genitos suscipite, regite: vestram
meamque vicem explete. Hi vobis, Nero & Druse, parentum loco. ita nati estis, ut bo-
na malaque vestra ad rempublicam pertineant. Magno ea fletu, & [5] mox precationi- 9
bus faustis audita; ac si modum orationi posuisset, misericordia sui gloriaque animos
audientium impleverat. ad vana & totiens inrisa revolutus, *de reddenda republica ut-*
que consules seu quis alius regimen susciperent, vero quoque & honesto fidem dempsit.
Memoriæ Drusi eadem quæ in Germanicum decernuntur, plerisque additis, ut fer-
me amat posterior adulatio. Funus imaginum pompa maxime inlustre fuit, cum o-
rigo Juliæ gentis Æneas, omnesque Albanorum reges, & conditor urbis Romulus,
post Sabina nobilitas, [6] Attus Clausus, ceteræque Claudiorum effigies, longo ordine
spectarentur. In tradenda morte Drusi, quæ plurimis maximeque fidis auctoribus 10
memorata

nam verisimile est, morte filii magno dolore affectum; sed, ut cetera omnia, dissimulasse, ut invictum animum ostentaret. Aliquid simile de Suilio dixit lib. XI. in princ. *Ad quod victo silentio.* id est, suo ipsius silentio. Pichena. *Victo gemitu*, ad Tiberium refer; nam qui ad senatum, omnia permiscet: quasi hic sit sensus: *Patres fusi in lacrimas, postquam fletus cessarunt.* Qui multiplex profecto error est. nec enim Patrum lacrimas cessasse vult Tacitus, imo lacrimantes eos cum maxime principis constantia & adloquio erectos: neque vero *gemitus* & *lacrymæ* pro iisdem sunt accipienda, quum adeo nihil de lacrymis Tiberii cogitare nos velit auctor, ut etiam gemitus, quod majus atque difficilius est, in potestate habuisse tradat. Denique constructio turbatur, quæ hæc est: Tiberius *victo gemitu simul oratione continua, erexit Senatum in lachrymas effusum.* Freinshemius.

1 *Propinquorum alloquia*] Alloquia, proprie in consolatione. notatum aliis. *Lipsius.*

Vix propinquorum] Vide lib. 2. c. 4. variar. lection. *Muretus.*

2 *Vix diem adspici*] Ita enim moris, ut limine & domo se continerent in luctu. Plinius lib. IX. *Miso ad Arriam. rogo ut veniat. quoniam me recens adhuc luctus limine contineret.* Lipsius.

3 *E complexu reip.*] Hunc *complexum* potius ita capiendum arbitror, ut Tiberius complexus sit remp.; quam ut illum resp. *Complecti remp.* est curam atque administrationem publicorum negotiorum suscipere, agere, tractare. Infra 4. Histor. 11. Nihil autem aliud quam actum rerum intelligit, quod statim 4, 13. *nihil intermissa rerum cura, negotia pro solatiis accipiens.* Elegantissime tamen hac *complexus* metaphora est usus. *Freinshemius.*

4 *Conformaret*] Ita quidem in Man. & etiam in antiquioribus editis, idque, ut mihi videtur, optimo sensu. nihilominus recentiores supposuerant, *confirmaret.* Pichena.

5 *Mox precationibus*] Istud *mox* hoc loco non tantum temporis spatium complectitur, ut interim finita Tiberii oratio videri debeat. *Freinshemius.*

6 *Appius Clausus*] Lego, *Atta Clausus*, vel *Attus.* Adi lib. XII. *Annal.* Lipsius.

Accius Clausus] Sustuli, quod erat, *Appius*, MS. auctoribus. Codices n. ambo Vat. infra 12, 26. habent, *Accio Clauso continuos duravisse.* Quæ lectio firmatur ex eo, quod M. Valerius scribit: *Appius ex Sabinorum prænomine Accio venit: idque Romæ Claudiorum fuit, quorum princeps Accius Clausus dictus est.* Itaque apud Livium lib. II. legendum est: *Accius Clausus, cui postea Appio Claudio fuit Romæ nomen.* Et sane hanc scriptionem in Suetonii Tiberio quidam indicavit ex veteribus libris referens sic scriptum, *Quod magis constat Accio Clauso gentis principe*: ubi vulgares libri habent, *constat Appio Clauso.* Ego vero scribendum, *Constat Accio*, omni asseveratione contendo. *Vertranius.* Man. *Attus* quod rectius credo; nam & libro XII. libri veteres habent, *ab Atto Clauso*, ut ibi notavi. *Pichena.* Recte Pichena. Vide ad Livium 2, 16. *Gronovius.* Et Rupertus ad Enchiridion Pomponii statuit Vertranium imponere voluisse, quum scriberet duos Vaticanos codices. *Jac. Gronovius.*

 1 *Cor-*

memorata sint, rettuli. sed non omiserim eorumdem temporum rumorem validum adeo, ut nondum exolescat. [1] *Corrupta ad scelus Livia, Sejanum Lygdi quoque spadonis animum stupro vinxisse: quod is Lygdus ætate atque forma carus domino, interque primores ministros erat. deinde inter conscios, [2] ubi locus veneficii tempusque composita sint, eo audacia provectum, ut verteret; & occulto indicio Drusum veneni in patrem arguens, moneret Tiberium, vitandam potionem quæ prima ei apud filium epulanti offerretur. ea fraude [3] tum senem, postquam convivium inierat, exceptum poculum Druso tradidisse; atque illo ignaro & [4] juveniliter hauriente, auctam suspicionem, tamquam metu & pudore sibimet*
11 *inrogaret mortem quam patri struxerat.* [5] Hæc vulgo jactata, super id quod nullo auctore certo firmantur, [6] prompte refutaveris. Quis enim mediocri prudentia, nedum Tiberius tantis rebus exercitus, inaudito filio exitium offerret, idque sua manu, & nullo ad pœnitendum regressu? Quin potius ministrum veneni excruciaret; auctorem exquireret: insita denique etiam in extraneos cunctatione & mora, adversum unicum, & nullius ante flagitii compertum uteretur. Sed quia Sejanus [7] facinorum omnium repertor habebatur, ex nimia caritate in eum Cæsaris, & ceterorum in utrumque odio, quamvis fabulosa [8] & immania credebantur: [9] atrociore semper fama erga dominantium exitus. Ordo alioqui sceleris [10] per Apicatam Sejani proditus, tormentis Eudemi, ac Lygdi patefactus est. neque quisquam scriptor tam infensus exstitit, ut Tiberio objectaret, cum omnia alia conquirerent, intenderentque. Mihi tradendi arguendique rumoris causa fuit, ut claro sub exemplo [11] falsas auditiones depellerem, peteremque ab iis [12] quorum in manus cura nostra venerit, ne divulgata atque incredibilia, [13] avide accepta, veris neque in miraculum corruptis an-
12 tehabeant. Ceterum [14] laudante filium pro Rostris Tiberio, senatus populusque habitum

1 *Corrupta ad scelus*] Quidam *scelus* de adulterio tantum: ego putabam potius cædem mariti hic innui. de qua una hoc loco agere constituit. *Freinshemius.*

2 *Ubi locus veneficii, tempusque composita sint*] Lectionem MS. reposui, quæ in vulgatis immutata atque imminuta fuerat: *Ubi locus veneficii, tempus, composita sunt.* Pichena. Nimis exspatiantur illæ vulgatæ ab Pichena reprehensæ, quum solæ Lipsianæ sint crimini proximæ, Beroaldo & Aldo bene copulativam expressam referentibus. *Jac. Gronovius.*

3 *Tum senem*] Alibi legitur, *captum senem.* Muretus.

4 *Juveniliter hauriente*] Νεανικῶς. *Idem.*

5 *Hæc vulgo jactata*] Et credita Orosio, qui libro VII. tradit Drusum à Tiberio veneno exstinctum. At me non valde movent ejusmodi scriptores, legitimæ historiæ (dicam iratis quorumdam auribus) dehonestamenta. *Lipsius.*

6 *Prompte refutaveris*] Quaiia certe firmissima & robusta subsequuntur: & alioqui clare patet fabulam fictam esse, sed quæ innitatur argumento sumpto & similitudine eorum, quæ structa inter Tiberium & Agrippinam infra narrantur. *Jac. Gronovius.*

7 *Facinorum omnium repertor*] Sic Virg. 2. Æn. *scelerumque inventor Ulysses.* Muretus.

8 *Et immania credebantur*] Alii libri, *mania.* Idem.

9 *Atrociore semper fama*] Id valet, spargi plurimum & credi atrocia aut tragica, de morte dominantium. *Lipsius.*

10 *Per Apicatam Sejani proditus*] Sic dictum ut ab eodem Virgilio *Hectoris Andromache.* Muretus.

11 *Falsas auditiones*] 'Ακροάσεις. *Idem.*

12 *Quorum in manus cura nostra venerit*] Antiqui libri. *Quorum in manus scripta nostra venerint.* Muretus. Haud scio qui sint illi libri antiqui. Sed *cura* sic & lib. 3. *si effectui, in quæ tendo, plures ad curas vitam produxero.* Ovidius 4. de Ponto eleg. 16. *quorum quod inedita cura est*, ex felicissima restitutione Cl. Heinsii. Idem lib. 24. el. 4. *Hæc pretium curæ dulce recentis erat.* Martialis lib. 10. Ep. 2. *Festinata prior decimi mihi cura libelli.* Gronovius.

13 *Avide excepta*] Libri veteres *unde.* Forte, *unde unde.* Muretus. Nimis astute captus jactus. Nam in MS. est *vide* ut tantum tres lineolæ signentur in priore parte. & litera *a* in principio omittitur, quia librarius vocalem illam iterare cunctabatur, quod & alibi facit, quum aliis in locis duplicet contra quam fieri deberat, ut judicium lectoris ibi requiratur. *Jac. Gronovius.*

14 *Laudante filium*] Velo quidem interposito, ne Pontificis maximi oculi adspectu cadaveris funestarentur. Seneca, Consolatione ad Marciam: *Tiberius*

habitum ac voces dolentum, simulatione magis quam libens induebat, [1] domumque Germanici revirescere occulti lætabantur. Quod principium favoris, & mater Agrippina spem male tegens perniciem adceleravere. Nam Sejanus ubi videt mortem Drusi inultam interfectoribus, sine mærore publico esse; ferox scelerum, & quia prima provenerant, volutare secum, quonam modo Germanici liberos perverteret, [2] quorum non dubia successio. [3] neque spargi venenum in tres poterat, egregia custodum fide, & pudicitia Agrippinæ impenetrabili. Igitur contumaciam ejus insectari, vetus Augustæ odium, [4] recentem Liviæ conscientiam exagitare, [5] ut *superbiam fecunditate subnixam, popularibus studiis inhiare dominationi*, apud Cæsarem arguerent. [6] Atque hæc callidis criminatoribus (inter quos [7] delegerat Julium Postumum per adulterium [8] Mutiliæ Priscæ inter intimos aviæ, & consiliis suis peridoneum;

rius Cæsar, & quem genuerat, & quem adoptaverat, amisit. ipse tamen pro Rostris laudavit filium, fletuque, in conspectu posito corpore, interjecto tantummodo velamento, quod Pontificis oculos à funere arceret. Recenset eumdem ritum Dio LIV. in funere Agrippæ, sed caussam ejus ignorare fatetur, & quam Seneca dedit, refellit. Verba sunt: Τόν τε λόγον τὸν ἐπ' αὐτῷ εἶπε παραπέτασμά τι πρὸ τοῦ νεκροῦ παρατείνας, ὅπερ ἐγὼ μὲν οὐκ οἶδα διὰ τί ἐποίησεν. εἴρηται δ' ὅμως τοῖς μὲν ὅτι ἀρχιερεὺς ἦν, τοῖς δὲ ὅτι τὰ τῶν τιμητῶν ἔπραττεν, οὐκ ὀρθῶς φρονοῦσιν. οὔτε γὰρ τῷ ἀρχιερεῖ ἀπείρηται νεκρὸν ὁρᾶν, οὔτε τῷ τιμητῇ, πλὴν ἄν τε τέλος ταῖς ἀπογραφαῖς μέλλῃ ἐπάξειν. id est: *Sed & laudationem Agrippæ Augustus recitavit, velo quopiam ante mortuum expanso. Id cui rei factum, mihi non liquet. Tamen alii volunt ideo, quia Pontifex esset: alii, quia obiret munera Censoris. Neutri recte. Neque enim vel Pontifici mortuum adspicere nefas: neque Censori, nisi cum finem censioni imponit, conditque lustrum.* Hæc Dio; sed ego existimo, de Pontifice Senecam vera dicere. Sacer enim: ideoque non ipsum solum arceri aspectu functo, sed & statuas deorum voluerunt. Quæ si in loco positæ, ubi supplicia & cædes, velari eas mos fuit, aut transferri. Notat ipse Dio libro ultimo. *Claudius*, inquit, *delectabatur gladiatoribus, & præsertim meridianis. Ideo plerosque servos, qui dominos sub Cajo aut Tiberio calumniati erant, hoc modo perdebat. Eorumque tantus fuit numerus, ut Augusti statuam eo loci positam jusserit transferri, ne aut semper adspiceret cædes, aut & semper velata esset.* Ceterum de Pontifice, in Judæorum ritu simile Philo notat, De Monarchia: *à cadavere arceri.* Lipsius.

1 *Domumque Germanici revivifcere*] Ita, bone lector, non legis Tacitum, sed aliquid manu male feriante ingestum. Beroaldus & mox ipse Aldus ediderant *revirescere.* Ambigis an legitime? Immo liquide sic exaratum est in vetterrima membrana, ut maxime stupeam in Pichena, præsertim quum translationem ipsam venustius exprimat, ut 3. hist. 7. Unde repetendum censui, quod vel unum merebatur novam editionem in tanta negligentia. *Jac. Gronovius.*

2 *Quorum non dubia successio*] Scil. ad principatum, cui, amoto Druso, nemo jam erat propior. *Freinshemius.*

3 *Neque spargi venenum in tres poterat*] *Tres* intelliguntur filii Germanici, Nero, Drusus, Cajus. Hi enim superstites patri fuerunt, ut testatur Sueton. Calig. 7. *Spargi* non potest reddi à linguis vulgaribus, itaque substituerunt, *dari.* Freinshemius.

4 *Recentem Liviæ conscientiam*] *Recentem* vocat comparando cum ea *vetus Augustæ odium*, non quasi post primum scelus cum Livia perpetratum, recens in consilium de evertendis Germanici liberis, eam adhibuerit. *Conscientia* designat societatem scelerum; ut alteri quoque conscius sis, non tibi uni. *Idem.*

5 *Ut superbiam fecunditate*] Lege, *superbam* Muretus. Dura ea constructio, durior sermo. forte legendum; *ut superbam fecunditate, subnixam popularibus studiis; inhiare dominationi:* &c. ita sane nullus obex qui impediat sententiæ cursum. *Gruterus.*

6 *Atque hæc callidis criminatoribus*] L. *Adque hæc*, vel, *Ac super hæc*, vel, *Adhæc.* Efficiebar nempe Sejanus. non enim capi potest de Livia *Acidalius.*

7 *Julium Postumum*] Estne ille, qui Præfectus Ægypto postea? de quo Romæ lapis,

PRO. SALVTE. TI. CLAVDI. CÆSARIS. AVG. GERMANICI. PONT. MAX. TRIB. POT. VII. COS. IIII. IMP. XV. P. P. CENSORIS.

: : : LIBERORVMQVE.

EX VOTO. SVSCEPTO. C. IVLIVS. SEX. F. COR.

POSTVMVS. PRÆF. ÆGYPTI.

Vix puto. Claudii enim ævo ille floruit, non hoc Tiberiano. *Lipsius.*

Delegerat Julium Postumum] Verbi hujus maxima vis est. Arguit enim Julium Postumum, quo de hoc dicitur, jussse criminatorem οὐ τῶν τυχόντων, sed excellentem inprimis, & ob hoc inter alios cum cura & judicio selectum. *Freinshemius.*

8 *Mutiliæ Priscæ*] Puto eamdem esse, quæ vitiose apud Dionem l. 58. Πουπλία Πρίσκα, facili ob similitudinem literarum lapsu, pro Μουτιλία. C.

neum; quia Prisca in animo Augustæ valida) anum suapte natura [1] potentiæ anxiam, insociabilem nurui efficiebat. Agrippinæ quoque [2] proximi inliciebantur pravis sermonibus tumidos spiritus [3] perstimulare. At Tiberius [4] nihil intermissa rerum cura, negotia pro solatiis accipiens, jus civium, preces sociorum tractabat. Factaque auctore eo senatusconsulta, *ut civitati Cibyraticæ apud Asiam*, [5] *Ægirensi apud Achajam motu terræ labefactis, subveniretur remissione tributi in triennium.* Et Vibius Serenus [6] proconsule ulterioris Hispaniæ de vi publica damnatus, [7] ob atrocitatem morum in insulam

Gemini Rufi uxor. *Idem.*

1 *Potentiæ anxiam*] Multo minus est *potentiæ cupidum* esse, quam *anxium*. *Anxius* enim est, qui retinendæ, quam habet, omni cura incumbit, omnia aliorum facta dictaque sollicite circumspicit, & suspecta habet, tanquam sibi suæque potentiæ insidiantia. At *cupidus* esse potest, qui nec habet, uti liberti Neronis *apiscendæ potentiæ properi* 4, 59. aut qui habet quidem, & amat; sed nullo metu amittendi, quomodo supra 3, 56. Augustus, qui *suæ magnitudini fidebat.* Idem.

2 *Proximi*] Dictum videtur, quomodo 13, 15. *Proximus quisque Britannico.* superiore versu *intimos* appellaverat: *inter intimos avia.* Idem.

3 *Perstimulare*] Plus est quam stimulare, continet enim constantiam in stimulando, ad extremum usque, donec videlicet obtineatur, quod destinatum est. Nec de Augusta hæc debent accipi, tanquam adversus illam exstimulanda fuerit Agrippina; hoc enim supervacuum erat, quum jam ante anui isti esset invisa: sed de Cæsare, quem nova Agrippinæ contumacia excitari volebat Sejanus, *ut cunctationes ejus aperirentur* &c. 4, 71. Nam & *pravi sermones* non intelligi debent ab Agrippina perferendi, sed ab instigatoribus ejus, qui videlicet uterentur iis sermonibus ad extimulandos mulieris spiritus. Ejusmodi *pravi sermones* referuntur infra 4, 59. *Idem.*

4 *Nihil intermissa rerum cura*] Hoc est, interrupta ob luctum. *Idem.*

5 *Ægirensi*] Incertum qua fide id sit procusum. Utique jam exstat in Aldina. At Beroaldus habet *Æginesi*, dubium utrum cogitaverit de Ægina, an lineola temere superducta transpositæ per typographos sint literæ pro *Ægiensi*, quod manifeste scriptum extat in unica membrana, ut quum & Ægira & Ægium notissima sint illic oppida, certe nonnisi vitiose hanc deseri contingat. *Jac. Gronovius.*

6 *Proconsul ulterioris Hispaniæ*] Id est Bæticæ, quæ populo relicta, & ideo in ea Proconsul. Plura distinctius de Hispaniæ divisione infra ad 1. Hist. *Lipsius.*

Ulterioris Hispaniæ] Non nemo interpretatur Lusitaniam, sed dupliciter fallitur. semel, quod partem *ulterioris Hispaniæ* Lusitaniam, pro tota posuit. nam præter hanc continebatur hac appellatione Bætica quoque, sicut Plin. 3, 2. diserte tradit: iterum, quod eam posuit partem, quæ hic minime intelligitur. Sciendum enim est, quum olim, ut dixi, duas in partes Hispania distribueretur, citeriorem & ulteriorem, Augustum postea, quum provincias cum Senatu Populoque Romano divideret, ulteriorem bifariam secuisse, & Bæticam quidem reliquisse populo; citeriorem & Lusitaniam sibi vindicavisse: ac exinde per *ulteriorem Hispaniam*, Bæticam tantum intelligi cepisse, cui parti, post Lusitaniam proprio prætori attributam, totius appellatio uni hæserit. Vid. Dion. l. 53. Strabon. libro 3. Postea sex provinciæ factæ sunt ex Hispania, ut Sex. Rufus testatur, in quo ipso etiam Bætica & Lusitania distinguuntur. *Freinshemius.* Adde Lipsium ad lib. 1. Histor. c. 13. *Gronovius.*

Proconsul ult. Hisp.] Sic maluerunt legere Tacitum citeriores, quum Beroaldus edidisset *proconsule* expansa scriptura, ut meminerat continue in antecedentibus occurrisse. An hoc negligemus? Certe in MS. legitur *proconf.* Nequit dubitari, Beroaldi judicium universæ illi sequentium cohorti præferri debere. *Jac. Gronovius.*

7 *Ob atrocitatem temporum*] Placet olim emendatio, *atrocitatem morum.* quam velim distinctione juvari hoc modo: *de vi publica damnatus ob atrocitatem morum, in insulam.* Facilis exscribentium lapsus repetitione syllabæ, *tem morum.* Etsi non sum ignarus à Suetonio *temporum atrocitatem* dictam, Calig. cap. VI. sed hic ut censeo parum opportune. Puto autem pertinuisse ad Serenum caput hoc legis Juliæ: *Julia de vi publica tenetur, qui cum imperium potestatemve haberet, civem R. adversus provocationem necaverit, verberaverit, jusseritve quid fieri, aut quid in collum injecerit ut torqueatur.* Lipsius.

Ob atrocitatem] Nam sævitia Tiberii pœnas legitimas egrediebatur. hoc libro cap. 42. *Cæsar objectam sibi adversus reos inclementiam eo pervicacius amplexus.* l. x. DD. ad l. Jul. de vi publ. *Damnato de vi publica aqua & igni interdicitur.* Ergo arguitur *atrocitas temporum*, quod cum par esset, ut aqua & igni Sereno interdiceretur, Tiberius indulgens inclementiæ, eum in insulam deportavit; quod utique gravius erat interdictione. Interdictus enim non prius amittebat Civitatem, quam inter cives ejus cooptaretur, in qua sedem fixisset. Cic. pro dom. c. 30. Tac. 4. Ann. 43. Deportatus a. statim a sententia jus civitatis exuebat. Ulp. l. 11. DD. de pœn. Poterat interdictus (nisi aliud in sententia fuerat additum) se quocunque conferre: at non licitum deportato superare certos fines l. 4. DD. de pœn. Postremum ἡ αὐτονομία imperatoris & Ulpiani

insulam [1] Amorgum deportatur. [2] Carsius Sacerdos reus, tamquam [3] frumento ho-
stem Tacfarinatem juvisset, absolvitur; ejusdemque criminis C. Gracchus. Hunc
comitem exsilii admodum infantem, [4] pater Sempronius in insulam Cercinam tule-
rat. Illic adultus inter extorres & liberalium artium nescios, mox per Africam ac Si-
ciliam mutando [5] sordidas merces sustentabatur: [6] neque tamen effugit magnæ for-
tunæ pericula. Ac ni Ælius Lamia, & L. Apronius qui Africam obtinuerant, in-
sontem protexissent, claritudine infausti generis, & [7] paternis adversis foret abstra-
ctus. Is quoque annus legationes Græcarum civitatum habuit; [8] Samiis *Junonis*, 14
Cois *Æsculapii delubro, vetustum asyli jus ut firmaretur*, petentibus. Samii decreto
Amphictyonum nitebantur, quis præcipuum fuit rerum omnium judicium, qua
tempestate Græci conditis per Asiam urbibus ora maris potiebantur. Neque dispar
apud Coos antiquitas. & accedebat meritum ex loco. Nam cives Romanos templo
Æscu-

ni sie sedatur. Justinianus respicit ad sua tempora, quando desita interdictione deportatio tantum vigebat: vel is (licet pœnæ variassent) de iis agit, quasi jure vetere ad illum modum præfinitæ fuissent. Sic pœna legis Juliæ de adulterio apud Imperatorem est ultimum supplicium. Instit. de publ. Jud. quæ certe mitior fuit ab Augusto promulgata. Tacit. 3. Ann. *Salinerius.* Non minus verisimiliter ad voces, & aptius forte ad sententiam scripseris, *ob atrocitatem pœnarum.* Acidalius. Emendatio hæc à Lipsio est huic loco valde accommoda, cum habeant libri *ob atrocitatem temporum.* quam lectionem cum omnes constanter præferant, nec de atrocitate *merum* inculcandum esset Tacito in persona ejus, qui de vi publica damnabatur, suspicari in mentem venit, hæc ut alia nonnulla his libris loco suo mota esse, olimque cohæsisse cum narratione superiori versiculo proposita, in hunc forte modum: *remissione tributi in triennium, ob atrocitatem temporum.* Freinshemius.

1 *Amorgum deportatur*] Ἀμοργὸς, ἡ, καὶ Ἀμόργιον, μία τῶν Κυκλάδων, ἣ καὶ Παγκάλη. Vide Stephanum, περὶ πόλεων. *Muretus.*

2 *Carsius sacerdos*] *Sacerdotem* cognomen intelligo familiæ Carsiorum, quomodo fuit & Liciniorum. *Freinshemius.*

3 *Frumento hostem juvisset*] Quod læsæ majestatis crimen est. L. cujusque ad L. Juliam majest. D. libro 1. Machab. *Prœliantibus non dabunt neque subministrabunt triticum, arma, pecuniam, naves.* Sunt verba societatis initæ inter Judæos & Romanos. cap. 8. Et imperatores Valentinianus & Gratianus prohibent ad Barbaricam oleum, aut liquamen, aut vinum, ne gustus quidem gratia, portari. in Cod. L. Ad Barbaricam. De his quæ export. non deb. Paulus J. C. *Cotem ferro subigendo, & necessaria hostibus venundari, ut ferrum, & frumentum, & sales, non sine capitis periculo licet.* Aurelius.

4 *Pater Sempronius*] Qui adulter in Julia, supra lib. 1. *Lipsius.*

5 *Sordidas merces*] Quidam interpretantur minimi pretii. Sed ipsum crimen, cujus hic arcessitur Gracchus, interpretationem hanc repudiat: insimulabatur enim tamquam hostem Tacfarinatem juvisset. ut videatur vel hoc genus mercimonii exercuisse, vel certe aliud quodcunque non minimi lucri. Quod a. *sordidas merces* appellat auctor, fieri potest vel ipsarum respectu, si verbi gratia salsamenta vendidisset permutassetve; aut etiam aspectu personæ, in qua, ob dignitatem familiæ, etiam negotiatio mediocribus honesta, pro sordida reputari poterat. Ad hæc accommodari potest judicium Ciceronis de Offic. 1, 42. *Quibus artibus aut prudentia major inest, aut non mediocris utilitas quæritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honestarum, hæ sunt iis, quorum ordini conveniunt, honestæ. Mercatura a. si tenuis est, sordida putanda est; sin magna & copiosa* &c. *non est admodum vituperanda.* Magis itaque hic tolero, quod nonnulli vilissimas interpretati sunt, quia vilitas ea non tantum ad pretii mediocritatem pertinet; verum etiam ad mercium ipsarum licet charo comparatarum, sordes. *Freinshemius.*

6 *Nec tamen effugit*] Sunt sordes Aldinæ editionis, quas postea sequutæ maluerunt sibi affigere, quam vel Beroaldum vel Mstum inspicere, in quibus est *neque*, quod recepi. *Jac. Gronovius.*

7 *Paternis adversis*] Δυστυχίαις. *Muretus.* Pater ejus in Cercinam insulam relegatus fuerat: ergo siquidem, ut nonnulli ajunt, eadem pœna in hunc incubuisset, ipse quoque eodem erat relegandus. Neque recte, paternorum adversorum particeps fieret: quin illa jam aderant & miserum premebant: haud minus quam ipsa generis infausti claritudo. Quippe vox *abstractus* absolute posita est, neque subjicitur quo abstractus foret, sed subintelligitur extrema calamitas atque ultimum supplicium. ita 6, 26. *Pernicies Agrippinæ Plancinam traxit*, scil. in exitium. *Idem.*

8 *Samiis Junonis*] Virg. 1. Æneid. *Quam Juno fertur terris magis omnibus unam Posthabita coluisse Samo.* Muretus.

1 *Jussu*

Æsculapii induxerant, cum [1] jussu regis Mithridatis apud cunctas Asiæ insulas & urbes trucidarentur. Variis dehinc & sæpius irritis prætorum questibus, postremo Cæsar *de immodestia histrionum* rettulit; *multa ab iis in publicum seditiose, fœda per domos tentari:* [2] *Oscum quondam ludicrum* [3] *levissimæ apud vulgum oblectationis, eo flagitiorum & virium venisse, ut auctoritate patrum coercendum sit.* Pulsi tum histriones Italia. Idem annus alio quoque luctu Cæsarem adficit, alterum ex geminis Drusi liberis exstinguendo; neque minus morte amici. Is fuit [4] Lucilius Longus, omnium illi tristium lætorumque socius, [5] unusque è senatoribus Rhodii secessus comes. Ita quamquam novo homini, [6] censorium funus: effigiem [7] apud forum Augusti publica

1 *Jussu regis Mithridatis*] Uno die 150 millia civium Romanorum Mithridatis jussu trucidata sunt. Cic. pro lege Man. Livius lib. 78. Plutarchus in Sulla, Appianus in Mithridatico. *Idem.*

2 *Oscum ludicrum*] Quod celebratum Romæ, non Romana lingua. Strabo libro v. Ἴδιον δέ τι τοῖς Ὄσκοις καὶ τῷ τῶν Αὐσόνων ἔθνει συμβέβηκε. τῶν μὲν γὰρ Ὄσκων ἐκλελοιπότων, ἡ διάλεκτος μένει παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις, ὥστε ποιήματα σκηνοβατεῖσθαι κατά τινα ἀγῶνα πάτριον, καὶ μιμολογεῖσθαι. Censent idem, cum Atellanis ludis: nec errant. Nam Atella, Oscorum urbs. Sermo autem Oscus, diversus à Latino. Titinnius:

Qui Oscè & Volscè fabulantur, nam Latine nesciunt.

Quo & Campani usi videntur, &, ut Livius alibi me docet, Samnites. *Lipsius.*

Oscum] *Osci*, Strabo lib. 5. Cic. in Epist. ad Marium. *Muretus.* Faernus & Danesius legebant: *Oscum quondam ludum levissimæ*, &c. *ut auctoritate patrum coercendus sit.* Ursinus.

3 *Levissimæ apud vulgum oblectationis*] *Levissima oblectatio* non est parva aut minima, constat enim Romanos si qua alia re, his ludis esse delectatos: verum ita vocatur, quia gravitati principis populi non conveniret, ex re tam levi & ludicra quamtamcumque delectationem capere: pari modo quo præcedenti capite *sordidæ merces* sunt appellatæ. *Freinshemius.*

4 *Lucilius*] Equidem sic nomen scribunt. Attamen tibi persuade legi in MS. tantum *Lucilius*, non solum in hoc loco, sed etiam mox *Lucilius Capito.* Jac. Gronovius.

5 *Unusque è senatoribus*] Hoc est solus ex omni senatorum numero. Male quidam, tamquam plures ex senatu comites secessus habuerit Tiberius. quod ipsum est contrarium eorum, quæ Tacitus hic cum cura notat. *Freinshemius.*

6 *Censorium funus*] Quæri video quid sit censorium funus. Vertranius censuit, id esse in cujus nimiam pompam, ut in opus censorium, animadvertere Censoribus licuisset, nisi jussus Prætoris adfuisset. Nimis velim ad manum mihi laurus sit, quam mordeam: ita præcordia mihi saliunt ad risum. Alii idem putant Funus publicum, Funus, censorium, Funus indictivum. Non audio. arbitror ego Funus publicum & indictivum, eadem: nec aliud esse, quam cum denuntiatur & indicitur publicitus per præconem. Censorium, partem ejus esse: id est, ut omne Censorium funus, Publicum sit (qui enim aliter honoratum esse potest?) at non omne Publicum, Censorium. Ut inter magistratus, honoratissimi Censores, iique cumulus quasi reliquarum dignitatum: sic inter funera illud, primo loco. Itaque Capitolinus de Pertinace. *Funus imaginarium ei & Censorium ductum est, & ab ipso Severo funebri laudatione honoratus est.* Tacitus de Sabino fratre Imperatoris: *Funusque Censorium Flavio Sabino ductum.* Et lib. XII. *Decretum Claudio Censorium funus, & mox consecratio.* Qua ergo nota eximium hoc funus? Credo illa, ut omnia in eo purpurea essent, vestes stragulaque; in aliis, tantum purpura prætexta. Non obscure annuere mihi videtur Polybius, lib. VI. *Ubi autem præclarus aliquis ex domesticis obiit, instituunt funeris apparatum, & circumfusi qui similes magnitudine ac statura videntur, vestes capiunt; si consul vel prætor fuit, purpura prætextas; si censor, purpureas; si triumphalis, auro intextas.* Postrema Græce sic habent: Ἐὰν μὲν ὕπατος ἢ στρατηγὸς ᾖ γεγονώς, περιπορφύρους (intellige ἐσθῆτας λαμβάνουσι) ἐὰν δὲ τιμητὴς, πορφυρᾶς, ἐὰν δὲ καὶ τεθριαμβευκὼς, διαχρύσους. Publico autem funeri opponitur, Tacitum, id est, sine pompa, sine designatore, sine ludis, præcone, indictione, silens & quietum. Seneca. De Tranquillitate lib. I. c. I. *Quid opus est seculis duratura componere? Vis tu nunc id agere, ne te posteri taceant? Morti natus es, minus molestiarum habet funus tacitum.*

Add. E Polybii verbis suspicere distinctum Censorium funus à Triumphali fuisse, & hoc dignius. Mihi ita non videtur. Primum, quia nemo Latinorum Triumphale nominat. Deinde, quia Censorium reperio Principibus ipsis ductum, (ut Claudio, ut Pertinaci:) quos constat honestissimo affectos. Tertio, quia illa ipsa ornamenta quæ Triumphali tribuit Polybius, reperire est in illo. Vide Xiphilinum in Severo. Currum huic interventisse, ritu triumphantium, non opinor. Nam quod in Propertio legis.

Cujus honoratis ossa vehantur equis · verius est, *aquis*. & ille ipse poeta superiori ejus libri Elegia, in amne inferiore distinxit duplices sedes & navigationes.

ca pecunia patres decrevere. apud quos etiam tum cuncta tractabantur: adeo ut [1] procurator Asiæ Lucilius Capito, accusante provincia caussam dixerit, magna cum adseveratione principis, [2] *non se jus nisi in servitia & pecunias familiares dedisse: quod si vim prætoris usurpasset, manibusque militum usus foret; spreta in eo mandata sua: audirent socios.* Ita reus cognito negotio [3] damnatur. Ob quam ultionem, & quia priore anno [4] in C. Silanum vindicatum erat, decrevere Asiæ urbes *templum Tiberio matrique ejus ac senatui.* Et permissum statuere. [5] Egitque Nero grates ea caussa patribus atque avo, lætas inter audientium adfectiones, qui recenti memoria Germanici, illum adspici, illum audiri rebantur. aderantque juveni modestia, ac [6] forma principe viro digna, notis in eum Sejani odiis ob periculum gratiora. Sub idem 16
tempus *de flamine Diali in locum Servii Maluginensis defuncti legendo, simul roganda nova lege* disseruit Cæsar. *Nam* [7] *patricios confarreatis parentibus genitos, tres simul nominari,*

nes. Quod in Dione etiam scriptum funere Augusti, imaginem ejus unam (tres enim fuerunt) vectam ἐφ' ἅρματος πομπικοῦ, id est, *curru triumphali*, ut interpretes volunt: ego mallem, *curru pompali.* & Carpentum intellegam, quo per pompam Circensium dii transvecti. Hoc enim novi honoris genus apposite tributum novo divo. *Lipsius.*

Censorium funus] Arbitratur Lipsius funus publicum & indictivum idem esse, quod idem est ac si diceret publicum à privato nihil differre. Indictiva enim plurima mere privata sunt, licet per præconem populus evocaretur, καταγγέλλεται. Publica quidem funera indictiva fuerunt omnia: sed non omnia indictiva, publica: ut nec publica omnia, Censoria. Funus unicuique privato indicere licuit, & indictivo funere ex ædibus efferri præco eos dicit qui è tabernis efferuntur. At tabernæ humiles & privatæ domus sunt. *Gutherius.*

7 *Apud forum Augusti*] Ubi in utraque porticu ab ipso Augusto locatæ statuæ omnium veterum ducum. Suetonius. *Lipsius.*

1 *Procurator Asiæ*] Eadem omnia è Tacito Dio, libro LVIII. in extremo. *Lipsius.*

2 *Ne se jus*] *Non se ei jus.* Muretus.

3 *Damnatur*] Ne de ultimo supplicio intelligas, ut ex Dionis testimonio, subaudio, *in exilium.* Vertranius.

4 *In C. Silanum*] Qui relegatus erat in insulam Cytheram. *Muretus.*

5 *Egitque Nero grates*] Nero Germanici filius. *Muretus.* Hinc observabis, solitum fuisse principibus adolescentibus, publicam aliquando causam suscipere, ut provincialium gratiam acquirerent, studiumque eloquentiæ ostenderent. Sic de Claudio Nerone sextumdecimum annum agente, Tacit. l. XII. *Utque studiis honestis, & eloquentiæ gloria nitesceret, causa Iliensium suscepta.* & de eodem Sueton. VI. *Pro Bononiensibus Latine, & pro Rhodiis atque Iliensibus Græce verba fecit.* Tiberius quoque: ut idem testatur Suet. c. 8. *Civilium officiorum rudimentis Regem Archelaum, Trallianos & Thessalos, varia quosque de causa, Augusto cognoscente defendit. Pro Laodicenis, Thyatirenis, Chiis terra motu afflictis, opemque implorantibus, Senatum deprecatus est.* Pichena.

6 *Forma principe viro digna*] Euripides: εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Vide nostras Varias. *Muretus.*

7 *Nam patricios confarreatis parentibus*] Non alibi tam expressi ritus in legendo Diali. Ait, *patricios.* Quia cum quindecim Flamines essent, ex iis tres primi instituti à Numa, non nisi ex patribus legebantur: iique Majores dicti. alii etiam è plebe, appellatique Flamines minores. Addit, *confarreatis parentibus.* quia, ut Plinius ait, *in sacris nihil religiosius confarreationis vinculo erat.* Triplex enim matrimonii contrahendi mos, Usu, Farre, Coëmptione. Antiquissimum genus, Farre videtur, quod Dionysius appellat γάμοι κατὰ τοὺς ἱεροὺς νόμους. eratque necessum non solum Flaminem nasci confarreatis parentibus, sed & ipsum cum Flaminica farre jungi. Servius Danielis in excerptis à Pithœo: *Tribus modis apud veteres nuptiæ fiebant. Usu, si, verbi gratia, mulier anno uno cum viro, licet sine legibus, fuisset. Farre, cum per Pontificem Max. & Dialem Flaminem per fruges & molam salsam conjungebantur: unde Confarreatio appellatur, ex quibus patrimi & matrimi nascebantur. Coemptione vero atque in manu conventione, cum illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat, ut si quis prior fuisset defunctus, locum hereditatis justum alteri faceret.* Iterum alibi: *Quid enim est aliud dextra, quam in manum convenire? quæ conventio eo ritu perficitur, ut aqua & igni adhibitis duobus maximis elementis, natura conjuncta habeatur. quæ res ad farreatas nuptias pertinet, quibus Flaminem & Flaminicam jure Pontificio in Matrimonium necesse est convenire.* Et paullo post: *Mos fuit Flamini ac Flaminicæ, ut per Farreationem in nuptias convenirent, sellas duas jugatas, ovilis pelle superinjecta poni, ejus ovis quæ hostia fuisset: & ibi nubentes velatis capitibus in confarreatione Flamen ac Flaminica residerent. Confarreationes autem tonitru dirimit.* Pulchræ reliquiæ. Adde Festum in Diffarreatio, & Arnobium lib. IV. *Uxores enim dii habent, atque in conjugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæsitis.*

minari, ex quis unus legeretur, vetusto more; neque adesse ut olim, eam copiam, omissa confarreandi adsuetudine, aut inter paucos retenta. pluresque ejus rei caussas adferebat; potissimam, [1] penes incuriam virorum feminarumque. [2] Accedere ipsius cærimoniæ difficultates, quæ consulto vitarentur; [3] & quando exiret è jure patrio, qui id flaminium apisceretur, quæque in manum flaminis conveniret. Ita medendum senatus decreto, aut lege; sicut

Usu, farreo, coëmptione, genialis lectuli sacramenta conducunt, Lipsius.

Patritios confarreatis parentibus] Plinius l. 18. *Quin & in sacris nihil religiosius confarreationis vinculo erat: novæque nuptæ farreum præferebant.* Constat a. ex hoc loco, pervetustas valdeque difficiles fuisse cærimonias contrahendi matrimonii per confarreationem. De hoc Boëthius in Top. Cicer. lib. 2. prope initium. *Ferretus.* Cum ex lege Regia mulier in viri manum conveniret, certis verbis (quæ utinam ex Ulpiani scriptis superessent, uti hoc superest) testibusque præsentibus, solenni sacrificio facto, panis farreus, ante novam nuptam delatus, aderat, quem conjuges participarent: inde ductum saceri nomen *farreatio*, aut *Confarreatio*, cujus vinculo nihil religiosius Plinius ait l. 18, 3. & Dionysius Antiquitatum l. 2. *Vertranius.* Tribus modis nuptiæ fiebant, usu, farre, coëmptione. Boëthius in Topica, Ulpianus tit. 9. *Farre convenitur in manum, certis verbis, & testibus decem præsentibus, & solemni sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur.* Muretus.

1 *Penes incuriam*] Ego potiorem causam existimavi, Coëmptionem, per quam matrimonio contracto, mulier minori negotio & pari jure, ac si per farreationem, in viri manum & potestatem transiret. Qua de satis multa quæstione Juris trium liberorum emisi. *Vertranius.*

2 *Accedere ips. car. difficultates*] Securos opinor esse de hac lectione viros doctos, qui sic ediderunt, forsan quod librum illum posthac a nullo inspectum iri crederent. Sciat tamen quicunque lector in MS. unico scribi *accederet*, idque non videtur cura indignum, quia innuit Taciti manum dedisse: *Accedere & ipsius cærimoniæ difficultates, quæ consulto vitarentur, & quando* &c. Sic geminatio voculæ & solet poni pro *tum* geminato. Ita & Rhenani quæsitivum & Lipsii defectus pro irritis sunt. Alterum vero *e* omissum est ex consuetudine scribæ hujus, quæ patuit in fine capitis 11. *Jac. Gronovius.*

3 *Et quando exiret*] Defectum locum censeo: & deesse quæ ad cæremoniarum difficultatem pertinent. Qui cautus cæremoniæque Flaminio adjunctæ, habes apud Agellium lib. x. cap. xv. *Lipsius.*

Et quando exiret] Lego quæsitive; *Ecquando exiret è jure patrio, qui id Flaminium adipisceretur, quæque in manum Flaminis conveniret?* Rhenanus. Ego nihil muto, sed *quando*, pro *Quoniam*, à Cornelio familiarissime usurpatum, expono, auctore Pompejo lib. xv. Scripti a. sententia est: Licet moris esset capi flaminem ex confarreatis patribus natum, desiit tamen matrimonium per confarreationem contrahi, quoniam filius ex eo natus, si deinde flamen fieret, vel filia, si per sacras nuptias in viri jam flaminis, futurive, potestatem veniret, è vinculis patriæ potestatis evolarent: quod patres tam graviter molesteque tulerunt, quam patria potestas inæstimabilis res & est, & dicitur. Duplicem vero philologus ex hoc loco fructum historiæ metet: unus est, in ea forma dicendi, *in manum convenire*, quod alii *in matrimonium* dicunt, ut Agellius l. 18. c. 6. & ita à Papiniano Pauloque scriptum referunt libri Digestorum Etrusci. Alter fructus percipitur ex eo, quod filia quæ flamini farreatione nupsisset, in mariti, non etiam patris manu fuit: tametsi nupta per coëmtionem nec emancipata in patris & mariti potestate fuerit: quod alibi me fidissimis testimoniis recordor asseruisse. *Vertranius.* Qui patria potestate liberantur, aliquando capite minuuntur, ut qui emancipantur: venduntur enim: aliquando non: ut olim qui fiebant flamines Diales, hodie qui Episcopi. Ne ii quidem capite minuebantur, qui morte patris fiebant juris sui. Liberabantur & Flaminicæ, fiebantque in viri potestate dum convenirent in manum: Quanquam alioqui nuptiæ non liberent à potestate patria: nam & filius qui uxorem duxit, manet in potestate patris, & filia familias quæ nupsit. Ulpianus tit. 10. *In potestate parentum esse desinunt, & hi qui Flamines Diales inaugurantur, & quæ virgines Vestæ capiuntur.* Vide & Gellium 10, 15. *Muretus.* Defectum esse censent viri docti: mihi aliter videtur. Inter causas omissæ confarreationis, has adfert: unam, cæremoniæ difficultates, quas vel incuria negligerent, vel consulto vitarent. Alteram, ob privilegia liberorum, qui flamines aut flaminicæ: quia ii adepto sacerdotio statim exibant è patris potestate: quod nolebant patres, & ne inviti paterentur, omittebant usum confarreationis, ne liberi eorum in id sacerdotium legerentur. Nam alioqui filii, etiam honoribus aucti, filiæ, etiam nuptæ, manebant tamen in patris potestate, ut notum est è nostris legibus. Re deliberata, Senatus in ipsis cærimoniis & in jure flaminis nihil mutat: in jure flaminicæ hoc tantum, quod sacrorum causa in manu viri est, cetera in manu & potestate patris, sicuti aliæ feminæ. De confarreatione multa docte notata, & ex omnibus clarum, sanctas habitas eas nuptias. ideo prisci moris servantissimus Apulejus Cupidinis nuptiis eam adhibet, loco vulgo corrupto, quem obiter emendabo lib. v. Miles. *Ego vero sororem tuam & uo-*

sicut Augustus quadam ex horrida illa antiquitate, ad præsentem usum flexisset. Igitur tractatis religionibus, placitum *instituto flaminum nihil demutari.* Sed [1] lata lex, qua *flaminica Dialis* [2] *sacrorum caussa in potestate viri,* [3] *cetera promiscuo feminarum jure ageret.* & filius Maluginensis patri suffectus. Utque glisceret dignatio sacerdotum, atque ipsis promptior animus foret ad capessendas cærimonias, decretum *Corneliæ virgini*, quæ in locum Scantiæ [4] capiebatur, [5] *LLS. XX. & quotiens Augusta theatrum introisset, ut* [6] *sedes inter Vestalium consideret.* Cornelio Cethego Visellio Varrone con- 17
sulibus Pontifices, eorumque exemplo ceteri sacerdotes, [7] cum *pro incolumitate Principis* [8] vota susciperent, *Neronem* quoque & *Drusum* iisdem diis commendavere; non tam caritate juvenum, quam adulatione: [9] quæ moribus corruptis, perinde an-

ceps

& nomen quo tu censeris ajebat, jam mihi confestim arra atque his nuptiis conjugabo. Lib. vett. constanter habent, *confestim arreat his nuptiis.* Scilicet scripsisse illum, *jam mihi confarreatis nuptiis conjugabo.* Mercerus. Ut hæc cum superioribus nectas, non *Et* legendum, sed vel *Ob id*, vel quid aliud in eam mentem. Causas n. prioribus recensuit, cur de jure flaminis & flaminicæ novando decernendum, quas ita claudit. Etiam hæc ipsa, male puncto à se invicem divulsa, sic distingue: *Ob id quando exiret &c. conveniret, ita medendum senatus decreto.* Acidalius. Assentior Vertranio, cui locus integer: hæc est n. tertia, & ultima causa desitæ confarreationis: prima in incuriam, secunda rejicitur in difficultates. *Et quando.* Ut *Et quando de religionibus tractabatur* lib. 3. Ann. *Salinerius.*

1 *Flaminica Dialis*] Flaminia, appellari mulier ipsa videtur, ex lapide prisco, MARCELLA. FLAMINIA. AVGVSTÆ. *Lipsius.*

Lata lex, qua Flaminica &c.] Lata lex est, qua flaminis uxor in solius mariti, non etiam in patris potestate esset, quantum ad sacra & eorum rationem attinet, quæ cincta, vesteque velata Flaminica faciebat, & sibi ministram Flaminiam habebat, auctoribus Pompejo & Agellio lib. 6. & 10. c. 15. Ex quibus emendandus videtur locus Tertulliani, exhortatione ad Castitatem, ibi, *Flaminia non nisi univira est, quæ Flaminis lex est.* Erunt tamen quibus legere placebit, eo quod ex Auximo Italiæ fertur inscriptio, *VRBIA. L. F. MARCELLA. FLAMINIA. AVGVSTÆ. MARITO.* &c. Ego non moveor. *Vertranius.* Recte, *Flaminica.* Ita semper Gellius, Festus, Servius, alii: & aliam esse *Flaminiam* ostendit Festus, sacerdotulam videlicet, quæ Flaminicæ præministrat, ut *Flaminius Camillus*, qui ministrat Flamini. De hac sacerdotula capio antiquum lapidem. MARCELLA. FLAMINIA. AVGVSTÆ. & Ovid. 11. Fast. *Ipse ego Flaminiam poscentem februa vidi.* quamvis secus alii. *Mercerus.*

2 *Sacrorum causa*] Quod quædam sacra obiri oporteret à Flaminica, quæ obiri nefas putaretur ab ea, quæ alia potestate, quam viri contineretur. *Muretus.*

3 *Cætera promiscuo feminarum jure ageret*] Hæc accipienda sunt, ut flaminis uxor sicut aliæ feminæ, quæ per coëmtionem, confarreationemve alii quam flamini nupsissent, extra causam sacrorum, in patris simul & mariti manu esset: alioquin Flaminii lex non substiterit. Cum autem ex causa divertere mulieribus prohibitum non esset, *Flaminica divortium nullo modo facere licebat*, inquit Festus lib. 6. Plane quod dei sacris & sacerdotio una cum matrimonio satisfacere minus posset, propter sacerdotium alius sacerdos, divertisse ab uxore, bona gratia potuit. teste Hermogeniano. D. de donationib. inter virum & uxorem 60. & 62. at Flamen Dialis non potuit. Sic enim ex libro Fabii Pictoris Agellius refert 10, 15. *Flamen uxorem si amisit, Flaminio decedit: Matrimonium Flaminis nisi morte, dirimi non est jus.* Vertranius.

4 *Capiebatur*] Supr. 2, 86.

5 *HS vicies*] Octo millia scutatorum monetæ. *Muretus.* Ut curiosis satisfaciam, hujus numeri notas, quomodo se habent in Man. hic delineavi. h̄ s̄ x̄x. *Pichena.* Ego a. opinor legendum *sestertium vicies.* quæ summa centuplo est amplior. nam illa altera liberalitas à contumelia quam honore tam dantis quam accipientis propius adfuerit. & sane 2, 86. Agrippæ filiam idem ille *Cæsar, quamvis posthabitam, decies sestertii dote solatus est.* ut ita non mirum fuerit duplum ejus pecuniæ, huic, quæ capiebatur, datam. efficiunt autem LLS. XX. circiter quinquaginta nummorum Imp. millia; quantum agitatori suo contulisse successorem Tiberii Cajum scribit Sueton. c. 55. *Freinshemius.*

6 *Sedes inter Vestalium*] Quibus locus è regione Prætoris. Suetonius Aug. cap. XLIV. *Solis virginibus Vestalibus locum in theatro separatim, & contra Prætoris tribunal dedit.* Lipsius.

7 *Cum pro incolumitate &c.*] Prima decennalia Tiberii. Lege quæ narrat Dio lib. 53. Sic antiquitus 3. Nonas Januar. fiebant vota pro salute Imp. Plutarch in Cic. Solvebantur a. quinquennalia, aut decennalia, pro quinquennio, decenniove præterito. Suscipiebantur, scribebantur in tabulis, & signabantur pro futuro. *Muretus.*

8 *Vota susciperent*] De quibus dicam Annali XVI. Ceterum notat Dio hoc anno prima decennalia Tiberii Cæsaris celebrata: quorum originem pete ab

ceps si nulla, & ubi nimia est. Nam Tiberius haud unquam domui Germanici mitis, tum vero *aquari adolescentes senecta sua*, impatienter indoluit: accitosque Pontifices percunctatus est, *num id precibus Agrippinæ, aut minis tribuissent.* Et illi quidem quamquam abnuerent, modice perstricti, (etenim pars magna è propinquis ipsius, aut primores civitatis erant:) ceterum in senatu, oratione [1] monuit in posterum, *ne quis* [2] *mobiles adolescentium animos, præmaturis honoribus ad superbiam extolleret.* Instabat quippe Sejanus, incusabatque *diductam civitatem, ut civili bello; esse qui se partium Agrippinæ vocent: ac ni resistatur, fore pluris, neque aliud gliscentis discordiæ remedium,*
18 *quam si unus alterve* [3] *maxime prompti subverterentur.* Qua causa [4] C. Silium & Titium Sabinum adgreditur. amicitia Germanici perniciosa [5] utrique; Silio, & quod ingentis [6] exercitus septem per annos moderator, [7] partisque apud Germaniam triumphalibus Sacroviriani belli victor, quanto majore mole procideret, plus formidinis [8] in alios dispergebatur. credebant plerique auctam offensionem ipsius intemperantia, immodice jactantis, *suum militem in obsequio duravisse, cum alii ad seditiones prolaberentur: neque mansurum Tiberio imperium, si iis quoque legionibus cupido novandi fuisset.* Destrui per hæc fortunam suam Cæsar, [9] imparemque tanto merito rebatur. Nam [10] beneficia eo usque læta sunt, dum videntur exsolvi posse: ubi multum antevene-
19 re, [11] pro gratia odium redditur. Erat uxor Silio Sosia Galla, caritate Agrippinæ invisa

eodem scriptore lib. IIII. *Lipsius.*

9 *Quæ moribus corruptis*] Gnome sub Tiberio verissima, & alibi à nostro diversis verbis exarata. l. 3. Ann. *Scilicet illum qui libertatem publicam nollet, tam projecta servientium patientia tædebat.* quodnam igitur sub eo tutum iter? quod institit Lepidus summæ sapientiæ vir, trivitque. *Inter abruptam contumaciam, & deforme obsequium pergere iter ambitione & periculis vacuum.* Salmerius.

1 *Monuit in posterum*] *Monendi* verbum, hoc loco auctoritatem atque potestatem includit: Ita Sup. 3, 6. *Monuit edicto.* Freinshemius.

2 *Mobiles adolescentium animos*] Intelligo *mobiles.* At me hercule, si quid judico, melius hic, *nobiles*, quod mecum probabit, quisquis paulo accuratius omnia in rem cogitabit. *Acidalius.*

3 *Maxime prompti*] Sane *promptus* interdum ea significatione ponitur, ut pro *opportuno*, qui facile impelli possit, accipiatur: quomodo 15, 19. conjunguntur *prompta & obvia.* Sed hic rectius exponatur *promptus*, audax & θρασὺς, minime enim ipsa res patitur, ut Silius & Sabinus, de quibus statim sequitur, præ cæteris Agrippinæ cultoribus, veris, sive simulatis, ad injurias opportuni fuisse credantur. *Freinshemius.* Cicero lib. 2. Famil. ep. 18. *tres fratres, summo loco natos, promptos, non indisertos, te nolo habere iratos.* Justinus lib. 22. *explebe quoque locupletissimos & promptissimos interficit.* Noster in Agricola: *multi fortuitis casibus, promptissimus quisque sævitia principis interciderunt.* Gronovius.

4 *C. Silium & Titium Sabinum*] Legendum est, *Titurium Sabinum.* Muretus.

5 *Utrique Silio, & quod*] Levis distinctio, sed in qua ad sententiæ lucem grande momentum: *L. utrique: Silio &, quod ingent. &c.* i. Silio etiam id perniciosum, præter amicitiam Germanici, quod &c. *Acidalius.* Nota hic vim particulæ *&*, quæ posita est pro etiam, vel insuper, hoc sensu: utrique perniciosa erat amicitia Germanici, sed præter illam Silio hoc quoque *quod ingentis exercitus* &c. quomodo infra 4, 34. *Id perniciabile reo, & Cæsar truci vultu defensionem accipiens.* Adde 4, 74. & 6, 18. Falluntur ergo, qui aliter hic scribunt aut explicant. *Freinshemius.*

6 *Exercitus septem per annos*] Apud ripam Rheni, ut dictum est lib. 1. *Muretus.*

7 *Partisque apud Germaniam triumphalibus*] Grave erratum est interpretis, qui diversissima duo, *triumphalia* videlicet *in Germania* parta, & *victoriam Sacroviriani belli* conjunxit; tamquam ob bellum Sacrovirianum, triumphalia ista accepisset Silius. Sed hæc quidem acceperat diu antequam bellum Sacrovirianum moveretur; ob res in Germania cum Germanico gestas, 2, 72. At bellum Sacrovirianum in Gallia ortum oppressumque est 3, 40. & 43 & seqq. *Freinshemius.*

8 *In alios dispergebatur*] Ita Man. vulgo *dispergatur.* Pichena. Quod vulgo fieri ait, intellige potissimum de Lipsianis editionibus. Nam Beroaldus & Aldus caste retinuerunt ex MS. imperfectum. *Jac. Gronovius.*

9 *Imparemque tanto merito*] Alii legunt *imparemque se tanto merito.* Ego nihil muto; nam eandem fortunam suam Cæsar tanto merito imparem rebatur. *Pichena.*

10 *Beneficia eo usque læta sunt*] Senec. Ep. 19. Et Epist. 82. in fine. Et de Benef. l. 2. c. 24. *Tutius est quosdam offendere, quam demeruisse; argumentum nihil debentium, odio quæritur.* Idem.

11 *Pro gratia odium redditur*] Seneca Epist. XIX. *Quidam*

invisa principi. Hos corripi, dilato ad tempus Sabino, placitum: immissusque Varro consul, qui *paternas inimicitias* obtendens, [1] odiis Sejani per dedecus suum gratificabatur. precante reo *brevem moram*, *dum accusator consulatu abiret*, adversatus est Cæsar. *solitum quippe magistratibus*, *diem privatis dicere: nec infringendum consulis jus*, *cujus vigiliis niteretur*, *ne quod respublica detrimentum caperet*. Proprium id Tiberio fuit, scelera nuper reperta priscis verbis obtegere. Igitur [2] multa adseveratione, quasi aut legibus cum Silio ageretur, [3] aut Varro consul, aut illud respublica esset, coguntur patres; silente reo, vel si defensionem cœptaret, non occultante cujus ira [4] premeretur. *Conscientia belli Sacrovir diu dissimulatus*, *victoria per avaritiam fœdata*, *&* [5] *uxor Sosia* arguebantur. nec dubie repetundarum criminibus hærebant: sed cuncta quæstione majestatis exercita, & Silius imminentem damnationem voluntario

fine

Quidam quo plus debent, *magis oderunt. Leve æs alienum*, *debitorem facit: grave*, *inimicum*. Lipsius.

Pro gratia odium] Hæc crebro dicta Romæ, adeo ut etiam inventa sint in inscriptione sepulchri Alexandri ex cæmiterio Callisti, ubi ille *Alexander vitam explevit cum Antonino Imp. qui ubi multum beneficii antevenire previderet*, *pro gratia odium reddit* &c. ut exstat in Roma Subterranea 6, 50. p. 374. *Jac. Gronovius.*

1 *Odiis Sejani p. d. s. gratificabatur*] Est manifesta imitatio Sallustii ex cap. 3. belli Jugurth. *Nisi forte quem lubido tenet potentiæ paucorum decus atque libertatem suam gratificari.* Idem.

2 *Multa adseveratione*] *Adseveratio* nihil hic est aliud, quam quod nos dicimus *ernst*. etiam de ficta tantum & adsimulata severitate. Est igitur tantum adsimulatio & larva quædam serii negotii, quod tamen revera longe alio modo, quam appareat tractetur. Sicut in præsenti causa nihil erat certius, quam ira Tiberii Silium premi, & jam exitio destinatum, nec quocumque modo illud effugiturum esse: verum hoc occultabatur; & inducebatur species alia, tamquam apud patres reus ille postularetur. qui libero, ut quondam, quid firmarent mutarentve, causæ cognitionem essent suscepturi. Sed hæc omnia inania fuisse arguit, & imaginem sine vi retinuisse; neque enim revera legibus cum Silio actum esse (quanquam eæ obtenderentur) neque etiam præsentem rerum statum *reipublicæ* appellationem mereri, quum ab unius nutu penderent omnia. Hanc ego rem non possum explicare evidentius, quam nescio cujus festivissima comparatione; qui homines quosdam in rebusp. ait reperiri, Caryatidibus aut Atlantibus similes, qui licet nihil omnino ferant, eam tamen asseverationem vultu gestuque præferunt, tamquam universum ædificii onus soli sustinerent. *Asseverare* enim non semper idem est quod *affirmare*. Sicut *asseverare frontem* apud Apulejum l. 3. Metam. est *contrahere & formare ad severitatem*, *serium intueri*. Sic apud nostrum 13, 18. *Viri gravitatem adseverantes*, dicuntur vultu eam gestuque & sermone aliaque specie præferentes. *Freinshemius.*

3 *Aut Varro consul*] Ut Varro verbo consul erat, re mancipium; ita & *respublica* nomen quidem jactabatur, penitus autem tyrannis erat. quod adposite potest exprimi per hæc Dionis 54, 4. *τόν τι τῆς ἐλευθερίας σχῆμα ἐφαντάζετο, καὶ τὰ τῆς δυναστείας ἔργα ἐγίγνετο. Freinshemius.* Corrigo locum palam corruptum: *quasi aut legibus cum Silio ageretur*, *aut per Varronem consulem*, *aut illud reipublicæ interesset.* Hæ tres enim sunt causæ. ob quas senatus legitime poterat cogi, quasi negotium Silii exigeretur ad leges, aut persecutio fieret instinctu Varronis consulis, aut res esset, quæ magnopere ad remp. pertineret. *Harlæus.* At tu cave tam infeliciter corrigenti auscultes. Cicero 7. fam. 30. *sella Q. Maximi*, *quem illi Consulem esse dicebant.* libro 9. epist. 14. *quem quidem*, *post te consulem solum possumus vere consulem dicere.* libro 4. epist. 2. *te frustra in senatum*, *sive potius in conventum senatorum esse venturum.* Gronovius.

4 *Premeretur. Conscientia belli*] Non modo exigua venustas est in hac distinctione, sed omnino nulla, utpote per quam illa quæ antecedunt ab *τῷ silente* pendent nec habent, quibus junctis concordiam reddant amœnam loquendi; quæ certe existit, si levius distinxeris, nempe *coguntur Patres*, *Silente reo*, *vel si defensionem cœptaret*, *non occultante*, *cujus ira premeretur*, *conscientia* &c. Jac. Gronovius.

5 *Uxor Sosia*] Non id ei crimini dabant, quod Sosiam duxisset; verum quod uxorem suam, cujus nomen obiter adjicitur, ab injuriis provincialium non abstinuisset. *Nam* viri in eo culpam, si femina modum excedat, sup. 3, 34. audivimus. ubi etiam præced. c. adfirmaverat Cæcina, *quoties repetundarum aliqui arguerentur*, *plura uxoribus objectari.* Facem dictis adducere potest etiam Ulpianus in l. 4. §. 2. de Offic. procos. *Proficisci autem proconsulem melius quidem est sine uxore: sed & cum uxore potest: dummodo sciat senatum Cotta Messalino censente*, *constituisse* (sic puto leg. ex Tacit. 6, 20.) *futurum*, *ut si quid uxores eorum*, *qui ad officia proficiscuntur*, *deliquerint*, *ab ipsis ratio & vindicta exigatur.* Freinshemius.

20 fine prævertit. Sævitum tamen in bona, [1] non ut stipendiariis pecuniæ redderentur, quorum nemo repetebat: [2] sed liberalitas Augusti avulsa, computatis singillatim [3] quæ fisco petebantur. ea prima Tiberio erga pecuniam alienam diligentia fuit. Sosia in exsilium pellitur Asinii Galli sententia, qui *partem bonorum publicandam, pars ut liberis relinqueretur*, censuerat. contra Manius Lepidus *quartam accusatoribus* [4] *secundum necessitudinem legis, cetera liberis* concessit. Hunc ego Lepidum, temporibus illis,

1 *Non ut stipendiariis*] Id est, Gallis provincialibus, quos exhauserat. *Lipsius.*

Stipendiariis] *Provinciales* quia ferme *stipendiarii & tributarii, vectigalesque* fuerunt, interdum aliquo nominum horum designantur. Hoc sensu 11, 22. *stipendiaria jam Italia, & accedentibus provinciarum vectigalibus.* Quamquam non omnia oppida, quæ in provinciis erant sita, stipendiaria essent. Quam differentiam egregie docent quum alia Plinii loca, tum ex 3, 3. de Hispania citeriore: *Provincia ipsa* CLXXIX. *continet oppida. in iis colonias* XII. *Oppida civium Romanorum* XIII. *Latinorum veterum* XVII. *fœderatorum unum, stipendiaria* CXXXVI. Sunt igitur *stipendiarii* ea pars provinciæ, quæ stipendia pendit. unde patet quid infra 4, 73. sit *stipendiarius Cruptorix.* Freinshemius.

2 *Liberalitas Augusti avulsa*] Alii aliter, in loco, ut solet, obscuro. & ferè intellegunt, avulsis separatisque iis, quæ Augustus dono ei dederat, reliqua petita in fiscum. Ego putarem, illa vel maxime obnoxia fuisse, & ut ab ingrato repetenda. Sed meo judicio, nihil hic de primo Augusto, de Tiberio ipso sermo est: & hic denique avaritiam ejus se revelasse, anteà occultam. Legerem pro hoc sensu, *Augusti convulsa.* Suprà Tacitus dixit, *Tiberium adversus pecuniam satis firmum fuisse:* & alibi sic ostendit. *Lipsius.*

Sed liberalitas Augusti] Danesius addebat ex v. e. particulam, *&*, legebatque: *sed & liberalitas*, &c. *Ursinus.* Non carent hæc obscuritate, cui tamen sic obviam iri potest. Si à provincialibus quis repetundarum argueretur, & convinceretur, in quadruplum lis æstimabatur. at hic nemo provincialium repetebat. Ergo hujusmodi bona Tiberius sibi adjudicavit, quod iis potius inhiaret, quæ liberaliter Augustus in Silium contulerat; quam ut satisfieret provincialibus, quorum nemo res persequebatur. *Salinerius.* Corruptus mihi videtur locus. Si tamen, ut se habet, defendendus sit, innuit, plurima Augustum Silio liberaliter olim dono dedisse, nempe hortos, villas amœnas & similia. quorum aviditate motus Tiberius in Silii bona sæviit: curavitque computari singillatim ea omnia, quæ fisco petebantur, ut scilicet inter illa, comprehenderentur etiam Augusti dona. Alium sensum, fortasse non absurdum, excogitavit Franciscus Venturius, scilicet: sed liberalitas, qua Augustus usus, quamque Tiberius usque ad hæc tempora imitatus est, tum primum corrupta. *Pichena.* Varii varie locum hunc exponunt: mihi certum est de primo Augusto sermonem hic esse, non de Tiberio, quem noster nusquam Augustum nominat ex sua persona. Sensum porro hujus periodi hunc esse putem, ut dicat in bona Silii sævitum esse, non ut redderentur provincialibus, quæ ipsis eripuisset, sed ut repeteretur pecunia, quam ex liberalitate Augusti cum alias, tum etiam præcipue, credo, ex testamento ejus cepisset, atque ita singulæ res, quæ fisco petebantur, æstimatæ computatæque sunt, donec ista summa conficeretur. *Freinshemius.* Satis obscurum mihi videtur, si quid aliud in hoc scriptore. Sequutus autem sum hunc sensum: ereptum esse, quidquid Augusti liberalitate umquam accepisset: & donec ea summa conficeretur, optima & preciosissima quæque æstimata, & procuratori fisci adjudicata esse. Sic 1. H. 90. Ubi vide. Clarior futura res erat, si de insigni aliqua principis ejus liberalitate, hunc in hominem collata, constaret: sed quando nihil ea de re adnotatum ad nos pervenit, tamquam in tenebris micandum est. *Freinshemius.*

3 *Quæ fisco petebantur*] Quî fit, ut fiscus ejus invadat bona, qui sua manu damnationem præverterat? Tacit. 6. Ann. 29. *Nam promptas ejusmodi mortes* &c. Silius in reatu majestatis mortem sibi conscivit, *sed cuncta quæstione majestatis exercita.* Labeo concidit aliis de causis. *atque illum quia male administrata provincia aliorumque criminum urgebatur.* Discrimen haud absimile etiam fuit reis obeuntibus mortem naturalem. Ulp. l. fin. DD. ad l. Jul. majest. *Is qui in reatu decedit: integri status decedit: extinguitur enim crimen mortalitate, nisi quis forte majestatis reus fuit.* Salinerius.

4 *Secundum necessitudinem legis*] Legis, ut censeo, Juliæ de Majestate. Nam quod alii de Papiâ suspicantur, refuto. Dicit à me Tacitus, qui cuncta in hac quæstione exercita scribit lege Majestatis. Quarta autem præmium, non in hac solum, sed etiam De repetundis lege. de qua ipsa nihil abnuo, quin hic accipiamus. Asconius in Verrem non uno loco ostendit, Quadruplatores dictos à præmio quartæ, quam consequebantur. Innuit ipse Cicero lege & more id receptum. *Non enim*, inquit, *spolia C. Verris, sed existimationem populi Rom. concupivi.* Fortassè & in criminibus aliis præmium idem. Ideo vulgare præmium id interpreter in Paullo, libro XIII. De jure fisci: *Heredem*, ait, *ejus ultra vulgare præmium nihil consecuturum.* De lege Majestatis, auctor mihi adfirmandi Josephus l. XIX. ubi de servis, quos Cajus in dominos emittebat:

illis, gravem & sapientem virum [1] fuisse comperio. [2] Nam pleraque ab sævis adulationibus aliorum, [3] in melius flexit: [4] neque tamen temperamenti egebat, cum æquabili auctoritate & gratia apud Tiberium viguerit. Unde dubitare cogor, fato & sorte nascendi, ut cetera, ita principum inclinatio in hos, offensio in illos: an [5] sit aliquid in nostris consiliis, liceatque [6] inter abruptam contumaciam, & deforme obsequium, pergere iter ambitione ac periculis vacuum. [7] At Messallinus Cotta haud minus

bat: ῥᾴδιον γὰρ, inquit, ψευδομένοις τε κατὰ τῶν κυρίων πιστεύεσθαι, καὶ τὰ χρήματα ἐνδείξασιν αὐτῶν, ἅμα ἐλευθέροις τε εἶναι καὶ πλουσίοις, μισθὸν τῶν κατηγοριῶν, διὰ τὰ ἆθλα αὐτοῖς προκεῖσθαι τὰς ὀγδόας τῶν οὐσιῶν: *Facile enim iis & mentientibus contra dominos credi, & opes aperientibus simul liberis divitibusque fieri: propter præmium accusationum, quo octava bonorum pars iis proposita.* Si octava servo, bene colligo, libero quartam. Nec in servili accusatione aliud capere persuadeor, quam crimen Majestatis. Illud moneo, Principum ævo, non tam ex lege quam arbitrio Senatus præmia decreta. Libro VI. infra. *Quâ damnata cùm præmium accusatori decerneretur, Junius Otho trib. pl. intercessit.* Sic libro XVI. *Liberto & accusatori præmium operæ (*non pecunia ulla sed*) locus in theatro inter Tribunicios viatores datur.* Interdum certa pecunia attributa, ut Eprio Marcello quinquagies H-S, Thrasea damnato: Regulo septuagies H-S. & sacerdotium, damnato Crasso. Tacitus Ann. libro XVI. & Histor. IV. Nec prætereundus hic Dionis locus, qui de præmiis eorum qui Cæsaris percussores accusabant, χρήματα, inquit, ἐκ τῆς τοῦ ἁλόντος οὐσίας, καὶ τὴν τιμὴν ἢ τὴν ἀρχὴν τὴν ἐκείνου, εἴ τινα ἄρα ἔχων ἦν, τό, τε μηκέτι μετ᾽ αὐτὸν, τοῖς τε υἱέσι, τοῖς τε ἐγγόνοις αὐτῶν στρατεύεσθαι, ἐλάμβανον. id est: *Præmium accusationis pecuniam accipiebant è bonis damnati, & honorem aut magistratum quemcumque is gerebat: item vacationem à militia, sibi, libertis, nepotibus.* Ut videantur legis ejus Pediæ exemplo instituta præmia accusatorum. *Lipsius.*

Quartam accusatoribus secundum] Cujus legis necessitas hæc fuerit, si Papiæ non fuit, amplius quæro, Cornelius *quartam* præmium accusatorum appellat: Papia lege, quæ tum vigebat, cum hæc M. Lepidus censuit; præmium delatoris fuit dimidia bonorum ejus, qui deferretur. Quod huic loco facile posset accommodari, si pro *quartam*, legeres *partem*: quæ κατ᾽ ἐξοχὴν exaudiatur dimidia. Movet Suetonius Nerone, illis verbis, *Præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit:* unde *quadruplatores* dictos Alexandrius existimat. Sed vehementer fallitur, qui Plauti Persæ initio; & Livii III. extremo, & Tullii in Verrem III. *quadruplatoris* mentionem legisse potuit, antea multis seculis, quam Neroniana recognitio quartas bonorum pro dimidia induxerit. Equidem manus ab auctoris scripto continendæ sunt, nisique viva ratio & spirans urgeat, sine emendatioris codicis ope quicquam mutare temerarium existimo. Mag s igitur placeat conjectari, ex quadam veteri lege, præmium delationis fuisse bonorum ejus, qui deferretur, quartam, quam auxit ad dimidiam usque lex Papia, ut opinor, pro certo crimine duntaxat, deindeque Nero ad quartam pristinam retraxit. Ex eo vero interea dum lex Papia valuit, præmium delatorum in cæteris criminibus non desiit esse quarta, de qua fit sermo. Sed neque hinc ad quadruplatorem transeo, quia delatore multum differre videtur: nec fallor, nisi labitur Pompejus lib. XV. quæ disquisitio locum alium exigit. *Vertranius.*

1 *Fuisse comperio*] Sallusti verbum in Jugurthino, cujus studiosus imitator hic noster. *Muretus.*

2 *Nam pleraque*] Τὰ πολλὰ, *plerumque.* Idem.

3 *Flexit in melius*] Absolute positum. Sic libro I. *Tunc à veneratione Augusti orsus flexit ad victorias, triumphosque Tiberii.* Sic in hoc ipso libro. *In ambitionem flexisse.* Ductum à curribus, aut à navibus. *Muretus.* Ita vetus liber. Vulgo tamen repositum fuérat, *deflexit.* Pichena. Non vult auctor ex adulationibus aliorum illum aliquid efformasse boni. sicut verbi gratia, ex malis moribus bonæ leges latæ dicuntur: sed illas ipsas adulationes eum prudenter fregisse; atque ubi crudeles sententiæ ab hominibus principem aut Sejanum adulantibus dicerentur, eas mitigasse. *Fremshemius.*

4 *Neque tamen temperamenti egebat*] Qui aliquid habet, idque usurpat, eo non utique eget: quæ hujus loci est sententia: non illa: *necesse non habuisse adhibito temperamento.* hoc enim & totus hic locus probe consideratus & inprimis res ipsa non admittit. *Idem.*

5 *Sit in nostris consiliis*] Τὸ ἐφ᾽ ἡμῖν. *Muretus.*

6 *Inter abruptam contumaciam, & deforme obs.*] Hanc mediocritatem vitæ laudat etiam in Agricola socero, *qui non contumacia, neque inani jactatione libertatis, famam fatumque provocabat.* deinde sequitur: *sciant quibus moris illicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse; obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum reip. usum, ambitiosa morte inclaruerunt.* Senec. de Tranq. c. 3. *Ille vir fuerit, qui periculis undique imminentibus, armis circa & catenis frementibus, non alliserit virtutem, nec absconderit.* Pichena.

7 *At Messallinus Cotta*] Hunc libro sequenti sævissimæ cujusque sententiæ auctorem vocat. *Muretus.* Hunc tertium censuisse volunt, de quo tamen haud immerito dubites, non enim quia nullus inter hunc & priores adnotata est sententia, statim

minus claris majoribus, sed [1] animo diversus, censuit [2] *cavendum senatusconsulto*, *ut quamquam insontes magistratus & culpæ alienæ nescii*, *provincialibus uxorum criminibus*,
21 *perinde quam suis plecterentur*. Actum dehinc de Calpurnio Pisone, nobili ac [3] feroci viro. Is namque, [4] ut rettuli, *cessurum se urbe ob factiones accusatorum* in senatu clamitaverat; & spreta potentia Augustæ trahere in jus Urgulaniam, [5] domoque principis excire ausus erat. Quæ in præsens [6] Tiberius civiliter habuit: sed in animo revolvente iras, [7] etiam si impetus offensionis languerat, memoria valebat. [8] Pisonem Q. Granius secreti sermonis incusavit adversum majestatem habiti: adjecitque *in domo ejus* [9] *venenum esse*, *eumque* [10] *gladio accinctum introire curiam*. quod ut atrocius vero

statim etiam sequitur Messallinum hunc tertiæ sententiæ consularem fuisse, & certe ut alios taceam, *Cn. Lentulum*, qui nominatur 4, 29. ante hunc Messalinum censuisse verisimile est. *Freinshemius.*

1 *Animo diversus*] Si huic tantum causæ accommodas, falleris, nam *animo* hominis illius mens, ingenium, natura designantur. quibus à Lepido gravi & moderato viro, longissime diversus erat ipse per crudeles adulationes *sævissima cujusque sententia auctor*. Quo nomine semel atque iterum notatur ut 5, 3. 6, 5. *Idem.*

2 *Cavendum Senatusconsulto*] Et cautum non dubie hoc anno. Si enim ante; quorsum hæc sententia? Tamen Ulpianus De officio Proconsulis; decretum id refert ad Cottam & Messallam Coss. id est, ad quartum antè annum. Ait: *Proficisci quidem Proconsulem melius est sine uxore; sed & cum uxore potest, dummodo sciat Senatum Cottà & Messallà Coss. censuisse futurum, ut si quid uxores eorum qui ad officia proficiscuntur deliquerint, ab ipsis ratio & vindicta exigatur.* Vir doctissimus conatur legere, *Senatum Cottà Messalino consulente censuisse.* acute: sed me judice, non exsolvet ullum acumen Domitium hac culpâ. *Lipsius.*

Cavendum S. C.] Lapsus igitur memoria Ulpianus in l. Observare D. De officio Procos. & legati, qui hoc Senatum censuisse dicit, *Messalla & Cotta Coss.* id est, quadriennio ante, nisi apud eum legendum sit, *Cotta Messallino consulente*, ut Jac. Cujacius l. 6. c. 30. Observationum. nam, ut quidem ait ipse, etiam Senatores *consulere* dicuntur, l. 2. D. ad S. C. Vellejanum, sed indubitate ibi legendum est *censuerunt*. Itaque fortassis ibi quoque *censente* legendum. *Muretus.*

3 *Feroci viro*] Ferox quamquam interdum, raro tamen, reperiatur pro forti, dubium tamen non est, quin vulgata significatione hic accipiendum sit, pro audace, contumace, præcipiti. *Freinshemius.*

4 *Ut rettuli*] Libro 1. *Lipsius.*

5 *Domo principis*] Auctor supra *domum Cæsaris*, quam hic *Principis*, nominaverat: majorque erat audacia *Cæsaris domo*, quam matris ejus ream excivisse. 1. H. 27. & in Suetonii Vitellio cap. 15. vocari videtur *Tiberiana domus.* potuerunt tamen simul habitasse: sed non ideo quoque transformanda erat Taciti scriptio, quum ea longe majorem haberet efficaciam. *Freinshemius.*

6 *Tiberius civiliter habuit*] Ovidius. *Exercet memores, plusquam civiliter iras.* vide quæ ad lib. 1. adnotavimus. *Muretus.*

7 *Etiamsi impetus offensionis*] In eandem sententiam Homer. Iliad. α. vers. 81. Εἴπερ γάρ τε χόλον γε. &c. Id est,

> *Nam quanquam in præsens violentem concoquit iram,*
> *Conceptam tamen illam alta sub mente recondit.*

Idem.

8 *Pisonemque gravius*] Mendum arguunt multa. Primum, quod accusator nemo expressus, ut solet. quod Tiberius ipse incusasse eum dicitur, insolens Imperatori. quod pars accusationis spreta dicitur, ut atrocior vero: quod non evenisset Principe accusante. Ne quis dicat non legitimam accusationem fuisse, tantùm Principis mandatum: ecce addit, *Ceterorum receptus est reus, neque peractus ob mortem opportunam.* At reus recipi sine accusatore non potuit. Lego igitur, *Pisonem Q. Granius.* Granii Romæ non ignoti jaminde à Lucilii ævo. apud quem Granius præco: & infrà lib. VI. Granius Martianus, suprà l. 1. Granius Marcellus. *Lipsius.*

Pisonemque gravius] Leg. *Pisonem Q. Granius.* Muretus. Lipsius ita restituit: *Pisonem Q. Granius.* Corrupte antea & insulse? *Pisonemque gravius.* Pichena. Cæterum in Lexico sed cujus auctor jactatus indignus est, qui hic citetur, quo infeliciter onerari incepit nostra ætas, videbis scribi: (Gravius accusatoris nomen. Tacit. Ann. l. IV. c. 21.) Hoc est, docte & cum judicio colligere. *Jac. Gronovius.*

9 *Venenum esse*] Quo fine? an ut Cæsari præberet; an potius ipse in necessitate uteretur? atque ita liberior scilicet, proviso exitu, ferociorque agitaret. Et apparet ita mox factum, ac mortem sumpsisse. *Lipsius.*

10 *Gladio accinctum introire curiam*] Cape gladium istum, non pro ense, sed pro pugione. Ensis erat longior, pugio brevior: Pugio in latere dextro, vel in collo, vel sub axilla; ensis in sinistro. Sueton. Aug. 35. *Ferro cinctum præsedisse, & lorica sub veste munitum, neminemque admissum Senatorum, nisi*

vero tramissum: ceterorum quæ multa cumulabantur, receptus est reus; [1] neque peractus ob mortem opportunam. Relatum & de [2] Cassio Severo exsule, qui sordidæ originis, maleficæ vitæ, sed orandi validus, [3] per immodicas inimicitias, [4] ut judicio jurati senatus [5] Cretam amoveretur, effecerat: atque illic eadem actitando, recentia

nisi prætentato sinu. Calig. 52. *Intrasse se cum pugione in cubiculum Tiberii dormientis, & misericordia correptum, abjecto ferro discessisse.* Idem in Claud. 35. *Salutatoribus scrutatores semper apposuit*, id est, qui scrutarentur, an essent accincti pugione. *Aurelius.*

1 *Neque peractus ob mortem oportunam*] Vide L. Defuncto D. De publ. judic. & L. in Senatusconf. D. ad S. C. Turpilianum. Fallit tamen in Majestate, sed hic tantum de sermone agebatur. *Muretus.* Pisonem ipsum sibi necem conscivisse licet suspicari possimus, tamen pro Taciti verbis aut sensu venditare non debemus. Quod *mortem oportunam* hic vocat Tacitus, id *maturam* Florus 3, 17. *Imparem Drusum, agrumque rerum temere motarum matura, ut in tali discrimine, mors abstulit.* Ubi simillimum locum huic Corneliano maxime, adnotavi ex Livio 6, 5. de Q. Fabio est, & alius Plinii epist. 2, 11. *Honoratum cognitioni senatus mors opportuna subtraxit.* Freinshemius.

2 *Cassio Severo*] Qui primus flexisse dicitur ab illa recta & vetere dicendi via. quem & historiam scripsisse comperior ex Tertulliani Apolog. & Suetonii Vitellio, c. 11. Ejus laudes vide apud Senecam patrem l. III. Controvers. initio. *Lipsius.*

Relatum & de Cassio Severo] De ejus ingenio videndus Seneca in præfat. libro 3. Controv. Hunc primum affirmant flexisse ab illa vetere atque directa dicendi via, non infirmitate ingenii, sed judicii. Hic noster, seu Fabius in Dialogo de Oratorib. Scripsit & Historias. Tertullianus in Apologetico. Suetonius in Vitellio. *Muretus.*

3 *Per immodicas inimicitias*] Suspectum. *Lipsius.*

Per immodicas inimicitias] Nisi doctissimus vir admonuisset, non hic (ne paululum quidem) restitissem: verum cum is illa in suspicionem vocet, non absurde hic aliquantum immorabor. Severus erat in paucis clarissimus Orator: sed inimicitiarum appetens, ut Trio. Tacit. 5. Ann. *Nam Trio facilis capessendis inimicitiis & foro exercitus:* easque sine modo exercens: quapropter à Tiberio seponitur in Cretam. quo in loco veteres artes non oblitus, interdicto aquæ & ignis in Seriphium Saxum clausus est. Sed cur Tiberius, qui nimis delatoribus favebat, hunc districtum accusatorem seposuit, & interdixit? Respondet noster. *quia scelerum ministros ut perverti ab aliis nolebat, ita plerunque satiatus & oblatis in eandem operam recentibus, veteres & prægraves afflixit.* Salinerius. Suspectum est viris magnis illud *inimicitias* forsan sine causa solida. ecquis enim est, qui non statim oderit hominum ista mendicabula, canino ore ac dente impetentia ac lacerantia optimum quemque? sane & tales formidabiles Senatui ipsi, pluribus ostenderem, nisi id liquido satis ob oculos poneret unica historia Taciti. Unde etiam accidit, ut quoties data à principe occasio subvertendi istos, lætis id etiam animis præstiterint. Fidei causa adnoto. libro 4. Ann. 71. & libro 6. Ann. 4. & 10. & l. 13, 42. Nam haud semper licuisse uti in hos stilo decretorio, bene monuit Tacitus 4. Ann. 36. *Gruterus.* Suspectum id viro doctissimo, nec ob quam causam ita sit, indicat. Ego quidem nullam video, cum sit iste Cassius, cujus ingenium violentum notatur etiam ex dialogo de Orator. c. 26. tum iis quæ collegit Andreas Schottus in libello de claris apud Senecam Rhetoribus. Plurimos ergo accusavit, & prorsus sine modo, cum nec opes cujusquam, nec dignitatem vereretur, suo ingenio dicax & acerbus, quibus rebus etiam in exilio novos inimicos sibi suscitavit, qui hujus loci sensus est. *Freinshemius.*

4 *Ut judicio jurati Senatus*] Quod sub Augusto ei accidit, scriptis etiam librisque abolitis. Sueton. Calig. cap. XVI. noster suprà, libro 1. Ait, *judicio jurati Senatus.* quod erat, cum Senatus Deum testem advocabat, se censiturum, quod è fide sua reque publica videretur. Livius lib. XLII. *Ut juratus Senatus decerneret, qui eam rem quæreret decerneretque.* Libro XXX. *Patres igitur jurati (ita convenerat) ita censuerant, uti Consules provincias inter se compararent.* Appianus libro II. Civil. Τοῦτο μὲν δεξάμενοι τὸ λεχθὲν οἱ ἕτεροι, ἤτουν σφίσι ψῆφον ἀναδοθῆναι περὶ τοῦ Καίσαρος ἐπὶ ὅρκῳ. Tacitus hoc ipso libro: *P. Suillium amovendum in insulam censuit tanta contentione animi, ut & jurejurando obstringeret è Rep. id esse.* Morem eum postea obtinuisse in omni Senatu, idque lege quadam Trajani, colligas ex Plinii verbis, lib. V. Epistol. *Quinetiam Dextrum, qui primus diversum censuerat, perlata lege de Senatu habendo, jurare coegit è republica esse quod censuisset.* Græci id vocabant ἱερὰν συμβουλήν: & formula ejus eleganter expressa apud Xenophontem περὶ ἀναβάσεως Κύρου, lib. V. in oratione Hecatonymi. Εἰ μὲν συμβουλεύοιμι ἃ βέλτιστά μοι δοκεῖ εἶναι, πολλά μοι ἀγαθὰ γένοιτο. εἰ δὲ μή, τἀναντία. αὕτη γὰρ ἱερὰ συμβουλὴ λεγομένη εἶναι, δοκεῖ μοι παρεῖναι. Sed is mos quando primum cœpit? haud temere dixerim. Puto tamen Coriolani ævo. in cujus caussâ Tribuni plebis volunt & impetrant, ut *Senatus juratus sententiam dicat, uti solet in consessu judicum.* Dionysius ait, libro VII. *Lipsius.*

5 *Cretam amoveretur*] Quia viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat. Supra l. 1. Ejus scripta S. C. abolita, Caligula requiri, & esse in manibus, lectitarique permisit. Sueton. in Calig. *Muretus.*

recentia veteraque odia advertit; bonisque exutus, interdicto igni atque aqua, [1] saxo
22 Seriphio [2] consenuit. Per idem tempus [3] Plautius Silvanus prætor, incertis caussis
Aproniam conjugem in præceps jecit; tractusque ad Cæsarem ab L. Apronio socero; turbata mente respondit, tamquam *ipse somno gravis, atque eo ignarus, & uxor sponte mortem sumpsisset.* Non cunctanter Tiberius pergit in domum, visit cubiculum; in quo [4] reluctantis & impulsæ vestigia cernebantur. Refert ad senatum, datisque judicibus [5] Urgulania Silvani avia pugionem nepoti misit. Quod perinde creditum quasi principis monitu, ob amicitiam Augustæ cum Urgulania. Reus frustra tentato ferro, venas præbuit exsolvendas. Mox Numantina prior uxor ejus accusa-
23 ta *injecisse carminibus & veneficiis vecordiam marito*, insons judicatur. Is demum annus populum Romanum longo adversum Numidam Tacfarinatem bello absolvit. Nam priores duces, [6] ubi impetrando triumphalium insigni sufficere res suas crediderant, hostem omittebant, jamque [7] tres laureatæ in urbe statuæ, & adhuc [8] raptabat Africam Tacfarinas, auctus Maurorum auxiliis, qui [9] Ptolemæo Jubæ filio juventa incu-

1 *Saxo Seriphio*] Verè, *saxo.* Vide Strabonem lib. x. *Lipsius.*

Saxo Seriphio] Fabulam de Perseo lege apud Strabonem ad finem lib. 10. quæ hunc locum mirifice illustrat. *Muretus.* h. e. in ista insula adeo saxosa, ut revera nihil aliud sit præter saxum. *Freinshemius.* Cujus tamen hodieque reperiuntur nummi cum nomine incolarum, non aliter quam nationis. Itaque ista occasione crebro hanc Taciti descriptionem contemplati sunt viri docti, sed ita ut consuli oporteat Nonnium in Græciam Goltzii pag. 265. unde partes ingrate petiverunt præsertim Ezech. Spanhemius in Præstant. Num. p. 229. & Harduinus tum in Numinis Illustr. tum ad Plinium, neque enim quidquam suum proferunt, nisi quod alias Herodoto colonias condant, de quibus tacuit universa vetustas. *Jac. Gronovius.*

2 *Consenuit*] Bene, *consenuit.* Nam annis xxv. in exsilio hæsit. Eusebius Chronicis. *Cassius Severus orator egregius* xxv. *exsilii sui anno, summa inopia, moritur: vix panno verenda contectus.* Lipsius.

3 *Plautius Silvanus*] Similis at non eadem res narrata Quinctiliano lib. vII. cap. III. *Id autem genus, de quo novissime dixi, non solum in scholis sæpe tractatur, sed etiam in foro. Nam id est in caussa Nævis Arpuniani* (lego *Nonii Aproniani*) *solum quæsitum, Præcipitatane esset ab eo uxor, an se ipsa sua sponte jecisset. Quam actionem equidem solam in hoc tempus emiseram: quod ipsum fecisse seductum juvenili cupiditate gloriæ fateor.* De hoc ipso autem Plautio lapis:

TI. PLAVTIO. M. F. M. N.
SILVANO. ÆLIANO
PONTIF. SODALI. AVGVSTALI.
III. VIR. A. A. A. F. F. Q. TI. CÆSARIS
LEG. LEG. V. IN. GERMANIA.

Id est, *Triumviro auro argento æri flando feriundo, Quæstori Tiberii Cæs. Legato Legionis quintæ.* Idem.

Plautius Silvanus] Lapis, quem retulit eruditissimus Lipsius, non est de hoc Silvano. Nam in eo Plautius & Claudii Imp. comes fuisse dicitur in Britannia, & vixisse usque ad Vespasianum. Vide Gruteri Inscrip. p. 403. *Mercerus.*

4 *Reluctantis & impulsæ vestigia*] *Impulsæ*, est, quum reniteretur, vi protrusæ. *Vestigia* usitata translatione pro quibusvis signis interpretor, quorum certe plura tum atque manifestiora, quam ex vestigiis pedum haberi potuerunt. *Freinshemius.*

5 *Urgulania*] Urgulanii in gente Plautia sunt. Lapis: A. PLAVTIVS. M. F. VRGVLANIVS. & Suetonii Claudio Plautia Urgulanilla, non Herculanilla ejus uxor: quod recte monuit ex veteri libro Torrentius. *Lipsius.*

6 *Sibi impetrando*] Corrigo, *ubi impetrando.* Lipsius.

Sub impetrando] Lego, *ubi impetrando.* Muretus. Nihil dubitavi, quin Lipsii correctionem reciperem. nam & perspicua depravatio erat, *sibi impetrando*, ut in vulgatis; & Manuscriptus veræ lectioni dat lucem, cum habeat, *sub impetrando.* Pichena.

7 *Tres laureatæ*] Furii Camilli, L. Apronii, Junii Blæsi. De statuis triumphalibus Plinius, & Tacitus in Agricola: *Igitur triumphalia ornamenta, & illustris statuæ honorem, & quidquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata decerni jubet.* Lipsius.

8 *Raptabat Africam*] Non, *reptabat*, ut vulgò. Alibi: *Igitur raptare inter se, immittere latronum globos.* Idem.

9 *Ptolemæo Jubæ filio*] Quem Cajus postea interfecit. Sueton. c. xxvI. *Ptolemæum regis Jubæ filium consobrinum suum (erat enim & is M. Antonii ex Selena filia nepos) interfecit.* Seneca De Tranquillitate: *Ptolemæum regem Africæ, Mithridatem Armeniæ, inter Cajanas custodias vidimus. Alter in exsilium missus est: alter, ut meliore fide mitteretur optabat.* Ex verbis Senecæ apparet dimissum Ptolemæum, sed per viam jussu Caji interfectum. *Idem.*

incurioso, [1] libertos regios, & servilia imperia bello mutaverant. Erat illi prædarum receptor ac socius populandi, rex Garamantum; non ut cum exercitu incederet, sed missis levibus copiis, quæ ex longinquo in majus audiebantur: [2] ipsaque è provincia ut quis fortunæ inops, moribus turbidus, promptius ruebant, quia Cæsar post res à Blæso gestas, quasi nullis jam in Africa hostibus, reportari Nonam legionem jusserat; [3] nec proconsule ejus anni P. Dolabella retinere ausus erat, jussa principis magis quam incerta belli metuens. Igitur Tacfarinas disperso rumore, *rem Ro-* 24
manam aliis quoque ab nationibus lacerari, eoque paulatim Africa decedere, ac posse reliquos [4] *circumveniri, si cuncti, quibus libertas servitio potior,* [5] *incubuissent*; auget vires, positisque castris [6] Thubuscum oppidum circumsidet. At Dolabella contracto quod erat militum, terrore nominis Romani; & quia Numidæ peditum aciem ferre nequeunt, [7] primo sui incessu solvit obsidium, locorumque opportuna permunivit: simul principes Musulamorum defectionem cœptantes securi percutit. Dein quia pluribus adversum Tacfarinatem expeditionibus cognitum, non gravi nec uno incursu consectandum hostem vagum; excito cum popularibus rege Ptolemæo, quattuor agmina parat, [8] quæ legatis ac tribunis data: & prædatorias manus delecti Maurorum duxere. [9] ipse consultor aderat omnibus. Nec multo post adfertur, *Numidas* 25
apud

1 *Libertos regios*] Apud exteros enim Reges id moris plerumque, ut maxime liberti pollerent. Tac. de moribus Germ. *Liberti non multum supra servos sunt: raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate, exceptis duntaxat iis gentibus, quæ regnantur. ibi enim, & super ingenuos, & super nobiles ascendunt.* Nimiam tamen libertorum potentiam, omnibus populis quamvis assuetis, gravem fuisse, argumento sit ingenua ista Maurorum pubes, quæ servitutem inhonestam bello mutavit. Pichena. *Libertos regios*, & *servilia imperia*, de eadem re puto accipi; non etiam quasi servi quoque aliquid in regno potuerint. Ita *libertis* potentioribus sæpe exprobratam tolerati servitii memoriam reperio; ut quum Narcisso tribunal conscendente Britannicus exercitus conclamavit *Io Saturnalia*, apud Dion. lib. 60. & apud nostrum H. 3. 48. plane eodem modo *servile bellum* appellatur, quod libertus conciverat. *Freinshemius.*

2 *Ipsaque è provincia*] Non de nihilo adjectum est pronomen emphaticum. *Provincia* hic intelligitur angustiore significatu, pars Africæ jam olim imperio Romano subdita: ideoque hic à Numidis, Mauris, Garamantis distinguitur. Sicut in Sall. Jugurth. 44. Non enim illi tantum, ait, Tacfarinatem juverunt, sed *ipsa ex provincia* multi: *Ipsa provincia* dicitur hoc loco, quæ postea *vetus* appellari cepit: nisi tamen jam tum sic appellari ceperat, sed nondum insolito satis receptoque vocabulo. Clarum id ex Appiano 4. Civil. Λιβύης Ῥωμαῖοι τὴν μὲν ἔτι καλοῦσι παλαιὰν, ὅσην Καρχηδονίους ἀφείλοντο, ἣν δὲ ἰόβας εἶχεν, ὕστερόν τε ἔλαβον ἐπὶ Γαΐου Καίσαρος, καὶ διὰ τοῦτο νέαν προσαγορεύουσι Λιβύην. εἴη δ' ἂν τῆς Νομαδικῆς. Sic & Germaniæ fuerunt divisæ: Vide quæ notavi ad 1, 58. *Sedem vetere in provincia.* Idem.

3 *Proconsul ejus anni P. Dolabella*] Cujus memoriam in Illyrico servat lapis:

P. CORNELIO
DOLABELLÆ. COS.
VII. VIRO. EPVLONI
SODALI. TITIENSI
LEG. PRO. PR. DIVI. AVGVSTI
ET. TI. CÆSARIS. AVGVSTI
CIVITATES. SVPERIORIS
PROVINCIÆ. HILLYRICI.

Lipsius.

Proconsul ejus anni] Florentina editio, *Proconsule ejus anni*, quod rectum esse puto, & jam alibi defendi. *Freinshemius.* Immo & Romana, immo & ipsa unica membrana. *Jac. Gronovius.*

4 *Circumveniri*] Pro interfici, ut supra quoque occurrit 1, 68. *Freinshemius.*

5 *Incubuissent*] Hoc magnam molitionem innuit, veluti quum maximo oneri protrudendo pectus humerique opponuntur, adeoque summa vi incumbitur. *Idem.*

6 *Thubuscum opidum*] Mauritaniæ Cæsariensis. alias, Tubusuptus, & Succubæ dictum. *Lipsius.*

7 *Primo sui incessu*] *Sui* otiosum plane & nulli usui. Ausim mutare *statim*, ut lib. 11. ex *suum* idem faciebamus: *Vice militum servum suum coerceret* &c. *Primo incessu* est, quod veteres dicebant *primo pedatu*. Acidalius.

8 *Legatis ac tribunis*] Non est hoc melius, quam quod scripsisse Tacitum testatur membrana vetus *legatis aut tribunis:* immo miror cur id non sit expressum ab Beroaldo. *Jac. Gronovius.*

9 *Ipse consultor aderat omnibus*] Hoc non hanc modo significationem habet Dolabellam summum in omnes imperium tenuisse, ut quidam acceperunt; verum curam ducis potius innuit: qui, ut de Metello Sallust. Jugurth. 45. tradit, *in primis*

apud castellum semirutum, ab ipsis quondam incensum, cui nomen Auzea, [1] *positis mapalibus consedisse;* [2] *fisos loco, quia vastis circum saltibus claudebatur.* Tum expeditæ cohortes alæque, quam in partem ducerentur ignaræ, cito agmine rapiuntur. Simulque cœptus dies, & concentu tubarum, ac truci clamore aderant semisomnos in barbaros: [3] præpeditis Numidarum equis, aut diversos pastus pererrantibus. Ab Romanis confertus pedes, dispositæ turmæ, cuncta prœlio provisa: hostibus contra omnium nesciis, non arma, non ordo, non consilium: sed [4] pecorum modo, trahi, occidi, capi. Infensus miles memoria laborum, & adversum eludentes optatæ toties pugnæ, se quisque ultione & sanguine explebant. Differtur [5] per manipulos, *Tacfarinatem omnes notum tot prœliis consectentur: non nisi duce interfecto, requiem belli fore.* At ille [6] deletis circum stipatoribus, vinctoque jam filio, & effusis undique
26Romanis, ruendo in tela, captivitatem haud inulta morte effugit. Isque finis armis impositus. Dolabellæ petenti abnuit triumphalia Tiberius, [7] Sejano tribuens, ne Blæsi avunculi ejus laus obsolesceret. Sed neque Blæsus ideo inlustrior, & huic [8] negatus honor gloriam intendit. Quippe minore exercitu, insignis captivos, cædem ducis, bellique confecti famam deportarat. Sequebantur & Garamantum legati raro in urbe visi, quos Tacfarinate cæso, [9] perculsa gens, & culpæ nescia, ad satisfaciendum populo

modo, modo in postremis, sæpe in medio aderat. Freinshemius.

1 *Positis mapalibus*] Quod signum erat longioris moræ. quam ibi trahere constituissent. Quidam: tentoria fixisse. Verum aliud sunt *tentoria*, aliud *mapalia*. Hanc enim Numidicam vocem esse, sicut & rem ipsam, tradit Sallust. Jug. 18. *Ædificia Numidarum agrestium, quæ mapalia illi vocant, oblonga, incurvis lateribus tecta, quasi navium carinæ sunt.* Ideoque non memorantur ferme, prætterquam in rebus Numidarum, aut certe Afrorum. Ita supra 3, 74. *mutantem mapalia Tacfarinatem.* H. 4, 50. *Inaccessa mapalium.* Idem.

2 *Fisos loco, quia vastis*] Forte Tacitus scripsit, *qui vastis*. Gronovius.

3 *Præpeditis equis*] Pro cumpeditis. πεποδισμένους appellat Xenophon loco per omnia huic simili. l. 3. παιδ. de Assyriis: πεποδισμένους γὰρ ἔχουσι τοὺς ἵππους ἐπὶ ταῖς φάτναις καὶ εἴ τις ἐπ᾽ αὐτοὺς ἴοι, ἔργον μὲν συντεταμένους λῦσαι ἵππους, ἔργον δὲ χαλινῶσαι, ἔργον δὲ ἐπισάξαι. Atque eadem de Persis lib. 3. ἀναβ. ὅτε γὰρ ἵπποι αὐτοῖς δέδενται, καὶ ὡς ἐπιτοπολὺ πεποδισμένοι εἰσί, τοῦ μὴ φεύγειν ἕνεκα, εἰ λυθείησαν. Ab his igitur Persis, progenitoribus suis (Sallust. Jug. c. 18. vide) fortassis hunc morem retinuerunt Numidæ. *Pedicam* appellare videtur respectu ad hanc rem Livius 21, 36. *Freinshemius.*

4 *Pecorum modo*] Hoc est ovium. nam hæ inprimis intelliguntur, quæ minime omnium animalium trahenti repugnant. & *pecoris* appellatione quandoque tantum ovilla pecora intelliguntur. Sicut apud Plin. 8, 47. *Magna & pecori gratia* &c. & deinceps eo & seqq. capp. sæpius. *Idem.*

5 *Per manipulos*] Quidam: *à denis ad denos* pessime. non enim denis tantum militibus conflabant manipuli, sed longe pluribus, quippe ex binis centuriis. Agell. 16, 4. *In legione sunt centuriæ sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem.* Idem.

6 *Delectis circum*] Mercerus *disjectis*. Ego etiam statim, *effusis undique*, malim. *Lipsius.*

Delectis circum stipatoribus] Scribe, *Disjectis*. Mercerus. Cum Manuscriptus habeat, *delectis*, vera mihi emendatio est, *deletis*. Sic infra eodem libro, *deleto promptissimo quoque, aut saucio.* Pichena. Commodissimus, non abnego, sensus horum omnium. Leviter tamen ego suspicabar, *dejectis* vel *disjectis circum stipatoribus, vinctoque jam filio* &c. Ita *dejectas copias* legebamus olim in Cic. ad Att. lib. 4. Ep. 3. *Acidalius.* Quin potius forsan *dejectis*, id est, prostratis. Sic Phædrus fab. 32. *Super juvencum stabat dejectum leo.* Martialis lib. 1, ep. 60. *Non nisi dejecta pascitur ille fera*, ex felici, ut puto, conjectura C Barthii, ubi vulgo etiam *delecta*. Neque abest longe nostri lib. 11. *uxore dejecta plus potentiæ ostentando.* Gronovius.

7 *Sejano tribuens*] Hoc est Sejani causa id fecit, in honorem Sejani. ne quem deducat translatio Gallica, quæ vult Tiberium triumphalia dedisse Sejano. *Freinshemius.*

8 *Negatus honor*] Sic de Ælio Lamia lib. vi. *& non permissa provincia dignationem addiderat.* Pichena.

9 *Et culpæ nescia*] Imo, *culpæ conscia*. atque ita scribo. Nam supra ait, *prædarum receptorem & socium prædandi fuisse Garamantum regem, missis levibus copiis.* Non ergo extra culpam. *Lipsius.*

Perculsa gens & culpæ nescia] Licet hæc gens latrociniis infamis esset, noster 4. hist. 50. nihilominus ea in ejusmodi populationibus erat extra crimen: quod eorum rex clam cæteros, proprium satellitium Tacfarinati suppeditaverat. *ut non cum exercitu incederet, sed missis levibus copiis.* ideo, *nescia*

populo Romano miserat. Cognitis dehinc Ptolemæi per id bellum studiis, repetitus [1] ex vetusto mos, missusque è senatoribus qui scipionem eburnum, togam pictam,
[2] antiqua patrum munera daret, *regemque & socium atque amicum* appellaret. Eadem 27
æstate mota per Italiam servilis belli semina fors oppressit. Auctor tumultus T. Curtisius quondam prætoriæ cohortis miles, primo cœtibus clandestinis, apud Brundisium & circumjecta oppida; mox positis propalam libellis, ad libertatem vocabat agrestia per longinquos saltus & ferocia servitia: cum velut munere Deum, tres biremes adpulere ad usus commeantium illo mari. Et erat iisdem regionibus Curtius Lupus quæstor, [3] cui provincia vetere ex more calles evenerat. Is [4] disposita classiariorum

scia culpa. at non congruit ut præsentes fugeret, quod longinqui non ignorabant. *quæ ex longinquo in majus audiebantur.* Quid si Garamantes ad eam faciem regnabantur, qua nunc Sarmatæ? *Legati Garamantum* non *legati Regis Garamantum.* potuit itaque Rex gente non consulta, latrocinius operam dedisse: at illa *nescia culpæ* dicitur, quod suo consensu id factum non sit. Virgil. XI. Æn. *Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpæ Descendam.* Verba Turni sunt, negantis crimini fugæ se suum assensum præbuisse: Non ergo danda est civitas τῷ *conscia culpæ.* quod vir doctissimus vellet non titubanter. *Salinerius.* Sequuti sunt hanc lectionem plerique: alii merito prætulerunt emendationem Lipsii, *culpæ conscia.* Freinshemius. Viri docti genio suo indulgent, Tacitum seponunt mire incuriosi. Is enim scripsit *culpæ non nescia*, quæ negatio scripta per unam literam cum lineola superducta librarium sequentem frustrata fuit. Mox cap. 32. *levia memoratu videri non nescius sum.* cap. 50. *Haud nescio duce nostro.* Et cap. 53. *Cæsar non ignarus*, quomodo etiam 11, 18. & 14, 53. 15, 68. *Haud nescius inter adulteros ejus & Cæsarem esse* 11, 12. *Neque Silius flagitii aut periculi nescius erat.* Sic *non ignotus, non intactus* & alia. *Jac. Gronovius.*

1 *Ex vetusto more*] Libri veteres *mose.* legendum, *mos est.* Livius l. 30. *Ibi Masinissam primum regem appellatum, eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli eburnea, & scipione eburneo, toga picta, & palmari tunica donat. Addit verbis honorem.* Muretus.

2 *Antiqua patrum munera*] Et valde quidem antiqua. Siquidem Porsenæ regi ea missa lego apud Dionysium l. v. Ἡ δὲ τῶν Ῥωμαίων βουλὴ μετὰ τὴν ἀπαλλαγὴν τῶν Τυῤῥηνῶν συνελθοῦσα, ἐψηφίσατο Πορσίνᾳ μὲν πέμψαι θρόνον ἐλεφάντινον καὶ σκῆπτρον, καὶ στέφανον χρύσεον, καὶ θριαμβικὴν ἐσθῆτα, ἐφ' ἧς οἱ βασιλεῖς ἐκοσμοῦντο. Nec prius vestigium, opinor, ejus ritus. *Lipsius.*

3 *Cales evenerat*] Utrum *Calles* hîc legimus, an *Cales?* Si *Calles*, interpretor ex Suetonii loco, in Julio cap. XIX. *Opera ab optimatibus data est, ut provinciæ futuris Consulibus minimi negotii, id est, silvæ callesque decernerentur.* Ut antiquitus quidem calles, (eo nomine intelligimus curam publicorum saltuum calliumque, in quibus pecora pascebantur, ære aliquo constituto,) provincia Quæstorum fuerit: interdum & Consulum, si bella nusquam aut hostis. Sed nec *Cales* mihi displiceat: ut in eo oppido Quæstoris fuerit sedes. Sic enim in Livio lego, Pisas Consulibus decretas, &, Tarentum Prætoribus: & lib. XXV. *Nero prætor Suessulam sortitur*, quibus opidorum nominibus, loca scio intellegi vicina. Veteri autem rep. ante Sullam, cum octo Quæstores essent, exque iis duo Militares, duo Urbani: satis constat quattuor reliquos provincias in Italia aut certe Sicilia habuisse: externis provinciis imperio nondum adjunctis. Eas puto sic constituendas, (quid enim nisi arbitrium interponam in re cæcâ & obscurâ?) Aquariam (vide Antiquas meas lib. I. cap. XII.) sive Frumentariam, Ostiæ: cujus mentio Ciceroni pro Cn. Plancio, pro Muræna: & Interrogatione in Vatinium testem. cui Quæstori ora tota maris inferi, subvectio frumenti, res nautica; aliaque talia curæ. Secundam Gallicam, Arimini. Meminit Suetonius in Claudio, c. XXIV. *Detractâ Quæstoribus Ostiensi & Gallicâ provinciâ, curam ærarii Saturni reddidit.* Video ibi virum doctum velle, *callium provincia:* erudite fateor & acute. & tamen sustinet assensionem meam Plutarchi locus Sertorio: quem Quæstorem designatum ait Galliæ circumpadanæ. Ταμίας, inquit, ἀποδείκνυται τῆς περὶ Πάδον Γαλατίας. Tertiam Calibus, ad Vulturnum flumen. qui Quæstor tractui Campano Sidicinoque præfuit Brundisium usque. Eam non alio tibicine fulcire possum, quam hoc loco. Quartam adhuc quæro. nisi si fuerit in Sicilia Lilybæi. argumento, quod ea prima provinciarum facta: & quod etiam inferiori ævo cum missus illuc Prætor, semper in Sicilia duo Quæstores Syracusanus & Lilybætanus. *Idem.*

Cui provincia vetere ex more Cales] Lege: *Calles.* Legimus in Tranquillo, in vita Julii c. 19. Provincias minimi negotii mandatas consulibus fuisse *Silvas & calles:* Silvæ autem illæ & calles fere in Apulia & illo Italiæ tractu erant. *Callium* autem nomine, saltus intelligo, ubi pascere pecora solebant. Nam in saltibus sunt calles, à callo pedis pedum pecudum appellati. *Turnebus.* Quod veteri mori tribuit Cornelius, primum Augustus constituit, ut Quæstores in ora maritima prope urbem, & alii Italiæ locis præessent, & ita Cassius refert lib.

rum copia, [1] cœptantem tum maxime conjurationem disjecit. Missusque à Cæsare propere [2] Stajus tribunus cum valida manu, ducem ipsum & [3] proximos audaciæ in urbem traxit, [4] jam trepidam, ob multitudinem familiarum, quæ gliscebat immensum, minore in dies plebe ingenua.
28 Iisdem consulibus miseriarum ac sævitiæ exemplum atrox, reus pater, accusator filius, [5] nomen utrique Vibius Serenus, in senatum

lib. LV. cui non dissimile scripsit Ulpianus, de officio Quæstoris, ibi, *Ex quæstoribus quidam solebant provincias sortiri ex Senatusconsulto, quod factum est D. Druso & Porcina coss.* Ejusmodi provincia *Cales* Quæstori Lupo evenerat, id est, ut idem & juris & imperii in eam haberet, quod Proconsules aut Præsides in exteris. *Cales* autem Italiæ civitas ab initio Ausonum, dein Romana colonia, tandemque municipium fuit. *Vertranius.* Non debuerunt viri docti sic exspatiari, quum MS. unicus habeat *callis* vel *calles.* nam quintæ literæ accidit mutatio. *Jac. Gronovius.*

4 *Disposita classiariorum copia*] Dubia est interpretatio, pro militibus an remigibus habendi sunt, nam illo sensu sæpe; hoc 14, 4. reperiuntur; magis tamen est, ut de militibus accipiamus, qui in biremibus iis fuerint, ut deducerent forte naves, & iis præsidio essent contra vim quamcunque. Sic enim intelligo quod dixerat, *ad usus commeantium illo mari:* non ut in ipsis his biremibus eos transportari reportarive necesse fuerit. Turbat hic quod interpretantur, *classiariis quibusdam* (indefinite) *subito coactis:* tamquam alii intelligerentur quam qui in biremibus erant: alii, ut nautæ potius videantur quam milites. *Freinshemius.*

1 *Cœptantem tum maxime*] Lego: *Cœptantem cum maxime.* Rhenanus. Ut lib. 3. *Littora & lacus Campaniæ cum maxime peragrantem.* Muretus. Etiam in unico MS. perspicue exaratum est *cum maxime.* Jac. Gronovius.

2 *Stajus tribunus*] Dubitaveram num, *Statius*, legendum sit. Ita l. XV. *Statius proximus tribunus cohortium.* & inferius, *manu Statii tribuni trucidatur.* alibi etiam, *Statius Annæus: Statius Domitius: Statius Murcus.* Tamen Staji cujusdam meminit Persius Sat. 2. *Pichena.* Quidam *Statius.* Sicut etiam *Statius Murcus*, homo celebris, in Velleji, Appiani, Dionis historiis servili nomine *Statii* fœdabatur. Postea tamen in frequenti usu esse cœpit *Statii* vocabulum. *Freinshemius.*

3 *Proximos audaciæ*] Idem esse puto quod in celeberrima L. Quisquis *satellites*, interprete Cl. Godofredo. Abire videtur nonnihil proximos auctores seditionis, nam in *proximis audaciæ* poterant esse, qui jam motæ & confirmatæ seditioni momentum attulerant. Alii nimis evagantur reddendo *socios*, qua voce non proximi tantum, sed omnes audaciæ participes veniunt. *Idem.*

4 *Jam trepida ob multitudinem familiarum*] Castigavi, *jam trepidam ob multitudinem familiarum.* Rhenanus. Non nemo ignoravit de servis dici *familiam:* itaque commentus est novum sensum *familiarum seditiosarum:* quas opponit bonis & honestis: quum Tacitus inter *servitia & plebem ingenuam*, h. e. liberis parentibus natam, comparationem instituerit. *Freinshemius.*

5 *Nomen Viri, Q. Vibius*] Puto legendum totum locum, *reus pater, accusator filius (nomen utrique Vibius Serenus) in Senatum inducti sunt.* quod postea firmatum à veteri lectione didici, quæ est, *utrique.* Nec male etiam coiverit hiulca alias oratio, trajectis verbis: *reus pater, accusator filius in Senatum inducti sunt. Nomen viri Q. Vibius Serenus, ab exsilio retractus.* Lipsius.

Nomen viri Q. Vibius Serenus] Jam dixi, nisi legendo Cornelium animum attendas, pleraque tibi subobscura visum iri: nunc specimen specitur. *Ab exsilio retractus.* pater, quod inferius scribatur: *perorante filio.* at illud *viri* sequens. Virg l. ecl. 5. *Hinc ubi jam firmata virum te fecerit ætas.* Cui respondet *præparatur adolescens.* nec mihi aliorsum distraharis filii nomine suppresso: aut enim indignitate rei motus, id in ipsa re Cornelius facit, aut ad hoc satis fuit expressio nominis paterni: nam ea tempestate non raro pater, & filius communi vocabulo nuncupabantur: Tacit. l. 3. Ann. *Cneus Piso qualicunque fortuna mea non est adjunctus.* hæc pater, qui etiam Cneus Piso vocabatur. *præfecerat Cneum Pisonem ingenio violentum.* Quæ res haud dubie usu venit huic parricidæ. *Salinerius.* Recte quidem Lipsius correxit, *nomen utrique Vibius Serenus.* nam & Man. idem innuit, cum habeat; *nomen virique Vibius Serenus.* Sed aliquid amplius huic loco requiritur, ut integre sanetur. neque verbum, *sunt*, Taciti phrasim olet. in cujus locum mihi videtur posse aptissime reponi, *senex:* idque necessitas distinctionis exigit, cum paulo post dicat, *adolescens.* Sic igitur legerem, & distinguerem: *nomen utrique Vibius Serenus, in Senatum inducti. Senex ab exsilio* &c. *Pichena.* Ita Muretus, ut Lipsius. cujus altera trajectio verborum non probanda. Amplector magni Viri Errici Memmii conjecturam: *perorante filio pater. Paratus adolescens* &c. sed ego amplius totum locum distinctione juvo, & vocem *stabat* occasione similium aliquot à fronte & tergo literarum perditam insero, denique pro *& tum*, *etiam* scribo. Leg. *in Senatum inducti sunt. Stabat ab exilio retractus, illuvieque ac squallore obsitus, etiam catena vinctus perorante filio pater: paratus adolescens multis munditiis, alacri vultu, structas principi insidias* &c. *Acidalius.* Malebam: *reus pater, accusator filius (nomen utrisque Quintis Vibiis Serenis) inducti sunt.*

tum inducti sunt. ab exilio [1] retractus, illuvieque ac squalore obsitus, & tum catena vinctus [2] perorante filio. Præparatur adolescens multis munditiis, alacri vultu, *structas principi insidias*, [3] *missos in Galliam concitores belli*, index idem & testis dicebat; adnectebatque *Cæcilium Cornutum prætorium ministravisse pecuniam.* qui tædio curarum, & [4] quia periculum pro exitio habebatur, mortem in se festinavit. At contra reus nihil infracto animo, obversus in filium, quatere vincula, vocare *ultores deos, ut sibi quidem redderent exsilium, ubi procul tali more ageret; filium autem quandoque supplicia sequerentur.* Adseverabatque *innocentem Cornutum, &* [5] *falsa, exterritum. idque facile intellectu, si proderentur alii: non enim se cædem principis & res novas uno socio cogitasse.*
Tum accusator *Cn. Lentulum & Sejum Tuberonem* nominat; magno pudore Cæsaris, 29
cum primores civitatis, intimi ipsius amici, Lentulus senectutis extremæ, Tubero [6] defecto corpore, tumultus hostilis, & turbandæ reipublicæ arcesserentur. [7] Sed hi quidem statim exempti. In patrem ex servis quæsitum: & quæstio adversa accusatori fuit. qui scelere vecors, simul vulgi rumore territus, [8] *robur & saxum, aut parricidarum sunt.* Gronovius.

1 *Retractus*] Scil. ob hoc ipsum, ut causam Romæ diceret. at quod est in Gallis *nouvellement retiré*; possit intelligi, tanquam aliquanto prius, idque per beneficium ab exsilio revocatus esset. *Freinshemius.*

2 *Perorante filio. Præparatur adolescens multis munditiis*] Audio virum magnum & meritis in litteras clarum Err. Memmium legere: *Perorante filio pater. Paratur adolescens.* Et rei & hominis caussa quis non comprobet? *Lipsius.*

Præparatur adolescens multis munditiis] Venturius legit: *præparatus.* proculdubio rectius. refertur enim ad subsequens verbum, *dicebat.* Pichena. Verbum *præparatur* factitium hic est, non nativum. Locus integer sic scribendus est: *Reus pater, accusator filius* &c. *in senatum inducti sunt: ab exsilio retractus* &c. *perorante filio pater; adolescens multis munditiis, alacri vultu.* Est enim syllepsis qualis in his Virgil. Eclog. 7.

> *Compulerantque greges Corydon & Daphnis in unum:*
> *Daphnis oves; Corydon distentas lacte capellas.*

Freinshemius. Absurda licentia, qua viri docti in alieno scripto grassantur; & quomodo opinari potuit Freinshemius in tali antiqua membrana *præparatur* pro *pater*? Nulla probabilitas. Interim chirographum Taciti satis apparet ex lectione vetere, & existimo sic concipi debere: *Reus pater, accusator filius, nomen utrique Vibius Serenus* (ut apud Ovidium 3. Metam. 582. *Nomen mihi, dixit, Acœtes.* & sic 11, 4. *Quibus Petra cognomentum.*) *in senatum inducti sunt; ab exilio retractus illuvieque ac squalore obsitus, & tum catena vinctus pater orante filio. Præparatus adolescens multis munditiis, alacri vultu, structas* &c. Utique nondum tunc poterat dici filius perorans. *Jac. Gronovius.*

3 *Missos in Galliam concitores belli*] Irrepserat in vulgatis copula, *missosque.* præter Man. mentem, ideo illam delevi. *Pichena.* Sed & Aldus & Beroaldus istam copulam non admiserant. *Jac. Gronovius.*

4 *Quia periculum pro exitio habebatur*] Hoc est, quia nullis reis evadentibus, idem putabatur accusari quod damnari. *Freinshemius.*

5 *Falsa exterritum*] Videndum an sit scribendum: *& falso exterritum.* Ursinus. *Falsa* pro falso, eo modo quo Horat. ep. 1. *Insanire putas solennia me, neque rides.* Id est solenniter. Juven. lib. 1. Sat. 2. *Qui Curios simulant & Bacchanalia vivunt.* pro Bacchanaliter. *Pichena.* Muretus legit *falso.* Ego etsi raram locutionem, & quam in Tacito nostro non legisse me memini, non audeam mutare: tamen suspicor legendum, *Et per falsa exterritum.* Acidalius. Immo est Græcismus ἐκπεπληγμένον ψευδῆ καὶ κενά. Et sic firmare tentavit jam Salmerius ad 6, 5.

6 *Defecto corpore*] Infirmo per ætatem interpretantur: quibus non accedo: non enim *senectam* in hoc indicare voluit auctor, neque enim à *Lentulo senectutis extremæ* separasset. Quippe non existimari potest adeo decrepitus fuisse Tubero, qui octo annis ante Germanici legatus, & præliorum socius fuit. supra 2, 20. *Freinshemius.*

7 *Sed hi quidem statim exempti*] Ac dixit Tiberius se ipsi sibi vita indignum videri, si etiam Lentulo invisus esset. Dion. *Muretus.*

8 *Robur & saxum*] *Robur*, ait Festus, *in carcere is locus, quo præcipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robusteis includebatur.* Livius XXXVIII. *Ut in carcere instar furis & latronis vir clarissimus includatur, & in robore ac tenebris exspiret, deinde ante carcerem nudus projiciatur.* Plautus Pœnulo:

> *Vos ego jam detrudam ad molas, inde porrò ad puteum, atque robustum codicem.*

Et allusit per jocum idem Capteiveis:

> *At ego faciam ut pudeat, nam in ruborem te totum dabo.*

ubi malim scribi, *in robur.* Nec tamen omiserim, hic in Tacito, Robur videri potius supplicii locum quam

cidarum pœnas minitantium, cessit urbe. ac retractus Ravenna, exequi accusationem adigitur; non occultante Tiberio vetus odium, adversus exsulem Serenum. nam [1] post damnatum Libonem, missis ad Cæsarem litteris exprobraverat, *suum tantum studium sine fructu fuisse*; addideratque quædam contumacius, quam tutum apud aures superbas & offensioni proniores. ea Cæsar octo post annos rettulit, [2] medium tempus
30 varie arguens; etiam si tormenta, pervicacia servorum, contra evenissent. Dictis dein sententiis, *ut Serenus more majorum puniretur*, quo molliret invidiam, [3] intercessit. Gallus Asinius *Gyaro aut Donusa claudendum* censeret. id quoque aspernatus est, *egenam aquæ utramque insulam* referens, *dandosque vitæ usus cui vita concederetur*. ita Serenus Amorgum reportatur. Et quia Cornutus sua manu ceciderat, actum *de præmiis accusatorum abolendis, si quis majestatis postulatus ante perfectum judicium se ipse vita privavisset*. [4] ibaturque in eam sententiam, ni durius contraque morem suum palam pro accusatoribus Cæsar, *Irritas leges, rempublicam* [5] *in præcipiti* conquestus esset. *subverterent potius jura, quam custodes eorum amoverent*. Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam satis coërcitum, per præ-
31 mia eliciebantur. His tam adsiduis tamque mœstis modica lætitia interjicitur, quod C. Cominium equitem Romanum probrosi in se carminis convictum, Cæsar precibus fratris qui senator erat, concessit. Quo magis mirum habebatur, gnarum meliorum, & quæ fama clementiam sequeretur, tristiora malle. neque enim socordia peccabat; nec

quàm custodiæ. Valerius ita accepit, l. vi. cap. s11. *Quinetiam familiares Gracchorum, nequis reip. inimicis amicus esse vellet, de robore præcipitati sunt.* & Lucanus libro 11.

Sæva Tribunicio maduerunt robora tabo.

Itemque Calpurnius, scitus sanè declamator, Declamat. v. *Video carcerem publicum saxis ingentibus structum, angustis foraminibus tenuem lucis umbram recipientem. In hunc conjecti, robur Tullianum prospiciunt: & quoties jacentes ferrati postis stridor excitat, exanimantur & alienum supplicium aspectando* (ita inibi lego) *suum discunt.* Ex quo claré discas robur hoc in Tulliano fuisse, id est carceris inferiore loco. Livius xxxiv. *Pleminius in inferiorem demissus carcerem est, necatusque.* Lipsius.

1 *Post damnatum Libonem*] At in damnatione Libonis nulla mentio hujus Sereni, nullæ partes. *Idem.*

Post damnatum Libonem] At in damnatione Libonis, nulla mentio hujus Sereni, nullæ partes, ut exquisite monuit præceptor meus Lipsius. Sic est, si sequimur lectionem hactenus usu receptam; sin suspiciunculam meam non dedignatur lector, inveniet hominem illum libro 2. Annal. 30. latitantem sub *C. Livio*, cujus deinceps tamen nulla mentio usquam apud Tacitum. *Gruterus.*

2 *Medium tempus varie arguens*] Error vertentium inde natus est, quod illa non intelligerent; quæ significant multa objiciens Sereno, tamquam inter illud spatium ab eo facta aut cogitata: deinde, quod non viderent sequentia, *etiamsi* &c. ex persona Tiberii, non Taciti accipienda esse. *Multa in me fecit atque consuluit* (hic sensus verborum Tiberii est) *intra hoc octennium, quorum omnium series patuisset, nisi obstinatione servorum ejus elusa tormenta essent.* Freinshemius.

3 *Intercessit Gallus Asinius*] Vulgò vitiosa distinctio. Scribe totum locum, *intercessit. Gallus Asinius G. a. D. claudendum censere.* id est: censebat. Intercedendi Aspernandique verba ad Cæsarem ipsum referenda sunt, qui jure Tribuniciæ potestatis intercessit decreto, invidiæ minuendæ. *Lipsius.*

Gallus Asinius Gyaro] Legendum forte, *Cum Gallus Asinius.* Muretus. Locum corruptum esse nemo non videt. Faernus legebat: *Intercessit: ut Gallus Asinius, Gyaro aut Donusa claudendum censuerat.* Ursinus. In suspectis locis Man. lectionem anteferimus. Ideo illius fidem secuti, verbum, *censeret*, restituimus. vulgo, *censere*, quod Lipsius interpretatur, censebat. Ego potius aliquid deesse suspicor. Muretus explet: *cum Gallus Asinius.* Sed conjectura tantum. *Pichena.* Non tego suspicionem meam, in vocula *aut* latere nomen clari cujusdam senatoris, præsertim cum illud *censeret* etiam indicio sit locum hunc in morbo cubare. quem ita reformem, si quid libri aut historiæ juvent: *Gallus Asinius Gyaro, Cotta Donusa claudendum censuere.* Sane Cottam illum in atrocem sententiam promptissimum semper fuisse patet ex nostro infra 5, 3. & 6, 5. *Freinshemius.*

3 *Ibaturque in eam sententiam*] His verbis non quivis consensus, sed mos pedibus eundi in sententiam, quod consueverat, quum per discessionem SC. fieri dicebatur, innuitur. Vide Zamoscium l. 2. de Senatu Rom. *Idem.*

4 *In præcipiti conquestus esset*] Melius fere procederet sententiæ impetus, si amoliremur dictionem ulti-

nec occultum est quando ex veritate, quando adumbrata lætitia, facta imperatorum
celebrentur. [1] quin ipse compositus alias, & velut eluctantium verborum, solutius
promptiusque eloquebatur, quotiens subveniret. At P. [2] Suilium quæstorem quon-
dam Germanici, cum Italia arceretur, convictus pecuniam [3] ob rem judicandam
cepisse, *amovendum in insulam* censuit; tanta contentione animi, ut & jurando ob-
stringeret, *è republica id esse*. Quod aspere acceptum ad præsens, mox in laudem
vertit, regresso Suilio: quem vidit sequens ætas præpotentem, venalem, & Claudii
principis amicitia [4] diu prospere, nunquam bene usum. Eadem pœna in Catum Fir-
mium senatorem statuitur, *tamquam falsis majestatis criminibus sororem petivisset*. Ca-
tus, ut rettuli, Libonem inlexerat insidiis, deinde [5] judicio perculerat. ejus operæ
memor Tiberius, sed alia prætendens, exsilium deprecatus est: quo minus senatu
pelleretur, non obstitit. Pleraque eorum quæ rettuli, quæque referam, parva for- 32
sitan & levia memoratu videri non nescius sum: sed nemo Annales nostros cum
scriptura eorum contenderit, qui [6] veteres populi Romani res composuere. Ingen-
tia illi bella, expugnationes urbium, fusos captosque reges; aut, si quando [7] ad interna
præverterent, discordias consulum adversum tribunos, agrarias frumentariasque leges,
plebis & optimatium certamina, [8] libero egressu memorabant. [9] Nobis in arto, &
inglorius labor. Immota quippe aut modice lacessita pax, mæstæ urbis res, &
[10] princeps proferendi imperii incuriosus erat. Non tamen sine usu fuerit, introspi-
cere illa primo aspectu levia, ex quis magnarum sæpe [11] rerum motus oriuntur. Nam 33
cun-

ultimam. *Gruterus.*

1 *Quin ipse compositus*] Cæsari, cum in sævitiam laberetur, eluctabantur fere verba & erumpebant, tanquam vi coacta, & composita: quoties subveniret, solutius, &c. *Ferretus.*

2 *Suilium, Quæstorem*] Gloriatur ipse in oratione contra Senecam: *Se Quæstorem Germanici; illum domus ejus adulterum fuisse.* Lipsius.

3 *Ob rem judicatam*] Non hic opinor quæritur, quid JCti dixerint, sed quid Tacitus scripserit, præsertim quum loquutio Taciti perinde se exprimat commode, quam ista familiaris inter JCtos. Quum igitur & MS. unicus, & Beroaldi editio & Aldus non agnoscant nisi *judicandam*, quis potest id Tacito auferre? Nihilominus editiones quædam, forsan ex Lipsianis nonnullæ (non enim omnes) & Francofurtina Pichenæ exhibuerunt *judicatam*, nonnisi per socordiam typothetarum, quod parum curo; sed maceror Cl. Ryckium ei defensionem paravisse, in qua agit de eo non mutando, quæ nulli mutavisse dici possint, quam qui absurde discesserunt ab vera & primæva lectione, quam ut unam veram & genuinam reduxi. *Jac. Gronovius.*

4 *Diu prospere, nunquam bene*] Invertunt non sine damno sententiæ, uti mihi quidem videtur; non enim apparet quid potissimum notari velit auctor, & quo quasi digitum intendat. Jam autem non hoc vult dicere, licet amicitia principis diu male sit usus, tamen felicem fuisse, verum hoc, licet in amicitia principis diu retinenda felix fuerit, ea tamen potentia in tanto temporis spatio, nunquam ad honestatem aut civium commoda promovenda usum esse. Sed & alii quidem verba hæc, *nunquam bene*, quæ unice ostendi debuerant, quorumque causa tota hæc pericope instituta est, velut studio abscondunt premuntque. *Freinshemius.*

5 *Judicio perculerat*] Malim, *indicio*: eorum argumento, quæ retulit Tacitus sub lib. 11. *Vertranius.*

6 *Veteres populi Rom. res*] Non dubito scripsisse Tacitum *veteris populi Rom. res*, sicut supra 1, 2. ubi notam Pichenæ vide. quo modo Plinio 36, 6. *veteres nostri* sunt majores. *Freinshemius.*

7 *Ad interna præverterent*] Accederent, venirent. *Muretus.*

8 *Libero egressu memorabant*] Hoc est, si quando externa relinquebant, ut domestica memorarent; spatiabantur tanquam patenti ac libero campo, in ea rerum varietate ac libertate scribendi. *Pichena.*

9 *Nobis in arto*] Virgil. 4. Georg. *In tenui labor, at tenuis non gloria.* Muretus.

10 *Princeps proferendi imperii incuriosus erat*] Verbum postremum à Tacito non esse persuasus sum. Deleo, & in alium sensum distinguo: *inglorius labor: immota quippe a. m. l. p.* &c. Ut per figuram omnia nectantur cum voce *labor*, quam Grammatici Appositionem vocant. *Acidalius.*

11 *Motus oriuntur*] Lego, *monitus oriuntur.* Non enim ullos motus ex accusatione aliisque talibus oriri vult: sed rerum salubrium exempla monitionesque. Qui revera pulcherrimus historiæ fructus. *Lipsius.*

Rerum motus oriuntur] Quidam legunt, *monitus*, sed non assentior. *Muretus.* Ego vero, *motus* retineo. Tametsi, ait Cornelius, hic non agatur de bellis ingentibus, deque urbibus expugnatis, tamen

cunctas nationes & urbes populus, aut primores, aut singuli regunt: [1] delecta ex his & constituta reipublicæ forma, laudari facilius quam evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest. Igitur ut olim plebe valida, vel cum patres pollerent, noscenda vulgi natura, & [2] quibus modis temperanter haberetur; senatusque & optimatium ingenia qui maxime perdidicerant, callidi temporum & sapientes credebantur: sic converso statu, [3] neque alia rerum quam si unus imperitet, hæc conquiri tradique in rem fuerit: quia pauci prudentia, honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt;

nostra sperni à lectore minime debent, quod bella ingentia, vastationesque urbium, quandoque ab ejusmodi condemnationibus originem trahunt. Recte; unde enim bellum Volscorum, quo victi Romani animum despondere, & ad infimas preces descendere coacti sunt? ex peracto reo Cn. Marcio Coriolano? Unde etiam Atheniensium in Sicilia profligatio? unde Lacedæmoniorum in Græcia adversus eosdem belli reparatio? unde ad ultimum Deceliæ Atticæ communitio? Damnatus Alcibiades universa Spartanis suppeditavit: sic enim de Sicilia Lacedæmoniis consilium dedit Thucyd. lib 6. στρατιάν τε ἐπὶ νεῶν πέμψετε τοιαύτην ἐκεῖσε, οἵτινες αὐτερέται κομισθέντες, καὶ ὁπλιτεύσουσιν εὐθύς. i. *exercitum navibus talem illuc mittite, ut idem in vehendo remiges, mox milites sint.* De belli redintegratione. καὶ τὰ ἐνθάδε χρὴ ἅμα φανερώτερον ἐκπολεμεῖν. i. *Et hic oportet apertius bellum inferre.* De Decelia. τειχίζειν δὲ χρὴ Δεκέλειαν τῆς Ἀττικῆς, ὅπερ Ἀθηναῖοι μάλιστα ἀεὶ φοβοῦνται. i. *Oportetque muris cingere Deceliam Atticæ quod præcipue semper timent Athenienses.* Quod ultimum ita verum fuit, ut inde maxime Atheniensium potentia destructa sit. Plutarch. in Alcibiad. τὸ δὲ τρίτον, καὶ μέγιστον ἐπιτειχίσαι Δεκέλειαν. οὗ μᾶλλον οὐδὲν διεργάσατο καὶ κατοικοφθόρησε τὴν πόλιν. i. *tertium, idemque maximum, mœnibus circumvallare Deceliam, qua re nulla potior exitium civitatis invexit.* Salmerius. Lipsius, *monitus*, me quidem adtentiente. nam aliorum *motus* nihil habent sani. *Freinshemius.*

1 *Delecta ex his & temperata simul ex omnibus*] Trium istarum formarum respublicas dari ipse modo diserte dicebat: sed aliquam ex his delectam atque ita libratam, ut omnium commoda complectatur, omnium evitet vitia, eam vero reperiri valde negat. idque ex vero, quidquid alii contra somnient. Prius enim formandi essent alii homines (alii etiam moribus) ex quibus ejusmodi respub. institueretur. *Freinshemius.* Sed unde huic Cl. Freinshemio in manum venit participium *temperata*, quod nec ille nec quisquam in contextu vidit; nec credi potest ab eo tantam licentiam usurpatam, ut ita aut ipse scripserit, aut scribi debere alios admonere voluerit. Nihilominus, quod miror, videtur suspectum habuisse illud *constituta*; cujus suspicionis ansam nescio qui capere potuerit in tanto omnium silentio. Quod ego aversatus, nunc profero in illo unico, illo venerabili codice scribi *delecta ex iis & consociata Reipublicæ forma.* Apparet quam prave huc irrepserit illud *constituta.* Nam etiam hoc apparet, & satis manifeste, scriptum fuisse ab Tacito *& concinnata reipublicæ forma.* Cæterum scias, lector, oportet hanc notam petitam esse ex comparatione versionum, ubi describit Freinshemius Tacitum velle *delectam & contemperatam simul ex omnibus.* Mirum sane. *Jac. Gronovius.*

2 *Quibus modis temperanter haberetur*] Hoc longe locupletius est, quam ut exhauriatur Gallico *à meriter leurs bonnes graces.* quod quidem non excluditur, neque etiam præcipuum est eorum, quæ hic continentur. *Temperanter habetur vulgus*, quum ita regitur, ut neque injuriis exacerbetur, neque adulationibus aut nimia libertate lasciviat. hæc enim summa est artis salubriter popularis, suum plebi honorem, neque ultra, concedi: & ut Sallustii verbis utar, in Jugurt. 45. *temperantia inter ambitionem & sævitiam moderatum esse. Ea temperantia* non comparet in Hisp. *Los medios para tenerlo contento:* nam hoc eorum videretur, qui omnia ad nutum & auram popularem dirigunt: turbatores potius plebis, & reipublicæ, quam callidi temporum, & sapientes. *Freinshemius.*

3 *Neque alia rerum*] Emendavi, *neque alia re Rom.* Rem Romanam hoc sensu non semel dixit. *Lipsius.*

Neque alia rerum, quam si] Fort. *atque alia rerum quam si.* Muretus. Impendio unius parenthesis locus illustratur: *Sic converso statu, neque alia rerum, quam (si unus imperitet) hæc conquiri, tradique in rem fuerit.* τὸ *alia rerum.* ut lib. 1. ann. *inculta montium, uligines paludum.* infra. *præcipua rerum.* Mos illo seculo & paulo post, frequens Apul. libro 1. Asin. aur. *postquam ardua montium, & lubrica vallium, & roscida cespitum, & glebosa camporum emensi.* Salmerius. Lipsius rectissime, *neque alia re Rom.* Poterat tamen trajectio usurpari: *Sic converso neque alio rerum statu, quam si unus &c.* Muretus quid voluerit, cum mutaret, *atque alia rerum, quam si unus*; non extrico. *Acidalius.* Lipsianum non contemno: neque tamen displicet vulgata lectio. nam consulto videtur loqui obscurius: nolens expresse fateri, regnum esse Romæ & non rempublicam, quum tamen hoc præferrent principes. Nam non Domitianus modo, sed Nerva deinceps, & Trajanus nihil fuerunt nisi puri puti Reges, idque non minus, quam qui maxime. Quapropter etiam à Græcis, quum aliis, tum coætaneis suis, *reges* appellati sunt. Libertatis tamen speciem

nunt; plures aliorum eventis docentur. [1] ceterum ut profutura, ita minimum oblectationis adferunt. nam situs gentium, varietates prœliorum, [2] clari ducum exitus, retinent ac redintegrant legentium animum: nos sæva jussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium, [3] & easdem exitu caussas conjungimus; [4] obvia rerum similitudine, & satietate. Tum quod antiquis scriptoribus rarus obtrectator, [5] neque refert cujusquam, Punicas Romanasve acies lætius extuleris: at multorum qui Tiberio regente [6] pœnam vel infamias subiere, posteri manent. utque familiæ ipsæ jam exstinctæ sint; reperies qui ob similitudinem morum, aliena [7] malefacta sibi objectari putent. etiam gloria ac virtus infensos habet, [8] ut nimis ex propinquo

ciem atque imaginem quandam relinquebant: quemadmodum & priores Cæsares, Augustus, Tiberius etiam, & quisquis non ad extremum dominationis immodicus fuit. Itaque Tacitus hoc loco necesse habens ad erudiendum lectorem, ipsam rei naturam aperire, vitabundus & cum quadam præfatione veniæ id facit, *neque alia rerum, quam si unus imperitet*, quasi diceret, si verum fateri volumus, & rem potius quam nomen aut imaginem intueri, non in libertate, sed regno vivimus: coque nobis conducit regni arcana nosse. *Freinshemius.*

1 *Ceterum ut profutura*] Dixit idem Thucydides: *Καὶ ἐς μὲν ἀκρόασιν ἴσως τὸ μὴ μυθῶδες αὐτῶν ἀτερπέστερον φανεῖται. Lipsius.*

2 *Clari ducum exitus*] Vertunt tanquam fuisset, *clarorum ducum exitus*, quæ mutatio, quod & alibi argui, quanquam nihil sensus referre videatur, refert. Nec enim quoscumque *ducum exitus* relatos scribit auctor; sed *claros* tantum: neque est ut objicias eodem modo dici posse, ne quidem *quorumcunque ducum* exitus, sed clarorum tantum memorari: nam cuicunque duci clarus est exitus, ille certe nisi jam ante celebris fuerit, hoc ipso nobilitatur: deinde vix est, ut qui dux sit, idem non etiam clarus sit. Quippe *ducis* nomine summos tantum duces intelligi, non ut postea usurpari cepit vocabulum: alios superiores habentes, ipse Livius, qui hoc Taciti loco unus aut præcipuus adspicitur, testis est 4, 20. *Ea rite opima spolia habentur, quæ dux duci detraxerit; nec ducem novimus, nisi cujus auspicio bellum geritur.* Freinshemius.

3 *Et easdem exitu caussas*] Id est, pares exitus à paribus causis. Passim damnati, ob suspiciones, delationes: innocentes, aut illustres. Vide qui legeret, *easdem exitii.* Lipsius.

Et easdem exitu causas] Non sperno. Sed forte melius: *& easdem exitu causas.* ut majestatis legem designet, quæ tum maxime exercebatur. *Pichena.* Tacitus *causas* non intelligit pro rerum auctoribus aut principiis, verum pro judiciis, quomodo ferme differunt *αἴτιον* & *αἰτία*. Igitur *causæ exitu eadem*, sunt judicia & accusationes eundem semper exitum (condemnationis nimirum) nacta. Itaque quum in omni relatione mens hominis maxime suspensa teneatur exspectatione exitus; nihil est quod eam magis possit defatigare ac tædio opplere, quam eædem omnium fabularum catastrophæ: tamquam *chorda qui semper oberret eadem.* Freinshemius.

4 *Obvia rerum similitudine*] Ubique lectoribus occurrente. *Muretus.* Non mutem: *obvia ex rerum s. s.* Acidalius.

5 *Neque refert cujusquam*] Prorsus idem est quod apud Juvenalem Sat. 1.

Quid refert dictis ignoscat Mutius, an non?
Pone Tigellinum.

Et paulo post:

Securus licet Æneam, Rutulumque ferocem
Committas; nulli gravis est percussus Achilles,
Aut multum quæsitus Hylas.

Mercerus.

6 *Pœnam vel infamiam*] Sed in MS. legitur *infamias*, unde & Beroaldus & mox Aldus similiter curaverunt legi in editionibus: nec scio, quis primus subjecerit singulare. *Jac. Gronovius.*

7 *Malefacta sibi objectari putent*] Plinius Paneg. *Ut in se dicta interpretarentur, quæ de simillimo dicerentur.* Pichena.

8 *Ut animus ex propinquo*] Legam, *ut nimis ex prop.* Si laudes nuperam virtutem, offendis: at de antiquis, ferre possumus, ut ævo dissitis, & oggerere, *Aliud sæculum* fuisse. At si propinqua laudes, arguis & uris qui dissimiles. Si voles etiam, *ut animos ex propinquo*, non refutem. *Lipsius.*

Ut animus ex propinquo.] Fort. *ut nimis.* Muretus. Vulgo, *ut animus*, obscuro sensu. Erant qui sic interpretabantur: Si relatas virtutes Lector sibi suoque captui, propinquas ac familiares non agnoscat, statim illas animo & cogitatione arguet, falsasque putabit: & esset huic sententiæ simile, quod ex oratione Periclis apud Thucyd. lib. II. sumsit Sallust. in proœmio Catil. his verbis: *Ubi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit: supra ea, veluti ficta, pro falsis ducit.* Alii sic Gloria quoque ac virtus odiosæ sunt, sicut etiam animus ac mens scriptoris, qui ex propinquo arguere ac vituperare diversa videatur. At vulgata illa lectio non erat juxta Manuscriptum, qui habet, *ut animis.* Unde illustris Vir Ursus Ilciensis Comes, inter Senensem nobilitatem eruditissimus, qui multas Mureti notas ad Tacitum mecum humanissime communicavit, me monuit, apud eundem Muretum legi, *ut nimis,*

34 pinquo diverſa arguens. Sed [1] ad incœpta redeo. Cornelio Coſſo, Aſinio Agrippa conſulibus [2] Cremutius Cordus poſtulatur, novo ac tunc primum audito crimine, *quod editis annalibus, laudatoque M. Bruto*, [3] *C. Caſſium* Romanorum ultimum *dixiſſet.* Accuſabant [4] Satrius Secundus, & Pinarius Natta, Sejani clientes: id perniciabile reo, & Cæſar truci vultu defenſionem accipiens; quam Cremutius, relinquendæ vitæ certus, in hunc modum exorſus eſt: *Verba mea patres conſcripti, arguuntur: adeo factorum innocens ſum. Sed neque hæc in principem, aut principis parentem, quos lex majeſtatis amplectitur: Brutum & Caſſium laudaviſſe dicor. quorum res geſtas cum plurimi compoſuerint, nemo ſine honore memoravit. Titus Livius eloquentiæ ac fidei præclarus in primis, Cn. Pompejum tantis laudibus tulit, ut* Pompejanum *eum Auguſtus appellaret. neque id amicitiæ eorum offecit.* [5] *Scipionem, Afranium, hunc ipſum Caſſium, hunc Brutum, nuſquam* [6] latrones & parricidas, *quæ nunc vocabula imponuntur, ſæpe ut inſignis viros nominat.* [7] *Aſinii Pollionis ſcripta, egregiam eorundem memoriam tradunt.*

Meſſalla

mis, quod adeo verum cenſui, ut recipere non dubitaverim. Senſus eſt: Gloriam, ac virtutem odio haberi, utquæ nimis ex propinquo, id eſt nimis prope, ac quaſi coram, & ſub oculis hominum, diverſa vituperare, ſeu aliorum vitia exprobrare videantur. Et quod hic, *ex propinquo*, alibi Tacitus eodem ſenſu uſurpaſſe videtur, *è proximo* hiſt. lib 2. *Et Triariæ licentiam modeſtum è proximo exemplum onerabat Galeria Imperatoris uxor.* Quod idem Scientiis obſervavit. *Pichena.*

1 *Ad incœpta redeo*] Sic poſtremæ editiones, Beroaldus *incœpta*, Aldus *incepta*, prout etiam multæ ex Lipſianis. Et quid majorem laudem meretur? Videntur petiviſſe ex 6, 23. *Ne nunc incepto longius abierim.* Actum certe puteriliter, quum in MS. non habeatur niſi *ſed accepto red.* Omnino patet ſcripſiſſe auctorem *ſed ad cœpta redeo.* Quod quis neſcit eſſe continuum Taciti? ut Ovidius, *Deſicimus ad cœpta manus.* Jac. Gronovius.

2 *Cremutius Cordus*] De cujus fine legendum Senecam conſolatione ad Marciam bene monuit Lipſius & partem ejus loci feliciter correxit. At quod in fine editur: *Magna res erat in quæſt. an mortis rei perderentur*; rectiſſimum eſt, quod ille in libris inveniſſe ſe teſtatur, *proderentur*, h. e. ederentur. Rei ſemper produntur ab accuſatore & recipiuntur à judice certi & nuncupati criminis, cui pœna ſtatuta certa lege; puta majeſtatis, adulterii, falſi, de vi publica, repetundarum. At hic novum crimen *reus mortis:* non ut Græcis θανάτου ἔνοχος, nam is eſt cædis, ſive mortis alienæ; hic reus mortis ſuæ. Nam majeſtatis reus Cordus ante diem judicii mortem ſibi ipſi conſtituerat: id delatores ut impedirent, quia bona ſponte morientis non publicata, veniunt ad tribunal. tanquam, inquit, poſtulaturi reum novi criminis mortis ſuæ. Quæ alia viri docti comminiſcuntur, & frigida nimis, & longius abeunt à ſcriptura vet. *Mercerus.*

3 C. *Caſſium Romanorum ultimum*] Hoc quidem Bruti ipſius elogium fuit de Caſſio jam mortuo: publiceque dixit: Ἔσχατον ἄνδρα Ῥωμαίων τὸν Κυρίον. Plutarchus in Bruto. Inde ergo magnificam eam vocem Cremutius ſumpſit. Neque aliter *Romanus quiſpiam Philopœmenem laudans, Ultimum Græcorum dixit:* quod in eodem Plutarcho leges. At in ſimilem ſententiam de Bruto, & ad Brutum, Lucanus canit:

O decus imperii, ſpes ô ſuprema Senatus,
Extremum tanti generis per ſecula nomen. Lipſius.

C. *Caſſium Romanorum ultimum*] Imo Brutum, & Caſſium dixerat *Romanorum ultimos* Suet. Tib. 61. Sic Romani Philopœmenem, *ultimum Græcorum* vocarunt. Plutarch. in ejus vita & in Arato. *Muretus.*

4 *Satrius Secundus, & Pinarius Natta*] Alterius mentio Senecæ, in Conſolatione ad Martiam hujus Cremutii filiam: *Propone*, inquit, *illud acerbiſſimum tibi tempus, quo Sejanus patrem tuum clienti ſuo Satrio Secundo congiarium dedit. Iraſcebatur illi ob unum aut alterum liberius dictum: quod tacitus ferre non potuerat, Sejanum in cervices noſtras non imponi quidem, ſed deſcendere.* ſcribo, *eſcendere.* id eſt, pedetentim & per gradus Imperatorem fieri. *Lipſius.*

5 *Scipionem, Afranium*] Duplex error eſt Angli, gravis uterque, quod hos duos pro uno habet, eumque virum pro hiſtorico, qui Caſſii & Bruti mentionem feciſſet. Sed auctori adhuc de Livio ſermo eſt; illum Scipioni, illum Afranio, Pompejanis ducibus, Caſſioque & Bruto, nuſquam ea nomina impoſuiſſe. *Scipio & Afranius* ab omnibus belli civilis ſcriptoribus, inter præcipuos duces ſæpiſſime nominantur. *Freinſhemius.*

6 *Latrones & parricidas*] Adſpexit ad has ſervilis adulationis voces idem Lucanus, de Pompeji cæde:

——— *ſcelus hoc quo nomine dicent,*
Qui Bruti dixere nefas?

Qui poeta ubique tam liberi, imo licentis ſtili, in Principes eſt, ut mirer ea ſcripta ſub Principe, & quidem tali. *Lipſius.*

7 *Aſinii Pollionis ſcripta*] Qui XVII. libros Hiſtoriarum ſcripſit, auctore Suida. Citat. Suetonius; &

Messalla Corvinus, imperatorem suum Cassium prædicabat: [1] *& uterque opibusque atque honoribus perviguere. Marci Ciceronis libro, quo Catonem cælo æquavit, quid aliud dictator Cæsar, quam rescripta oratione, velut apud judices respondit? Antonii epistolæ, Bruti conciones, falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate habent. carmina Bibaculi & Catulli, referta* [2] *contumeliis Cæsarum leguntur. sed ipse divus Julius,* [3] *ipse divus Augustus, & tulere ista, & reliquere; haud facile dixerim, moderatione magis an sapientia.* [4] *namque spreta exolescunt: si irascare, adgnita videntur. Non attingo Græcos, quorum non modo libertas, etiam libido impunita: aut si quis advertit, dictis dicta ultus est. Sed maxime solutum, & sine obtrectatore fuit, prodere de iis* [5] *quos mors odio aut gratiæ exemisset. num cum armatis Cassio & Bruto, ac Philippenses campos obtinentibus, belli civilis caussa populum per conciones incendo?* [6] *an illi quidem septuagesimum ante annum perempti,* [7] *quo modo imaginibus suis noscuntur,* [8] *quas nec victor quidem abolevit, sic* [9] *partem memoriæ apud scriptores retinent? suum cuique decus posteritas rependit. nec deerunt, si damnatio ingruit, qui non modo Cassii & Bruti, sed etiam mei meminerint.* Egressus dein senatu, [10] vitam abstinentia finivit. [11] libros per ædiles cremandos

& alii. *Idem.*

1 *Et uterque opibusque atque honoribus perviguere*] Dele τὸ *que* appensum voci *opibus.* ne tam contragosa oratio fit ex crebra nimis ejusdem particulæ iteratione. *Acidalius.*

2 *Contumeliis Cæsarum*] Quidam accipiunt de Julio, & Augusto. quod non reprehendo: neque tamen de his tantum intelligendum existimo, sed de universa Cæsarum domo. neque etiam prætermiserint illi C. & L. Cæsares, item Agrippam Postumum insectari: Bibaculus certe; nam Catullus ante hos natos videtur periisse. *Freinshemius.*

3 *Ipse D. Augustus*] Plutarch. in Cic. refert Augusti dictum de Cicerone: λόγιος ἀνὴρ, ὦ παῖ, λόγιος, καὶ φιλόπατρις. *Muretus.*

4 *Namque spreta exolescunt*] Lego, *Nam quæ spreta exolescunt.* Muretus. Non ita bene Muretus, *nam quæ spreta.* Acidalius. *Agnoscere* est profiteri & habere pro suo. Vide sup. ad 2, 30. *Freinshemius.*

5 *Quos mors odio aut gratiæ*] Male accipiunt tamquam *odium* aut *gratia* spectaretur, quam ab iis ipsis, quorum historiam tradiderit, exspectet scriptor; & non omnino odia aut studia, quibus ipsos rerum auctores alii homines prosequantur. *Freinshemius.*

6 *Septuagesimum ante annum*] Rotundum numerum posuit, non verum, qui erat LXVI. Facilis supputatio. Nam bellum Philippense anno urbis DCCXI. at nunc annus DCCLXXIIX. *Lipsius.*

An illi quidem septuagesimum] Forte melius, *at illi quidam*, interrogationis nota in verbo *retinent* deleta. *Pichena.* Sic & Boxhornius. Male, nam τὸ *Num* supra ea vi est qua *Utrum*: itaque hoc alterum est duorum, quæ interrogare instituit. *Gronovius.* M. Brutus & C. Cassius partium duces in Macedonia, à pugna apud urbem Philippos, vitam voluntaria morte finierunt, Lepido & Planco Coss. ut opinor, & certe inter Octavii primum, & L. Antonii consulatum, ut ex Paterculo observavi. Inde vero si numeres ad Cossum & Agrippam consules, annos dumtaxat LXVI, non, ut refert Cornelius, LXX. invenies. Sed hoc licenter veteribus in more positum fuit, ut nomine totius, Synecdochicôs majorem partem significarent: quod Asconius in M. Tullii Pisoniana, & ex utroque & Livio Manutius eruditissimus annotavit. Tu videris Augustinum Civitatis XV. c. XXIV. *Vertranius.*

7 *Quomodo imaginibus*] Plutarch. in Bruto refert lepidum Augusti factum de Bruti statua Mediolani, quem omnino vide. *Muretus.*

8 *Quas nec victor quidem abolevit*] Genus mendi, quod passim insedit, & jam dudum nimis secure doctis hominibus transmittitur. Scribe: *quas ne victor quidem abolevit.* Gronovius.

9 *Partem memoriæ apud scriptores retinent*] *Memoriam* hic accipio pro recordatione ipsorum, & quæ ab iis gesta sunt. ita *magna erat apud populum Drusi memoria* 2, 33. h. e. animi, ingenii, gestorum ejus læta & magnifica recordatio. Ejus igitur recordationis partem retinebant in suis imaginibus; aliam in monumentis scriptorum. *Freinshemius.*

10 *Vitam abstinentia finivit*] Distinctè totam historiam Seneca: *Usus itaque balneo, & quo plus imponeret, in cubiculum se quasi gustaturus contulit: & dimissis pueris, quædam per fenestram, ut videretur edisse, projecit a cœna. Deinde quasi* (corrupta interpunctio ab ignaris moris prisci, scribe, *projecit. A cœna deinde quasi.* Mos vulgo obtinebat ut in balneo, aut statim post balneum aliquid sumerent, quod vocabant Gustare & Gustum, & deinde nihilominus venirent ad legitimam cœnam:) *jam satis in cubiculo edisset, abstinuit: altero que die & tertio idem fecit. Quarto ipsa infirmitate corporis faciebat indicium. Cognito consilio ejus, publica voluptas erat, quod è faucibus avidissimorum luporum educeretur præda. Accusatores, Sejano auctore, adeunt consulum tribunalia: queruntur mori Cordum, ut interpellarent*

 quod

dos censuere patres; [1] sed manserunt occultati, & editi. Quo magis socordiam eorum inridere libet, qui præsenti potentia credunt exstingui posse etiam [2] sequentis ævi memoriam. Nam contra, punitis ingeniis gliscit auctoritas. neque aliud externi reges, aut qui eadem sævitia usi sunt, nisi dedecus sibi, atque illis gloriam pepe-
36 rere. Ceterum postulandis reis tam continuus annus fuit, ut [3] feriarum Latinarum diebus

diebus

quod coëgerant. Adeo illis Cordus videbatur effugere. Magna res erat in questione, an mortis rei perderentur. Dum deliberatur, dum accusatores iterum adeunt, ille se absolverat. Quem locum eo libentius adscripsi, ut ab aliis depositum emendarem. Corruptum enim illud, *an mortis rei perderentur:* & ad Oedipum relegat nos Pintianus. In libro manuscripto legi, *proderentur.* itaque cum adseveratione emendo, *an morte rei prohiberentur.* Probat ipse Seneca, statim: *Fles quod quemquam tuorum mori necesse fuit? Paene non licuit.* Lipsius.

Vitam abstinentia finivit] Xiphilinus ex Dione, quem *Cremutium Cordum* vocat Tacitus, non abstinentia cibi vitam finisse scribit, sed manus sibi afferre coactum; & paulo infra, accusationis ejus causas enarrans easdem, quas Tacitus, inquit: *De iis enim rebus accusatus occisus est.* Suetonius Aug. 56. quod spectat ad nominis appellationem, cum Tacito convenit, hunc historiæ scriptorem *Cremutium Cordum* vocans, unde mendum in Xiphilini textu librarii incuria esse credendum. At quod ad contradictionem de interitus modo spectat, existimo sic eorum dicta concilianda, Nempe *manum sibi afferre*, hoc est, sibi mortem consciscere, etsi proprie sit *ferro vitam finire*, nihilominus & de quocumque alio mortis modo voluntario dici posse. Sic Cic. in Epist. ad Oct. *Ego senatum sibi manus afferre coëgi.* Ita & *occidere*, licet magis proprie significet gladio & ferro interimere, uti apud Jurisconsultos, l. 10. *si ipse servus. D. de pec.* tamen Ulpianus, l. 7. §. 1. D. ad leg. Aquil. *Occisum*, inquit, *accipere debemus sive gladio, sive fuste, vel quo alio telo, vel manibus, si forte strangulavit eum vel calce petiit, vel qualiter qualiter.* Vulgo enim occidisse dicitur is, qui mortis causam quolibet modo præbuit. Quum itaque Cremutius Cordus injustis accusationibus petitus, à Sejano consentiente Tiberio mori coactus sit, cibi abstinentia, ob id jure sibi manus attulisse, atque occisum dici potuit. Libet annotare, Cordum historiarum scriptorem, de quo Capitolinus in Gordianis meminit, alium à Cremutio Cordo fuisse, is enim *Junius Cordus* appellatus. *Donatus.* 'Αυτοκράτορες. *Muretus.*

11 *Libros per Ædiles*] Alias id per Triumviros factum. In vita Agricolæ. *Delegato Triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur.* alias per prætorem. Valerius: *Græcos Numæ libros L. Petillius Prætor urbanus ex auctoritate Senatus per victimarios igne facto in conspectu populi cremavit.* Primus Romanorum hanc ingenii sui pœnam subiit Labienus. Vide pulchra apud Senecam patrem lib. x. Controv. initio. *Lipsius.*

Per ædiles cremandos] Intellige, intra urbem: foris autem per præfectos civitatum, aut provinciarum, uti Dio scriptum reliquit LXVIII. extrem. *Vertranius.* Tacit. in vita Agric. 2. Sen. in præfat. lib. 6. Controversiarum in Labienum, qui & Rabienus. *In hunc primum excogitata est nova pœna. Effectum est enim per inimicos, ut omnes ejus libri comburerentur. Res nova, & insueta, supplicia de studiis sumi. Bono, hercle, publico ista in pœnas ingeniosa crudelitas post Ciceronem inventa est. Quid enim futurum fuit, si Triumviris libuisset ingenium Ciceronis proscribere?* Et paulo post. *Ejus qui hanc in scripta Labieni sententiam dixerat, postea viventis adhuc scripta combusta sunt: jam non malo exemplo, quia suo.* Suet. in Calig. *Titi Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Severi scripta Senatusconsultis abolita, requiri, & esse in manibus, lectitarique permisit.* Muretus.

1 *Occultati, & editi*] Occultati à filia, & ab eadem postea editi. Itaque nihil muto. Vertranio tamen placet, *& abditi.* Non moris Tacito, bina verba ponere ejusdem rei. Vide Senecæ 1. caput Consolat. ad Marciam. Scripserat hic Cremutius bella civilia & res Augusti: extantque fragmenta, ex quibus genus dicendi colligas, in Suasoria Senecæ de morte Ciceronis. *Lipsius.*

Manserunt occultati & abditi] Libri Senatusconsulto exuri jussi, quod in iis agnitum à legentibus quidpiam esset, iniquo animo à principibus acceptum, ideo abdite servati, & à curiosis lecti sunt. Qui si Cornelii rectus sensus est, ut opinor, perperam in omnibus libris legitur, *manserunt occultati & editi:* imo vero id esse non potest, ut libri iidem, quos cremari jusserat senatus; retrusi in tenebris, & publicati remanserint: neque enim exustos libros publice habere, impune quisquam illo tempore potuisset. Junguntur autem sæpissime apud M. Tullium, *abditum & occultum*, & dicuntur ab eodem res occultæ & penitus abditæ. *Vertranius.*

2 *Sequentis ævi memoriam*] Hoc est, ne quid ex suis probris illud ad ævum perveniat, nemo enim usque adeo insanit, ut credat abolere se posse scripta eorum, qui post ipsum sint victuri, quod non nemo dixit. *Freinshemius.*

3 *Feriarum Latinarum diebus*] Qui dies erant *conceptivi*, non *stativi.* Horat. Ep. 7. lib. 1. *Indictis comes ire Latinis.* Ait autem *indictis*, quod à Consule indicerentur: Origo à Tarquinio Superbo. Et nomen à Latinis populis, cum quibus icto fœdere,

re,

diebus [1] Præfectum urbis Drusum [2] auspicandi gratia tribunal ingressum, adierit Calpurnius Salvianus in Sex. Marium. [3] quod à Cæsare palam [4] increpitum caussa exsilii Salviano fuit. [5] Objecta publice Cyzicenis [6] *incuria carimoniarum divi Augusti*, additis

re, & tauro sacrificato partes Latinis darentur & 24 urbibus Italiæ. Nec Consules in provinciam ituri, ante ibant, quam Latinæ feriæ indicerentur: & male cessisse scribit Dio 46. ante ferias Latinas profectis. Manebat autem semper unus, qui feriis Latinis jus diceret. Dio lib. 40. *Eo tempore præfectus urbi ad ferias Latinas non est creatus; sed id munus quidam prætores, qui in urbe, exercuerunt.* Tamen Augustus, unum tantum prætorem ad ferias Latinas constituit, lib. 54. Pomponius JCtus l. 2. de Orig. jur. *Aurelius.*

Feriarum Latinarum] Vide Varronem lib. 5. de L. Lat. Dionysium lib. 4. *Muretus.*

1 *Præfectum urbis Drusum*] Capio Drusum Germanici filium. Moris enim ut Latinarum diebus præficeretur urbi adolescens aliquis ex prima nobilitate. Dico adolescens, quoniam, ut Mutius ait, *ex ea ætate præfectus fiat, quæ non sit Senatoria.* apud Agell. XIV. cap. ult. Dio tamen indicare videtur ab Augusto id institutum, lib. XLIX. Ἐν δὲ ταῖς ἀνοχαῖς ἀπετεί ὑπὸ τοῦ Καίσαρος πολίαρχοι παῖδες ἄνηβοι ἐξ ἱππέων, ἀλλ' οὐκ ἐκ βουλευτῶν γεγονότες ἦρξαν. Ita & Nero Præf. urbi à Claudio. Sueton. cap. VII. *Lipsius.*

Præfectum urbis Drusum] V. C. habet *præfectum urbi* &c. & sic est in antiqua formula, Q. IVNI. RVSTICI. PRÆF. VRBI. *Ursinus.* Sic quoque Ursinus citat cap. 45. V. C. hoc est, veterem codicem. Sed falsa appellatione illudit: nec enim vetus dici debuit, qui scriptus fuerat ab Jocundo Veronensi, ut ipse testatur. Ne dubites, *urbis* est in Medic. *Jac. Gronovius.*

2 *Auspicandi gratia*] Moris ut quicumque munus aut magistratum caperent, primo ejus die leviter aliquid delibarent, auspicii saltem causa. Asconius ad illud Ciceronis in Verrem. *Qui auspicato à Chelidone surrexisset: Auspicari dicuntur ineuntes magistratus: & quia Chelidon, id est hirundo, urbem frequentat, facete urbanam provinciam Chelidonis auspicio meretricis dicit esse susceptam.* Itaque appellabant primum illum, Auspicalem diem. Panegyristes: *Illum tamen primum Consulatus tui auspicalem diem tacitus præterire nullo modo possum: quo tu solus omnium consecutus es, ut quod tempus antea incipiendis tantummodo rebus aptum esse videbatur, tunc primum potuerit sufficere peragendis, unoque sol curriculo & officia te Consulis inchoantem videret, & Imperatoris implentem.* Non alia fax clarior ad hunc ritum. & bene ait, incipiendis rebus: quia tantum leves quædam & tralatitiæ caussæ proponi solent, dicis gratia. Suetonius Nerone: *Auspicatus est & jurisdictionem Præfectus urbi* (ita lego, non, *præfecti urbis*) *sacro Latinarum, celeberrimis patronis non tranflaticias, ut assolet, & breves, sed maximas plurimasque postulationes certatim ingerentibus: quamquam interdictum à Claudio esset.* Nec magistratus solum, sed etiam privati homines vulgo Kal. Januariis artes suas, religionis ominisque caussa auspicabantur. Ovidius,

> *Tempora commissi nascentia rebus agendis,*
> *Totus ab auspicio ne foret annus iners.*
> *Quisque suas artes ob idem delibat agendo,*
> *Nec plus quam solitum testificatur opus.*

Seneca epistola LXXXIV. *Ille tantus Psychrolutes, qui Kal. Januariis in Euripum saltabam: qui anno novo, quemadmodum legere, scribere, dicere aliquid, sic auspicabar in Virginem desilire.* Suetonium eodem traho, Nerone, cap. XLVI. *Kal. Januariis auspicanti, Sporus anulum muneri obtulit, cujus gemma sculptura erat Proserpinæ raptus.* Illud proprium studiosis, ut auspicarentur lucubrationes suas nocturnas, ut opinor, Volcanalibus ipsis. Apparet ex Plinii verbis epist. ad Macrum de avunculi sui vita studiisque: *Lucubrare Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi caussa, sed studendi.* Vulcanalia autem IX. Kal. Septembres. *Lipsius.*

3 *Quod à Cæsare palam increpitum*] Jure, quia, ut dixi, non feriæ caussæ, sed leves quædam tunc agi solitæ: multo minus capitales, & ominis sævi ac scævi. *Idem.*

4 *Increpitum causa exilii*] Tralatitiæ enim aut fictæ caussæ tantum proponi solebant, non capitales, diri ominis. *Muretus.* Non ipsum Calpurnii factum, sed increpatio Cæsaris exilii ejus causa fuit: neque ut Tiberius eum pelli jusserit: sed patres audaciam Calpurnii Cæsari displicere cernentes, ea occasione ad fugandum hominem fœdum sunt usi. *Freinshemius.*

5 *Objecta publice*] Accusati sunt publice, h. e. ipsa eorum resp. accusata est; non singuli, non magistratus tantum, aut pars eorum. Sic apud Flor. 2, 17. *Hispaniæ nunquam animus fuit tueri libertatem suam publice:* sed videlicet sigillatim tantum, & per partes. *Idem.*

6 *Incuria carimoniarum Divi Augusti*] Quod fanum honori ejus cœptum non perfecissent, & quod cives quosdam Rom. in vincla habuissent. Dio & Suetonius cap. XXXVII. *Cyzicenis in cives Rom. violentius quædam ausis publice libertatem ademit, quam bello Mithridatico meruerant.* Ademerat sane Cyzicenis libertatem & Augustus, ob cives item Rom. flagris cæsos: sed mox restituit. uti apud Dionem reperies lib. LIV. actis anni DCCXXXIV. & DCCXL. Strabo lib. XII. Cyzicum liberam fuisse ait suo etiam ævo. ex quo vides magnum illum scriptorem desiisse vivere aut scribere, ante hunc Tiberii annum. *Lipsius.*

t Ad-

additis *violentiæ criminibus* [1] *adversum cives Romanos.* & [2] amisere libertatem, quam bello Mithridatis meruerant circumsessi, nec minus sua constantia, quam præsidio Luculli pulso rege. At Fontejus Capito, qui proconsul Asiam curaverat, absolvitur, comperto ficta in eum crimina, per Vibium Serenum. neque tamen id Sereno noxæ fuit, quem odium publicum tutiorem faciebat. [3] nam ut quis districtior accu-
37 sator, velut sacrosanctus erat: leves, ignobiles, pœnis adficiebantur. Per idem tempus Hispania ulterior, missis ad senatum legatis oravit, *ut exemplo Asiæ delubrum Tiberio matrique ejus exstrueret.* qua occasione Cæsar, validus alioqui spernendis honoribus, & respondendum ratus iis quorum rumore arguebatur *in ambitionem flexisse*, hujusce modi orationem cœpit. *Scio patres conscripti, constantiam meam à plerisque desideratam, quod Asiæ civitatibus nuper idem istud petentibus, non sim adversatus. ergo & prioris silentii defensionem; & quid in futurum statuerim, simul aperiam. Cum* [4] *divus Augustus sibi atque urbi Romæ templum apud Pergamum sisti non prohibuisset; qui* [5] *omnia facta dictaque ejus vice legis observem, placitum jam exemplum promptius secutus sum, quia* [6] *cultui meo veneratio senatus adjungebatur. Ceterum ut semel recepisse veniam habuerit; ita per omnes provincias effigie numinum sacrari, ambitiosum, superbum: & vanescet Au-*
38 *gusti honor, si promiscuis adulationibus vulgatur.* [7] *Ego me patres conscripti, mortalem esse, & hominum officia fungi, satisque habere, si locum principem impleam, & vos testor, & meminisse posteros volo. qui satis superque memoriæ meæ tribuent, ut majoribus meis dignum; rerum vestrarum providum; constantem in periculis; offensionum pro utilitate publica non pavidum credant. Hæc mihi in animis vestris templa, hæ pulcherrimæ effigies, & mansuræ. nam quæ saxo struuntur, si judicium posterorum in odium vertit, pro sepulchris spernuntur. Proinde socios,* [8] *cives, & deos & deos ipsos precor: hos, ut mihi ad finem usque*

1 *Adversus cives Rom.*] Quos nonnullos in vinculis habuerant. Dio, & Sueton. *Muretus.*

2 *Amisere libertatem*] Ademerat & Augustus, sed mox restituerat. Dio. *Idem.*

3 *Nam ut quis districtior*] Plane ex illo Sallustiano oraculo, sub Tyrannis: *Quam quisque pessime fecit, tam maxime tutus est.* Lipsius.

Districtior accusator] *Districtum* hic puto acrem, atrocem, rigidum, præferocem, inexorabilem. Sic *districtam fœneratricem* vocat Valer. Max. 8, 2, 2. *Freinshemius.*

4 *Divus Augustus sibi*] Exemplum hujus adulationis à Persis, de quibus apud Q. Curtium postremus servorum Cleo: *Persas non solum pie, sed etiam prudenter reges suos inter deos colere: majestatem enim imperii, salutis esse tutelam.* Eadem Augusto mens, sed ut leniret invidiam, non sibi soli permisit templa statui, sed conjunctim urbi Romæ: quæ jampridem scilicet inter deas. Suetonius: *Templa quamvis sciret etiam Proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia nisi communi suo Romæque nomine recepit.* Ita à communi Asiæ Pergami statutum templum, de quo hic Tacitus, & denarii veteres: in quibus templi forma cum inscriptione, COM. ASIÆ. ROM. ET. AVG. id est, Commune Asiæ Rom. & Augusto. de quo satis multa Dio lib. LI. in actis anni DCCXXV. Facit quod in lapidibus legimus, FLAMINI. ROM. ET. AVG. & apud Rufum templum Romæ & Augusti, in ipsa urbe. *Lipsius.*

5 *Omnia facta dictaque*] Quod de se hic Tiberius, tribuit illi etiam Strabo, lib. VI. extremo: *Tiberius*, inquit, *successit Augusto:* Κάνονα τῆς διοικήσεως καὶ τῶν προσταγμάτων ποιούμενος ἐκεῖνον: *regulam normamque gubernationis & imperii illum faciens.* Idem.

6 *Cultui meo veneratio*] Templum enim, de quo loquitur, dedicatum erat *Tiberio matrique ejus ac Senatui* 4, 15. Freinshemius.

7 *Ego me P. C. mortalem esse*] Hom. Odyss. 7.

——— οὐ γὰρ ἐγώ γε
Ἀθανάτοισιν ἔοικα, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.
Οὐ δέμας, οὐδὲ φυήν, ἀλλὰ θνητοῖσι βροτοῖσιν.

Aurelius.

8 *Deos & deas ipsas*] Optime, nec, ut alii, *Deas* rejicias. Est sollennis precatio, exemplo Græcorum. Demosthenes: Θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις: & sæpius. Est à fonte Homerico:

Κέκλυτέ μευ πάντες τε θεοὶ, πᾶσαί τε θέαιναι:
Omnes dii me audite, atque omnes me quoque divæ.

Lipsius.

Cives, & deos ipsos precor] Geminatum fuit in Man. ab oscitante librario: *& deos & deos ipsos.* ex quo veteres correctores fecerunt, *& deos & deas ipsas.* quod mihi contra auctoris mentem, visum est. *Pichena.* Pichenæ editio, quam nos etiam tamquam

usque vitæ, quietam & intelligentem humani divinique juris mentem duint; illos ut [1] *quan-*
documque concessero, cum laude & bonis recordationibus, facta atque famam nominis mei
prosequantur. Perstititque posthac secretis etiam sermonibus aspernari talem sui cul-
tum. quod alii *modestiam*; multi *quia diffideret*, quidam *ut degeneris animi* interpreta-
bantur. *Optumos quippe mortalium altissima cupere. Sic Herculem, & Liberum apud*
Græcos; Quirinum apud nos, deum numero additos. [2] *Melius Augustum, qui sperave-*
rit. Cetera [3] *principibus statim adesse: unum insatiabiliter parandum, prosperam sui me-*
moriam. nam contemptu famæ, contemni virtutes. At Sejanus [4] nimia fortuna socors, 39
& [5] muliebri insuper cupidine incensus, promissum matrimonium flagitante Livia,
componit ad Cæsarem codicillos. [6] moris quippe tum erat, quamquam [7] præsentem,
scripto adire. ejus talis forma fuit: *Benevolentia patris Augusti, & mox plurimis Tibe-*
rii judiciis ita insuevisse, ut spes votaque sua non prius ad deos, quam ad principum aures
conferret. Neque fulgorem honorum unquam precatum: excubias ac labores, ut unum è
militibus,

quam emendatissimam sequebamur, *& deas*, omisit. at quum in omnibus versionibus occurrat, neque Pichenam eo quidem loco satis accurate judicasse videam, placuit recipere; videtur enim vetus fuisse formula, deos deasque conjungendi. Sicut in Ciceronis Epist. Brutus ep. 16. *Mihi prius omnia dii deæque eripuerint, quam illud judicium.* Propert. 3, 11, 41. *Diique deæque omnes.* Freinshemius. Præsertim quum ista conjunctio deorum & dearum in hujusmodi obtestatione sit prorsus ex indole Tiberii & more, ut patet ex formula execrationis, quam infra profundit 6, 6. Sed qui recte consideret hunc locum & scripturam unici codicis, vix potest consentire in has tam violentas molitiones, præsertim quum & sequentia excludant hinc universum muliebre, in solo masculino quiescentia, & supersit genus aliquod hominum hinc non expellendum præter socios & cives. Non enim negligere debuit, nec neglexisse credi potest viventes extra Romani imperii terminos, quasi non curavisset si illis exsecrationi & ludibrio foret sua recordatio. Scribo: *Proinde socios, cives, exteros, & deos ipsos precor* &c. Cicero 2. Orat. 47. *Omniumque deorum & hominum & civium & sociorum imploratio.* Vocem habet 4, 62. *Dum ruit intus, aut in exteriora effunditur.* lib. 3. hist. 80. *Inter exteras gentes.* Nam index Freinshemianus novit tantum vocem *externus.* Jac. Gronovius.

1 *Quandocunque concessero*] Qui fieri potuit, ut & Beroaldus & Pichena potuerint sic edere, celantes & supprimentes in unico MS. haberi *quandoque.* Eas, mi lector, Florentiam; non est præclusa via & codex salvus est, in quo id videbis plane ut Cl. Ryckius testabatur me indicavisse illi de simili restitutione 1, 6. An fieri potuit, ut hanc vocem tangerent ad mutandum, qui scire poterant tam liquide in ipsis inscriptionibus occurrere NEQVE VLLI LIQVEBIT LOCATIONIS CAVSA IN ANNIS CENTVM QVANDOQVE TRANSVENDERE, ut descripsit Aldus in Orthographia? *Jac. Gronovius.*

2 *Melius Augustum, qui speraverit*] Nimirum qui confisus sit se tantos honores mereri & consequi posse. *Freinshemius.* Fatetur ipse in literis ad dissimillimum sibi successorem: *Benignitas enim mea me ad cœlestem gloriam efferet*, Sueton. 71. Livius libro 1. *Hæc tum sacra Romulus una ex omnibus peregrina suscipit; jam tum immortalitatis virtute partæ, ad quam eum sua fata ducebant, fautor.* Gronovius.

3 *Principibus statim adesse*] Legendum *affatim adesse.* Muretus.

4 *Nimia fortuna socors*] Quidam pessime, securus & sollicitudinis expers. quod quidem, nisi aliunde constaret de significatione, ipsa res abunde refelleret. Ceteri egregie reddiderunt, alius *ebrium*, alius *obcæcatum.* Freinshemius.

5 *Muliebri cupidine*] Liviæ ajunt, quod quidem verum est intelligi; sed illud insuper verum, totum hic sexum perstringi, notarique adfectus illius maribus vehementiores, minusque domabiles. *Freinshemius.*

6 *Moris quippe tum erat*] Probus sapiensque mos, & quem ego sanè laudem. Repertorem ejus C. Cæsarem fuisse moneatur a me juventus. Ita enim Plutarchum accipio in Cæsare: *Λέγεται δὲ καὶ τὸ διὰ γραμμάτων τοῖς φίλοις ὁμιλεῖν, Καίσαρα πρῶτον μηχανήσασθαι, τὴν κατὰ πρόσωπον ἔντευξιν ὑπὲρ τῶν ἐπειγόντων, τοῦ καιροῦ, διά τε πλῆθος ἀσχολιῶν, καὶ τῆς πόλεως τὸ μέγεθος, μὴ περιμένοντος: Ferunt & Cæsarem primum rationem repperisse amicos per litteras conveniendi, cum coram agendi de rebus iis quæ incidissent, nec multitudo occupationum, nec urbis magnitudo semper spatium darent.* Quod referri non nisi ad amicos præsentes posse, clarum est. Tenuit coluitque eumdem morem Augustus, qui *sermones cum singulis, atque etiam cum Livia sua, graviores, non nisi in scriptis & è libello habebat; ne plus minusve loqueretur.* Suetonius cap. LXXXIV. *Lipsius.*

7 *Præsentem, scripto adire*] Vetus ille mos viget adhuc, a Thrasea servatus, cum & ipse & princeps in urbe essent: ad illum enim codicillos composuit, eosque Nero properanter accepit: auctor

militibus, pro incolumitate Imperatoris malle. Attamen [1] *quod pulcherrimum, adeptum, ut* [2] *conjunctione Cæsaris dignus crederetur. hinc initium spei. Et quoniam audiverit, Augustum in conlocanda filia, nonnihil* [3] *etiam de equitibus Romanis consultavisse: ita si maritus Liviæ quæreretur, haberet in animo amicum, sola necessitudinis gloria usurum. non enim exuere imposita munia: satis æstimare firmari domum adversum iniquas Agrippinæ offensiones; idque* [4] *liberorum caussa. nam sibi multum superque vitæ fore, quod tali cum principe explevisset.* Ad ea Tiberius, laudata pietate Sejani, suisque in eum beneficiis modice percursis, cum [5] tempus tamquam ad integram consultationem petivisset, adjunxit: [6] *Ceteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent: Principum diversam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda. ideo se non illuc decurrere,* [7] *quod promptum rescriptu; posse ipsam Liviam statuere, nubendum post Drusum, an in*

Cornelius infra xv. Hic vero de industria philologum moratus sum. *Vertranius.*

1 *Quod pulcherrimum*] Id est, splendidissimum honestissimumque ipsa re, aut certe communi hominum opinione. *Freinshemius.*

2 *Conjunctione Cæsaris*] Filia ejus Claudii filio desponsa. *Lipsius.*

3 *Etiam de equitibus Romanis*] Suetonius: *Agrippa defuncto, multis ac diu etiam ex equestri ordine circumspectis conditionibus, Tiberium privignum suum elegit.* Idem.

4 *Liberorum caussa*] Non hoc dicit, quod in fronte videtur: velle se matrimonium, liberorum caussa, uti formula & lex erant: sed firmandæ Drusi domus, quæ desolata jam illo mortuo erat, contra Agrippinam. Firmandæ, inquam, liberorum Drusi gratia: & ut illos (nepotes Tiberii) tueretur. Sequentia id adfirmant, alioqui longinqua: *nam sibi satis vitæ,* &c. quasi dicat, De se non angi: aut sua posteritate: felice, si cum Principe vivat, obeatque. *Idem.*

Liberorum caussa] Suorum nempe, non Drusi. clarum id ex seq. cap. ubi huic caussæ respondens Cæsar acrius ait arsura Agrippinæ odia, si matrimonium Liviæ domum Cæsarum velut in partes distraxisset. Ergo Agrippina Sejano infensa fuit, non Liviæ, nec liberis ejus, inimicitiæque ejus acrius arsuræ erant, si vidisset inimicum hoc matrimonio tantum extolli. nam Liviæ aut Drusi liberis quid adstrueret Sejani conjunctio, Principem ipsum socerum, patruum, aut avum habentibus? deinde adjungit, *sic quoque erumpere æmulationem feminarum, eaque discordia nepotes suos convelli* &c. quod putidum esset, si jam de inimicitiis Agrippinæ in eos dixisset Sejanus. Parum apte putant de liberis Drusi isthæc dici, tanquam Sejanus se protectorem iis offerret contra potentiam Agrippinæ; qua re nihil magis dici potuisset Sejano adversum. Quid enim? ille, qui tantopere modestiam suam prædicat, qui negat, se principi supervicturum, hoc incolumi, nepotum ejus defensorem patronumque se profiteretur: quasi defensoribus istis tempus egeret? Neque moveor eo, quod in eadem sententia fuisse video virum doctissimum: πολλὰ γὰρ πταίομεν ἅπαντες. nam sequentia verba, quæ suæ causæ advocat, illinc stant, hinc testimonium dicunt: *nam sibi multum superque vitæ fore* &c. Igitur sibi nihil se metuere ait ab Agrippinæ odiis: neque enim aut vivo principe illam sibi nocere posse; aut se vitam desiderare post principem: itaque restare unicam curam de liberis, suis videlicet, quos hac adfinitate firmaret contra illius fœminæ impotentiam. nam utique suæ domui a Drusiana præsidium petebat, non vicissim: quod vel profiteri cujus fuisset imprudentiæ? principis domus stare non potuisset, nisi municipalis eques eam fulcivisset? Ac non sua vi stare potuisset, non supererant Pisones, Dolabellæ, Gracchi, Scipiones; ut in Sejani Vulsiniensis sinum confugere oporteret. *Freinshemius.*

5 *Tempus tamquam ad integram consultationem*] Dubitatur, eane adjunxerit, voce, an scripto. Censeo, Sejanum ipsum sua manu porrexisse Tiberio codicillos: Tiberiumque illis perlectis, voce statim pietatem Sejani laudavisse, ac sua in eum beneficia modice percurrisse. deinde petito ad consultationem tempore, scripto dedisse illi responsum. Quod innuunt sequentia verba: *ideo se non illuc decurrere quod promptum rescriptu.* Pichena. *Integra consultatio*, hic interpretanda est, sicut alicubi *integra causa, integrum judicium*, cui videlicet his sermonibus literisve, per quas in præsentia respondebat, neutram in partem quicquam derogatum aut præjudicatum vellet. *Idem.*

6 *Ceteris mortalibus*] Vix abest quin ad Sallustium respexerit, quem non legit solum sedulo, sed sublegit. Nam apud eum Cæsar, pari sententia disserit: *Aliis alia licentia est, P. C. qui demissi in obscuro vitam agunt, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt: fama atque fortuna eorum pares sunt. Qui magno imperio præditi in excelso ætatem agunt, eorum facta cunctis mortales novere. Ita in maxima fortuna minima licentia est.* Lipsius.

7 *Quod promptum rescriptu*] Plerique ita transferunt, ut male dirimant ab his illa, *posse ipsam Liviam statuere:* & cum hæc ea ipsa sint, quæ se nolle respondere diserte testatur Tiberius, interpretes ita collocant, quasi vere & serio sic respondisset.

in penatibus iisdem [1] *tolerandum haberet: esse illi matrem & aviam, propiora consilia. simplicius acturum. de inimicitiis primum Agrippinæ: quas longe acrius arsuras, si matrimonium Liviæ,* [2] *velut in partes, domum Cæsarum distraxisset.* [3] *sic quoque erumpere æmulationem feminarum,* [4] *eaque discordia nepotes suos convelli: quid si intendatur certamen tali conjugio?* [5] *Falleris enim Sejane, si te mansurum in eodem ordine putas, & Liviam quæ* [6] *C. Cæsari, mox Druso nupta fuerit, ea mente acturam ut cum equite Romano senescat.* [7] *Ego ut sinam, credisne passuros, qui fratrem ejus, qui patrem majoresque nostros,* [8] *in summis imperiis videre?* [9] *Vis tu quidem istum intra locum sistere: sed illi magistratus*

set. Alii non distingunt, ubi desinant illa, quæ se nolle respondere scripserat Cæsar, incipiantque ea, quæ pro se respondebat. Nam hæc & sequentia usque eo, *Falleris enim*, eadem structura verborum efferunt. Cum tamen illa remotio nihil comprehendat, nisi proxima verba hactenus, *propiora consilia:* denique apparet & ceteros nihil esse suspicatos de his verbis: *posse ipsam Liviam* &c. quasi ea essent, quæ *prompta rescriptu* Tiberius dixerat, sed potius putavisse omnino silentio fuisse præterita, quænam illa *prompta rescriptu* forent. *Freinshemius.*

1 *Tolerandum haberet*] Nota loquendi genus ex Græco fonte. Sic libro 14. *si nunc primum statuendum haberemus.* Plin Ep. 8. libro 1. *Cum enitendum haberemus.* Arbiter: *ne & tecum quoque habeam rixandum tota die.* Pichena. *Tolerare* hoc loco est quidem etiam manere; sed continet insuper significationem patientiæ, *sich gedulden.* cui non sufficit istud Itali *restare:* neque aliorum alia. *Freinshemius.*

2 *Velut in partes*] Nota improprii sermonis prætermittenda non erat. *Partes* enim, si Ciceroni credimus in Philipp. 13, 18. *dicuntur in foro, in curia.* non ergo in eadem domo aut familia. *Pichena.*

3 *Sic quoque erumpere*] Qui intellexit de matrimonio Liviæ, fallitur: nam *sic quoque* est nunc quoque, quum nullum tale sit matrimonium, & causa discordiæ. *Freinshemius.*

4 *Eaque discordia nepotes suos convelli*] Tiberius de suis nepotibus loquitur, Agrippinæ liberis ex adoptivo filio Germanico; Liviæ ex Druso naturali. eos per illam discordiam etiam convelli trahique in mutua odia. Dictum hoc sensu supra 2, 43. *Fratres egregie concordes, & proximorum certaminibus inconcussi.* Idem.

5 *Falleris enim Sejane*] Respondet illi parti, *Non enim exuere se imposita munia.* Lipsius.

6 *C. Cæsari*] Augusti filio. *Idem.*

7 *Ego ut sinam*] Hoc est, Etiam si ego permisero, Liviam tibi Equiti Romano nubere, amici certe illius non patientur, eam tecum privatam senescere: ideoque te, etiam nolentem, ad dominationem captandam, instigabunt. Recte ergo sequitur; *Vis tu quidem istum intra locum sistere.* Pichena.

8 *In summis imperiis*] *Imperia* pro magistratibus, atque ducatibus (ut sequioris sæculi vocabulo utar) frequentissimum esse, pueri noverunt: quod tamen quidam interpretes non sunt assecuti. *Freinshemius.*

9 *Vis tu quidem istum &c.*] Si his verbis apud Sejanum usus fuerit Tiberius, juraverim profecto neutrum eorum intellexisse vel hunc, quod diceret, vel illum, quod diceretur. Adeo fœde inquinatus est hic locus. Potuissem tanquam à conclamato abstinere manus; nisi existimarem, me, si non omnia ad restituendam, saltim nonnihil ad eruendam ejus sententiam posse conferre. Quam hanc esse plane mihi persuadeo. Constituisti tu quidem, Sejane, pro constantia modestiæ tuæ, intra eum locum, quo nunc es, te continere: sed etiam atque etiam, pro prudentia tua vide, quantum tamen invidiæ illæ, quas jam ambis, Liviæ nuptiæ in te sint concitaturæ. Nam ipsi illi primores urbis Romanæ, & amplissimos gerentes magistratus, qui, licet invito & reluctante, ac adverso tibi animo, in speciem tamen te præferunt palam tibi, tuorumque exquirunt sequunturque consiliorum auctoritatem, quotidie haud occulte fremunt, jam nimiam esse tuam potentiam, meoque beneficio ad majora esse fastigia te promotum, quam unquam fidissimos maximosque amicorum promoverit Pater meus Divus Augustus. Quid igitur ipsi illi non sunt dicturi, si videant Liviam, C. Cæsari, mox Druso nuptam, in torum ac familiam tuam transire? Adeo ut ad cæteras rationes, hanc quoque prudenter adjiciat Tiberius, ab augenda, hoc matrimonio inito, invidia desumptam. Pro hoc sensu, levi ac prope nulla mutatione, sic in integrum velut restituimus vexatissimum locum. *Vis tu quidem istum intra locum sistere; sed illi magistratus & primores, qui te inviti* (id est, reluctante quanquam animo) *præferunt,* (sibi scilicet, palam æstimant, colunt) *omnibusque de rebus consulunt,* &c. Ad hujus lectionis sententiæque integritatem & cum instituto Tiberii convenientiam vix est, quod desideres. Illud, *invito*, quod nullo jure & sensu, hactenus occupavit hunc locum, maximas turbas fecit, peperitque tot monstra falsarum ridicularumque interpretationum. At, quam pronum erat, quod nos fecimus, reponere, *inviti*, sexto singulari casu in primum pluralem mutato? Inviti alium colunt, quorum in eum adulatio & obsequi-

gistratus & primores [1] qui te invito perrumpunt, [2] omnibusque de rebus consulunt, [3] excessisse jam pridem equestre fastigium, longeque antisse [4] patris mei amicitias non occulti ferunt, perque invidiam tui me quoque incusant. At enim Augustus filiam suam equiti Romano tradere meditatus est. Mirum hercule, si cum in omnis curas distraheretur, immensumque attolli provideret, quem conjunctione tali super alios extulisset, [5] C. Proculejum & quosdam in sermonibus habuit, insigni tranquillitate vitæ, nullis reipublicæ negotiis permixtos. Sed si [6] dubitatione Augusti movemur; quanto validius est, quod M. Agrippæ, mox mihi conlocavit? Atque ego hæc pro amicitia, non occultavi: ceterum neque tuis, neque Liviæ destinatis adversabor. Ipse quid intra animum volutaverim, quibus adhuc necessitudinibus immiscere te mihi parem, omittam ad præsens referre: id tantum aperiam, nihil esse tam excelsum, quod non virtutes istæ, tuusque in me animus mereantur;

datoque

um in apèrto est, odium vero opertum. Quales isti magistratus & primores, de quibus hic agitur. Pro *perrumpunt*, rescripsi, *præferunt*. Hoc, aut simile verbum ipsa sententia palam requirit. Cogitent interim alii, an ejus significationis aliud substituere possint, quod minus abeat à vestigiis corruptissimæ lectionis vulgatæ. Saltim hoc, quod reddidimus, non adeo longe ab iis deflectit. *Boxhornius.*

1 *Qui te invito perrumpunt*] Id est, qui ad me, etiam te nolente, penetrant, meque de omnibus consulunt. *Pichena.* Minime vult auctor, hos perrumpere ad Tiberium, &c. non; sed ad Sejanum, ut planè urget nexus orationis, patetque satis ex hujus libri capite 2. item Cassii libro 57. non ita longe à fine; cujus verba non vacat nunc apponere. *Gruterus.* Locus sat intricatus & difficilis, cujus hunc esse sensum multi putant, eos invito Sejano ad Tiberium perrumpere, eumque consulere, quod absurdum existimo. Quid enim? Aliquis princeps, qui quidem non sit extreme stultus, amicum habeat, à quo norit alios prohiberi, ne se conveniant? & si norit, patiatur? & si patiatur, etiam ipsi illi aperiat, & velut indicium deferat, quis, qua de causa se accesserit? Deinde amico eam potentiam concedat Princeps: quis eo invitu audeat perrumpere? præsertim si ab ipso principe prodatur. Sed desino congerere multa & sane ponderosa. Quorsum enim ista dicerentur? Expendatur quo in argumento versetur sermo Tiberii, nunquid in hoc ut Sejano in equestri statu se permansurum ostendenti respondeat: negetque id facile fore: Quamquam enim de illius modestia non dubitet (ac profecto non dubitabat) alios tamen etiam nolentem ad majora propulsuros, & modestiam ejus expugnaturus esse. Idque adeo jam cepisse fieri, quum sint, qui invito eo perrumpant illam; ejusque sententiam tamquam intimi Cæsaris amici, de negotiis exquirant, licet ipsi illi, ut fit, recentem ejus felicitatem ægris oculis adspiciant, & jam longe supra Augusti amicitias evectum esse palam ferant. quod & ipsum eo pertinet: ne, *istum intra locum sistere* se posse, crederet Sejanus. *Freinshemius.*

2 *Omnibusque de rebus consulunt*] Senatores igitur intelligere videtur, qui publicè consulunt, & de rep. censent. Neque de privatis ceperim, qui Tiberio consilium darent. *Lipsius.*

3 *Excessisse jam pridem*] Quare? aut quo in facto? Credo, quia Prætoriis honoribus insignitus Sejanus à Tiberio, atque ita velut exemtus Equiti, & insertus in Senatum. Sed & posteà Consulem eum fecit, & Senatorem palam. Suetonii igitur scriptio, adfirmantis (in Tito c. VI.) *Præfecturam Prætorii, numquam ad id tempus, nisi ab equite Ro. administratam*, nonne legenda cautè? videtur: & cum exceptione hujus, atque etiam alius; (ut alibi dicam) exempli in Clemente Arretino lib. 4. hist. *Idem.*

4 *Patris mei amicitias*] Id est, amicos. Intellegit Augusti Agrippam aut Mæcenatem. *Idem.*

Patris mei amicitias] Mæcenatem & Agrippam intelligit, qui in Augusti amicitia validissimi. Potentiorem tamen Sejanum apud Tiberium dicebant. *Pichena.* *Amicitias* posuit pro amicis, quos Augustus habuit, Mæcenatem puta, Sallustium, Proculejum, alius: nam Agrippam hic computari, locus non patitur. Sic 5, 2. *Amicitiæ muliebres* sunt amici mulieris, sc. Liviæ. de quibus iisdem Suet. Tib 51. *Ejus omnes amicitias & familiaritates adflixit.* Dialectici concretum pro abstracto in his poni ajunt. *Freinshemius.*

5 *C. Proculejum*] Qui frater Varronis Murenæ, illius qui in Augustum conspiravit: cujus etiam soror Mæcenati uxor. Dio LIV. Laudat eum Horatius:

Vivet extento Proculejus ævo
Notus in fratres animi paterni.

Lipsius.

6 *Dubitatione*] Hoc est, deliberatione, cui mox opponitur decisio. Neque hæc est argumentatio: si consiliis Augusti movemur; moveamur eo, quod Agrippæ mihique filiam suam collocavit: quasi diceret, nam & hoc inter ejus consilia fuit. Verum longe fortius est, si movemur dubitatione Augusti; multo magis moveri debemus ejus decisione: nam de equestribus conditionibus deliberavit quidem; at longe aliud probavit decrevitque, & ipso pacto exsecutus

datoque tempore, *vel*[1] *in concione non reticebo.* [2] Rursum Sejanus, 41
[3] non jam de matrimonio, sed [4] altius metuens, *tacita suspicionum*, *vulgi rumorem*, *ingruentem invidiam* deprecatur. [5] Ac ne adsiduos in domum cœtus arcendo, infringeret potentiam; aut receptando, facultatem criminantibus præberet; huc flexit, ut Tiberium ad vitam procul Roma, amœnis locis degendam impelleret. Multa quippe providebat: sua in manu aditus; litterarumque magna ex parte se arbitrum fore, cum [6] per milites commearent: mox Cæsarem vergente jam senecta secretoque loci mollitum, munia imperii facilius tramissurum: & minui sibi invidiam, adempta salutantum turba; sublatisque inanibus, [7] vera potentia augere. Igitur paulatim negotia urbis, populi adcursus, multitudinem adfluentium increpat, extollens laudibus *quietem & solitudinem: quis abesse tadia & offensiones*, *ac* [8] *pracipua rerum maxime agitari.* Ac forte habita per illos dies de [9] Votieno Montano celebris ingenii 42
viro cognitio, [10] cunctantem jam Tiberium perpulit, ut vitandos crederet patrum cœtus, vocesque, quæ plerumque veræ & graves coram ingerebantur. nam postulato Votieno *ob contumelias in Cæsarem dictas*, testis Æmilius [11] è militaribus viris, dum studio probandi cuncta refert, &, quamquam inter obstrepentes, magna adseveratione nititur, audivit Tiberius probra, quis per occultum lacerabatur. adeoque perculsus est, ut *se* [12] *vel statim vel in cognitione purgaturum* clamitaret; precibusque

secutus est. *Freinshemius.*

1 *In concione*] Concio & senatus hic tamquam diversa opponuntur. quomodo & infra 4, 42. *se vel statim* (erat autem in senatu) *vel in concione* (non *cognitione*) *purgaturum*. Freinshemius.

2 *Rursum Sejanus*] Accepto Tiberii responso denuo codicillos tradidit Sejanus. id hic ostenditur. Sed interpretes non adverterunt. *Idem.*

3 *Non tam de matrimonio*] Emendandum; *non jam.* Sejanus enim tertius, matrimonii mentionem omiserat. *Muretus. Ursinus. Pichena.*

4 *Altius metuens*] Metuebat scilicet, ne Tiberius in suspicionem tacitam incidisset earum rerum, quas ipse animo vere agitabat, de imperio adipiscendo. *Pichena.* *Altius metuere* dictum est, sicut *altius marere*, 2, 82. *Penetrare* 2, 36. 3, 28. 16, 21. *percellere*, 4, 54. *Freinshemius.*

5 *Ac ne assiduus*] Legendum, *ac ne aut assiduus.* Muretus.

6 *Per milites commearent*] Observa litteras per milites solere transmitti, & quidem per eos qui Speculatores dicti. Plutarchus in Galba Nymphidium præfectum prætorio valdè offensum scribit, quod Consules literas & diplomata μὴ παρ᾽ αὐτοῦ καὶ σφραγῖδα καὶ στρατιώτας λαβόντες ἀπέστειλαν. *sine signo suo & militibus misissent.* Nec alius sententiæ illud Taciti libro 11. Histor. *Vix credibile memoratu est, quantum superbia Vitellio accesserit, postquam speculatores Syria Judaaque adactum in verba ejus Orientem nuntiavere.* Hæc clara, & firmandæ Suetonii scripturæ, quæ in omnibus fere manuss. Cal. cap. XLIV. *Magnificas Romam litteras misit, monitis speculatoribus ut vehiculo ad forum usque & Curiam pertenderent.* Depravarunt vulgo, *sæpè latoribus.* Lipsius.

7 *Vera potentia augere*] Malim, *augeri.* nisi legere libet, *agere.* Rhenanus. Muretus, *veram potentiam augere.* Est alioqui alterum eadem significatione, nec minus venustum: nisi forte hic concinnius hoc putabimus, quia præcessit, *invidiam minui.* cui magis respondeat, *potentiam augere.* Acidalius. Mihi vulgata lectio valde probatur. nam verbo, *augere*, passivam significationem tribuo, quod Tacito est familiare, & notat Lipsius ad l. XI. ann. & lib. 3. histor. *Pichena.* Male scriptum, *vera potentia augere*, pro *veram potentiam augeri.* Marcilius.

8 *Pracipua rerum maxime agitari*] Plerique interpretes *agitandi* verbum accepisse pro turbulento motu; quum nihil hic sit aliud, quam *tractari.* Omitto jam ostendere, quam ejusmodi oratio iis Sejani temporibus consiliisque inepte tribuatur. *Freinshemius.*

9 *Votieno Montano*] Cujus inter celebres oratores mentio Senecæ l. V. controvers. VII. & Præfatione lib. IX. Etiam inter poetas Ovidio:

Quique vel imparibus numeris Montane vel aquis
Sufficis, & gemino carmine nomen habes.

Lipsius.

10 *Cunctantem*] L. *nutantem.* Etiam sic Muretus. *Acidalius.*

11 *E militaribus viris*] His verbis simul indicatur fuisse virum non infimæ conditionis, & tamen rerum urbanarum haud magnopere peritum. *Freinshemius.*

12 *Vel statim vel in cognitione purgaturum*] Recurrunt alii ad emendationes, non ego; qui puto, clamitasse Tiberium, non stare per se, quin purget objecta. statim, coram toto Senatu: cui tamen si adhuc æquius, audiri & partem alteram, eosque, quarum intersit, ne illud quidem refugere. *Cognitio* ea est, ubi reus & accusatur, ubi utrinque

que

busque proximorum, adulatione omnium, ægrè componeret animum. Et Votienus quidem [1] majestatis pœnis adfectus est. Cæsar objectam sibi adversus reos inclementiam eo pervicacius amplexus, Aquiliam adulterii delatam cum Vario Ligure, [2] quamquam Lentulus Gætulicus consul designatus [3] lege Julia damnasset, exsilio punivit: Apidiumque Merulam, *quod in acta divi Augusti non juraverat*, [4] albo senatorio era-
43 sit. Auditæ dehinc Lacedæmoniorum & Messeniorum legationes, de jure templi
[5] Dianæ Limenatidis, quod *suis à majoribus, suaque in terra dicatum*, Lacedæmonii firmabant

que argumenta & testes. Seneca Medea: *Si judicas, cognosce: si regnas, jube:* Prorsus idem hic vult Tacitus quod supra cap. 34. *M. Ciceronis libro, quo Catonem cælo æquavit, quid aliud dictator Cæsar quam rescripta oratione, velut apud judices respondit.* Gruterus. Melius, ut modo ad 4, 40. diximus, legendum videtur *in concione*. Sic enim quandoque concionabantur imperatores: ut apud Suet. 24. Cal. *Nec unquam postea quantiscunque de rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites, nisi per numen Drusillæ dejeravit.* Freinshemius.

1 *Majestatis pœnis adfectus est*] Quibus pœnis, propius disce ex Eusebio in Chronicis: *Votienus Montanus Narbonensis orator, in Balearibus insulis moritur, illuc à Tiberio relegatus.* Lipsius.

2 *Quamquam Lentulus Gætulicus*] V. C. habet: *Quamquae Lentulus* &c. *Ursinus.* Hic nonnulla mihi dicenda sunt iis firmandis, quæ viri meliorisnotæ adscripsere de pœna, quam mœchis Lex Julia minabatur. Ea citra mortem fuit & interdictionem aquæ & ignis. *Adulterosque eorum morte, aut fuga punivit* &c. Ergo etiam citra deportationem, quæ gravior interdictione. Quænam igitur ea pœna? perpetua relegatio. Vellej. l. 2. *Quasi cujuslibet uxore violata, pœnas pependere.* At horum pœna relegatio. Dio. οἱ δὲ λοιποὶ ἐς νήσους ὑπερωρίσθησαν. i. e. *cæteri in insulas relegati sunt.* Et clarius hinc disce. Julia relegatione punitur. *Julia relegata in insulam patriæque & parentum subducta oculis.* Vellej. l. 2. Suetonius: *Relegata usum vini omnemque delicatiorem cultum ademit.* Quæ Dio Græce sic extulit: καὶ ταύτῃ ἐκείνη μὲν ἐς Πανδατερίαν τὴν πρὸς Καμπανίᾳ νῆσον ὑπερωρίσθη id est. *Quæ de re ipsa quidem relegata est in insulam Pandateriam litoribus Campaniæ prætentam.* Idem verbum hic usurpat, quod paulo ante. De perpetuitate vero adi Suetonium. *nam ut omnino revocaret, exorari nullo modo potuit.* nec Nostrum prætereas. *Igitur amotus Cercinam quatuordecim annis exilium toleravit.* Agitur de Sempronio, qui inter eos fuit, quos pœna secuta est, quasi privati conjugem adulterio polluissent. *Salinerius.*

Lentulus Getulicus] Sic per editiones placuit scribere viris doctis ab ipso usque Beroaldo, quum nihilominus iidem mox præbeant *Getulis*, ubi tamen alii retinent literam e, alii edunt *Getis*, & ex posterioribus quidam cap. 46. *Gatalico.* Quum perspicue in MS. legatur *Caetulicus*, obsequi unam gloriam ipsis relictam debuerant apprehendere, ut feci. *Jac. Gronovius.*

3 *Lege Julia damnasset*] Adulterii pœnæ quæ olim, non in promptu: reclusi, qua potui, & tenebris prisci ævi radium aliquem novæ lucis dedi, in EXCVRSV, quem huic rei vide, in *A.* Lipsius.

4 *Albo Senatorio*] Album τὸ λεύκωμα; id est, tabulæ albatæ in quibus nomina aliudve quid inscriptum. Sic legis Album Prætoris, Album Decurionum, Album Judicum: & in Tertulliano, Album Apostolorum. Senatorum autem Album primus instituit Augustus, anno DCCXLVI. cum recenso Senatu, mulctas infrequentibus imposuisset, & simul definisset numerum intra quem SC. non fieret. Eas ad res visum necessarium Album: quod renovatum quotannis, & in Curia propositum. Dio: Τά τε ὀνόματα συμπάντων βουλευόντων ἐς λεύκωμα ἀναγράψας ἐξέθηκε, καὶ ἐξ ἐκείνου καὶ νῦν κατ' ἔτος ὥσπερ ποιεῖται, id est: *Nomina omnium Senatorum in albo descripta proposuit: atque ex eo, quotannis etiam nunc ita fit.* Idem.

5 *Dianæ Limenetidis*] Scripturam eam juvare aliquid Callimachi versus videntur in Dianæ Hymno: — Καὶ μὲν ἀγυιαῖς Ἔσσῃ καὶ λιμένεσσιν ἐπίσκοπος, quasi eadem illa dea viis præsit portibusque. Ac tu nihil ambigens repone, *Limnatidis.* Ita historia hic postulat, & consensio scriptorum. Sive enim à Limnis vico (qui aliter Amyclæ dictus) Messeniæ: sive ἀπὸ τῆς λίμνης. à palude, agnominata ea dea, certe *Limnatis* scribendum, sive *Limnetis.* Prioris sententiæ Strabo esse videtur l. VIII. Τὸ δ' ἐν Λίμναις τῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν, Λιμναῖον, ἐφ' ᾧ Μεσσήνιοι περὶ τὰς παρθένους ὑβρίσαι δοκοῦσι τὰς ἀφιγμένας ἐπὶ τὴν θυσίαν, ἐν μεθορίοις ἐστὶ τῆς Λακωνικῆς καὶ τῆς Μεσσηνίας. Ὅπου κοινὴν συνετέλουν πανήγυριν καὶ θυσίαν ἀμφότεροι. Nec dissimilia libro Sexto. At à lacu derivat clare Pausanias lib. IV. & VI. itemque Artemidorus lib. II. qui Dianam in somniis visam boni ominis piscatoribus esse vult, quoniam & Λιμνῆτις dicatur. *Lipsius.*

Dianæ Limenetidis] De *Limenetide Diana* nihil me legisse memini: scio tamen ex probatis auctoribus, oram illam terræ, quæ in Messenios spectat, abundare templis Dianæ, Veneris, ac Neptuni. Strabo vero lib. 8. ita scribit. τὸ δ' ἐν Λίμναις τῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν &c. Fortasse igitur appellavit Cornelius *Dianam Limnetidem*, tanquam *stagneam*: λιμνῆτις enim *stagnea* est, sive *palustris*: & legendum erit *Limetidis*, non *Limenetidis.* Ferretius. Æmilius maluit, *Limnetidis*, quod probo. Dianam siquidem λιμνῆτιν

firmabant annalium memoria, vatumque carminibus: *sed Macedonis Philippi, cum quo bellassent, armis ademptum, ac post C. Cæsaris & M. Antonii sententia redditum.* Contra Messenii,[1] *veterem inter Herculis posteros divisionem Peloponnesi* protulere,[2] *suoque regi Dentheliatem agrum, in quo id delubrum, cessisse: monimentaque ejus rei sculpta saxis,*

λιμνᾶτιν ab stagno dictam Artemidorus interpret. somn. lib. II. memorat. Sed & Pausanias Messenicis habet: *Dianæ templum dictum Limnetidis in finibus Messeniorum fuit, ipsis, Dorientibus, Laconibusque commune, & nulli præterea civitati.* Quod si verum, à Messeniis sacris in illo templo prohibiti Lacedæmonii, tot bellorum initio, in Epidauriorum finibus prope viam, quæ à Boeis ad Epidaurum Limeram ducit, Dianæ Limnetidi delubrum exstruxere, eodem teste in Laconicis. Deinde cum Dorienses Lacedæmone potirentur, Preugenes somnio monitus, signum Limnetidis Lacedæmoniis eripuit, Mesoamque per servos deferendum curavit, unde Patras in aram Dianæ, festo ipsius Limnetidis, servi publici transferebant: quod idem Achaicis prodidit. Ex quibus de jure legationis constare studiosis potest. *Vertranius.* Fuit Diana λιμνᾶτις & apud Lacedæmonios in via, quæ Boeis Epidaurum ducebat: & apud Messenios ad vicum, quem vocabant Calamas. At in confinio quæ colebatur, dicebatur Λιμνᾶτις vel Λιμνᾶτις Anthologiæ lib. 6. c. 3. Dicta sic quod præesse portibus eam existimarent: quod clare Callimachus docet. *Meursius* in *Laconicis.*

Limenetidis] Non assequor, quid sit, quod viros doctos alliciat ad tantopere continuandam hanc lectionem ab Beroaldo propositam, quum utique Pichena scire potuerit, ut scivit quoque ipse Beroaldus, in ipso MS. unico exaratum esse *Liminatidis*, unde omnino illud *a* expelli non poterat, proprium Spartani & Dorici oris. & propterea Tacito reddidi; alteram varietatem illis hactenus concedo. *Jac. Gronovius.*

1 *Veterem inter Herculis posteros*] Sortitio Heraclidarum post victos Peloponnesios, & divisio in Laced. Argivorum, ac Messeniorum regionem satis nota ex veteri historia. Temenus Argivam, Aristodemus ejusque liberi Lacedæmoniam, Cresphontes Messeniam habuere. Ea divisio & quæ eam præcessit Heraclidarum expeditio 80 anno fuit post excidium Trojæ. Eusebius, Diodorus, Paterculus, & omnis historia Græca, & corrigendus Strabo lib. 13. in quo ἑξήκοντα ἔτεσι τῶν Τρωικῶν ὕστερον male scribitur pro ὀγδοήκοντα, tralatitio errore ex notis. Viginti annis ante captam Trojam prima expeditio Heraclidarum fuerat, in qua occisus ab Echemo Tegeate Hyllus Herculis, & ex pacto recessere Heraclidæ, nec rediere ante completum pactionis tempus, h. e. post 100 annum. Herodotus lib. 8. Pausanias in Messenicis pag. 273. At de Alyno & Doreo historia, quam ibi narrat, mihi ignota; credo & aliis. Sed omnino rescribendum: Ὕλλου δὲ καὶ Δωριέων μάχῃ κρατηθέντων ὑπ' Ἀχαιῶν. Dores semper Heraclidæ, & qui ab illis. Achæi tum communi nomine omnes Græci; ita tamen ut fere Dores atque Jones excipiantur. Itaque eos ecce nominat etiam in hac ipsa re narranda Herodotus, 2, 26. *Mercerus.*

2 *Dentheliatem agrum*] Lectionis & historiæ obscuræ locus. Placet, *regi Penthilo Eleatem agrum.* Penthilus Arcadiæ, & nisi fallor, Messeniorum rex, filius Orestis. Strabo lib XIII. Ὀρέστου δ' ἐν Ἀρκαδίᾳ τελευτήσαντος τὸν βίον, διαδέξασθαι τὴν ἀρχὴν αὐτοῦ Πένθιλον λέγουσι, καὶ προελθεῖν μέχρι Θρᾴκης, ἑξήκοντα ἔτεσι τῶν Τρωικῶν ὕστερον, ὑπ' αὐτὴν τὴν τῶν Ἡρακλειδῶν εἰς Πελοπόννησον κάθοδον. id est: *Orestis in Arcadia defuncto successisse in regno Penthilum filium ejus ajunt, & processisse in Thraciam usque, sexaginta fere post Troicas res annis: quo ipso tempore in Peloponnesum redierunt posteri Herculis.* Vellejus l. I. *Post Orestis interitum filii ejus Penthilus & Tisamenus, regnavere triennio. Tum, fere anno octogesimo* (Strabo numeravit annos dumtaxat sexaginta) *post Trojam captam, centesimo & vigesimo quam Hercules ad deos excesserat, Pelopis progenies, quæ omni hoc tempore, pulsis Heraclidis, Peloponnesi imperium obtinuerat, ab Herculis progenie expellitur.* Tempora & res satis conveniunt: disconvenit fortasse Tacitus, qui regem ipsum è posteris Herculis facere videtur. At cum omnia Græcorum scrinia excussi, qui progeniem Herculis prodidere, interque alios Theophilum l. II. adversum gentes: Penthilum nullum reperio. Turbat etiam, quod Pausanias libro quarto, ubi Messeniorum reges ordine enumerat, neminem recenset hoc nomine. Quid si legas ergo *Pentheo Eleatem agrum?* quid si, *Temeno?* qui certe inter Heraclidas est. Sed is Argis regnum habuit, ut Pausanias auctor. Quem eumdem in hac historia si sequimur, Cresphonti nomen fuit Messeniorum regi: cui in divisione per fraudem liquescentis sortis, terra ea obvenit. Scripserim ergo *sueque regi dein Eleatem agrum.* Eleatem sane retineo: quia Strabo mihi auctor totam regiunculam inter Dymen & Messenam, Eleam vocatam fuisse. Dentheleatem, sive potius Dentheletem recipere non possum, quia Thraciæ ii populi; apud quos qui potuit esse hoc templum? Dixi multa. si erro, da sodes coronam: quia taurum toties non ferire difficile est, ait ille.

Add. Mercerus, *Tegeatem*, aut *Thuriatem* mallet: & cum eo Pausanias profecto. quem vide. Nec enim ἔργον facio, historiarum hæc πάρεργα. *Lipsius.*

Suoque recident Heliatem agrum] Hic locus non fuit asterisco frustra notatus. nam haud dubie corruptus est. Fortasse legendum: *Suoque regi Penthilo Eleatem agrum, in quo id delubrum, cessisse.* Rhenanus.

saxis, & ære prisco manere. quod si [1] *vatum, annalium ad testimonia vocentur, plures sibi ac locupletiores esse. neque Philippum potentia, sed ex vero statuisse. idem regis Antigoni, idem imperatoris Mummii judicium. sic Milesios* [2] *permisso publice arbitrio, postremo Atidium Geminum prætorem Achajæ decrevisse.* Ita secundum Messenios datum. Et Segestani *ædem Veneris,* [3] *montem apud Erycum vetustate delapsam, restaurari* postulavere;

nanus. Mutatu namque facile fuerit, *D* in *P* ut in Antiquitatibus Dionysii dicti, *Denates*, pro *Penates*. Sed nusquam legitur *Penthilus* Messeniorum rex, nusquam Messeniis *Eleas* ager cessisse. Quare vetus retinenda scriptio est. *Dentheleates* enim Thraciæ populi fuere, quorum Livius lib. 39. & Dio lib. 21. meminerunt, & in quorum agro templum Dianæ Limnetidis collocatum fuit. Vertranius. *Dentheliatem* agrum nullum hic locum habere recte monuerunt. Sed nec *Eleates* ferri potest, quod iis visum. primum, nunquam *Eleates* pro *Eleo* dicitur, sed aut ex Elea sive Velia Italiæ, aut ex civitate cui nomen Ἕλος τῆς Λακωνικῆς, à quo Ἑλεάται Theopompo apud Athenæum, qui postea Ἑλεᾶται. At Ἠλεῖος ab Elide, non Ἑλεάτης. Deinde, ne Eleus quidem ager hic locum habere potest, qui inter Dymam quidem & Messenam est; & vere id Strabo: sed non inter Messenam & Laconicam. Ita enim est. Dyma urbs postrema Achaiæ; eam excipit Eleorum ager; hunc Messeniorum; dein Laconica est. At regionem quærimus, quæ media Messeniam inter & Laconicam, & in ea hoc templum. Postremo, nusquam proditum Elidem aut Eleum agrum fuisse in sorte Heraclidarum; quæ utraque ratio etiam refellendis iis, qui rescribunt in Tacito, *Tegeatem*, qui ager neque in sorte Aristomachi filiorum fuit unquam, sed semper Arcadiæ; neque inter Messeniam Laconicam, sed supra Laconicam, quum infra eam sit Messenia. Nec Pausanias juvat, qui coli Limnatidem Dianam Tegeæ fatetur; sed ita ut Aleam Minervam Mantineæ, propriam Tegeatarum; Leucophrynam Dianam Athenis Magnesiorum. Nec certius quidquam eo, quod jam dudum moneo, de *Thuriate* agro sensisse & scripsisse Tacitum; in quo Lemnæ vicus sacer Dianæ cultu, & qui inter Messenios & Laconas controversus. Utrumque probat Pausaniæ locus insignis in Messenicis pag. 274. Ἐνθεῦθεν πρὸς μεσόγαιαν τῆς Μεσσηνίας σταδίους προελθόντι ὀγδοήκοντά ἐστιν ἡ Θουριατῶν πόλις &c. Quæ narraverat, antea in Laconicis. Planus locus, & ex quo certa in Tacito correctio: *Suoque regi dein Thuriatem agrum, in quo id delubrum cessisse*: quando & de agro constat in quo Limnetis Diana, & de controversia super eo agro, quam dijudicavit Augustus. Tantum adverte pugnam Taciti, qui Divi Julii & Antonii id decretum refert, cum Pausania, qui divi Augusti; odio Antonii. Sed hæc non mira in his historiæ parergis. Malim ego in hac parte Pausaniæ fidem arbitrarier. Adverte etiam Pausaniam scribere Thuriam ab Homero vocari Anthiam, quum Strabo scribat, Æpiam. Res tota in conjectura est, & has ἀρχαιολογίας noverunt omnes quam sint dubiæ. Utramque nominat Homer. Il. ι. 151. *Mercerus.* Ipsi Lipsio deinceps placuit Merceri emendatio, quam & nos secuti sumus. *Freinshemius.* Corrigo, *Suoque regi Deltheniatem agrum.* Nam Δελθένιοι, ut scribebant ceteri Græci, Δελθάνιοι, ut Lacones, & Messenii, quibus Dorica dialectus usitata, oppidum erat, in confinio utrorumque: unde & belli aliquando causa fuit. Hujus rei testis sat disertus Stephanus, istis verbis. Δελθάνιοι, πόλις, μία τῶν περιμαχήτων Μεσσηνίων καὶ Λακεδαιμονίων. *Delthanii, urbs, una ex iis, de quibus inter se pugnabant Messenii ac Lacedæmonii.* Meursius in Laconicis.

1 *Vatum, annalium ad testimonia*] Nuper Lipsius corrigit; *annalium atque testimonia.* pro, *atque annalium.* Nos brevius, *annaliumque testimonia.* Pichena. Attende lector & senties isti loco, liberali manu librariorum adjectum *vatum, annalium*; qui arbitrabantur alioquin non cohærere sententiam cum illo *locupletiores.* certe utraque vox mihi veluti repetita ex superioribus. *Gruterus.* Videntur *annales* accipi pro historiis antiquis, quales apud Cic. de Orat. 2, 52. describuntur: *Erat enim historia nihil aliud, nisi annalium confectio: cujus rei memoriæque publicæ retinendæ causa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium Pontif. Max. res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex maximus, efferebatque in album*, & quæ sequuntur. *Annales* igitur hic nihil aliud sunt, quam historiæ probatorum & veterum auctorum; non, ut interpretes putabant, commentarii rerum Spartanarum, quæ vulgo *chronica* vocantur. *Vatum* vocabulo nihil aliud intellexit Tacitus, quam poëtas, Homerum videlicet aliosque, ex quibus testimonia de finibus antiquis Græcarum regionum frequenter peti consuevisse, vel ex uno Strabone clarum esset. *Freinshem.*

2 *Permisso publice*] Quomodo aliter arbitrari potuissent, nisi publico Lacedæmoniorum atque Messeniorum consilio delecti; non igitur hoc voluit dicere, quod per se poterat intelligi; imo non poterat non intelligi. Igitur *publice* hanc vim habet, ut *publico* sive reip. Milesiorum, permissum dicatur arbitrium. Vide sup. 4, 36. *Idem.*

3 *Montem apud Erycum*] Imo, *Erycem.* Eryx enim Siciliæ ille mons dictus, descriptus Polybio lib. 1. cum ipso templo, & Straboni in vi. De eo Virgilius:

Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliæ.

Et

vere; nota memorantes de origine ejus, & læta Tiberio. suscepit curam libens, [1] ut
consanguineus. Tunc tractatæ Massiliensium preces, probatumque [2] P. Rutilii ex-
emplum. namque [3] eum legibus pulsum, civem sibi Smyrnæi addiderant. quo jure
Vulcatius Moschus exul in Massilienses receptus, [4] bona sua reipublicæ eorum, ut
[5] patriæ reliquerat. Obiere eo anno viri nobiles Cn. Lentulus, & L. Domitius. [6] Len- 44
tulo super consulatum & triumphalia de Gætulis, gloriæ fuerat bene tolerata paupertas;

Et ad ejus instar etiam Romæ templum erectum Veneris Erycinæ ad portam Collinam. de quo Ovidius & Livius. At illud mirum, quod noster hic Tiberio tribuit, id Suetonium Claudio adscripsisse, cap. xxv. *Templum in Sicilia Veneris Erycinæ vetustate collapsum, ut ex ærario P. R. reficeretur, auctor fuit.* An Suetonius id scripsit ἀλογως? an vere instauratum iterum à Claudio fuit? Quod tamen haud facile creditu, tam pauco annorum intervallo. *Lipsius.*

Erycum.] Hæc ipsa verba & Suetoniana collata ab Lipsio etiam sibi invicem apponit Ezech. Spanhemius, impudentissime spolians Lipsium de Præstantia numism. pag. 577. eo majore cum odio, quod Tacito impingat ERYCEM, & quasi ex fido contextu sic allegat contra fidem unici codicis, contra concordiam virorum principum in tot editionibus. Noli igitur per talem citationem moveri, ut videtur Cl. Ryckius toleravisse ut ipsi accideret, sed ut non cunctaretur in pœnitendo, & revocari gauderet ab Cicerone. Quid vulgarius, quam illa bilyl'abi prolatio, Arabs, Arabus &c.? Crebra illa in Stephani θησαυρῷ. Lipsii autem dubitatio de Suetonio vel hæsitatio potius & sequuta collectio quam infirma sit, docet conspectus nummi, unde patet situs, qui mirifice illam ædem casibus exponit, præsertim correctam ab Principe impetum potius sumere solito ad instaurandum tale quid, quam vere consummante. *Jac. Gronovius.*

1 *Ut consanguineus*] Quia Segestani pariter à Trojanis orti. Panegyricus tamen scriptor, ad solos in Sicilia Mamertinos eam gloriam transfert: *Imputavere se origine fabulosa*, inquit, *in Sicilia Mamertini, in Asia Ilienses.* Lipsius.

2 *P. Rutilii exemplum*] De quo Ovidius:

Et grave magnanimi robur mirare Rutili
Non usi reditus conditione dati.
Smyrna virum tenuit, non Pontus & hostica tellus.

Vellejus, Cicero, Seneca, omnes scriptores. *Idem.*

P. Rutilii exemplum] P. Rutilius Rufus Consul anno U. C. 648. vir innocentissimus, repetundarum damnatus, anno post decimo, ab Equitibus, quo judicio convulsa penitus resp. est. Cic. Brut. 1. de Orat. pro Fontejo, in Pisonem, & 3 de nat. Deorum & alibi. Paterculus l. 2. Val. Maximus 2, 5. & 6, 4. Asconius in Divinationem. Livius l 70. Reditum suum Sullæ negavit, ut Seneca ait Ep. 24. *Muretus.*

3 *Eum legibus pulsum*] Pulsus enim est judicio repetundarum, quanquam innocens. Epit. Livii 70. *Freinshemius.*

4 *Bona sua reip. eorum*] Nec hæredem institui, nec præcipere posse remp. constat. Plinius lib. 5. Epist. Ulpianus tit. 22. *Muretus.*

5 *Patria*] Ambiguum habere posset sensum: falsum unum, tanquam patria fuisset Moschi Massilia; verum alterum, non fuisse quidem patriam, sed quia ibi civis factus esset, habitam loco patriæ, sic ferme *alteram patriam Annibalis* appellat Capuam Florus 2, 6. ob frequentem ejus & jucundam ea in urbe moram. Æneas apud Virg. 11, 24. *Egregias animas, quæ sanguine nobis Hanc patriam peperere suo.* Freinshemius.

6 *Lentulo super Consulatum*] Plures Lentuli sub hoc ævum, & vereor ut confuderint quosdam viri docti. Lentulum Augurem eumdem fuisse cum hoc Gætulico censent. Non consentio ego. Primum, quia ille semper Auguris cognomine, quasi ad discrimen adfectus: quod desiisset, facto loco agnomini meliori. Ubi, inquam, ille Augur nominatur, nusquam adjectum Gætulici nomen. Iterum, quia huic Auguri liberi nulli. Colligo ex Suetonii Tiberio, qui ait *Cn. Lentulum Augurem, cui census maximus fuerit, angore & metu ad fastidium vitæ à Tiberio actum: & ut ne quo nisi ipso herede moreretur.* Non tam impudens Tiberius, (præsertim hoc imperii sui ævo) qui id exprimeret ab homine, cui suus heres. At Lentulo Gætulico filius, ut docebo, cognomine eodem. Denique notari Augurem, ut inertem, sine ingenio, sine lingua, a Seneca video: illum laudari a Tacito hic & l. 1. *Præcipue infensi Cn. Lentulo, quod is ante alios ætate & gloria belli firmare Drusum credebatur, & illa militiæ flagitia primus aspernari.* Non movet me quod opes magnas Gætulico Tacitus tribuit, magnas item Auguri Seneca Suetoniusque. Disparitas enim elucet eo ipso. Gætulico gloriæ fuerunt opes innocenter partæ & modeste habitæ, ait noster: vitio Auguri, cujus sordes & sterilitatem notat Seneca his verbis: *Cn. Lentulus Augur divitiarum maximum exemplum, antequam illum libertini pauperem facerent (hic quater millies H. S. suum vidit. proprie dixi: nihil enim amplius quam vidit) ingenii fuit tam sterilis, quam animi. Cum enim esset avarissimus, nummos citius emittebat, quam verba tanta erat illi inopia sermonis.* Censeo ergo diversum ab Augure Gætulicum fuisse: censeo tamen, non pugno. Sed & Gætulici duo, Pater, filiusque. Pater ecce, qui hoc anno mortuus: filius, qui sequenti consul. Nominant Fasti, Dio, Tacitus

tas, dein magnæ opes [1] innocenter paratæ, & modeste habitæ. [2] Domitium decoravit pater civili bello maris potens, donec Antonii partibus, mox Cæsaris misceretur. Avus Pharsalica acie, pro optimatibus ceciderat. ipse delectus [3] cui minor Antonia Octavia genita in matrimonium daretur. Post, exercitu flumen Albim transcendit, longius penetrata Germania, quam quisquam priorum. easque ob res insignia triumphi adeptus est. Obiit & L. Antonius multa claritudine generis, sed improspera. nam patre ejus Julio Antonio ob adulterium Juliæ morte punito, hunc admodum adolescentulum [4] sororis nepotem seposuit Augustus in [5] civitatem Massiliensem, ubi specie studiorum nomen exsilii tegeretur. habitus tamen supremis honor; ossaque tumulo Octaviorum inlata, per decretum senatus.

45 Iisdem consulibus facinus atrox in citeriore Hispania admissum à quodam [6] agreste, [7] nationis Termestinæ. is prætorem provinciæ L. Pisonem pace incuriosum ex improviso in itinere adortus, uno vulnere in mortem adfecit: ac pernicitate equi profugus, postquam saltuosos locos attigerat, dimisso equo, per derupta & avia sequentis frustratus est. neque diu fefellit. nam prehenso ductoque per proximos pagos equo, cujus foret cognitum. & repertus, cum tormentis edere conscios adigeretur; voce magna, sermone patrio, *frustra se interrogari* clamitavit, *adsisterent socii ac spectarent. nullam vim tantam doloris fore, ut veritatem eliceret.* [8] idemque cum postero ad quæstionem retraheretur, eo nisu

ipse. Vellejus clarissime: *Sed Cossus etiam victoriæ testimonium in cognomen filii contulit, adolescentis in omnium virtutum exempla geniti.* Filius est, cui locus inter doctos: cujus Historiæ & poëmata laudantur à priscis Historia, à Suetonio, Cal. c. VIII. *Cn. Lentulus Gætulicus Tiburi genitum scribit.* Poëmata, Martiale. Præfatione quapiam, Sidonio, & Probo. Leguntur & hodie quædam Græca III. & VI. Anthologiæ, ubi corrupte titulus, Γετυλίου pro Γαιτουλικοῦ. Supervixit iste ad Caji principatum, interfectus ab eo cum Germaniæ præfuisset decem annos. Dio, LIX. *Lipsius.*

1 *Innocenter parata*] Vulgo, *parta.* Pichena.

2 *Domitium decoravit pater*] Vide Suetonium in Nerone cap. 1. Vellejum II. *Lipsius.*

3 *Cui minor Antonia*] Contra Suetonius initio Claudii, minorem Antoniam Drusi Germanici uxorem, & initio Neronis, *majorem* Antoniam iisdem parentibus natam L. Domitio nuptam refert: eique Plutarchus Antonio extremo subscribit. Ego vereor ne non pro minore, *major Antonia*, scribenda sit ex auctorum consensu. *Vertranius.* Legendum est, *major Antonia.* nam Antonia minor, nupsit Druso, Tiberii fratri, patri Germanici. *Muretus.* En præfractam virorum doctorum in genealogia peritiam, qua Tacitum vituperant ut inconsulte scribentem. Nihil certum & constitutum habuit hac in parte Rychius. Cæterum melius actum ab eis fuisset, si vidissent Tacitum aliunde læsum esse, & scribi debere *cui minori Antonia* &c. ut ego legere jam diu solitus sum; ætatem quippe ejus respicit, quum nondum gessisset magistratus. *Jac. Gronovius.*

4 *Sororis nepotem*] Natus enim ex Julo Antonio & Marcella Octaviæ F. Consule Augusti nostrum Stemma. *Lipsius.*

5 *Civitatem Massiliensem*] Massilia civitas serie seculorum antiquissima, armipotens, fidei tenacissima, nobilis religionibus, literis & studiis nobilissima, præter sermonem Græcum, Latinum, & Gallicum, quibus ut inquit Varro, familiariter utebatur, ita disciplinas omnes coluit, ut ad Græcorum comparationem excelleret, neque ac ea tam Atticæ ipsæ Athenæ viderentur. Ideoque in civitatem nominis gloria celeberrimam, post bella civilia ad ingenuas artes discendas, nobilissimus quisque ex Romanis confluxere, ait Strabo, lib. 4. quod & Cornelius indicat hic, de L. Antonio, quem Augustus ab urbe specie studiorum removisset. Idem de Julio Agricola Forojuliensi parvulo scribit, *sedem ac magistram studiorum Massiliam habuit, locum Græca comitate, ac Provinciali parcimonia mistum, ac bene compositum.* Vertranius.

6 *Agreste*] Hoc est editorum. Nam in MS. legitur *agresti* Jac. Gronovius.

7 *Nationis Termestinæ*] Termisum opidum clarum in Hispaniis agnoscit Appianus: *Τερμεσὸν δὲ μεγάλην πόλιν ἀεὶ δυσπειθῆ Ῥωμαίοις γενομένην, ἐξ ἐρυμνοῦ κατήγαγεν ἐς τὸ πεδίον, καὶ ἐκέλευσεν οἰκεῖν ἀτειχίστους.* Et credo me verè emendasse illud Sallustii: *Hi saltibus occupatis Termestinorum agros invasere.* ubi vulgò, *tum externorum agros.* Opidum ipsum Termes Plinio dictum: unde Termestini. *Lipsius.*

8 *Idemque cum postero*] Vertranius notat, *Deest hic nomen, die.* Imo judicium hic tibi. Solens priscis sine additione dicere, Hesternò, Cottidianò, Anno, Horno, Posterò, & ferè Adverbiorum in morem. Exempla, juventutis caussa, sint illa. Tacitus XV. Annal. *Posterò, cùm ad eosdem cruciatus retraheretur, gestaminis sellæ,* &c. Plautus Capteiveis:

nisu proripuit se custodibus, [1] saxoque caput adflixit, ut statim exanimaretur. Sed Piso Termestinorum dolo cæsus habetur: [2] qui pecunias è publico interceptas, acrius quam ut tolerarent barbari, cogebat. Lentulo Gætulico C. Calvisio consulibus decreta 46
triumphi insignia Poppæo Sabino, contusis Thracum gentibus, [3] qui montium editis, inculti, atque eo ferocius agitabant. Caussa motus, super hominum ingenium, quod pati delectus, & validissimum quemque militiæ nostræ dare aspernabantur; ne regibus quidem parere nisi ex libidine soliti; aut si mitterent auxilia, suos ductores præficere, nec nisi adversum accolas belligerare. Ac tum rumor incesserat fore, ut disjecti aliisque nationibus permixti, diversas in terras traherentur. Sed antequam arma inciperent, misere legatos, *amicitiam, obsequiumque* memoraturos; *& mansura hæc, si nullo novo onere tentarentur: sin ut victis servitium indiceretur, esse sibi ferrum & juventutem, & promptum libertati, aut ad mortem animum.* Simul castella rupibus indita, conlatosque illuc parentes & conjuges ostentabant, *bellumque impeditum, arduum, cruentum*, minitabantur. At Sabinus, [4] donec exercitus in unum conduceret, datis mitibus responsis, dum Pomponius Labeo è Mœsia cum legione, rex Rhœmetalces 47
cum auxiliis popularium, qui fidem non mutaverant, veniret; addita præsenti copia, ad hostem pergit, compositum jam per angustias saltuum. quidam audentius apertis in collibus visebantur: quos dux Romanus, acie suggressus, haud ægre pepulit, sanguine barbarorum modico, ob propinqua suffugia. Mox castris in loco communitis, valida manu montem occupat, angustum, & æquali dorso continuum usque ad

veis: *Nisi cottidianò sesquiopus confeceris.* ubi perperam legas, *cottidianos*, vulgo. Sic idem ille Anno, non semel dixit, ut alibi notavi & correxi. Sic Cicero lib. IV. ad Atticum, Anniversariò, item Voluntariò, Commodò, & plura. Hesternò etiam eadem ratione mihi lectum. *Idem.*

1 *Saxoque caput adflixit*] In V. C. est, *allisit*, non *adflixit*. Sed male. nam Tacitus id verbum accepit à Sallustio, qui libro 4. histor. dixit: *Aut mulcato corpore, in prora patibulo eminens adfligebatur.* & libro II. *Caput adfligebant*, & ipse Tacitus infra libro 14. *Fuste caput adflixit.* Illud autem *allisit*, videtur esse glossema verbi *adflixit*. Ursinus. Cum indicarit, harum artium nostrarum curiosissimus, F. Ursinus restare in mss. *caput allisit*: ambigo quid potius habere debeam, hocne an illud. inclino tamen magis in posterius illud. Sic Val. Max, 9, 11. de Herennio Siculo: *Cum in carcerem duceretur, in ejus postem illiso capite, in ipso ignominiæ aditu concidit.* Sic Seneca de Lacone quodam, vas obscœnum adferre domino abnuente; Epist. 77. *illisum parieti caput rupit.* Gruterus. Immo vanus ille V.C. *Ursini.*

2 *Qui pecunias*] Recte. Sed forte melius; *quia pecunias.* Pichena. Varie vertunt, sed puto falli omnes. nec enim vel solita tributa, vel etiam ab ipso extra ordinem imposita intelligi vox *interceptas* patitur; neque etiam ad barbaros magnopere pertinebat, publicas pecunias ipse depecularetur, an Romam mitteret; sed interceptam ab aliquibus pecuniam, quæ ad publicos reditus petinebat, acrius acerbiusque, quam homines barbari & præferoces pati possent, exigere instituerat. *Freinshemius.* Plinius lib. 10. epist. 28. *Nunc reipubl. Prusensium impendia, reditus, debitores excutio, quod ex ipso tractatu magis ac magis necessarium intelligo. Multa enim pecunia variis ex caussis à privatis detinentur: præterea quædam minime legitimis sumptibus erogantur.* Et epist. 34. *Erit cuim pecunia. ex qua fiat, primum ea quam revocare à privatis & exigere jam cœpi.* Idem in Panegyr. c. 70. *Præfuerat provinciæ quæstor unus ex candidatis, inque ea civitatis amplissimæ reditus egregia constitutione fundaverat.* Adde nostrum lib. 13, 48. & quæ ad l. 2. an. 54. notavimus. *Gronovius.*

3 *Qui montium editis*] Hi sunt quos ὀρεινοὺς Θρᾷκας Thucydides appellat, describitque libro II. *Παρεκάλει δὲ καὶ τῶν ὀρεινῶν Θρᾳκῶν τοὺς πολλοὺς τῶν αὐτονόμων καὶ μαχαιροφόρων, οἳ Δῖοι καλοῦνται, τὴν Ῥοδόπην οἱ πλεῖστοι οἰκοῦντες.* Quod ait eos αὐτονόμους: idem Tacitus voluit, cùm hic scripsit, *ne regibus quidem nisi ex libidine parêre solitos.* Lipsius.

4 *Donec exercitus in unum conduceret*] Non improbo. Mallem tamen, *exercitum*, vel, *conduceretur.* Pichena. Si bene attenderis, animadvertes alterumutrum horum, *donec exercitus in unum conduceret*, & *dum Pomponius Labeo cum legione* &c. *veniret*, prorsus esse supervacuum & idem omnino garrulitate inepta dicere. Qua possumus liberare Tacitum, si scribamus: *At Sabinus, donec exercitus in unum conduceret, datis mitibus responsis; cum Pomponius Labeo è Mœsia cum legione, rex Rhœmetalces cum auxiliis popularium, qui fidem non mutaverant, venissent, addita præsenti copia ad hostem pergit.* Neque aliter ab auctore fuisse censeo. *Gronovius.* Certe

ad proximum castellum, ¹ quod magna vis armata aut incondita tuebatur. simul in ferocissimos qui ante vallum ² more gentis cum carminibus & tripudiis persultabant, mittit delectos sagittariorum. Ii dum eminus grassabantur, ³ crebra & inulta vulnera fecere; propius incedentes, eruptione subita turbati sunt, receptique subsidio Sugambræ cohortis, quam Romanus promptam ad pericula, nec minus cantuum & ar-
48 morum tumultu trucem, haud procul instruxerat. Translata dehinc castra hostem propter, relictis apud priora munimenta Thracibus, quos nobis adfuisse memoravi. iisque permissum *vastare, urere, trahere prædas, dum populatio lucem intra sisteretur, noctemque in castris tutam & vigilem capesserent.* id primo servatum: mox versi in luxum, ⁴ & raptis opulenti, omittere stationes; lascivia epularum, aut somno & vino procumbere. Igitur hostes incuria eorum comperta, duo agmina parant; quorum altero populatores invaderentur, alii castra Romana adpugnarent, non spe capiendi, sed ut clamore, telis, suo quisque periculo intentus, sonorem alterius prœlii non acciperet. tenebræ insuper delectæ, augendam ad formidinem. Sed qui vallum legionum tentabant, facile pelluntur. Thracum auxilia ⁵ repentino incursu territa, cum pars munitionibus adjacerent, plures ⁶ extra palarentur, tanto infensius cæsi, quanto
49 *perfugæ & proditores ferre arma ad suum patriæque servitium* incusabantur. Postera die Sabinus exercitum æquo loco ostendit, si barbari successu noctis alacres, prœlium auderent. & postquam castello, aut conjunctis ⁷ tumulis non degrediebantur, obsidium cœpit per præsidia, quæ opportune ⁸ jam muniebat: dein fossam ⁹ loricamque contexens, quattuor millia passuum ambitu amplexus est: tum paulatim, ut aquam pabu-

te vulgatum esse consutum ab Beroaldo patet ex ipso MSto, in quo pro isto *dum* legitur *quam*, & *venere* pro *veniret*. Illud *quam* certissime est posterior pars vocis *postquam*, cujus prior pars intercidit, quod per notam fuisset scripta. Sic enim clarissimus est contextus & sensus: *mitibus responsis, postquam Pomponius Labeo e M. c. l. rex Rhœm. c. a. p. q. f. u. mutaverant, venere: addita* &c. *Jac. Gronovius.*

1 *Aut incondita*] Rectè. Rhenanus; *at incondita*, præter Taciti mentem. *Lipsius.*

Quod magna vis armata, aut incondita] Lego, *quod magna vis, aut incondita tuebatur.* Muretus. Aperte hæc discriminantur. *Inconditi*, dici solent, qui quocumque modo in faciem militarium copiarum non sunt compositi: sive arma eos, sive disciplina deficiat. *Freinshemius.*

2 *More gentis*] Notat barbaricum eum ritum eleganter Thucydides in oratione Brasidæ, l. iv. Οὗτοι δὲ τὴν μέλλησιν μὲν ἔχουσι τοῖς ἀπείροις φοβεράν. Καὶ γὰρ πλήθει ὄψεως δεινοὶ, καὶ βοῆς μεγέθει ἀφόρητοι. Ἥ τε διακενῆς ἐπανάσεισις τῶν ὅπλων ἔχει τινὰ δήλωσιν ἀπειλῆς. προσμῖξαι δὲ τοῖς ὑπομένουσιν αὐτὰ οὐχ ὅμοιοι. Ubi scribi velim, πλήξει ὄψεως. quod Tacitus transtulit ad Germanos, *corpus visu torvum.* De hoc ritu in loco plura. *Lipsius.*

3 *Crebra & multa verbera*] Scribe *Crebra & inulta.* impune enim vulnerabat hostes, donec eminus certabatur. *Freinshemius.* Satis iners hoc Freinshemii. Est enim modo error typorum in postremis, quum Beroaldus & mox Aldus, etiam Frobenius anno 1548, etiam Lipsianæ, habeant clare *inulta.* nec intelligo, quemadmodum ab Ryckio id non sit animadversum. Itaque correxi. *Jac. Gronovius.*

4 *Et raptis opulenti*] Depravatus hic locus in vulgatis omnibus, sensusque alio ductus, cum scriptum fuerit, *& capti opulentia.* At vera MSti lectio quam reposui. *Pichena.* Sic video etiam editum in Francofurtensi editione notarum Pichenæ: at priores editi exhibent *rapti opulentia*, non *capti*, quod video esse in Lipsianis. *Jac Gronovius.*

5 *Repentino incursu*] Ita MS. Alii, *repentino concursu.* Pichena.

6 *Extra palarentur*] Et hoc ex Man. nam vulgo, *extra pabularentur.* Pichena. Adferunt ex vetustis codicibus: *palarentur.* Sic histor. lib. 3. *Qui modo per agros fuga palabantur.* Colerus. *Palandi* verbo comprehenduntur omnes, qui quacumque de causa abfuissent. *Freinshemius.*

7 *Tumulis non degrediebantur*] Sic melius Man. quam vulgo, *digrediebantur.* *Degredi* enim, non *digredi*, dicitur, cum ex altiori loco in inferiorem descenditur. Quod verbum sæpe in Livio emendavit Car. Sigonius. *Pichena.*

8 *Jam muniebat*] An *immuniebat?* hoc est, in tumulis istis muniebat, sicut infra 11, 19. *ne jussa exuerent; præsidium immunivit.* Freinshemius.

9 *Loricamque contexens*] Id est, exiguum vallum, & sæpè è cratibus, aut sepis instar: ideoque hic, *contexens.* Vide Poliorcetica nostra, libro 11. Dial. 11. *Lipsius.*

Loricamque contexens] *Lorica* Vitruvio sepimentum

pabulumque eriperet, contrahere claustra, artaque circumdare: & struebatur ag-
ger, unde saxa, hastæ, ignes propinquum jam in hostem jacerentur. Sed nihil æ-
que quam sitis fatigabat, cum ingens multitudo bellatorum, imbellium, uno reli-
quo fonte uterentur. [1] Simul equi, armenta (ut mos barbaris) juxta clausa, egestate
pabuli exanimari: adjacere corpora hominum, quos vulnera, quos sitis peremerat:
pollui cuncta sanie, odore, contactu. Rebusque turbatis, [2] malum extremum dis-
cordia accessit; his deditionem, aliis mortem, & mutuos inter se ictus parantibus.
& erant qui *non inultum exitium*, *sed eruptionem* suaderent, neque ignobiles, quamvis
diversi sententiis. [3] Verum è ducibus, Dinis provectus senecta, & longo usu vim at- 50
que clementiam Romanam edoctus, *ponenda arma*, *unum adflictis id remedium*, disse-
rebat. Primusque se cum conjuge & liberis victori permisit: secuti ætate aut sexu
imbecilli, & quibus major vitæ quam gloriæ cupido. At juventus Tarsam inter &
Turesim distrahebatur. utrique destinatum [4] cum libertate occidere: sed Tarsa *prope-
rum finem*, *abrumpendas pariter spes ac metus* clamitans, dedit exemplum, demisso in
pectus ferro. nec defuere qui eodem oppeterent. Turesis sua cum manu noctem op-
peritur, haud nescio duce nostro. Igitur firmatæ stationes densioribus globis. & in-
gruebat nox nimbo atrox, hostisque clamore turbido, modo per vastum silentium,
incertos obsessores effecerat: cum Sabinus circumire, hortari, *ne ad ambigua sonitus,
aut simulationem quietis*, *casum insidiantibus aperirent*, *sed sua quisque munia servarent
immoti*, *telisque non in falsum jactis*. Interea barbari catervis decurrentes, [5] nunc in 51
vallum

rum est. *Ferrettus.*

1 *Simul equi, armenta*] Malim, *simulque armenta.* Possit etiam, *Simul equi, armenta*; Sed hoc præfero. *Lipsius.*

Simul æque armenta] Videtur illud, *æque* repetitum ex præcedente versu, & fortasse legendum: *simulque armenta.* Ursinus. Vocem, *equi*, restituit Lipsius. Verissime. nam & Man. indicat, qui absque diphthongo habet, *eque.* Male vulgo, *æque.* Pichena. Habuerim vocem primam, pro glossemate. Qui emendant, *simul equi, armenta*, &c. argute quidem insistunt apicibus literarum. Sed cui bono hic hominibus istis equi? eorum usus rarior in montibus: itaque vel expellendi fuerant. *Gruterus.* Immo incondita distinguendi ratio viros insignes occœcat, quam vide, an non ita collocari debeat: *Sed nihil æque quam sitis fatigabat, cum ingens multitudo bellatorum, imbellium, uno reliquo fonte uterentur simul. Æque armenta* &c. 14, 38. *Sed nihil æque quam fames affligebat.* 5. hist. 3. *Sed nihil æque quam inopia aquæ fatigabat; jamque haud procul exitio* &c. In armentis apud barbaros possunt equi contineri. *Jac. Gronovius.*

2 *Malum extremum discordia*] Neque nollem, *malorum extremum.* Ceterum ad vitam & usum notanda gnome. quam adfirmat item Polybius libro v. Δόσεις ἦν, inquit, ἀμφισβητήσεως, φιλοτιμίας, ὀργῆς τῆς εἰς ἀλλήλους πάντα πλήρη. Τοῦτο γὰρ δὴ φιλεῖ γίγνεσθαι, καὶ περὶ κοινὰ πράγματα καὶ περὶ τοὺς κατ' ἰδίαν βίους, ὅταν ἐλλείπωσιν αἱ χορηγίαι τὰς ἑκάστων ἐπιβολάς: *Quamobrem suspicionis, contentionis, iræ omnia plena erant. Hoc enim & in publicis & in privatis rebus usuvenire solet, cum incepta nostra deserunt successus & sumptus.* Hæc talia, quisquis vir es, observa & decerpe, serios historiarum fructus. *Lipsius.*

3 *Verum è ducibus*] *Verum*, hæc particula servit distributioni partium. Supra enim collegerat sententias diversas, hic distincte proponit singulas. Sic 3, 61. *Aphrodisienses & Stratonicenses, Jovis & Triviæ religionem tuebantur.* Non nemo mutavit in *Et*: quod videri posset novam insuper sententiam adferre, non explicare propositas. *Freinshemius.*

4 *Cum libertate*] Quidam *pro libertate.* Sed magnum discrimen est: *pro libertate occidunt*, qui ad eam liberis suis patriæque conservandam moriuntur; *cum libertate*, qui simul cum illa intereunt. Sic pro libertate mortui sunt, qui adversus Tarquinios, Porsenam, Pyrrhum pugnaverunt; cum libertate, Numantini, Saguntini, & alii. Tacitus significanter dixit, *cum libertate occidere*; h. e. non superesse libertati. Simili sensu supra 2, 15. *Tenera libertatem, aut mori ante servitium*: h. e. defendere libertatem, aut simul cum illa oppetere. *Idem.*

5 *Nunc in vallum*] Nomen id quidem accepit à *vallis*, eoque respondet ei vocabulum Hisp. *estacada*; & Itali II. *steccato*: sed re differunt, quia vulgaribus hisce vocibus nihil intelligitur aliud, quam valli sive stipites recta serie defixi. Sed in munitionibus Romanis non nudi stipites cædebantur; verum δύο κεραίας ἢ τρεῖς ἔχοντες, ὅτε δὲ πλείστας, τέτταρας, ait Polyb. 17, 13. quod sic vertit Livius parte lib. 33. recens reperta; *Romanus leves & bifurcos plerosque & trium aut complurium* (Vides ex Polyb. legendum esse *quum plurimum*) *quatuor ramorum*

vallos

vallum manualia saxa, præustas sudes, decisa [1] robora jacere: nunc virgultis, & cratibus, & corporibus exanimis, complere fossas: quidam pontes & scalas ante fabricati inferre [2] propugnaculis, eaque prensare, detrahere, & adversus resistentis cominus niti: miles contra deturbare telis, pellere umbonibus; [3] muralia pila, congestas lapidum moles provolvere. His partæ victoriæ spes, & si cedant, insignitius flagitium; illis extrema jam salus, & adsistentes plerisque matres & conjuges, earumque lamenta addunt animos. nox aliis in audaciam, aliis [4] ad formidinem opportuna; incerti ictus, vulnera improvisa, suorum atque hostium ignoratio; & montis anfractu repercussæ velut à tergo voces, adeo cuncta miscuerant, ut quædam munimenta Romani quasi perrupta omiserint. neque tamen [5] pervasere hostes nisi admodum pauci: ceteros, deleto promptissimo quoque aut saucio, adpetente jam luce [6] trusere ad summa castelli. ubi tandem coacta deditio, & proxima [7] sponte incolarum recepta. reliquis, quo minus vi aut obsidio subigerentur, præmatura montis Hæmi & sæva hiems
52 subvenit. At Romæ commota principis domo, ut series futuri in Agrippinam exitii inciperet, [8] Claudia Pulchra sobrina ejus postulatur, accusante Domitio Afro. Is [9] recens prætura, modicus dignationis, & quoquo facinore properus clarescere, *crimen impudicitiæ, adulterum Furnium, veneficia in principem & devotiones* objectabat. Agrippina semper atrox, tum & periculo propinquæ accensa, pergit ad Tiberium, ac

vallos cædis. quos ita defigebant, ut inter se connecterentur implicarenturque; tunc adgesto cespite magis etiam vinciebant atque confirmabant. *Idem.*

1 *Robora*] Cum in vallum jaci potuisse non putaret, de *sudibus* id est opinatus, explicavitque iis, tanquam arietibus scilicet, incurrisse in vallum, idque pulsasse. Sed intelligi possunt ea robora vel machinis conjecta, vel si harum usum barbaris adimamus, ex superioribus locis devoluta. quod quidem vero similius censeo. *Idem.*

2 *Propugnacula*] Turres accipiunt forsan non male, nam & *turribus* munita fuisse castra Rom. certum est ex historiis. quas tamen non nisi in statis, & diuturnioribus sedibus credendum est habuisse, ait Lipsius de Mil. Rom. 5, 5. *Idem.*

3 *Muralia pila*] Quæ propugnatores desuper in hostem mittebant, pondere graviore, majorique ex commodo loco nisu. graviora enim firmioraque erant pilis in acie vibrari solitis, ideoque pilorum ejusmodi tantum in defensionibus murorum vallorumque mentio. Cæs. de bell. Gall. 7, 82. *Ex vallo & turribus transjectis pilis muralibus interibant.* Idem.

4 *Ad formidinem opportuna*] Non nox causa fuit, ut alii audaces redderentur, alii timidi: sed iis qui jam ante audaces erant, præbebat occasionem invadendi hostem incertum atque incautum; iis autem, qui jam ante timidi erant, occasionem fugitandi, latitandi &c. *Idem.*

5 *Pervasere*] Hoc est, evasere per munimenta quibus cincti inclusique erant. *Idem.*

6 *Trusere ad summa castelli*] Atqui in MS. legitur *in summa.* Nescio quid sit, cur vel Beroaldus vel Pichena prætermiserint alienum præferentes. *Jac. Gronovius.*

7 *Sponte incolarum recepta*] Ne minimum quidem dubitavi, quin hanc Mureti correctionem reciperem. Male antea, *sponte inimicorum.* Error ortus à Man. qui corrupte habet, *sponte incorum:* nec syllaba deficiens, suo loco reposita fuerat. Simili modo Tac. lib. 13. *cetera terrore, & alia sponte incolarum, in deditionem veniebant.* Pichena. Mire Pichena. succensere debuit primo horum librorum editori Philippo Beroaldo juniori, qui in fine horum sex librorum post aliquot notas memorat se quoque hos quinque libros jam formis excusos contulisse cum vetere codice, ubi inter alia annotat (in vetusto codice legitur *sponte incorum.* corrigendum arbitror *incolarum.* nam & alibi hac elocutione utitur Tacitus.) Quid juris hinc Mureto? quid Pichenæ cum sua citatione? cognita omnia jam ipsi Beroaldo. Et forsitan hanc scripturam codicis veteris referent nonnulli ad manum ejus, qui illum scripsit, & syllabam sæpe omisit. Nihilominus quod me attinet, arbitrarer lectioni antiquæ in unico libro nihil perinde propinquum esse ac *sponte vicorum.* Jac. Gronovius.

8 *Claudia Pulchra sobrina*] Dionem adi, qui historiam hancce recensuit inter acta Caji, ubi de Domitio. Sobrina hæc Claudia quomodo Agrippinæ fuerit, nondum repperi: hoc tantum, filium ejus Quinctilium Varum, desponsum filiæ Germanici. quod ostendo infra. *Lipsius.*

9 *Recens prætura*] Saltem demonstrandi noscendique hominis causa hoc adjicitur: aut si quid amplius, hoc magis inest, ut ostendatur modica ejus fuisse dignatio; quam ut exaggeretur ea, & quasi ab incepto minus commendabili absterrere eum debuisset, inculcetur. *Freinshemius.*

1 *Quæ*

ac forte sacrificantem patri repperit. [1] quo initio invidiæ, *Non ejusdem*, ait, *mactare divo Augusto victimas, & posteros ejus insectari. non in effigies mutas divinum spiritum transfusum;* [2] *sed imaginem veram cœlesti sanguine ortam* [3] *intelligere discrimen,* [4] *suscipere sordes.* [5] *frustra Pulchram præscribi, cui sola exitii caussa sit, quod Agrippinam stulte prorsus ad cultum delegerit, oblita Sosia ob eadem adflictæ.* Audita hæc raram occulti pectoris vocem elicuere, correptamque [6] Græco versu admonuit: [7] *ideo lædi, quia non regnaret.* Pulchra, & Furnius damnantur. Afer primoribus oratorum additus, divulgato ingenio, & secuta adseveratione Cæsaris, qua [8] *suo jure disertum* cum appellavit. mox capessendis accusationibus, aut reos tutando, prosperiore eloquentiæ quam morum fama fuit: nisi quod ætas extrema multum etiam eloquentiæ dempsit, dum fessa mente retinet silentii impatientiam. At Agrippina pervicax iræ, 53
& morbo corporis implicata, cum viseret eam Cæsar, profusis diu ac per silentium lacry-

1 *Quo initio invidiæ*] *Vituperii* vertunt; sed hoc apertius videtur, illud tectius: adeo, ut hujus loci sensui convenire videatur nostras, *Stichlen.* h. e. acutis sed tectis dicteriis convulnerate. Nam quod exponunt, ad concitandum ei odium, quod alias bonum est, huc non quadrat: apud quem enim concitaret ei odium Agrippina, quum coram solo, aut certe paucissimis, iisque, ut credibile est, nullius momenti hominibus præsentibus, loqueretur? Ital. 11. *disfogar lo sdegno*; quod adludit sensui, non satisfacit. Ceteri quoque aliquam harum opinionum præferunt. enimvero, ut alias quoque dixi, difficile est cujuscumque sermonis vocabulo exprimere, quod per *invidiam* intellexerunt Romani. *Idem.*

2 *Sed imaginem veram*] Assentior Mureto, *se imaginem.*

Sed imaginem veram] Muretus, *se imaginem veram.* Recte. *Acidalius.* Nonnulli legunt: *se imaginem veram.* dubitant nimirum, ne de Augusti simulacro possit intelligi. quod falsum esset, cum Augustus ipse hic sit cœlestis sanguis. Sed in lectione vulgata eadem vis. Ut dicat Agrippina: Sed mea hæc vera imago, ex illo cœlesti sanguine Augusti orta, imminens sibi periculum intelligit, habitumque reorum suscipit. *Pichena.* Mallem etiam paullo rectius: *sed imaginem veram, cœlesti sanguine ortos, intelligere discrimen.* Gronovius.

3 *Intelligere discrimen*] Periculum scite, quod immineret, *sordes suscipere*, ut in reatu propinquorum. De se Agrippina sentit. *Lipsius.*

4 *Suscipere sordes*] Hoc ad Agrippinam, quæ ipsa in sordibus, ut videtur, ob reatum Pulchræ sobrinæ. *Idem.*

5 *Frustra Pulchram præscribi*] Hoc est, nomen obtendi, tamquam ipsa tantum, non etiam magis Agrippina peteretur. *Freinshemius*

6 *Græco versu admonuit*] Suetonius extulit, *Si non dominaris filiola, injuriam accipere existimas?* Ex quo Canterus noster divinat, Εἰ μὴ κρατεῖς, τέκνον, ὑβρίζεσθαι δοκεῖς. Sed non est dubium quin ad Jasonis vocem aspexerit Tiberius, quam ille in Tragœdia quapiam emiserit. cujus mens hæc & verba apud Aristotelem III. Polit. cap. III. Καὶ διὰ τοῦτ' ἴσως Ἰάσων ἔφη, πεινῆν ὅτι μὴ τυραννοῖ, ὡς οὐκ ἐπιστάμενος ἰδιώτης εἶναι: *& ob hoc non injuria Jason dixit, Lædi se quia non regnaret: scilicet inscius privatum agere.* Lipsius.

7 *Num ideo lædi*] Ὅτι μὴ τυραννεῖς, τέκνον, ὑβρίζεσθαι δοκεῖς. tametsi alia Canterus noster. *Muretus.* Ad hanc lectionem præivit mihi Man. qui habet: *non ideo lædi.* in vulgatis prior illa nota sublata fuit, ut absque interrogatione verba pronunciarentur. Rectius sic. nam & Sueton. 53. interrogative hæc exprimit: *Si non dominaris, filiola, injuriam te accipere existimas.* Pichena. Qui propterea in suo contextu edidit *num ideo lædi, quia non regnaret?* Atqui hæc attribui admonenti nequeunt, sed interrogant, qua mente sit in eo, quod experiretur se non regnare, nec id datum illi foret. Ut scias omnia, in MS. exstat litera *n* cum lineola superducta, qua certe indigetatur negativa *non*, & nihil aliud, prout voluit intelligi Tacitus scribens *admonuit non ideo lædi, quia n. r.* In capite 54. etiam occurrit *qui per speciem amicitiæ monerent*, an post illa vides sequi interrogationem? Inspice ipse. *Jac. Gronovius.*

8 *Suo jure disertum*] Et sane magnificat eum ubique Quinctilianus, quem senem ab se adolescentulo cultum ait, lib. v. *Lipsius.*

Jure suo disertum esse] Nove & acute dictum est: nam *jure suo* quid facere posse, nota & usitata phrasis erat, in eo qui potestatem cujusque rei suo arbitrio jureque exequendæ habebat, neque alienum nutum mandatumque respicere cogeretur. Plaut. in Capt. 2, 1, 47. *Qui antehac pro jure imperitabam meo, nunc te oro per precem.* Simillimus nostro locus in Cic. pro Arch. 8. *suo jure noster ille Ennius sanctos appellat poetas:* nam *suo jure* non ad Ennium, sed poetas pertinere, subsequens evincit ratio; *quod quasi deorum aliquo dono, atque munere commendati nobis esse videantur.* Sic apud Auctor. de caussis corruptæ eloq. 25. *Calvus & Asinius* &c. *suo jure & prioribus & sequentibus anteponuntur.* Eodem ferme sensu, quo postea usurpari cœpit *ipso jure.* l. 3. C. si advers.

lacrymis, mox invidiam & preces orditur: *subveniret solitudini, daret maritum: habilem adhuc juventam sibi, neque aliud probis quam ex matrimonio solatium:* [1] *esse in civitate. . . . Germanici conjugem, ac liberos ejus recipere dignarentur.* Sed Cæsar non ignarus quantum [2] ex republica peteretur; ne tamen offensionis aut metus manifestus foret, sine responso, quamquam instantem, reliquit. Id ego à scriptoribus annalium non traditum, repperi in [3] commentariis Agrippinæ filiæ: quæ Neronis principis mater, vitam suam & casus suorum posteris memoravit. Ceterum Sejanus mærentem

adverf. libett. *non per in integrum restitutionem, sed ipso jure:* ita videlicet ut nihil opus sit facto vel auxilio prætoris. *Freinshemius.*

1 *Esse in civitate * Germanici*] Non ego medicus huic loco: vidi qui legeret: *esse in civitate, qui Germanici c.* Sed in manuscripto cum palam lacuna sit, *civitate...... Germanici*, cur non defectum arbitremur? *Lipsius.*

Esse in civitate] Inter hæc, & illa verba, *Germanici conjugem*, neminem arbitror esse, qui aliquid non desideret. *Ferretus.* Ego ita restituo: *esse in civitate qui Germanici conjugem, ac liberos ejus recipere dignaretur.* Vertranius. Sic & Muretus. Videtur ex v. c. legendum: *Esse in civitate pateretur Germanici conjugem*, &c. Nam in libris vulgatis deest verbum, *pateretur.* Ursinus. Conatus Vertranii non est omnino improbandus: qui enim melius odium precesque percipi velient, quibus constant Agrippinæ verba? ad preces hæc spectant: *subveniret solitudini, daret maritum.* Odium hujusmodi constant, *esse in civitate, qui Germanici conjugem, ac liberos ejus recipere dignaretur.* quasi dicat: huccine, socer, evasimus tua vulgata apud omnes in nos simultate, ut conjux, & proles Germanici magnifaciamus, si quis nos in uxorem, & in privignos recipere dignetur? minor equidem dignatur conjugio potentioris. Virg. 3. Æn. *Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo.* Verum correctiones immane quantum semper aversatus sum: quapropter integra mihi sunt, sed punctis non rite distincta scriberem. *Neque aliud probis, quam ex matrimonio solatium esse in civitate;* Ubi preces? *subveniret solitudini, daret maritum.* de odio non est quod labores: *Germanici conjugem, ac liberos ejus recipere dignaretur.* curam nostrum (ait illa) tandem, ô Tiberi gere, meque nuptum collocando cunctis ostende, te liberos, & conjugem Germanici non amplius dedignari. An odii parum ex his? filii (& cujus filii) uxorem natosque nunquam fovisse? Hæc mea qualiacunque sint firmantur à similitudine verbi, *subveniret, daret, dignaretur.* Salinerius. Duximus fere necessarium, reponere propria Manuscripti verba, distinctionem, & defectum, ut quilibet frustra se laborare videat in illis emendandis. *Ex matrimonio solatium: esse in civitate...... Germanici.* Neque ego veteres correctores laudaverim, qui talem lacunam neglexerunt, neque de illa saltem testati sunt. Ex eodem Man restitui etiam verbum, *dignarentur*, vulgo, *dignaretur.* Pichena. Prodidit optimus Pichena legi in mf. unico: *dignarentur*, & vacui aliquid relictum ante *Germanici.* Equidem putarim excidisse voculam ob similitudinem quæ ei cum syllaba præcedenti, ac fuisse forsan: *esse in civitate Germanici qui conjugem ac liberos ejus recipere dignarentur.* non ita, inquit, eviluit memoria Germanici, quin facile reperias, qui mihi, qui liberis meis, & maritum agat, & tutorem. *Gruterus.* Offendor hercle & ipse in sententia. Non enim ita demissi animi Agrippina, ut sic de se: potius, *esse in civitate, quem Germanici conjugem ac liberos ejus recipere dignaretur.* hoc sensu, esse, quem dignaretur seu dignum haberet, ut Germanici conjugem liberosque reciperet. Qui tamen ipse sensus etiam fieri ex altera illa lectione potest, si *dignaretur* passive accipias, dignus haberetur; qui censeretur dignus recipere Germanici conjugem & liberos. Nam hoc omnino videtur velle, inveniri etiam se dignum maritum in urbe posse. *Acidalius.* Nobiliss. atque amœnissimi ingenii vir, Fr. Malherbius pro *in civitate*, exili mutatione, *in ea ætate* legendum esse mihi dixit. Qua re nil certius est. Nam jam ante juventam suam Cæsari objecerat Agrippina. Error ille quam facili librariorum lapsu contingere potuerit, nemini qui in hisce studiis paululum est versatus, obscurum esse potest. *Gevartius.* Certe est lacuna in MS. ut aliquid detrimenti contigerit. Sed id nihil videtur aliud fuisse quam ipsum nomen Agrippinæ, quæ etiam ipsa eo gloriari sustinuerit utpote celebrata omnibus per famam pudicitiæ. Vide igitur, quam bene procedant omnia, si scripseris: *esse in civitate, Agrippinam Germanici conjugem ac liberos qui recipere dignarentur.* Nam illud *ejus* (vox retinens ipsa vestigia voculæ *qui*) non magis hoc loco requiritur, quam 3, 2. *Cum Claudio fratre liberisque Germanici.* Jac. Gronovius.

2 *Ex Rep. peteretur*] Cui, illo conjugio cum Augusti nepte, velut alterum caput dabatur. Ideo de metu sequitur, quem silentio dissimulavit. *Lipsius.*

3 *Commentariis Agrippinæ filiæ*] Quæ mulier perita & industria præter sexum. Citat eam Plinius indice libri VII. vocatque Agrippinam Claudii: scilicet uxorem. Et libro VII. *Neronem paullo ante principem, pedibus genitum parens ejus scribit Agrippina.* Non pertinent ad hanc, ut vir doctus nuper censuit, Augusti laudes apud Suetonium cap. LXXXVI. *Et quadam epistola Agrippinæ neptis ingenium collaudans: Sed opus est, inquit, dare te operam ne moleste scribas aut loquare.* Manifestus est ἀναχρονισμός; Pertinent

tem & improvidam altius perculit, [1] immiſſis qui per ſpeciem amicitiæ monerent *paratum ei venenum*, *vitandas ſoceri epulas*. Atque illa ſimulationum neſcia, cum propter diſcumberet, non vultu aut ſermone flecti, nullos attingere cibos; donec advertit Tiberius forte, an quia audiverat. idque quo acrius experiretur, poma ut erant adpoſita laudans, nurui ſua manu tradidit. aucta ex eo ſuſpicio Agrippinæ, & intacta ore, [2] ſervis tramiſit. nec tamen Tiberii vox coram ſecuta, ſed obverſus ad matrem, *non mirum*, ait, *ſi quid ſeverius in eam ſtatuiſſet*, *à qua veneficii inſimularetur.* Inde rumor, *parari exitium*; *neque id imperatorem palam audere*, *ſecretum ad perpetrandum quæri.* Sed Cæſar [3] quo famam averteret, adeſſe frequens ſenatui, legatoſque Aſiæ ambigentes *quanam in civitate* [4] *templum ſtatueretur*, pluris per dies audivit. Undecim urbes certabant pari ambitione, viribus diverſæ. neque multum [5] inter ſe diſtantia memorabant, *de vetuſtate generis*, *ſtudio in populum Romanum* [6] *per bella Perſi* [7] *& Ariſtonici aliorumque regum.* [8] Verum Hypæpeni [9] Trallianique [10] Laodicenis & Magnetibus ſimul tramiſſi, ut parum validi. Ne Ilienſes quidem, cum *parentem urbis Romæ Trojam* referrent, niſi antiquitatis gloria pollebant. paulum addubitatum, quod [11] Halicarnaſſii *mille & ducentos per annos* [12] *nullo motu terræ nutaviſſe ſedes ſuas*, [13] *vivoque*

tinent ad matrem hujus, quæ Auguſto neptis: iſta proneptis. Nec dubium, quin hæc quidem vivo Auguſto plane àdhuc puera. *Idem.*

1 *Immiſſis*] Secretis ſcilicet inſtigationibus mandatiſque. nam nonnulli videntur accepiſſe, tamquam Agrippinæ nunciaſſent illi, ſe ab Sejano mitti. Sed hoc eſſet *miſſis*; non *immiſſis*: quod vix unquam bono eo ſignificatu reperias. *Freinshemius.*

2 *Servis tramiſit*] Qui ad fulcra lecti, ex more. *Lipſius.*

3 *Famam averteret*] Et populi ſermones alibi occuparet. Eo enim fine ipſe in Senatu creber, & res illuſtriores actæ; ne vacare ipſe privatis videretur, neve populo de iis loqui eſſet. *Idem.*

Quo famam averteret] An frequens ſenatui adfuit, ut aliis negotiis diſtrictus, ſe à cogitationibus illis alienum oſtenderet, & ſic vulgi rumor langueſceret? An cum rumor eſſet, ſecretum ad perpetrandum facinus quæri, ipſe falſum arguere voluit, cum Romæ, & in ſenatu frequens ab omnibus conſpiceretur? An potius hac arte illos vulgi ſermones alio traducere voluit, cum novis Aſiæ negotiis omnes intenti futuri eſſent? Hanc certe, pro reliquis Tiberii artibus, Taciti mentem crediderim. Plin. Paneg. ad Trajanum: *Non ut flagitii tibi conſcius, ab inſectatione ejus averteres famam; nec ut triſtes hominum mæſtoſque ſermones lætiore materia detineres.* Pichena. Suetonius Calig. 48. *Confeſtimque urbem petiit, deflexa omni acerbitate in Senatum, cui ad avertendos tantorum dedecorum rumores palam minabatur.* Nota fabula de cane Alcibiadis. *Gronovius.*

4 *Templum ſtatueretur*] Illud, quod deſtinatum Tiberio & Senatui, à communi Aſiæ. *Lipſius.*

5 *Inter ſe diſtantia*] In MS. alius vocum ordo eſt *diſtantia inter ſe.* Jac. Gronovius.

6 *Per bella Perſi*] Quem vicit L. Æmilius Paulus. *Plutarch.* in ejus vita. *Muretus.*

7 *Et Ariſtonici*] Filii Eumenis ex pellice; qui à Perperna domitus, à M. Aquilio, anno 624. poſt R. C. captus, & in carcere, juſſu Senatus, ſtrangulatus eſt. Livius in Epitoma 59. Juſtin. lib. 37. Strabo lib. 14. Cic. Philipp. 11. *Idem.*

8 *Verum Hypæpeni*] Ὕπαιπα πόλις Λυδίας, ὑπὸ τὸ ἄκρον, καλλίστας ἔχει γυναῖκας. δῶρον Ἀφροδίτης. Stephan. περὶ πόλεων. Ovid. de Arachne. *Orta domo parva, parvis habitabat Hypæpis.* Meminit & Strabo lib. 13. *Idem.*

9 *Trallianique*] De Trallibus multa idem Strabo lib. 14. *Idem.*

10 *Laodicenis ac Magnetibus*] De his idem Strabo lib. 12. Synesius in Epiſtolis:

Ἀγχίδα, φρύνιον, ἔφυ καὶ Λαοδικίας περίφευγε,
Καὶ κύνα λυσσητὴν, καὶ πάλι Λαοδικίας.

Idem.

Magnetibus ſimul] *Simul*, conſtructum à Tacito, ut ἅμα apud Græcos. *Idem.*

Laodicenis & Magnetibus] Quæ lævitas & prava conniventia edentium? quum Beroaldus antecedens dederit *Laodicenis ac Magn.* quum is id fecerit ex caſta imitatione codicis antiqui, in quo ſic legitur. Invenio jam mutatum ab Frobenio. quis opinetur ita fieri? *Jac. Gronovius.*

11 *Halicarnaſſii*] Sic adſuetus erat Beroaldus nominare, ſic Curtius Pichena, unde ex ipſorum linguæ arbitrio coercendus erat Tacitus, quem ſcripſiſſe *Alicarnaſii* incorrupta fide teſtatur unicus MS. codex, quod quanti habendum ſit, patere poteſt ex illis, quæ per occaſionem Herodoti nuperrime edidi. *Jac. Gronovius.*

12 *Nullo motu terræ*] Cum tamen crebri ibi ſint terræ motus. Strabo: σχεδὸν δὲ εὔσειστός ἐστι, καὶ πᾶσα ἡ περὶ τὸν Μαίανδρον χώρα. Muretus.

13 *Vivoque in ſaxo fundamenta templi*] Non templi

voque in saxo fundamenta templi adseveraverant. Pergamenos (eo ipso nitebantur) æde Augusto ibi sita, satis adeptos creditum. Ephesii, Milesiique, hi Apollinis, illi Dianæ cærimonia occupavisse civitates visi. Ita Sardianos inter, Smyrnæosque deliberatum. Sardiani decretum Etruriæ recitavere, ut consanguinei. nam *Tyrrhenum Lydumque* [1] *Atye rege genitos, ob multitudinem divisisse gentem: Lydum patriis in terris resedisse; Tyrrheno datum novas ut conderet sedes. & ducum è nominibus indita vocabula, illis per Asiam, his in Italia: auctamque adhuc Lydorum opulentiam, missis in Græciam populis,* [2] *cui mox à Pelope nomen.* simul *litteras imperatorum, & icta nobiscum fœdera bello Macedonum, ubertatemque fluminum suorum, temperiem cœli, ac dites circum ter-*
56 *ras* memorabant. At Smyrnæi repetita vetustate, [3] *seu Tantalus Jove ortus illos,* [4] *sive Theseus divina & ipse stirpe,* [5] *sive una Amazonum condidisset;* transcendere ad ea, quis maxime fidebant in populum Romanum officiis, missa navali copia non modo externa ad bella, sed quæ in Italia tolerabantur: [6] *seque primos templum urbis Romæ statuisse,* [7] *M. Porcio consule,* [8] *magnis quidem jam populi Romani rebus, nondum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punica urbe, & validis per Asiam regibus.* simul *L. Sullam testem* adferebant, *gravissimo in discrimine exercitus, ob asperitatem hiemis, & penuriam*

pli olim constructi, sed construendi. *Pichena.*

1 *Atye rege genitos*] Atys Herculis & Omphales filius, è duobus filiis sorte jacta alterum retinuit Lydum nomine, alterum in Italiam misit coloniæ deducendæ: cui nomen Tyrrhenus, & ab eo Tyrrhenia terra. Ita fere Strabo libro v. convenienter ad Taciti verba: & Tertullianus, De spectaculis, *Lydos ex Asia transvenas in Etruria consedisse Timæus refert, duce Tyrrheno, qui fratri successerat,* (lego, *cesserat,* sive, *secesserat*) *regni contentione.* Paullo diversus tamen ab illis Dionysius lib. 1. quem licet legas, Vellejumque libro 1. *Lipsius.*

2 *Cui mox à Pelope nomen*] Quem Pelopem vulgo Phrygem, Pausanias & quidam Lydum faciunt. *Idem.*

3 *Seu Tantalus Jove ortus*] Variantes has sententias super condita Smyrna notabis passim. De Theseo & Atheniensibus, sensit Epigrammatarius lib. IV. Εἰς εἰκόνα Πεισιστράτου. ubi Athenienses hoc argumento Homerum sibi vindicant:

Ἡμέτερος γὰρ ἐκεῖνος ὁ χρύσεος ἦν πολιήτης,
Εἴπερ Ἀθηναῖοι Σμύρναν ἀπῳκίσαμεν.

De Amazone, quæ nomen Smyrnæ à se dederit, initio libri XIV. Strabo. Ceterum lapides nummique hoc opidum Zmyrnam scribunt, non ut obtinuit per Sigma. *Idem.*

4 *Sive Theseus*] Quem tamen veterum nonnullos statuisse alium Theseo Atheniensi fuisse notavit Meursius in scripto, cui ab hoc heroe nomen posuit, ex Herodoti loco in vita Homeri, cui Tacitum apponit statim in capite primo. *Jac. Gronovius.*

5 *Sive una Amazonum*] Smyrna nomine Straboni lib. 14. Zmyrna est, ut notavi pridem in Philippicas M. Tullii. *Muretus.*

6 *Se primos templum urbis*] Observabit Philologus. Accidit hoc anno urbis DLVIII. Secuti exemplum sunt Alabandenses annis XXIV. circiter posterius. gloriantur apud Livium, lib. XLIII. *Alabandenses templum urbis Romæ se fecisse commemoraverunt, ludosque anniversarios ei Divæ instituisse.* Prudentius de hac Dea:

—— colitur nam sanguine & ipsa
More deæ, nomenque loci ceu numen habetur:
Atque Urbis Venerisque pari se culmine tollunt
Templa, simul geminis adolentur thura deabus.

Ubi vides commune Romæ templum in ipsa urbe cum Venere fuisse. Ad hanc quoque Divam ille poeta:

Exaudi regina tui pulcherrima mundi
Inter sidereos Roma recepta polos.

Claudianus in monte Palatino collocat, lib. II. De laudib. Stilic. ubi Provincias facit Romæ supplicantes:

Conveniunt ad tecta Deæ, quæ candida lucent
Monte Palatino. Lipsius.

Primos templum urbis Romæ statuisse] Idem Pergamenos fecisse, dixit paulo supra. At de urbis Romæ templo in ipsa Roma, meminit Spart. in Adriano. & Amm. Marcell. lib. 16. Quod fortasse deridens Hormisda Regulus, qui urbem cum Constantio imperatore perlustraverat, interrogatus ab eo, quid de Roma sentiret: id tantum sibi placuisse respondit, quod didicisset, ibi quoque homines mori: ut idem Ammianus refert. Apud quem Roma, *Urbs æterna,* sæpissime appellatur: eodemque cognomento apud icc. & illius ævi scriptores. *Pichena.*

7 *M. Porcio Cos.*] Cum L. Valerio Flacco, anno v. c. 559. *Muretus.* Apud Pigium 558. sed qui hoc monimentum aspernatur tangere, nec ad Consulem hunc firmandum Tacito voluit uti. *Jac. Gronovius.*

8 *Magnis quidem rebus*] Nonnemo plane inver-
tit:

nuriam vestis, cum id Smyrnam [1] *in concionem nunciatum foret, omnes qui adstabant detraxisse corpori tegmina, nostrisque legionibus misisse.* Ita rogati sententiam patres, Smyrnæos prætulerunt. Censuitque Vibius Marsus, *ut M. Lepido, cui ea provincia obvenerat,* [2] *super numerum legaretur qui templi curam susciperet.* & [3] quia Lepidus ipse deligere per modestiam abnuebat, Valerius Naso è prætoriis sorte missus est. Inter 57
quæ diu meditato, prolatoque sæpius consilio, [4] tandem Cæsar in Campaniam, specie [5] dedicandi templum apud Capuam Jovi, [6] apud Nolam Augusto; sed certus procul urbe degere. Caussam abscessus, quamquam secutus plurimos auctorum ad Sejani artes retuli; quia tamen cæde ejus patrata, [7] sex postea annos pari secreto conjunxit, plerumque permoveor, num ad ipsum referri verius sit, sævitiam ac libidinem

tit: nondum quidem ad summum elatis, magnis tamen. per quæ necessario vis etiam argumenti invenitur, quo Smyrnæi nitebantur; docentes coluisse se Romam, quo tempore potuisset adhuc non coli. *Freinshemius.*

1 *In concionem nunciatum foret*] Aliis legendum videbatur, *in concione*, cum nullus in hoc nuncio motus appareat. tamen vulgata etiam lectio recte se habet. nam, *nunciatum*, fere idem ac perlatum. *Pichena.* Hinc etiam forsan placuit Pricæo allleganti hunc locum ad Apuleji Milesiaca lib. 1. pag. 19. scribere, *Cum id Smyrna in concionem nunciatum foret.* Cæterum ne id quidem occultari debet, quod jam tetigi 3, 63. nomen istius urbis & incolarum in unico MS. signari etiam in hoc loco non per S, sed per Z. *Zmyrnam* & *Zmyrnæos* & *Zmyrnæi.* Quod jam olim notum viris doctis, ut scribat Ortelius in Thesauro, *Zmyrnæos populos per Z scribi & non per S in lapidibus & libris vetustis, docet in sua orthographia Aldus.* quorum neutrum agnoscit Ezech. Spanhemius idem tractans in dissertatione 11. de Præstant. Numism. Immo in eodem codice non legitur *prætulerunt*, sed *prætulere.* Jac. Gronovius.

2 *Super numerum legaretur*] Proconsulibus erant legati, tum quidem certo numero, ut hic legimus: nunc autem ob extraordinarium negotium, permittebatur Lepido, ut sibi legaret aliquem supernumerarium, qui id exsequeretur. *Freinshemius.*

3 *Quia Lepidus ipse diligi se*] Scribe, *diligi à se.* Mercerus. Muretus tamen vocem *Lepidus* delebat, alio sensu. tanquam ipse Vibius Marsus, qui de legato super numerum censuerat, se diligi abnuerit. Et hercle movet in hanc sententiam vocula *ipse*, quæ si de Lepido capienda, non videtur addenda necessario fuisse. Nisi tamen aliquis etiam *ipso* audeat mutare: *Et quia Lepidus ipso diligi à se*, id est à se ipso diligi. Omnino si *ipse* de Lepido dictum esset; dixisset potius Tacitus: *Et quia Lepidus ab se diligere per modestiam abnuebat.* Venit in mentem *ipse* mutari posse *ab se*, & concinnari aliter verba in hunc modum: *Et quia Lepidus ipse diligi quasi per modestiam abnuebat.* *Quasi* perire facillimum fuit. Nihil tamen definio. *Acidalius.* Rectius MS. *Et quia Lepidus ipse deligere per modestiam abnuebat.* Mittebantur quidem in provincias legati, consensu ac decreto Senatus: electio tamen solebat plerumque ipsis Proconsulibus permitti. Livius lib 44. *Senatus Cn. Servilio consuli negotium dedit, ut in Macedoniam, quos L. Æmilio videretur, legaret,* & alibi apud eundem Livium, frater fratrem, filius patrem, sibi legasse dicitur. Quem morem violatum Cicero Vatinio objiciens, ait: *audire de te cupio, quo tandem S. C. legatus sis, ne hoc quidem Senatui relinquebas, quod nemo unquam ademit, ut legati ex ejus ordinis auctoritate legarentur?* Idem pro Sestio: *quos legatos, non modo S. C. sed etiam repugnante Senatu, tute tibi legasti.* Vide Lipsium de mil. Rom. lib. 1. dial. XI. *Pichena.*

4 *Cæsar in Campaniam*] Vox abest sententiæ explendæ. Lego, *Cæsar iit Campaniam.* Liptius.

Tandem Cæsar in Campaniam] Lipsius legit, *tandem Cæsar iit Campaniam.* Ego potius crediderim, facile subintelligi posse verbum, proficiscitur. Sic Cic. ad Att. *inde cogito in Tusculanum.* Pichena.

5 *Dedicandi templum*] Ita quidem omnes ab typis. Sed unicum illud exemplar ab calamo habet *templa*, & nonne melius? Mox in eodem hæc vocum series est *in senectute corporis quoque hab.* Jac. Gronovius.

6 *Apud Nolam*] Loco ubi mortuus. Adi Dionem lib. LVI. in extremo: Suetonium cap. XL. *Lipsius.*

7 *Sex postea annos*] Abiit urbe Tiberius, anno DCCLXXIX. nec rediit, abiit vita DCCXC. Undecim ergo abfuit continuos annos. Errorem Plutarchi non dissimulo, aut potius exscriptoris, Libello de exsilio: ubi legitur Tiberius septem annis Capreas inhabitasse. Verba sunt: Τιβέριος δὲ Καῖσαρ ἐν Καπρίαις ἑπτὰ ἔτη διητήθη μέχρι τῆς τελευτῆς· Falsum. Nec juverit eum, quod non statim Capreas secessit. Vix enim in Campania hæsit dimidiatum annum, ut liquet ex Cornelio nostro. Damna ergo lectionem, nisi mavis Plutarchum, & scribe, δέκα, vel ἕνδεκα ἔτη. Etiam in Suetonii loco, ubi de hac absentia, adhæresco, c. LI. *Toto quidem triennio, quo vivente matre abfuit, semel omnino eam, nec amplius quam uno die, ac paucissimis vidit horis.* & malim, *toto biennio.* Egressus enim Tiberius fine anni DCCLXXIX. obiit illa principio anni LXXXI. ut ex Tacito clarum. Non ergo fuerunt inter toti tres

anni.

bidinem [1] cum factis promeret, locis occultantem. Erant qui crederent in senectute quoque [2] corporis habitum pudori fuisse. [3] quippe illi prægracilis & incurva proceritas, nudus capillo vertex, [4] ulcerosa facies, ac plerumque medicaminibus interstincta. & Rhodi secreto, vitare cœtus, recondere voluptates insuerat. Traditur etiam matris impotentia extrusum, quam dominationis sociam aspernabatur, neque depellere poterat, cum dominationem ipsam donum ejus accepisset. Nam dubitaverat Augustus Germanicum sororis nepotem, & cunctis laudatum, rei Romanæ imponere: sed precibus uxoris evictus, Tiberio Germanicum, sibi Tiberium adscivit. id-
58que Augusta exprobrabat, reposcebat. Profectio [5] arto comitatu fuit: unus senator consulatu functus, [6] Cocceius Nerva, cui legum peritia; [7] eques Romanus, præter Sejanum, ex inlustribus [8] Curtius Atticus, ceteri [9] liberalibus studiis præditi, [10] ferme Græci, quorum sermonibus levaretur. Ferebant periti cœlestium, *iis motibus siderum excessisse Roma Tiberium, ut reditus illi negaretur.* unde exitii caussa multis fuit, properum finem vitæ conjectantibus, vulgantibusque. neque enim tam incredibilem [11] casum providebant, ut undecim per annos libens patria careret. Mox patuit breve confinium artis, & falsi; veraque quam obscuris tegerentur. nam *in urbem non regressurum*, haud forte dictum: ceterorum nescii egere, cum propinquo rure, aut li-
59tore, & sæpe mœnia urbis adsidens, extremam senectam compleverit. Ac forte illis diebus oblatum Cæsari anceps periculum, auxit vana rumoris; præbuitque ipsi materiem,

anni. *Idem.*

1 *Cum factis promeret*] Hoc est, cum revera faceret, eoque naturam suam ostenderet: ἔργῳ ἀποδείξας. *Promere*, nihil aliud est quam facere, edere, nec promendo statim etiam efficiebatur, ut ea ubique innotescerent. *Freinshemius.*

2 *Corporis habitum pudori fuisse*] Sueton. 68. *Corpore fuit amplo atque robusto. Statura quæ justam excederet.* Et paulo post: *Facie honesta, in qua tamen crebri, & subtilli* (sic enim lego) *tumores.* Sed mutata erant pleraque, ut solet, in senectute. *Muretus.*

3 *Quippe illi prægracilis*] Pugnat hæc delineatio, è diametro, cum Suetonii verbis: *Corpore fuit amplo atque robusto. statura, quæ justam excederet. latus ab humeris & pectore: ceteris quoque membris usque ad imos pedes æqualis & congruens.* De veritate, secundum neutrum pronuntio. Quod sequitur, *Ulcerosa facies, ac plerumque medicaminibus interstincta:* explicat idem Suetonius *Facie honesta, in qua tamen crebri & subtiles tumores.* In cujus verbis vitium. quid enim est subtilis tumor? Libri aliquot Pulmanni nostri, *subiti tumores.* nihilo melius. At tu me duce scribe, *substilli tumores.* vel etiam, *substilles.* Non potuit magis aptiore verbo exprimi liquor saniesque, quæ in ejusmodi tumoribus minutatim stillat. Ita Substillum Festo, tempus ante postque pluviam, quod jam stillaret aut nondum desisset. Tertullianus: *Aut imbres ruunt, & si qua missilia cum imbribus, dehinc substillum, & denuo sudum.* Cato De re rustica, in Stranguria usurpat: *Nunc de iis quibus ægre lotium it, quibusque substillum est.* Lipsius.

4 *Ulcerosa facies*] Julianus in Cæsaribus: Ἐπιστραφένθ· δὲ πρὸς καθέδραν ὤφθησαν ὠτειλαὶ κατὰ τὸν νῶτον μυρίαι, καυτῆρές τινες καὶ ξέσματα καὶ πληγαὶ χαλεπαὶ καὶ μώλωπες ὑπὸ τῆς ἀκολασίας καὶ ὠμότητος ψῶραί τινες καὶ λιχῆνες οἷον ἐγκεκαυμέναι. *Aurelius.*

5 *Arto comitatu*] Quidam *comitatum* acceperunt, tanquam etiam ministeria & familiam complecteretur. Sed tantum honestissimos intelligi apparet ex 1, 5. *Augustum comite uno Planasiam vectum.* Ab his officiis postea dignitatis nomen factum est, *Comes. Unus*, hoc est, unicus, uti supra 4, 15. *Freinshemius.*

6 *Cocceius Nerva*] Pater hic est, qui in studiis civilibus Labeonis factionem secutus adversus Masurium Sabinum, in jure dissensiones auxit. Idem libro sequenti dicitur *continuus principis, omnis divini humanique juris sciens, integro statu corpore illæso, moriendi consilium cepisse.* Vertranius.

7 *Eques Romanus*] Alias, *Nullus eques Romanus.* Ferretius

8 *Curtius Atticus*] Est ille, quem lib. VI. subversum artibus Sejani ait, & ad quem Ovidii Elegia IV. & VII. libri secundi De Ponto. *Lipsius.*

9 *Liberalibus studiis præditi*] Quibus ille valde oblectabatur, ut & Græca poemata faceret, & summe curiosus esset historiæ fabularis. *Muretus.*

10 *Ferme Græci*] Convictores Græculi, quibus maxime acquiescebat. Zeno Dorice loquens, Seleucus Grammaticus. Suet. cap. 56. *Idem.*

11 *Causam*] An *casum?* Freinshemius. Quis in hoc sacrario impetus egregiorum hominum, quæ cæcitas, ut hæc ita pejus verterent? Quis auctor reperit istam *causam?* Me quod attinet, deprehendo illam primam in Frobenio; cur, non dixerim. Porro an Freinshemius, prout videri vult, ignoravit

teriem, cur amicitiæ constantiæque Sejani magis fideret. Vescebantur in [1] villa cui vocabulum *Spelunca*, [2] mare Amuclanum inter Fundanosque montes, nativo in specu. ejus os lapsis repente saxis, obruit quosdam ministros: hinc metus in omnes, & fuga eorum qui convivium celebrabant. Sejanus [3] genu, vultuque & manibus super Cæsarem suspensus, opposuit sese incidentibus: atque habitu tali repertus est à militibus qui subsidio venerant. Major ex eo; & quamquam exitiosa suaderet, ut non sui anxius, cum fide audiebatur. [4] Adsimulabatque judicis partes adversus Germanici stirpem, subditis qui accusatorum nomina sustinerent, maximeque insectarentur Neronem proximum successioni, & quamquam modesta juventa, plerumque tamen quid in præsentiarum conduceret oblitum; dum à libertis & clientibus apiscendæ potentiæ properis exstimulatur, [5] *ut erectum & fidentem animi ostenderet: velle id populum Romanum: cupere exercitus; neque ausurum contra Sejanum, qui nunc patientiam senis, & segnitiam juvenis juxta insultet.* Hæc atque talia audienti, nihil quidem pra- 60
væ cogitationis, sed interdum voces procedebant contumaces, & inconsultæ; quas [6] adpositi custodes exceptas auctasque cum deferrent, neque Neroni [7] defendere daretur,

vit in Beroaldi editione atque etiam Aldi exstare *casum*? Hæc monstri similia in tantis ingeniis, ut per centum annos & ultra, in Tacito merum falsum legeretur. Scias, mi lector, in unico MS. sine ulla lituræ pravitate expressum esse *casum*, quod repetendum censui, non ut Freinshemio hinc devinctus, sed ludificantes editiones deridens. Attamen hæc vanitas causam notæ suppeditavit Ryckio, quem vide. *Jac. Gronovius.*

1 *Villa, cui vocabulum Spelunca*] Prætorium Suetonius appellat, more sui sæcli; quo omnes villæ elegantiores & non rustici usus, prætoria dictæ. Nomen illi à re, quia imposita vel adjuncta huic nativæ speluncæ. Id secutos in positura villæ Romanos, docet Senecæ locus de villa Vatiæ: *Speluncæ sunt duæ*, inquit, *magni operis, laxo atrio, paries manufactus* (scribo, *pares manufactis*:) *quarum altera solem non recipit, altera usque in Occidentem tenet.* Ceterùm hoc ipso in facto recensendo non sine censione Suetonium dimitto. cujus vulgati libri: *In Prætorio cui Spelunca nomen erat, incœnante eo complura & ingentia saxa fortuito supernè delapsa sunt.* & ajo rescribendum: *in cœnantem eum.* Addo, hodieque nomen manere, & opidulum esse: extremis montibus Fundanis, ad mare adjacens. *Lipsius.*

2 *Mare Amuclanum inter*] Amyclæ duplices. Alteræ Laconum quæ silentio perierunt, ut parœmia est: alteræ Italorum, inter Cajetam & Tarracinam, quas a Serpentibus deletas crediderunt Solinus Pliniusque. Ab his Amyclis, mari illi nomen. *Idem.*

3 *Genu, vultuque*] Hæc positio facilè capitur, si cogitas jacentem in lecto Tiberium: ut solent vescentes. Ipse igitur tali habitu super eum, ut tueretur. *Idem.*

4 *Adsimulabatque judicis partes*] Faernus legebat conjectura, ut videtur, non mala: *adsumebatque judicis partes.* Ursinus. Mureto placuit, *indicis.* Mihi vox, *judicis*, aptior, propter verba sequentia, *subditis, qui accusatorum nomina sustinerent.* Pichena. *Adsimulabatque judicis partes*, lectio sincera. Certe illud *indicis*, hic valde ineptum est; cum sequatur *subditis qui accusatorum nomina sustinerent.* Imo ipse judicem se gerebat, accusationesque aliorum & elevabat, & interpretatione molliebat, aliaque omnia conabatur, quo minus & inimicus ipse videretur Germanici liberis. consulatur super simili sycophantia, Josephus l. 16. Antiq. Jud. c. 8. *Gruterus.* Assentior Mureto *indicis* legenti pro *judicis*. nec enim hoc fecisset Sejanus, gnarus quantum id sibi invidiæ apud omnes, apud Tiberium etiam ipsum, suspicionum movere potuisset. *Freinshemius.* Idem tamen postea sic exposuit: *Quapropter occasione illa ad subvertendos Germanici liberos usus, tamquam judicis officio contra eos fungebatur, exclamabatque quantam illi animadversionem mererentur, qui adversus beneficia principis tam ingrati forent.* At ego subscribo Mureto, & malo *indicis*. Hoc enim ipso libro cap. 28. *index idem & testis dicebat.* Cap. 30. *Caius Libonem inlexerat insidiis, deinde indicio perculerat.* Libro 6. *ut Celsus urbanæ cohortis tribunus, tum inter indices, Appium & Calvisium discrimini exemisset.* Justinus lib. 32. *Ad cujus rei probationem immittit indices, testes subornat.* Et mox *testes indicesque torquere.* Talem se gerebat apud Tiberium Sejanus, tanquam invitus, fide ac devotione cogente, Principi domus suæ vomicas indicaret. *Gronovius.*

5 *Ut erectum & fidentem animi ostenderet*] Forte melius, *animum.* tamen vulgata etiam lectio ferri potest: quasi ille ostenderet virum erectum, & animi fidentem: ac subintelligatur *se.* Pichena.

6 *Adpositi custodes*] *Adpositi* videntur dicti, sicut Æn. 6, 90. *addita Juno*, ubi Servius ex Plauto citat, Aulul. 3, 6. *Argus quem quondam custodem Jovi Juno addidit.* *Addidit*, hoc est, velut adfixit; ut non recederet, sed intentissima cura eam observaret. *Freinshemius.*

7 *Defendere daretur, diversæ insuper*] Certum mihi

retur, diversæ insuper solicitudinum formæ oriebantur. nam alius [1] occursum ejus vitare: quidam [2] salutatione reddita statim averti: plerique inceptum sermonem abrumpere; insistentibus contra irridentibusque, qui Sejano fautores aderant. Enimvero Tiberius torvus, aut [3] falsum renidens vultu; seu loqueretur, seu taceret juvenis, crimen ex silentio, ex voce. ne nox quidem secura, [4] cum uxor vigilias, somnos, suspiria matri Liviæ, atque illa Sejano patefaceret. qui fratrem quoque Neronis Drusum traxit in partes, spe objecta principis loci, si priorem ætate & jam labefactum demovisset. [5] Atrox Drusi ingenium, super cupidinem potentiæ, & solita fratribus odia, accendebatur invidia, quod mater Agrippina [6] promptior Neroni erat. neque tamen Sejanus ita Drusum fovebat, ut non in eum quoque semina futuri
61 exitii meditaretur; gnarus præferocem, & insidiis magis opportunum. Fine anni excessere insignes viri, [7] Asinius Agrippa, [8] claris majoribus quam vetustis, vitaque non degener; & [9] Q. Haterius familia senatoria, eloquentiæ quoad vixit celebratæ: [10] monimenta ingenii ejus haud perinde retinentur. Scilicet impetu magis, quam cura vigebat. utque aliorum meditatio & labor in posterum valescit; sic [11] Haterii
62 canorum illud & profluens, cum ipso simul exstinctum est. M. Licinio L. Calpurnio consulibus ingentium bellorum cladem æquavit malum improvisum. ejus initium simul & finis extitit. Nam cœpto [12] apud Fidenam amphitheatro, [13] Atilius quidam libertini

hi post vocem *daretur*, pauca quædam deesse, quæ illam periodum absolvant. Ab integro enim scribenda sequentia, quæ cum superioribus necti in unam periodum nequeunt: *Diversa insuper solicitudinum formæ oriebantur.* Acidalius.

1 *Occursum ejus vitare*] Pulchra & graphica descriptio eorum, qui amant, metuunt, volunt, nolunt jungi. Et simillima in Sidonio, de sese delato ob Satyram. *Alii tamen mihi plus quam decoret ad genua volvi; alii ne salutarent, fugere post statuas, occuli post columnas; alii tristes vultuosique junctis mihi lateribus incedere.* Lipsius.

2 *Reddere salutem*] Proprie est, resalutare; licet etiam pro salutare poni posset ob verbum *reddere*, quod sæpe verbi simplicis, *dare* significatum non egreditur: ut l. 94. de V. S. *Freinshemius.*

3 *Falsum renidens vultu*] Distinguo sic: *renidens vultu. seu loqueretur, seu taceret juvenis; crimen ex silentio, ex voce.* Turbant vulgo. *Lipsius.*

4 *Cum uxor*] Julia Drusi F. quæ Neroni nupta: quamque postea Claudius, Messallinæ dolo, interfecit. Sueton. & Dio. *Idem.*

5 *Atrox*] Est admodum ferox & impotens, sicut supra 4, 52. *Agrippina semper atrox.* Freinshemius.

6 *Promptior Neroni*] Alii mallent, *pronior.* Sed in eandem fere sententiam Tacitus initio libro 12. ait: *ut quemque suadentium audierat, promptus.* Pichena.

7 *Asinius Agrippa*] Censeo filium Asinii Galli: ideoque addit, clariores illi majores, quam vetustiores. Nam Asinia gens in lucem protracta ab Augusto, qui non injuria extulit avum hujus Pollionem. *Lipsius.*

8 *Claris majoribus quam vetustis*] Ulp. similiter: *Cum posset talem causam non suscipere, quam decipere.* Et alibi. *Alioqui compelletur judicium accipere, quam invenire eos possit.* Terentius: *Si quisquam est, qui se placere studeat bonis quam plurimis:* nam *plurimorum* verbo *Mali* significantur auctore Nonio Marcello. *Ferretus.* Gentem enim illam primus extulerat Augustus. *Muretus.*

9 *Q. Haterius, eloquentia celebrata*] Inter declamatores recenset Seneca pater, inuritque eamdem notam quam hic Tacitus. *Q. Haterius*, inquit, *pulcherrimam imaginem movit. Cœpit enim subito quo solebat cursu orationis scribere* (vellem, *describere*) *quasi exaudiret aliquem tumultum, vastari omnia ac rapi, comburi incendiis villas, fugas agrestium, & cum omnia implesset terrore, adjecit, Quid exhorruisti adolescens? socer tuus venit.* De eodem homine vitioque corrigendus Seneca filius, epist. XL. *Namque Echeri cursum suis temporibus oratoris celeberrimi, longè abesse ab homine sano volo.* lege, *Nam Q. Hateri.* Elegans in hanc rem Augusti jocus, *Haterius noster sufflaminandus est.* quod à curribus tractum. Ad hunc hominem Eusebiana illa refer in Chronicis: *Q. Haterius* (male in eo *Atherius*) *promptus & popularis orator, usque ad* XC. *prope annum summo honore consenescit.* Lipsius.

10 *Monimenta ingenii*] Tacitus non ait nulla eum ingenii monumenta reliquisse, verum ea non pro fama, quam vivus obtinuerat, retineri, hoc est haberi & æstimari. *Freinshemius.*

11 *Hateri canorum istud*] Talis Hortensio & Callistrato λέξις γραφικὴ, καὶ λέξις ἀγωνιστική. & Aristotel. libro 3. Rhetoric. Hanc [illegible] vocat Demosthenes in Erotico. *Muretus.* Sed meliora invenies apud doctissimum Lud. Cresollium in Theatro Sophist. 3, 27. Illic vide. *Jac. Gronov.*

12 *Apud Fidenam amphitheatro*] Licebat igitur in muni-

libertini generis, quo spectaculum gladiatorum celebraret; neque fundamenta per solidum subdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit: ut qui non abundantia pecuniæ, nec municipali ambitione, sed [1] in sordida mercede id negotium quæsivisset. Adfluxere avidi talium, imperitante Tiberio procul voluptatibus habiti, [2] virile ac muliebre secus omnis ætas, ob propinquitatem loci effusius. unde gravior pestis fuit, conferta mole, dein convulsa, dum ruit intus, aut in exteriora effunditur: immensamque vim mortalium spectaculo intentos, aut qui circumadstabant, [3] præceps trahit, atque operit. Et illi quidem quos principium stragis in mortem adflixerat, [4] ut tali sorte, cruciatum effugere. Miserandi magis, quos abrupta parte corporis, nondum vita deseruerat; qui per diem visu, per noctem ululatibus & gemitu, conjuges aut liberos noscebant. Jam ceteri fama exciti, hic fratrem, propinquum ille, alius parentes lamentari. etiam quorum diversa de caussa amici aut necessarii aberant, pavere tamen: neque dum comperto quos illa vis perculisset, latior ex incerto metus. Ut cœpere dimoveri obruta; concursus ad exanimos, comple- 63
ctentium, osculantium: & sæpe certamen, si confusior facies, & par forma aut ætas, errorem adgnoscentibus fecerat. [5] Quinquaginta hominum millia eo casu debilitata vel obtrita sunt. Cautumque in posterum senatusconsulto, *ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor* [6] *quadringentorum millium res; neve amphitheatrum imponeretur, nisi solo firmitatis spectata.* Atilius in exsilium actus est. Ceterum sub recentem cladem patuere procerum domus, fomenta, & medici passim præbiti: fuitque urbs per illos

municipiis, quod Romæ sine speciali permissu non licebat: ut colligitur ex Suet. in Claud. *Muretus.*

13 *Atilius quidam libertini generis*] Ergone permissum libertis edere ludos? Apparet. Suetonius tamen aliud indicare videtur Claudii cap. XXVIII. De Harpocrâ magnæ gratiæ apud Imp. liberto: *Cui*, ait: *lecticâ per urbem vehendi, spectaculaque publicè edendi jus tribuit.* Sed credo vetitum Romæ tantum, non in municipiis coloniisque. *Lipsius.*

Libertini generis] Multi malunt ipsum quidem ingenuum, sed ut Horatium, *Libertino patre natum*, fuisse: quod verius videtur. quamquam & illud habeat, quo se tueatur, supra 2, 85. *Quatuor millia libertini generis.* Freinshemius.

1 *In sordida mercede*] Puto legendum, *in sordidam mercedem.* Pichena.

2 *Virile ac muliebre sexus*] Ita Man. & rectum puto, ut sit primus casus singularis numeri. Vulgo, *virilis, ac muliebris sexus.* Idem mutavimus lib. V histor. ex Florentino codice. Etiam in Sueton Aug. 44. *muliebrem sexum omnem.* Turnebus, & Casaubonus testantur, veteres libros habere; *muliebre sexus omne.* Sic Plaut. Rud. *virile sexus nunquam habuit ullum.* Pichena. Tacitus scripsit, *virile ac muliebre secus.* Vide ad Livium 26, 47. *Gronovius.* Scilicet Beroaldo id nimis doctum & quæsitum fuit, quam ut capere posset. Ideo quamvis in MS. clarissime legeret *virile & muliebre secus*, compulsus fuit ita viliter mutare, ut ederet *virilis & muliebris sexus*, subnectens etiam sane ex MS. *effusus*, sed quod bene reparatum est. Pichena dimidiatam moderationem sequutus sustinuit per mendacium gratificari inscitiæ suæ: neque enim *sexus* legitur in Manuscripto, sed manifeste & eximie *secus.* Itaque quid possum libentius, quam ita simpliciter testimonium dare eruditioni paternæ, & simul Tacitum ab omni lævitate liberare? Id gaudeo & triumpho. Nam Ryckius ab Pichena corruptus & delusus inanes prætextus circumspicere conatur pro isto *sexus* neutro genere. Regredere etiam ad 2, 84. *Jac. Gronovius.*

3 *Præceps trahit*] In antiquioribus editis hæc Manuscripti lectio incorrupte servatur. perperam deinde additum fuit, *in præceps trahit.* Sane Tacitus simili modo loquitur lib. IV. *Eversio rei familiaris dignitatem ac famam præceps dabat.* Pichena.

4 *Ut tali sorte*] Non intellexere plerique vim particulæ *ut*, quomodo hoc loco usurpatur. restringit enim & limitat sermonem, quippe non omnino *cruciatum effugere*; sed tantum quoad in tali causa poterat; hoc enim est, *ut tali sorte.* Sic apud Flor. 3, 17. *Drusum matura, ut in tali discrimine, mors abstulit.* In cujus auctoris Indice, alia etiam exempla notata sunt. *Freinshemius.*

5 *Quinquaginta hominum millia*] Nihil mutemus. Suetonius & Orosius viginti hominum millia periisse eo casu ajunt; noster quinquaginta, sed latiùs sumens, debilitatos non solum obtritos. *Lipsius.*

6 *Quadringentorum millium*] Qui census erat equester. Nota res vel pueris. *Muretus.* Lipsii aliorumque accuratior computatio ad 10000. Philippeos argenteos redegit: sed imperialibus totidem numis maxime respondere eam summam ex iis, quæ

illos dies, quamquam mœsta facie, [1] veterum institutis similis, qui magna post prœ-
64 lia saucios largitione & cura sustentabant. Nondum ea clades exoleverat, cum ignis
violentia urbem ultra solitum adfecit, [2] deusto monte Cælio. *feralemque annum* fere-
bant, *& ominibus adversis susceptum principi consilium absentiæ*, qui mos vulgo, for-
tuita ad culpam trahentes; ni Cæsar obviam isset, [3] tribuendo pecunias ex modo de-
trimenti. Actæque ei grates apud senatum, ab inlustribus; famaque apud populum,
quia sine ambitione, aut proximorum precibus, ignotos etiam & ultro accitos muni-
ficentia juverat. Adduntur sententiæ, ut mons Cælius in posterum [4] *Augustus* ap-
pellaretur: quando cunctis circumflagrantibus, sola Tiberii effigies, sita in domo
Junii senatoris, inviolata mansisset. *Evenisse id olim* [5] *Claudiæ Quinctæ, ejusque sta-
tuam vim ignium bis elapsam, majores apud ædem Matris deum consecravisse. sanctos ac-
ceptosque numinibus Claudios: &* [6] *augendam cærimoniam loco, in quo tantum in Princi-*
65 *pem honorem dii ostenderint.* Haud fuerit absurdum tradere, montem eum antiqui-
tus *Querquetulanum* cognomento fuisse, quod talis silvæ frequens, fecundusque
erat: mox *Cælium* appellitatum [7] à Cæle Vibenna, qui dux gentis Etruscæ cum
[1] auxi-

quæ ad primum librum notata sunt, constare videtur. *Freinshemius.* Haudquaquam. Immo si materiæ sinceritas & præstantia comparetur, ne Philippi quidem sufficient; tantum abest, ut imperiales. Quadringenta sunt centum millia denarium sive drachmarum. Drachmam autem vel denarium esse octavam partem imperialis nummi concessit ad 1, 17, 6. Decem igitur millia imperialium non assurgunt ultra 80000. drachmarum, hoc est, 320000. nummum sestertium. At Philippus decem denariis aut drachmis respondet. Ergo 10000 Philippum sunt 100000 denarium, quadringenta millia nummum sestertium. *Gronovius.*

1 *Veterum institutis similis*] Livius libro 2. *Neque immemor ejus, quod initio consulatus imbiberat, conciliandi animos plebis, saucios milites curandos dividit Patribus. Fabiis plurimi dati; nec alibi majore cura habiti.* Justinus l. 28. de Spartanis post pugnam ad Sellasiam bello Cleomenico: *Patentibus omnes domibus saucios excipiebant, vulnera curabant, lapsos reficiebant.* Idem.

2 *Deusto monte Cælio*] Ubi hodie est basilica Lateranensis. *Muretus.*

3 *Tribuendo pecunias*] Restituto precio dominis insularum. Tranquillus. *Idem.*

4 *Augustus appellaretur*] Vide Suetonium, cap. XLVIII. *Lipsius.*

5 *Claudiæ Quinctiæ*] Duo nomina gentilitia huic feminæ? Non est Romanum. Scribo, *Claudiæ Quintæ.* Tertia, Secunda, Quarta, mulierum agnomina ab ordine nascendi. Ita Livio libro XL. *Calpurnius Piso necatus à Quartâ Hostiliâ uxore dicebatur.* In vetusto lapide, QVARTA. LIVIA. & alibi, QVINTA. NONIA. Eoque exemplo hic, Quinta Claudia. Judicium meum firmat historia, quia Ap. Claudio hujus patri quinque filiæ fuerunt. Cicero in Catone: *Quatuor robustos filios, & quinque filias Appius regebat, & senex & cæcus.* Male ergo in scriptore de Viris illustribus, Livia Claudia. Quod ad historiam hanc, miraculumque: habes apud solum, nisi aberro, Valerium, libro 1. c. VIII. *Possunt & illa miraculorum loco poni, quòd Q. Claudiæ statua in vestibulo templi Matris deûm posita, bis eâ æde incendio consumptâ, prius P. Nasicâ Scipione, L. Bestiâ; item M. Servilio & L. Lamiâ Coss. in suâ basi flammis intacta stetit.* Lipsius.

Claudiæ Quintæ] Vulgo, *Quinctiæ.* Lipsius ex historia emendavit: ego Manuscripti fidem adjicio. *Pichena.* Non est mos duarum familiarum nomina sic conjungi: sed numeralis illa nota addi solebat feminis ex ordine nascendi, unde appellatæ, *Secundæ, Tertiæ, Quartæ, Quintæ* & ὑποκοριστικῶς *Secundillæ, Tertullæ, Quartillæ* &c. Sicut notum, & multis jam notatum est. *Freinshemius.*

6 *Augendam cærimoniam loco*] Uti consecraretur. Sicut verbi gratia apud Sueton. Aug. 5. *de solo, quod primum Augustus nascens attigisset, decretum est, ut ea pars domus consecraretur.* Sic opinor illam quoque Junianæ domus partem, in qua Tiberii effigies collocata fuerat, consecrari placuisse. *Idem.*

7 *A Cæle Vibenna*] Mutant annales, in nomine, in tempore, in re. nomen illi Cælem, noster & Varro faciunt libro IV. Cælium, Dionysius & Tabula Claudiana, quæ Lugduni. Tempus adventus ejus, ad Romulum Varro & Dionysius rettulere: ad Tarquinium, Tacitus & Claudius in tabulâ dictâ. Festus, (ut Fragmenta sunt) de Tarquinio item inseruit: sed dispescuit nomen; & Cælem ac Vibennam facit duos fratres. In re ipsa: Dionysius Romam migrasse eum, impulsum Romuli fama; Tacitus, auxilii ferendi caussa; Claudius, exactum varia fortuna pulsumque, describunt. Tabulæ illius Claudianæ verba digna adscribi. *Servius Tullius, si nostros sequimur, captiva natus Ocresia: si Tuscos, Cæli quondam Vivennæ sodalis fidelissimus omnisque ejus casus comes, postquam varia fortuna exactus cum omnibus reliquiis Cæliani exercitus Etruria excessit, montem Cælium occupavit, & à duce suo Cælio*

[1] auxilium appellatum ductavisset, [2] sedem eam acceperat à Tarquinio Prisco, seu quis alius regum dedit. nam scriptores in eo dissentiunt. cetera non ambigua sunt, magnas eas copias per plana etiam ac foro propinqua habitasse, [3] unde *Thuscum vicum* 66
è vocabulo advenarum dictum. Sed ut studia procerum, & largitio principis [4] adversum casum solatium tulerant; ita accusatorum major in dies & infestior vis sine levamento grassabatur: corripueratque [5] Varum Quinctilium divitem & Cæsari propinquum, Domitius Afer, Claudiæ Pulchræ matris ejus condemnator; nullo mirante, quod diu egens, & parto nuper præmio male usus, plura ad flagitia accingeretur. Publium Dolabellam socium delationis exstitisse, miraculo erat, quia claris majoribus, & Varo connexus, suam ipse nobilitatem, suum sanguinem perditum ibat.

lio ita appellitatus. Mutatoque nomine (Nam Tusce Mastarna ei nomen erat) ita appellatus est, ut dixi. Lipsius.

1 *Auxilium appellatum * tavisset*] Hæc scriptura, ajunt, codicis Medicæi. Variè restituunt. Putem *to appellatum*, è priore linea repetitum frustrà, delendumque. Ita legerim, *cum auxilium tulisset.* Idem.

Auxilium appellatum tavisset] Querquetulanam portam à querquetis dictam, etiam Festus scribit. cæterum hic locus sic fortasse emendabitur; *Cælium appellitatum à Cale Vibenna, qui dux gentis Etrusca cum auxilium adversus Sabinos præbuisset, sedem eam acceperat à Tarquinio.* cum Sabinis enim tunc belligeratum Festus quoque scribit, & Dionysius. *Alciatus.* Quid si legas; *quum auxilium appellatum abisset*, id est, ad auxilium appellandum arcessendumque; ut *appellatum* sit prius supinum verbi *appello.* Aut simpliciter, *quum auxilium appellasset*, sive, *appellitavisset.* Rhenanus. Malim, *ductavisset.* Ferrettus. Aldus excussit, *appellitavisset:* & certe ridicula librariorum opera hic est, quod è superiore versu nomen *appellitatum* repetierint. Hoc dico ex auctoritate Halicarnassei, qui Cælium, Romuli fama impulsum cum validissima domesticorum manu transiisse ad illum scribit. Quod si est, non appellatus à Romulo Cælius Vibennus est, ita Varroni dictus. Scribendum igitur rectius & emendatius opinor: *auxilium ductavisset.* Vertranius. Faernus legebat: *Qui dux gentis Etrusca cum auxilium appellatus tulisset.* Nam vulgo legitur corrupte: *Cum auxilium appellatum tavisset*, sive *ductavisset* Ursinus. Nihil minus mihi probatur, quàm communis hæc emendatio. Nam neque verba, *auxilium appellatum*, Cornelianam phrasim olent, neque ex historia verum est, hunc Vibennam appellatum, immo sponte ad Romulum transisse, ut ex Halicarnasseo colligitur. Manuscriptus corruptè, *appellatum tavisset.* unde suspicor corrigendum: *cum auxilium ad bella tum ductavisset.* Literis certe non adsimilibus. *Pichena.* Plane ut Lipsius ita quoque Muretus. Et forte verè. Tamen videatur non incommode mutari posse, *cum auxilium ad bella tum ductavisset*, Vel, *ad bella Rom.* i. Romana vel Romanis. *Acidalius.*

2 *Sedem eam acceperat à Tarquinio*] M. Varronis Linguæ Latinæ l. 6. Pompeji Significationum 3 & Dionysii Antiquitatum 2 consentiens testimonium est, Cælium a rege Romulo sedem accepisse: quem cum sua manu Romulo venisse auxilio contra Latinum regem, Varro auctor est: Pompejus, auxilium Romulo præbuisse adversus Sabinos ait: Dionysius ad Romulum venisse, cum Romani Crustuminos excidissent. Ab iis diversa sententia Livio est, cui, Alba direpta, duplicatur Romæ civium numerus, Cælius additur urbi mons, sub rege Hostilio Tullo. Sed Cornelius hoc loco Claudium est secutus auctorem, ex ea oratione, ex qua primum Annales aggressus est: nos ejus exemplari infra lib. XI. referemus. *Vertranius.*

3 *Unde Tuscum vicum*] Aliter visum Livio, qui lib. II. cognominatum vult a reliquiis exercitus Porsenæ, qui è fuga receperant se Romam, victi ad Ariciam à Cumanis. *Pars*, inquit, *perexigua duce amisso, quia nullum propius perfugium erat, Romam inermes & fortuna & specie supplicum delati sunt. His locus ad habitandum datus, quem deinde Tuscum vicum appellarunt.* Varro item leviter dissentit. *Hi post Cælii obitum*, inquit, *quod nimis munita loca tenerent, neque sine suspicione essent, deducti dicuntur in planum. Ab eis dictus Vicus Tuscus, & ideo ibi Vortumnum stare, quod is deus Etruriæ.* De Vortumno quod ait, confirmat Propertius:

Tuscus ego, Tuscis orior. nec pœnitet inter
Prælia Volscinos deseruisse focos.

Ubi perperam *Volscinos*, quia Volsci in Etruria non fuerunt. Libri manuss. *Volsanos*, quos sequor, aut certe, *Volsinios.* Lipsius.

4 *Adversum casum solatium tulerat*] Puto leg. *adversis casuum.* Muretus. Confer cum loco libri 3. *illustrium domuum adversa solatio adfecit D. Silanus.* Acidalius. *Casus*, hic duas simul clades comprehendit: ruinam & incendium. adversus quem casum, solatium tulerunt proceres, & princeps. Illi, domos, fomenta, & medicos, ruina debilitatis præbendo: hic, pecunias post incendium, ex modo detrimenti, tribuendo. Muretus legit, *adversis casuum*, quod non placet. *Pichena.*

5 *Varum Quinctilium*] Censeo filium esse infelicis patris, qui in Germania cæsus. Sed quomodo

Cæsari

ibat. Restitit tamen senatus, & *opperiendum imperatorem* censuit: quod unum, ur-
67 gentium malorum suffugium in tempus erat. At Cæsar dedicatis per Campaniam templis, quamquam edicto monuisset, *ne quis quietem ejus inrumperet*, concursusque oppidanorum disposito milite prohiberentur; perosus tamen municipia, & colonias, omniaque in continenti sita, [1] Capreas se in insulam abdidit, trium millium freto [2] ab extremis Surrentini promontorii dijunctam. Solitudinem ejus placuisse maxime crediderim, quoniam importuosum circa mare, & vix [3] modicis navigiis pauca subsidia; neque adpulerit quisquam, nisi gnaro custode. cæli temperies hieme mitis, objectu montis quo sæva ventorum arcentur: æstas in Favonium obversa, & aperto circum pelago peramœna; prospectabatque [4] pulcherrimum sinum, [5] antequam Vesuvius mons ardescens faciem loci verteret. Græcos ea tenuisse, Capreasque [6] Thelebois habitatas, fama tradit. Sed tum Tiberius [7] duodecim villarum nominibus, & molibus

Cæsari propinquus? Credo, quia Germanici filiam duxerat uxorem. Seneca lib. I. Controv. III. *Declamaverat apud illum hanc controversiam Varus Quintilius, tunc Germanici gener & prætextatus.* Itaque absocer illi Tiberius fuit. An etiam propinquus alia de caussa? Puto, quia Claudia Pulchra Vari mater, sobrina Agrippinæ dicitur supra. nec tamen ultra repperi. *Lipsius.*

1 *Capreas*] Scholiastes Juvenalis, ad hæc poëtæ

——— *angusta Caprearum in rupe sedentis:*

Sedentis, inquit, *significat & divem turpiter vixisse Capreis Tiberium.* Corrige, *& diu & turpiter.* Idem.

Capreas se in insulam abdidit] Imo jam Capreis erat, cum amphitheatrum Fidenis collapsum est. *Suetonius.* Muretus.

2 *Ab extremis Surrentini promontorii*] Extrema, puto, denotat eam partem, quæ longissime excurrit & protenditur. Sic H. 3, 47. *in extrema Pontica ora.* Quidam cur *radices* verterit, non video. Alii *extrema* neglexere, quod tamen referebat exprimere: quum enim Surrentinum promontorium magnum soli spatium occupet, non tam accurate situm Caprearum describit, qui *trium milium freto ab Surrentino promontorio dijunctas* dicit; quam qui simul partem ejus promontorii, versus quam sitæ sint, exprimit. *Freinshemius.*

3 *Pauca subsidia*] Id est, stationes & tutiora loca, in quibus naves subsidere, & suffugium habere possent. *Lipsius.*

Modicis navigiis pauca subsidia] Turneb. Adverf. lib. 3, 9. interpretatur *subsidia*, pro locis, in quibus naves subsidere, & stationem suffugiaque habere possunt. *Pichena.*

4 *Pulcherrimum sinum*] Certum est de *sinu terrarum*, non *maris* hic sermonem esse. quippe maris facies incendio isto mutari non potuit: at de ea Campaniæ ora, nota res est. Sed de sinu, supra 4, 5. *quantum ingenti terrarum sinu ambitur.* Freinshemius.

5 *Antequam Vesuvius mons*] Vesuvius mons Campaniæ amænissimus, multos habet subterraneos ignis fontes: itaque sæpe conflagravit, sed maximum incendium sub Tito Vesp. quod copiose describitur à Xiphilino, tangitur à Suetonio: disertissime exponitur à Plinio minore, lib. 6. Epistolarum, ubi narrat mortem avunculi sui, qui ea conflagratione absorptus est. Hodie, *Monte Somma.* Muretus.

6 *Thelebois habitatas*] Ideo Teleboæ pro ipsis Capreis, Ausonio:

——— *viridesque resultant*

Teleboæ.

Virgilius caussam nominis tangit:

—— *Teleboum Capreas dum regna teneret.*

Emit, sive permutavit eas cum rep. Neapolitanorum Imp. Augustus, traditis earum vice Pithecusis, sive, ut Suetonius appellat, Ænaria, Aug. cap. XCII. Notat Dio LII. in extremo, & clare Strabo lib. V. Αἱ δὲ Καπρέαι δύο πολίχνας εἶχον τὸ παλαιόν, ὕστερον δὲ μίαν. Νεαπολῖται γὰρ καὶ ταύτην κατέσχον, πολέμῳ δὲ ἀποβαλόντες τὰς Πιθηκούσσας, ἀπέλαβον πάλιν, δόντος αὐτοῖς Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ, τὰς δὲ Καπρέας ἴδιον ποιησάμενος κτῆμα. Ab hac caussa ergo Capreæ in censu Cæsarum: quam Tiberius XII. villarum nominibus insedit, ait noster. His villis nomina fuisse censeo XII. deorum ex Suetonio, qui Capreis adsignat *Villam cui nomen Jovis*, cap. LXV. Sed & Pharus in ea insula, usui nautis. Idem, *Turris Phari terræ motu Capreis concidit.* quod ponit inter omina Tiberianæ mortis. Exstructa iterum, ex his Statii versibus:

Teleboumque domos: trepidis ubi dulcia nautis
Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula Lunæ.

Lipsius.

Thelebois habitatas] Vulgo, *Cephaloniam* per quartam vocalem; Κεφαλληνίαν. Strabo, & Eustathius appellant cum secunda vocali. *Muretus.*

7 *Duodecim villarum*] In eis villa Jovis. Fortasse ceteræ, à Diis majorum gentium cognominatæ. *Muretus.* Tunc enim non Villæ, sed potius Villarum nomina, reliquiæ, ac vestigia. *Pichena.* Nugæ sunt hæc *nomina*. Legi, *duodecim villarum nemoribus & molioribus insederas.* Nam *mollia nemora*

molibus insederat; quanto intentus olim publicas ad curas, [1] tanto occultior in
luxus & malum otium resolutus. Manebat quippe suspicionum & credendi temeritas,
quam Sejanus augere etiam in urbe suetus, acrius turbabat, non jam occultis adver-
sum Agrippinam & Neronem insidiis. [2] quis additus miles, nuntios, introitus, a-
perta, secreta, velut in annales referebat. ultroque struebantur, qui monerent per-
fugere ad Germaniæ exercitus, vel [3] celeberrimo fori effigiem divi Augusti amplecti,
populumque ac senatum auxilio vocare. Eaque spreta ab illis, velut pararent, ob-
jiciebantur. Junio Silano & Silio Nerva consulibus fœdum anni principium incef- 68
sit, tracto in carcerem [4] inlustri equite Romano Titio Sabino, ob amicitiam Germa-
nici. neque enim omiserat conjugem liberosque ejus percolere, sectator domi, comes
in publico, post tot clientes unus; eoque apud bonos laudatus, & gravis iniquis.
Hunc Latinius Latiaris, Porcius Cato, Petilius Rufus, M. Opsius prætura functi
adgrediuntur, cupidine consulatus; ad quem non nisi per Sejanum aditus: neque Se-
jani voluntas, nisi scelere quærebatur. Compositum inter ipsos, ut Latiaris, qui mo-
dico usu Sabinum contingebat, strueret dolum, ceteri testes adessent: deinde accu-
sationem inciperent. Igitur Latiaris jacere fortuitos primum sermones: mox laudare
constantiam, *quod non, ut ceteri, florentis domus amicus, adflictam deseruisset*: simul
honora de Germanico, Agrippinam miserans, disserebat. Et postquam Sabinus, ut
sunt molles in calamitate mortalium animi, effudit lacrymas, junxit questus; auden-
tius jam onerat Sejanum, sævitiam, superbiam, spes ejus. ne in Tiberium quidem
convicio abstinet. Iique sermones, tamquam vetita miscuissent, [5] speciem arctæ a-
micitiæ facere. Ac jam ultro Sabinus quærere Latiarem, ventitare domum, dolo-
res suos quasi ad fidissimum deferre. Consultant quos memoravi, quonam modo ea 69
plurium auditu acciperentur. nam loco, in quem coibatur, servanda solitudinis fa-
cies; & si pone fores adsisterent, metus visus, sonitus, aut forte [6] ortæ suspicionis
erat.

mora dixit pro tranquillioribus & dulcioribus. *Aurelius.* Corrigo: *sed tum Ti. duodecim villarum nemoribus & collibus insederat.* Neque enim video rationem ejus, quod tradit Lipsius hoc intelligi de duodecim prætoriis, quibus singulis esset nomen alicujus Dei. Sed & verba illa *insederat nominibus & molibus*, non explicant istam sententiam: certe *τὸ molibus* nihil huc facit: tum *insederat nominibus* non significat eum secessisse, & legisse duodecim prædia, quæ nomina deorum gestarent. Sed in loco sic, ut mihi visum est, correcto sensus facilis est, legisse eum secessui suo *nemora & colles duodecim villarum*: nemora enim & colles sunt quæ reddunt hujusmodi domus delectabiliores. *Harlaus.* Neque corrigendum aliquid censeo, nec tamen satisfaciunt interpretationes, quas adhuc editas vidi. *Duodecim villarum nominibus & molibus* est duudecim villis clarorum nominum ob veteres possessores, nec minus substructionum magnificentia conspiciendis. *Gronovius.*

1 *Tanto occultior in luxus*] Scribo, *occultos.* quanto magis olim intentum, tanto magis nunc resolutum dicit in luxus occultos & malum otium. *Idem.*

2 *Quis additus miles.*] Additum vere ad custodiam credas, & electos ex iis, qui fidi præcipue Sejano: sed verisimile, additos honoris specie. *Pichena.*

3 *Celeberrimo fori*] Sunt quidem, quibus *celeber* & *creber* quandoque idem significare videntur: neque tamen ideo *celeberrimum fori* interpreter tempus quo plurimi in eo mortales obversentur. Quapropter potius visum de *loci celebritate* (supra 3, 9.) explicare; licet profecto illa celebritas è frequentia hominum illis in locis agere solitorum, nascatur. Ceterum locum qui ibi describitur, divino fuisse Rostra. nam ea in foro fuisse Livius 7, 14. tradit: ubi collocatam esse statuam Augusti, vel inde quis colligat, quod illo ævo *nullus locus, ad statuam quidem Rostris clarior*, ut disertissimus Cicero pro Dejotaro cap. 12. testatur. *Fremshemius.*

4 *Inlustri equite R. Titio Sabino*] Titum prænomen illi dat Plinius: *Ap. Junio*, ait, *P. Silio COS. cum animadverteretur ex caussa Neronis, Germanici F. in T. Sabinum & servitia ejus.* Lipsius.

5 *Speciem arctæ amicitiæ facere*] Faernus legebat, *fecere.* Ursinus. Idem. *Muretus.*

6 *Ortæ suspiciones erant*] Suspicor scribendum, *ortæ suspicionis erat.* Rhenanus. Hoc est, ut ego capio, quæ fortuito quodam casu posset subito oriri. Nec enim ullam jam tum suspicionem in Sabino ortam autumabant: sed hoc metuebant posse quam

erat. [1] Tectum inter & laquearia, tres senatores, haud minus turpi latebra quam detestanda fraude, sese abstrudunt, foraminibus & rimis aurem admovent. Interea Latiaris repertum in publico Sabinum, velut recens cognita narraturus, domum & in cubiculum trahit; præteritaque & instantia, quorum adfatim copia, ac novos terrores cumulat. Eadem ille, & diutius, [2] quanto mœsta, ubi semel prorupere, difficilius reticentur. Properata inde accusatio, missisque ad Cæsarem litteris, ordinem fraudis, suumque ipsi dedecus narravere. Non alias magis anxia & pavens civitas, [3] egens adversum proximos, congressus, colloquia, notæ ignotæque aures vitari: etiam muta atque inanima, tectum & parietes circumspectabantur. Sed Cæsar [4] solemnia incipientis anni Kalendis Januariis epistola precatus; vertit in Sabinum,

otiri inter ipsum cum Latiare colloquium: non ut huic diffideret. sed ut metueret, ne quis forte adstans foribus aucuparetur eorum sermones. *Freinshemius.*

1 *Tectum inter & laquearia*] Di deæque auctores perdant tam scelestæ fraudis. cujus tamen exemplum ab Ephoris esse, moneo juventutem, Pausaniam Spartæ regem, cum ad Ephoros detulisset Argilius quidam proditionis, & occultæ cum Rege societatis; eamque in rem literas ejus ostendisset. ut tamen ipsi coram ea audirent cognoscerentque, commenti fraudem sunt, ut in templum perfugeret. Argilius quasi ad aram. ubi Pausaniæ in os hæc exprobraret, apud conscium non negaturo: Ephori autem in occulto laterent, duplici quodam tabulato disclusi. Pete hæc à Thucydide disertim narrante lib. 1. Nec dubitabis, quin perfidiæ novum exemplum sit à facto illo. *Lipsius.*

Tectum inter & laquearia] Cicero Topicis: *Multi etiam in res odiosas imprudentes inciderunt; ut Staterio nuper accidit, qui ea locutus est, bonis viris subauscultantibus pariete interposito, quibus patefactis in judiciumque prolatis rei capitalis damnatus est.* Gronovius. In meliorem & partem & eventum simile quid fieri contigit in proscriptione triumvirali de Lucretio apud Valerium Max. 6, 7, 2. ubi ille scribit, *inter camaram & tectum cubiculi abditum*, quæ prorsus sunt eadem Tacito, ut appareat in utramque partem id potuisse fieri Romæ, nectamen in que petitam imitationem ex Thucydide, ut sibi imaginatur Lipsius; præsertim si etiam audias ea declarari ab Appiano lib. 4. Civil. Εκρύπτετο ἐπὶ διπλῆς, ὀροφῆς μεταξύ. Ad quam narrationem priusquam veniret, præmiserat calamitosos Romanos quæsivisse effugia etiam τῶν τινῶν ταῖς κεραμίοις ὀροφαῖς ὑποκαθημένοις μετὰ τέγης βαθυτάτης. Jac. Gronovius.

2 *Quando mœsta, ubi semel prorupere*] Muretus, *quanto.* Probe ad Taciti morem. *Acidalius.* Non alia terminatio est in MSto, item in editione Beroaldi. sed mutavit jam Aldus, nescio cur vel quomodo; hinc processit ad reliquos. Exaratum proprie est in MS. *qaranto*, ubi litera secunda *u* ab otioso divisa est quasi in *ar.* Jac. Gronovius.

3 *Egens adversum proximos*] Literula addita restituo: *tegens.* Dictio similis in Cicerone, pro Roscio, *Tectis esse ad alienos possumus: focum vero fallere qui possumus?* Lipsius.

Egens adversum proximos] Legerim, *satagens adversum proximos.* Rhenanus. Alias: *Etiam adversus proximos.* Ferrettus. Ego maluerim scriptum, *se tegens advers. proxim.* Vertranius. Veteres libri *etiam.* Lego, *egit etiam.* Muretus. To *egens* ponitur pro vitio; quo pauperes præcipue laborant, suspicione scilicet. Teren. Adelph. *Omnes, quibus res sunt minus secundæ, magis sunt nescio quomodo suspiciosi, ut mulier pro loquaci* proprium vitium feminarum. Idem in Heaut. *Oh pergin mulier esse?* Sic Plautus, *nobilitatem*, pro superbia, qua in primis nobiles laborant. Milit. glor. *Et quia tecum eram, propterea eram animo ferocior. Eam nobilitatem amittendam video.* Salmerius. Insulsa mihi correctio visa est, *civitas, etiam adversum* &c. ut in vulgatis: ideo Manuscripti lectionem, distinctionemque reposui, ut quilibet cogitet: *& pavens civitas egens.* Ego sic corrigerem: *Non alias magis anxia & pavens civitas egerat. adversum proximos, congressus, colloquia, nota ignotaque aures, vitari.* Pichena. Sed mehercule etiam illud *Etiam* orationi necessarium est. Retineam ego & paullo aliter etiam scribam: *Non alias magis anxia & pavens civitas tegere se etiam adversum proximos; congressus, colloquia, nota ignotaque aures vitari: etiam muta atque inanima, tectum & parietes, circumspectabantur.* Quod postremum verbum muto, nec sine ratione, *suspectabantur.* Acidalius. Fallaciter Muretus adducit veteres libros; nec minus insulse in egente notat solam suspicionem Salmerius. Omnino in unico libro legitur, quod est editum. simplex scilicet *egens*, ut opinor, fide, quam societas civitatis habet necessariam; at destituta merito dicitur *egens*, ut de privato dicitur 6, 7. *egens ob luxum*, nim. pecunia. Certe ubi Tacitus scripsit *egens*, ibi id servat codex MS. 6, 20. *Jac. Gronovius.*

4 *Sollennia incipientis anni*] Illudit nobis vir doctus, dum interpretatur, Tiberium ipso Kalendarum die a Senatu populoque strenas per epistolam exegisse. & id multis verbis. Quanto proclivius & verius erat dicere, Tiberium initio epistolæ præfatum (ita scripserim, quam *precatum.*) de Calendis

num, *corruptos quosdam libertorum, & petitum se* arguens, [1] ultionemque haud obscure poscebat. nec mora, quin decerneretur: & trahebatur damnatus. quantum [4] obducta veste & [3] adstrictis faucibus niti poterat, clamitans, *Sic inchoari annum, has Sejano victimas cadere.* [4] quo intendisset oculos, quo verba acciderent, [5] fuga, vastitas: deseri

dis novi anni, quæ festæ & sacræ vulgo? Nec, *precatus*, damno sententia ista: ut sacra auspiciaque ejus diei prima epistola veneratus Cæsar sit. Ita supra legi. *Sed principio litterarum veneratus deos.* Sane dies ille, siquis alius, religiosus in vulgus. Plinius: *Primum incipientis anni diem latis precationibus invicem faustum ominamur.* Templa aperiebant, vota concipiebant pro sua quisque publicaque salute. Prudentius:

> ——— *Jano etiam celebri de mense litatur*
> *Auspiciis epulisque sacris: quas inveterato,*
> *Heu miseri, sub honore agitant, & gaudia ducunt*
> *Festa Kalendarum.*

Vide & Ovidium in Fastis. Sed & ludi tum in palatio. Julianus in Misopog. Εἰργω τὰν θεάτρων ἐμαυτὸν ὑπ' ἀβελτηρίας, οὐδ' εἴσω τῆς αὐλῆς παραδέχομαι τὴν θυμέλην, ἔξω τῆς νουμηνίας τοῦ ἔτους. At de stipe strenisque quæ est ratio? eum adeo aversatus eum morem Tiberius sit, (homo alias abhorrens omnes ejusmodi vitæ amœnitates) ut plerumque extra urbem Kalendis ipsis egerit, ne admitteret strenas. Clare Dio: Τοῦτο δ' οὖν ἕνεκα ἔξω που τῆς νουμηνίας διῆγε, καὶ ἵνα μηδεὶς τῶν ἀνθρώπων ἀσχολῶν περί τε τὰς τίνας ἀρχὰς καὶ περὶ τὴν ἑορτὴν ἔχοντα αὐτὸν, ἢ καὶ ἀργύριον παρ' αὐτῶν λαμβάνῃ. Οὐδὲ γὰρ οὐδὲ τοῦ Αὐγούστου ἐπαινεῖν ἐβούλετο, διὰ τὸ πολλὴν δυσχέρειαν ἐν αὐτῷ, πολλὴν δὲ καὶ δαπάνην ἐκ τῆς ἀντιδόσεως γίγνεσθαι. Religionem & auspicia Kalendarum illustrabit etiam hic D. Maximi locus, viri docti, vetusti, (ævum illius ante mille annos:) è Sermone cui Titulus, *De Kalendis Januariis increpatio.* In quo multa apposite in hanc vanitatem: & istud. *Novum annum Januarias appellant Kalendas, cum vetusto semper errore & horrore sordescant. Auspicia etiam vanissimi colligere se dicunt: ac statum vitæ suæ manibus indiciis æstimantes per incerta avium ferarumque signa, imminentis anni futura rimantur: cum utique apud deum solum sit notitia futurorum.* At de Epulis illo die, vide omnino epist. LXIV. D. Augustini ad Aurelianum. *Lipsius.*

Solennia incipientis anni Cal. Januar. &c.] Cajus de verborum signific. *Post diem*, inquit, *tertium Cal. Januariarum vota pro salute Principis suscipiuntur.* meminit hujus rei & Plinius Cæcilius ad Trajanum. *Alciatus.* Ex iis intelligo Tiberium, qui strenarum commercium edicto vetuerat, ultra Cal. Januarias exerceri, ipso Calendarum die à S. P. Q. R. strenas per epistolam exegisse. Data siquidem Cal. Januariis strena in Capitolio, etiam absenti Augusto fuit: ut in eo Sueton. 57. Quæ mihi tam placet interpretatio, quam displicet illa, quæ Tiberium precatum inducit, ut pro ejus incolumitate vota Cal. Januar. susciperentur, quæ tamen non nisi die post Calendas Januar. tertio, id est, pridie Nonas, susciperentur, teste Plutarcho, initio Cic. & teste Cajo l. 233. D. de verborum signific. Neque moveor quod mox idem scribit, eo die Cal. Januar. sacra & vota fuisse: siquidem neque strena Augusto absenti sine votis data, neque populus in Capitolio nisi causa sacrorum illo die convenerat. *Vertranius.* Ut feliciter annare, & perennare liceret. Plinius: *Primum incipientis anni diem letis precationibus invicem faustum ominamur.* Muretus. Faernus legebat, *Cal. Januariis*, non *Januarias.* Ursinus. Lipsius mutat *præfatus.* Ego scribo, *solennia incipientis anni, Calen. Januariis epistola precatus.* Solemnia incipientis anni precari, est precari ea, quæ solenniter anno incipiente solent. Plinius, cujus locum adducit Lipsius, stabilit nostram lectionem. *Acidalius.* In veteribus libris, opinor, hæc non diserte perscripta. sed initialibus tantum literis indicata sunt, quæ res auctori fraudi fuit; sensus enim postulat legi *Calen. Januariis.* designat enim tempus quo res ea gesta fuerit. quomodo in illis Suet. Calig. 42. *Stetitque in vestibulo ædium Calen. Januariis.* Verbum *precandi* plerique pro rogare acceperunt, tanquam senatus rogaretur: quum tamen nihil significet nisi votum à diis expetitum. Supra 4, 3. *integram illi sobolem, ac superstitem iniquorum precarentur.* Freinshemius. In MSto. unico legitur *Januarius*, quocunque modo scriba ad id venerit, manifesto errore pro *Januariis*, ut inde Beroaldus non debuerit cudere *Januarias*, unde illa inter doctos controversia. Itaque & ipse universam vocem curavi exprimi. *Jac. Gronovius.*

1 *Ultionemque haud obscure poscebat*] Lego deleta copula *que* adnexa voci *ultionem.* Acidalius.

2 *Obducta veste*] Cicero pro Rabirio: *Carnifex ferox, & obducto capitis.* In veteri declamat. *Non oculis judicassetis; nec continuo strictis faucibus rapiendus ad supplicium veneficus videretur.* Ammian. princip. lib. 14. *Formula missa lethali homo crimine nullo contactus idem Clematius, nec hiscere, nec loqui permissus occideretur.* Aurelius.

3 *Adstrictis faucibus*] Ut obvolutam capiti vestem largiar, non etiam gulæ eadem obvolvi aut potuit commode, aut opus fuit: quum longe esset facilius, veste qualis gestari solebat, ad collum prehensa gulam & fauces premere & angere, usque adstrictis urgere & trahere: sic enim bene interpretantur hæc verba, *Rapere obtorto collo*, ad Plauti Pænulum 3, 5, 45. Florus, 3, 27. *Sed apprehensum faucibus viator non ante dimisit, quam sanguis in aures & oculos redundaret.* ubi & alia quædam notavimus. *Freinshemius.*

4 *Quo intendisset oculos*] Hæc sequentia usque ad

 verbum,

deferi itinera, fora: & quidam regrediebantur, oftentabantque fe rurfum, id ipfum paventes, quod timuiffent. [1] *Quem enim diem vacuum pœna*, [2] *ubi inter facra & vota, quo tempore verbis etiam profanis abftineri mos effet, vincla & laqueus inducantur?* [3] *Non prudentem Tiberium tantam invidiam adiiffe? quæfitum meditatumque, ne quid impedire credatur, quo minus novi magiftratus, quo modo delubra & altaria, fic carcerem recludant.*

verbum, *timuiffent*, in vulgatis recentioribus diftincta erant minoribus characteribus, tanquam ab eodem clamante Sabino pronunciata. Mihi contra videtur, hiftorici verba effe. At quæ fequuntur, *Quem enim diem*, &c. indignantis vulgi orationem. *Pichena. Muretus. quoquo intendiffet oculos, quoquo verba acciderent.* Rectius. Porro diverfo characterum genere exprimi non hæc & fequentia debebant, fed tantum paucula illa, *fic inchoari annum, has Sejano victimas cadere.* Illa enim verba funt clamitantis Sabini. Reliqua narratio Taciti. *Acidalius.*

5 *Fuga, vaftitas*] Auctor vitæ Lucani: *Adeo ut quondam in latrinis publicis clariore ftrepitu ventris emiffo, hemiftichium Neronianum, maxima confefforum fuga, pronuntiarit: Sub terris tonuiffe putes.* Gronovius.

1 *Quem enim diem*] Mirum, ni ante ifthæc, *Quem enim diem*, hiatus aliquis eft. Neque enim apte fatis hæc per particulam *Enim* præcedentibus fubduntur. Si nihil abfit, nec omnino abeffe quid putem, mutem eam ipfam particulam, vel, *Quem jam diem*, vel, *Quem exin diem vacuum pœna* &c. *Acidalius.* Non funt hæc Sabini verba, fed cogitationes hominum: licet plerique nec non ipfe Lipfius contra putaverint. Sed primo fi fic effet, Tacitus Sabini verba tam importuna parenthefi non diremiffet: deinde non eft confentaneum, hominem eo habitu quo Sabinus defcribitur, tantum verborum fundere potuiffe. *Freinshemius.*

2 *Ubi inter facra & vota*] Nihil enim trifte publice privatimque primo illo die patrabant: nedum ut punirent. Plutarchus in Mario: Καὶ προελθὼν (ὁ Μάριος) αὐταῖς καλάνδαις Ἰανουαρίαις, ἔτους ἀρχῇ, Σέξτον τινὰ Λικίνιον κατεκρήμνισεν. Ὃ καὶ ἐκείνοις καὶ τῇ πόλει τῶν αὖθις ἰδόντων κακῶν γεγονέναι σημεῖον μέγιστον. Id eft: *Progreffufque Marius Calendis ipfis Januariis, initio anni, Sextum quemdam Licinium de faxo jecit. quod & illis & urbi impendentium malorum maximum vifum præfagium.* Nec mirum fi Romani diem illum eximium habuerint à pœna: quippe qui omnes dies feftos. Seneca pater l. v. controverfia iv. *Accufatus eft à fratre parricidii, & damnatus. Diebus feftis intercedentibus, pœna ex lege dilata eft.* Suetonius de Tiberii fævitia: *Nullus à pœna hominum ceffavit dies, ne religiofus quidem & facer.* Philo Judæus contra Flaccum: Τοῖς ὀρθῶς πολιτευομένοις τῶν ἀρχόντων ἔθος ἐστὶ μηδένα κολάζειν τῶν κατακριθέντων, ἄχρις ἂν αἱ ἐπιφανεῖς γενέθλιοι καὶ πανηγύρεις αὗται τῶν ἐπιφανῶν σεβαστῶν διεξέλθωσιν. Id eft: *Bonis & benè adminiftrantibus Præfidibus mos eft, in neminem damnatum animadvertere, donec follennes celebritatis natalitiique dies Auguftorum præterierint.* Similis Athenis lex, ut in morte Socrati, Xenophon expreffit. Ἀνάγκη μὲν γὰρ ἐγένετο αὐτῷ μετὰ τὴν κρίσιν τριάκοντα ἡμέρας βιῶναι, διὰ τὸ Δήλια μὲν ἐκείνου τοῦ μηνὸς εἶναι, τὸν δὲ νόμον μηδένα ἐᾶν δημοσίᾳ ἀποθνήσκειν, ἕως ἂν ἡ θεωρία ἐκ Δήλου ἐπανέλθῃ. Sed & videntur Romani etiam in bello, per Kalendas iftas, abftinuiffe ab armis. Subindicat Appianus v. Civilium: Νυκτὸς δὲ ἔτους ἐς τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν οὔσης, φυλάξας ὁ Λεύκιος τὴν ἑορτήν, ὡς ἀμελείας τοῖς πολεμίοις αἰτίαν, ἐξέδραμε νυκτὸς ἐπὶ τὰς πύλας αὐτῶν. *Lipfius.*

3 *Non imprudentem*] Scriptus codex, *prudentem*: fed malè. Objicit liberè Sabinus, De induftria & confulto Tiberium hæc patrare, ut omnibus conftaret, omni tempore omnia in reos licere. Ita nemo excufet, inquit, tamquam ignarus aut incogitans hunc diem polluiffet. *Idem.*

Non prudentem Tiberium] Cum Man. aperte habeat, *non prudentem*, nulla mihi caufa vifa eft, cur *non imprudentem*, reponeretur, ut in vulgatis omnibus. Optimus enim, ni fallor, fenfus eft: Ignarum fuiffe Tiberium, tantam fe invidiam civitatis adiiffe, ut qui non fponte hoc juffent, fed Sejani artibus deceptus. Vulgi enim funt voces culpam a Principe, quamvis fimulate, amoventis, & in Sejanum rejicientis. Hic mos in Principum Aulis perpetuus. Firmatur hæc fententia fuperioribus verbis: *has Sejano victimas cadere.* ad cujus etiam dolos referuntur fequentia: *quæfitum meditatumque*, &c. Publica quidem perfuafio tunc Romæ erat, fæva & atrocia juffa fere omnia, per Sejanum ab invito feu connivente Cæfare extorta, aut falfo compofita. l. v. *falfas literas, & principe invito, exitium domui ejus intendi, clamitat.* In eandem fufpicionem poft damnatum Sejanum, incidit etiam Macro, ut lib. vi. prope finem. *nullaque in eos Imperatoris littera, fufpicionem dabant, invalido, ac fortaffe ignaro, ficta pleraque ob inimicitias Macronis in Arruntium.* Pichena. Male quidam, *non prudentem.* Senfus, Non profecto temere aut incogitanter, facinus tam odiofum & fubjectum fermonibus perpetraffe Cæfarem, fed certo meditatoque confilio, ut omnibus pateret, nifi quis non crimine modo in eum, verum etiam fufpicione vacaret, non effugiturum effe pœnam, neque adeo minimas inducias habiturum, etiamfi fanctiffimi dies intervenirent, &c. *Freinshemius.* Non eft egregium factum, fi obftrepatur temere codici, quem unum felicitas publica reliquum habet. In eo legitur *Non prudentem* &c. Quod fi hanc pericopen animes interro-

dant. Secutæ insuper litteræ, grates agentis, *quod hominem infensum reipublica punivissent:* adjecto, *trepidam sibi vitam, suspectas inimicorum insidias,* nullo nominatim compellato: neque tamen dubitabatur in Neronem & Agrippinam intendi. Nimi- 71
hi destinatum foret, suum quæque in annum referre, avebat animus anteire, statimque memorare exitus, quos [1] Latinius atque Opsius ceterique flagitii ejus repertores habuere, non modo postquam C. Cæsar rerum potitus est, sed incolumi Tiberio: qui scelerum ministros, ut perverti ab aliis nolebat; ita plerumque satiatus, & oblatis in eandem operam recentibus, veteres & prægraves adflixit: verum has atque alias sontium pœnas, in tempore trademus. Tum censuit Asinius Gallus, cujus liberorum [2] Agrippina matertera erat, *petendum à principe, ut metus suos senatui fateretur, amoverique sineret.* Nullam æque Tiberius, [3] ut rebatur, ex virtutibus suis quam dissimulationem diligebat. eo ægrius accepit recludi quæ premeret. sed mitigavit Sejanus, non Galli amore, verum [4] ut cunctationes principis aperirentur.

[1] gna-

terrogatione, (utinam id fecisset Beroaldis!) quid pulchrius exoriri potest vel exoptari? An credemus Tiberium de tempore non cogitantem, jussisse id peragi & hinc cecidisse in rumores tam adversos insontem & inopinantem? Respondent sequentia: immo id totum de industria sic paratum fuisse &c. Ita certe nunc exhibui. *Jac. Gronovius.*

1 *Latinius atque Opsius*] De Opsio in his libris nihil: de Latinio habes libro VI. *Lipsius.*

2 *Agrippina matertera erat*] Nimirum quia Vipsania uxor Asinii, consanguinea Agrippinæ soror: id est, eodem patre Vipsanio natæ ambæ, diversa matre. Vide nostrum Stemma. *Idem.*

3 *Ut rebatur*] Ad sequentia refer. Putabat hanc virtutem esse, non erat. *Idem.*

4 *Contationes Principis*] *Contationes* non aptè aut rectè *aperiri* mihi dicuntur, sive quis mallet, *operiri.* Ego, *cogitationes*, magis scribam. Tum explico: Sejanum mitigasse Tiberium, quia non nolebat frigus & lentitudinem illam excitari, ac cogitationes ejus produci; ut denique voti sui compos fieret, duobus illis afflictis. quod prævidebat fore, ut Tiberius occultam adhuc iram promeret, & atroce facto ostenderet, cùm non ultrà lateret. Et sanè ita evenit, statimque initio anni proximi duo illi (Agrippina & Nero) accusati & damnati. An quis etiam, *operirentur*, mallet? Tum esset, mitigasse ideo Sejanum, quia nondum maturum videbatur sensus Principis aperiri, excusavitque Asinium ejus dicti: ut scilicet majus odium mora conciperet, & denique tristibus factis efferret. *Idem.*

Ut contationes principis aperirentur] Imo legendum; *Verum ne cunctationes;* &c. *Ursinus.* Sejanus mitigat Tiberium exacerbatum adversus Asinium Gallum, dicitque eum venia dignum, quod non absurde censuerit, metus principis non diutius detrimento reip. premendos esse. Quam igitur apte: *mitigaverit ut aperirentur.* Muretus & Pichena, qui maluere, *operirentur*, dicant quæso, qua de re faciant ineptum Sejanum? At is caudex esset, si Asinio alias non amico cautum voluisset, qui adversus studium suum Tiberii metus reserabat. Oportet igitur ut aliquid à Gallo dictum sit, unde sibi paraverit gratiam Sejani: quod non aliunde colligi potest, nisi ex ejus verbis: *verum ut cunctationes principis aperirentur.* nimirum ut is simultates evomeret adversus Germanici domum, quas ad id temporis pressas, & clausas continuisset; cui rei Sejanus jam diu studebat: nam ejusmodi odia non recens, sed ante decennium cœperant: inhians itaque perversioni dictorum, & impatiens moræ, animadvertit ex his Tiberii verbis, *trepidam sibi vitam, suspectas inimicorum fraudes*, eum jam jam probatas offensas depromturum, Asinioque favet, qui ad suum votum verba fecerat & subdole dat operam, ut pœnæ diu dilatæ repræsententur, *gnarus lentum in meditando, ubi prorupisset, tristibus dictis atrocia facta conjungere.* Salinerius. Placuit olim, suadente Mureto, *opperirentur.* Verebatur scilicet Sejanus, ne subita & improvisa Tiberii ira in Neronem & Agrippinam, statim placaretur. ideoque mitigavit, ut diutina cogitatione implacabilius irasceretur; *gnarus, lentum in meditando.* &c. At nuper eruditissimi Salinerii sententiam antehabeo, qui vulgatum verbum, *aperirentur*, veris rationibus propugnat. Non enim jam studebat Sejanus, ut diutius Tiberius odia meditaretur, sed ut olim meditata effunderet. Ac vere olim cœperat Sejanus simultates serere. Tacit. l. 1. *Accendebat hæc onerabatque Sejanus, peritia morum Tiberii, odia in longum jaciens, quæ reconderet auctaque promeret.* Pichena. Illud *aperirentur* palam spernit sententia. Muretus *opperiretur.* quod ego habeo verum, & videntur evincere, quæ statim ei verbo adduntur. *Acidalius.* Verum lenivit iram ejus Sejanus, non quia Gallo bene vellet, sed odio Neronis & Agrippinæ, cupiebat cunctatoris senis meditata in eos odia tandem erumpere. *Freinshemius.* Quidquid occinant, verum censeo, *opperiretur.* Hoc est, ut subserviret ingenio principis & speciei clementiam suadentis daret ei occasionem contandi differendique Gallum in maturius odium: sciens illum gaudere mo-

ra

[1] gnarus lentum in meditando, ubi prorupisset, tristibus dictis atrocia facta conjungere. Per idem tempus Julia [2] mortem obiit, quam neptem Augustus convictam adulterii damnaverat, projeceratque [3] in insulam Trimerum, haud procul Apulis litoribus. illic viginti annis exsilium toleravit, Augustæ ope sustentata: quæ florentes privignos cum per occultum subvertisset, misericordiam erga adflictos palam ostentabat.
72 Eodem anno Frisii Transrhenanus populus pacem exuere, nostra magis avaritia, quam obsequii impatientes. Tributum iis Drusus jusserat modicum, pro angustia rerum, *ut* [4] *in usus militares, coria boum penderent*: non intenta cujusquam cura, quæ firmitudo, quæ mensura; donec Olennius è primipilaribus, regendis Frisiis impositus [5] *terga urorum* delegit, quorum ad formam acciperentur. Id aliis quoque nationibus arduum, apud Germanos difficilius tolerabatur, quis ingentium belluarum feraces saltus, [6] modica domi armenta sunt. Ac primo boves ipsos, mox agros, postremo corpora conjugum aut liberorum, servitio tradebant. Hinc ira & questus. [7] & postquam non subveniebat, remedium ex bello; rapti qui tributo aderant milites,

ra & quodam tractu consiliorum; postquam decresset, non pœnitere, sed a verbis immitibus ad sæva supplicia procedere. Sustinebat igitur ad tempus, donec major & accumulata offensio uno impetu Gallum prosterneret. Sed & supererat Julia Augusta, cujus ambo ad exserendum omne odium in domum Germanici mortem avide exspectabant. *Gronovius.*

1 *Gnarus, lentum in meditando*] Casaubonus, *lentum* interpretatur, qui non facile movetur. Suetonius de eodem Tiberio. cap. 57. *Sæva ac lenta natura, ne in puero quidem latuit.* & cap. 21. refert Augusti morientis vocem de Tiberio: *miserum populum Romanum, qui sub tam lentis maxillis erit.* Cic. de Orat. libro 2. *neque enim facile est perficere, ut irascatur cui tu velis judex, si tu ipso id lente ferre videaris.* Pichena.

2 *Julia*] Juliæ filia, quæ nupta Æmilio Paullo. Scholiastes Juvenalis in Sat. VI. *à barbaro relegatam* scribit: sed corrigendum, *ab avo.* Lipsius.

3 *In insulam Tremetum*] Unam ex quinque Diomedeis. *Muretus.* Nostra editio, *Tremetum.* Ital. *Tremiti*, Leandro in descriptione Italiæ, *Trimiti.* quod utrumque nomen ad nostram scripturam propius accedit. *Fremshemius.* Quam lætatus fuisset, si ex Geographo Ravennate audivisset *Tremetis*? Sed Fremshemius modo ministerium suum præbet suspicioni Phil. Cluverii in Italia antiqua pag 1212. quum Ortelius se continuisset. Certe non quia hodie adsuevit literæ *e*, idcirco id debet etiam supponi de appellatione vetere, quam clare servat codex MS. *Trimerum*, idque satisfecit Casaubono ad Suetonium Aug. c. 64. hinc & mihi, ut idcirco reposuerim. *Jac. Gronovius.*

4 *In usus militares*] Nempe ad scuta, ad tentoria militum, etiam ad machinarum paratum. Simile tributum in Bosporo, tempore Græcanicorum Imperatorum, pensum Cedrenus docet, & appellat τὰς συντελείας τῶν βοῶν. Addit autem (quàm verè nescio) *Bosporo inde nomen esse*, ἀπὸ τῦ τελεῖν Ῥωμαίοις κατ' ἔτος ἀντὶ χρημάτων βόας: *ab eo quod penderent Romanis quotannis, pro pecunia, tributum boum.* Lego & *equos datos à Dalmatis*, in tributo: idque medio & inferiore ævo. *Lipsius.*

In usus militares coria boum penderent] Id est, in usum tentoriorum, & scutorum. Vide Lipsium de militia Rom. lib. V. Dial. V. *Pichena.*

5 *Terga urorum*] *Uri* sunt haud absimiles boum, colore nigro, feri, & cursu excellentes, familiares Germaniæ. Auctores Cæsar & Plinius. Hi fortasse sunt, quos Pisis *Bufalos* appellant vulgo. *Ferretus.* *Uri* non sunt ii, quos Æmilius suspicatur ab Italis *Bufalos* dici, sed *boves agrestes*, exceptis elephantis, cæteris animalibus majores; dicti *uri*, ἀπὸ τῶν ὀρῶν, quod in montibus nascantur: quos in Germania nasci Solinus auctor est, & eorum Cæsar VI. Comment. Gallici belli meminit. Virg. quoque lib. II. Georg. *Silvestres uri assidue, capreæque sequaces.* Vertranius.

6 *Modica domi armenta*] Aliter est nostro ævo, & eminent. *Lipsius.*

Modica armenta] De magnitudine boum capiam: ut *modica* vocet, quæ German. 5. verbo antiqui Catonis, *improcera.* Sed interpretes acceperunt de numero. Verum sententia loci evidens est; quum de mensura & firmitate coriorum agatur, non de multitudine. Adferturque duplex argumentum, cur non potuerint præstare Germani, quod exigebatur: quia scilicet uros in silvis habebant maximos, contra dumi boves improceros. *Fremshemius.*

7 *Et postquam non subveniebat*] Legendum, *subveniebatur*: aut, *nemo subveniebat.* Lipsius.

Non subveniebat] Aut scribendum, *subveniebatur*, aut, *nemo subveniebat.* Rhenanus. *Subveniebatur.* Muretus & Ursinus. Hoc posterius potius probavi. Sæpe enim & in nostro Man. & in aliis veteribus observavi, postremam illam syllabam ita describi, ut tantum litera *t* appareat, unde plurimi errores. *Pichena.* Et quid vetat sub prisca lectione, quia

milites, & patibulo adfixi. Olennius infensos fuga prævenit, receptus castello [1] cui nomen *Flevum:* & haud spernenda illic civium sociorumque manus litora Oceani præsidebat. 73 Quod ubi L. Apronio [2] inferioris Germaniæ proprætore cognitum, vexilla legionum è superiore provincia, peditumque & equitum auxiliarium delectos accivit: ac simul utrumque exercitum Rheno devectum, Frisiis intulit; [3] soluto jam castelli obsidio, & ad sua tutanda digressis rebellibus. Igitur proxima æstuaria aggeribus & pontibus, traducendo graviori agmini firmat. atque interim repertis vadis, [4] alam Caninefatem, & quod peditum Germanorum inter nostros merebat, circumgredi terga hostium jubet: qui jam acie compositi [5] pellunt turmas sociales, equitesque legionum subsidio missos. Tum tres leves cohortes; ac rursum duæ; dein tempore interjecto, [6] alarius eques immissus. satis validi si simul incubuissent; per intervallum adventantes, neque constantiam addiderant turbatis, & pavore fugientium auferebantur. Cethego Labeoni legato quintæ legionis, quod reliquum auxiliorum tradit; atque ille dubia suorum re, in anceps tractus, missis nuntiis vim legionum implorabat. prorumpunt quintani ante alios, & acri pugna hoste pulso, recipiunt cohortis alasque fessas vulneribus. Neque dux Romanus ultum iit, aut corpora humavit; quamquam multi tribunorum præfectorumque & [7] insignes centuriones cecidissent. Mox compertum à transfugis, nongentos Romanorum apud lucum, quem *Baduhennæ* vocant, pugna in posterum extracta, confectos; & aliam quadringentorum

rum

quia non subveniebat, subintelligi, ipse Olennius, qui agnoscens hanc difficultatem debuit precibus Frisiorum moveri, ac denique temperare & in mollius flectere. Hoc est *subvenire*, ut Agrippina antea precabatur principem, *subveniret solitudini*. Hinc scripturam, quæ est in MS. restituendam Tacito judicavi. Adhuc enim in Frisia erat Olennius, nec excessit, nisi postquam Frisii despondentes arripuerunt arma. *Jac. Gronovius.*

1 *Cui nomen Flevum*] Scribo in libris Histor. *Lipsius.*

2 *Inferioris Germaniæ proprætori*] Leg. *Proprætore*. Ursinus. *Proprætoris* nomen hic non proprie, & ex antiquæ reip. usu, sed longe aliter accipi debere, Dio nos docet lib. 53. Post divisionem nimirum provinciarum, eos quidem qui in publicas mitterentur ἀνθυπάτους καλεῖσθαι, *proconsules* esse vocatos; qui vero in Cæsaris, ἀντιστρατήγους, *proprætores:* quacunque tandem dignitate fuissent electi. Prolixe & accurate hæc exponit Savil. ad H. 1: 8. *Freinshemius.* Habet autem clare unicus codex *Proprætore*, ut edidit Beroaldus, nec debuit mutari. *Jac. Gronovius.*

3 *Soluto jam castello obsidio*] Lego, *soluto jam castelli obsidio*, sicque castigavi. *Rhenanus.*

4 *Alam Caninefatem*] Cujus mentio Vulsiniis in lapide: PRÆF. EQVITVM. ALÆ. PRIMÆ. CANNANEFATVM. *Lipsius.*

Canninefatem] Mireris, cur Lipsius, quum sic ex lapide viderit appellationem istam scriptam fuisse, non eandem vel inde teneat, vel ex antiquioribus editis restituat. Nam quum Beroaldus dedisset *Caninefatem*, Aldus & Frobenius integre ediderunt *Canninefatem*, ut est omnino etiam in codice MSto. Alii potuerunt aliter & per duo n, non per tria scribere. Tacitus ita censuit. *Jac. Gronovius.*

5 *Pelluntur, turmas sociales*] Reposui, *pellunt turmas sociales*. Rhenanus. Id quidem hostile est. Tu lege *pellunt vi turmas sociales*. Sic est in MS. *Jac. Gronovius.*

6 *Acrius eques immissus*] Meo periculo obtinui, ut excuderetur, *alarius eques immissus*. Igitur equitum alariorum apud nostrum, ne longius abeamus, quam instituti nostri ratio patitur, crebra mentio, ut 3, 39. 12, 27. 13, 35. *Alarius eques* opponitur equitibus legionum, qui Romani erant, cum alares essent ex auxiliis, & ex citato loco 13, 35. discas singulis legionibus fuisse suos alarios equites, sicut & cohortes ex sociis. Erant autem & aliæ sociales alæ, quæ ex usu temporum huc illuc mearent, qualis illa Caninefas, de qua supra paulo mentio. Hic igitur est eques iste alarius, qui & infra comprehenditur, nostram sententiam confirmantibus verbis: *recipiunt cohortis alasque fessas vulneribus.* plures ergo hic alæ quæ nusquam comparent, nisi legas ut indicavimus. Quod de discrimine *alariorum* & *legionariorum* equitum dictum est, confirmatur etiam apertissimo testimonio Livii 35, 5. *Ad perturbandos ordines eorum C. Livium Salinatorem, qui præerat alariis equitibus, quam concitatissimos equos immittere jubet: legionarios equites in subsidiis esse.* Antea legebatur apud Tacitum, *acrius eques:* quæ res, ut necesse erat in lectione vitiosa, diversas interpretationes peperit. *Freinshemius.*

7 *Insignes centuriones*] Sine dubio sunt, quos ali-

bi

rum manum, occupata Cruptoricis quondam stipendiarii villa, postquam proditio
74 metuebatur, mutuis ictibus procubuisse. Clarum inde inter Germanos Frisium nomen: dissimulante Tiberio damna, ne cui bellum permitteret. Neque senatus in eo cura, an imperii extrema dehonestarentur: [1] pavor internus occupaverat animos, cui remedium adulatione quærebatur. Ita quamquam [2] diversis super rebus consulerentur, *aram Clementiæ*, *aram Amicitiæ*, *effigiesque circum Cæsaris ac Sejani censuere:* crebrisque precibus efflagitabant, *visendi sui copiam facerent*. Non illi tamen in urbem, aut propinqua urbi digressi sunt: satis visum, omittere insulam, & in proximo Campaniæ adspici. eo venire patres, eques, magna pars plebis, [3] anxii erga Sejanum; cujus durior congressus, atque eo per ambitum, & [4] societate consiliorum parabatur. Satis constabat auctam ei adrogantiam, fœdum illud in propatulo servitium spectanti. quippe Romæ, sueti discursus; [5] & magnitudine urbis incertum, quod quisque ad negotium pergat: ibi campo aut litore jacentes, nullo discrimine noctem ac diem, juxta gratiam aut fastus janitorum perpetiebantur. [6] donec idque vetitum. & revenere in urbem trepidi, quos non sermone, non visu dignatus erat:
75 quidam [7] male alacres, quibus infaustæ amicitiæ gravis exitus imminebat. Ceterum Tiberius

bi vocat *primorum ordinum*. Non enim quosvis virtute præstantes, ut plerique interpretantur: neque, ut non nemo, *insignes* commune omnium epitheton est; tribunorum, inquam, præfectorum & centurionum. Sed Tacitus his postremis unis adtribuit: nec sine causa, quo videlicet non quivis, sed honoratissimi, quique tribunis & præfectis quodammodo adæquari possunt, intelligerentur. ut *insignes* non tam ad virtutem cujusque, quam locum atque ordinem referendum sit. *Idem.*

1 *Pavor internus*] *Internus* opponitur *extremis* hoc loco: estque exortus intestinis periculis. neque debet omitti cum nonnullis hoc vocabulum: omnis enim pavor animos occupat; sed non de quocunque, verum interno tantum, agebat hoc loco Tacitus. *Idem.*

2 *Diversis super rebus*] Hoc est, aliis, quæ nihil commune habebant cum decretis, quæ deinceps fecerunt. Alio sensu, *diversa res* dicuntur, quæ inter se differunt, nullo respectu ad quamcunque illarum numero non comprehensam, habito. *Idem.*

3 *Anxii erga Sejanum*] Non erga Cæsarem, quem tum minus verebantur, cujusque facilior erat congressus. *Idem.*

4 *Societate consiliorum*] Non videntur recte interpretari hæc verba. Sed quomodo societas consiliorum cum Sejano iniri potuit ante congressum? nam de hoc parando hic agitur. Intelligitur itaque *societas consiliorum*, quam alii, hominis illius convenïendi cupidi, ut hoc adsequerentur, inter se coibant: qui nimirum paciscerentur, ut qui prius admissus esset, operam daret, quo reliquorum etiam ratio haberetur &c. Vopiscus in Aureliano cap. 42. *Colligunt se quatuor vel quinque, atque unum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt.* De ejusmodi societate consiliorum accipiendum est & τὸ συνεπιβουλεύειν apud Dionem 45, 2, 15. loco perdifficili, de quo fortassis aliquando in notis ad illum scriptorem: quando præsens institutum tam prolixam digressionem, qualem excutiendus ille postularet, non patitur. Vide Sam. 2, 1. Sejani multo difficilior erat adisus, atque eo multo ambitu cutaque, &, veluti magnæ molis negotium, collatis mixtisque plurium inter se consiliis, procurabatur. *Framshemius.* Chimæra πολιτικὴ satis ingeniosa. At mihi *per ambitum & societate consiliorum* est familiaris ejus prensando & conscientia atque opera ad illa, quæ identidem machinabatur. Neque enim *consiliorum* vocabulo accipio tantum illam summam consiliorum omnium de invadendo imperio, sed quævis vel directo vel per cuniculos eo ducentia cœpta; immo & nonnulla huc proprie non tendentia & in quibus odio interdum solummodo aut libidini, ut solent potentiæ impotentes, indulgebat. Sed, inquit, quomodo societas consiliorum iniri potuit ante congressum? Quasi scelerum ministris & pretiosis emptoribus desint proxenetæ, parari, sequestres, commendatores. Ne longius abeamus, Firmius Catus & Tiberius societatem coierunt perdendi Scribonii Libonis citra congressum l. 2. ann. 28. Suetonius Othone: *Ac primo quinque speculatoribus commissa est res: deinde decem aliis, quos singuli binos produxerant.* Et plenæ aulæ, immo vita omnis, mirificis inter absentes, ignotos antehac, aut etiam invisos, sociandorum consiliorum viis. *Gronovius.*

5 *Magnitudine urbis*] Scripsimus *magnitudine urbis.* Hoc est propter magnitudinem urbis. *Rhenanus.*

6 *Donec idque vetitum*] *Que*, pro eo, quod est, *quoque:* quasi, *Id quoque vetitum.* Ferrettus. Lege, *donec id quoque vetitum.* Muretus.

7 *Male alacres*] Hoc est, perperam, stulte, sine causa: plane sicut apud Virg. 6, 278. *mala gaudia.* Ovid.

Tiberius neptem Agrippinam Germanico ortam, cum coram Cn. Domitio tradidisset, in urbe celebrari nuptias jussit. In Domitio super vetustatem generis propinquum Cæsaribus sanguinem delegerat. nam is [1] aviam Octaviam, & per eam Augustum avunculum præferebat.

Ovid. de arte 3, 699.
Conjugis ad timidas aliquis male sedulus aures
Auditos memori detulit ore sonos,
Male sedulus, hoc est, quum esse non oporteret, perverse sedulus. Alia significatio est, qua *male* ponitur pro parum, non satis, ut Flor. 3, 21. *male obrutum incendium*, ubi plura exempla in Indice. Sed ea huic loco minime convenit. *Freinshemius.*

1 *Aviam Octaviam*] Quia filius L. Domitii ex Antonia majore. Antonia autem ex Octavia & M. Antonio nata. Avunculus ergo major illi Augustus. Est autem hic Domitius, qui pater Principis Neronis. *Lipsius.*

Tt 2 C. COR-

C. CORNELII TACITI

AB

EXCESSU DIVI AUGUSTI

ANNALIUM

LIBER QUINTUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Livia Augusta moritur: eóque Sejani potentia crescit. Agrippina & Nero Principis litteris accusantur. Nec multò post Sejanus ipse, detectâ cupidine imperii, pervertitur: cum magnâ amicorum ejus strage. (Quæ omnia Tacito singillatim tradita ævum abolvit.) Falsus apud Cycladas Drusus se ostendit. sed diligentiâ & astu Poppæi Sabini capitur. Hæc gesta annis circiter tribus.

C. RVBELLIO GEMINO. C. FVFIO GEMINO.
M. VINVCIO QVARTINO. C. CASSIO LONGINO. } Coss.
TIBERIO CÆSARE V. L. ÆLIO SEIANO.

I [1] Rubellio & Fusio consulibus, quorum utrique Geminus cognomentum erat, [2] Julia Augusta mortem obiit, [3] ætate extrema, nobilitatis per Claudiam familiam, & adoptione [4] Liviorum Juliorumque clarissimæ. Primum ei

COMMENTARIUS.

1 Rubellio, & Fusio Cos.] C. Rubellio Gemino, & C. Fufio Gemino, (sic enim leg. est, non *Fusio*) Cos. His Coss. observavi baptizatum à Joanne Christum Dominum. *Muretus.* De quibus loquitur Tertullianus adversus Judeos, uti & Lactantius lib. 4. Instit. traditque his Coss. Christum Salvatorem passum, id est, Tiberii 16. Christi 33. anno, quod Divus Augustinus sequutus est cap. ult. libr. 18. de Civitat. Dei. Licet alii alia sentiant. *Aurelius.*

2 *Julia Augusta mortem obiit*] De cujus vitæ annis dissensus est scriptorum. Plinius lib. XIV. cap. VI. annos ei tribuit LXXXII. *Julia*, inquit, *Augusta LXXXII. annos vita Pucino retulit acceptos, non alio vino usa.* At Dio: Ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ, ait, ἡ Λιουία μετήλλαξεν, ἓξ καὶ ὀγδοήκοντα ἔτη ζήσασα. Sed labor, ut Plinium è Dione corrigendum censeam. *Lipsius.*

Julia Augusta mortem obiit] Livia, quæ postea *Julia*, mater Drusi, qui fuit pater Germanici. Agrippina autem matrem habuit Juliam, Augusti filiam. *Muretus.*

3 *Ætate extrema*] Octoginta sex annorum. Dio. Male apud Plinium est 82. lib. 14. cap. 6. ubi & male puto legi *Pictano*, & legendum *Pycino.* ut sit vinum Pycinum; quod nascitur in colle saxeo, in quo positum est Tergeste, hodie *Ribollam* vocant. Hic differendum esset, cur mulieres minus diu vivere soleant, quam viri. Longævarum mulierum exempla leges apud Plin. 7, 48. *Idem.*

4 *Liviorum Juliorumque*] Duas ergo familias complexa per adoptionem Livia. Ipsa enim è Claudiis, unde & cognomen tenuit Drusillæ. Sed pater ejus insertus adoptione in Livios, quod hîc Tacitus voluit dictum. Nec aliter accipies quod scriptum extremo libro sexto: *Quamquam mater in Liviam,* & *mox*

ei matrimonium & liberi fuere [1] cum Tiberio Nerone, qui bello Perusino profugus, pace inter Sex. Pompejum ac triumviros pacta in urbem rediit. Exin Cæsar cupidine formæ aufert marito, incertum an invitam, adeo properus, ut ne spatio quidem ad enitendum dato, penatibus suis gravidam induxerit. Nullam posthac subolem edidit: sed [2] sanguini Augusti per conjunctionem Agrippinæ & Germanici adnexa, [3] communes pronepotes habuit. Sanctitate domus priscum ad morem, [4] comis ultra quam antiquis feminis probatum, [5] mater impotens, [6] uxor facilis, & [7] cum artibus mariti, simulatione filii bene composita. Funus ejus modicum, testamentum

& mox Juliam familiam adoptionibus transierit. Non enim ipsa, sed pater: cui nomen apud Vellejum, Livius Drusus Claudianus. Vocat simpliciter Dio libro XLVIII. Livium Drusum: & cum à Bruto stetisset, post pugnam Philippensem manus ait adtulisse sibi. Clara hæc è Suetonio, in Tib. cap. III. *Ex hac stirpe Claudia Tiberius Cæsar genus trahit, & quidem utrumque: paternum à Tiberio Nerone, maternum ab Ap. Pulchro: qui ambo Appii Cæci filii fuerunt. Insertus est & Liviorum familiæ adoptato in eam materno avo.* Ad quæ verba tamen interpretes connivent. *Lipsius.*

1 *Cum Ti. Nerone*] Hic Cæsaris Dictatoris Quæstor fuerat, Alexandrino bello classi præpositus, plurimum ad victoriam contulerat. Mortuo tamen Cæsare censuit referendum de præmiis τυραννοκτόνων. L. Antonium Perusiam secutus, deditione facta, solus in partibus mansit. Profectus ad Sext. Pompejum, deinde ad M. Antonium transiit, cum quo Romam rediit. Sueton. *Muretus.*

2 *Sanguini Augusti*] Nam Germanicus Druso ortus. Liviæ sanguis: Agrippina, ex Julia sanguis Augusti. *Lipsius.*

3 *Communes pronepotes*] Qui nati essent ex Germanico filio, Liviæque nepote, & ex Agrippina Juliæ filia, Augustique nepte. *Vertranius.*

4 *Comis ultra quam*] Fuit hæc Livia insigni prudentia, & animo maximo. Vide Senec. lib. 1. de Clement. 9. & Consol. ad Marciam; Macrob. l. 2. Saturn. cap. 5. *Muretus.*

5 *Mater impotens*] Sup. lib. 1. de eadem impotentia muliebri. *Ferretus.* De impotentia Suet. Tib. 50. *Matrem Liviam gravatus velut partes sibi æquas potentiæ vindicantem.* Noster l. 1. ann. *Accedere matrem muliebri impotentia.* Dio lib. 6. καὶ διὰ τοῦτο οὐχὶ ἴσον ἐξ ἴσου οἱ ἄρχειν, ἀλλὰ καὶ πρεσβεύειν αὐτοῦ ἤθελεν. i. & ob id non solum ex æquo cum eo imperare, sed etiam potiores eo partes habere volebat. *Salmerius.* Et sane magna erat Romanorum auctoritas in liberos, magna etiam in viros. At vero de illa impotentia Suet. cap. 51. *Hos & custoditos tam diu, & exprobratos tam manifeste adeo graviter tulit, ut quidam putent inter causas secessus, hanc ei vel præcipuam fuisse.* Est & vestigium hujus impotentiæ in Claud cap. 3. *Avia Augusta pro despectissimo semper habuit: non affari, nisi rarissime; non monere, nisi acerbo & brevi scripto, aut per internuntios solita.* Aurelius. Non videntur mihi cepisse mentem Taciti. Non enim ei *mater impotens* indulgens juri materno in liberos & id extendens, quod Romæ parvum aut nullum erat: sed indulgens στοργῇ & studio potentiæ filii, cui adversus domum mariti, & adversus rempublicam, & adversus nepotem ex modestiore filio, omni bono maloque modo favit ac servivit. Prorsus ut hic idem sit *mater impotens*, quod lib. 1. *gravis in rempublicam mater, gravis domui Cæsarum noverca.* Gronovius.

6 *Uxor facilis*] Nemo melius explicaverit, quam ipsa Livia. cujus hoc inter apophthegmata Dio recenset: *Interrogante quodam, qua ratione & arte Augustum ita sibi devinxisset, ac pæne subjecisset? respondit:* Ὅτι αὐτή τε ἀκριβῶς σωφρονοῦσα, καὶ πάντα τὰ δοκοῦντα αὐτῷ ἡδέως ποιοῦσα, καὶ μήτε ἄλλο τι τῶν ἐκείνου πολυπραγμονοῦσα, καὶ τὰ ἀφροδίσια αὐτοῦ ἀθύρματα μήτε διακούουσα, μήτε αἰσθάνεσθαι προσποιοῦσα: *Ipsa eximie pudica & sobria; omnia ejus mandata alacriter obiens; neque in facta ejus alia inquirens, minime autem in lusus amatorios eosque dissimulans.* En facilitatem. *Lipsius.*

Uxor facilis] De facilitate Suet. Aug. 71. Neque enim ulla feminarum (nisi Livia) stupris mariti se ministram præbuisset. *Salmerius.*

7 *Cum artibus mariti*] Quapropter Augusta utens adversus maritum simulatione, qua filius adversus omnes utebatur, graphice dicitur: *bene composita cum artibus mariti. Artes*, designant aliquando virtutum, aliquando flagitiorum studium. Virtutis hæc sunt. Sallust. Jugurt. *Si permanere vellet in suis artibus, ultro illi & gloriam, & regnum venturum.* Nequitias hæc indicant. Plaut. Mercat. *Temperare istac ætate istis decebat te artibus.* Salinerius. Ego dubito an potius sit sensus: eam modum quendam ac temperamentum inter artes Augusti, simulationemque Tiberii, adhibuisse, adeo ut cum utroque bene composita, potentiam & auctoritatem apud ipsos conservaverit. *Pichena.* Id est, bene edocta, facta & formata non modo ad artes Augusti mariti, quæ certe magnæ fuerunt ad capessendum & retinendum imperium, sed etiam quæ Tiberii filii simulationes adjiceret; miras hercle, & vix credibiles. *Aurelius.* Aut anguste aut laxe nimis. Interpretor: & marito, cui erat difficile probari & bene comparatum haberi sive ipsi sive per famam ob magnas multiplicesque, interdum ambiguas, sæpe bonas ejus artes; & filio quem dissociabilem & molestum seddebat tecta & obscura natura, unice respon-

mentum diu irritum fuit. laudata est pro rostris à [1] C. Cæsare pronepote, qui mox
2 rerum potitus est. At Tiberius [2] quod supremis in matrem officiis defuisset, nihil
mutata amœnitate vitæ, *magnitudinem negotiorum* per litteras excusavit: honoresque
memoriæ ejus ab senatu large decretos, quasi per modestiam imminuit, paucis admodum receptis, & addito [3] *ne cælestis religio decerneretur; sic ipsam maluisse.* quin & parte ejusdem epistolæ increpuit *amicitias muliebres*, Fufium consulem oblique perstringens. is gratia Augustæ floruerat, aptus alliciendis feminarum animis; dicax idem, & Tiberium acerbis facetiis [4] irridere solitus, quarum [5] apud præpotentes in
3 longum memoria est. Ceterum ex eo [6] prærupta jam & urgens dominatio. nam incolumi Augusta, erat adhuc perfugium, quia Tiberio inveteratum erga matrem obsequium;

respondens, conveniens, digna visa, & quasi à fatis lecta, quæ utrumque, quantum erat salubre, temperaret. *Gronovius.*

1 *Cæsare pronepote*] Suet. in Cal. *Comitatus est patrem & in Syriacam expeditionem. Unde reversus primum in matris, deinde ea relegata in Liviæ Augustæ proaviæ suæ contubernio mansit: quam defunctam prætextatus etiam pro rostris laudavit.* Muretus.

2 *Quod supremis*] Eam ægrotam ne inviserat quidem Dio lib. 58. *Idem.*

3 *Cælestis religio*] Quam tamen postea ei tribuit Claudius, effigie ejus in templo Augusti consecrata, sacrisque, quæ Vestales facerent, institutis: edicto etiam, ut per nomen ejus feminæ jurarent. Dio lib. LX. & Suetonius cap. XI. Claudii Exstant Nummi, DIVVS. AVGVSTVS. PATER. caput radiatum, ara ante pedes: parte aversa S. P. Q. R. DIVÆ. IVLIÆ. AVGVSTI. FIL. carpentum, cui subjuncti duo muli. Nec dubito, quin consecrata hæc Julia habitu & nomine Junonis. Prudentius,

Adjecere sacrum fieret quo Livia Juno,
Non minus infamis thalami sortita cubile,
Quam cum fraterno caluit Saturnia lecto.

Quamquam eo nomine adfecta à poetis etiam viva. Ovidius:

Cum tibi contigerit vultum Junonis adire.

Ut autem Livia habitu Junonis, sic Drusilla à Cajo consecrata Veneris, cognomento Pantheæ. Auctor Dio LIX. Quo refero inscriptionem priscam,

VENERI. CÆLESTI
AVGVSTÆ. SACR.
NVMMIA. C. F. DORCAS
S. P. F. C. *Lipsius.*

Ne cælestis religio decerneretur] Sic lib. 1. Ann. 11. *Sepultura more perfecta, templum, & cælestes religiones decernuntur.* Neque aliud sibi vult inscriptio numismatum *RELIG. AVG.* quam antiquarii perperam ad alia omnia trahunt, quam ad consecrationem. Sic & Tacit. lib. 6. Ann. c. 50. *Decimo septimo Calend. Aprilis interclusa anima, creditus est mortalitatem explevisse:* tanquam diceret, nihil reliquum fuisse deinde, quam ut divus fieret decreto Senatus atque heredis; hoc est cœlesti ornaretur religione. *Gruterus.* Vide etiam ad hunc locum Reinesium 1. Variar. cap. 21. & Rupertum Epist. 35. pag. 220. Rursusque Reinesium Epist. 36. pag. 267.

4 *Irridere solitus*] De morte ejus & Publiæ Priscæ uxoris, lege Dionem: in quo male *C. Geminus Rufus*, pro quo reponendum, *C. Fufius Geminus*, ut dixi. *Muretus.* Sic noster de Vestino. *Sæpe asperis facetiis illusus, quæ ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt.* Aurelius.

5 *Apud præpotentes*] Vera sententia & forte lectio. Ego tamen suspicabar, *apud ira potentes.* qualis certe Tiberius. Curtius lib. 4. *Non tenuit iram Alexander; cujus alioqui potens non erat.* lib. 4. histor. Tacit. *Nuptias suas abnuentem impotens amoris interfecerat.* Ubi tamen & *impatiens* poterat legi. Ut Suet. Calig. 24. *Impatientem mœroris* dicit. *Acidalius.*

6 *Prærupta & vergens*] Ita reposui & intellego, cadentem aut præcipitem: non ultra in statu. Vulgo *urgens*, quod sævum explicant, nescio quo exemplo. *Lipsius.*

Prærupta jam & urgens] Aspera & imminens capitibus ac cervicibus civium dominatio. Porro legendum est *vergens*, ut alii quoque annotarunt. *Muretus.* Tiberius mortua matre violenter dominabatur: ea enim est vis, *τὸ urgens.* Cui respondet, *dominatio remissa.* Is antea inter bona malaque mistus; matri vero superstes *intestabili sævitia* omnium capitibus imminebat: nec effugere dabatur, quod ea viva sæpius acciderat. Vellej. lib. 2. *Cujus potentiam nemo sensit, nisi aut levatione periculi, aut accessione dignitatis.* Salinerius. Mihi potior prisca lectio. Nam *vergens dominatio* dicitur, quando Principis potentia ab ipso culmine declinare incipit, ac paulatim infringitur. at non ea hic Tacito mens. Immo, Tiberium, dum mater vixerit, mitem atque exorabilem aliquando fuisse, propter inveteratum erga illam obsequium, ad quam miseris adhuc erat perfugium. Sed matre defuncta, velut frenis exsolutus, prorupit: ideoque *prærupta, & urgens* ipsius dominatio, id est sævior, ac violentior. *Pichena.* Recte sane. Sed quærit Lipsius, quo exemplo? Satis est exemplorum, modo absit captio. *Urgens* est premens, gravis, onerosa, injusti jugi aut oneris. Qua re? nempe ob sævi-

ſequium; neque Sejanus audebat auctoritati parentis anteire. tunc [1] velut frenis exſoluti proruperunt: miſſæque in Agrippinam ac Neronem litteræ, quas pridem [2] adlatas & cohibitas ab Auguſta credidit vulgus. haud enim multum poſt mortem ejus recitatæ ſunt. verba inerant quæſita aſperitate: ſed non arma, non rerum novarum ſtudium; *amores juvenum, & impudicitiam* nepoti objectabat. in nurum ne id quidem confingere auſus, *adrogantiam oris & contumacem animum* incuſavit, magno ſenatus pavore ac ſilentio: donec pauci, quis nulla ex honeſto ſpes, (& publica mala ſingulis in occaſionem gratiæ trahuntur) *ut referretur* poſtulavere, promptiſſimo [3] Cotta Meſſallino cum atroci ſententia: ſed aliis à primoribus, maximeque à magiſtratibus trepidabatur: quippe Tiberius, etſi infenſe invectus, cetera ambigua reliquerat. Fuit in ſenatu Junius Ruſticus, [4] componendis patrum actis delectus à Cæ- 4
ſare, [5] eoque meditationes ejus introſpicere creditus: is fatali quodam motu (neque enim ante ſpecimen conſtantiæ dederat) ſeu prava ſolertia, dum [6] imminentium oblitus incerta pavet, inſerere ſe dubitantibus ac monere conſules *ne relationem inciperent:* diſſerebatque, *brevibus momentis ſumma verti poſſe*, [7] *quandoque germanicis titium pænitentia ſenis.* Simul populus effigies Agrippinæ ac Neronis gerens, circumſiſtit curiam,

ſævitiam & violentiam. Varro: *Qui poto plus, urget.* Juſtinus 22. *Nec enim moraturos in ejus obſidione hoſtes, cum ſua urgeantur.* id eſt, vexentur, male habeantur, in periculo ſint. *Gronovius.*

1 *Velut frenis exſoluti*] Sejanus magis etiam ὑψοῦται. Decretum, ut natalis ipſius publice celebraretur. Statuæ innumerabiles poſitæ. A ſingulis ordinibus, ut ad Tiberium, ſic ſeorſum ad ipſum miſſæ legationes. Per Genium utriuſque jurabant. Vide Sueton. Senecam alioſque. *Muretus.*

2 *Adlatas & cohibitas*] Malo, *ſed.* Acidalius.

3 *Cotta Meſſallino*] Qui libro ſuperiori *cavendum cenſuerat, ut,* &c. cap. 20. qui hoc libro dicitur, *ſæviſſimæ cujuſque ſententiæ auctor.* Muretus.

4 *Componendis patrum actis*] Duplicia Acta reperio, Senatus, Populique. Acta Senatus alio nomine, Commentarii Senatus, Tacito lib. xv. Acta populi, alias Diurna, alias Publica. Dixi diſtincte de utriſque, quia confundi video non à juventute, ſed & à doctis: dixi, inquam, in EXCVRS. A. *Lipſius.*

5 *Eoque meditationis ejus*] Scripſi, *meditationes.* Rhenanus.

6 *Imminentium oblitus*] Mali præſentia & pericula negligit, præ futuris. Plus ſcilicet timebat ab heredibus, quos deſtinabat, quam à Tiberio. *Idem.*

7 *Dandumque interſtitium*] In Florentino: *quandoque Germanicis ſtitium pænitentiæ ſenis.* Poſſet elici: *dandumque Germanicis, interſtitium* (ſive placet *ſpatium*) *pænitentiæ ſenis.* Suadebat iſte, ſaltem vel Germanicorum memoriæ magnæ (Druſi avi, & filii, qui pater aut maritus horum) Germanicorum, inquam, memoriæ hoc largiendum, ut ſpatium eſſet pænitentiæ ſenis. Poſſe enim illum ad bonam mentem redire, ſi tempus medium eſſet, nec juſſio ejus ſtatim patraretur. Sane aliquid de Germanicis fuit: etſi locus fortaſſe non plenus. *Idem.*

Dandumque interſtitium] Qui locum ſic emendavit, nodum ſcindere, non ſolvere voluit: nimis enim aberravit à ſcriptura veteri, quæ corruptiſſime habet: *quandoque Germanicis titium pænitentiæ ſenis:* Retuli, ſi forte aliquid melius acutiora ingenia excogitare valeant. *Pichena.* Noli dubitare, quin dixerit Ruſticus, & ſcripſerit Tacitus; *dandumque Germanico interſtitium pænitentiæ ſenis.* Hoc Germanico, optimo Principi, debemus, ut priuſquam atrocius quid in ejus conjugem Agrippinam, in filium Neronem ſtatuamus, relinquamus interſtitium pænitentiæ moroſi & nimium præcipitis ſenis Tiberii. Lipſius malebat; *Germanicis.* Contra Taciti morem. Tiberius ann. 3. *Id ſolum Germanico ſupra leges præſtiterimus, quod in curia potius, quam in foro, apud Senatum, quam apud judices, de morte ejus anquiritur.* Boxhornius. Poſſet videri dixiſſe aliquid, ſi ex tribus prioribus vocibus confirmari poſſet vel unam Taciti eſſe; ſed quum ſint univerſæ Rhenani, remotæ ab unico MS. libro, ſequor Cl. Ryckium, ut omnino expellendæ ſint ex contextu, quem violant, nec auſus fuit Ruſticus ita loqui de Germanico, præſertim ut explicat Boxhornius: alius erat Tiberius in loco libri 3. alium diem nunc induit. Id non intelligo, cur aſteriſcum poſuerit Vir Cl. ante τῷ *quandoque*, quum in MS. rite conjungantur & procedant. Sed & quum *Germanicis* ſcribit majuſcula prima litera, atque etiam ſic *Titium*, ſequitur Beroaldum, ſed non ita legitur in MS. unde mutavi. Inſuper poſt eas quinque aperit largum vacuum, quod ipſum Beroaldus fecit quoque. Id negligit Pichena. Nec frater obſervavit, & forſan omnia ſunt bene plena. Ulterius progredi an mihi liceat neſcio: certe Ryckius in tanto periculo ſe continuit, etſi nihil inde boni ad Taci-

riam, [1] festisque in Cæsarem ominibus, *falsas litteras, & principe invito exitium domui ejus intendi* clamitat. ita nihil triste illo die patratum. ferebantur etiam sub nominibus consularium fictæ in Sejanum sententiæ, exercentibus plerisque per occultum, atque eo procacius, libidinem ingeniorum. unde illi ira violentior, & materies criminandi: *spretum dolorem principis* [2] *ab senatu; descivisse populum, audiri jam & legi novas conciones, nova patrum consulta; quid reliquum, nisi ut caperent ferrum?*
5 *& quorum imagines pro vexillis secuti forent, duces imperatoresque deligerent?* Igitur Cæsar repetitis adversum nepotem & nurum probris, increpitaque per edictum plebe, questus apud patres, *quod fraude unius senatoris imperatoria majestas elusa publice foret; integra tamen sibi cuncta* postulavit: nec ultra deliberatum, quo minus non quidem extrema decernerent, id enim vetitum, sed *paratos ad ultionem* [3] *vi principis im-*
6 *pediri* testarentur. [4] Quattuor & quadraginta orationes super ea re habitæ, ex quis ob

Tacitum, cujus hæc rudera lacrimas extorquent. *Jac. Gronovius.*

1 *Festisque in Cæsarem ominibus*] Placeret magis: *Faustisque in Cæsarem ominibus.* Ursinus. Ego nihil mutu: nam fere eodem sensu, l. XII. in fine, ait: *festis vocibus exceptus.* Pichena. Sane melius *faustisque.* Nec id lib. I. *faustis in Germanicum ominibus*, mutari à Lipsio velim, qui mavult *nominibus.* Etiam in Suetonii loco Calig 13. quem Lipsius adfert, non *nomina*, sed *omina* legendum. At dubito etiamnum de illo lib. XII. loco, ad finem, *Ubi monente præfecto, festis vocibus exceptus, inditur lecticæ.* Dubitu inquam an & hic *faustis* potius scribendum. Petrus Faber ubique in Tacito *faustis* legendum censet: & multa multurum similia loca congerit & corrigit lib. de Magistratu Romano. Sed Lucan. lib. 3. *Non omina festa Non fictas læto voces simulare tumultu.* Acidalius.

2 *Ab Senatu*] Distingue contra vulgus, *spretum dolorem principis ab Senatu, descivisse populum.* Lipsius.

3 *Vi principis impediri testarentur*] Malum tuum, Corneli, fatum! Non paginæ aliquot sed libri hic perierunt, quibus gesta fere triennii continebantur, de Agrippinæ liberumque ejus exitu, de Sejani spe conatuque, de ejusdem cum agmine amicorum strage, de Liviæ flagitiis & morte. ad summam, flos quasi historiæ tuæ. Adeo bonis illis patribus cura otiumque fuit describere Orosios & Vopiscos, & hujusmodi quisquilias, præ tuo auro. *Idem.*

Vi principis impediri testarentur] Desiderantur reliqua actorum hujus anni, in queis, quemadmodum Agrippina in insulam Pandatariam relegata sit, Nero in Pontiam; ubi uterque eorum interfectus est jussu Tiberii. Auctor Sueton. in Caligula. Desiderantur & acta insequentis anni, quo M. Vinicius, L. Cassius Cos. fuerunt; quorum uterque postea Tiberii progener fuit, ut postea dicetur. Tum ut Sejanus eo usque creverit, ut Tiberius vulgo insulæ Præfectus, Sejanus pro Imperatore haberetur: quem jam Tiberius metuens, neque aperte adoriri ausus, Consulem secum designavit, & ad Senatum scribens, Sejanum suum, suarum curarum participem, nominabat. Iniit consulatum Tiberius absens, Cal. Januarii, sine collega. Sejanus autem collega ab eo adscitus, Calend. Febr. in urbem venit, consulatumque auspicatus est. Consules una fuere ad Idus Majas. Toto illo tempore Sejanus non Consulatus, sed imperii collega habebatur. Idibus Maji, suffecti in eorum locum C. Memmius Regulus, Fulcinius Trio. Hic ex Sejani clientela: ille non tam à Sejano alienus, quam ambiguus fidei, & privatis utilitatibus officium metiens. Tiberius interea explorandis Senatus in Sejanum animis, per epistolas modo eum laudibus tollere; interdum oblique perstringere; nonnunquam de eo contemptim loqui: &, ut advertit, quibus Sejani potentia minueretur, non aversis animis accipi, jamque plerosque reperiri, qui nutarent, confidentior factus, nonnullos è cultoribus ejus afflixit: quosdam quibus ille infensus erat, ornavit. Varie interea Sejani animus inter spem, & metum fluctuabat. nam & tam alte subvectus, ut paulum deesse videretur ad summum, non minus se Tiberio, quam Tiberium sibi metuendum esse ducebat: & fato nunquam securæ potentiæ, per scelera quæsitæ, terrebat simul timebatque. Nec minus suspensa civitas Sejano, neque tanto, ut prius, studio colere, neque tamen aperte ab eo desciscere audebat: infixa penitus in plerisque omnibus opinione, nihil sincerum esse Tiberii: nunquam voluntatem ipsius ita perspici posse, ut non immineret periculum, si qui præpropere obtemperassent. Multis jam exitiosum fuisse, quod de voluntate ipsius ac sententia, ex vultu ac verbis judicassent. *Muretus.*

4 *Quattuor & quadraginta orationes*] Quæ præeunt, gesta sunt Fufio & Rubellio Coss. initio anni: hæc autem C. Memmio Regulo & Fulcinio Trione. Ita interciderunt acta pleraque anni DCCLXXXII. acta omnia anni sequentis, quo Coss. M. Vinucius & L. Cassius. Item hujus anni, quo ex Kal. Maji suffecti Tiberio & Sejano Consules Regulus & Trio. *Lipsius.*

1 *Mihi*

ob metum paucæ. plures adſuetudine, * [1] *mihi pudorem aut Sejano invidiam allaturum cenſui.* *verſa eſt fortuna*, [2] *& ille quidem qui collegam & generum adſciverat, ſibi ignoſcit. ceteri quem per dedecora fovere, cum ſcelere inſectantur.* * *miſerius ſit* [3] *ob amicitiam accuſari, an amicum accuſare haud diſcreverim.* [4] * *non crudelitatem, non clementiam cujuſquam experiar, ſed liber & mihi ipſi probatus antibo periculum. Vos obteſtor*, [5] *ne memoriam noſtri per mærorem quam læti retineatis, adjiciendo me quoque iis, qui ſine egregio publica mala effugerunt.* [6] Tunc ſingulos ut 7
cuique adſiſtere, adloqui animus erat, retinens aut dimittens partem diei abſumpſit, multoque adhuc cœtu, & cunctis intrepidum vultum ejus ſpectantibus, cum ſupereſſe tempus noviſſimis crederent, gladio quem ſinu abdiderat incubuit. Neque Cæ-
ſar

1 *Mihi pudorem, aut*] 'Αποσπασμάτιον ex oratione cujuſpiam damnandi ob Sejanum, uti & ſequens membrum. *Idem.*

2 *Et ille quidem qui collegam*] Id quoque à M. Terentio ob amicitiam Sejani reo, dum ſe defenderet, Tiberio exprobratum infra l. 6. *Inſidias in remp. conſilia cædis adverſum Imperatorem, puniantur. de amicitia & officiis, idem finis & te Cæſar, & nos abſolverit.* Liberius adhuc Gætulicus ſuperioris Germaniæ legatus, Tiberio in eandem ſententiam ſcripſit, eodem lib 6. *Adfinitatem ſibi cum Sejano haud ſponte, ſed conſilio Tiberii cœptam: perinde ſe, quam Tiberium falli potuiſſe, neque errorem eundem, illi ſine fraude, aliis exitio habendum.* Pichena.

3 *Ob amicitiam accuſari, an amicum accuſare*] Quem non offendat *accuſandi* vocabulum bis hic repetitum? Non ita ſolet Tacitus. Semel illud, ſine cauſa à librariis repetitum expunge, & habebis ſententiam vere cæleſtem ac divinam: *Miſerius ſit ob amicitiam, an amicum accuſari, haud diſcreverim.* Cogita perſonam, ob accuſatum damnatumque amicum eadem calamitate, quod tunc frequentiſſimum fuiſſe paſſim notat auctor, circumventum, cui æque grave accidit, & amicum, & ſe ob amicitiam cum eo initam accuſari, ac ad ſupplicium peti. Exemplum proxime ſequitur. *Huic*, nempe Pomponio Secundo, *à Conſidio, Prætura functo objectabatur Ælii Galli amicitia* &c. Vide ergo hic, ac venerare ipſam indolem veræ & incomparabilis amicitiæ. *Boxhornius.* Nihil muto. *Accuſare amicum* eſt facere, quod illi, qui, quem per dedecora foverant, nunc inſectabantur; quod Satrius Secundus, ex emiſſario & ſatellite Sejani conjurationis index. Hi, modo ſic ſubterfugerent Tiberium ſævientem; neque ab ſeſe neque a vulgo pro *miſeris* habebantur. Ut & quivis improbi, quamdiu pœnam evitant. At hic noſter cum philoſophis *miſerum* cenſet & felix ſcelus: ac perinde *miſeros* dicit, qui prodendo fidem & ejurando amicum ſeſe tutantur, & qui, quod non inficientur amicitiam, in periculo verſantur. Scilicet, ut, cum utrimque miſerum ſit; hinc quia turpitudo adeſt, inde quia fulmen damnationis imminet, oſtendat, juſtius ſe conſilium cepiſſe, forti, ut illi putabant, exitu hoc anceps evadendi. *Gronovius.*

4 *Non crudelitatem*] Magni animi voces, vel abrupti. & ſimiles a Vibio Virio prolatæ, quem Livius ſuâ manu moriturum ita loqui facit, lib. XXVI. *Cruciatus contumeliaſque, quas ſperat hoſtis, dum liber, dum mei potens ſum, effugere morte præterquam honeſta, etiam levi, poſſum.* Lipſius.

5 *Ne memoriam noſtri*] Eſt hoc ἀποσπασμάτιον egregiæ & conſtantiſſimæ, ut ex his reliquiis apparet, orationis. Sed nec integræ ſunt hæ reliquiæ; quarum graviſſimæ tamen ſententiæ debuimus emendatricem hanc manum: *Non crudelitatem, non clementiam cujuſquam experiar, ſed liber & mihi ipſi probatus antibo periculum. Vos obteſtor, ut memoriam noſtri ſupremorumque læti retineatis, adjiciendo me quoque iis, qui ſine egregio publica mala effugerent.* Habes verba vix abeuntia à corruptis ſuperſtitum litterarum veſtigiis, & elegantiſſimum ſenſum, qui nullus eſt in vulgatis. *Boxhornius.* Et hic nihil corrupti: ne difficile quidem quicquam memori τὸ *Quam* eſſe *Magis quam*, jamdudum in noſtro, in Plauto, in aliis obſervatum. *Ne memoriam noſtri per mærorem quam læti retineatis*, eſt, ne recordatio mei & mortis hujus vos magis contriſtet quam lætificet: ut mortem meam malitis plauſu quam planctu proſequi; ut malitis eam laudare quam lugere. Vide Senecam ad Marciam c. 2. & 3. Octavia Marcelli memoriam retinuit per mærorem: Livia Druſi, poſt primum illum doloris impetum, læta. *Gronovius.*

6 *Tunc ſingulos*] Quis iſte? dignus erat quem noſſemus, ob conſtantiam mortis. *Lipſius.*

Singulos ut cuique adſiſtere] Lego, *ut quique adſiſtere.* Vertranius. Nemo non videt hæc eſſe corrupta: neque tamen, quod miror, monuerunt eruditi. Sic igitur reſtituo. *Tunc ſingulos, ut cuique adſtiterat, alloqui, amicos aut retinens aut dimittens partem diei abſumpſit.* Nullum ſenſum habent vulgata. *Boxhornius.* Et hæc, uti ſunt, illibata conſervo. *Τῷ adſiſtere* reſpondet *τὸ retinens*: *τῷ alloqui τὸ dimittens. Adſiſtere* hic eſt, genus officii, quod ſi decubuiſſet ille magnanimus, fuiſſet *adſidere.* Qui venerant, ut adſiſterent, ut ei præſto eſſent, ut præſentiam commodarent tanti viri ſupremis; eos retinebat; iis vultu, nutu, verbis ſignificabat gratum ſibi eſſe, quod adeſſent. Qui

Vv vero,

far ullis criminibus aut probris defunctum insectatus est, [1] cum in Blæsum multa fœ-
8 daque incusavisset. Relatum inde de P. Vitellio & Pomponio Secundo. illum indices arguebant, *claustra ærarii cui præfectus erat, & militarem pecuniam rebus novis obtulisse:* huic à Considio prætura functo objectabatur [2] *Ælii Galli amicitia, qui punito Sejano, in hortos Pomponii quasi fidissimum ad subsidium perfugisset.* neque aliud periclitantibus auxilii, quam [3] in fratrum constantia fuit, qui vades exstitere. mox crebris prolationibus spem ac metum juxta gravatus Vitellius, petito [4] per speciem studiorum scalpro, levem ictum venis intulit, vitamque ægritudine animi finivit. At Pomponius multa morum elegantia, & ingenio inlustri, dum adversam fortunam
9 æquus tolerat, Tiberio superstes fuit. Placitum posthac *ut in reliquos Sejani liberos adverteretur*; vanescente quamquam plebis ira, ac plerisque per priora supplicia lenitis. Igitur portantur in carcerem, filius imminentium intelligens; [5] puella adeo nescia, ut crebro interrogaret, *quod ob delictum, & quo traheretur? neque facturam ultra*; & *posse se puerili verbere moneri.* Tradunt temporis ejus auctores, [6] *quia triumvirali supplicio affici virginem inauditum habebatur, à carnifice laqueum juxta compressam:* exin

vero, ut brevi alloquio, sive ob idipsum, quod agebatur, sive ob aliud negotium, potius discederent; eos cum responso sedate placideque nihil turbatus dimittebat. *Gronovius.*

1 *Cum in Blæsum*] Mallem deleta vocula, *Cum Blæsum.* Lipf. Non ego. Memini enim id dictum, ut apud Livium l. 27, 1. *ipse in Fulvii similitudinem nominis increpans?* & l. 30, 20. *in se quoque ac suum ipsius caput exsecratum.* Vide utrobique notas. *Gronovius.*

2 *Velii Golli amititia*] Lege, *Ælii* cujus gentis cognomen Gallus. *Lipsius.*

3 *In fratrum constantia*] Suetonius ita narrat, ut de uno fratre modo dicat. *Publius*, inquit, *post Præturæ honorem, inter Sejani consilios arreptus, & fratri in custodiam datus, scalpro librario venas incidit: & obligari se passus, in eadem custodia morbo periit.* Idem.

4 *Per speciem studiorum*] Doctus enim fuit, & scripta reliquit. Tertullianus de anima: *In Vitellii commentariis conditum est.* Idem.

Per speciem studiorum scalpro] Scalprum instrumenti ferrei nomen est, quo plures artifices utuntur? ut *scalpra sutoria* Horatio. & Cor. Celsus inter instrumenta chirurgica scalprum ponit. hic putarim accipi pro eo instrumento, quo studiosi pennas acuunt, aut aptant. *Lupanus.*

5 *Puella adeo nescia*] Illa ipsa quæ sponsa Claudii filio; ut hic notat Dio. *Lipsius.*

6 *Triumvirali supplicio affici virginem*] Triumviri, qui alias Iudices capitales, prorsus iidem Romæ qui undecimviri Athenis. Munus eorum præesse carceri, punire damnatos: itemque cognoscere de furtis admissisque servorum aut ejusmodi viliorum capitum ad Mæniam columnam. Quod idem in Atheniensibus fuisse, disco ex Suida. Ἕνδεκα, inquit, ἀρχὴ ἐν Ἀθήναις ἐπιμελουμένη τῶν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ κατακρίτων, ἐφ' ἣν ἀνάγοντο οἱ κλέπται καὶ οἱ ἀνδραποδισταί. Nec ambigo quin Romanis exemplum inde. Alia de his habes apud Revard. 11. Var, & Fabrum, quæ non recoquam ego. Sed cur ait inauditum virginem adfici triumvirali supplicio, id est laqueo? Id quidem ita ceperim quasi non simpliciter virginem dixerit, sed impubem investemque. Lex enim non tam virginitati ignotum cautumque voluit, quàm ætati. Ita nec pueros interfici fas, nisi toga sumpta & relatos in viros. Hinc apud Dionem scriptum, à Triumviris in proscriptione jussum puerum quemdam Togam virilem sumere, ut scilicet jure posset interfici, l. XLVII. Καὶ ἄλλα τε, ait, διὰ τοῦτο πολλὰ παρανομήθη, καὶ παιδίσκον τινὰ ἐς ἐφήβους ἐσήγαγον, ἵν' ὡς εἰς ἄνδρας ἤδη τελῶν ἀπόληται. Appulejus 11. apol. de puero præcoci malitia. *Hoc magis noxius, quod cum venia perniciosus est: & nondum pœna, jam injuriæ sufficit.* Quam causam & hic subesse arbitror, ut compressa devirginataque mulier videretur & plena annis. *Lipsius.*

Triumvirali supplicio] Triumvirale supplicium, quo reus in carcere afficeretur, ideo Cornelius dicit, quod Romæ tres-viri capitales essent, qui carceris custodiam haberent, ut cum animadverti oporteret, interventu eorum fieret. Auctor Sext. Pomponius D. de origine juris. Cæterum quod hic ait de virgine, tam Dio Cassius, quam Tranquillus retulere, hujusque verba sunt: Immaturæ puellæ, *quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatæ prius à carnifice, dein strangulatæ.* Vertranius. *Duumviri capitales.* Tullo Hostilio regnante sunt creati propter occisam ab Horatio illo victore Curiatiorum sororem. postea uno addito *Triumviri* nuncupati. Horum mentionem facit Sallustius in conjur. Cat l. & Tacit. in vita Agric. Animadvertendi in facinorosos talis ratio habebatur, ut primum ad Triumviros capitales crimina deferrentur, qui ad Prætorem delata referebant. Prætor vero consilium cogebat; & decretum consilii exequebatur. Valer. 5, 4, 7. *Lupanus.*

1 *Corpora*

exin oblisis faucibus, *id ætatis* [1] *corpora in Gemonias abjecta*. Per idem tempus Asia atque Achaja exterritæ sunt, acri magis quam diuturno rumore, [2] *Drusum Germanici filium apud Cycladas insulas*, *mox in continenti visum*. & erat juvenis haud dispari ætate, quibusdam Cæsaris libertis, velut agnitus, [3] per dolumque comitantibus. Alliciebantur ignari, fama nominis, & promptis Græcorum animis ad nova & mira: [4] *quippe lapsum custodia pergere ad paternos exercitus*, *Ægyptum aut Syriam invasurum*, fingebant simul, credebantque. jam juventutis concursu, jam publicis studiis frequentabatur, lætus præsentibus, [5] & inanium spe; cum auditum id Poppæo Sabino. Is Macedoniæ tum intentus, [6] Achajam quoque curabat. Igitur quo vera seu falsa anteiret, [7] Toronæum Thermæumque sinum præfestinans, mox Eubœam Ægæi maris insulam, & Piræeum Atticæ oræ, dein Corinthiense litus, angustiasque Isthmi evadit: marique alio Nicopolim Romanam coloniam ingressus, [8] ibi demum cognoscit, [9] sollertius interrogatum, *quisnam foret*, dixisse, [10] *M. Silano genitum*: & 10

1 *Corpora in Gemonias abjecta*] Sub Tiberio, inquit Suetonius, *nemo punitorum non est in Gemonias abjectus*, *uncoque tractus*. Necatum enim in carcere, magnis uncis in forum carnifices, ac inde in profluentem trahebant (ait Dio) sive capite abscisso truncum rei corpus, sive strangulatus laqueo reus fuisset. Legimus autem & intelligimus ubique *Gemonias scalas*, in quibus corpora punitorum populus intueretur. Sed & Plin. 8., 40. *Gemonios gradus* ait. In eos cadaver projici & abjici dictum, quod ibi per paucos dies visum, in Tiberim abjiciebatur, cujus in ripa Gemoniæ essent. *Vertranius.*

2 *Drusum Germanici filium*] Quem Tiberius in abdita palatii parte fame postea enecavit, ut post paulo dicetur: tum autem in custodia habebatur. *Muretus.*

3 *Per dolumque comitantibus*] Muret. *per dolum comitantibus*. Sane si *que* retines, potius erat legi, *per dolumque comitatus*. Acidalius.

4 *Quippe lapsum*] Fortè, *elapsum*. Lipsius.

Quippe lapsum custodia] Melius, ut opinor, scribatur, *Quippe elapsum custodia*. Rhenanus. Faernus legebat: *Quippe elapsum custodia*. Non, *lapsum*, ut est in vulgatis. Nam illud *lapsum*, à librario factum, qui omisit literam, *e*, ob præcedentem alteram verbi, *quippe*. Ursinus.

5 *Et inanium spe*] Quis obsecro speret inania prudens sciensque? Nec est ut si quis subtili expositione argutetur ipsum quidem ea, quæ sperabat, non habuisse pro inanibus, revera autem fuisse inania. nam ut sint, certe Tacito non sunt inter inania principatus & imperia, quo fanaticus hic adspirabat. Ergo potius legerim *immanium spe*. *Immania* pro rebus immanibus, quomodo solet neutro genere frequentissime uti: sicut 2, 39. *ad majora & magis præcipitia conversus*. Sumitur autem *immanis* pro magno, ingenti, arduo. Sic in dialogo de Orator. *immanes lacerti*. Hinc vulgata locutio, *immane quantum*, etiam nostro usitata, pro nimium quantum. *Freinshemius.* Nihil mutandum. Ille creditus Drusus, Germanici filius, imperium principatumque, quæ nunquam consequuturus erat: & sic inania sperabat. Vide historiam Libonis Annal. 11. ubi eum *facilem inanibus* vocat Tacitus: idem est, ac si dixeris, facilem ad speranda inania, quæ, scilicet, nunquam sit impetraturus. Speraverat Libo habiturum aliquando se opes, quis viam Appiam, reginam, ut ille loquitur, viarum, pecunia Brundisium usque operiret. *Vana* illa vocat Tacitus, non quod vanæ essent tantæ opes, aut inter inania habendæ, sed quod frustra à Libone sperarentur. *Boxhornius.*

6 *Achajam quoque curabat*] Ex decreto illo, libro 1. quo *Achajam & Macedoniam onera deprecantes levari proconsulari imperio*, *tradique Cæsari placuit*. Lipsius.

7 *Toronæum Thermæumque sinum*] Quorum ille ad Toronem Macedoniæ urbem; hic juxta Macedoniam, Axii fluvii receptor. *Idem.*

8 *Ibi demum cognoscit*] Locus inter mancos. Nec enim ubi aut quomodo deprehensus fugitivus ille, narratum. Post, *cognoscit*, ergo ponenda nota. Et statim scribe, *interrogato*. Idem.

9 *Sollertius interrogatum quisnam foret*, *dixisse*] Hæc doctissimo viro ea de causa mutila sunt, quod putet omissum, ubi, & quomodo deprehensus sit iste Pseudodrusus. Ego integra reor, & ostendam ubi tamen ea sub aspectum dedero. Sabinus iste adita Nicopoli, rescivit illum, de quo quæsitum venerat, ibi à quibusdam de suo statu interrogatum, respondisse, se patrem habere M. Silanum: ibidemque rescivit eundem (audito ejus adventu) à plerisque desertum navem ascendisse, tanquam Italiam peteret. quid eo postea factum sit, noster ingenue nescire se profitetur. *Salinerius.* Si fideliter hic locus ex Man. relatus ab iis fuisset, ut à me nunc, emendationibus opus non erat. Clarus jam sensus: Sabinum Nicopoli demum cognovisse, quod falsus ille Drusus, diligenter interrogatus, quisnam foret, dixerat, se M. Silano genitum: & quod multis sectatorum dilapsis, ascenderat navem, tanquam

& multis sectatorum dilapsis ascendisse navem, tamquam Italiam peteret. scripsit-
11 que hæc Tiberio. [1] neque nos originem finemve ejus rei ultra comperimus. Exitu anni diu aucta discordia consulum erupit. nam Trio facilis capessendis inimicitiis, & foro exercitus, *ut segnem Regulum ad opprimendos Sejani ministros* oblique perstrinxerat. ille nisi lacesseretur modestiæ retinens, non modo retudit collegam: sed *ut noxium conjurationis* ad disquisitionem trahebat. Multisque patrum orantibus, ponerent odia in perniciem itura, mansere infensi ac minitantes, donec magistratu abirent.

quam Italiam petiturus. Scripsit ergo hæc Tiberio Sabinus. In vulgatis, pro, *dixisse*, repositum fuerat, *dixit se.* hinc confusio, & duplicatus error, quia recentiores deinde pro, *interrogatum*, scripserunt, *interrogato.* Pichena. Plane Beroaldus extra culpam, qui omnia ex fide juxta codicem MS. exhibuit. *Jac. Gronovius.*

10 *M. Silano genitum*] Cujus gener fuit Caligula. *Muretus.*

1 *Neque nos*] At reppererunt Zonaras & Dio, qui missum eum ad Tiberium tradiderunt, Caligulæ nuptias Antii celebrantem. *Lipsius.*

C. COR-

C. CORNELII TACITI
AB
EXCESSU DIVI AUGUSTI
ANNALIUM
LIBER SEXTUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Tiberii arcanæ & fœdæ libidines. Multorum accusationes: interque eos M. Terentii equitis R. cujus libera & egregia defensio inserta. L. Pisonis Præfecti urbis mors & funus: & per occasionem de origine ejus muneris & progressu. De Sibullarum carminibus recipiendis consultatio: & quæ in iis cautio. Seditio Romæ ob gravitatem annonæ. Germanici duæ filiæ nuptum datæ, L. Cassio, & M. Vinicio. Fœneratores accusati, repressæ usuræ. & liberalitate Cæsaris fides multorum refecta. Iterum accusationes majestatis: & uno edicto omnes conscii Sejanianæ conjurationis necati. C. Cæsar Caligula Claudiam uxorem accipit: ejus mores & callida simulatio in avum. Tiberii præsagium de Ser. Galbâ: & per caussam eam de Mathematicis aliquid & Thrasullo. Drusi Germanici filii miseranda mors: item Agrippinæ. Nerva Jureconsultus inediâ voluntariâ obiit. aliquot aliorum inlustrium mortes. Phœnix in Ægypto visa, & super eâ veterum narrationes ac judicia. Accusationes variæ & mortes. Parthorum legati in urbem venere, ad novum regem petendum. & Tiberius unum, deinde alterum misit. L. Vitellius Orienti præfectus: ejusque ingenium. Prælia inter Armenios & Parthos. Artabanus regno exutus, & in Scythiam profugus, cui Teridates sufficitur Vitellii consilio & armis. At Romæ illustrium damnationes & mortes. Clitæ Cappadoces regi suo rebelles & repressi. Teridates rex dissidio procerum pellitur, & Artabanus in regnum iterum accitur. Romæ incendium atrox: quod Cæsar liberalitate sua mitigavit. Tiberii deliberatio de successore: ejusque morbus & mors. Gesta hæc annis circiter sex.

CN. DOMITIO. M. FVRIO CAMILLO
SER. SVLPICIO GALBA. L. CORNELIO SVLLA
PAVLLO FABIO PERSICO. L. VITELLIO
C. CESTIO GALLO. M. SERVILIO RVFO
Q. PLAVTIO. SEX. PAPINIO
CN. ACERRONIO. C. PONTIO
COSS.

1 [1] Cn. Domitius & Camillus Scribonianus consulatum inierant, cum Cæsar tramisso quod Capreas & Surrentum interluit freto, Campaniam prælegebat, ambiguus an urbem intraret: seu quia contra destinaverat, speciem venturi simulans: & sæpe in propinqua digressus, [2] aditis juxta Tiberim hortis, saxa rursum & solitudinem maris repetiit, pudore scelerum & libidinum: quibus adeo indomitis exarserat, ut more regio pubem ingenuam stupris pollueret. nec formam tantum & decora corpora; sed in his modestam pueritiam, in aliis imagines majorum, incitamentum cupidinis habebat. tuncque primum ignota ante vocabula reperta sunt, [3] *sellariorum* & [4] *spintriarum*, ex fœditate loci ac multiplici patientia. præpositique servi qui quærerent, pertraherent, dona in promptos, minas adversum abnuentes; [5] & si retinerent propinquus aut parens, vim, raptus,
2 suaque ipsi libita velut in captos exercebant. At Romæ principio anni, quasi recens [6] cognitis Liviæ flagitiis, ac non pridem etiam punitis, atroces sententiæ dicebantur [7] in effigies quoque ac memoriam ejus: & *bona Sejani* [8] *ablata ærario, ut in fiscum*

COMMENTARIUS.

1 Initium sexti libri arbitrario hic jure constitui, non certo. Cui enim probes tantam vim rerum, quantam dixi, trienniique gesta uno libro cum sequentibus inclusa fuisse? Secrevi igitur. non quia liqueret mihi initium in his demum verbis faciundum: sed quia magnitudinem resque gestas æstimanti, ita videbatur. Denique ut scires saltem, hunc vulgò quintum librum in duos esse tribuendum. *Lipsius.*

2 *Juxta Tiberim hortis*] Hortos Cæsaris accipio, de quibus Horat.

Trans Tiberim longè cubat is prope Cæsaris hortos

Ii vicini Naumachiæ fuerunt, siquidem eadem de re Suetonius Tiber. c. LXXII. *Bis omnino toto secessus tempore Romam redire conatus, semel triremi usque ad proximos naumachiæ hortos subvectus est, disposita statione per ripas Tiberis, quæ obviam prodeuntes submoveret.* Vide iis de hortis & Sueton. Julio cap. LXXXIII. *Idem.*

Aditis juxta Tiberim hortis] Horti Cæsaris qui prope naumachiam erant. Sueton. *Muretus.*

3 *Sellariorum & spintriarum*] Vide si lubet Suetonium Tiber. c. XLIII. & Turnebum l. v. cap. 1. Qui tamen non satis explicant, cur Sellarii dicti à fœditate loci. Sed ego non violo te Pudor. *Lipsius.*

Sellariorum] Sellaria loca sunt à sellis dicta, ubi domi sedebant, qui de re aliqua convenerant. apud Plinium. Sed accipi consuevit pro fornice, locisque voluptariis. Martialis: *In sellariolis vagus popinis.* quod ibi fere sedendo voluptatibus detur opera. Hoc autem significat hic, dum ait, *Ex fœditate loci.* Ferrettus. *Sellaria* ait Lævinus Torrentius, sunt sellæ ipsæ ad libidinem dispositæ. Sic enim & *Sellaria* domus aureæ Neronis, apud Plin. 34. 8. & *Sellariolæ popinæ* apud Martial ubi non in lectis, sed in sellis accumberent. Inde & *opifices sellularii* Livio. Ego *cellas* scio vocari meretricum casulas. Martialis: *Intrasti quoties inscriptæ limina cellæ.* Et Juvenal. *Ultima cellam clausit.* Et: *dubitas alta Chionem deducere cella.* Sueton. in Calig. c. 41. *Lupanar in palatio constituit, distinctisque, & instructis pro loci dignitate compluribus cellis, in quibus matronæ, ingenuique starent, misit circum fora, & basilicas, nomenclatores, ad invitandos in libidinem juvenes, senesque.* Scribo igitur *cellariorum.* Muretus. *Sellaria* loca sunt arcanarum libidinum, in quibus sellæ ad libidinem paratæ erant. *Lupanus.*

4 *Spinthriarum*] *Spinthrias* aliter Cornelius, aliter Tranquillus accipiunt: hic enim, ex multiplici patientia ductum putat vocabulum: ille autem inquit, *monstrosi concubitus repertores, quos spinthrias appellabat.* Ferrettus. *Spinthriæ* unde dicti sint, quæsivit Cælius Lectionum 14. cap. 8. Mihi probabilis origo nominis est, ab *Spinturnice*, quam, inter aves quæ sit, Plinius 20, 13. scribit, non invenisse, qui se scire diceret: Sanira putat eam Græcis σπινθάρα dici. & Sextus Pomponius l. 17. *Spinturnix est avis genus turpis figuræ, occursatrix artificum, perdita Spinturnix.* Vertranius. *Spintrias* exponit Suetonius, monstrosi concubitus repertores. Spintriam vocatum Vitellium idem narrat: & Xiphilinus exponit πυγοπώλης. Lego & hic *sphintriarum.* Sed hæc nescire præstat. ut mirer quosdam, tam diligentes in fœdissimo vocabulo investigando fuisse. *Muretus.*

5 *Et si retinerent*] Malim: *& si renitterentur.* Rhenanus.

6 *Cognitis Liviæ flagitiis*] Apicata uxor Sejani, cognita morte filiorum, libellum scripsit, quo Livillæ facinora & flagitia aperuit. Deinde se exanimavit. Tiberius, & cæteros conscios, & ipsam interfecit. Sunt tamen qui dicant ei, propter Antoniam matrem, ignotum esse, sed eam ab Antonia necatam. Dio. *Muretus.*

7 *In effigies quoque ac memoriam ejus*] Crebra talium mentio: disce semel hunc morem, si placet, è nostro EXCURSU. in *A.* Lipsius.

8 *Ablata ærario ut in fiscum*] *Ærarium*, populi Romani

fiscum cogerentur, [1] tamquam referret. Scipiones hæc, & Silani, & Cassii, iisdem ferme aut paulum immutatis verbis adseveratione multa censebant; cum repente Togonius Gallus, [2] dum ignobilitatem suam magnis nominibus inserit, per deridiculum auditur. Nam principem orabat *deligere senatores, ex quis viginti sorte ducti & ferro accincti, quotiens curiam inisset, salutem ejus defenderent.* crediderat nimirum epistolæ, *subsidio sibi alterum ex consulibus* poscentis, *ut tutus à Capreis urbem peteret.* Tiberius tamen ludibria seriis permiscere solitus [3] egit gratis benevolentiæ patrum: *sed quos*

Romani est: *Fiscus*, Imperatoris infra paulo post: *Signatum argentum fisco, vel ærario attinebatur.* Ferrettus.

1 *Tum rettulere Scipiones*] Stigmatias locus non frustra. Desunt enim quædam. Vel hoc argumento, quod rettulisse Scipiones dicit. ac relatio Consulum erat, censio tantum Senatorum. Possit si forte, legi *ut in fiscum cogerentur coss. rettulere. Scipiones hæc, & Silani & Cassii*, &c. Sed ut tectum sit, non sanatum vulnus. *Lipsius.*

Tum retulere Scipiones] Faernus legebat: *Tum de se retulere Scipiones*, &c. *Vrsinus.* Deesse quædam Lipsius putat; idem tamen tegere, si non sanare, vulnus tentat: *ut in fiscum cogerentur Coss. rettulere, Scipiones hæc & Cassii* &c. Consulum enim relatio tantum, censio Senatorum. At ego non deesse, sed superesse etiam quædam contenderim. Verba *tum rettulere* omnino supervacua & tollenda. Nihil enim hic de relatione, cujus ex sola mentione argumentum defectus Lipsius sumebat: sed de sententiarum dictione, quæ in relationibus Consulum, captata occasione, sive etiam præter rem, à Senatoribus usurpabantur. At aliquis Tacito non assuetus cum hiare sermonem putaret, has voculas de suo inseruit. Plena enim oratio, si quod necesse est, ad illa ipsa verba, *Et bona ablata ærario ut in fiscum cogerentur*, ex superioribus ista mente repetas, *sententiæ dicebantur.* Locum ergo totum sic scribo: *Et bona Sejani ablata ærario, ut in fiscum cogerentur. Scipiones hæc & Silani & Cassii* &c. *Acidalius.* Nimiam corrigendi libertatem sibi antiquiores Criticos sumsisse, vel hic locus exemplo sit. qui eum corrupte in Man. legatur, *tam referret Scipiones*, reposuerunt, *tum retulere Scipiones.* Hinc interpretes torquebantur ae de magno aliquo defectu suspicabantur, donec ego in Notis prioribus, de scriptura vetere fidem faciens, viam perspicacissimo Lipsio aperui ad veram emendationem. Is enim nuper restituit: *tanquam referret, Scipiones.* ut scilicet Tacitus irrideat vanitatem sententiæ: quandoquidem, & ærarii, & fisci pecuniæ, illo ævo, in Principis potestate essent. Nec nimia mutatio videatur, *tanquam*, pro, *tam*, cum similes lapsus in eodem Man. observaverim: præsertim lib. 1. ubi legitur, *quanquam Tiberio nulla vetus in Arruntium ira*: Man. habet, *quam Tiberio.* Hanc egregiam Lipsii correctionem ego aliquantulum distinctione juvi, punctum post verbum, *referret*, apponens: ut deinde sequatur, *Scipiones hæc, & Silani*: quasi dicat, Tales ineptiæ à talibus viris pronunciabantur. eosque derisionis causa, multitudinis numero appellat: magna videlicet Senatorum nomina. *Pichena.* *Referre* non semper significat relationem incipere, quod proprium consulis est, sed nonnunquam dicere, proferre. Tac. 3. Ann. *Referatis patri ac fratri.* Et lib. 4. ann. *is namque, ut retuli.* Quapropter missa doctissimi viri dubitatione, hæc vindicemus à nota corruptionis. Prius (ut par erat) C N. Domitius & Camillus Scribonianus consules ejus anni, *retulere*; hoc est quæsiere senatorum sententias de memoria Liviæ & de bonis Sejani: post illa quisque senatorum censet, *atroces sententiæ dicebantur.* Scipiones, Cassii, Silani cum ad eos ventum est, in idem conveniunt. At ecce dum hæc ego refingo ut politiora vulgentur, prodeunt in publicum notæ Curtii Pichenæ, docti viri & diligentis, quibus affirmat in MS. Florent. legi, *tam referret Scipiones.* Obstupui, eum putans bona fide transcriptum à Beroaldo fuisse, & utrumque miratus sum, non animadvertisse, quam leviore calligatione hæc in integrum restitui potuissent, *tum referre Scipiones*, pro *referebant.* inde sequitur, *censebant.* Salinerius. *Tanquam referret.* Lectio Lipsii est, non scriptura Taciti. MS. habet, monente Pichena: *jam referret.* Vnde facile est sua verba Tacito restituere: *Et bona Sejani ablata ærario, ut in fiscum redigerentur, jam refertur. Scipiones hæc & Silani* &c. *Boxhornius* Vere Lipsius & Pichena: nugantur alii. *Gronovius.*

2 *Dum ignobilitatem suam*] Litteras *B* & *V* crebro permutari nemo est qui nesciat, id hoc quoque loco accidisse suspicor, atque in causa fuisse, cur pro vocabulo, quo Tacitus usus fuerit, insititium legatur, quanquam sensu haud dissimili. Scriptum, inquam, fuisse suspicor, *dum novitatem suam*, ex quo alii primo *nobilitatem*, & cum id respueret sensus, *ignobilitatem* finxerint, cum retinendum fuisset *novitatem*, qua voce usus Seneca apud nostrum 14, 53. *Inter nobiles & longa decora præferentes, novitas mea enituit.* Cum autem nullus liber hanc conjecturam juvet, nihil statuere possum de lectione hujus loci, sed tantum significare suspicionem meam, si forte aliquando membranæ cujusdam subsidio possit firmari. *Freinshemius.*

3 *Egit gratias benevolentiæ*] Sensu satis commodo; sed cave credas nunc a te Tacitum audiri. Neque enim ante Frobenium deprehendo, sic ab ullo editum, ut hactenus nonnisi Rhenano id attribuere

quos omitti posse? quos deligi? semperne eosdem, an subinde alios? & [1] *honoribus perfunctos, an juvenes? privatos, an è magistratibus? quam deinde speciem fore, sumentium in limine curiæ gladios? neque sibi vitam tanti, si armis tegenda foret.* Hæc adversus
3 Togonium, verbis moderans: [2] neque ultra abolitionem sententiæ suadere. At Junium Gallionem, qui censuerat, *ut prætoriani actis stipendiis, jus apiscerentur* [3] *in quattuordecim ordinibus sedendi*, violenter increpuit; velut coram rogitans, *quid illi cum militibus?* [4] *quos neque dicta imperatoris, neque præmia nisi ab imperatore accipere par esset. repperisse prorsus quod divus Augustus non providerit. an potius discordiam & seditionem à satellite Sejani quæsitam? qua rudes animos nomine honoris, ad corrumpendum militiæ morem propelleret.* hoc pretium Gallio meditatæ adulationis tulit, statim curia, deinde Italia exactus: & quia incusabatur facile toleraturus exsilium, [5] delecta Lesbo, insula nobili & amœna, retrahitur in urbem, [6] custoditurque domibus magistratuum.

tribuere possim. Aldus quippe exhibuit *grateis*, at Beroaldus plane *gratis*. Nonne habes quod execreris? Id vero postremum est, quod & Beroaldus & Pichena viderunt in codice MS. & ab quolibet hodie cerni potest, ut id Tacito nunc reddiderim. Quod vero ad medium *grateis* pertinet, scito nunquam istam terminationem accusativi Tacito placuisse: attamen sic invenio etiam in ipsa Ryckiana 3, 62. *parteis*, ubi ex MS. Mediceo nunc reposui *partis*, in Lipsianis 4, 45. *sequenteis*, ubi in MS. est *sequentis*, & bene in plerisque citerioribus exhibitum. *Jac. Gronov.*

1 *Honoribus perfunctos, an juvenes?*] Quidam ergo in Senatu, honoribus nondum functi. Quod manavit ab Augusto: *qui liberis Senatorum, quo celerius reip. adsuescerent, protenus virili toga latum clavum inducere, & Curiæ interesse permisit.* ait Sueton. Aug. c. XXXVIII. Tacitus Annal. XIII. *Iulius Montanus Senatorii ordinis, sed qui nondum honorem capessisset.* Plura ibi. *Lipsius.*

2 *Neque ultra abolitionem sententiæ suadere*] Hoc est, nihil aliud præter sententiæ abolitionem, suasit: nec eo ulterius progressus est. quasi dicat: Togonium non violenter increpuit, ut postea Junium Gallionem. *Pichena.*

3 *In quattuordecim ordinibus sedendi*] Tanquam equites essent. Caussam sententia sumpsit à Primipilaribus, qui functi militia, Equites censebantur. Simile volunt in Prætorianis. Vide me in Milit. lib. II. Dial. VIII. *Lipsius.*

4 *Quos neque dicta imperatoris*] Hæret sententia, fortasse explicanda, si legas: *dicta non imperatoris*: negatione inserta. *Idem.*

Neque dicta imperatoris] Forte, *neque dicta nisi imperatoris.* Rhenanus. Vocem *imperatoris* inducit Lipsius, Muretus legit *edicta.* Neutri adhuc plane adsentior. magis tamen Lipsio. Sed fuerit forte etiam, *quos neque dicta nisi imperatoris, neque præmia nisi ab imperatore.* Acidalius. Ejicienda vox importune repetita, ut fiat: *quos neque dicta neque præmia nisi ab imperatore accipere fas esset.* Grotius. Corrigo, *quos neque dicta nisi imperatoris neque præmia* &c. *Harlæus.*

5 *Delecta Lesbo insula*] Ex antiquo jure notandum, eque ruderibus veteris juris, quod qui damnatus erat in insulam, insula non nominata, haberet facultatem eligendi, in quam insulam trajiceret. Sic Milo delegit Massiliam. Dio lib. 40. Et ita capiendum quod in historia Ecclesiastica Theodoreti scribitur cap. 15. lib. 5. Constantium damnato Liberio Papa, interrogasse eum, *in quem locum placeret secedere.* Sunt enim quidam qui relegantur in insulam, adjecto insulæ nomine, vel in eam insulam, quam princeps adsignaverit. l. 1. de off. præfecti urbi. Sunt alii, qui simpliciter relegantur, non adjecto relegationis loco, ut l. 6. de interdict. & releg. Et iis arbitrium relinquitur eligendi, in quam velint insulam abscedere. *Aurelius.*

6 *Custoditurque domibus magistratuum*] Præter carcerem & custodiam militarem, custodia alia duplex: Apud Magistratus, & Apud vades. Apud Magistratus, cum reus Consuli, Prætori, Ædili (interdum & Senatori, etiam non è Magistratu) committebatur, quod non nisi in reis illustrioribus usurpatum, eaque custodia libera dicta. Sallustius in Catilinario: *Senatus decrevit uti abdicato magistratu Lentulus itemque ceteri in liberis custodiis haberentur. itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum ædilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Cæsari, Ceparius Cn. Terentio Senatori traduntur.* Cicero in Bruto: *Domi teneamus eam septam liberali custodia.* quasi sit alia illa, servilis. Julius Firmicus: *In custodia quandoque, sed libera exponetur.* Et sane hæc Libera, digniorum tantum & plerumque Senatorum. Hieronymus contra Vigilantium: *Sint ergo non tetro aliquo carcere, sed amœna & libera custodia, tamquam patres quidam ordinis Senatorii.* Dio optime lib. LVIII. de Asinio Gallo: qui hanc custodiam. φυλακὴν ἄδεσμον vocat, id est liberam & sine vinclis. additque, πρός τε γὰρ τῶν ἀεὶ ὑπάτων ἐτηρεῖτο, ἔξω τῆς τοῦ Τιβερίου ἀρχῆς. Τότε γὰρ πρὸς τῶν στρατηγῶν ἐφυλάχθη, ἵνα μὴ φύγῃ, οὐ μὰ Δί, ἀλλ' ἵνα μὴ τελευτήσῃ. Id est, *Custodiebaturque semper à Consulibus, nisi cum Tiberius Consul esset. tunc enim à Prætoribus observabatur, non hercle ne effugeret, sed ne mori*

tuum. Iisdem litteris Cæsar [1] Sextium Paconianum prætorium perculit, magno
patrum gaudio, audacem, maleficum, omnium secreta rimantem, delectumque à
Sejano, cujus ope dolus C. Cæsari pararetur. quod postquam patefactum, prorupere
[2] concepta pridem odia, & summum supplicium decernebatur, ni [3] professus indi-
cium foret. Ut vero [4] Latinium Latiarem ingressus est, accusator ac reus juxta 4
invisi, gratissimum spectaculum præbebatur. Latiaris, ut rettuli, præcipuus olim
circumveniendi Titii Sabini, & tunc luendæ pœnæ primus fuit. Inter quæ Hate-
rius Agrippa consules anni prioris invasit, *cur mutua* [5] *accusatione intenta, nunc sile-
rent?*

mori posset. Sidonius I. Epist. de Arvando: *In Capitolio custodiebatur à Flavio Asellio hospite, Comite sacrarum largitionum.* Custodia apud vades, cum eorum periculo fidejussoribus reus tradebatur. Tacitus lib. V. *Nec aliud periclitantibus subsidii, quam in constantia fratrum fuit, qui vades exstitere.* Clariusque de eadem re Suetonius Vitell. cap. II. *Publius post Praturæ honorem inter Sejani conscios arreptus, & in custodiam fratri datus.* Ulpianus l. I. De custod. reorum: *De custodia reorum æstimare Proconsul solet, utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, an fidejussoribus committenda.* Symmachus l. I. Epist. *Statui ut Felix vadibus, qui Fulgentio non essent cogniti, traderetur.* Lipsius.

1 *Sestium Paconianum*] Sextius Paconianus scribitur infra: *Nec dispares Trebelliéni Rufi & Sextii Paconiani exitus.* Idem.

2 *Per idem odia*] Emendo, *concepta pridem.* Idem.

Concepta per idem odia] *Pridem* quoque Faernus, & Pichena. Hic *per idem* idem est, ac si dixisset iisdem de caussis: nam ob crebras accusationes & dolos, omnibus erat invisus. *magno patrum gaudio; audacem, maleficum, omnium secreta rimantem.* nec tamen reus ab iis peractus est, quod iste Paconianus inter illos erat, de quibus jam dictum legimus. lib. 4. Ann. *nam ut quis districtior accusator, velut sacrosanctus erat.* quos nefas ab aliis, quam ab Imperatore, pessundari. *qui scelerum ministros, ut perverti ab aliis nolebat, ita plerumque satiatus, & oblatis in eandem operam recentibus veteres, & prægraves afflixit.* qui cum jam aperte Paconiano immineret sumta occasione ruunt omnes, proferuntque odia dilata, & morti eum mancipassent, nisi indicii professione sese inde exemisset: subdidit autem reum hujusmodi facinoris Latinium Latiarem, qui patribus æque atque ipse invisus erat. *Salinerius.* Nugatur cum sua sibi explicatione, ut sæpe. *Gronovius.*

3 *Professus indicium foret*] Alios scilicet accusavit. Observandum igitur, propositam impunitatem reis, qui indicio suo alios sibi reos substituissent. *Pichena.*

4 *Ingressus est accusator Acrius*] Restitui non male, *aggressus est, accusator ac reus juxta invisi.* Paconius & Latiaris odiorum duo nomina. Itaque gaudium patrum fuit perculso Paconio à Cæsare: gaudium alterum nominato, ab eo indice, Latiari. *Lipsius.*

Latinium Latiarem ingressus est accusator, acrius juxta invisi] Suspicor scribendum & distinguendum: *Latini Latiaris ingressus est accusator Acrius, juxta invisi.* nam plane novum est *Latinium Latiarem ingressus*, pro, actionem Latini Latiaris, id est, contra Latinium Latiarem ingressus. Quod nostram conjecturam adjuvet, sic rursum loquitur lib. 16. *Atque interim Ostorius Sabinus Sorani accusator ingreditur.* Rhenanus. *Latini Latiaris ingressus est accusator*, &c. & sic legebat Danesius. Item, *præbebant*, magis placeret, quam *præbebatur*, si pro, *Acrius*, reponatur, *ac reus.* ut totus locus ita legatur: *Accusator, ac reus, juxta invisi, gravissimum spectaculum præbebant.* Ursinus. *Ire in aliquem* dicitur de accusatore. Cic. ad Att. lib. ep. 7. *equidem antequam tuas legi litteras, in hominem ire cupiebam.* quod ex sequentibus magis clarescit. *quid quæris? acueram me ad exagitandam hanc ejus legationem.* loquitur de Clodio. Idem cur non in verbo, *gradior* ? *ire* enim & *ingredi* eos etiam signat, qui verba faciunt. Terent. Adelph. *Mane scio: istuc ibam.* Virg. 6. *Pater Anchises lacrimis ingressus obortis.* At hic non, *gressus est in Latiarem*, sed *ingressus est Latiarem.* Heus tu cur Plautus: *Circumduce hasce ædes:* & non *duce circum hasce ædes?* Sinamus igitur castigationes, quas hic doctissimus vir commentus est. *Salinerius.* Eleganter Lipsius, quomodo & Muretus notaverat. Sed idem Lipsius male, quod *aggressus* mutat. *Ingressus est* valet, cœpit, nempe indicare. Sic sæpe alibi absolute hoc verbum magna cum gratia, lib. XI. *Ingressus defensionem* &c. non procul ab initio. lib. 16. *Atque interim Ostorius Sabinus Sorani accusator ingreditur orditurque de amicitia Rubellii Plauti* &c. At ego lubenter ad concinnitatem majorem, verba velim transponere: *Ut v. Lat. Lat. ingressus, est gratissimum spectaculum præbebatur, accusator ac reus juxta invisi. Latiaris ut retuli* &c. Quo ordine Tacitum scripsisse, ego pro me certo credo, nec idem affirmare alius dubitarim. *Acidalius.* Lipsio prorsus assensi, qui emendavit, *accusator ac reus juxta invisi:* Corrupte antea, atque inepte, *accusator Acrius, juxta invisi.* Deinde fortasse melius ex Mureto, *præbebant.* Sed vulgata lectio minime spernenda. *Pichena.*

5 *Accusatione intenta*] Sic lib. 3. *ob intenta, ut memoravi, Lepida pericula.* Pichena.

rent? [1] *metum prorsus & noxiam conscientia pro fœdere haberi; at non patribus reticenda quæ audivissent.* Regulus [2] *manere tempus ultionis, seque coram principe exsecuturum:* Trio *æmulationem inter collegas, & si qua discordes jecissent, melius oblitterari*, respondit. Urgente Agrippa, [3] Sanquinius Maximus è consularibus oravit senatum, *ne curas imperatoris, conquisitis insuper acerbitatibus augerent: sufficere ipsum statuendis remediis.* sic Regulo salus, & Trioni dilatio exitii quæsita. Haterius invisior fuit, quia somno aut libidinosis vigiliis marcidus, & ob segnitiam, quamvis crudelem principem non metuens, inlustribus viris perniciem [4] inter ganeam ac stupra meditabatur. Exin Cotta Messallinus sævissimæ cujusque sententiæ auctor, eoque inveterata invidia, ubi primum facultas data, [5] arguitur pleraque; C. Cæsarem

[1] quasi

1 *Metum, prorsus & noxam*] Si examinas, stabis à Grosllotio legente: *noxa conscientiam.* Ego etiam velim, *habere*, non, *haberi*: sententia volente. *Lipsius.*

Et noxam conscientia] Puto emendandum, *noxa conscientiam.* Muretus. Non ego Grosllotio dissentio, qui elegantissime *& noxa conscientiam.* Posse tantum dico etiam, *metum prorsus ex noxa conscientia*, vel potius, *ex noxa conscientia.* Sed non æque eleganter. *Habere* cum Lipsio an *haberi* cum vulgo scribas, puto nihil interesse. *Acidalius.* Hæc manuscripti lectio, *& noxiam conscientia.* Nec vulgatam sperno: *& noxam conscientia.* Sed fortasse melius, *& noxiam conscientiam.* Pichena.

2 *Manere tempus ultionis, seque coram*] Neque hoc muto. Satis enim clarum. clarius tamen: *Regulus, manere tempus ultionis se, quippe coram principe excusaturum.* Acidalius.

3 *Sanquinius maximus*] Verius ut grandiori littera notes, *Sanquinius Maximus*, ut sit ejus gentis cognomen. Nam maximum ævo inter Consulares fuisse, non placet, nec verum est. Consul enim suffectus demum fuit ante annos quattuor, Urbis anno DCCLXXXI. Præfectum urbia enim fuisse comperior sub Cajo, ex Dionis corruptis verbis, libro LIX. Τριάκοντα δὲ δύ᾽ ἡμέρας ἦρξε, (Cajus videlicet) καίτοι Λευκίῳ Ἀπρωνίῳ τῷ συνάρχοντι ἓξ μῆνας ἐπιτρέψας, καὶ αὐτὸν Σαουῖνος Μάξιμος πολιαρχῶν διεδέξατο. scribe, Σαγκύινος, & hunc cape, qui tunc Præf. urbi & secundum Consul. Præfuit & inferiori Germaniæ, ex Tacito lib. XI. *Chauci nulla dissensione domi, & morte Sanquinii alacres.* Lipsius.

4 *Inter ganeam ac stupra*] Vulgo, *ganeum.* utrumque recte. Sed MS. sequi malui. sic lib. 3. *veneris, & ganea paratus.* Pichena.

5 *Arguitur pleraque C. Cæsarem*] Ne hunc quidem locum, ex Ædilitio edicto, perhibeo sanum integrumque. Remedium aliquod, si legas: *Arguitur pleraque, C. Cæsarem quasi incestæ virilitatis, & cum die natali Augustæ inter sacerdotes epularetur novemdialem eam cœnam dixisset*, ut, inquam, τὸ *dixisset*, reducas etiam ad priora, statimque eodem exemplo legas, *addidisset.* Sed metuo ut hæc, cum Aristophane, sit κενὴν ἐπικουρία. *Lipsius.*

Arguitur pleraque C. Cæsarem quasi incesta] Distinxi: *Ubi primum facultas data, arguitur pleraque*, hoc est, in plerisque; Græca constructio est; apud historicos tamen solennis. Quod vero sequitur, *quasi incesta virilitatis*; legerim, *quasi incestæ virilitatis*; hoc ideo dixit, quod C. Cæsar propriarum sororum stupro non abhorruit. *Rhenanus.* Videtur scribendum: *In C. Cæsarem*, &c. nam paulo post habetur: *seu composuerat quædam in C. Cæsarem, ut impudicum.* Ursinus. Deest vox aliqua, hariolabar, sed forsan Phœbo parum favente. *Arguitur plorasse C. Cæsarem, quasi incestæ virilitatis.* Moris enim, simulato fletu, ea prosequi, quibus invidiam & odium faciebant. Sueton. Cal. 38. *Prolataque Divorum Julii & Augusti diplomata, ut vetera & obsoleta deflebat.* Tacit. 4. Hist. 45. *Planctum & lamenta & supremorum imaginem præsenti sibi circumdata.* Gruterus. Lipsius in hunc locum nihil sani. Unius particulæ *in* additione Muretus pulcherrime plagam hanc pœne desperatam sanat: *Arguitur pleraque in C. Cæsarem quasi* &c. Nihil verius. & convenit reliqua structura optime, quam nimis torquet & contorquet Lipsius. *Acidalius.* Transmarinæ munditiæ non advertére doctiss. virum: qua de causa eum ad emendationes confugisse videmus. *pleraque* pro *plerumque.* Sic Thucydides πάντα, σαφέστατα. quod noster post Virgilium non semel imitatus est: *Falsa exterritum.* At Poëta lib. 9. *Cætera parce puer bello.* Cotta autem semel tantum dum cœnaret, eam *cœnam* dixit *novemdialem*, at Caligulam sæpius eo nomine sermonibus distulerat. *Incestæ virilitatis*, id est incestificus, sive incestuosus: idque verbi non solum tangit flagitia, quæ in affines committuntur, sed extenditur etiam ad quascunque nequitias, quæ cum extraneis exercentur. Plaut. *neque eam incestavit unquam.* amplectitur etiam τὰ παιδικά. Liv. lib. 8. *primo perlicere adolescentem sermone incesto conatus.* Si κυρίως accipimus, ut Propert. l. 3. El. 2. *incesti meretrix Regina Canopi.* Quod ibi fratres assuescebant corporibus sororum; Audi Sueton. Cal. 24. *cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit.* Si καταχρηστικῶς, uti jam diximus, ejusdem hac lege. cap. 36. *pudicitiæ neque sua neque aliena pepercit.* Denique si posteriore interpretamento jocum exigis, his te absolvo: ætas Caligulæ è pusionibus excesserat, sed nihilo

magis

[1] quasi incestæ virilitatis, & cum [2] die natali Augustæ [3] inter sacerdotes epularetur,

magis jam vir suæ pudicitiæ parcebat: hinc acute, & vere, *virilitatis incesta*. Salinerius. Divinabam leniter, an minus corrupte legatur: *arguitur plura: quod C. Cæsarem quasi incerta virilitatis*. plura enim, id est, tria erant, de quibus arguebatur. Sic paulo infra dixit: *statuendi de Cæciliano senatore, qui plurima adversum Cottam prompserat*. Quod auten Lipsius emendavit, *incerta virilitatis*, confirmatur à Seneca de Provid. cap. 3. ubi, *dubiam virilitatem*, dixit: *excelsa virilitatis, aut dubia*. Pichena. Videor mihi reperisse scomma istud, & legendum esse *Cajam Cæsarem, quasi incerta virilitatis*, nimirum mollitiem objecit Cajo (quomodo & Vestilius infra 6,9.) & quasi dubitis pro viro eum an pro femina haberet, utrumque hoc dicterio complexus est, Cæsarem appellans virili genere, & femineo *Cajam* pro Cajo. Quæ quidem nominum mutatio haud raro usurpata in exprobranda vel ignavia vel mollitia. Homer. Il. 2,235. Ἀχαιΐδες, οὐκέτ' Ἀχαιοί. unde Virgil. hausit *O vere Phrygiæ, neque enim Phryges*. Sic apud Suet. in Cæs. 49. Bibulus Cæsarem *Bithynicam reginam*; apud Xiphilinum in Nerone, Bunduica Neronem pro Domitio *Domitiam* (ut hic pro Cajo *Cajam*) appellarunt. Simili dicterio utitur Owenus acutus epigrammatum scriptor, in virum muliebrem & uxorem virilem: *Grammatici fugite hinc, hæc vir, & hic mulier*. Freinshemius. Sed qui vocem *Cajum* explanate per quinque literas expresserunt, sunt citimæ editiones, quum Beroaldina, Aldina, Frobeniana habeant *C. Cæsarem*, prout est quoque in MS. quarum ista prima litera ambiguum continet: & forsan hic subintelligi aliquid debet de scribendo, etsi sequatur *dixisse*, quod scio urgeri ab Lipsio. Ego certe restitui vetus. *Jac. Gronovius.*

1 *Quasi incesta virilitatis*] Constabit sententia jocusque, *Incerta virilitatis*. Atque ita scribe. sic alibi, *Abdus ademta virilitatis*. Notat autem Caligulam quasi ambigue virum, quique, ut Suetonius ait, pudicitiæ neque suæ neque alienæ pepercerit. Infra: *Sive composuerat quædam in C. Cæsarem ut impudicum, sive facto habita fides*. Jocus aliquis in verbis, quasi dicas Androgynum eum fuisse, ἀμφοτέριμον ἀφροδίτῃ τυπτόμενον. *Lipsius.*

2 *Die natali Augustæ*] Imo vero, *Augusti*. Liviæ quidem natalem post mortem ejus epulo ludisve celebratum non invenio. Nec vero Tiberius, alias haud pronus in matrem, id permiserit: cum etiam minores quosdam honores à Senatu ei decretos vetuerit abrogaritque. Dionem vide, ubi de iis quæ Liviæ decreta: verbum nullum de natali. At de Augusti certum est: cujus vitalis dies annuis ludis epulisque celeber. Repete ea quæ scripsi, de Augustalibus ludis ad l. 1. *Idem.*

Die natali Augusti] Sic reposui, auctore Lipsio; antea, *Augustæ*, contra historiæ fidem. *Pichena.* Assensum eis præbere non possum, qui deleto *Augustæ* repositum eunt *Augusti*, non quod probari queat, natalem Augustæ epulo ludisve celebratum post mortem: sed quia probari nequeat, dixisse isthæc Messalinum, mortua jam Livia. protulisse potuit aliquot annis ante, & nunc demum tamen accusari convincique; quod prius rabido isti cani quivis obviam occedere metueret. Sic se rem habuisse, satis innuit Tacitus, dum præmittit: *ubi primum facultas data*. Præterea nescio an Cotta hic alluserit ad *epulas novendiales*, quod ante novem dies multi forte à Tiberio interfecti: neque enim verosimile est adsentatoriorum mancipium voluisse incurrere indignationem aliquam justam dicterio liberiori; quam heic vix vitasset. Forsan *epulas* vocat *novendiales*, quod taciturnum plane esset convivium, ob metum; dum alter alterum suspectat. Plane Senec. libro 3. de Benef. 26. *Sub Tiberio Cæs. fuit accusandi frequens, & pæne publica rabies*. &c. Ipse Tacitus eodem libro cap. 7. *Cum primores senatus infimas etiam delationes exercerent* &c. At in cæna ferali, æque ut in exsequiis omnia muta fuisse ac tacita, probarem, nisi alterius esset loci. Interim videatur Tacit. libro 4. Histor. 62. *Gruterus.* Non me movent rationes à Viro doctiss. adductæ, quin potius libris, in quibus nulla diversitas à quoquam indicatur, adhæream in re haud quaquam absurda. Cur enim matris suæ natalem celebrari ægre tulerit Tiberius, qui suæ quoque originis quodammodo initium fuit? nec magis ad rem pertinet, quod apud historicos de natali ejus nil reperitur: quot enim res majoris multo momenti perierunt. *Freinshemius.* Absurdius agitur ab Capaccio, qui libro 1. Hist. Neapol. pag. 239. potuit citare *cum die natali Augustas inter sac. epul.* Jac. Gronovius.

3 *Inter sacerdotes epularetur*] Observa ergo illo die epulum fuisse, &, ut apparet, per collegia. Dio auctor, Senatores tunc convivatos in Capitolio. lib. LIV. Τὰ γενέθλια, inquit, τοῦ Αὐγούστου ὁ Ἴουλλος ὁ τοῦ Ἀντωνίου παῖς στρατηγῶν, καὶ ἱπποδρομίᾳ καὶ σφαγαῖς θηρίων ἑώρτασε. Καὶ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ καὶ ἐκεῖνον καὶ τὴν βουλὴν, κατὰ δόγμα αὐτῆς, εἱστίασε: *Natalem Augusti Julus Antonii filius, tunc Prætor, celebravit Circensibus & Venatione. Senatum etiam & ipsum Augustum, ex decreto patrum, epulo excepit in Capitolio*. Videtur idem scriptor hoc Convivium extendere ad vulgus etiam hominum, libro eodem infra: Καὶ αὐτὸν, διά τε ταῦτα καὶ διὰ τἆλλα, ἀνδριάσι τε ἐκ συντελείας ἐτίμησαν, καὶ τῷ, τοῖς τε ἀγύνοις καὶ ταῖς ἀνάνδροις καὶ συνθεᾶσθαι τοῖς ἄλλοις, καὶ συνδειπνεῖν ἐν τοῖς γενεθλίοις αὐτοῦ, δοῦναι. *Et ipsum* (Augustum) *ob hæc & alia merita, cùm statuis ex ære collato honorarunt, tum etiam isto, quòd permiserunt, ut ii, quibus uxor non esset aut quibus vir deesset, spectare nihilominus una cum aliis & convivari in Natali ejus possent.* Sed fallor, aut hoc de iis tantum, qui quæve Senatorii gradus. Post Principes

tur, * *novendialem* eam *cœnam* dixisse: [1] querensque de potentia [2] Manii Lepidi, ac

servarunt, imo lætitiam ejus diei etiam auxerunt. D. maximus quædam mihi suppeditat sine prævaricatione non omittenda, Sermone in Vigiliis Natalis Dominici. *Lætitia quanta sit*, inquit, *quantusque concursus cùm Imperatoris mundi istius Natalis celebrandus est, bene nostis. quemadmodum Duces ejus & Principes, omnes etiam militantes, accurati sericis vestibus, accincti operosis cingulis auro fulgente pretiosis, ambiunt solito nitidiùs in conspectu regis incedere.* Et paullo posterius: *Deinde, quia in die Natalis sui sciunt eum largum futurum ac donaturum plurima vel ministris suis, vel his qui in domo ejus abjecti putantur & viles: tantò priùs thesauros ejus replere divitiarum varietate festinant, ut inquantum erogare voluerit, intantum prærogatio copiosa non desit, & antè voluntas donandi deficiat quàm substantia largiendi. Hæc autem ideò sollicite faciunt, quia majorem sibi remunerationem pro hac sollicitudine sperant futuram.* Quibus in postremis, nota mihi morem donandæ stipis Principi; natum, ut opinor, ex more Augusti, qui Kalendis, & alias, solitus largiter munera capere & dare. *Lipsius.*

* *Novendialem eam cœnam*] Caussam joci paulo altius petendum. Mortuis, ritu Romano, non ante diem nonum parentabatur. Tunc iis justa, ludi, epulæ, inscriptio, & funeri finis. Donatus Phormione: *In nuptiis septimus dies instaurationem voti habet. ut in funere nonus, quo parentalia concluduntur.* Poëtæ alludunt. Ut Virgil.

Præterea si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit.

Ut Statius in Archemori funere:

Roscida jam novies cœlo dimiserat astra
Lucifer.

Et ab ea mente Justinianus in Novella quadam scribit, *in nonum diem fieri μνείας defunctorum.* Glossæ: *Novemdialia*, Ἔννατα ἐπὶ νεκρῷ ἀγόμενα. Augustinus in Genesim: *Nescio utrùm inveniatur alicui sanctorum in scripturis celebratum esse luctum novem dies, quod apud Latinis Novemdial appellant.* Nono ergo illo die, præter alia, cœna funebris epulæque. Julius Obsequens: *In sacro Novemdiali cœna deæ posita, à cane adesa, antequàm delibaretur.* etsi ambigo an id ad sacrum Novemdiale referendum; quod solitum fieri (instituit Tullius rex, de quo Livius abunde lib. I. post lapidum imbrem. Tertull. de Testimonio animæ: *Vocas securos mortuos, siquando extra portam cum obsoniis & mattiis* (aliquid Suidas in Μελιττοῦτα) *tibi potiùs parentans ad busta cedis, aut à bustis dilutior redis.* Idem de Resurrectione carnis: *At ego magis ridebo vulgus tunc quoque cùm ipsos defunctos atrocissimè exurit, quos postmodum gulosissimè nutrit: iisdem ignibus & promerens & offendens.* Eam vocat Appulejus Cœnam feralem libro IV. Florid. *Procul igitur fures abigerent, procul ignes amolirentur, cœnam feralem à tumulo ad mensam referrent.* Et Juvenalis,

—— dimidio constrictus gammarus ovo
Ponitur, exiguâ feralis cœna patellâ.

Ubi nota ova (quia adhiberi ad lustrationem solita) videri in ejusmodi cœnis tralaticia fuisse, uti lentem & salem: Ἀνομίζουσι Ῥωμαῖοι τίθεσθαι, καὶ προτίθενται τοῖς νέκυσι, ait in Crasso Plutarchus. Licet in Appiani Parth. eadem narrantis, φακὸν καὶ μάζαν, lentem & libum. Sanè certos quosdam cibos proprios fuisse huic mortuali cœnæ, docet etiam Xiphilinus in Domitiano, ubi de simulato illo sepulcrali epulo: Καὶ μετὰ τοῦτο πάνθ' ὅσα περ ἐν τοῖς ἐναγίσμασι καθαγίζεται, καὶ ἐκείνοις μέλανα ἐν σκεύεσιν ὁμοίως προσενεχθῆ. Hanc cœnam Silicernium vocatam, docent Nonius, Festus. & Tertullianus: *Quo differt ab epulo Jovis silicernium? à simpuvio obba? ab aruspice pollinctor?* Hunc morem transiisse ad Christianos etiam Augustinus narrat & leviter excusat, De civit. Dei lib. IX. cap. ult. *Quicunque*, inquit, *epulas suas eò* (ad sepulchra martyrum) *deferunt: quod quidem à Christianis melioribus non fit, & in plerisque terris nulla est talis consuetudo: tamen quicumque id faciunt, eas cùm apposuerint, orant, & auferunt ut vescantur.* Et lib. VI. Confess. cap. II. de matre sua. *Cùm ad memorias sanctorum, sicut in Africa solet, pultes, & panem & merum attulisset.* addit mox, vetitum ab Ambrosio, *quod illa parentalia superstitioni gentium essent simillima.* Paullini locum huic rei subtexo, in Felicis Natali IX.

—— ignoscenda tamen puto talia, parvis
Gaudia quæ ducunt epulis, quia mentibus error
Irrepit rudibus: nec tanta conscia culpa
Simplicitas pietate cadit, malè credula sanctos
Persusis halante mero gaudere sepulcris.

Ubi rusticulos suos in Italia excusat, quòd usi vel abusi per simplicitatem, veteri gentilium more ad sepulchrum ipsum D. Felicis. Legam, *pietate caret.* Ad eas ergo novendiales epulas hîc allusum. & cùm natalis Augusti celebraretur, dies lætus auctorque vitæ, videri sibi Cotta ferales potiùs eas epulas dixit. sive quia ille natus, exitii caussa multis; sive quia ante novem forte dies, multi à Tiberio animadversi interfectique. Quod placet. & mirum ni exciderit is jocus (verior liberoque quàm ut Cottam deceat) post stragem Sejani. Non absimile Plauti illud:

Cocus ille nundinalis est, in nonum diem
Solet ire coctum.

id est, Feralis novemdialisque, & qui mortuis tantùm parat in cœnam. ut præit nobis bene Festus. *Idem.*

Novendialem eam cœnam] *Novendiale sacrum* erat mortuorum: itaque accusatus fuit, quod natales Augustæ epulas, *cœnam mortuorum* appellasset: tamquam fuisset is ortus feralis atque exitiabilis. *Ferretius.*

1 *Querensque de potentia*] Ex MS. restitui verbum, *querensque.* Vulgo, *querentemque.* Rectè ergo

ac L. Arruntii, cum quibus ob rem pecuniariam disceptabat, addidisse, *illos quidem senatus*, [1] *me autem tuebitur Tiberiolus meus.* [2] neque cuncta à primoribus civitatis revincebatur: iisque instantibus ad imperatorem provocavit. nec multo post litteræ adferuntur, quibus in modum defensionis, repetito *inter se atque Cottam amicitiæ principio, crebrisque ejus officiis* commemoratis, *ne verba prave detorta, neu* [3] *convivalium fabularum simplicitas in crimen duceretur*, postulavit. Insigne visum est earum Cæsaris litterarum initium. nam his verbis exorsus est: *Quid scribam vobis, patres conscripti, aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore*, [4] *dii me deæque pejus perdant quam* [5] *perire me quotidie sentio, si scio.* Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra [6] præstantissimus sapientiæ [7] firmare solitus est, si [8] recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus; quando ut corpora verberibus, ita sævitia, libidine, malis consultis, animus dilaceretur. quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasque ipse pœnas fateretur. Tum facta patribus potestate statuendi de *Ce- 6
ciliano senatore, qui plurima adversum Cottam prompserat*, placitum *eandem pœnam inrogari, quam* [9] *in Arusejum & Sanquinium accusatores L. Arruntii.* quo non aliud honorificentius Cottæ evenit, qui nobilis quidem, sed egens ob luxum, per flagitia infamis, [10] sanctissimis Arruntii artibus dignitate ultionis æquabatur. [11] Quintus Servæus 7

go Lipsius monnit legendum, *dixisset*; ac deinde, *addidisset*. ut nos in textu correximus. Male antea, *dixisse*, & *addidisse*. Pichena.

2 *M. Lepidi*] Manii, ut sæpè. *Lipsius.*

1 *Me autem tuebitur Tib.*] Connexio ista totius hujus jactantiæ videtur languide nimis propon̄i, ut inde non appareat prava exsultatio flagitiosi adulatoris, quæ sic demum apparet: *Illos quidem Senatus, me autem? Tuebitur Tiberiolus meus me: quæ cuncta.* Quasi de se anxius foret, dimidiatum sermonem efferens suspendit omnia, ac denique expromit perquam scite, præsertim quum sic appareat, unde istud *neque* ortum sit, in quo tantus scopulus viris doctis. Aliquid simile est in abscissa & titubante jactantia Othonis 13,46. *Jac. Gronov.*

2 *Neque cuncta à primoribus*] Sic fideliter ex Man. tamen in vulgatis repositum fuit: *neque cunctatius.* Primum ambigo, nam proba fortasse vetus lectio: ut intelligatur, non omnia illa tria, quæ Messalino objecta fuerunt, convinci à primoribus civitatis potuisse. Sed antecedentia & sequentia contrarium suadere videntur. itaque levissima mutatione legerem, *eaque cuncta*. id est, de iis cunctis revincebatur, eadem figura dictum, qua paulo supra: *arguitur pleraque.* & infra: *adlevatur animum.* Similem fere locutionem habes lib. 2. hist. *eaque cuncta per idoneos ministros* &c. *festinabantur.* Pichena. Optime videtur conjecisse socer meus, *eaque cuncta*: certe sensus hoc clamat. *Freinshemius.*

3 *Convivalium fabularum simplicitas*] Sen. 3. Benef. cap. 26. *Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas jocantium.* Aurelius.

4 *Dii me, deæque*] *Postremo semetipse pertæsus tali epistola principio tantum non summam suorum malorum professus est*, &c. Sueton. Tiber. 68. *Muretus.*

5 *Perire me quotidie*] Sic omnia vetustiora ex fide MS. At recentiora omiserunt particulam mediam nescio quamobrem: certe exsulat quoque in ipsa editione Cl. Ryckii, enimvero iniquissime. *Jac. Gronovius.*

6 *Præstantissimus sapientiæ*] Credo Socrati hoc elogium, & jure tribuit. Apud Platonem sanè in nono De rep. gnome talis: Ἔστιν ἄρα τῇ ἀληθείᾳ, κἂν εἰ μή τῳ δοκῇ, ὁ τῷ ὄντι τύραννος τῷ ὄντι δοῦλος τὰς μεγίστας θωπείας καὶ δουλείας, καὶ κόλαξ τῶν πονηροτάτων, καὶ πένης τῇ ἀληθείᾳ φαίνεται, ἄν τις ὅλην ψυχὴν ἐπίστηται θεάσασθαι, καὶ φόβου γέμων διὰ παντὸς τοῦ βίου σφαδασμῶν τε καὶ ὀδυνῶν πλήρης. *Est igitur, etsi alicui haud videatur, is qui verè tyrannus est, verè servus maximæ adulationis & servitutis, idemque adulator pessimorum: & reipsâ pauper apparet, si quis totam ejus mentem possit inspicere, denique metus in omni vita plenus, agitationumque & angorum.* Sed & antè & posteà (magnus enim locus est) plura huic rei Socrates effatur, & istis similia etsi noster contraxit. *Lipsius.*

7 *Firmare solitus*] Muret. *Adfirmare.* Acidalius.

8 *Recludantur tyrannorum mentes*] Plato lib. 9. & 10. de Rep. Muretus. Claudian. in Rufin. libro 2. *Pectus inusta deformant macula.* Ubi videndus Barthius: Cicer. 3. de Off. c. 21. *Hunc tu quas conscientia labes in animo censes habuisse? quæ vulnera?* Gronovius.

9 *In Arusejum & Sanquinium*] Quæ ea pœna fuerit obscurum est, ob jacturam factam librorum Taciti. *Muretus.*

10 *Sanctissimis Arruntii artibus*] De eo dixi, suprà ad lib. 1. At de accusatione ejus, nihil in libris qui nunc sunt. *Lipsius.*

11 *Q. Servæus posthac, & M. Thermus inducti*]

 Melius

vœus posthac, & Minucius Thermus inducti: Servæus prætura functus, & quondam Germanici comes: Minucius equestri loco, modeste habita Sejani amicitia: unde illis major miseratio. contra Tiberius *præcipuos ad scelera* increpans, admonuit [1] C. Cestium patrem *dicere senatui quæ sibi scripsisset*; suscepitque Cestius accusationem. quod maxime exitiabile tulere illa tempora, cum primores senatus infimas etiam delationes exercerent, alii propalam, multi per occultum: neque discerneres alienos à conjunctis, amicos ab ignotis, [2] quid repens aut vetustate obscurum: perinde in foro, in convivio, quaqua de re locuti incusabantur, ut quis prævenire & [3] reum destinare properat; pars ad subsidium sui, plures infecti quasi valetudine & contactu. Sed Minucius & Servæus damnati, [4] indicibus accessere. Tractique sunt in casum eundem Julius Africanus è Santonis Gallica civitate; Sejus Quadratus: originem non repperi. Neque sum ignarus, à plerisque scriptoribus omissa multorum pericula & pœnas, dum copia fatiscunt; aut quæ ipsis nimia & mæsta fuerant, ne pari tædio lecturos adficerent, verentur. Nobis pleraque digna cognitu obvenere, quamquam
8 ab aliis incelebrata. Nam ea tempestate qua Sejani amicitiam ceteri falso exuerant, ausus est eques Romanus M. Terentius ob id reus, amplecti, ad hunc modum apud senatum ordiendo: *Fortunæ quidem meæ fortasse minus expediat adgnoscere crimen, quam abnuere. sed utcunque casura res est;* [5] *fatebor & fuisse me Sejano amicum, & ut essem expetisse; & postquam adeptus eram, lætatum. Videram collegam* [6] *patris regendis prætoriis cohortibus; mox urbis & militiæ munia simul obeuntem. illius propinqui & adfines hono-*

Melius hic divisum, *post hæc.* Acidalius. Plaut. *Injuriam multe induci satius est.* Apule. l. 3. *Ego quidem pro hospitis salute, & homicida sum, & reus capitis inducor.* Muretus. Ammianus Marcell. libro 22. *Et acta super eo gesta non sine magno legebantur horrore, cum id voluminis publici contineret exordium: Consulatu Tauri & Florentii, inducto sub præconibus Tauro.* Gronovius.

1 *C. Cæstium patrem*] Duo ergo Cæstii Romæ, pater filiusque? Non inveni. Fuit qui Cæstium Pium vellet legi. quia frequens declamatoris ejus Senecæ mentio. Mihi, siquid mutandum, placeat, *Cæstium Prætorem.* potuitque objici error ex notis. Cæstius quidem Prætor fuit, illeipse, uti divino, de quo Romæ inscriptio,

C. CESTIVS. L. F. POB. EPVLO. PR.
TR. PL. VII. VIR. EPVLONVM.

Itaque apparet scribendum *Cestius*, littera spreta, quoniam & in nummis L. CESTIVS. *Lipsius.*

2 *Quid repens, aut vetustate obscurum*] In v. c. est: *quid recens*, &c. quod placet. *Ursinus.* Muret *recens.* legitur 4. hist. tamen, *Cum accursu tot provinciarum exstingui repens perfidia potueris.* Acidalius.

3 *Destinare properat*] Non abjecerim, *poterat.* Lipsius.

Reum destinare properat] Forsitan l. *properabat.* aut ut pridem conjeceram, *poterat.* Muretus. Non abjecerim inquit Lipsius, *poterat.* Imo recipiendum hoc omnino, altero abjecto. *Aurelius.*

4 *Indicibus accessere*] Id est, servati sunt, quia indicium professi. Ita supra: *Summum supplicium decernebatur, nisi indicium professus foret.* Lipsius.

Indicibus accessere] Et ita servati sunt, ut paulo ante Paconianus. *Muretus.* Hoc est bona eorum lucrati sunt indices. Idem fere sup. lib. 2. *Bona inter accusatores dividuntur.* Pichena.

5 *Fatebor & fuisse me*] Tota hæc Terentii oratio, ut & caussa, simillima est illi Amyntæ apud Curtium lib. VII. Et membra sane aliquot sunt, quæ dicas illinc translata. Nam Amyntas ita: *Amicitiam quæ nobis cum Philota fuit, adeo non inficior, ut expetisse quoque nos, magnosque ex ea fructus percepisse confitear. An vero Parmenionis, quem sibi proximum esse voluisti, filium, omnes pœne amicos tuos dignatione vincentem, cultum à nobis esse miraris? Tu hercule, si verum audire vis rex, hujus nobis periculi caussa es. Quis enim alius effecit, ut ad Philotam decurrerent, qui placere vellent sibi? Ab illo traditi, ad hunc gradum amicitiæ tuæ adscendimus. Is apud te fuit, cujus & gratiam expetere, & iram timere possemus.* Et mox: *Igitur si hoc crimen est, paucos innocentes habes, imo hercule neminem. Omnes enim Philotæ amici esse voluerunt: sed totidem quot volebant, esse non poterant. Ita si à consciis amicos non dividis, nec ab amicis quidem separabis illos qui idem esse voluerunt.* Quæ delector, ita me deus amet, exscribere candidissime & disertissime dicta. At postrema verba etiam correctiuncula juvo & interpunctis. *Omnes enim Philotæ amici esse voluerunt. Sed totidem quot volebant, esse non poterant. Ita, sed si à consciis*, &c. Prorsus ita legendum, ex Amyntæ quidem mente. quod facile videbis, qui ipse eam habes. *Lipsius.*

6 *Patris*] Seji Strabonis. *Muretus.*

1 *Clau-*

honoribus augebantur; ut quisque Sejano intimus, ita ad Cæsaris amicitiam validus: contra quibus infensus esset, metu ac sordibus conflictabantur. nec quemquam exemplo adsumo: cunctos qui novissimi consilii expertes fuimus, meo unius discrimine defendam. Non enim Sejanum Vulsiniensem, [1] *sed Claudiæ & Juliæ domus partem, quas adfinitate occupaverat, tuum Cæsar generum, tui consulatus socium, tua officia in republica capessentem colebamus. Non est nostrum æstimare, quem supra ceteros, & quibus de caussis extollas. Tibi summum rerum judicium dii dedere:* [2] *nobis obsequii gloria relicta est. Spectamus porro quæ coram habentur, cui ex te opes, honores, quis plurima juvandi nocendive potentia; quæ Sejano fuisse, nemo negaverit.* [3] *abditos principis sensus, & si quid occultius parat, exquirere inlicitum, anceps;* [4] *nec ideo adsequare. Ne, patres conscripti ultimum Sejani diem, sed* [5] *sedecim annos cogitaveritis. etiam* [6] *Satrium atque Pomponium venerabamur: libertis quoque ac janitoribus ejus notescere, pro magnifico accipiebatur. Quid ergo? indistincta hæc defensio & promiscua dabitur? imo justis terminis dividatur. insidiæ in rempublicam, consilia cædis adversum imperatorem, puniantur: de amicitia & officiis idem finis & te Cæsar & nos absolverit.* [7] Constantia orationis, & quia repertus erat qui efferret 9
quæ

1 *Claudiæ & Juliæ*] Claudiæ per filium, Juliæ per se: quia Liviam duxerat Germanici sororem. *Lipsius.*

Sed Claudiæ, & Juliæ domus partem] Utrumque spe, non re. Sejani filia destinata erat uxor filio Claudii. Ipse Liviam ducturus putabatur: sed tamen non, ut Germanicum, sic Liviam ejus sororem adoptaverat Tiberius. Fortasse igitur constituerat dare illi aliquam ex filiabus Germanici. *Generi* autem appellatio etiam è sponsalibus contrahitur. L. Servius D. De gradib. & adfinitat. Et *genere* vocatur etiam neptis aut proneptis maritus, L. Generi D. de verb. signif. *Muretus.*

Sed Claudiæ & Juliæ domus partem] Non fuerunt tam firmi editores horum Annalium, ut caste sequerentur vel unicum codicem MS. vel Beroaldum illi innixum nunc attente, ut pro prima vocula *sed* retinerent aliam, nempe *&*, quæ extat in utroque, tanquam vix sufficeret inchoandæ oppositioni. Itaque in omnibus illis post exaratis editionibus non Tacitum legis, immo vilitatem edentium. Et quoties demonstrarunt viri docti illud *sed* ita omitti solere. Quid ipse Tacitus? 3,19. *Non modo apud illos homines qui tum agebant, etiam secutis temporibus vario rumore jactatæ.* Adde Scriveriana ad Martialem 9,85. Paterna ad Livium 3,71. Pronunciationi voluerunt potius interdum hanc adversandi rationem committere, quam expositioni per vocem istam. Immo etiam ista illiberalis ubertas editoribus allusit 2. hist. 27. ubi vide. Omnino scribi debet *& Claudiæ & Juliæ*, hoc est, tum Claudiæ, tum Juliæ. *Jac. Gronovius.*

2 *Nobis obsequii gloria*] Tanquam si essent viri militares & quidem in expeditione, quos sæpe apud Livium sic instrui & formari cernimus; sive ex commodo disciplinæ bellicæ, sive etiam ex æmulatione Asiatica, ubi Cyrus ὁμοτίμους castrenses judicabat debere τοῦτο ἀσκεῖν, ὡς μηδὲν ἀπολείποντο ἔργον, ἀλλὰ πάντα νομίζοιεν πρῶτα αὐτοῖς πράττειν, ὅταν ἂν ὁ ἄρχων προστάττοι, ut scribit Xenophon. lib. 2. Κύρου παιδ. Itaque gloria non est hæc quælibet, sed ἐν τῷ πρώτευειν. Id voluit quoque docere pravus ille doctor Otho 1. Hist. 83. quum ipse eam doctrinam vel præcipue fuisset transgressus. *Jac. Gronovius.*

3 *Abditos principis sensus*] Nazarius in Paneg. ad Constantinum: *Existimare quidem de principibus nemini fas est. nam & in vestibulo sue inquirentem repellit objecta veneratio, & si qui propius adierunt, quod oculis in solem se contendentibus evenit, præstricta acie, videndi facultate caruerunt.* Pichena.

4 *Nec ideo assequare*] Parum boni sensus est in voce *ideo*. Ideo non assequare quia illicitum. Quis hoc negat? Quis autem non & confitetur? Ideo non adsequaris, quia scrutaris. Hoc vero ineptum. Nec enim unquam causa ignorantiæ erit Veritatis inquisitio, licet & res divinas in partem trahas, neque hoc Tacitus dixerit, nec dictum voluerit sapiens ille Terentius. Scribam, *nec in Deo, assequare.* Eadem, ait, opera principis Deique arcana rimando te exploraturum confidas; par enim horum æstimatio. *Barthius.* Breviter Tacitus, hoc sensu: *& illicitum est & vanum: nam, utcumque scruteris, haud adsequere.* Gronovius.

5 *Sexdecim annos*] Sic urgent constantiam suam editores. Sed nihil nisi pervicacem errorem accumulant contra unicum MS. in quo perinde nunc legitur *sedecim*, ut in anterioribus, & ideo recepi. Quid quod 12, 58. in ipsis editis ita exprimatur? *Jac. Gronovius.*

6 *Satrium atque Pomponium*] *Satrius* est ille, qui Cremutium accusavit supra: *Pomponium* puto, *Quintum* prænomine, qui *moribus inquies*, ait noster infra, hæc & talia *factitari ii se prætendebat, ut periculis Pomponii Secundi fratris mederetur*: de quo in extremo lib. v. *Lipsius.*

7 *Constantia orationis*] Apud Xiphilinum Dio lib. 74. pag. 844. dicit τοῦτον τῆς παῤῥησίας θαυμάσας ὁ Σεβῆρος, qui illic ab Cassio Clemente similem plane

quæ omnes animo agitabant, eo usque potuere, ut accusatores ejus, additis quæ ante deliquerant, exsilio aut morte multarentur. Secutæ dehinc Tiberii litteræ in Sex. Vestilium prætorium, quem Druso fratri percarum [1] in cohortem suam transtulerat. caussa offensionis Vestilio fuit, seu composuerat quædam in C. Cæsarem ut impudicum, sive ficto habita fides. atque ob id convictu principis prohibitus, cum senili manu ferrum tentavisset, obligavit venas: precatusque per codicillos, immiti rescripto, venas resolvit. Acervatim ex eo [2] Annius Pollio, Appius Silanus, Scauro Mamerco simul [3] ac Sabino Calvisio, majestatis postulantur, & [4] Vinicianus Pollioni patri adjiciebatur, clari genus, & quidam summis honoribus. contremuerantque patres. nam quotus quisque adfinitatis, aut amicitiæ tot inlustrium virorum, expers erat? ni Celsus urbanæ cohortis tribunus, tum inter indices, Appium & Calvisium discrimini exemisset. Cæsar Pollionis, ac Viniciani Scaurique caussam ut ipse cum senatu nosceret, distulit; datis quibusdam in Scaurum tristibus notis. Ne feminæ quidem exsortes periculi, [5] qua occupandæ Reipublicæ argui non poterant, [6] *ob lacrymas* incusabantur: necataque est anus [7] Vitia Fufii Gemini mater, quod filii necem

ne sermonem audit, quum amicus Nigri jam interfecti expectare & ipse damnationem deberet cum aliis multis nonnisi ob istam causam. *Jac. Gronovius.*

1 *In cohortem suam*] Cohortem amicorum. ita enim vocabant exemplo prætoriæ cohortis. Seneca De Clementia, *Sallustium, & Cocceios, & Deillios, & totam cohortem primam interioris admissionis ex adversariorum castris conscripsit.* Ubi vides plures fuisse amicorum cohortes, & quasi gradus. Quod originem habuit a Graccho & Livio Tribunis. Idem scriptor, De beneficiis: *Apud nos primi omnium Gracchus & Livius Drusus instituerunt segregare turbam suam, & alios in secretum recipere, alios cum pluribus, alios cum universis. Habuerunt itaque isti amicos primos, habuerunt & secundos, numquam veros.* Itaque dicebantur Amici primæ, secundæ, tertiæ admissionis. ex ordine, quo admittebantur. Illeipse. *Non sunt isti amici qui agmine magno januam pulsant, qui in primas & secundas admissiones digeruntur.* Lampridius in Alexandro: *moderationis tantæ fuit, ut amicos non solum primi ac secundi loci, sed etiam inferioris, ægrotantes viseret.* Et Riberius ipse amicos solitus describere in tres classes. Vide Suet. c. XLVI. Ab hoc more Admissiones manarunt, Admissionales, & Officium admittendi. Admissionum ejus facilitatem in Trajani laudatione Plinius admiratur: Alexandrum *quasi unum è Senatoribus, patente velo, Admissionalibus remotis, salutatum esse* Lampridius scribit: & Accolejus *magister Admissionum* nominatur in Flavii Aureliano. Id munus fuit libertorum, ut clarum ex Suetonii Vespas. c. XIV. *Quidam ex officio admissionis simul expellens, abire Morboniam jusserat.* Fuit autem is libertus Phœbus. Plinius hoc idem ostendit loco non sano, libro XXXIII. cap. III. *Fuit & alia Claudii principatu differentia, in solis his quibus admissionem liberti ejus dedissent imaginem principis in annulo ex auro gerendi, magna criminum occasione: quæ omnia salutaris exortus Vespasiani principis abolevit, æqualiter publicando principem.* quem corrigo, *quibus admissionum liberti jus dedissent.* Quod ait criminum occasionem fuisse: refer ad ea quæ de imagine Principis dicta mihi in l. III. & quæ Seneca De Benef. III. cap. XXVI. *Idem.*

In cohortem suam] Inter suos comites recepit. Alibi dixi multa de cohorte. *Ferretius.*

2 *Annius Pollio*] Est ille, qui postea in Neronem conjuravit, amicorum ejus præcipuus. Tacitus libro XV. *Lipsius.*

Annius Pollio] Qui postea in Neronem conjuravit. *Muretus.*

3 *Et Sabino Calvisio*] Infra H. I, 48. mentio fit Calvisii Sabini, qui forte filius hujus fuerit. eum legatum, nempe legionis, fuisse ibi dicitur: quæ res me movet, ut credam eundem esse cum legato Legionis duodecimæ, cujus meminit noster 15. 7. quod si ita se habeat, loco indicato pro *Calavius Sabinus* legendum est *Calvisius Sabinus.* Freinshemius.

4 *Vicinianus*] Lego, *Vinicianus.* auctore Dione l. LX. qui hunc Annium Vinicianum conjurasse in Claudium cum Scriboniano adserit. *Lipsius.*

Vinicianus] Et hic postea conjuravit in Claudium. *Muretus.* Emendavit id nomen Lipsius ex Dione. Ego ex Man. confirmo. Male vulgo, *Vicinianus.* Pichena.

5 *Qua occupandæ reip.*] Muretus. *Quia.* Acidalius. Non improbo, tamen melius fortasse, *quia occupandæ.* Pichena.

6 *Ob lachrymas incusabantur*] Heu, misera conditio sub tyrannis: ubi nec liber, liberrimus affectuum, dolor. Claudianus hoc pulchre exprimit:

——— *tacitique sepultos*
Suspirant gemitus, indignarique verentur. Lipsius

7 *Fufii Gemini.*] Qui ante Consul. *Idem.*

Vitia Fufii Gemini mater] Qui Fufius accusatus majestatis, cum protulisset tabulas suas, se interfecit:

necem flevisset. Hæc apud senatum. nec secus apud principem [1] Vescularius Atticus, ac Julius Marinus ad mortem aguntur, è vetustissimis familiarium [2] Rhodum secuti, & apud Capreas individui. Vescularius insidiarum in Libonem internuntius; Marino participe, Sejanus [3] Curtium Atticum oppresserat. quo lætius acceptum, sua exempla in consultores recidisse. [4] Per idem tempus [5] L. Piso Pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit; nullius servilis sententiæ sponte auctor, & quotiens necessitas ingrueret, sapienter moderans. Patrem ei [6] Censorium fuisse memoravi: ætas ad octogesimum annum processit: decus triumphale [7] in Thracia meruerat. sed præcipua ex eo gloria, quod [8] præfectus urbi recens, continuam potestatem & insolentia parendi graviorem, mire temperavit. Namque antea [9] profectis domo regibus, ac mox magistratibus, ne urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur qui jus redderet, ac subitis mederetur. [10] feruntque ab Romulo Dentrem Romulium, [11] post

fecit: quod exemplum secuta est Publia Prisca uxor ipsius. Dio. *Muretus.*

1 *Vescularius Flaccus*] Male vulgo, *Atticus. Flaccus* enim bis nominatur lib. 2. *Pichena.* Non vulgo tantum, sed etiam in ipso unico MS. ita legitur, contra quem sic calcitrare est plenum periculi, præsertim quum sint hæc tantopere fracta. Itaque fruor admonitione Cl. Ryckii, quum possit Vescularius etiam adscivisse alterum cognomen. *Jac. Gronovius.*

2 *Rhodum secuti*] Forte: *è vetustissimis familiarium Rhodum secutis.* Gronovius.

3 *Curtium Atticum*] Equitem R. ex inlustribus, qui Tiberio comes Capreas. supra l. IV. *Lipsius.*

Curtium Atticum] Equitem ex illustribus, comitem secessus Capreensis. Supra lib. 4. *Muretus.*

4 *Per idem tempus*] Quid ergo Josepho Zonaræque in mentem venit, vivum eum facere Tiberio jam defuncto? Nec enim alium habeo de quo possint illa intellegi: *à Cajo binas epistolas missas, unam ad Senatum de Tiberii morte & suo imperio; alteram ad Pisonem Præf. urbis, qua jubebat Agrippam è castris transferri in priscas suas ædes.* An imposuit Syro celebritas nominis Pisonis, & per Syrum (nam ab illo hausit) Græco? An alius aliquis Piso tunc præfectus? quod non repperi. huic quidem Pisoni Ælius Lamia suffectus est, de quo Dio: Τόν τε Πείσωνα τὸν πολίαρχον τελευτήσαντα δημοσίᾳ ταφῇ ἐτίμησε. Καὶ Λούκιον ἀντ' αὐτοῦ ταμίας ἀνθείλετο, ὃν πρόπαλαι τῇ στρατιᾷ προστάξας κατεῖχεν ἐν τῇ Ῥώμῃ. scribe Λαμίαν. Ridiculus interpres, qui vertit *Lucium et Quæstorem suffecit*, inductus puerili errato. Sed ille ipse paullo post obiit, ut habes mox in nostro: & successit Lentulus Cossus. Disco ex Seneca epist. LXXXIV. *L. Piso urbis custos, ebrius ex quo semel factus fuit, majorem partem noctis in convivio exigebat, usque in horam sextam fere dormiebat. hoc erat ejus matutinum. Officium tamen suum, quo tutela urbis continebatur, diligentissime administravit. Huic & D. Augustus dedit secreta mandata cum illum præponeret Thraciæ, quam perdomuit: & Tiberius proficiscens in Campaniam, cum multa in urbe & suspecta relinqueret & invisa. Puto quia illi bene cesserat Pisonis ebrietas, postea Cossum fecit urbis præfectum, virum gravem, moderatum, sed mersum vino & madentem.* Lego ex libro manuss. *ebrius ex quo semel factus est, fuit.* id est, post unam illam ebrietatem (quæ tam bene cesserat, & cujus pretium Præfecturam ipsam habebat, ut Plinius scribit lib. XIV. cap. ult. & Suet. Tib. cap. XLII) semper placuit ei esse ebrium. Jacet alioqui sententia, nec à me erigi potest. *Lipsius.*

5 *L. Piso Pontifex*] Nescio an ex notis error, scribendumque, *Piso P. V.* id esset, Præfectus urbi. *Idem.*

L. Piso, Pontifex] Legendum est, *L. Piso p. v.* hoc est *Præfectus urbi.* Seneca Ep. 84. Plin. lib. 14. cap. ult. Sueton. in Aug. 42. *Muretus.*

6 *Censorium fuisse memoravi*] Non quidem in his libris qui extant. Tamen intellegi vult L. Pisonem socerum C. Cæsaris, qui Censor cum Appio Claudio, anno urbis DCCIV. quo ipso anno, ut ratio ætatis Tacito constet (ait enim vixisse octoginta annos) natus fuisse debuit hic Piso. *Lipsius.*

7 *In Thracia meruerat*] Vellejus: *Atrox in Thracia bellum ortum, omnibus ejus gentis nationibus in arma accensis, L. Pisonis, quem hodieque diligentissimum atque lenissimum securitatis urbanæ custodem habemus, virtus compressit.* Vide & Dionem LIII. *Idem.* Sed in MS. legitur *Thraecia*, de quo 3, 38.

8 *Præfectus urbi recens*] Ideo *recens* dixit, quia ab Augusto præfectura urbis instituta, ut tradunt Suetonius & Dio & alii. Recte ergo sequitur, *insolentia parendi.* Pichena.

9 *Profectis domo regibus*] Ex his & sequentibus Cornelii verbis, P. Faber illustris ingenii vir, censor scriptorum omnium optimus, emaculat Pomponii locum P. de origine juris, ubi de magistratibus. *Quoties*, inquit, *proficiscuntur, unus relinquitur, qui jus dicat, isque vocatur præfectus urbis: qui præfectus olim constituebatur: postea vero feriarum Latinarum causa introductus est.* debet autem scribi, *qui profectis iis olim consistit.* Scilicet, profectis domo regibus, ac mox magistratibus, ut ait Tacitus. *Vertranius.*

10 *Feruntque ab Romulo Dentrem Romulium*] At

post ab Tullo Hostilio [1] Numam Marcium, & ab Tarquinio Superbo [2] Spurium Lucretium impositos. dein consules mandabant; duratque simulacrum, quotiens ob ferias Latinas præficitur qui [3] consulare munus usurpet. Ceterum Augustus bellis civilibus [4] Cilnium Mæcenatem equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam præposuit. Mox rerum potitus, ob magnitudinem populi, ac tarda legum auxilia, sumpsit è consularibus qui [5] coërceret servitia, & quod civium audacia turbidum nisi vim metuat. [6] primusque Messalla Corvinus [7] eam potestatem, & paucos intra

Livio primæ decad. lib. 10. recensetur inter Pontifices tum è plebe creatos, *M. Livius Denter*. Rhenanus. Liber vetus: *Dentrem Romulum* habet, Forte *Livium* legendum ex T. Livio, lib. 10. *Muretus*. Vel hic ex Livio, *Dentrem Livium*, est scrib. vel apud Livium ex Tacito, *Dentrem Romulum*, reponendum. *Ursinus*.

1 *Numam Marcium*] Patrem Anci Regis. *Muretus*. Quis hic Numa Marcius, indictus universæ historiæ veteri? Volunt esse patrem Anci Marcii. Mihi aliter videtur; neque enim id tacuissent auctores originum Romanarum, & contra Livius Ancum Marcium nobilem ait una imagine Numæ. Itaque maneo in eo quod pridem monui, legendum *Numæ N. Marcium*; id est, Numæ nepotem. Is est Ancus Marcius, qui mox successor Tulio Hostilio. Seneca Epist. 109. *Quum ad hanc eandem lectionem philologus accessit, hoc subnotat, duos Romanos reges esse, quorum alter patrem non habet, alter matrem: nam de Servii matre dubitatur; Anci pater nullus, Numæ nepos dicitur.* Mercerus. Quod illi non concedit Th. Reinesius Inscript. pag. 354. ubi licet saxum spectet plenum suspicionis, rem tamen ipsam decenter enucleat. *Jac. Gronovius*.

2 *Sp. Lucretium*] Hic primus habuit comitia creandis Consulibus, cum Interrex esset. Livius ad finem lib. 1. Dionysius extremo lib. 4. *Muretus*.

3 *Consulare munus*] Præfectus urbi, cujus creandi originem Cornelius memorat, Latinarum causa relictus, *Consulare munus usurpat*, id est, à consule mandatum: non munus, quod consulem obire moris Romani fuerit. Etenim ex ea ætate præfectus fiebat, quæ senatoria non esset, uti Q. Mutius dicebat, & Agellius lib. 14. extremo scriptum reliquit. *Vertranius*.

4 *Cilinium Mæcenatem*] Dioni & Vellejo, & ipsi Cornelio infra lib. 14. Cajus Mæcenas, est, qui in hoc loco *Cilinius*. Id confirmatur ex eo, quod in epistola familiari Augusti ad Mæcenatem sic scriptum, *Cilneorum smaragde*. Unde qui *C. Mæcenatem Cilinium* à *Cilneis* dictum objiciet, is me ita fere irretiet, ut vix effugere possim: sed non tamen manus ex eo dabo, donec illa verba epistolæ intellexero quæ apud Macrobium reperio lib. 2. Saturn. c. 4. Cæterum Italiæ & urbi præfectum Mæcenatem testatur idem Dio lib. XLIX. *Vertranius*. Scribendum *Cilinium Mæcenatem*, &c. unico L. Sic enim est in vv. cc. tum apud Tacitum, tum apud Macrobium in Lusibus Augusti, qui Mæcenatem appellat, *Ciliniorum smaragdum*. *Cilnium* autem, pro, *Cilinium* corrupte habent codices Liviani manuscripti, unde docti viri Tacitum emendari posse putarunt, cum potius ex Tacito, apud quem minus corruptum legitur hoc nomen, Livius emendandus fuisset. Neque vero apud Silium, repugnantibus præsertim omnibus libris, mutandum fuit, *Cilinus*, in, *Cilnius*; sed potius ex Silii versu debuit confirmari Taciti pæne incorrupta scripta. Nec etiam defuere qui ex antiqua inscriptione, quam subjiciam *Junium Mæcenatem* hic apud Tacitum scribendum putarint. Adeo fatale fuit, ut in *Mæcenatis* nomine non tantum oscitantes librarii, sed curiosi etiam antiquitatis viri sæpius fallerentur. Inscriptionis exemplum est:

C. IVNIO. THALATIONI
C. MÆCENATIS. LIBERTO
FLATVRARIO
SIGILLARIO
C. IVNIVS. EVOKATVS. FELIX
TIT. D. D.

Ursinus.

Cilnium Mæcenatem] Non ut receptum est, *Cilinium*. Cilnius enim gentile nomen patris hujus & altoris Musarum. Cui domus prisca Arretium, ut olim ex Livio docui: & adde Silii versus hujusce rei:

Cilnius Arreti Tyrrhenis ortus in oris
Clarum nomen erat.

etsi ibi quoque vulgo, *Cilinus*. Nam Silius, ut solet, historiam exornat flore hominum sui superiorisque ævi. Præfecit autem Romæ Italiæque Mæcenatem Augustus per bellum Siculum. Consule Dionem XLIX. in actis anni DCCXVIII. *Lipsius*.

5 *Coërceret servitia*] Circumscribit potestatem Præfecturæ, quæ tamen aucta. Suadeo legas Dionem in Oratione Mæcenatis lib. LII. *Idem*.

Servitia & quod civium] Ex hoc loco intellige quod est l. 1. §. quod autem. & §. cui patronus. D. de offic. præf. urb. *Servos de dominis querentes, præfectus urbis audiat, si verecunde expostulent, si duritiam, si sævitiam, si famem, qua eos premat, si obscænitatem qua compulerunt, vel compellentem objiciant. Et si patronus de libertis queratur, si contumeliosos, si convitiantes arguat, & se, & uxorem, & liberos, ab iis indigna passos queratur.* Aurelius.

6 *Primusque Messalla Corvinus*] Tradit idem Eusebius Chronico: *Messalla Corvinus*, inquit, *primus Præ-*

intra dies finem accepit, quasi nescius exercendi. Tum Taurus Statilius, quamquam provecta ætate, egregie toleravit. Dein [1] Piso viginti per annos pariter probatus, publico funere ex decreto senatus celebratus est. Relatum inde ad patres à Quinti- 12
liano

Præfectus urbis factus, sexto die magistratu se abdicavit, incivilem potestatem esse contestans. At Dio libro LIV. in actis anni DCCXXXIV. ita narrat, ut M. Agrippam primum faciat Præfectum urbi. cui mox anno DCCXXXVIII. Taurum sufficit, hujus Corvini nulla mentione. *Lipsius.*

Primusque Messalla] Dum nullus in urbe præfectus ad ferias fuit, prætores quidam ejus officio functi sunt, donec Augustus creari desitum longo intervallo præfectum urbi Messalam Corvinum creavit. Sic magistratum intermissum reip. restituit, non autem præfecturam urbis, officium novum excogitavit, in quo Suetonii fidem diligentiamque requiras Aug. 37. *Vertranius.* Omnino excogitavit novum: & quidem, (licet alia obtenderet) ut frangeret jus prætorum, magistratus, quem à populo creari sinebat: tam felici successu, ut Boëthius lib. 3. de conf. phil. scribat: *Pratura magna olim potestas, nunc inane nomen est, & Senatoris census gravis sarcina.* Recte Suetonius: etsi Torrentius quoque non tam instituisse quam auxisse & ornasse notet. Nomine usus est vetere: sed res & potestas toto genere distabat. Itaque eopse tempore, quo hic urbano milite succinctus Præfectus urbi vigebat volitabatque maxime: tamen quotannis Latinarum causa quidam alius urbi præficiebatur. Cæterum de his Taciti deque Eusebii vel Hieronymi verbis eodem pertinentibus quæ disputamus adversus Scaligerum, vide Observat. in Ecclesiast. Script. cap. 19. *Gronovius.*

7 *Eam potestatem*] Quæ ab Augusto primum facta est perpetua. Sueton. Aug 36. *Muretus.*

1 *Viginti per annos probatus*] Ligat me nodus. Quid? viginti per annos Præfectus Piso? Fuerit ergo necesse est ab anno urbis DCCLXV. Nam ab eo die in hoc tempus viginti ipsi anni. Atqui Augustus tunc vixit, imperavitque. Quomodo ergo verum, quod Plinius Suetoniusque consensu tradiderunt, à principe Tiberio Pisonem factum Præt. urbis, propter bidui assiduam compotationem? illius verba sunt l XIV. *Eaque commendatione* (ebrietatis scilicet) *credidere L. Pisonem urbis Romæ curæ ab eo delectum, quod biduo duabusque noctibus perpotationem continuasset apud ipsum jam principem.* Nota ea, *apud ipsum jam principem.* Suetonius cap. XLII. *Postea princeps in ipsa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco & L. Pisone, noctem* (dissentit Plinius, qui ait duas noctes) *continuumque biduum epulando potandoque consumpsit: quorum alteri Syriam provinciam, alteri Præfecturam urbis confestim detulit.* Ait diserte, *Postea princeps.* Atqui vel ab initio principatus Tiberii ad hunc diem Pisonianæ mortis anni duntaxat XVII. Sed hoc amplius ex Suetonio colliges, factum Pisonem Præfectum, sub idem tempus quo Pomponius Syriæ Prætor. Ille autem Syriæ non ante annum DCCLXXIII. præponi potuit (Mæsiam enim provinciam administrabat a. DCCLXXII. uti ex Taciti libro II. clarum:) non ergo tot annos Piso Præfectus urbi. His rationibus cogor ut in Tacito restituam, *Piso decem per annos*, quia Pomponium Syriæ præfuisse ante annum LXXV. non probabile. Sit ergo hic error ex notis geminatis. *Lipsius.* Itaque Henr. Norisius non dubitat errorem in Tacit. codicem irrepsisse in isto numero, ut fatetur ad Cenotaph. Pisana pag. 324. Sed hic novus heros etiam credo non dubitabat se effrenatæ audaciæ esse; qui tunc quidem ita incipiebat extolli, ut dedignaretur legere Steph. Pigii Herculem Prodicium, notarum Lipsianarum æqualem, in quo hunc L. Calpurnium iste illustrant notat pag. 491. præfecturam urbis sub Augusto Tiberioque viginti per annos ab eo administratam. Sic dum scribit, ostendit sibi quoque rite computatos annos. Plinii autem & Suetonii loca nimium coercet, sed nempe ad suam libidem, acer iste Lipsius, quæ mollius intelligi debent, atque etiam possunt, ut decem aunos non deceat tam festinanter averti. *Jac. Gronovius.*

Piso viginti per annos probatus] His non obstantibus (quanquam Herculi facilius eripiatur clava, quam emendatio doctissimo viro) *viginti* legamus, & interpretemur. Ille duo consulatus præterit, nempe Longini & Quartini, Tiberiique & Sejani, qui nec Tacito (injuria temporis) dicuntur: quapropter ineunti numerum à principio Tiberii ad finem Pisonis, occurrunt 19. consulatus, quorum tempus viginti annis à Cornelio notatur, qui non morose tempora persequi solet. Vid. doctiss. virum in comm. ad illa lib. I. *Ultra biennium:* & ad illa lib. 3. *Exin continua per viginti annos.* Parum quoque adversatur, quod objecit de Pomponio Flacco, nam hæc, *confestim detulit*, solum referri valent ad præfecturam urbis. Verum simplicius agam, concedamque uno eodemque tempore, illum Syriam, hunc urbem regendas accepisse. Quid enim erit impedimento ne dicamus Syriam bis à Flacco rectam fuisse? primum ante Mœsiæ curam, & eo ipso tempore, quo Piso urbem cœpit moderari, postea usque ad ejus mortem. *Exin Flacco Pomponio Syriæ proprætore defuncto.* Sic enim Cyrenius, sive Quirinius novem post annos plus minus Syriam præses repetiit. Joseph. l. 18, 1. Antiquit. ἐπὶ Συρίας παρὰ τοῦ Καίσαρος δικαιοδότης τοῦ ἔθνους ἀπεσταλμένος καὶ τιμητὴς τῶν οὐσιῶν γενησόμενος. qui jam cum Servator nasceretur, id muneris curaverat. αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. Quasi dicat, cave, lector, existimes Dominum esse natum, cum post exilium Archelai Quirinius iterum

liano tribuno plebei *de libro Sibullæ*, *quem* 1 Caninius Gallus quindecimvirum 2 *recipi*
inter ceteros ejusdem vatis, *& ea de re senatusconsultum* postulaverat : 3 quo per discessio-
nem facto, misit litteras Cæsar modice tribunum increpans, *ignarum antiqui moris ob*
juventam; Gallo exprobrabat, *quod scientiæ cærimoniarumque vetus*, *incerto auctore*, *an-*
te sententiam collegii, *non*, *ut adsolet*, 4 *lecto per magistros æstimatoque carmine*, *apud*
infrequentem senatum egisset. Simul commonefecit; *quia multa vana sub nomine cele-*
bri vulgabantur, 5 *sanxisse Augustum*, *quem intra diem ad prætorem urbanum defer-*
rentur, *neque habere privatim liceret*. quod à majoribus quoque decretum erat,
post exustum 6 sociali bello Capitolium, quæsitis Samo, Ilio, Erythris, per Afri-
cam etiam ac Siciliam & Italicas colonias carminibus Sibullæ, una seu plures fuere,
datoque sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernere. Igi-
13 tur tunc quoque notioni quindecimvirûm is liber subjicitur. Iisdem consulibus, gra-
vitate annonæ juxta seditionem ventum. multaque & plures per dies, 7 in theatro
licentius efflagitata, quam solitum adversum imperatorem. quis commotus, incusa-
vit magistratus patresque, *quod non publica auctoritate populum coërcuissent* : addiditque
quibus e provinciis, *& quanto* 8 *majorem quam Augustus rei frumentariæ copiam advecta-*
ret. Ita castigandæ plebi compositum senatusconsultum, prisca severitate: 9 neque
segnius

iterum Syriæ præses & censor designatus est : non enim ociose dixi : *Hac descriptio prima*. Salmerius. Hujus Pisonis memoriam suscitavisse se existimabat Steph. Pigius in Herculis Prodicii citato loco.

1 *Caninius Gallus quindecimvir*] Ipsos Taciti manes doluisse reor, quum animadverterent aut invidiam Beroaldi perinde ac Pichenæ, quod videntes suis oculis in MSto extare *quindecimvirũ*, partim noluerint id nisi truncatum proferre, aut indicare lectoribus, quid illic scriptum esset, partim in istam Latinæ elegantiæ inscitiam deciderint, ut castitatem Taciti suique deque habuerint. Itaque vel unus hic locus dedit idoneum fratri meo laboris pretium, ut hoc suavissimum in tanto scriptore renovaretur, & pariter huic editioni eam laudem, ut nulli priorum decedat. Plura non dico, nisi quod sic nunc redintegraverim. Vide modo paterna ad Gellium 1, 24. Nam cur posteriores fecerunt *Quinctiliano*, quum illa litera *c* nec sit in MS. nec ostentetur ab Beroaldo. *Jac. Gronovius.*

2 *Recipi inter cæteros ejusdem vatis.*] Intelligit de Sibylla Cumæa, cujus volumina, quod Romanorum conscripta fata continerent, in arcanis habebantur. Neque vero sinus ille nobis ad aliud accinctis ingrediendus est, unicane Sibylla, quæ pluribus in locis visa, plurifariam cognominata fuerit. Adiri plures ex nostris hac de re possunt, de cæteris Firmianus lib. de falsa religione, & lib. de ira Dei. *Vertranius.*

3 *Quo per discessionem facto*] SCum (ut scribitur à Gellio lib. 14.) *fit duobus modis : aut per discessionem, si consentiretur : aut si res dubia esset, per singulorum sententias exquisitas.* Cornelius infra lib. 13. *Postquam discessionem Consul permiserat, pedibus in sententiam ejus iere.* Ferrettus.

4 *Lecto per magistros*] Magistri sunt sacerdotum. Valerius l. 1. *A patre suo collegii Saliorum magistro jussus.* Plinius lib. XXVIII. cap. II. *Quindecimvirum collegii magister.* In lapide : ORDO. SACERDOTVM. MAGISTRO. SVO. Et Sueton Calig. cap. XXII. Domit. cap. IV. Capitolinus, *Fuit in eo sacerdotio, & vates, & præsul, & magister.* Lipsius.

5 *Sanxisse Augustum*] Pete è Suetonio, cap. XXXI. in Augusto. *Idem.*

6 *Sociali bello*] Quid ais? Sociali sive Italico bello Capitolium flagravit? Non alios, sed te, in te advoco. qui scribis Hist. lib. 3. *Capitolium flagrasse L. Scipione. C. Norbano* Coss. Atqui tunc jamdiu positum Sociale bellum. Tullius tibi adsit, à memoriæ vitio non excuset. *Civili bello* scripsisse omnino te ex historia oportuit. *Idem.*

7 *In theatro licentius efflagitata*] Unde theatralis caveæ fragorem, qui insonet famem populi Romani, illustrat doctissimus Sirmondus ad Sidonium *1*, 10. sed hujus notitiæ memoria passim consecrata est in libris Romanis. *Jac. Gronovius.*

8 *Majorem quam Augustus*] Aliquid hac de re scripsi in Electis cap. De Annona. Sed modum tributi Ægyptiaci, qui tunc me latuit, erui ex Sex. Victore, in Augusto: *Hujus*, inquit, *tempore ex Ægypto urbi annua ducenties millia frumenti inferebantur.* velim interseri, *centena millia medium frumenti.* quæ vox, littera saltem notata, M. ut solet, periit. *Idem.* Frustra tentat Aurelium Victorem. Sic enim & Seneca de brev. vitæ c. 18. *Cogita non id egisse te ab ætate prima omni cultu studiorum liberalium, ut tibi multa millia frumenti bene committerentur.* Nec aliter Polybius lib. 5. non longe à principio: Καὶ σίτου πεντήκοντα μυριάδας. Gronovius.

9 *Neque segnius*] Forte, *sequius.* Lipsius.

1 *Silen-*

segnius consules edixere: [1] silentium ipsius non civile, ut crediderat, sed in superbiam accipiebatur. Fine anni Geminius, Celsus, Pompejus equites Romani cecidere conjurationis crimine. 14
Ex quis Geminius prodigentia opum, ac mollitia vitæ amicus Sejano, nihil ad serium. Et Julius Celsus Tribunus, in vinclis laxatam catenam, & circumdatam in diversum tendens, suam ipse cervicem perfregit. [2] At Rubrio Fabato, tamquam desperatis rebus Romanis, Parthorum ad misericordiam fugeret, custodes additi. [3] sane is repertus apud fretum Siciliæ, retractusque per centurionem, nullas probabiles caussas longinquæ peregrinationis adferebat. mansit tamen incolumis, oblivione magis quam clementia. [4] Servio Galba L. Sulla consulibus diu quæsito quos neptibus suis maritos destinaret Cæsar, postquam instabat 15
virginum ætas, [5] L. Cassium, [6] M. Vinicium legit. Vinicio oppidanum genus, [1] Cali-

1 *Silentium ipsius, non civile*] Solebat ipse Tiberius, quum res exigeret, populum edicto monere. lib. 1. *populumque edicto monuit.* lib. 3. *neque premeret vulgi sermones, monuit edicto.* Item reprehendere, & increpare lib. 5. *increpavitque per edictum plebem.* l. 14. *Tum Cæsar populum edicto increpuit.* At nunc, quia non Tiberii, sed Consulum edicto facta est castigatio, silentium ipsius ad superbiam trahebatur, quasi populus ab imperatore suo despiceretur. *Pichena.*

2 *At Rubrio Fabato*] In veteribus denariis nominatur *ROSCIUS* quidam *FABATUS.* Sed non putamus ex ejus denarii auctoritate quicquam apud Tacitum mutandum esse. *Ursinus.*

3 *Sanus repertus*] Quasi dicat illuc tantum stare solitos ægros? Suspecta lectio. Mercero placebat, *sane is.* Lipsius.

Sanus repertus] Leg. puto, *sane repertus.* Muretus. Bene monent corruptam lectionem. Rescribe; *sane is repertus apud fretum Siciliæ.* Accusatus Rubrius desperasse de rebus Romanis, & parasse perfugium ad Parthos. Sane, inquit Tacitus, ad fretum Siciliæ captus, retractusque nullam itineris probabilem causam reddebat, unde fides, verum crimen objici. *Sane*, ita sæpe in usu Tacito. Paulo post, *sane vetus urbi fenebre malum.* Mercerus. Faernus corruptum locum ita restituebat: *Sane is repertus apud fretum Siciliæ.* Ursinus. Olim non dissimilibus Scripturæ vestigiis: emendari, *Nam is repertus.* Felicius Mercerus, *Sane is repertus.* Pichena Lego *Messanæ is repertus.* Lucill. in fragm. *sæpe quod ante Optasti, freta Messanæ & Rhegina videbis.* Silius: *Incumbens Messana freto minimumque revulsa Discreta Italia atque Osco memorabilis ortu.* Aurelius.

4 *Ser. Galba L. Sulla*] His Consulibus Christus dominus in Crucem sublatus est, qui fuit annus ab V. C. 786. *Muretus.* Atqui in eburnea tessera, quæ apud me est, habetur. *L. SULP. L. SULLA.* Quid igitur? erratum dicemus apud Tacitum? Non puto. nam Sulpiciam gentem duobus simul prænominibus usam fuisse, *Lucii & Servii* diximus in familiis Romanis ad denarium *L. SERVII. RUFI*, qui cum ex Sulpitia esset familia, duobus his prænominibus, ut ibi notavimus, usus est. *Ursinus.* Duobus simul pronominibus usum quemquam privatum Romæ temporibus istis, nedum gentem, putare est βαρβαρολογίζειν & nostros mores miscere antiquis. Galbam autem non simul Lucium & Servium vocatum, sed *mutato prænomine* cum Servius à patre appellatus esset, adoptatum à noverca *pro Servio Lucium usque ad tempus imperii*, dein rursus omisso Lucio Servium *usurpasse* prænomen, testis Suetonius. *Gronovius.*

5 *L. Cassium*] Ita recte, estque ille qui consul cum M. Vinicio Quartino fuit, anno urbis DCCLXXXIII. Nam Suetonius diserte notat Drusillam collocatam L. Cassio Longino consulari. Pomponius de Origine juris manum adiit viris magnis, qui scribenti credunt, C. Cassium Longinum illum qui Jurisconsultus, consulem fuisse cum Quartino Tiberii temporibus. Atque censent hunc ipsum esse, qui progener Cæsaris nunc factus. Mihi cautio est ne temere credam homini, etiam alias falaci. Erras. Non est hic, Pomponi, juris antistes ille quem censes. Primum, quia Tacitus inter elogia morum generisque, laudem ei nullam tribuit juris: deinde, quia prænominibus diversi. Lucius hic est; Cajus ille tuus, constanti veterum scripto. Cassiodorus ecce L. Cassium & M. Vinicium Coss. nominat: Suetonius in Cajo, *Lucium Cassium Longinum:* & Tacitus in hoc loco. Diversi vita etiam, & morte. Jurisconsultus ille in honore sub Claudio fuit, Syriam administravit, pulsus à Nerone, per Vespasianum rediit, & omne illud tempus vixit: iste sub Cajo proconsul Asiæ, & monentibus sortibus caveret Cassium, à tyranno cæsus est. Sueton. cap. LVII. & Dio LIX. qui tamen male Cajum vocat. Denique quid respondes ad illud Taciti, *Facilitate sæpius quam industria commendabatur?* Demit ecce illi industriam ingeniumque: & audeant dicere, hæc convenire in magnum illum sacerdotem. Plura de hoc C. Cassio, libro XVI. *Lipsius.*

L. Cassius] Notavit hic doctissimus Lipsius errorem Onufrii ac Sigonii, qui Cassium hunc eundem esse volunt eum jurisconsulto C. Cassio. Sed quod idem accusat Pomponium, verbo respondebis, & defendes JCtum. non enim is M. Vinicium collegam dat Cassio jurisconsulto, sed Quartinum,

[1] Calibus ortus, patre atque avo consularibus, cetera equestri familia erat: mitis ingenio, & comptæ facundiæ. Cassius plebei Romæ generis, verum antiqui honoratique, & severa patris disciplina eductus, [2] facilitate sæpius quam industria commendabatur. Huic Drusillam, Vinicio Juliam, Germanico genitas conjungit: superque ea re senatui scripsit, levi cum honore juvenum. dein redditis absentiæ [3] caussis admodum vagis, flexit ad graviora, & [4] offensiones ob rempublicam cœptas: *utque Macro præfectus, tribunorumque & centurionum pauci, [5] secum introirent, quotiens curiam ingrederetur*, petivit, factoque large, & sine præscriptione generis, aut numeri, senatusconsulto, ne tecta quidem urbis, adeo publicum consilium numquam
16 adiit, devtis plerumque itineribus [6] ambigens patriam & declinans. Interea magna vis

nec mentio usquam Quartini nomen adhæsisse huic Vinicio. Consules ergo simul L. Cassius Longinus, & M. Vinicius, & quidem ordinarii. Rursus Consules C. Cassius jurisconsultus, & Quartinus, sed suffecti. Monuit id doctissimus atque optimus senea Jacobus Cujacius ad l. 11. de orig. juris. Itaque & Lipsii sententia hos Cassios discernentis, vera, docta, & Pomponius sine culpa. Tu modo ex breviario libri v. tolles Quartini nomen, quod Lipsius addidit, credulus fassorum concinnatoribus. *Mercerus*. Adde Rupertum Epist. 29. pag. 140. & Reinesium Epist. 32. pag. 160. Rursusque Rupertum Epist. 35. pag. 199. Sed & ad Pomponii Enchiridion Juris cap. 13.

6 *M. Vinicium*] Is est, de quo vetus interpres Juvenalis Sat. 1. in his verbis: *Pone Tigillinum. Verum admodum pulcher in concubinatum à Binsio & L. Domitio maritis Agrippinæ & Fulviæ sororum Cæsaris* &c. Male *Binsio* pro *Vinicio* & *Fulvia* pro *Julia* scribitur. Fratrem habuit L. Vinicium, qui exactissimi ingenii vir nec pati nec dicere poterat ineptias, ut Seneca pater testatur. *Aurelius*.

1 *Calibus ortus*] Hic est M. ille Vinicius (placet aliis Vinucius scribi, etsi Dio semper, Οὐινίκιος) ad quem historiam suam Vellejus misit, cuique indecore & serviliter blanditur. Produxit vitam ad Claudium, & à Messalina, quia pudorem servavit, interfectus. Habes in Dione libro extremo. Pater ejus Publius, Consul anno urbis DCCLV. Avus Marcus, anno DCCXXV. *Lipsius*.

Calibus ortus] In Campania. Hodie vulgo *Calvi*. Muretus. Calenum oppidum à Plinio appellatur, & Romanorum colonia fuit, teste Vellejo lib. 1. *Pichena*.

2 *Facilitate sæpius*] Dubito an melius, *felicitate*. Pichena. Non audiendus vir doctus, qui hic dubitat substituere *felicitate*. Facilitas est comitas quædam, & vere ea ipsa quam Galli *complaisance* vocant. quæ industriæ tanquam rei severæ opponitur, sic accipitur *facilis* supra 4, 2. *facili Tiberio*, h. e. obsequente, facile adsentiente. & 5, 1. *facilis uxor*. & in loco qui magis etiam illustret nostrum, in vita Agric. 40. *Ut militare nomen* (rem horridam) *temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit, cultu modicus, sermone facilis*. Sic etiam *facilitatem imperii* dixit Agric. 3. *Freinshemius*.

3 *Admodum vagis*] Nescio an melius, *vanis*. ut caussas dicat futiles levesque. Tamen non male, *vagis*: quasi alienis & parum certis. *Lipsius*.

Caussis admodum vagis] Placeret magis, *vanis*; nisi illud, *vagis*, sit verbum Tacito familiare, ut pleraque alia, quæ ab exoleta prorsus antiquitate sumsit. *Ursinus*. Cave mutes *vanis*, aut quocunque alio modo. Tacit. lib. 15. idem verbi repetit: *Quamvis lætitiam vagis sermonibus simularet*. Acidalius.

4 *Ob Remp. cœptas*] An magis, *captas*, an cum Mureto, *susceptas*? Lipsius.

Offensiones ob remp. cœptas] Muretus *susceptas*. Certe melius. *Acidalius*. Faernus legebat: *& offensiones ob remp. captas*, non, *ceptas*, vel, ut alii reponunt, *susceptas*. Quod tamen non esset æque improbandum. *Ursinus*.

5 *Secum introirent*] Ad hoc exemplum Claudius idem postea petiit, teste Sueton. 12. *Pichena*.

6 *Ambigens patriam*] Beato placuit, *ambiens*. Vulgatam tueri videtur, quod supra scriptum: *Campaniam prælegebat, ambiguus an urbem intraret*; ni suspecta esset dictionis novitas. *Lipsius*.

Ambigens patriam & declinans] Æmylius tentavit legere, *ambiens*: ego malim sic positum, *deviis plerumque itineribus ambigens & patriam declinans*. Vel sit transposita copula de industria, ut alibi sæpe. *Vertranius*. Immerito suspecta est Lipsio novitas hujus dictionis. Neque in Tacito versatissimus ignorare debebat, id in Tacito haud esse novum: eum brevitatis ubique studiosum, ne idem nomen repetere, periodosque nimium extendere, necesse habeat, duobus verbis, quæ casus alias diversos requirerent, aut mutatam phraseos rationem, unum tantum, & uni tantum verbo proprie convenientem casum vel phrasim permittere. Ut hoc loco. Proprie dicimus, *declinans patriam*: improprie, *ambigens patriam*. Usitatius foret: *ambigere de intranda patria*. Quod hic vult Tacitus. Sed quia ea loquendi ratio interciperet affectatam ubique nervosamque brevitatem: unius casum tribuit utrique verbo, qui tamen proprie convenit, τῷ *declinans*. Nihil apud hunc Scriptorem frequentius. Et in ejus lectione continuo hærebit, qui id non observat. Ea infinitis, unum modo huc conferam exemplum. Annal.

vis accusatorum in eos inrupit, [1] qui pecunias fœnore auctitabant, [2] adversum legem dictatoris Cæsaris, qua *de modo credendi, possidendique intra Italiam* cavetur; omissam olim, quia privato usui bonum publicum postponitur. Sane [3] vetus urbi fœnebre malum, & seditionum discordiarumque creberrima caussa: eoque cohibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus. Nam primo [4] duodecim tabulis san-

Annal. 11. *Enimvero* (Rhescuporis est, de quo loquitur,) *audita mutatione principis, immittere latronum globos, exscindere castella, causas bello.* Illa, *causas bello*, reguntur à τῷ *immittere*. Interim proprie dixeris: *immittere latronum globos:* minus proprie: *immittere causas bello.* Nihilominus & *causis belli* & *latronum globis*, tribuit unicum illud vocabulum *immittere*, ne nimirum longior sit. Vides non esse has in Tacito novitates: neque illas cuiquam reddere debere vulgatas lectiones suspectas: sed vero esse genuinas ipsasque elegantias Cornelianæ brevitatis. *Boxhornius.*

1 *Qui pecunias fenore*] Ex fenore plurimæ & gravissimæ seditiones exoriri solent: nam qui fenori pecuniam accipiunt, dulcedine præsentis pecuniæ illecti, neque quid postea futurum sit, cogitantes, indulgent cupiditatibus suis: neque prius de calamitate sua cogitant, quam exuti patrimonio, & omnibus fortunis eversi, novas res, si possunt, moliri, & de vertenda quoquo modo rep. consilia capere cogantur. Propterea diligentissime cavendum est, ne crescat æs alienum in civitate. Plato lib. 8. de legibus, non censet permittendum, ex puteo vicini aquam ad usum quotidianum sumere, nisi qui prius in solo suo foderit usque eo, dum ad argillam pervenerit. Hoc enim argumento utuntur aquileges, aquam inveniri non posse. Ita non esse permittendum, pecuniam ab alio utendam petere, nisi ei, qui prius tentasset omnes rationes subveniendi necessitatibus suis, aut ex fructibus prædiorum suorum, aut labore & industria, aut parsimonia & frugalitate. Eo magis, quod nemo feneratur propter ea, quæ sint ad vitam tuendam necessaria:

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι πλὴν δυοῖν μόνον,
Δήμητρος ἀκτῆς πώματός θ' ὑδροχόου; id est,
Quid ad tuendam est vitam opus, præter duo,
Cereale munus, & Achelοi pocula.

Propter hæc autem nemo se, ut Diogenes dicebat, feneratori obligat. Ut in argento, aut in auro bibatur: ut gemmis digiti, aures unionibus onerentur, ne purpura calcetur, ut ebore incrustentur laquearia, ut auro radient, ut citreæ mensæ petitis trans mare dapibus premantur; ut stultæ, infinitæ, inhonestæ, cupiditates delassentur potius, quam explicantur: ob has & harum similes causas argentariorum tabulæ implentur. Itaque Persæ, ut est apud Herodot. omnium peccatorum gravissimum esse ducebant, quidquam cuiquam debere. Et Plato libro 11. de Leg. prohibet, ne quid ematur in diem: sed omnia præsenti pecunia: aut ne ulla sit actio ad precium petendum. Itemque sanxit, si quis pecuniam mutuam dederit, ne eam ab invito exigere possit. Sed & à Charonda institutum, & apud quosdam Indorum populos olim observari solitum legimus apud Stobæum λόγῳ μ. β'. Sed & lege XII. Tabul. obærati habebantur in nervo & compedibus, vendebantur: si plures unius creditores erant, qui solvendo non esset, licebat eis corpus ejus dissecare, & inter se partiri. Quæ tam horrenda, tamque atrocia lege nominatim permissa erant, ut deterrerent homines ab ære alieno contrahendo. Sed tamen in credenda pecunia aliquid humanitatis est, & natura ipsa nos monet, ut cum amicis egentibus, quemadmodum aliarum rerum, sic pecuniæ quoque numeratæ usum communicemus: idque etiam Deus ipse facere nos jubet. Sed adversus naturam est poscere, ut nummus nummum gignat; vereque affirmat Aristoteles 1. Politic. fenus naturæ adversari. Is enim qui alteri fenerat, specie beneficii, cum cui gratificari videtur, evertit. Itaque eleganter S. Ambrosius ait, non multum interesse inter *Fenus* & *Funus*: inter *Sortem* & *Mortem*. Cumque sortem feneratores *Caput* vocare soleant, eos qui illorum retibus involuti tenentur, esse capitis reos. Hæc igitur de Fenore καθόλου: de quo videndus est lib. S. Ambrosii de Tobia. S. Basilius in Psalmum 14. Plutarchus in libro περὶ τοῦ μὴ δανείζεσθαι. Nunc quæ à Tacito dicuntur singillatim consideremus. *Muretus.* Sed nummum non esse rem sterilem, de Usuris cap. 8. nec fœnus naturæ adversari, cap. 10. contra Aristotelem probat. *Salmasius.*

2 *Adversum legem Cæsaris*] Suggerit eam legem aperte, quod sciam, solus Dio l. XLI. Ἐπειδή τε συχνοὶ πολλὰ χρήματά τε ἔχειν καὶ πάντα αὐτὰ ἀποκρύπτειν ἐλέγοντο, ἀπηγόρευσε μηδένα πλεῖον πεντακισχιλίων καὶ μυρίων δραχμῶν ἐν ἀργυρίῳ ἢ καὶ χρυσίῳ κεκτῆσθαι. id est: *Et quoniam complures pecuniam multam habere & occultare dicebantur: edixit nequis in argento aurove amplius possideret quam LX. sestertia.* Et alludunt alii scriptores, ut Sueton. Tiber. cap. XLIX. dum scribit quosdam damnatos, *quibus nihil aliud sit objectum, quam quod partem rei familiaris in pecunia haberent.* Partem, scilicet majorem quam pro lege. In qua Suetonii vera sententia eruenda Scholiastæ sunt frustra. Reliquum pecuniæ conferri Cæsar voluit in agros. *Lipsius.*

Adversum legem Dictatoris] De qua Sueton. in Cæs. 42. & Cæsar ipse lib. 3. de bello civ. *Muretus.*

3 *Vetus urbi fœnebre malum*] Hoc è T. Livio, & Halicarnasseo cognosci potest. *Idem.*

4 *Duodecim tabulis sanctum*] At eam sanctionem Livius

ſanctum, *ne quis* [1] *unciario fœnore amplius exerceret*, cum antea ex libidine locupletium agitaretur: [2] dein rogatione tribunicia, ad ſemuncias redacta: [3] poſtremo vetita verſura. multiſque plebis ſcitis [4] obviam itum fraudibus. quæ totiens repreſſæ, miras per artes rurſum oriebantur. Sed tum Gracchus Prætor, cui ea quæſtio evenerat, multitudine periclitantium ſubactus, rettulit ad ſenatum. trepidique patres (neque enim quiſquam tali culpa vacuus) veniam à principe petivere: [5] & concedente,

Livius ad M. Duellium Trib. pl. refert poſt XII. tabulas, aliquot annis. lib. VII. *C. Marcio, Cn. Manlio Coſſ. de unciario fœnore a M. Duellio Tribuno pl. rogatio eſt perlata: & plebs aliquanto eam cupidius ſcivit, acceptique.* Lipſius.

1 *Unciario fenore*] Quia numerus duodenarius commodiſſimus eſt ad partitiones. Habet enim 6, 4, 3, 2, 1. Idcirco eo antiqui in rebus dividendis ſæpiſſime utebantur. Sic hereditatem vocabant *Aſſem*, &c. Sic cum ſingulis menſibus ſinguli nummi pro centenis uſuræ nomine pendebantur, id eſt, duodeni quotannis in centenos, eam uſuram *Centeſimam* vocabant: quæ graviſſima erat omnium lege permiſſarum; & ea ipſa quaſi *As* uſurarum erat. Proxima erat, cum undeni, id eſt, deunx. Perſius:

> *Quid petis ut nummi quos hic quincunce modeſto*
> *Nutrieras, pergant avidos ſudare deunces.*

Inde *dextantes* uſuræ, *dodrantes*, *beſſes*, *ſeptunces*, *ſemiſſes*, *quincunces*, *trientes*, *quadrantes*, *ſextantes*, *unciæ*. Erant autem *Unciæ* uſuræ, com pro centenis mutuis datis ſinguli quotannis uſuræ nomine peodebantur. Eam permiſſam fuiſſe hic ait Tacitus, lege XII. Tabul. ſed cum, ut veriſimile eſt, graviores uſuræ poſtea exercerentur, lex de Unciario fenore iterum lata eſt, centum fere annis poſt XII. Tabulas, à M. Duilio, L. Mænio Tribunis pl. ut auctor eſt Livius libro 7. Deinde ad ſemuncias, decem annis poſt legem eadem de re Duilii Tribuni, pl. idque T. Manlio Torquato, C. Plautio Coſſ. *Muretus.* Quid ſit *unciarium fœnus*, minime inter ſe conſentiunt interpretes. Carolus Sigonius de antiq. jure Roman. libro 2. cap. 11. illud ad centeſimam refert, id eſt, cum pars ſortis centeſima ſingulis menſibus penditur. contra Muretus, nec non Antonius Auguſtin. de legibus & S. C. ad legem Duiliam Mæniam, unciariam uſuram eſſe contendunt, centeſimum nummum in annos ſingulos: ea maxime ratione ducti; quod illius legis perlatio, *læta plebi*, *ingrata patribus* divitibuſque fuerit, ut teſtatur Livius libro 7. Mihi Sigonii ſententia magis probatur. Adeo enim apud antiquos Romanos fœneratorum ſævitia creverat, ut minime mirer, pro uſura levi fuiſſe, unum pro centum in menſibus ſingulis. Ac de uſuræ quidem enormitate, paſſim apud eundem Livium querelæ ſeditioneſque plebis. præſertim libro 6. *ſe multiplici jam ſorte exſoluta, mergentibus ſemper ſortem uſuris, obrutum fœnore eſſe.* Et quod *unciarium fœnus* plebi fuerit grave; argumento ſit, quod deinde ad *ſemunciarium* redactum fuit, eodem Livio teſte. Præterea ſatis conſtat, ſolitum fœneratoribus, uſuras ſingulis menſibus exigere, & ideo menſtrui exactores dicti. Hinc apud Ariſtophanem in Nubibus, quidam debitor facete optat Lunam cœlo detrahere, atque aſſervare. nam ſi ea nunquam oriretur, is nunquam uſuras perſolveret, & Baſilius in Pſalm. 14. ait, a debitoribus timeri menſes, velut uſurarum patres. Vide Plutarchum de vitando ære alieno. *Pichena.* Rectius Muretus & Anto. Auguſtinus, quibuſcum concordat & Sigonius. Vide quæ ſcripſimus Antexegeſi priore de Centeſ. Uſuris & fœnore unciario pag. 63. & ſeqq. *Gronovius.*

2 *Dein rogatione tribunicia*] Decem annis poſt illam Duellii. Livius: *T. Manlio Torquato, C. Plautio Coſſ. ſemunciarium tantum ex unciario fœnus factum.* Lipſius.

3 *Poſtremo vetita verſura*] Id eſt: ſublatum omne fœnus. quod ambigue Livius ponit in actis anni CDXII. quinto anno, poſt ſemunciam conſtitutam: *Præter hæc*, inquit, *invenio apud quoſdam L. Genucium Tribunum pl. tuliſſe ad populum ne fœnerare liceret.* Magis cum Tacito adfirmat Appianus libro 1. Civilium: Τῷ δ' αὐτῷ χρόνῳ κατὰ τὸ ἄστυ οἱ χρῆσται πρὸς ἀλλήλους ἐστασίαζον, οἱ μὲν πράττοντες τὰ χρέα σὺν τόκοις, νόμου τινὸς παλαιοῦ (Genutii legem intelligit) προσαγορεύοντος μὴ δανείζειν ἐπὶ τόκοις, ἢ ζημίαν τὸν οὕτω δανείσαντα προσοφλεῖν. Ἔθους δὲ χρονίου τοὺς τόκους βεβαιοῦντος, οἱ μὲν κατὰ τὸ ἔθος ᾔτουν, οἱ δὲ οἷον ἐκ πολέμων τε καὶ στάσεων ἀνεβάλλοντο τὰς ἀποδόσεις. εἰσὶ δ' οἳ καὶ τὴν ζημίαν τοὺς δανείσαντας ἐκτίσειν ἠπείλουν. *Lipſius.*

Poſtremo vetita verſura] Lege Genucia, ſex annis poſt Duiliam. Livius lib. 7. Itaque ſæpe poſtea multati ſunt fœneratores, qui & puniebantur pœna quadrupli, cum fures tantum dupli condemnarentur. M. Cato, initio rei ruſticæ. *Muretus.* Rectius *uſura* quod idem Muretus credo voluit, cujus in libro ſic jugulatas priores literas inveni, *verſura*. Acidalius. Error Acidalio communis cum doctis hominibus multis, qui parum ceperunt, quid eſſet veteribus *verſura*, etiam poſtquam id planiſſime docuerat Salmaſius. Vide Antexegeſin poſteriorem p. 162. & ſeqq. *Gronovius.*

4 *Obviam itum fraudibus*] Fraudem quomodo facerent, cum in ſocios nomina tranſcriberent, cognoſces ex Livio lib. 35. *Muretus.*

5 *Et concedente*] Sic ferri poteſt. mallem tamen: *eo concedente.* Pichena.

1 *Ditas*

dente, annus in posterum, sexque menses dati, quis secundum jussa legis, rationes
familiares quisque componerent. Hinc inopia rei nummariæ, commoto simul omnium 17
ære alieno; & quia tot damnatis, bonisque eorum divenditis, signatum argentum
fisco vel ærario attinebatur. ad hoc senatus præscripserat, [1] *duas quisque fœnoris partes in agris per Italiam conlocaret.* Sed [2] creditores in solidum appellabant: nec decorum appellatis, minuere fidem. Ita primo concursatio, & preces; dein strepere prætoris tribunal. eaque quæ [3] remedio quæsita, venditio, & emptio, in contrarium mutari; quia fœneratores omnem [4] pecuniam mercandis agris condiderant. Copiam vendendi secuta vilitate, quanto quis obæratior, [5] ægrius distrahebant; multique fortunis provolvebantur: eversio rei familiaris dignitatem ac [6] famam præceps dabat. donec tulit opem Cæsar, [7] disposito per mensas millies sestertio, factaque mutuandi

1 *Duas quisque fœnoris partes*] Sueton. Tiber. cap. XLVIII. Simile quod Plinius l. VI. epist. de Senatu sui ævi: *Patrimonii tertiam partem conferre jussit in ea quæ solo continerentur.* Capitolinus de M. Antonio: *Jussit ut senatores peregrini quartam partem in Italia possiderent.* Lipsius.

Duas quisque fenoris partes] Hac de re Sueton. Tiber. 48. *Per SCtum sanxit, ut feneratores duas partes in solo collocarent: debitores totidem æris alieni statim solverent.* Sic Plinius 6. Epist. de Senatu suorum temporum, *Patrimonii tertiam partem conferri jussit in ea, quæ solo continerentur.* Capitolinus de M. Antonio. *Jussit ut Senatores peregrini quartam partem in Italia possiderent.* Fortassis igitur hic quoque lege *patrimonii*, aut *duas quisque fenoris partes solveret: duas patrimonii in agris per Italiam collocaret.* *Muretus.* Intelligo duas partes ex tribus partibus, vel duas tertias partes. Sic Livius lib. I. *Cum Hernicis fœdus ictum, agri partes duæ ademptæ.* nam paulo infra ait: *quid attinuisse Hernicis paulo ante hostibus, capti agri tertiam partem reddi?* idem lib. 8. in princip. *Oppidum captum redditumque Privernatibus, præsidio valido imposito; agri partes duæ ademptæ.* Illustratur hic Taciti locus à Suetonio Tib. 48. *cum per senatusconsultum sanxisset, ut fœneratores duas patrimonii partes in solo collocarent; debitores totidem æris alieni statim solverent.* Pichena.

2 *Creditores in solidum appellabant*] In summa inopia rei nummariæ, cum non haberent debitores unde solverent, duabus quidem fœnoris partibus satisfaciebant agris tradendis ex senatusconsulto. reliquum vero vel agros similiter occupaturum erat, vel apud debitores residebat. Itaque solidum petebant ex agris sibi solvi creditores; negantibus debitoribus propter agrorum vilitatem. Cum autem nollent magistratus minui fidem, hoc est, vellent omnibus integrum solvi; ita primum concursatio, &c. *Ferretus.*

3 *Remedio quæsita emptio*] Sensus est, in luxum libidinemque fœneratorum convertebatur emptio & venditio, quæ non aliam ob causam in gentium usum venerat, quam ut hominum necessitati mederetur, & rerum commutatione succurreret. *Vertranius.*

4 *Pecuniam mercandis agris condiderant*] Videtur sensus: Absconderant pecuniam fœneratores, ne quis posset ab iis, ad agros obæratorum mercandos, fœnore sumere. hac scilicet mente, ut cum alii emptores, propter pecuniæ inopiam, non invenirentur, obærati suos agros fœneratoribus ipsis cogerentur vilissimo pretio vendere. Et ideo dixit, emptionem & venditionem, quæ alias remedio civium esse solebant, in contrarium mutatas; quippe quæ non ad suum cujusque arbitrium, sed ad voluntatem & avaritiam fœneratorum tantummodo exercebantur. Plut. de vitando ære alieno: *fœnerator, si quid vendis, precium diminuit: si nihil vendis, ut vendas cogit.* Pichena. Legendum: *Pecuniam in mercandis agris condiderant.* Id est, posuerant, collocaverant, fundaverant. Quæ omnia ex eadem tralatione. *Poni* quoque pecunia similiter dicebatur, quia *ponere* idem quod ædificare, collocare & fundare. Inde & *poni* pecunia dicitur, ut *condi* & *fundari*, quæ in solido locatur & bene constituitur. Duplici sensu locatio vel collocatio pecuniæ sumitur; cum mercede pacta alicui locatur, quomodo & aliæ res solent locari, pro quibus mercedem conductores præstant: & simpliciter, cum pecunia possessiones aut aliæ res emuntur, in his *locari*, *poni*, & *collocari*, vel etiam *fundari* pecuniæ dicuntur. Salmasius de Usuris. Vide quæ scripsimus ad hunc locum in Mantissa Pecuniæ Veteris cap. I. pag. 105. *Gronovius.*

5 *Ægrius distrahebant*] Vendendi difficultas arbitror ex eo, quod ab iis non temere, nec sine cautione emebatur, propter evictionis periculum. *Pichena.*

6 *Famam præceps dabat*] Nisi sit phrasis, Tacito familiaris, scriberem: *ac famam in præceps dabat.* Ursinus. Muretus addit *in præceps*, recte. *Acidalius.*

7 *Disposito per mensas*] Ex ærario. Leg. autem est, *millies sestertium* ex Suetonio: qui sint M. CCCC. scutata monetæ. *Muretus.* Legendum: *Millies sestertium*, non, *sestertio*. quod mendum sæpe apud Tacitum irrepsit. *Ursinus.* Immo legendum, ut est in scripto & editis, *millies sestertio*, non *sestertium*: quo de genere & superius mentio facta est. *Gronovius.*

tuandi copia sine usuris per triennium, si debitor populo in duplum [1] prædiis cavisset. Sic refecta fides, & paulatim privati quoque creditores reperti. neque emptio agrorum exercita ad formam senatusconsulti, acribus, ut ferme talia, initiis, incurioso
18 fine. Dein redeunt priores metus, postulato majestatis Considio Proculo: qui nullo pavore diem natalem celebrans, raptus in curiam pariterque damnatus interfectusque. Et sorori ejus Sanciæ aqua atque igni interdictum, accusante Q. Pomponio. is moribus inquies, *hæc & hujuscemodi à se factitari* prætendebat, *ut parta apud principem gratia, periculis Pomponii Secundi fratris mederetur.* Etiam in Pompejam Macrinam exsilium statuitur, cujus maritum Argolicum, socerum Laconem è primoribus Achæorum Cæsar adflixerat. [2] Pater quoque inlustris eques Romanus, ac frater prætorius, cum damnatio instaret, se ipsi interfecere. datum erat crimini, *quod* [3] *Theophanen Mitylenæum proavum eorum, Cn. Magnus inter intimos habuisset: quodque defuncto Theophani,*
19 *cælestes honores Græca adulatio tribuerat.* Post quos Sex. Marius Hispaniarum ditissimus, [4] defertur *incestasse filiam*, & saxo Tarpejo dejicitur. ac ne dubium haberetur, [5] magnitudinem pecuniæ malo vertisse, [6] aurariasque ejus, quamquam publicarentur, sibimet Tiberius sepofuit. [5] irritatusque suppliciis, cunctos qui carcere attinebant-

1 *Prædiis cavisset*] Vocem, *prædiis*, non sperno. tamen ambigo, num verius, *prædibus*. Livius lib. 22. utrumque complexus est: *dandam ex ærario pecuniam mutuam, prædibusque ac prædiis cavendum populo censerent.* Pichena.

2 *Pater quoque illustris*] M. Pompejus, procurator Asiæ. Strabo lib. 13. *Muretus.*

3 *Theophanem Mitylenæum proavum*] Horum avus fuit M. Pompejus Theophanes, Asiæ Procurator, Tiberio ex intimis amicis. Strabo libro XIII. Οὗτος δ' (Θεοφάνης) καὶ πολιτικὸς ἀνὴρ ὑπῆρξε, καὶ Πομπηΐῳ τῷ Μάγνῳ κατέστη φίλος, μάλιστα διὰ τὴν ἀρετὴν αὐτὴν, καὶ πάσας συγκατώρθωσεν αὐτῷ τὰς πράξεις. Καὶ ἑαυτὸν πάντων Ἑλλήνων ἐπιφανέστατον ἀνέδειξεν. υἱόν τε ἀπέλιπε Μάρκον Πομπήϊον, ὃν τῆς Ἀσίας ἐπίτροπον κατέστησέ ποτε Καῖσαρ ὁ Σεβαστός. Καὶ νῦν ἐν τοῖς πρώτοις ἐξετάζεται τῶν Τιβερίου φίλων. *Lipsius.*

Theophanem Mitylenæum] In ejus gratiam Pompejus Mitylenæis immunitatem donaverat. Plutarch. qui eum malitiosum fuisse ait. Fabrum præfectus fuit in castris Pompeji bello civili, auctorque ei victo fuit, se in Ægyptum potissimum conferendi. *Muretus.* Sed hunc relinquimus & concedimus illis, qui ita voluerunt, unde lasciva imperitaque manu eum talem sibi finxerunt. Nos ab Tacito acceptum diligimus *Theophanen*, ut caste fideque servat codex MS. & edidit Beroaldus, donec aliis placuit nugari. De eo notatum est sæpius. *Jac. Gronovius.*

4 *Defertur incestasse filiam*] Quam ablegaverat, ne à Tiberio stupraretur. Dionem lege lib. 58. *Idem.*

5 *Magnitudinem pecuniæ malo vertisse*] De qua vide Dionem libro LVIII. & de hac historia tota. nescio an hic idem ille Marius qui ante annos aliquot postulatus. supra lib. IV. *Drusum auspicandi gratia tribunal ingressum adiit Calpurnius Salvianus in Sex. Marium.* Lipsius.

Magnitudinem pecuniæ malo vertisse] *Vertisse malo*, pro, in malum. *Rhenanus.*

6 *Aurariasque ejus*] Faernus pro vulgatis legebat, *argentarias ejus*, deleta copula, *que*. Ursinus. Copulam in voce *aurarias* saltem delet Muretus: nec forte quid amplius deest, ut suspicantur. *Acidalius.* Si *Que*, hic successit in locum *etiam*, quod passim fit, quid incassum dubitamus? Magnæ divitiæ extitio Mario fuerunt, non autem incestus filiæ, de quo non satis constabat. Vis id cognoscere, noster ait? en Tiberius, qui præter cætera Marii bona, retraxit etiam in fiscum ejus aurarias, quæ jure in ærarium populi recidebant. vel proprie sumas, *que*. & ita distinguas: *ac ne dubium haberetur magnitudinem pecuniæ malo vertisse aurariasque ejus; quamquam publicarentur, sibimet Tiberius sepofuit.* Hoc sensu pernicies Marii ex multis ejus opibus orta est, præcipue ex aurariis, quas possidebat: patet, nam ea omnia Tiberius sibi adjudicavit, licet ad populum essent divolvenda. *Saluerius.* Quod sic ab hoc homine ad locum istum adfertur, ut illud *que* ab Romanis in nonnullis sic usurpatum consecrat in omnia fere (quod quis Latinus probet?) id suum vult & audet facere Nic. Heinsius in notis Vellejanis 1, 8. tanquam non se ostenderet satis clare modus, per quem huc corruptela invecta est. Scripsisse Tacitum opinor: *Ne dubium haberetur magnitudinem pecuniæ malo vertisse aurariasque, eas quamquam publicarentur, sibimet Tiberius sepofuit.* Jac. Gronovius.

7 *Irritatusque suppliciis*] Id est supplicationibus reorum, ac periclitantium. Sic lib. 3. *Sed tum supplicia diis, ludique magni ab senatu decernuntur.* Pichena. Quis autem pro Cæsaris hostibus supplicare auderet? Potius *suppliciis* est sanguine, cæde. Significat crudelitatem ejus non exsatiatam multitudine punitorum, sed ultro incitatam, ut grassari cuperet in plures. *Gronovius.*

1 *Ja-*

bantur accusati societatis cum Sejano, necari jubet. [1] Jacuit immensa strages: omnis sexus, omnis ætas: inlustres, ignobiles, dispersi, [2] aut aggerati. neque propinquis, aut amicis adsistere, inlacrymare, ne visere quidem diutius dabatur; sed circumjecti custodes, & in mærorem cujusque intenti, corpora putrefacta adsectabantur, dum in Tiberim traherentur: ubi fluitantia, aut ripis adpulsa, non cremare quisquam, non contingere. interciderat [3] sortis humanæ commercium [4] vi metus: [5] quantumque sævitia gliseeret, miseratio arcebatur. Sub idem tempus C. Cæsar discedenti Capreas avo 20
comes, Claudiam M. Silani filiam conjugio accepit; immanem animum subdola modestia tegens, [6] non damnatione matris, non exsilio fratrum rupta voce, [7] qualem diem Tiberius induisset, pari habitu, haud multum distantibus verbis. Unde mox scitum

[1] Passieni

1 *Jacuit immensa strages*] Mirum tragœdias eas verborum Tacitum miscere, si interfecti non plures viginti. Ita enim Suetonius cap. LXI. *Viginti uno die abjecti, tractique, inter eos pueri & feminæ.* Sed numerum eum reipsa admonente, corruptum dixero: substituoque, ∞. id est, mille. quod fatuus exscriptor interpretatus est Viginti. Certe de majori numero fatebitur, qui Taciti verba vigilans leget. Menda numerorum in Suetonio plura, & quædam magnæ rei. ut Nerone. cap. XII. *Exhibuit ad ferrum etiam quadringentos Senatores, sexcentosque equites Romanos.* Quadringenti Senatores, dimidia Senatus pars. quos omnes depugnasse in arena, fuge credere. Corrigo, *quadragenos.* De equitibus etiam malim, *sexagenos.* firmante conjecturam Dione, qui auctor est pugnasse tantum equites triginta. Simile in Claudii, cap. XXXII. *Convivia & ampla & assidua agitavit, ac fere patentissimis locis, ut plerumque sexceteni simul discumberent.* Scribo, *plerumque sexageni.* Sexcenti convivæ, epulum publicum, non convivium. Plura hujus generis alias. Statim etiam in Taciti verbis lego, *interciderat sortis hu. commercium vi, metu.* Lipsius.

Jacuit immensa strages] Viginti uno die abjecti, tractique: inter eos pueri ac fœminæ. Sueton. Tib. 61. sed lego, *ducenti*, non, *viginti.* Muretus. Est imitatio Livii, sic exponentis Cannensia 22, 52. *Jacebant tot Romanorum millia pedites passim equitesque*, & quæ deinde illic pertinentia annectit, quæ ab Tacito ad sævitiam Tiberianam extolluntur. *Jac. Gronovius.*

2 *Aut aggerati*] Ex manuscripto reposui, *aggerati.* Vulgo, *aggregati.* Pichena.

3 *Sortis humanæ*] Sors humana, mors est & inopinati aut incerti casus. Ita l. I. Annal. *Permota ad miserationem exercitu, ob casus bellorum, & sortem hominum.* At sortis ejus *commercium* est miseratio & agnitio similis fortunæ: quæ omnibus potest evenire. Hanc sequitur auxilium vel solatium, & sepultura, communi quodam jure. *Lipsius.*

4 *Vi metus*] Lipsius. *vi, metu.* Sperno: noster enim περιφράζοντι & describit intensum metum, qualem sævissimi Tiberii mores minabantur, τὸ vis profecto non mediocriter auget Plaut. Truc. *Quique vim magni doloris per voluptatem Tuam condidisti in corpus.* Cæterum benignius cum his agebatur, non cogebantur enim amicorum cadavera calcare: at pœna præsens iis qui Sejanum ludibrio non habuissent. Juven. Sat. X. *Quam timeo victus, ne pœnas exigat Ajax* &c. Victus Ajax (ut hæc obiter explanem) Tiberius est, qui furit in greges innocentum, ut ille, post armorum judicium, in mandras pecudum. Ex his satis apparet, quam vere dixerit ille, Brutum & Cassium *ultimos Romanorum* fuisse: & Juvenal. *Unde Hac tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes.* Neminem tunc temporis inventum esse, qui illum novum Creontem sic affaretur. *Salmerius.* Numquid concinnius, *vi, metu.* Freinshemius.

5 *Quantumque sævitia*] Quanto major erat sævitia in damnatos, eo minus misereri poterant affines, propinqui, proximi, amici. *Ferrettus.*

6 *Non damnatione matris*] *Omnibus insidiis tentatus elicientium, cogentiumque se ad querelas, nullam unquam occasionem dedit, perinde oblitterato suorum casu, ac si nihil cuiquam accidisset. Quæ vere ipse pateretur, incredibili dissimulatione transmittens, tantique in avum, & qui juxta erant obsequii, ut non immerito sit dictum. Nec servum meliorem ullum, nec deteriorem dominum fuisse.* Sueton. Calig. 10. *Muretus.*

7 *Qualem diem*] Corrupte. Videntur verba huc tralata ex pagina sequenti: *quem tum annum, qualem diem haberet.* Vertranius conatur, *qualem die Tiberius.* hoc sensu, Caligula talem habitum induebat, qualem Tiberius quoque die induisset. Conjectura, quam ego non emerim sestertio nummo. *Lipsius.*

Qualem diem Tiberius induisset] Scribo, *die:* hoc sensu; Caligula talem habitum induebat, qualem Tiberius quoque die induisset; alias incognita dicendi forma est, *diem induere.* Vertranius. Locus insigniter depravatu . Fortian leg. *quali Tiberium vidisset.* Muretus. Qualem diem in re Mathematica quis se habere scit, cui notum est, quid boni malive in eo sibi portendatur. *Interrogatus an suam quoque genitalem horam comperisset, quem tum annum, qualem diem haberet.* Et qui huic vanitati credulus est, hilarem felici, tristem infelici se fert. Tiberius igitur, qui Matheseos peritus erat, (*Scien-*

[1] Passieni oratoris dictum percrebuit; *Neque meliorem unquam servum, neque deteriorem dominum fuisse.* Non omiserim [2] præsagium Tiberii, de Ser. Galba tum consule; quem accitum, & diversis sermonibus pertentatum, postremo Græcis verbis in hanc sententiam adlocutus; [3] *Et tu Galba quandoque degustabis imperium*, seram ac brevem potentiam significans, scientia Chaldæorum artis, cujus apiscendæ, otium apud Rhodum, magistrum [4] Thrasullum habuit, peritiam ejus hoc modo exper-
21 itus: Quotiens [5] super negotio consultaret, edita domus parte, ac liberti unius conscientia utebatur. is litterarum ignarus, corpore valido, per avia ac derupta (nam saxis domus imminet) præibat eum cujus artem experiri Tiberius statuisset; & regredientem, si vanitatis aut fraudum suspicio inceſſerat, in subjectum mare præcipitabat, ne index arcani exsisteret. Igitur Thrasullus iisdem rupibus inductus, postquam percunctantem commoverat, *imperium* ipsi, & futura sollerter patefaciens; interrogatur, *an suam quoque genitalem horam comperisset; quem tum annum, qualem diem haberet?* Ille positus siderum, ac spatia dimensus, [6] hærere primo, dein pavescere; &

tia Chaldaorum artis cujus apiscenda otium apud Rhodum, magistrum Thrasullum habuit) prævisa diei qualitate lætus aut severus incedebat: at Caligula qui se totum in imitationem Tiberii componebat, affectus, quos ille vultu prodidisset, suo delineabat, & exprimebat. *Induere diem*, ut, *induere diversa, induere societatem, induere seditionem.* Salinerius. Puto diducta leviter compendiaria scriptione serenatum hoc omne nubilum: *qualem dicerem Tiberius.* Talem se Tiberio præbuit & animo & verbis Cæsar Caligula, qualem omnino simili casu ipsum imaginor Tiberium. Vel denique *dicem* pictum antique fuit, pro *dicam.* Veteres enim *faciem, dicem*, pro *faciam, dicam*, scripsisse Fabius annotavit. *Isac. Pontanus.* Deponit hunc locum Lipsius. Quantum sentiam assequor, ea fuit, ac si scriptum, *non exsilio fratrum rupta voce, vultu, qualem Tiberius induisset, pari habitu* &c. Quæ vox excidere facillime quidem potuit. *Acidalius.* Nullo sensu hæc scripta sunt, nec dies induitur. Et medicum hæc plaga poscit. Repono: *Qualem chlamydem induisset pari habitu.* Sic Tertull. in Pallio: *Qualem chlamydem disperdis?* nam aucupium est aulicorum ea diligere, & sectari, quæ princeps. *Aurelius.* Hanc sententiam vidit Vertranius, rejecit autem Lipsius, jocatus in eam insuper; mihi vero alia nulla quærenda existimatur, aut sane non cavillo sed argumentis hujus absurditas demonstranda. Legendum vero: *Qualem in diem Tiberius induisset, pari habitu.* Nec sane de vestitu capere hanc sententiam coacti sumus; cum habitus oris etiam, vultus, & omnium affectuum, quatenus vultu illi elucent, significari possit. Sed nec in altero quippiam est alienum bona mente. *Barthius.* Dixi lib. 1. Obser. cap. 2. non modo nihil hic esse mendi, sed & verba exquisita. *Qualem diem induisset:* id est, qualem animum vultumque quoquo die sumpsisset vel gessisset Tiberius, talem & ipse induens ac præ se ferens. Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν &c. Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι. *Gronovius.* Ut mirari oporteat per ista adeo non fuisse satisfactum Nic. Heinsio, ut in notis Vellejanis 2, 39. scribat (*qualem de die induisset Tiberius, pari habitu.* Ita constituendus locus vexatissimus, componebat se quotidie ad vultum habitumque Tiberii, sive tristis ille, sive lætus) Videlicet ita in Latino sermone didicimus sumi *de die.* An quidquam puerilius? *Jac. Gronovius.*

1 *Passieni oratoris dictum*] Qui pessime exordiebatur: mediocriter narrabat: insigniter perorabat. Seneca lib. 3. Declamat. *Muretus.*

2 *Præsagium Tiberii*] Pugnat Suetonius, qui non Tiberio sed Augusto præsagium hoc tribuit; nec de Consule Galba, sed puero. Lege eum l. VII. cap. IV. A Tacito stant Josephus & Dio. *Lipsius.*

3 *Et tu Galba*] Hoc de Consule Tiberius: at Suetonius de puero refert, *Augustum apprehensa ejus buccula dixisse*, καὶ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ. Quæ sunt ipsa, quæ hic Tiberio adscribuntur: quod idem cum nostro & Dio facit. Ita censeat aliquis Suetonium vel alios auctores secutum, vel memoriola lapsum: & si potuit uterque diverso tempore prædixisse, sed itane verbis iisdem? *Idem.*

Et tu Galba quandoque] Καὶ σὺ, τέκνον, τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παραγεύσῃ. Sic Turnebus apud Suetonium legit, in Galba 4. ex Dione, Xiphilino & Josepho. At Sueton. hoc dictum tribuit Augusto: Dio & Joseph. Tiberio. *Muretus.* Apud Suetonium ex mel. libb. jam legitur παρατρώξῃ.

4 *Thrasullum*] Qui etiam de re medicina libros composuisse videtur, laudante Plinio plus uno loco. Pete fuse hæc à Dione, lib. LV. *Lipsius.*

5 *Super negotio consultaret*] Man. *super ea negotia.* forte, *super tali negotio*, vel, *super eo negotio:* id est, præscientiæ. Sic lib. 2. *super eo negotio diversas sententias noscere.* Pichena.

6 *Hærere primo, dein pavescere*] Ita placuit viris doctis constituere, quod in unico MS. invenerant *pavescente.* Scilicet quia antecessit infinitivus, etiam sequi ille ipse debebat. Sed delibera, an non commodius

& [1] quantum introſpiceret, magis ac magis trepidus admirationis & metus; poſtremo exclamat, *ambiguum ſibi ac prope ultimum diſcrimen inſtare.* Tum complexus eum Tiberius, [2] *præſcium periculorum, & incolumem fore* gratatur; quæque dixerat, oracli vice accipiens, inter intimos amicorum tenet. Sed mihi hæc ac talia audienti, 22
in incerto judicium eſt, [3] fatone res mortalium & neceſſitate immutabili, an forte volvantur. quippe ſapientiſſimos veterum, quique ſectam eorum æmulantur, [4] diverſos repperies; ac multis inſitam opinionem, *non initia noſtri, non finem, non denique homines diis curæ. ideo* [5] *creberrima & triſtia in bonos, læta apud deteriores eſſe.* Contra alii, *fatum quidem congruere rebus* putant, *ſed non è vagis ſtellis, verum apud principia, & nexus naturalium cauſſarum: ac tamen electionem vitæ* nobis relinquunt; *quam ubi elegeris, certum imminentium ordinem. neque mala vel bona, quæ vulgus putet: multos qui conflictari adverſis videantur, beatos; ac pleroſque, quamquam magnas per opes, miſerrimos: ſi illi gravem fortunam conſtanter tolerent, hi proſpera inconſulte utantur.* Ceterum [6] plurimis mortalium non eximitur, quin *primo cujuſque ortu ventura deſtinentur: ſed quædam ſecus quam dicta ſint cadere, fallaciis ignara dicentium. ita corrumpi fidem artis, cujus clara documenta,* [7] *& antiqua ætas & noſtra tulerit.* Quippe [8] à filio ejuſdem Thraſulli prædictum Neronis imperium [9] in tempore memorabitur, ne nunc incepto longius abierim. Iiſdem conſulibus [10] Aſinii Galli mors vulgatur, quem

[1] egeſtate

modius ponantur, *dein paveſcens, & quantum introſpiceret, magis ac magis trep. adm. & m. p. exclamat.* Jac. Gronovius.

1 *Quantum introſpiceret*] Lege, *quanto.* Acidalius.

2 *Præſcium periculorum & incolumem*] Malim, *præſcium periculorum, ſed incolumem.* Idem.

3 *Fatone res mortalium, & neceſſitate*] Chryſippus apud Gellium 6, 2. *Fatum eſt ſempiterna quædam & indeclinabilis ſeries rerum, & catena, volvens ſemetipſa ſeſe, & implicans per æternos conſequentiæ ordines; ex quibus apta connexaque eſt.* Sed optime Homerus:

Ὦ πόποι, οἷον δὴν θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κακ' ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῆσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε ἔχουσιν.

Scripſerunt de fato, Chryſippus, Zeno, Cicero, Plutarchus, Alexander Aphrod. omnium optime S. Thomas, & libello proprio, & in I. part. q. 116. Vide & commentarium noſtrum in Catilinarias M. Tullii. *Muretus.*

4 *Diverſos repperies*] Beroald. *reperies.* Pichena duplicavit pp. Sed unicus MS. eleganter *reperias.* Jac. Gronovius.

5 *Creberrima & triſtia*] Non dubitem legendum eſſe, *creberrime triſtia*, Freinshemius. Ambigo an id lateat. Sed vide, an non ita ſuccurri debeat; *ideo creberrima triſtia in bonos & læta apud deteriores eſſe.* Jac. Gronov.

6 *Plurimis mortalium non eximi*] Puto leg. *non eximas.* Meretus. Vulgo, *non eximi.* quod rectum videbatur, ut à ſuperiori verbo, *putant*, regeretur. Sicuti etiam ſequentia verba, *cadere* & *corrumpi.* Lipſio. *non eximis*, magis placet. At mihi Manuſcripti lectio, *non eximitur.* Pichena. Eſt monſtri ſimile, unde proceſſerint hæ ſordes, quum Beroaldus fideliter integrum exhibuerit *eximitur*, quod exſtat in MS. Sane Aldum video amputaviſſe poſtremam ſyllabam ſine ulla cauſa, idque ſequi potuit Frobenius vel Rhenanus, indigne prorſus. Ut mallem hunc locum non eſſe conſideratum in obſervationibus Paternis 2, 54. Quid enim calcitramus contra certiſſimam fidem? *Jac. Gronovius.*

7 *Et antiqua ætas & noſtra*] Exciderat in editis primum, *&*, quod ex Man. repoſui. *Pichena.* Non certe in Beroaldina editione.

8 *A filio ejuſdem Thraſulli*] Eſt & apud Xiphilinum; & prædictum etiam, fore ut matrem interficeret; niſi quod Aſtrologum ipſum non nominat. Sic mors prædicta Vitellio ab Aſtrologis. Sic prædictum imperium Veſpaſiano ab Joſepho. Sic mors Domitiano prædicta ab Aſcletarione, & à Proculo Longino. Innumerabiles ejus generis prædictiones in veterum libris leguntur: ſed valeat dictum Diagoræ. *Muretus.*

9 *In tempore memorabitur.*] Non eſt in libris qui ſuperſunt id vaticinium; ne in Suetonio quidem. *Lipſius.*

10 *Aſinii Galli mors*] Quem eodem die & convivam Tiberii fuiſſe, & eo ſubornante damnatum, narrat Dio l. LVIII. in actis anni DCCXXCII. Eſt ille qui filius Pollionis Aſinii librum edidit, quo patrem Ciceroni comparavit: cui reſcripſit imperator Claudius. Suetonius in ejus vita, & Plinius in Epiſtolis. Agellius lib. XVII. cap. I. Euſebius in Chronicis notat *Aſinium Gallum diris ſuppliciis mactatum anno ante T. Livii mortem.* Idem.

[1] Actæ ob id grates, decretumque [2] *ut quintumdecimum Cal. Novembris, utriusque ne-
cis die, per omnis annos, donum Jovi sacraretur.* Haud multo post [3] Coccejus Ner- 26
va continuus principis, omnis divini humanique juris sciens, integro statu, corpo-
re inlæso, moriendi consilium cepit. Quod ut Tiberio cognitum; [4] adsidere, cauf-
sas requirere, addere preces, fateri postremo *grave conscientia, grave famæ suæ, si
proximus amicorum nullis moriendi rationibus vitam fugeret.* aversatus sermonem Nerva
abstinentiam cibi conjunxit. Ferebant gnari cogitationum ejus, quanto propius mala
reipublicæ viseret, ira, & metu, dum integer, dum intentatus, honestum finem
voluisse. Ceterum Agrippinæ pernicies, quod vix credibile, Plancinam traxit. Nu-
pta olim Cn. Pisoni; & palam læta morte Germanici, cum Piso caderet, precibus
Augustæ, nec minus inimicitiis Agrippinæ defensa erat. ut odium, & gratia desie-
re; jus valuit. petitaque criminibus haud ignotis, sua manu, sera magis quam im-
merita supplicia persolvit. Tot luctibus funesta civitate, pars mœroris fuit, quod 27
[5] Julia Drusi filia, quondam [6] Neronis uxor, [7] denupsit in domum Rubellii Blandi,
[8] cujus avum Tiburtem equitem Romanum plerique meminerant. Extremo anni
[9] mors Ælii Lamiæ funere censorio celebrata, qui administrandæ Suriæ imagine tan-
dem exsolutus, urbi præfuerat. genus illi decorum; vivida senectus; & non per-
missa provincia dignationem addiderat. Exin [10] Flacco Pomponio Syriæ proprætore
defuncto,

tavit etiam, quod non laqueo strangulatam in Gemonias abjecerit. Id verbum, *imputare*, sciant tirunculi, apud illius temporis scriptores, præsertim Tacitum, Senecam, Suetonium, Plinium, plerunque accipi pro, beneficii loco adscribere, sive ut Terentius loquitur, postulare, aliquid gratiæ apponi sibi. Exempla in auctore nostro passim repetiuntur. *Pichena.*

1 *Acta ob id grates*] Non principi, sed diis, ob cædes scilicet Drusi, & Agrippinæ: adeo infelix vilisque illorum temporum servitus & adulatio. Tac. lib. 14. in fine, post Octaviæ cædem. *Dona ob hæc templis decreta. quod ad eum finem memoravimus, ut quicunque casus temporum illorum nobis vel aliis auctoribus noscent, præsumptum habeant, quotiens fugas, & cædes jussit princeps, toties grates deis actas, quæque rerum secundarum olim, tum publicæ cladis insignia fuisse.* lib. 15. *Alius alio, fratre alius, aut propinquo, aut amico interfectis, agere grates deis, ornare lauru domum.* Tamen ipsis etiam principibus grates ob eadem agebantur. Supra lib. 3. *Addiderat Messalinus, Tiberio, & Augustæ, & Antoniæ, & Agrippinæ, Drusoque, ob vindictam Germanici, grates agendas.* Pichena. Non diis, ut putabat vir eruditus, sed principi ob clementiam scilicet, quod non laqueo strangulari Agrippinam, nec in Gemonias projici jussisset. Clarissime id Suetonius Tib. 53. *Imputavit etiam quod non laqueo strangulatam in Gemonias abjecerit: proque tali clementia interponi decretum passus est*, quo sibi gratiæ agerentur. *Freinshemius.*

2 *Ut quinto decimo*] In v. c. habetur: *Ut a. d. quintum decimum.* Nam in vulgatis desunt notæ A. D. *Ursinus.* Ita rursus, hist. 57. *tertio nono Januarias.* Et 4 hist. 53. *Undecimo Kalendas Julias.* Sed quum *a. d.* non habeantur scriptæ in codice Mediceo, an est cur requiras, licet sit accusativus, quem quum explanate præferat ille unicus MS. cur mutamus, quum liceat subintelligere? Miror Pichenam hic dormire potuisse, qui tam strenue vigilat 12, 69. *Tertium ante Idus Octobris.* 1 hist. 18. *Quartum Idus Januarias.* Usus hæc ita corripuit, qui quidem fuit creberrimus, unde sumpsit licentiam ac potestatem. *Jac. Gronov.*

3 *Nerva continuus principis*] Celeber juris auctor, de quo Pomponius: *Hic etiam Nerva Cæsari familiarissimus fuit.* Consul fuit cum Vibio Rufino anno DCCLXXV. *Lipsius.*

Coccejus Nerva] Causam mortis cognosces ex Dione. *Muretus.*

4 *Adsidere*] Horatius. *Quod si quis casus lecto te affixit, habet qui Adsideat, fomenta paret*, &c. *Idem.*

5 *Julia Drusi filia*] *Drusi*, qui filius fuerat Tiberii. *Idem.*

6 *Neronis uxor*] Germanici filii. *Idem.*

7 *Denupsit*] Extra cognationem suam nupsit. *Idem.*

8 *Cujus avum Tiburtem*] At pater ejus tamen consularis, de quo l. III. *Solus Lepido è consularibus Rubellius Blandus adsensit.* Consul suffectus fuit anno DCCLXXI. *Lipsius.*

9 *Mors Ælii Lamiæ*] Dio lib. 58. Τότε Πείσωνα τὸν πολίαρχον τελευτήσαντα δημοσίᾳ ταφῇ ἐτίμησε, καὶ Λάμιαν ἀντ' αὐτοῦ ταμίαν ἀνθείλετο, ὃν προπάλαι τῇ στρατιᾷ (legendum Συρίᾳ) προστάξας κατεῖχεν ἐν τῇ Ῥώμῃ. *Muretus.*

10 *Flacco Pomponio*] De eodem Suetonius cap. XLII. Tiberii: *Postea princeps in ipsa publicorum morum correctione, cum Pomponio Flacco & L. Pisone, noctem*

defuncto, recitantur Cæsaris litteræ, quis incusabat *egregium quemque, & regendis exercitibus idoneum, abnuere id munus: seque ea necessitudine ad preces cogi, per quas consularium aliqui capessere provincias adigerentur:* oblitus Arruntium, ne in Hispaniam pergeret, decimum jam annum attineri. Obiit eodem anno & [1] Manius Lepidus, de cujus moderatione, atque sapientia [2] in prioribus libris satis conlocavi. neque nobilitas diutius demonstranda est: quippe Æmilium genus fecundum bonorum civium, & qui eadem familia corruptis moribus, inlustri tamen fortuna egere.

28 [3] Paullo Fabio L. Vitellio consulibus post longum seculorum ambitum, [4] avis Phœnix in Ægyptum venit; præbuitque materiem doctissimis indigenarum, & Græcorum, multa super eo miraculo differendi. de quibus congruunt, & plura ambigua, sed cognitu non absurda, promere libet. Sacrum Soli id animal, [5] & ore ac distinctu pinnarum à ceteris avibus diversum, consentiunt qui [6] formam ejus definiere. De numero annorum varia traduntur. maxime vulgatum, [7] quingentorum spatium. sunt qui adseverent, [8] mille quadringentos sexaginta unum interjici; prioresque alites

[1] Se-

noctem continuumque biduum epulando potandòque consumpsit: quorum alteri Syriam provinciam, alteri præfecturam urbis confestim detulit. Ubi aliquot libri, *Pompejo Flacco*, male, est enim ille ipse, qui ante xv. annos Mœsiæ præfuerat. Tacit. lib. 11. *Lipsius.*

1 *M. Lepidus*] Iterum, *Manius.* Idem.

2 *In prioribus libris satis conlocavi*] Cum ait, *in prioribus libris* quartum indicat, huic proximum atque conjunctum: quamobrem suspicor culpa temporum ex libro 5. & 6. unum extitisse nobis quintum hunc librum; præsertim cum omnia desiderentur, quæ ad Sejanum pertinent: quæ longo ordine verisimile est pro diligentia & cura scriptoris tractata fuisse: ideoque supra de Agrippina: *Eodemque*, inquit, *die defunctam; quo biennio ante Sejanus pœnas luisset.* Et infra: *Quamquam triennio post cædem Trajani.* De quo, quamvis exiguo, & prope non contemnendo, admonitum tamen esse lectorem volui. *Ferretus.* Verbum *conlocavi* de mendo suspectum. *Muretus.*

3 *Paullo Fabio, L. Vitellio Coss.*] Dio, Solinus, Plinius, biennio posterius venisse eum volunt, Q. Plautio, Sex. Papinio Coss. Vereor ut stare sententia Taciti possit, contra tot testes. Nota autem ex Dione hos ipsos Consules post celebrata decennalia Tiberii pœna adfectos. quod tacuit noster. Ex quo non vane dixerim, narrationi huic annali deesse quædam. Non enim Consulum supplicium certe omisisset. *Lipsius.*

Paullo Fabio L. Vitellio Cons.] Dio libro 58. biennio serius Sex. Papinio, Q. Plautio Cos. Idem Solinus & Plinius. Ego Tacitum in re fabulosa non ita curiosum fuisse arbitror. Falsum autem est, quod quidam ex Dione notat, hos Consules supplicio affectos esse. non tacuisset hoc Tacitus, Dio fusius explicasset: constatque hunc Vitellium, Auli, qui imperavit, patrem, Caligulæ & Claudii temporibus superstitem fuisse. Vide Sueton. in Vitellio: & hic ipse Vitellius, postea præfuit Syriæ, ut infra dicetur. *Muretus.*

4 *Avis Phœnix*] Multa & præclara de hac ave exstant apud veteres. Herod. in Euterpe. Martial. lib. 5.

Qualiter Assyrios revocant incendia nidos,
Una decem quoties secula vixit avis.

Lactantius: *Quæ postquam vita jam mille peregerit annos.* Vide Plinium 10, 2. Melam libro 3. Solinum cap. 46. Ovidium 15. Metamorph. Philostrat. lib. 3. de vita Apollonii. Ambros. lib. 5. hexamer. cap. 23. *Muretus.*

5 *Et ore ac distinctu*] Haud mutem. nam os ei etiam eximium, *cristis faciem caputque* (ait Plinius) *plumeo apice cohonestantibus.* Ingeniose alioqui Pichena, *colore ac.* Lipsius.

Et ore & distinctu pinnarum] Recte, tamen suspicor, *colore, ac distinctu pinnarum.* Pichena. At quæ avis non abaltera avi distinguitur colore & distinctu pennarum? Itaque nihil diceret Tacitus. Immò præter hoc discrimen accurate indicat esse aliud, quod omnino tangere debuit, nempe illud, quod in carmine de phœnice etiam clarissime notatur:

Albicat insignis misto viridante smaragdo,
Et puro cornu gemmea cuspis hiat.
Ingentes oculi: credas geminos hiacynthos,
Quorum de medie lucida flamma micat.
Æquatur toto capiti radiata corona,
Phœbai referens verticis alta decus. Jac. Gronovius.

6 *Formam ejus definiere*] Man. *deffinere*, sed litera, *d*, à recenti manu. unde legendum censeo, *effinxere.* Pichena.

7 *Quingentorum spatium*] Eo illud Senecæ ad Lucilium, Epist. XLII. *Phœnix semel anno quingentesimo nascitur.* At vero Philostrato libro 3. Apollonii; *Annos DC. vivit Phœnix*, & apud Plinium libro 10. 2. DCIX. vel, ut alii legunt, DCLX. *Vertranius.*

8 *Sexaginta unum*] Nimis minutum aut curiosum

[1] Sesostride primum, post Amaside dominantibus, [2] dein Ptolemæo, qui ex Macedonibus tertius regnavit, in civitatem cui Heliopolis nomen, advolavisse, multo ceterarum volucrum comitatu, novam faciem mirantium. Sed antiquitas quidem obscura: inter Ptolemæum ac Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt. unde nonnulli falsum hunc phœnicem, neque Arabum è terris credidere, nihilque usurpavisse ex his quæ vetus memoria firmavit. confecto quippe annorum numero, ubi mors propinquet, suis in terris struere nidum, eique vim genitalem adfundere, ex qua fetum oriri; & primam adulto curam sepeliendi patris, neque id temere, sed sublato murrhæ pondere, [3] tentatoque per longum iter, ubi par oneri, par meatui sit, [4] subire patrium corpus inque Solis aram perferre, atque adolere. Hæc incerta & fabulosis aucta. Ceterum aspici aliquando in Ægypto eam volucrem, non ambigitur.

sum de *uno* anno. Itaque Muretus sententiam expedisse mihi videtur: *sexaginta: unum in terris*. Neque enim probabile, hoc omissum, de unitate. *Lipsius.*

Mille quadringentos sexaginta unum interjici] Ex Plinio, DCLX. Dein foit. *in terris*. Muretus. Totum hunc Taciti locum de ave Phœnice mirum in modum illustrant, quæ scribit Achilles Statius Alexandrinus libro 3. de Leucippe, & Clitophonte. Suspicor autem in Taciti verbis illis, *mille quadringentos sexaginta unum interjici*, duo menda subesse: unum, factum ex notis obscurioribus; quæ cum essent CDLX. à librariis mutatæ sunt partim, in DLX. partim in CIƆCDLX. addita nota CIƆ. ad eam summam, quam Tacitus ediderat, CDLX. Cujus additionis causa apparet fuisse ignoratio CD. quam librarius putavit esse, CIƆ. Plinius certe 10, 2. edit annos DCLX. nisi & ipse ex hoc Taciti loco emendandus sit. Alterum mendum putamus esse in verbis illis, *unum interjici*, pro quibus scribi posset, *unum in terris* &c. *Ursinus.* Nimis exacta supputatio. corruptum puto illud, *unum*, & fortasse restituendum, *annos*. nisi potius credendum sit, majus latere vulnus, ac prætereunte Mureto legendum: *mille quadringentos sexaginta, unum in terris.* Nam verisimile est, hoc etiam addidisse Tacitum, unum tantum in terris Phœnicem, ut Plinius, 10, 2. *unum in toto orbe.* Sed cum de tempore solum hic agatur, alienum fortasse videri poterit, de Phœnicis unitate. Aliorum sit judicium. *Pichena.* Vana est emendatio, ubi nihil mendi est. Mille quadringenti sexaginta unus anni, numerus est anni magni canicularis apud Ægyptios. Censorinus de anno magno Ægyptiorum: *eoque fit, ut anno millesimo quadringentesimo primo ad idem revolvatur principium.* Hæc magna periodus annorum Ægyptiorum, qua caniculæ ortus, a quo annum suum auspicabantur, ad idem principium revolvebatur. Firmicus pro anno maximo accepit, quem solis & lunæ & quinque planetarum orbes conficiunt, cum ad idem signum omnes referuntur, unde profecti fuerant. ita enim in præfatione operis scribit: *quantis etiam conversionibus major ille, quem ferunt, perficeretur annus, qui quinque has stellas, lunam etiam ac solem locis suis originibusque restituit, qui mille quadringentorum & sexaginta, & unius anni circuitu terminaretur.* Salmasius.

1 *Sosside primum*] Legendum arbitror, *prioresque alites Sesostride primum*, &c. quod alii etiam notarunt. *Muretus.* Et cur non retineas *Sesosside*. quod nomen omnino vindicat MS. codex, & alii historici malunt. In MS. sane legitur *aliter esse: Seside*, quod Beroaldus extulit *aliter esse. Soside*. Jac. Gronovius.

2 *Dein Ptolemæo*] Hic fuit Ptolemæus Euergetes. *Muretus.*

3 *Tentatoque per longum iter*] Id est, cum prius tentaverit: sic sæpe historici loquuntur, Sallustius, Livius & Tacitus noster. *Idem.*

4 *Subire patrium corpus*] Improprie loquitur Tacitus. Nam ea demum onera subeuntur, quæ imponuntur, & dorso vel capite vel humeris gestantur. *Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit.* At phœnix rogum suum in pilæ formam conglobatum pedibus defert, non dorso, cui rei ineptum verbum est *subire*. Scribendum puto: *subicere patrium corpus*. & si attendis, verum fateberis. In myrrhæ pondere certo vires suas experitur phœnix pullus, ubi videt parem se esse illi oneri ferundo, exenterat illud ovum è murrha factum, & in locum excavatum subjicit cineres patrios, qui nihil ad illud pondus addunt, in quo vires suas primo periclitatus est. nam quod è myrrhæ ovo extractum est, compensat pondus corporis quod subjicitur. ita Herodotus, cujus sententiam more suo breviter & concinne expressit Tacitus. Verba Herodoti hæc sunt: κομίζειν δ' οὕτω. πρῶτον τῆς σμύρνης ᾠὸν πλάσσειν ὅσον δυνατός ἐστι φέρειν. μετὰ δὲ, πειρᾶσθαι αὐτὸ φορέοντα, ἐπεὰν δὲ ἀποπειρηθῇ, οὕτω δὴ κοιλήναντα τὸ ᾠὸν τὸν πατέρα ἐς αὐτὸ ἐντιθέναι. Vide reliqua. Legendum etiam in Tacito: *inque solis aram perferre, neque adolere.* non ut quidam legunt, *atque adolere.* neque enim adolet ibi in ara aut accendit cineres & rogum patrium, sed sic relinquit ac consecrat. *Salmasius.* Illud Salmasianum *subicere* elidit If. Vossius ad Melam pag. 297. alterum *atque adolere* Ryckius, sed qui etiam illis *neque adolere* offensus suspicatur *atque avolare*, scilicet verbum istud memoriæ ejus recens offerente ipso Tacito per usum verbi *advolare.*

29 gitur. At Romæ cæde continua Pomponius Labeo, [1] quem præfuisse Mœsiæ retțuli, per abruptas venas sanguinem effudit; æmulataque est conjunx [2] Paxea. nam promptas ejusmodi mortes, metus carnificis faciebat: & quia damnati, publicatis bonis, [3] sepultura prohibebantur: eorum [4] qui de se statuebant, humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi. Sed Cæsar missis ad senatum litteris, disseruit, [5] *morem fuisse majoribus, quotiens dirimerent amicitias*, [6] *interdicere domo*, *eumque*

lare. Sed nihil mutari oportet. Nam licet phœnix non accendat aras suo igne & sic adoleat, prout vulgo fiebat & dicebatur, sufficit illum in ara posuisse & ibi reliquisse, ita ut penes Solis arbitrium tota res sit. 54, 30. *Cruore captivo adolere aras.* Jac. Gronovius.

1 *Quem præfuisse Mœsia*] Et Macedoniæ. Dio *Mysia.* Octo autem annos ibi fuerat. *Muretus.*

2 *Paxea*] An sic jam placet istud nomen scribere? At quo jure? Priores *Paxea.* Beroaldus edit *Paxæa.* Proculdubio diphthongus est ex MS. & debet exprimi. *Jac. Gronovius.*

3 *Sepultura prohibebantur*] Sepultura luctuque adfinium prohiberi, nisi magnorum scelerum damnatos (puta parricidii, perduellionis; itemque suspendiosos) non moris apud priscos. Invaluit sub Tyrannis, ideoque quasi novum, in Tiberii sævitia Sueton. notat, cap. LXI. *Interdictum ne capite damnatos propinqui lugerent.* itemque: *Nemo punitorum non in Gemonias abjectus, uncoque tractus.* Qui autem tracti, Tiberis eis sepultura. Idem in publicatione bonorum fuit. quæ apud antiquos in crimine perduellionis & hostilitatis tantum exercita, & fortasse parricidii. ita Sp. Mælii *bona contacta pretiis regni mercandi vendere atque in publicum redigere Quæstores jussi*, ait Livius: ita Ciceronis damnati, à Clodio: M. Lepidi, à Senatu publica facta, quia secutus Antonii sectam. Primus publicationem ad omnia crimina (publica intellego) traxit Cæsar: qui, ut Suetonius ait, *pœnas facinorum auxit: & cum locupletes eo facilius scelere se obligarent, quod integris patrimoniis exsulabant: parricidas*, [*ut Cicero scribit*] *bonis omnibus, reliquos dimidia parte multavit.* Tenuit ea lex sub Augusto; qui tamen, cum multis divitibus vel dimidia pars, nimiæ essent opes, & in ipso exsilio caussa luxus; sanxit, ut iis omnibus quibus aqua & igni interdictum (id est Jurisconsultorum verbo, Deportatis) non plus possidere liceret quingentis millibus nummum. Dio LVI. Intenditque iterum sævitiam eam Tiberius, lata lege, qua interdictis aqua & igni adempta omnis testamenti factio. Idem Dio LVII. Quam legem interpretans Cajus l. VIII. Qui test. fac. possunt: *Si cui aqua & igni interdictum sit*, inquit, *ejus nec illud testamentum valet quod ante fecerit, nec id quod postea. Bona quoque quæ tunc habuit cum damnaretur, publicabuntur.* Lipsius.

4 *Qui de se statuissent*] Non mirum, quia ne damnati quidem, nec peracti rei. Dio hæc omnia exprimere voluit, in actis anni DCCLXXXIV. *Ἔς τε τὴν ἀγορὰν τὰ σώματα αὐτῶν ἐῤῥίπτετο, καὶ μετὰ τοῦτο ἐς τὸν ποταμὸν ἐνεβάλλετο. Ἤδη δὲ καὶ ὅπως οἱ παῖδες τῶν οὐσιῶν αὐτῶν κληρονομῶσι.* ubi puero mendum clarum, scribendumque, *μὴ κληρονομῶσιν*, inserta voce. Ideo enim abjecta corpora tractaque, ne liberi succedere in bona possent, quæ jam publica ut damnatorum palam punitorumque. Mirum ex sequentibus Dionis verbis interpretem id non vidisse. Bona ergo manebant, siquis prævenisset damnationem, & testamenta. Sed quid in præmiis accusatorum? nihilo secius dari solere, ostendit Taciti locus supra, l. IV. *Et quia Cornutus sua manu ceciderat, actum de præmiis accusatorum abolendis, siquis majestatis postulatus, ante perfectum judicium seipse vita privavisset. ibaturque in eam sententiam, ni durius contraque morem suum palam pro accusatoribus Cæsar, irritas leges, & remp. in præcipiti conquestus esset. Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum, per præmia eliciebantur.* Dari non solere, Seneca in narranda Cremutii morte, quæ sub hoc Tiberii tempus. *Cognito consilio ejus*, inquit, *publica voluptas erat, quod è faucibus avidissimorum luporum eriperetur præda. Accusatores adeunt Consulum tribunalia, queruntur Cordum mori, ut interpellarent quod coegerant. Adeo illis Cordus videbatur effugere. Magna res erat in quæstione, an morte rei prohiberentur.* Nec satis scio quomodo in concordiam reducam eos locos. Sub Claudio & Nerone fortean aliud fuerit: & Senecam deceperit mos sui ævi. *Idem.*

5 *Morem fuisse majoribus*] Notabilis mos hic est amicitiæ renuntiandæ: cujus & Suetonius meminit Calig. 3. ex quo veteres bellum indicturi, renunciabant amicitiam per legatos, missos rebus repetendis, ut est apud Livium lib. 36. ab initio & 42. Illoque respicit Cornelii scriptum sup. lib. 2. ubi de Germanico ad Pisonem: *Componit epistolas, queis amicitiam ei renunciabat.* Similisque fuit, ni fallor, hospitii renunciatio, ut de Badio Campano palam omnibus renunciante hospitium Crispino, testis Livius 25. & apud eundem 38. *Decernitur renunciandam societatem Achæis.* Sane scripto, qui dirimeret amicitiam, denunciabat: hoc colligo ex Seneca ad Lucilium Ep. 77. *Inimicitias*, inquit, *mihi denuncias, si quicquam ex iis quæ quotidie facio, ignoraveritis.* Inde legitur apud eundem de benef. l. 2. *indictum odium.* Vertranius.

6 *Interdicere domo*] Sen. de Ira lib. 3, 23. *Sæpe illum Cæsar monuit; ut moderatius lingua uteretur: perseveranti domo sua interdixit.* Pichena.

1 *Ma-*

eumque finem gratiæ ponere: id se repetivisse in Labeone. atque illum, quia male admini-
stratæ provinciæ, aliorumque criminum urgebatur, culpam invidia velavisse; frustra con-
territa uxore, quam etsi nocentem, periculi tamen expertem fuisse. [1] Mamercus dein
Scaurus rursum postulatur, insignis nobilitate & orandis caussis, vita probrosus. ni-
hil hunc amicitia Sejani, sed labefecit haud minus validum ad exitia Macronis odium,
qui easdem artes occultius exercebat: detuleratque [2] argumentum tragœdiæ à Scau-
ro scriptæ, additis versibus qui in Tiberium flecterentur. Verum [3] ab Servilio &
Cornelio accusatoribus, *adulterium Liviæ*, *magorum sacra* objectabantur. Scaurus,
ut dignum veteribus Æmiliis, damnationem anteit; hortante Sextitia uxore, quæ
incitamentum mortis, & particeps fuit. [4] Ac tamen accusatores, si facultas incide- 30
ret, pœnis adficiebantur: ut Servilius Corneliusque perdito Scauro famosi, quia
[5] pecuniam à Vario Ligure omittendæ delationis ceperant, in insulas, interdicto igni
atque aqua demoti sunt. & Abudius Ruso functus ædilitate, dum Lentulo Gætulico,
sub quo legioni præfuerat, periculum facessit, *quod is Sejani filium generum destinaf-*
set, ultro damnatur, atque urbe exigitur. Gætulicus ea tempestate superioris Ger-
maniæ legiones curabat, mirumque amorem adsecutus erat, effusæ clementiæ, [6] mo-
dicus severitate, & proximo quoque exercitui per L. Apronium socerum non ingra-
tus. unde fama constans, ausum mittere ad Cæsarem litteras, *Adfinitatem sibi cum*
Sejano haud sponte, sed consilio Tiberii cœptam: perinde se quam Tiberium falli potuisse.
neque errorem eundem illi sine fraude, aliis exitio habendum, sibi fidem integram, &,
si nullis insidiis peteretur, mansuram: successorem non aliter quam [7] *indicium mortis acce-*
pturum. firmarent velut fœdus, quo princeps ceterarum rerum potiretur, ipse provinciam
retineret. Hæc mira quamquam, fidem ex eo trahebant, quod unus omnium Sejani
adfinium incolumis, multaque gratia mansit: reputante Tiberio publicum sibi odium,
extremam ætatem, magisque fama quam vi, stare res suas. C. Cestio M. Servilio; 31
consulibus nobiles Parthi in urbem venere, ignaro rege Artabano. Is [8] metu Ger-
manici fidus Romanis, æquabilis in suos, mox superbiam in nos, sævitiam in po-
pulares sumpsit; fretus bellis, quæ secunda adversum circumjectas nationes exercue-
rat, & [9] senectutem Tiberii ut inermem despiciens; avidusque Armeniæ, cui de-
functo

1 *Mamercus Scaurus*] Male hic à Dione, *Μάρκος*. De probrosa ejus vita, lege Senecam l. IV. de Benef. cap. XXXI. aut potius non lege impuritatem hominis & *ἄῤῥητον μῖξιν*. Notat eum brevi stigmate Tertullianus de Pallio: *Dabo catharticum impuritati Scauri, & aleæ Curii, & vinolentiæ Antonii.* Lipsius.

Mamercus dein Scaurus] Dio hunc vocat *M. Æmilium Scaurum.* Sed male. Inscribebatur illa tragœdia *Atreus.* At Tiberius, *Ego*, inquit, *illum Ajacem efficiam.* Vide Dionem. *Muretus.*

2 *Argumentum tragœdiæ*] Cui nomen Atreus fuit. Versus qui in Tiberium flecti videbatur, ex Euripide:

Τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας χρὴ φέρειν.

Adi Dionem. *Lipsius.*

3 *Ab Servilio & Cornelio*] Cornelio fuit cognomen Thusci. Seneca pater Suasoria II. *Thuscus ille qui Scaurum Mamercum, in quo Scaurorum familia exstincta est, majestatis reum fecerat, homo quam improbi animi, tam infelicis ingenii.* Lipsius.

4 *Ac tamen accusatores*] Dio. *τούς τε ἐπιβουλεύσαντας, τῶν τὰς κατηγορίας ποιουμένων ἀπελαύνειν ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἐκέλευσε.* *Muretus.*

5 *Pecuniam à Vario Ligure omittendæ delationis ceperant*] An ipsum Ligurem deinde accusarunt, ab eodemque corrupti, delationem omiserunt? Potius puto, à Ligure eos pecuniam accepisse, ut ab aliqua accusatione desisterent. *Pichena.*

6 *Modicus severitate*] Placeret magis, *modicus severitatis.* nihil tamen mutandum esse censeo. Potest enim esse phrasis Tacito familiaris. *Ursinus.* Muret. *severitatis.* Acidalius.

7 *Indicium mortis*] Quin potius *judicium.* hoc ait, se perinde accepturum successorem sibi submitti, quam capitis reum se judicari, eaque causa evocari ut supplicium de se sumatur. *Freinshemius.* Videtur *indicium mortis* pro indicta morte vel indictione mortis dixisse. *Gronovius.*

8 *Metu Germanici*] Qui Germanicus Artaxiæ regium diadema imposuerat. *Muretus.*

9 *Senectutem Tiberii ut inermem*] Hoc est, liberis caren-

functo [1] rege Artaxia, Arsacem liberorum suorum veterrimum imposuit, addita contumelia, & missis qui *gazam* [2] *à Vonone relictam in Syria Ciliciaque* reposcerent, simul *veteres Persarum ac Macedonum terminos*, seque *invasurum possessa Cyro, & post Alexandro*, per vaniloquentiam ac minas jaciebat. Sed Parthis mittendi secretos nuntios validissimus auctor fuit Sinnaces, insigni familia ac perinde opibus, & proximus huic Abdus, ademptæ virilitatis. [3] non despectum id apud barbaros, ultroque potentiam habet. Ii adscitis & aliis primoribus, quia neminem gentis Arsacidarum summæ rei imponere poterant, interfectis ab Artabano plerisque, aut nondum adultis, Phrahaten regis Phrahatis filium Roma poscebant: *Nomine tantum & auctore*
32 *opus, ut sponte Cæsaris, ut genus Arsacis, ripam apud Euphratis cerneretur.* Cupitum id Tiberio. ornat Phrahaten, accingitque paternum ad fastigium: destinata retinens, consiliis & astu res externas moliri, arma procul habere. Interea cognitis insidiis, Artabanus tardari metu, [4] modo cupidine vindictæ inardescere. & barbaris cunctatio, servilis; statim exsequi, regium videtur. Valuit tamen utilitas, ut Abdum specie amicitiæ vocatum ad epulas lento veneno illigaret; Sinnacen dissimulatione ac donis, simul per negotia, moraretur. Et Phrahates apud Syriam, dum omisso cultu Romano, cui per tot annos insueverat, [5] instituta Parthorum insumit, patriis moribus impar, morbo absumptus est. Sed non Tiberius omisit incepta. Tiridatem sanguinis ejusdem, æmulum Artabano, [6] reciperandæque Armeniæ Iberum Mithridatem

catentem. alias enim in senectute non magis inermis erat Tiberius, quam ætate adhuc vigente: quamvis enim ipse bellis inhabilis esset, tamen perinde consiliis superesse poterat. Sed de liberis accipiendum esse, ostendit etiam Galbæ oratio ad Pisonem H. I. 16. *Audita adoptione desinam videri senex.* Egregie huc facit Psalmus 126. in quo liberi comparantur *sagittis in manu viri fortis*, Freinshemius. Vir doctus non cogitat primo legiones parum integras tunc fuisse, nec supplementis in loca mortuorum submissis roboratas; deinde innumeros veteranos ætate & annis graves, ut vix sufficerent. Utique toties utriusque vitii mentio jam fuit, ut ignorare nequiverit. Liberos Tacitus munimenta dixit, non arma. Habes utique cap. 43. Tiridaten *imbellem externa mollitia*, prorsus non respectu liberorum. *Jac. Gronov.*

1 *Rege Artaxia*] Qui antea *Zeno* vocabatur, regis Pontici Polemonis filius. Sup. lib. 2. *Muretus.*

2 *A Vonone*] Filio Phraatis, de quo ibidem dictum est. *Idem.*

3 *Non despectum*] Ex instituto Cyri apud Xenophontem libro VII. qui custodiam curamque sui corporis solis commisit Eunuchis: & intimam aulam ex hoc semiviro genere constituit, quasi fidissimo. Itaque deinceps in honore. Sed & Persæ primi privasse viro creduntur. Stephanus de Urbibus: Σπάδα, ἐθνίκως, κώμη Περσικὴ, ἐν ᾗ πρώτη εὐνουχισμὸς γέγονε. Petronius,

Persarum ritu, male pubescentibus annis
Surripuere viros, exsectaque viscera ferro
In Venerem fregere.

Alii ad Semiramem referunt, ut Ammianus, Utramque famam posuit Claudianus in Eutropium, libro I.

—— seu prima Semiramis astu
Assyriis mentita virum, ne vocis acuta
Mollities, levesque genæ se prodere possent,
Hos sibi conjunxit similes: seu Persica ferro
Luxuries vetuit nasci lanuginis umbram.

Ubi scriptum etiam, *Parthica.* nullo vitio, quia populi ii tunc confusi. *Lipsius.*

Non despectum id apud barbaros] Xenophon lib. 7. παιδικῶν, Claudianus in Eutropium. *Muretus.*

4. *Modo cupidine vindictæ inardescere*] Desideratur alterum *modo*, inferendum Muretus quoque vidit: *Artabanus modo tardari metu, modo cupidine vindictæ inardescere.* Acidalius. Immo illud prius recte docteque subintelligetur. *Jac. Gronov.*

5. *Instituta Parthorum resumit*] Vulgo, *sumit.* MS. corrupte quidem, *insumit.* Sed veram lectionem indicavit, *resumit*; scilicet post longam desuetudinem. *Pichena.* MS. habet, *insumit.* Tacitus scripsit, *induit.* Sic passim solet. *Boxhornius.* Nuspiam quidem *induere instituta gentis.* Sed Boxhornium ad hoc verbum subjiciendum hortata est usurpatio Taciti mox sequens *diversa induere*: verum non ideo sic insultare oportuit. Hic autem locus an non agit de adolescente, qui nunquam adhuc Parthorum instituta habuerat, sed prima ætate compulsus fuerat fugere patriam? In hoc qui dicetur *resumere*? Nec video, cur Pichena pro vitioso proscribat *insumit*, quod etiam verbum placitum Tacito patet ex Freinshemii indice. Ego certe Tacitum legendum dare volui, ut fecit Beroaldus. *Jac. Gronov.*

6 *Recuperandæque Armenia*] Regio est Asiæ ad Caucasum. Strabo l. 2. *Muretus.*

I L. Vit

datem deligit, conciliatque fratri Pharaſmani, qui gentile imperium obtinebat: &
cunctis, quæ apud Orientem parabantur, [1] L. Vitellium præfecit. eo de homine
haud ſum ignarus, ſiniſtram in urbe famam, pleraque fœda memorari: ceterum re-
gendis provinciis priſca virtute egit. Unde regreſſus, & formidine C. Cæſaris, fa-
miliaritate Claudii, turpe in ſervitium mutatus, [2] exemplar apud poſteros adulatorii
dedecoris habetur: ceſſeruntque prima poſtremis, & bona juventæ ſenectus flagitio-
ſa oblitteravit. At ex regulis, prior Mithridates Pharaſmanem perpulit, dolo & vi
conatus ſuos juvare: repertique corruptores, miniſtros Arſacis multo auro [3] ad ſce- 33
lus cogunt: ſimul Iberi magnis copiis Armeniam irrumpunt, [4] & urbe Artaxata po-
tiuntur. Quæ poſtquam Artabano cognita, [5] filium Orodem ultorem parat, [6] dat-
que Parthorum copias, mittit qui auxilia mercede facerent. Contra, Pharaſmanes
adjungere [7] Albanos, [8] accipere Sarmatas; [9] quorum Sceptuchi utrimque donis ac-
ceptis, more gentico diverſa induere. Sed Iberi locorum potentes, [10] Caſpia via
Sarmatam in Armenios raptim effundunt. [11] at qui Parthis adventabant, facile arce-
bantur: cum alios inceſſus, hoſtis clauſiſſet; unum reliquum, [12] mare inter & ex-
tremos Albanorum montes, æſtas impediret: quia flatibus Eteſiarum implentur vada;
hibernus Auſter revolvit fluctus, pulſoque introrſus fretro, brevia litorum nudantur.
Interim Orodem ſociorum inopem, auctus auxilio Pharaſmanes vocare ad pugnam,
& detrectantem inceſſere, adequitare caſtris, infenſare pabula; ac [13] ſæpe, mo- 34
dum

1 *L. Vitellium præfecit*] Eum ipſum, qui proxime Conſul fuerat. *Idem.*

2 *Exemplar apud poſteros*] Corrigamus ergo Senecam. ubi vulgo l.IV. Natur. Quæſt. c. I. *Alius adulatione clam utetur, alius ex aperto palam, ruſticitate ſimulata, quaſi ſimplicitas illa, non ars ſit. Plancus artifex ante Villeum maximus, ajebat, non eſſe occulte, nec ex diſſimulato blandiendum.* & legamus, *ante Vitellium.* Villeus enim ignotus: at Vitellii hujus mirum in adulando ingenium, etiam Suetonius celebrat, c. II. in Vitellio, & Dio LVIII. Plancus autem in Seneca, eſt is qui apud Fulviam Antonii magnus: de cujus adulatoriis moribus Appianus lib III. Civil. *Lipſius.*

3 *Ad ſcelus cogunt*] Ad interficiendum veneno Arſacen. *Muretus.*

4 *Urbe Artaxata*] Malim, *urbem.* Tamen & Artaxatam & Tigranocertam priore numero, noſter aliique ſcripſerunt. *Lipſius.*

Et urbe Artaxata potiuntur] Sic Manuſcripti fide. at vulgo, *urbem.* Sæpiſſime enim Tacitus verbo, *potiri*, ſextum caſum jungit, quartum non memini: niſi forte lib. XI. ubi vulgati habent, *potiuſque regia*; in Flor. legitur, *regiam*, quod de Vat. vulgari teſtatur etiam Lipſius. *Pichena.*

5 *Filium Orodem*] Omnis hæc hiſtoria apud Joſephum, libro XVIII. cap. VIII. *Lipſius.*

6 *Datque Parthorum copias*] Id quoque eſt edentium. At in unico MS. legitur *dat Parthorumque copias.* Hæc tranſpoſitio nonne pulcherrima eſt, & Taciti excelſam plenamque decoris lentitudinem decens, qui toties ea utitur? Et præſertim eminebat in exemplo 14, 31. Sed & alii copulam ſic differunt. Non aliud iſtud Livianum 37, 31. *Rhodii impigre prævertere ad trajiciendaſque copias conſulis iere.* Jac. Gronov.

7 *Albanos*] Hi vicini ſunt Iberis. *Muretus.*

8 *Accipere Sarmatas*] Profecto fuit, *acciere Sarmatas:* id eſt arceſſere & advocare. *Lipſius.*

Accipere Sarmatas] Aſiaticos Tartaros. Europæi ſunt Ruſſi. In heptarchias diviſam fuiſſe regionem illam, teſtatur etiam Strabo. *Muretus.* Puto *accire.* Gronovius.

9 *Quorum ſceptuchi*] Sceptrigeri, ut ita dicam; quod ad principes regeſque refertur. *Ferrett.* Id eſt reges, ſic & Homero dicti, quod ſceptrum gererent, ut ſcribit Suidas. *Vertranius.* Rectius *ſceptuchos* quam *ſceptruchos.* quomodo vocantur Straboni lib. 11. *Freinshemius.*

10 *Caſpia via Sarmatam*] Seneca Thyeſte: *Aut qui Caſpia fortibus Recludunt juga Sarmatis.* Gronov.

11 *At qui Parthis adventabant*] Nempe Sarmatæ, qui diverſa, ut dixit, more gentis induerant: & hodie faciunt Tartari, qui ea loca tenent. *Lipſius.*

12 *Mare inter &*] Mare, nempe Caſpium: & res ita habet. Extremi fines Albanorum, verſus Sarmatiam, Caſpium mare tangunt. Ad illud uſque, perpetuis fere montibus à Sarmatis ſeparantur: ergo aditus in Albaniam, per litoris ejus oram, & plana vicina. Sed hæc quoque, inquit, clauſa tunc Sarmatis. quia ab Oriente Eteſiæ flabant, & undas fluctuſque in plana impellebant, atque ita reſtagnabant. Tranſitus autem Sarmatis non alius in Armeniam, quam per Albanos, per illud litus. *Idem.*

13 *Sæpe, modum obſidii*] Adde præpoſitionem: *ſæpe in modum.* Voluit ita quoque Muretus. *Acidalius.*

dum obsidii, stationibus cingebat. donec Parthi contumeliarum insolentes, circumsisterent regem, poscerent prœlium. atque illis sola in equite vis: Pharasmanes & pedite valebat. Nam Iberi Albanique saltuosos locos incolentes, duritiæ patientiæque magis insuevere. Feruntque *se* [1] *Thessalis ortos*; [2] *qua tempestate Jason post avectam Medeam, genitosque ex ea liberos, inanem mox regiam Æetæ, vacuosque Colchos repetivit.* [3] Multaque de nomine ejus, & oraculum Phrixi celebrant. nec quisquam ariete sacrificaverit, credito vexisse Phrixum: [4] sive id animal; seu navis insigne fuit. Ceterum directa utrimque acie, Parthus *imperium Orientis, claritudinem Arsacidarum; contraque* [7] *ignobilem Iberum mercenario milite*, [6] disserebat: Pharasmanes, *integros semet à Parthico dominatu; quanto majora peterent, plus decoris victores; aut si terga darent, flagitii atque periculi laturos.* simul horridam suorum aciem, picta auro Medorum agmina; hinc viros, inde prædam ostendere. Enimvero apud Sarmatas non una vox ducis: se quisque stimulant, *ne pugnam per sagittas inirent, impetu & cominus præveniendum.* Variæ hinc bellantium species; cum Parthus sequi vel fugere pari arte suetus, distraheret turmas, spatium ictibus quæreret: Sarmatæ [7] omisso arcu, quo brevius valent, contis gladiisque ruerent. [8] modo equestris prœlii more,

[1] frontis

1 *Thessalis ortos*] Strabo lib. XI. qui de Oraculo item Phryxi, & vetita arietis cæde, his verbis: Ἐν τῇ Μοσχικῇ τὸ τῆς Λευκοθέας ἱερὸν, Φρίξου ἵδρυμα, καὶ μαντεῖον ἐκεῖ, ὅπου κριὸς οὐ θύεται. At aliter Justinus, qui hos ad Orientem Albanos, deducit ex Italia ab Albano monte. Ejus verba lib. XLII. *Cum Albanis fœdus percussit.* Jason. *qui Herculem ex Italia ab Albano monte, cum Geryone exstincto, armenta ejus per Italiam duceret, secuti dicuntur: quique memores Italicæ originis, exercitum Cn. Pompeji, bello Mithridatico fratres salutavere.* Lipsius.

2 *Qua tempestate Jason*] De Argonautarum expeditione, totaque hac fabula, Apollonius, Val. Flaccus, & Ovidius, Seneca & Euripides legendi, & Apollodorus in bibliotheca. *Muretus.*

3 *Multaque de nomine ejus*] Id capio, loca sive templa de nomine ejus dici. Ita Strabo, *Jasonem, cum Armenio Thessalo, profectum usque ad mare Caspium:* Ὡς, inquit, μαρτυρεῖ τά τε Ἰασόνεια, καὶ ἄλλα ὑπομνήματα: *sicut testantur Jasonéa, & alia monumenta.* Jasonéa, acceperim sacella aut templa Jasonis honori. Justinus XLII. *Jasoni totus fere Oriens, ut conditori, divinos honores templaque constituit.* Quem etiam vide super hoc reditu in Colchos, Medea rursum adsumpta: ut hic noster tetigit. *Lipsius.*

4 *Sive id animal, seu navis insigne fuit*] Sic de Minotauro, sic de tauro qui Europam avexit, sic de equo Trojano fabulantur. Vide Strabonem lib. 11. & de Durateo equo Servium in 2. Æneid. *Muretus.*

5 *Ignobilem Iberum mercenario milite disserebat*] Malim hercle, *ignobilem Iberum, mercenarium militem disserebat.* Acidalius.

6 *Disserebat*] Magis pro sententia esset, *differebat.* Lipsius.

7 *Omisso arcu quo brevius valent*] Non enim diu solebant arcu præliari, sed brevi temporis spatio, primis scilicet congressibus. *Pichena.* Lucem huic & aliis Taciti locis, in quis de Sarmatarum armatura & pugnandi ratione agitur, fœnerari possunt hæc Tuberonis Dalmatæ, accuratissimi prudentissimique scriptoris: *Sarmatæ*, inquit, *& his finitimi, Thracesque atque Illyrici, quoniam corpora munimento ferreo tegere non solent, paucique admodum loricis ex annulis utuntur, magis agilitate, quam vi aperta, pugnant in equis. Nec corpore erecto, uti cataphractis mos est equitibus, adversam cuspidem excipiunt: verum subducunt sese occurrenti, spiculo aut umbone equestris scuti illud repellunt: nec sinunt in scutum, quod per se operis levitate ac duritia ictum vix recipit, ferrum adigi. Quippe illæ gentes clypeos nervis decussatim consertis, atque in fila redactis, addito vitro contuso ac glutino, corio insuper injecto, ita muniunt, ut fere ferro impenetrabiles reddant. Circumactis itaque equis consultoque lanceis projectis, gladios stringunt.* l. 21. Historiar. sui temporis. Locum totum descripsi, quia is auctor in paucorum manibus est. *Boxhornius. Quo brevius valent*, puta quam Parthi. hi enim ex propinquo invalidi, quæ res P. Ventidio de illis victoriam dedit. Frontinus Strateg. 2, 2. *adeo se admovit, ut sagittas, quibus ex longinquo usus est, cominus applicitus eluderet.* Florus lib. 4, 9. *passus est hostem castris succedere, donec absumpto jactus spatio adimeret usum sagittarum.* Valerius Flaccus Argon. 2. *Jam brevis & telo volucri non utilis aër.* Gronovius. Qui etiam contum Sarmaticum illustravit in Gustu Achilleidos Statianæ 2, 418. ubi citatur hic ipse locus, sed vitiose editum est *propius* pro *brevius*. Jac. Gronovius.

8 *Modo equites tres prælii more*] Castigavi, *modo equestris prælii more.* Rhenanus. V. C. habet: *modo equites tres prælii more*, pro, *equestris prælii more*, ut est in vulgatis. Sed lectio libri manuscripti videtur

men-

¹ frontis & tergi vices; aliquando, ut conserta acies, corporibus & pulsu armorum
pellerent, pellerentur. Jamque & Albani Iberique prensare, detrudere, ancipitem
pugnam hostibus facere. Quos super, eques, & à propioribus vulneribus pedites ad-
flictabant. Inter quæ Pharasmanes Orodesque dum strenuis adsunt, aut dubitantibus
subveniunt, conspicui, eoque gnari, clamore, telis, equis concurrunt: instantius
Pharasmanes; nam vulnus per galeam adegit, nec iterare valuit, prælatus equo, &
fortissimis satellitum protegentibus saucium. Fama tamen occisi ² falso credita, ex-
terruit Parthos, victoriamque concessere. Mox Artabanus ³ tota mole regni ultum 36
iit. peritia locorum, ab Iberis melius pugnatum. nec ideo abscedebat, ni contractis
legionibus Vitellius, & subdito rumore tamquam Mesopotamiam invasurus, metum
Romani belli fecisset. Tum omissa Armenia, versæque Artabani res; inliciente
Vitellio, *desererent regem sævum in pace, & adversis præliorum exitiosum.* Igitur Sin-
naces, quem ⁴ antea infensum memoravi, patrem Abdagesen, ⁵ aliosque occultos
con-

mendosa. Cum vulgata confirmetur loco Livii, apud quem ita legitur lib 21. *Minime equestris modo pugna* &c. Quod ideo dictum est à Livio, quoniam equitibus, ut Polybius ait, neque convertere se, neque iterum in hostem procurrere licebat. *Ursinus.*

1 *Frontis & tergi vices*] Scribo, *vice.* & sententiam expedio. A Sallustio est, qui in historiis: *More equestris prælii, sumptis tergis, atque redditis.* Et in Jugurtha: *Quibus illi freti, non uti equestri prælio solet, sequi, dein cedere: sed adversis equis concurrere, implicare, ac perturbare aciem.* Frontis & tergi vice. id est, alterna mutatione modo frontis modo tergi. *Lipsius.*

Frontis & tergi vices] Id est, vicissitudines. Eaaudiendum autem verbum, *erant.* Muretus. Sententia expedita est, quamvis omnem excludamus emendationem: qua non opus auctori, qui peculiariter sæpe usurpat accusativum quam absolutum. Supra cap. 33. fuit: *Adequitare castris, infensare pabula; ac sæpe, modum obsidii, stationibus cingebat.* Similes locutiones occurrent lib. 1. Hist. cap. 44 lib. 2. Hist. 78. lib. 3. Hist. 61. 4. Hist. 18. & 19. aliisque ut alias ostendemus. nam isthæc modo præcipitamus vere ea tempore: adeo quidem ut ne relegendi quidem concessa facultas. *Gruterus.* Nolim mutare *vice* cum Lipsio. Facit vulgatum eundem sensum, & æque expeditum. Nec aliter structura ad Taciti morem. qui verba sæpe subintelligi vult, ut hic, *frontis & tergi vices essent*, vel *facerent.* Acidalius.

2 *Falso credita*] Lego, *dedita.* vel *didita.* At Josephus revera occisum eum tradit lib. XVIII. *Lipsius.*

3 *Ultimi * id peritia*] Nisi quid desit (nec puto hercle, quoniam tota hac narratione belli externi concisus Tacitus) commodo restituemus: *regni ultum iit. peritia l. a. I. m. pugnatum.* Amat ita loqui noster, & Sallustius: *Quam maxima cura ultum ire injurias festinat.* Lipsius.

Tota mole regni ultimi] Concisus est serio noster in hac externi belli narratione: nec mirum, præsertim cum suppressa de contextu prodeant; respice ad hæc. lib. 15. ann. *Non ea imperatoris habere mandata, Corbulo: periculo legionum commotum è provincia egressum:* nonne hic siletur, *respondit?* lege quæ sequuntur. Eod. lib. *At Vologesis ad Corbulonem missi nuntii, detraheret castella trans Euphraten, amnemque ut omnium medium faceret.* quid hic? *postulabant.* Pariter ex his: *mox Artabanus tota mole regni ultimi*, emergit, *adfuit.* & ea his, *id peritia locorum*, erumpit, *prælium*, quæ omnia in proclivi sunt: nam paulo ante Cornelius egit de Orode filio Artabani, qui jussu patris jam adversus Iberos pugnaverat, & victus fuerat. Hæc autem, *tota mole regni ultimi*, significant Hyrcanos & Bactrianos, *dum ipse positis adversus Hyrcanos discordiis, vires intimas molemque belli ciet.* Et, *an interiora regni sui peteret, haud dubie potentior auctor præsens futurus ultimis gentibus impigre bellum capessendi.* Quibus adstipulatur Curtius lib. 5. *Ultima regni adhuc intacta esse.* Et lib. 4. in *Mediam, Hyrcaniam, Bactra, & Indos Oceani accolas quando aditurum?* Quamobrem in nostro brevitatem miror, castigationes non moror: non enim Thucydidem damnamus, ejusque verba obliteramus, propterea quod astricta, & concisa sint. Κορινθίων δὲ Ξενοκλείδης ὁ Εὐθυκλέους πέμπτος αὐτός. quo in loco Sholiastes. αὐτὸς ἀντὶ τοῦ πρῶτος. Dixisset alius: *quinque Corinthiorum duces aderant, quorum precipuus erat Xenoclides filius Euthyclis.* Salinerius. Corrupte vulgo, *regni ultimi.* Lipsius egregie correxit, Tacito ipso volente, qui sæpe ita loqui amat lib. 4. *Neque dux Romanus ultum iit.* lib. 12. *eamque injuriam excidio ipsius ultum iturum.* lib. 15. in princ. *spretum Arsacidarum fastigium ire ultum volens.* & eod. lib. *contumelias ultum ibat.* Clara etiam, licet brevis, mihi videtur ista narratio. Ait enim, Artabanum tota mole regni venisse, ut ultionem sumeret ex Iberis. eos peritia locorum victores fuisse. Is nec ideo abscedebat, nisi metu Vitellii coactus. *Pichena.*

4 *Ante infensum*] Miror, cur Pichena sic ediderit, quum cerneret in MSto exstare *antea*, prout
edidit

consulit, & tunc continuis cladibus promptiores ad defectionem trahit: adfluentibus paulatim, qui metu magis quam benevolentia subjecti, repertis auctoribus sustulerant animum. Nec jam aliud Artabano reliquum, quam si qui externorum, corpori custodes aderant, suis quisque sedibus extorres, quis neque boni intellectus, ne-
37 que mali cura, sed mercede aluntur, ministri sceleribus. His adsumptis, in longinqua & contermina Scythiæ fugam maturavit, spe auxilii, quia Hyrcanis [1] Carmaniisque per adfinitatem innexus erat: atque interim posse [2] Parthos absentium æquos, præsentibus mobiles, ad pœnitentiam mutari. At Vitellius profugo Artabano, & flexis ad novum regem popularium animis, hortatus Tiridatem *parata capessere*, robur legionum sociorumque, ripam ad Euphratis ducit. Sacrificantibus, cum hic more Romano [3] Suovetaurilia

edidit Beroaldus, & nulla causa est, cur non usque servetur. Idem Beroaldus mox dedit *Abdagesem*, quod sequuntur omnes, at in codice vetusto legitur *Abdagesen*, ex quibus postremam literam reposui: Et certe ita edit Pichena cap. 43. & 44. qui nunc non attendit. Utique sic quoque scribitur in cap. 37. *Euphraten* retinente Beroaldo, sed citeriores dederunt *Euphratem*, unde illud revocavi. Tertiæ syllabæ adest aliquid ambiguum, unde ab ea abstineo. *Jac. Gronovius.*

5 *Occultos consulit*] Scribo, *conligit*. Lipsius.

Aliosque occultos consulit] Usus est Tacitus hoc verbo supra, ut ad eum locum notavimus. Quod vero obscurius videretur, Faernus pro eo, reponebat, *conscios*, vel potius ad vulgatam scripturam, *consilii*. Nos putamus nihil mutandum esse. *Ursinus.* Fieri potest, *consulit*, ut intelligatur, Sinnacem in consilium super illa defectione adhibuisse Abdagesem patrem, aliosque occultos amicos. Man. tamen, *consilit*. Pichena. An non melius *occultos*? Lipsius etiam pro *consulit* scribit *conligit*, quod vix accipio. Promptius *conciliat*. Sed mirum ni Tacitus sic scripsit. *Patrem Abdagesem aliosque, occultos consilii, & tunc continuis cladibus promptiores.* Ait eos consilium defectionis occulte apud se habuisse: post repertis auctoribus animum detexisse. Verum hoc, si quid aliud, certo puto. *Occultus consilii*, ut *manifestus consilii*, *cogitationis*, (cujus exemplum ex lib. 15. paulo ante dedimus) *flagitii*, *ambitionis*, *vanitatis*, passim in Tacito. *Acidalius.* Vir doctissimus *occultos conligit*. Puto fuisse *occultos consilii*. sicut dicimus *ambiguum consilii* H. 2, 83. H 4, 21. & volunt hoc sequentia, *& tunc continuis cladibus promptiores.* adhuc occultaverant consilium suum, sed cladibus regis elato animo proferunt. *Freinshemius.*

1 *Carmaniisque*] Sed codex MS. *Carmanisque*, qua ratione scribendi utitur non solum Beroaldus, verum & Pichena. Qui igitur illi sunt, quorum auctoritas vocalem expulit? Ego certe reposui, ut fecit etiam Ryckius. *Jac. Gronovius.*

2 *Parthos absentium æquos*] Prorsus idem consilii datum, & successu simili, regi Chilperico, ratione item pari, in Francia. Vide Aimoinum lib. 1. cap. VII. *Lipsius.*

3 *Suovetaurilia daret, ille equum*] De Suovetaurilibus dico ad lib. IV. Historiarum. De equo res sic habet. Sollennis Persarum victima Soli, equus. Justinus: *Solem unum esse deum Persæ credunt, & equos eidem deo sacratos ferunt* Xenophon lib. IV. περὶ Κύρου ἀναβάσ. Καὶ ἵππον ὃν εἰλήφει παλαιότερον, δίδωσι (Ξενοφῶν) τῷ κωμάρχῃ ἀναθρέψαντι καταθῦσαι, ὅτι ἤκουσεν αὐτὸν ἱερὸν εἶναι τοῦ ἡλίου, δεδιὼς μὴ ἀποθάνῃ. Et lib. VIII. Κύρου παιδείας. Πρῶτοι μὲν ἤγοντο τῷ Διὶ ταῦροι πάγκαλοι εἰς τέτταρας, μετὰ δὲ τούτους, ἵπποι ἤγοντο θῦμα τῷ ἡλίῳ. Idemque Pausaniæ in Laconicis notatum. At de amne, nihil nobis lectum. Sed & aliis gentibus victima, equus. Apud Romanos, Marti. Festus, in Equus. Et apud Mysios: Florus: *Illo statim ante aciem immolato equo, concepere votum, &c.* Apud Massagetas, item Soli. Strabo lib. XI. Θεὸν δὲ ἥλιον μόνον ἡγοῦνται, τούτῳ δὲ ἱπποθυτοῦσι. Pugnat cum superioribus, quod idem Strabo lib. XV. de Carmanis scribit: Ὄνους τε θύουσι τῷ Ἄρει, ὃν Πέρσαι σέβονται θεῶν μόνον. Alii enim Persis Solem, quem Mithram dicunt, deum unicum tribuunt, non Martem, ut hic (per oblivionem forte) Strabo. *Idem.*

Suovetaurilia daret] Corruptus locus est; ut reponendum suspicer, *Solitaurilia*. Sunt hæc sacrificia, quibus tres diversæ hostiæ immolantur, *taurus*, *aries*, *verres*: sic dicta, quod integri corporis hæc animalia sint. *Solum* Osca lingua *totum* significat. Festus. hinc *Solopychium* Catullo: Erunt fortasse quibus nihil immutandum videbitur, ut vox sit composita à *sue*, *ove* & *tauro*. Sed certe nimis insolens est compositio. *Alciatus.* Scribendum, *sue*, *ove*, *Taurilia daret*. Sic enim Livius quoque loquitur lib. 1. *Ibi instructum exercitum omnem sue, ove, Taurilibus lustravit.* Tametsi in omnibus editionibus, quæ hodie extant, vulgo pro *Taurilibus* corrupte legitur, *taurisque tribus lustravit*. Verum nos sinceram illam lectionem deprehendimus in volumine manuscripto, quod huc misit Clar. vir Reinhardus à Rietpur, Borbetomagensis ecclesiæ decanus. *Ludorum Taurilium* rursus meminit Liv. lib. 9. *Ludi Taurilia per biduum facti religionis causa.* Rhenanus. Lustrabatur exercitus mactatis sue, ove, taurisque: ut auctor est Livius lib. 1. inde nomen compositum fuit à Corn. *Suovetaurilia*. Ferrettus. *Sunt*, ait Pompejus, *qui putent ex tribus hostiis*

vetaurilia daret, ille [1] equum placando amni adornasset; nuntiavere accolæ, *Euphratem, nulla imbrium vi, sponte & immensum attolli; simul albentibus spumis* [2] *in modum diadematis sinuare orbes; auspicium* [3] *prosperi transgressus.* quidam callidius interpretabantur, *initia conatus secunda,* [4] *neque diuturna: quia eorum quæ terra caelove portenderentur, certior fides; fluminum instabilis natura, simul ostenderet omina, raperetque.* Sed ponte navibus effecto, tramissoque exercitu, primus Ornospades multis equitum millibus in castra venit: exsul quondam, & Tiberio, cum Dalmaticum bellum conficeret, haud inglorius auxiliator, eoque civitate Romana donatus. mox repetita amicitia regis, multo apud eum honore, præfectus campis, qui Euphrate & Tigre inclutis amnibus circumflui, Mesopotamiæ nomen acceperunt. Neque multo post, Sinnaces auget copias: & columen partium Abdageses, gazam & paratus regios adicit. Vitellius ostentasse Romana arma satis ratus, monet Tiridaten primoresque; hunc, *Phrahatis avi & altoris Cæsaris, quæ utrobique pulchra, meminerit:* illos, *obsequium in regem, reverentiam in nos, decus quisque suum & fidem* [5] *retinerent.* exin cum legioni-

stiis nomen inclusam, sue & ove, cum solido tauro, & omnium trium vocabulis confusis, dici *Suovetaurilia,* quibus in hoc loco Vitellius, ut Livii lib. 1. Servius Tullius exercitum lustravit. Idem & Marti *Suovetaurilibus* piaculum fieri, scribit, lib. 7. Sed Alciato nimis insolens illa compositio videtur. Ego censeo pro sacrificiis, quæ diversis hostiis fierent, necessaria diversa nomina fuisse, admittoque ubi verre, ariete, & tauro operatum erit, nomen *Solitaurilia,* quod potuerunt veteres dixisse, *Verritaurilia*: Sed ubi sue, ove, & tauro factum, non video, quæ sit insolentia nominis factitii, præsente nota signati. Quare nihil è vulgari scripto immutandum videtur. *Vertranius.* Plutarc. de Lucullo. ἔθυσε δὲ καὶ τῷ Εὐφράτῃ ταῦρον διαβατήρια. Vox usitata Xenophonti, & Thucydidi. Livius lib. 1. *Instructum exercitum omnem, Suovetaurilibus lustravit.* Dionysius lib. 4. eadem de re. καθαρμὸν αὐτῶν ἐποιήσατο, ταύρῳ, καὶ κριῷ, καὶ τράγῳ. Lego, κάπρῳ Et addit, durare ad suam usque ætatem. Asconius in Divinat. *Iidem completo quinquennio Urbem lustrabant, & Solitaurilia sacrificia,* (lego *Suovetaurilia*) *de sue, ove, tauro faciebant.* Tacitus lib. 4. histor. *Tum Helvidius Priscus Prætor, præeunte Plauto Æliano Pontifice, lustrata bove* (lego, *sue, ove*) *taurisque area, & super cæspitem redditis extis.* Muretus.

1 *Equum placando amni*] Eo scilicet, quod Poëta monet, *Ne detur celeri victima tarda deo.* Vertranius.

2 *In modum diadematis*] Ad diadematis formam aspicit: quam, si vacat, à me cape. Diadema commune olim insigne regum, non aliud quam fascia tenuis cingens caput. Seneca: *Vides illum Scythiæ Sarmatiæve regem insigni capitis decorum? si vis illum æstimare, totumque scire qualis sit, fasciam solve. multum mali sub illa latet.* Florus libro III. *Ipse veste purpurea, argenteoque baculo, & regium in morem fronte redimita.* Atque ea fascia, alba. Tacitus hic: *Albentibus spumis, in modum diadematis.* Silius lib. XVI. de Iuba rege.

—— *regnique insigne vetusti*
Gestat læva decus, cinguntur tempora vitta
Albenti.

Plinius: *Regibus apum in fronte macula, quodam diademate candicans.* Ab hac caussa, *quidam è turba* (apud Suetonium in Julio, cap LXXIX.) *statuæ Cæsaris coronam lauream candida fascia præligatam imposuit:* quasi diadema illi attribuens. Et apud Valerium l. VI. cap. II. Pompeio *candida fascia crus alligatum habenti, Favonius, Non refert, inquit, qua in parte corporis sit diadema.* Corrige Egesippum, belli Judaici libro II. cap. 1. *Quid enim sella aurea, allatum diadema, nisi regni forent insignia?* & scribe, *albatumque.* Apud Persas paullo aliter. quibus nec omnino candidum diadema, nec capiti nudo circumplexum, sed Cidari sive Tiaræ. Xenophon libro VIII. *Habebat Cyrus diadema circum Tiaram, uti & cognati ejus idem insigne ferebant.* Curtius libro III. *Cidarim Persæ vocabant regium capitis insigne. hoc cærulea fascia distincta albo circuibat.* Quæ verba ἐξ ἐπιπολῆς, pronuncio parum sana. Damnat ipse Curtius, libro VI. de Alexandro: *Itaque purpureum diadema distinctum albo, quale Darius habuerat capiti circumdedit, vestemque Persicam sumpsit.* Si purpureum, quomodo cæruleum? nec sane cærulum colorem inter regios aut Principales legi. An illic scribendum, *coccinea fascia?* an, *hoc cæruleum?* ut insigne capitis tali colore fuerit, non fascia ipsa. De medicina enim certa alius viderit: non hic mihi cognomen Sullæ. *Lipsius.*

3 *Prospere transgressus*] Malim, *prosperi.* Rhenanus.

4 *Neque diuturna*] Certe ad superstitionis, quæ tunc obtinebat, infelicitatem satis congrua interpretatio. Plane enim ad idem pertinet deploratio apud Achillem Tatium lib. 5. de Clitophonte & Leucippe. Γάμος ἐπὶ κύματος; γάμος ὑπὸ θαλάττης φερόμενος; θάλαμον ἡμῖν θέλεις γενέσθαι μὴ μένοντα. *Jac. Greuvius.*

5 *Retinerent*] Ita Manuscriptus. vulgo, *retineret.* Pichena.

38 legionibus in Syriam remeavit. Quæ duabus æstatibus gesta conjunxi, quo requiesceret animus à domesticis malis. Non enim Tiberium, quamquam triennio post cædem Sejani, quæ ceteros mollire solent, tempus, preces, satias, mitigabant, quin incerta vel abolita pro gravissimis & recentibus puniret. Eo metu Fulcinius Trio ingruentis accusatores haud perpessus, [1] supremis tabulis multa & atrocia in Macronem ac præcipuos libertorum Cæsaris composuit; ipsi *fluxam senio mentem*, [2] *& continuo abscessu*, *velut exsilium* objectando. Quæ ab heredibus occultata, recitari Tiberius jussit: patientiam libertatis alienæ ostentans, & contemptor suæ infamiæ; an scelerum Sejani diu nescius, [3] mox quoquo modo dicta vulgari malebat, veritatisque, cui adulatio officit, per probra saltem gnarus fieri. Iisdem diebus Granius Martianus senator à C. Graccho majestatis postulatus, vim vitæ suæ attulit. [4] Tatiusque Gratianus prætura functus, lege eadem extremum ad supplicium damnatus.

39 Nec dispares [5] Trebellieni Rufi, & Sextii Paconiani exitus. Nam Trebellienus sua manu cecidit; Paconianus in carcere, [6] ob carmina illic in principem factitata, strangulatus est. Hæc Tiberius non mari, ut olim divisus, neque per longinquos nuntios accipiebat, sed [7] urbem juxta; eodem ut die vel noctis interjectu, litteris consulum rescriberet: quasi aspiciens undantem per domos sanguinem, aut [8] manus carnificum. Fine anni [9] Poppæus Sabinus concessit vita, modicus originis, principum amicitia consulatum ac triumphale decus adeptus: maximisque provinciis [10] per quatuor

1 *Supremis tabulis*] Quæ testamentorum licentia adeo recepta, ut plerique ingeniorum petulantiam non alio velo exercerent. Ita Fabricius Vejento *multa & probrosa in patres & sacerdotes composuit, iis libris quibus nomen Codicillorum dederat*, ait Tacitus libro XIV. Et ab hac mente in Augusto Suetonius cap. LVI. *Jocis quoque quorumdam in vidiosis aut petulantibus lacessitus, contradixit edicto. Et tamen de inhibenda testamentorum licentia, ne Senatus quidquam constitueret, intercessit.* Ab hac, inquam, mente. nec virum doctum, C. Sigonium, quisquam audiat corrigentem, *de inhibenda scommatorum licentia.* Enimvero exempla hujus libertatis in extrema tabula habebis in Tacito plura. Et hæc autem & quæ sequuntur, tantum non ad verbum convertit Dio: addito, Trionem vita interfecisse se ipsum. quod nescio an intellegi satis habuerit Tacitus; an expressum ab eo per ignaviam describentium exciderit. *Lipsius.*

2 *Et continuo abscessu*] Faernus legebat: *Et continuum abscessum.* Ursinus.

3 *Mox quoquo modo dicta*] Et hoc ex Man. Antea, *quoque modo.* Irrepsit idem error lib. 14. *Pichena.* Immo & Beroaldus attente exhibuit *quoquo.* Jac. Gron.

4 *Tatiusque*] Hoc modo placuit editoribus concipere hoc nomen, quum in MS. unico distincte & perspicue efferretur *Tarius*, nescio cur, nisi quod historia Romuli & e Sabinis consors imperii existimaretur ab eis tanti esse, ut cuperent constare sibi id nomen esse cognitum. Et quare non placuit eis *Talius* in libris posterioribus nominatus? Certe id proximum huic anno. Ego prorsus nihil muto, & *Tarius* ille pro sancto & inviolabili haberi debet. *Jac. Gronovius.*

5 *Trebellieni Rufi*] Illius, qui prætura functus, tutor à Senatu liberis Cotyis Thraciæ regis datus fuit. libro II. supra. *Lipsius.*

6 *Ob carmina illic in principem factitata*] Video esse qui transponant, *ob carmina in Principem factitata, illic strangulatus est.* Quasi carmina extra carcerem facta. Fallunt, falluntur que. Ante triennium enim hic Paconianus in carcere fuit, & quia indicium professus erat, retentus: donec carmina exitium illi maturavere. Lege initium libri hujus. *Idem.*

Carmina illic in principem] Malim sic scriptum, *Ob carmina in principem factitata, illic strangulatus est.* Hic vero Sextus Paconianus, nomine Pagoniani supra memoratus est, pro C. & G. litterarum affinitate. Idem fortasse dicitur Sueton. Tiber. 61. *Paconius majestatis reus*, utique ob carmina in principem emissa: cujus de causa Tiberius scripsit Senatui, ut de pœna Paconii quamprimum statueret. *Vertranius.*

7 *Urbem juxta*] Tusculi, aut in Albano. Dio. *Lipsius.*

8 *Manus carnificum*] Sic melius in Man. *manus*, quam in vulgatis, *manum.* Pichena.

9 *Poppæus Sabinus concessit vita*] Sua sponte, non fato. Vide Dionem. *Lipsius.*

Concessit vita] Dio: ἑκὼν προσυπαλλάγη πρὶν τὰς αἰτίας λαβεῖν. *Lipsius, Sponte non fato.* Non sequor. *Muretus.*

10 *Per quatuor & viginti annos*] At Tiberius XXIII. tantum annos imperavit. Præterea his ipsis provinciis Pomponius Labeo sub Tiberio octo annos præfuerat, ut paulo ante in hoc libro vidimus. Quare de hoc loco amplius cogitandum censeo. Dio ait toto

tuor & viginti annos impositus; nullam ob eximiam artem, sed quod par negotiis,
neque supra erat. Q. Plautius Sex. Papinius consules sequuntur. [1] Eo anno, * neque 40
quod L. Arusejus morte adfecti forent, adsuetudine malorum ut atrox advertebatur,
sed exterruit, quod [2] Vibulenus Agrippa eques Romanus, cum peroraffent accusatores, [3] in ipsa curia depromptum sinu venenum hausit; prolapsusque ac moribundus, festinatis lictorum manibus in carcerem raptus est, faucesque jam exanimis laqueo vexatæ. Ne Tigranes quidem Armenia quondam potitus, ac tunc reus, nomine regio supplicia civium effugit. At C. Galba consularis, & [4] duo Blæsi voluntario exitu cecidere: [5] Galba, tristibus Cæsaris litteris provinciam sortiri prohibitus; Blæsis sacerdotia integra eorum domo destinata, convulsa, distulerat: tunc ut vacua contulit in alios. quod signum mortis intellexere, & exsecuti sunt. Et [6] Æmilia Lepida, quam [7] juveni Druso nuptam [8] rettuli, crebris criminibus maritum insecuta, quamquam [9] intestabilis, tamen impunita agebat, dum superfuit pater Lepidus; post à delatoribus corripitur, ob servum adulterum: nec dubitabatur de flagitio. ergo omissa defensione, finem vitæ sibi posuit. Per idem tempus [10] Clitarum natio 41
Cappadoci

toto prope Tiberii principatu. *Muretus.*

1 *Eo anno, neque quod L. Arusejus*] Desunt non dubie propria aliquot nomina eorum qui damnati occisique. Vertranius labentem locum immissa voce fulcit, *Eo anno neque quod alii, neque quod L. Arusejus.* sed tibicine non bono. *Lipsius.*

Neque quod L. Arusejus] Aldi judicio quædam hic verba desunt. Forsan sic habuit Cornelius: *neque quod alii, neque quod L. Aru.* &c. Hæc opinor, ut verisimile est, inculcatas conjunctiones, & sequentia, *L.* & *A.* rejectas ab exscribente: & licet illa, *neque quod alii*, chirographo deficiant, necessaria tamen ex eo constat, quod legitur ubique, *morte adfecti forent.* Cæterum auctoris sensus est: Malis ferendis assueti leviter necem & aliorum & L. Arusеji, quamvis atrocia facta, ferebant. Sed tandem facinus novum animis terrorem injecit, quod Vibulenus, &c. *Vertranius.* Suspicabar: *quod L. Aruseji morte adfecti forent, ads. m. ut atrox advertebat.* Particulam *neque* tolero. Videtur enim compendium in sermone, significans: *non dico alia, sed neque.* *Lucios* autem *Arusejos* intelligo patrem una cum filio. Idque erat exemplum non inter vulgaria ponendum, & quod invidiam conflare posset: quemadmodum quod Octavianus statuit in Aquilios Floros, Sueton. cap. 13. & Dio lib. 51. *Advertebat* est convertebat in se ac movebat hominum oculos, & linguas, aut saltem arcanas iracundias. Ut lib. 2. *octo aquilæ silvas petere & intrare visa advertere imperatorem.* Et sic belle eadem vox eadem inclinatione ad utrumque verbum subauditur, *Advertebat* homines, ut *exterruit* homines. *Gronovius.*

2 *Vibulenus Agrippa*] Vibilius dicitur Dioni. *Lipsius.*

3 *In ipsa curia depromptum*] Dio, *ἐν δακτυλίῳ φορῶν.* *Muretus.*

4 *Duo Blæsii*] Forte legendum, *duo Blæsi*, qui filii Blæsi erant, Blæsi, inquam, illius de Tacfarinate triumphatoris, qui Sejano avunculus fuit. *Aurelius.* Scripserim; *duo Blæsi.* quos ex eo, quod de convulsa eorum domo subjicit, credam fuisse filios Blæsi, qui Sejani avunculus fuit; cujusque tangit exitum sup. 5. 7. *Freinshemius.* Hæc partim recoquit, partim firmat Cl. Ryckius. Et merito. Sed clarius omnia patent ex codice MS. qui plane exhibet *Blesis*, ut in eo dubium non sit; de nominativo nihil annotatum est, ut ita ex eo non pronunciaverim. Sed res satis clara est, & abundo similibus exemplis, unde patet simplex *i.* in MS. positum, per editores degeneravisse in geminum, præsertim in his appellativis. *Jac. Gronov.*

5 *Galba tristibus Cæsaris litteris*] Frater est illius, qui postea Princeps. Suetonius: *Cajus attritis facultatibus urbe cessit, prohibitusque à Tiberio sortiri anno suo Proconsulatum, voluntaria morte obiit.* Lipsius.

6 *Æmilia Lepida, quam juveni Druso nuptam rettuli*] Nusquam id in his libris scriptum. *Lipsius.*

7 *Juveni Druso*] Germanici filio, ut bene intellexit Cl. Valesius ad Dionem Cocc. in Peirescianis Excerptis pag. 94. Sed quod ad mentem hujus loci explanandam addit (cujus uxorem Æmiliam Lepidam corruperat. Sejanus, eoque induxerat, ut maritum suum crebris apud principem criminationibus urgeret) fingit historiam, quæ nullum habet pondus. Nam Drusus iste jam neci datus est & exstinctus c. 23 & 24, & tunc criminata fuit maritum, non hoc tempore: nec eam corrupit Sejanus, quod scimus, sed nunc adulterium servi cognoscitur. *Jac. Gronov.*

8 *Retuli*] In iis libris, qui perierunt. *Muretus.*

9 *Intestabilis*] Ἄτιμος. *Idem.*

10 *Clitarum natio Cappadociæ, Archelao subjecta*] Male vulgo, *Citarum.* Iidem Clitæ, Cilices, non Cappadoces dicuntur ab eodem Tacito libro XII. *Nec multo post agrestium Cilicum nationes, quibus Clitarum cognomentum est.* Ideo hic legerim, *Clitarum*

Cappadoci Archelao subjecta, quia nostrum in modum deferre census, pati tributa adigebatur, in juga Tauri montis abscessit; locorumque ingenio sese contra imbelles regis copias tutabatur: donec M. Trebellius legatus à Vitellio præside Syriæ cum quatuor millibus legionariorum, & delectis auxiliis missus, duos collis, quos barbari insederant (minori *Cadra*, alteri *Davara* nomen est) operibus circumdedit: & erumpere ausos, ferro; ceteros, siti ad deditionem coëgit. At Tiridates volentibus Parthis [1] Nicephorium & [2] Anthemusiada, [3] ceterasque urbes, quæ Macedonibus sitæ, Græca vocabula usurpant, Halumque & Artemitam Parthica oppida recepit, certantibus gaudio, qui Artabanum Scythas inter eductum ob sævitiam exsecrati, [4] come
42 Tiridatis ingenium Romanas per artes sperabant. Plurimum adulationis Seleucenses induere, civitas potens, septa muris, neque [5] in barbarum corrupta, sed [6] conditoris Seleuci retinens. Trecenti opibus, aut sapientia delecti, ut senatus: sua populo vis: & quoties concordes agunt, spernitur Parthus; ubi dissensere, dum sibi quisque contra æmulos subsidium vocant, accitus in partem, adversum omnes valescit. Id nuper acciderat Artabano regnante, qui plebem primoribus tradidit ex suo usu. nam [7] populi imperium juxta libertatem; paucorum dominatio regiæ libidini propior est. Tum adventantem Tiridaten extollunt veterum regum honoribus, & quos recens ætas largius invenit: simul probra in Artabanum fundebant, [8] *materna origine Arsacidem, cetera degenerem.* Tiridates rem Seleucensem populo permittit.

natio, Cappadoci Archelao subjecta. Nam Cilicia cognomento Trachea, psoprios reges habuit ad tempora Vespasiani. Cave enim de Archelao acceperis Cappadocum rege qui pridem mortuus, & regnum ejus in provinciam redactum. Nescio tamen an hic Archelaus ejus filius fuerit: ideo Cappadox dictus. Postea à Pichena monitum, in scripto sic etiam esse. *Lipsius.*

Scytharum natio] Legend. *Clitarum*, quæ gens in Cilicia. *Muretus.* Male vulgo, *Citarum natio Cappadocia.* Emendavit Lipsius, & fere Man. congruit, qui habet: *Cietarum natio Cappadoci Arthelao:* licet supra litteram *i* à recentiori manu addita fuerit littera, *o*, tanquam *Cappadocia* legendum esset. *Pichena.* Norisius ad Cenotaphia Pisana pag. 309. sustinet allegare *Calitarum:* & hinc Calitæ ab ipso conferuntur in historiam. Quantæ nugæ! *Jac. Gronov.*

Archelao subjecta] Filio ejus Archelai, qui rex Cappadocum evocatus Romam litteris Tiberii, ibi mortuus erat, C. Cæcilio, L. Pomponio Coss. ut vidimus libro 2. Ejus regnum in formam provinciæ redactum erat Tiberio Cæsare III. Germanico II. Coss. *Muretus.*

1 *Nicephorium*] Alio nomine *Constantina*, prope Edessam urbs. *Stephanus.* Muretus.

2 *Anthemusiada*] Sic & Apollonius appellat. Est urbs Syriæ. *Muretus.* Plinius libro 5. cap. 24. *Jungitur præfectura Mesopotamia ab Assyriis originem trahens, in qua Antemusia & Nicephorium oppida.* Aurelius.

3 *Ceterasque urbes quæ Macedonibus sita*] Faernus legebat, *à Macedonibus sita.* Ursinus. Immittenda forte præpositio, *quaà Macedonibus sita.* Lib. 3. *Urbemque Philippopolim à Macedone Philippo sitam.* Censuit & Muretus ita. Possit sane abesse, nisi ambiguitatem pareret. Nam alio sensu sunt illa exempla libro 1. *Et veterem aram Druso sitam disjecerant.* libro 4. *Pergamenos (eo ipso nitebantur) ede Augusto ibi sita, satis adeptos credimus.* Acidalius.

4 *Come T. ingenium*] Quod citat illustratque Nic. Heinsius ad Tristia Ovidii 5, 1, 18. *Jac. Gronov.*

5 *In barbarum corrupta*] Sic lib. 5. histor. *aucto in barbarum cognomento.* Aurelius. Quod fieri solet, nisi magna cautela obstet. De utroque præbet specimen Vellejus Paterculus 1, 4. *Sed aliis diligentior ritus patrii mansit custodia; Cumanos Osca mutavit vicinia.* Jac. Gronov.

6 *Conditoris Seleuci retinens*] Seleuci Nicatoris. prius vocabatur *Olbia* & *Hyria.* Muretus.

7 *Populi imperium juxta libertatem*] Thucyd. libro 3. in Orat. Theb. Ἡμῖν μὲν γὰρ ἡ πόλις τότε ἐτύγχανεν, οὔτε κατ' ὀλιγαρχίαν ἰσόνομον πολιτεύουσα, οὔτε κατὰ δημοκρατίαν. ὅπερ δέ ἐστι νόμοις μὲν καὶ τῷ σωφρονεστάτῳ ἐναντιώτατον, ἐγγυτάτω δὲ τυράννου, δυναστεία ὀλίγων ἀνδρῶν εἶχε τὰ πράγματα. Sic & Demosthenes ait: *natura inimica esse democratiam, & tyrannidi.* Muretus.

8 *Materna origine Arsacidem*] Potius crediderim esse legendum, *paterna origine.* Vix enim est, ut alium regnare passuri fuerint Parthi. at de materni generis inæqualitate, nihil sane apud eos novum. Notatur eo modo etiam Vologeses à nostro. Inf. 12, 44. *materna origine ex pellice Græca ortus.* Sic Otho quoque inf. H. 2, 50. *maternum genus impar habuit.* & Jugurtha apud Sallust. 11. despicitur fratri Hiempsali, *quia materno genere impar erat.* Fuit ergo Artabanus Arsacides familia, hoc est, *paterno genere.*

tit. Mox consultans *quonam die solennia regni capesseret?* litteras Phrahatis & Hiero-
nis, qui validissimas præfecturas obtinebant, accipit, *brevem moram* precantium. Pla-
citumque *opperiri viros præpollentis:* [1] atque interim Ctesiphon sedes imperii petita.
sed ubi diem ex die prolatabant, multis coram & adprobantibus, [2] Surena patrio
more Tiridaten insigni regio evinxit. Ac si statim interiora, ceterasque nationes pe- 43
tivisset; oppressa cunctantium [3] dubitatio, & omnes in unum cedebant: adsidendo
castellum, in quod pecuniam & pellices Artabanus contulerat, dedit spatium exuen-
di pacta. Nam Phrahates, & Hiero, & si qui alii [4] delectum capiendo diademati diem
haud concelebraverant, pars metu, quidam invidia in Abdagesen, qui tum aula, &
novo rege potiebatur, ad Artabanum vertere. Isque in Hyrcanis repertus est, [5] in-
luvie obsitus, & alimenta arcu expediens. ac primo tamquam dolus pararetur, ter-
ritus, ubi data fides *reddendæ dominationi venisse*, adlevatur animum, & *quæ repentina
mutatio?* exquirit. Tum Hiero *pueritiam Tiridatis* increpat; *neque penes Arsaciden
imperium, sed inane nomen apud imbellem externa mollitia, vim in Abdagesis domo.* Sen- 44
sit vetus regnandi, [6] falsos in amore, odia non fingere. nec ultra moratus quam dum
Scy-

genere. Certe & descendentes ejus Arsacidæ vocantur 12, 10. 12, 14. quod nescio qua alia causa posset. Sed quod dixi Parthos non fuisse toleraturos cujusquam imperium nisi Arsacidæ, tangit noster 6, 31. ubi dicit Roma petivisse regem, *quia neminem gentis Arsacidarum summa rei imponere poterant*. & mox addit, opus esse, ad movendos nempe Parthorum animos, *ut genus Arsacis ripam apud Euphratis cerneretur.* Strabo quoque confirmat. lib. 16. dum asserit Phraatem suæ securitatis causa (& ut noster ait *fidei popularium diffisum*) filios suos obsides Augusto tradidisse; quod intelligeret his amotis neminem sibi esse metuendum, quia Parthi Arsacidarum ita amantes essent, ut alios Reges nollent. Non autem satis sibi cavisset filiis amotis, si pro Arsacidis, & propterea regni capacibus habuissent etiam eos, qui domum istam materno genere contingerent: facile enim intellectu est eorum tum plurimos in regno remansisse. Artabanus autem iste exerte dicitur *Arsacidarum è sanguine* sup. 2, 3. & certe nisi fuisset, posteri ejus non obtinuissent imperium, ut sane credamus, quod tamen frustra fecerimus, eum id vi tenuisse. Et sane ita fere moribus obtinuit apud Orientem, ubi validissima regum auctoritas semper fuit, ut una aliqua familia regni capax crederetur. nota res est de Persis, de Turcis hodie. Sic & apud Sidonios nemo *patrio more in id fastigium recipiebatur, nisi regia stirpe ortus*, ut memorat Curtius 4. 1. *Freinshemius.*

1 *Ctesiphon sedes imperii*] Ut Herodianus ait, ἔνθα ἦν τὰ βασίλεια τῶν Παρθυαίων. Ea urbs, sive pagus potius vicinus Seleuciæ. Strabo: Πλησίον δ' ἐστὶ κώμη Κτησιφῶν λεγομένη, μεγάλη. ταύτην δ' ἐποιοῦντο χειμάδιον οἱ τῶν Παρθυαίων βασιλεῖς. Plinius: *Ctesiphontem juxta tertium ab ea lapidem in Chalonitide condidere Parthi.* Et conditorem ejus Vardanem regem facit Ammianus, libro xxiii. Pugnat tamen iis Procopius libro ii. De bello Persico: *Apud Assyrios civitates duæ maximæ sunt Seleucia & Ctesiphon Macedonum ædificia.* De urbis hujus situ, & duplici munitissima arce, lege Gregorium Nazianzenum, Orat. iv. in Julianum *Lipsius.*

Atque interim Ctesiphon] Apud Assyrios duæ civitates maximæ erant, *Seleucia, & Ctesiphon*, ut Procopius libro 2. de bello Persico testatur. At Ctesiphonte reges hibernare consueverant. Strabo. *Muretus.*

2 *Surena patrio more*] Surenas Parthorum esse magistratus magnæ dignitatis nemo ambigit, quippe qui à rege proximum locum tenerent. Ammianus lib. 24. *Surena post regem promeritæ dignitatis* Et alibi vocat *dignitatis secunda post regem.* Et à Surena caput Crassi ad Orodem Parthorum regem transmissum est. quem Strabo vocat Imperatorem Parthorum. *Aurelius.*

3 *Dubitatio & omnes*] Forte rectius, *oppressa cunctantium dubitatione, omnes* &c. nec enim facile reperias subaudiri in tali oratione subjunctivum vel imperfectum: nam de indicativo præsenti, quem vocant, vulgatum est. *Freinshemius.*

4 *Delectum capiendo diademate diem non concelebraverant*] Faernus legebat: *Delectum capiundo diademati dum navi* (vel ut est in v. c. *navi diem*) *non concelebraverant.* Ursinus. Scripsi *delectum capiendo diademati diem haud concelebraverant*; quia in MS. est, *haci*, Vulgo *non.* Pichena. Illud *haci* expressum fuit ab Beroaldo, pro quo Aldina supposuit negativam *non* nimio secessu ab scripta voce. Salutemus igitur Pichenæ comitatem Istud *haci* autem inde venit, quia scriptor ejus libri pro *haud* vel *haut* solet sæpe *hau* ponere, quod etiam occurrit cap. 45. Adde quæ notare debui ad Pomponium Melam 3, 5. *Jac. Gronov.*

5 *Inluvie obsitus*] Ut Philoctetes apud poëtam *consigens tardus celeres, stans volantes.* Muretus.

6 *Falsos in amore odia non fingere*] Aurelius Victor Schotti in Constantino M *Quippe humana mentes frustrata boni spe, asperius offenduntur, cum*

mutato

Scytharum auxilia conciret, pergit properus, & præveniens inimicorum aſtus, a-
micorum pœnitentiam: neque exuerat pædorem, ut vulgum miſeratione adverteret.
non fraus, non preces, nihil omiſſum, quo ambiguos inliceret, prompti firmaren-
tur. Jamque multa manu, propinqua Seleuciæ adventabat; cum Tiridates ſimul
fama atque ipſo [1] Artabano perculſus, diſtrahi conſiliis, iret contra, an bellum cun-
ctatione tractaret. quibus prœlium & feſtinati caſus placebant, *disjectos & longinqui-
tate itineris feſſos, ne animo quidem ſatis ad obſequium coaluiſſe* diſſerunt, *proditores nu-
per hoſteſque ejus, quem rurſum foveant.* Verum Abdageſes *regrediendum in Meſopota-
miam* cenſebat, *ut amne objecto, Armeniis interim Elymaiſque & ceteris à tergo ex-
citis; aucti copiis ſocialibus, & quas dux Romanus miſiſſet, fortunam tentarent.* Ea ſen-
tentia valuit, quia plurima auctoritas penes Abdageſen, & Tiridates [2] ignavus ad pe-
ricula erat. ſed fugæ ſpecie diſceſſum; ac principio à gente Arabum facto, ceteri
domos abeunt, vel in caſtra Artabani: donec Tiridates cum paucis in Syriam reve-
45 ctus, [3] pudore proditionis omnes exſolvit. [4] Idem annus gravi igne urbem adficit,
deuſta parte Circi, quæ Aventino contigua, ipſoque Aventino. quod damnum Cæ-
ſar ad gloriam vertit, [5] exſolutis domuum & inſularum pretiis. [6] Millies ſeſtertium
ea munificentia conlocatum; tanto acceptius in vulgum, quanto modicus privatis
[7] ædificationibus. Ne publice quidem niſi duo opera ſtruxit, [8] templum Auguſto,
& ſcenam Pompejani theatri: [9] eaque perfecta contemptu ambitionis, an per ſene-
ctutem, haud dedicavit. ſed æſtimando cujuſque detrimento quatuor progeneri Cæ-
ſaris: [10] Cn. Domitius, Caſſius Longinus, M. Vinicius, Rubellius Blandus delecti,
addituſque nominatione conſulum P. Petronius. Et pro ingenio cujuſque quæſiti de-
cretique in principem honores. quos omiſerit receperitve, in incerto fuit, ob pro-
pinquum vitæ finem. Neque enim multo poſt ſupremi Tiberio conſules, Cn. Acer-
ronius C. Pontius, magiſtratum occepere, nimia jam potentia Macronis, qui gra-
tiam C. Cæſaris numquam ſibi neglectam, acrius in dies fovebat, impuleratque [11] poſt
mortem Claudiæ, quam nuptam ei rettuli, uxorem ſuam Enniam immittendo, amo-
re juvenem inlicere, pactoque matrimonii vincire, nihil abnuentem [12] dum domina-
tionis

mutato rectore flagitioſo ærumnarum vis manet. Gronovius.

1 *Artabano percuſſus*] Reponendum, *perculſus.* Rhenanus.

2 *Ignavus ad pericula*] Sic MS. at vulgo, *ignarus.* Pichena.

3 *Pudore proditionis omnes exſolvit*] Hiſt. lib. 3. *Donec Priſcus & Alphenus, deſertis caſtris ad Vitellium regreſſi, pudore proditionis cunctos exſolverent.* Idem.

4 *Idem annus*] Prope eodem tempore Tiberis ita obnndavit, ut per plana urbis navigatum ſit. Dio. Frequens olim nrbi utrumque malum, inundatio & incendium. *Muretus.*

5 *Exſolutis domuum & inſularum pretiis*] Suetonius hoc factum eſſe ait, cum mons Cælius conflagravit, de quo dictum lib. 4. *Muretus.*

6 *Millies ſeſtertium*] Sunt vicieſquinquies centena millia Philippicum. Egregia munificentia, & quam mirum eſt Suetonio non dictam, aut neglectam. Nam ubi ex propoſito de hac re, Tiberii cap. XLVIII. *Publicæ munificentiam bis omnino exhibuit, propoſito millies HS. gratuito in trienni tempus; & rurſus dominis inſularum, quæ in monte Cælio deflagraverant, pretio reſtituto.* Sed utraque hæc munificentia præivit, & in Tacito narrata eſt: hæc poſterior, & inſignis, Suetonium effugit. *Lipſius.*

7 *Ædificationibus. Ne publice*] Auctoris genius hic eſt ut ejuſmodi orationem continuet: itaque ſic potius diſtinguendum: *ædificationibus, ne publice.* Freinshemius.

8 *Templum Auguſto*] Vide Sueton. cap. XLVII. in Tiberio, & c. XXI. Calig. qui leviter diſſentit. Ille enim ſemiperfecta opera fuiſſe ait, quæ noſter perfecta. *Lipſius.*

9 *Eaque perfecta*] Suetonius imperfecta relicta eſſe ſcribit. *Muretus.*

10 *Cn. Domitius*] Pater Neronis, qui poſtea imperavit, ex Agrippina, Germanici filia. *Sueton.*

11 *Poſt mortem Claudiæ*] Jnniæ Claudillæ, M. Silani, viri nobiliſſimi filiæ. Suetonius, & hic ſup. hoc ipſo libro. *Muretus.*

12 *Dum dominationis apiſceretur*] Liber vetus *pa-
piſce-*

tionis apisceretur. Nam etsi [1] commotus ingenio, simulationum tamen falsa, in sinu avi perdidicerat. Gnarum hoc principi, eoque dubitavit de tradenda republica, 46
primum inter nepotes, quorum Druso genitus, [2] sanguine & caritate propior, sed nondum pubertatem ingressus: Germanici filio robur juventæ, vulgi studia, eaque apud avum odii caussa. Etiam de Claudio agitanti, quod is composita ætate bonarum artium cupiens erat, imminuta mens ejus obstitit. Sin extra domum successor quæreretur, ne memoria Augusti, ne nomen Cæsarum in ludibria & [3] contumelias verterent, metuebat. quippe illi non perinde curæ gratia præsentium, quam in posteros ambitio. Mox incertus animi, fesso corpore, consilium cui impar erat, fato permisit; jactis tamen vocibus, per quas intelligeretur providus futurorum. Namque Macroni non abdita ambage, [4] *Occidentem ab eo deseri*, *Orientem spectari* exprobravit. Et C. Cæsari forte orto sermone L. Sullam irridenti; *omnia Sullæ vitia, & nullam ejusdem virtutem habiturum* prædixit. simul crebris cum lacrymis minorem ex nepotibus complexus, truci alterius vultu; *Occides hunc tu*, inquit, *& te alius.* Sed gravescente valetudine, nihil è libidinibus omittebat, [5] in patientia firmitudinem simulans; [6] solitusque eludere medicorum artes, atque eos qui post tricesimum ætatis annum ad internoscenda corpori suo utilia vel noxia, [7] alieni consilii indigerent. Interim Romæ futuris etiam post Tiberium cædibus semina jaciebantur. Lælius Balbus Acutiam P. Vitellii quondam uxorem majestatis postulaverat; qua damnata, cum præmium accusatori decerneretur, Junius Otho tribunus plebei intercessit. [8] unde illis odia, mox Othoni exsilium. Dein multorum amoribus famosa Albucilla, cui matri- 47

pisceretur. Lego, *dominationis sp. apisceretur*, hoc est: *spem apisceretur.* Muretus. Suspicor legendum, *dominationem*, ut idem error fuerit, de quo monui in principio l. 3. Nisi forte suspicemur, proprium fuisse Tacito, secundum casum jungere verbo, *adipisci*, ut lib. 3. *ad ea arma, quis Ser. Galba rerum adeptus est*, quod certe non crediderim. Vide etiam quæ lib. 12. notavi ad verba, *dum adipiscerentur dominationes.* Pichena.

1 *Commotus ingenio*] Non muto *commotus* illud. Verum enim de ingenio tali. Sed ad hunc locum valde etiam apte scribi posse *commodus* quidam contendebat, quasi ad obsequium facilis. *Acidalius.*

2 *Sanguine & caritate*] Oberat enim matris impudicitia. *Muretus.*

3 *Contumelias verterent*] Ex MS. reposui, *verterent.* Sæpissime enim à Tacito passive usurpatum id verbum, pro verterentur. vulgo, *verteret.* Pichena. Atqui Beroaldus plane edidit *verterent.* Jac. Gronov.

4 *Occidentem ab eo deseri*] Gloria acuti dicti penes Pompejum, qui Sullæ abneganti triumphum confidenter dixit. Ὅτι τὸν ἥλιον ἀνατέλλοντα πλείονες, ἢ δυόμενον προσκυνοῦσιν. ὡς αὐτῷ μὲν αὐξανομένης, μειουμένης δὲ καὶ μαραινομένης ἐκείνῳ τῆς δυνάμεως: *Quod plures Solem orientem, quam occidentem adorarent. significans, suam crescere potentiam, illius vanescere & marcescere.* Fons dicti ab eo, quod plerisque populis religione receptum, salutare Solem orientem: ut alibi dicam. *Lipsius.*

5 *In patientia*] Legendum, *impatientia.* Muretus.

6 *Solitus eludere*] Tiberianum hoc apophthegma etiam Plutarchus inseruit præceptis de valetudine tuenda; sed corruptus, vereor, in numero: ἤκουσα Τιβέριόν ποτε Καίσαρα εἰπεῖν, ὡς ἀνὴρ ὑπὲρ ἑξήκοντα γεγονὼς ἔτη, καὶ προτείνων ἰατρῷ χεῖρα, καταγέλαστός ἐστιν. Nam post sexagesimum annum ait, quod noster tricesimum non dubie verius. Rescripserim, ὑπὲρ τριάκοντα ἔτη. juvante etiam Suetonio. *Valetudine prosperrima usus est, quamvis à trigesimo ætatis anno arbitratu eam suo rexerit, sine adjumento consilioque medicorum.* Lipsius.

7 *Alieni consilii indigerent*] Hæc eadem Suetonius in Tib. 68. *Quanquam à trigesimo ætatis anno arbitratu eam suo rexerit, sine adiumento consilioue medicorum.* Atqui noster non sibi constat, quippe qui paulo post sic dicat: *Erat medicus arte insignis, nomine Charicles, non quidem regere valetudines principis solitus, consilii tamen copiam præbere.* Hanc ne rem oblitam Cornelio dicemus? non ausim: dicerem potius Tiberium ex pluribus, quæ sibi à Charicle præirentur, id legisse. quod optimum sibi videretur: quasi nonnulla ex multis seligendo non sequeretur consilium Chariclis: *consilii tamen copiam præbere.* Salinerius.

8 *Unde illis odia*] Id est Balbo, & Othoni. illi apud Senatum populumque: huic, apud dominantes. *Pichena.* Immo ipsis inter sese. quæ Balbus exsecutus est accusando & damnando Othonem. *Gronovius.*

1 *Satrio*

matrimonium cum [1] Satrio Secundo conjurationis indice fuerat, defertur impietatis in
principem. connectebantur ut conscii & adulteri ejus, Cn. Domitius, Vibius Mar-
sus, L. Arruntius. de claritudine Domitii supra memoravi. Marsus quoque vetustis
honoribus, & inlustris studiis erat. Sed *testium interrogationi*, *tormentis servorum*
Macronem præsedisse, commentarii ad senatum missi ferebant; nullæque in eos impe-
ratoris litteræ suspicionem dabant, invalido ac fortasse ignaro, ficta pleraque ob ini-
48 micitias Macronis notas in Arruntium. Igitur Domitius defensionem meditans; Mar-
sus tamquam inediam destinavisset, produxere vitam: Arruntius cunctationem & mo-
ras suadentibus amicis, *Non eadem omnibus decora* respondit. *sibi satis ætatis. neque a-*
liud pœnitendum, quam [2] *quod inter ludibria & pericula anxiam senectam toleravisset, diu*
Sejano, nunc Macroni, semper alicui potentium invisus; non culpa, sed ut flagitiorum
impatiens. Sane paucos & supremos principis dies posse vitari; quemadmodum evasurum
imminentis juventam? An cum Tiberius post tantam rerum experientiam, vi dominationis
convulsus & mutatus sit; C. Cæsarem vix finita pueritia, ignarum omnium, aut pessimis
innutritum, meliora capessiturum Macrone duce? qui ut deterior ad opprimendum Sejanum
delectus, plura per scelera rempublicam conflictavisset. prospectare jam se acrius servitium,
eoque fugere simul acta & instantia. Hæc vatis in modum dictitans, venas resolvit. Do-
cumento sequentia erunt, bene Arruntium morte usum. Albucilla inrito ictu à se-
met vulnerata, jussu senatus in carcerem fertur. Stuprorum ejus ministri, *Grasidius*
Sacerdos prætorius ut in insulam deportaretur; *Pontius Fregellanus amitteret ordinem sena-*
torium; *& eadem pœna in Lælium Balbum* decernuntur. [3] id quidem à lætantibus, quia
49 Balbus [4] truci eloquentia habebatur, promptus adversum insontes. Iisdem diebus Sex.
Papinius consulari familia, repentinum & informem exitum delegit, jacto in præceps
corpore. caussa ad matrem referebatur, [5] quæ pridem repudiata, adsentationibus at-
que luxu [6] perpulisset juvenem ad ea, quorum effugium non nisi morte inveniret.
Igitur accusata in senatu, [7] quamquam genua patrum advolveretur, [8] *luctumque com-*
munem,

1 *Satrio Secundo*] Ille idem est, qui supra cliens Sejani, & nunc, ut apparet, ejus eversor. *Lipsius.*

2 *Ludibria & pericula*] Scriptus codex, *periculаria.* An *pericula varia?* Idem.

Quod inter ludibria & pericula anxiam] MS. *quod inter ludibria, & pericularia anxiam*: quod sibi velit nescio. *Pichena.* Forte, *& pericula tot anxiam.* Gronovius. Licet his novum addere, quasi innuat *pericula vix anxiam.* Jac. Gronov.

3 *Id quidem à lætantibus*] Dele, *à.* Non enim vult à lætantibus decretas pœnas: sed eas pœnas lætantibus fuisse, id est gratas in alios. Simili forma & sensu lib. 15. *Hæc atque talia plebi volenti fuere.* Quamquam hic Taciti locus alias aliter legitur, pro *volenti*, *volentia*, Sallustianum in morem. Sic Hist. 4. *Multisque suspicionibus volentia plebi facturus habebatur.* Nonius in voce *volentia.* Et Tacitus nescio quoto libro histor. *Muciano volentia scripsere.* Sed & in alterum modum sæpe Sallustius, unde noster imitatus hic forte, & Annal. lib. 1. *Ut quibusque bellum invitis, aut cupientibus erat.* Acidalius.

4 *Truci eloquentia habebatur promptus adversus insontes*] Incolumitati sententiæ nihil prorsus abscederet, quamquam resecarentur, *habebatur promptus.* Gruterus.

5 *Quæ quidem repudiata*] Vide quæ in Variis scribimus lib. 1. cap. 12. & Gul. Canterum lib. 6. cap. 2. *Muretus.*

6 *Perpulisset juvenem ad ea*] Intellegit incestum simile, quale objectum Ciceroni in Tulliolam. de quo infami sermone Servius ad illud Virgil. *Hic thalamum invasit nata.* Lipsius.

7 *Quamquam genua patrum advolveretur*] Dissentio de castigatione, & de interpretatione. Moveor quod mater pœnam debitam non evasit, licet patrum misericordiam captaverit: *quanquam genua patrum advolveretur*, &c *urbe tamen in decem annos prohibita est.* At incestus manifesti præcipites dabantur de saxo Tarpejo. Hoc libro: *Marius defertur incestasse filiam.* Cujus ergo est rea facinoris, edicat noster: *absentationibus atque luxu* &c. hoc est, erat hæc mulier sumtuosa, adsentabaturque juveni, qui luxu diffluebat: quamobrem in eas, ob æs alienum, angustias redactus est, ut omnia præ morte sibi esse post putarit. Addicebantur enim creditoribus, qui solvendo non erant. Gell. 20, 1. *addici namque nunc & vinciri multos videmus.* A qua re sic homines abhorrebant, ut Cæsar ipse vir animi

munem, & magis imbecillum tali super casu feminarum animum, [1] aliaque in eundem dolorem mœsta & [2] miseranda diu ferret, urbe tamen in decem annos prohibita est, donec minor filius lubricum juventæ exiret. Jam Tiberium corpus, jam vires, nondum dissimulatio deserebat. idem animi rigor, sermone ac vultu intentus, quæsita interdum comitate, quamvis manifestam defectionem tegebat. mutatisque sæpius locis, tandem apud promontorium Miseni consedit, [3] in villa, cui L. Lucullus quondam dominus. illic eum adpropinquare supremis, tali modo compertum. erat medicus arte insignis, nomine Charicles, non quidem regere valetudines principis solitus, consilii tamen copiam præbere. Is velut propria ad negotia digrediens, & [4] per speciem officii manum complexus, pulsum venarum attigit. [5] neque fefellit. nam Tiberius

mi tam erecti, fere de vita desperaverit. Suet. cap. 13. *In qua reputans magnitudinem æris alieni* &c. Nouuulli etiam Græci (ne id mirum videatur) pauperiem cicuta vitavere. Ælian. lib. 4. c. 23. variar. hist. Quid Apicus elegantissimus Helluouum? Is cum scire vellet quænam profudisset quæque sibi superassent, cognito sibi tantum reliqua esse ducenta & quinquaginta millia aureorum, despondit auimum, & quasi fame periturus attulit sibi vim, teste Xiph. in Tib. Quamvis autem mater ista nou dubie rea filii mortis esset, attamen non se deierebat, sed misericordiæ conciliandæ accidebat ad genua patrum, diuque, id est, prolixa, & coutinua oratione ferebat, sive dicebat: se venia saltem dignam esse ob luctum, quem parentes ex filiorum morte capiunt: maxime quod feminæ nou mediocriter ut viri, sed præter modum lætentur aut doleant. Cæterum sacræ literæ docent matres acerbius, quam patres lugere filiorum mortes. Psalm. 35. Huc usque fide Beroaldi & Pichenæ secuti sumus codices Florentinos, qui Corbejæ inventi, & ad Leonem P. M. delati, nunc Florentiæ servantur: quorum si lectionem non usquequaque propugnavimus, nos vires uon animus defecere: hinc vulgatis inhærebimus. *Salinerius.* Certe materni doloris significatio ab hac flebili oratione abesse non debebat. Forte illam τὸ *magis* regit. Et vix est, quo id possit referri. Suspicor itaque legendum: *Luctumque communem, & matris, imbecillum tali super casu fœminarum animum, aliaque in eundem dolorem mœsta & miseranda differeret*, vel *differret*, ut vult Lipsius, vel *diu ferret.* ut habent hactenus editiones. Nam *ferre* Latinis idem est, quod, *loqui.* Unde, *ut ferunt*, *ferunt*, & quæ ejus generis plura alia, sicut apud alios, ita hunc leguntur. *Boxhornius.*

8 *Luctumque communem*] Aune etiam, *lectum?* Lipsius.

1 *Aliaque in eundem dolorem mœsta*] Accipiam Lipsii *differret*. Sed quid vult *in eundem dolorem?* Au potius *colorem?* Sic videtur; id est ejusdem modi, ut tacite simulata hæc omnia innuat. Cave tamen mutes. Nam sic loquitur noster lib. XI. *Et secuta sunt Claudii verba in eandem clementiam.* Acidalius.

2 *Miseranda diu ferret*] Emendo, *miseranda differret*, conjunctis vocibus quas diduxerant. *Lipsius.*

3 *In villa, cui L. Lucullus*] De ea fere his verbis Plutarchus in Mario: *Villam in Misenensi Marius amœnam & mollius exstructam possidebat, quam deceret virum militarem & tot bellorum victorem. Eam ajunt LXXV. ∞. denarium emisse Corneliam, nec multo post L. Lucullum quingentis millibus denarium & ducentis. Tantum brevi luxuria crevit, & civitas invaluit in abundantes opes.* Idem.

4 *Per speciem officii*] Nescio an, *per speciem osculi.* Ea quidem mens. Suetonius: *cum manum sibi osculandi caussa apprehendisset.* Idem.

5 *Neque fefellit: nam Tiberius*] Quo pacto incertum an offensus, si iræ profunda dissimulatio, erat genuina veraque nota, quando ille acrius irasceretur? Tac. 2. Ann. *Scaurus cui implacabilius irascebatur silentio transmisit.* Non pauci huc direxissent plaustra castigatiouum, quos inter si nomen profiterer, non inepte (reor) sic emendassem: *haud incertum an offensus, tantoque magis iram premens:* at solitum est æquor navigandum, ut brevia prætervecti, portum teneamus, verum quam falsus animi Egnatius, qui in suis ad Sueton. Castig. credit se recepisse in bene fida statione: *nec fefellit* Tiberium, qui offensus ac eo magis iram simulans. modus iræ Tiberii conjici poterat si plus minusve incaluisset: ad hæc faciunt quæ adduximus è nostro, *Scauro cui implacabilius.* at si nec vultu, nec verbis affectus prodidisset, quis asseverare poterat eum rem advertisse, iramque dissimulasse? quod hic eveuit. τὸ *fefellit* παθητικῶς est accipiendum, hoc sensu. Charicles tacto venarum pulsu, falsus non est Tiberium jam fini propinquare: vel studio brevitatis omittitur, *astutia*, vel aliquid simile: nimirum commentum non fefellit Chariclem: quibus hæc respondent: *Charicles tamen labi spiritum nec ultra biduum duraturum Macroni firmavit.* at *nam* ornatus seu continuationis gratia positum est. Terent. Andr. *Nam is postquam ex ephebis excessit Sosia Liberius vivendi fuit potestas.* Ad ultimum hæc est Cornelii mens. Tiberius (uec certum au astutiam cognovisset, eoque iram dissimulasset) integrari convivium jussit. De illis autem qui τὸ *fefellit* Tiberio

berius incertum an offensus, tantoque magis iram premens, *instaurari epulas* jubet, discumbitque ultra solitum; quasi honori abeuntis amici tribueret. Charicles tamen *labi spiritum, nec ultra biduum duraturum* Macroni firmavit. inde cuncta conloquiis inter præsentes, nuntiis apud legatos & exercitus festinabantur. [1] Septimo decimo Kal. Aprilis interclusa anima, creditus est [2] mortalitatem explevisse. Et multo gratantum concursu, ad capienda imperii primordia C. Cæsar egrediebatur. cum repente adfertur, *redire Tiberio vocem ac visus, vocarique qui recreandæ defectioni cibum adferrent.* pavor hinc in omnes; & ceteri passim dispergi, se quisque mæstum aut nescium fingere. Cæsar in silentium fixus, à summa spe, novissima exspectabat: Macro intrepidus, *opprimi senem injectu multæ vestis*, jubet, [3] *discedique ab limine.* Sic
51 [4] Tiberius finivit, [5] octavo & septuagesimo ætatis anno. Pater ei Nero, & utrimque origo

berio attribuunt, libenter quæsierim, divini ne sint, vel si abnuunt, unde hujusmodi collegerint, quandoquidem Tiberii mores inprimis eorum interpretationes aversantur, *Salmerius.* Censeo tollendam particulam *Nam* pro supervacua. Sensus id clare demonstrat. Charicles per causam osculandi manum Cæsaream tentavit venam: nec eum decepit judicium de valetudine principis. Nam Tiberius, inquit, dubium an indignatus & numquid ea de causa magis iram celans, sed tamen jussit apparari convivium, & diutius solito accubuit. Quis non videt τὸ *nam* esse superuacuum, & turbare sensum, qui sine eo constat? Ergo putem mutandum esse τὸ *nam* in *eum*, ibique distingui, ut sit, *pulsu venarum attigit neque fefellit eum.* Supple Chariclem. Deinde: *Tiberius incertum an offensus. Harlens.* Non magis hic opus plaustris castigationum, quam plaustris nugarum, quas sæpe castigationibus opponit Salinetius. *Neque fefellit*, omnino vult intelligi *Tiberium*, non *Chariclem.* Neque latuit, inquit; neque hoc egit ita caute, ut Tiberius non sentiret dolum & arcana sua tentari. Argumentum hujus rei & Charicles & qui circa erant interpretabantur, quod tenuit hominem quasi cœna viatica prosecuturus, & apparatis epulis secum discumbere jussit, & solito longius in triclinio duravit, ut eum ambiguum redderet, seseque firmiorem probaret, quam fortassis arteria promisisset. Quidam, gnari morum ejus, & quantopere nollet intima sua nosci, etiam graviter offensum dicebant, & ut hoc quoque dissimularet, magis benignitatem & amici honorem fingere. Hinc apparet vis & necessitas particulæ, neque ad divinos eundum. *Gronovius.* Locum hunc citavit ad Ciceronem lib. 2. de offic. 8. Car. Langius, sed in Andr. Schotti editione *nec eum fefellit*, prave prorsus, sed quod in editione Cl. Grævii mutatum est in melius. *Jac. Gronovius.*

1 *Decimo septimo Calendas April.*] Haud dubie, *Septimodecimo*, ut malebant antiqui. Neque aliter apud Suetonium scribendum & pronuntiandum cap. 73. *Gronov.* Recta & justa suspicio patris. Nam non est nisi explanatio Beroaldi, quum in scripto exstet XVIIKŁ, unde ut mox sequitur *Octavo & Septuagesimo*, eadem forma nunc in eloquendo servari debuerat. Notavit prorsus simile pater in codicibus MSS. Statii lib. 4. Silvarum in *XVII. consulatus.* Ille vero non ausus fuit mutare in contextu: & ego qui didici id contigisse ex solo Beroaldo, certe puto habere auctorem ipsum Tacitum, ut melius reponam; præsertim quum jam in illo audiverimus *duobus & sexaginta*, item *quatuor & sexaginta*, item *sextus decimus*, item *tertium decimum*, *quartum decimum*, *septem & triginta*, *quinta & vicesima*, *tres & sexaginta*, ut merito hinc similiter suspectum sit 3. 76 *sexagesimo quarto*, quippe ortum ex prava declaratione numerorum in scripto expressorum, qui bene expanduntur 55, 10 *quarto & sexagesimo.* Quin etiam certissimus fit Lipsii lapsus 15, 41 numeris conceptum sensum explanantis *decimus quartus Cal. Sextilium.* Jac. Gronovius.

2 *Mortalitatem explevisse*] Omnino. Itaque acutissime Seneca Consol. ad Polyb. cap. 31. blandiens Claudio. *Dii illum deæque commodent: acta hic Divi Augusti æquet, & annos vincat; ac quamdiu mortalis erit, nihil ex domo sua mortale esse sentiat.* Quem tamen locum nuper optimus Criticorum, ausus interpolare ex MSS. suis; me nolente. nam etiamsi Cæsar Senecæ præsens numen; haud ita tamen est, ut nihil habeat in corpore, obnoxium fato. Consulatur Ovid. 14. met. 600. ubi meminit Æneæ; item 804. ubi Romuli, sed & lib. 55. Met. introducitur ab eodem poeta, Venus animam Cæsaris Julii rapiens, *cæso de corpore.* Verum hæc alterius sunt loci. itaque manum abstineo. Interea adeat lector Ciceronis libros de Scipionis somnio; & videbit generi humano veluti commodatos; non redire tamen, unde venerunt, nisi animæ exuvias posuerint igne illo rogi supremo. *Gruterus.*

3 *Discedique ab limine*] Jussit scilicet, ut qui in prætorio, vel prope cubiculum, officii gratia, liberti familiaresque, qui non conscii nec fidi C. Cæsari erant, propere facesserent, tanquam principe jam mortuo. Sed ea mente, ut ipse, ac Cæsar securius mortem seni accelerarent. *Pichena.*

4 *Tiberius finivit*] Plinius vixisse illum ait annos septuaginta octo, menses quatuor. Dio septuaginta septem annos, quatuor menses, & novem dies. *Muretus.*

5 *Octavo*

origo gentis Claudiæ, quamquam [1] mater in Liviam, & mox Juliam familiam, adoptionibus transierit. Casus prima ab infantia ancipites. nam proscriptum patrem exsul secutus, ubi domum Augusti privignus introiit, multis æmulis conflictatus est, dum Marcellus & Agrippa, mox Cajus Luciusque Cæsares, viguere. Etiam frater ejus Drusus prosperiore civium amore erat. Sed maxime in lubrico egit, accepta in matrimonium Julia, impudicitiam uxoris tolerans [2] aut declinans. Dein Rhodo regressus, [3] vacuos principis penates duodecim annis, mox rei Romanæ arbitrium tribus ferme & viginti obtinuit. Morum quoque tempora illi diversa: [4] egregium vita famaque quoad privatus, vel in imperiis sub Augusto fuit: occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere. idem inter bona malaque mixtus, incolumi matre: [5] intestabilis sævitia, sed obtectis libidinibus, dum Sejanum dilexit, timuitve: postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore & metu, suo tantum ingenio utebatur.

5 *Octavo & septuagesimo ætatis anno*] Vel ut Victor, post septuagesimum octavum annum & mensem quartum. Dio tamen anno toto diversus ab istis, qui ait vixisse *ἑπτὰ καὶ ἑβδομήκοντα ἔτη, καὶ μῆνας τέσσαρας, καὶ ἡμέρας ἐννέα.* Et hercle verius, si Suetonio credendum & actis: qui natum Tiberium ponunt anno urbis DCCXII. Munatio & Lepido Coss XVI. Kal. Decembres, mortuus autem est, consensu omnium, anno DCCXC. XVII. Kal. Aprilis. Quamquam & Dionis rationes non plane ad eum calculum pariaveris. *Lipsius.*

1 *Mater in Liviam*] Discrepat hoc inter auctores: neque enim mater Tiberii adoptata fuit, sed avus maternus, autore illis verbis Tranquillo in Tib. 3. *Insertus est & Liviorum familia, adoptato in eam avo materno.* Quod mihi fit verisimilius, cum apud Vellejum lego, *Livius Drusus Juliæ Augustæ pater*, & infra: *Livia nobilissimi & fortissimi viri Drusi Calidiani filia:* ubi sic corrupte pro *Claudiani* scriptum, quale nomen ejus fuit, qui ducto genere ex Appio Claudio Pulchro, nomen Romano more adoptione inflexum haberet. Cæterum auctor noster hujus Annalis initio diait Augustam nobilitatis per Claudiam familiam & adoptione Liviorum Juliorumque clarissimæ: at verius quid sit, alii in Cornelium proferant, ego in medium relinquo. Hæ sunt ad priores quinque Annalium Cornelii libros scriptæ notæ: respersæ emendationibus, magis ex opinione & conjectura, quam ex fide librorum quos manuscriptos nobis legendi facultas fuerit. Neque opinor eaemplar, quocum excusi libri conferri possint, alibi quam Florentiæ extare. quod alter ex Medicæis Pontificibus maximis bibliothecam dedicaturus, ex urbe transferri curavit, cum illud prius in cœnobio Corbejensi repertum è Saxonia Quæstor quidam Pontificius Romam ad Leonem x. detulisset. Exinde in patria Æmilius Ferrettus archetypum illum relegit, cujus ad instar libri omnes impressi sunt. Neque vero mihi Florentia transeunti, visis quibusdam Pandectarum locis in Laurentii basilica, amplius quicquam per otium videre licuit. *Vertranius.*

2 *Aut declinans*] Toleravit in urbe, & coram; declinavit, cum Rhodum secessit. *Lipsius.*

3 *Vacuos principis penates*] Hoc est, nullis jam æmulis, quippe mortuis Marcello & Agrippa: moxque etiam Cajo Lucioque Cæsaribus. *Pichena.*

4 *Egregium vita famaque*] Verba hæc, *egregium, occultum, subdolum*, ad quid referantur non video. Si ad vocem *tempora*, nescio an apte dicatur, occultum ac subdolum tempus. Quid si intelligas, *egit*, ut Venturius monuit? Ego dubito an sit legendum *egregius*, & deinde *occulsus*, *ac subdolus*. Pichena. Quo respiciunt accusandi illi casus, *egregium*, *occultum*, *subdolum*? Non hercle habent, cum quo jungantur. ut habeant, scribam, dandi flexu, *egregio, occulto, subdolo*. Acid. At commode atque eleganter illa referri ad *τὸ tempus* docuimus Observationum 1, 2. *Gronovius.*

5 *Intestabilis sævitia*] Muretus *inde stabilis sævitia*. Vix abest quin vere. tum vagum inter bona malaque fuisse vult, mox in sævitia stabilem & firmum. *Acidalius.* Adde libro 5. c. 3. Sed cave vel sic vel quidquam mutes. nam *intestabilis* detestabilis. *Gronovius.*

C. CORNELII TACITI
AB
EXCESSU DIVI AUGUSTI
ANNALIUM
LIBER UNDECIMUS.

Breviarium Libri.

Valerius Asiaticus fraude Messalinæ & Vitellii evertitur. Advocatis præmii modus pro patrocinio definitus. Parthorum res intestino regum discidio turbatæ. Ludi sæculares Romæ editi. Litteræ tres novæ à Claudio repertæ: & ea occasione de primis litteris. Italus Cheruscis rex imponitur. Corbulo inferiori Germaniæ præficitur, & ipsam, militemque severe regit. Curtius Rufus triumphalia adsequitur: deque ipso viro. De Quæstorum munere & numero. Galliæ proceres jus plenum civitatis Romanæ adipiscuntur, Patricii augentur, lustrum conditur. Messalina impudicissima feminarum, amore vecors, C. Silio palam nubit. res ad Claudium defertur: qui in uxorem & adminiſtros libidinum, impulsu libertorum, animadvertit. Hæc gesta annis fere duobus.

C. Valerio Asiatico. M. Valerio Messalla } Coss.
A. Vitellio. L. Vipsanio. }

1 [1] Nam Valerium Asiatium bis consulem, fuisse quondam [2] adulterum ejus credidit: pariterque hortis inhians, quos ille [3] à Lucullo cœptos insigni magnificentia

Commentarius.

Hunc librum ἀκέφαλον esse ne moneri quidem necesse est. Desunt autem, à fine libri VI. ad hujus initium, res gestæ annorum circiter decem. In quibus C. Caligulæ principatus in universum, & Claudiani imperii primores anni sex perierunt. Olim adolescens contexui Cajanam historiam, & initia Claudii Corneliano exemplo stiloque. Distuli aut sprevi edere: postea in migrationibus meis, ut alia quædam, periit mihi hic labor, fraude an casu, non dicam. *Lipsius.*

1 *Nam Valer. Asiaticum*] Apparet hunc librum esse ἀκέφαλον. *Rhenanus.* Cum Romam veni, in bibliotheca Palatina, ab undecimo Annalium Cornelii libro; MS. unum & alterum nactus exemplar, utrumque relegi, aliquotque diebus otiose tractavi, & quæ è rep. literaria fore credidi, suis locis ad libros sequentes accommodavi. In utroque sane chirographo acephalos liber hic est; ejusdemque auctoris de moribus Germanorum & de oratoribus libelli desiderantur. *Vertranius.*

2 *Adulterum ejus*] Poppææ, ut apparet. *Lipsius.*

3 *A Lucullo cœptos*] Libri vett. *à Lucullo emptos.* iidem *extollebat*, non quod Rhenano supponere visum, *excolebat*. *Luculliani horti* infra sæpius nominati: & in principis res pervenerunt, manseruntque ad ætatem Trajani. De iis quidem Plutarchus

centia [1] extollebat, Suilium accusandis utrisque immittit. Adjungitur [2] Sosibius Britannici educator, qui per speciem benevolentiæ moneret Claudium, [3] *caveri vim, atque opes principibus infensas: præcipuum auctorem Asiaticum interficiendi Cæsaris,* [4] *non ex-*

tarchus: *Ὅθεν καὶ νῦν, ἐπιδόντες τοιαύτην τὴν τρυφὴν ἰσχύοντος, οἱ Λευκολλιανοὶ κῆποι, τῶν βασιλικῶν ἐν τοῖς πολυτελεστάτοις ἀριθμοῦνται.* id est: *Ex quo etiamnunc, tanta accessione facta ad luxum, horti Lucculliani inter sumptuosissimas res principis censentur.* Idem.

A Lucullo cœptos] Manuscriptus habet in margine, *emptos* quibusdam magis placere. *Vertranius.* Florentinus codex babet, *cœptos*; non, *emptos*, ut editi, & MSS. alii, quos Lipsius vidit. Cœperat hortos illos Lucullus magnifice ædificare, nec perfecerat. In rem Asiatici venerunt, isque absolvebat, extollebatque. Quid verò ad historiam pertineat, emeritne donone acceperit Asiaticus? Absurdum deinde à Lucullo emisse, cujus ne nepotes quidem novisse potuerit. Vide quæ infra adnotavi in verbis, *Lucullianos in hortos.* Pichena. Quomodo à Lucullo emerit, *illo qui nondum tempore natus erat?* Reducenda lectio vulgatior, *Lucullo cœptos*, cum ita quoque conspiciatur in Mediceo, quem Curtius Pichena, in Covarruviano, quem Andreas Schotus contulere; uterque amicus non è multis mihi & Musis. *Gruterus.*

1 *Extollebat*] Scripsimus, *excolebat*, quemadmodum & editio vetus babet, ab exemplari manu descripto dissentiens. *Rhenanus.*

2 *Sosibius*] Nescio an ille sit, qui Arnobio nominatus libro IV. *Nam ab Hippocoontis liberis ipsum Sosibius Herculem cruciatum restulisse pronunciat.* itemque Clementi Aleaandrino, Ad gentes. Suidas etiam litteratoris meminit hoc nomine, in Σωσίβιος. *Lipsius.*

3 *Auri vim atque opes*] In vulgatis est, *Caveri vim.* & turbant in restituendo loco Rhenanus & Maurus. Mihi veræ lectionis auctor Farnesianus liber in quo *cauri. e.* littera superius adpicta: & historia ipsa, quoniam auri vis Asiatico caussa necis. Dio: *Ὁ δ' Ἀσιατικὸς ἀφεὶς τὴν ἀρχὴν ὑπ' αὐτοῦ τοῦ πλούτου, ἐφ' ὅπερ καὶ ἀπώλετο.* & si otium est, adde reliqua, cum iis quæ apud Zonaram excerpta. *Auri vis*, optima dictio, quam iterum usurpat noster libro XVI. *Specum altitudine immensa, quo magna vis auri contineretur.* Quod Vertranius interpunctione juvari locum existimat, *per speciem b. moneret, Claudium caveret, vim atque opes.* quasi Sosibius Asiaticum monuisset, non Claudium: clare sequentia aspernantur. Denique quid hoc sit, vim esse principibus infensam? quasi non cuivis etiam è plebe. Nam omnis certe vis omnibus mala. *Idem.*

ADD Repugnaverunt mihi quidem è superva cuo, in verissima emendatione, quam probet iis vel Aristoteles, IV. Polit. c. XI. *Οἱ μὲν ἐν ὑπεροχαῖς εὐτυχημάτων ὄντες, ἰσχύος καὶ πλούτου, καὶ φίλων, καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων, ἄρχεσθαι οὔτε βούλονται οὔτε ἐπίστανται*: *Qui in affluentia fortunæ, virium, opum, & amicorum aliorumque talium, constituti sunt: regi atque obedire neque volunt, neque norunt.* Ex quo vides, Sosibium nimis vere monuisse *aurum & opes Principibus infensa.* Idem.

Caveri vim atque opes] Codex Budensis hic notatus erat, ut alias compluribus locis rasus; præsertim hoc XI. libro quem conatus fuit quidam ex vulgatis editionibus castigare. Sed tamen ejus voluminis prior lectio sic habebat, *cavsri indeque opes* &c. Legerim ego, *Cavendas opes.* Rhenanus. Alias, *Caveret vim.* Ferretius. Veaavit ingenium Beati diverse scriptus hic locus. Equidem in iis, quæ à superioribus pendent, etsi sine illis constare liquido nihil possit; sic tamen locum interpunctum, in plano ponere mihi videor, *moneret Claudium caveri, vim atque,* &c. id est, à Claudio caveret sibi Valer. Asiaticus reus cum Poppæa à Suillio delatus. *Vertranius.* Hæc sic resolvuntur; monuit Claudium ut caveret, *vim atque opes*; quibus Asiaticus fretus erat, *principibus infensas.* Alibi, *orabantque caveri insidias mulieris semper atrocis.* τὸ *vis* non quæ infertur, ut opinatus est eruditissimus vir sed ea de qua noster l. 2. ann. haud minus magnifica: *quam nunc vi Parthorum aut potentia Romana jubentur.* Verissima gnome, quæ ab his non infirmatur Aristotelis l. 4. Politic. *οἱ μὲν ἐν ὑπεροχαῖς* &c. ubi *ἰσχύος καὶ πλούτου* Latine melius verti non possunt quam *vis & opum.* Salmerius. Ne quis de hac Lipsii emendatione *Auri vim atque opes* ambigat, testor id ipsum in Flor. legi. *Pichena.* Testatio hæc procul dubio concepta est ea persuasione, quasi nullus posthac eum codicem consulturus foret. Cæterum est a vero remotissima, & perinde ut ego, sic & frater meus vidimus in eo legi *caveri vim atque opes*, prout edidit quoque Beroaldus. Mihi autem ille indelebilis per Musas & comitatem memoriæ Ant. Magliabequius ad collationem dederat editionem Pichenæ Francofurtanam, unde notabam exserte (in MS. clare est *caveri.*) Neque id agitur, quod maaime disputant eruditi; sed an mos Taciti sit de opibus dicturi præponere *auri vim.* Ipsam materiam & locutionem renovat Tacitus in eaemplo Junii Blæsi 2. hist. 59. *genere illustri, largus animo, & par opibus, circumdaret principi ministeria, comitaretur, liberaliter, eo ipso ingratus.* Ecce opes principibus infensas, sine mentione auri. Hoc aurem modo sæpe. Et cur non diait *auri vires opesque;* hoc enim utrumque aliquoties jungit? Et est reliquum Ciceronis pro Roscio Amer. 38. *Illum identidem monere, ut caveret.* Lib. 1. Hist. 36. *Gregarius miles caveri præpositos jubebat.* Et debebant ordine explicari, per quæ terribilis poterat videri Asiaticus, primo ob insitam violentiam, secundo per divitias, quarum copia exstimulet talem hominem. *Jac. Gronov.*

 4 *Non*

extimuisse in concione populi Romani fateri, gloriamque facinoris ultro petere. clarum ex eo in urbe, [1] *didita per provincias fama; parare iter ad Germanicos exercitus, quando genitus Vienna, multisque & validis propinquitatibus subnixus, turbare gentiles nationes* [2] *promptum haberet.* At Claudius nihil ultra scrutatus, citis cum militibus, tamquam opprimendo bello, Crispinum prætorii præfectum misit: à quo repertus est apud
2 Baias, vinclisque inditis in urbem raptus. neque data senatus copia, intra cubiculum auditur, Messallina coram, & [3] Suilio *corruptionem militum, quos pecunia & stupro* [4] *in omni flagitio obstrictos* arguebat, exin *adulterium Poppææ*, ac [5] postremum *mollitiam corporis* objectante. ad quod [6] victo silentio prorupit reus, & *Interroga*, inquit, *Suili*,

4 *Non extimuisse concionem*] Ex scriptis legas, *non extimuisse concione populi Rom. fateri, gloriamque.* Id est, in concione. Quod autem ait præcipuum auctorem interficiendi Cæsaris Asiaticum, addicit ei Seneca libro II. De Tranq. cap. XVIII. *Ea referam quæ illum* (Cajum) *exitio dederunt: Asiaticum Valerium in primis amicis habebat, ferocem virum & vix æquo animo alienas contumelias laturum. Huic in concione*, (Forte, *cognitione*, cum videlicet adsessor ei consiliariusque Asiaticus esset,) *clarissima voce, qualis in concubitu esset uxor ejus, objecit. Di boni, hoc virum audire, principem scire, & usque eo licentiam pervenisse, ut non dico consulari, non dico amico, sed tantum marito, princeps & adulterium suum narret & fastidium?* Vide Josephum Antiquitatum Judaicarum l. XIX. c. I. circa finem. *Lipsius.*

Non extimuisse in concione pop. R. fateri] In libro regis Corvini, quem ex Budensi bibliotheca domo Jacobi Spigelii nactus sum, neque erat *in concione*, sed tantum *concionem*, neque verbum *fateri* illic comperi. Itaque suspicor sinceriorem lectionem esse, *non extimuisse concionem populi Rom. gloriamque facinoris ultro petere.* Rhenanus. Cum prætorianæ cohortes tumultuantes quærerent, quis Cajum occidisset, Valerius Asiaticus, vir Consularis, præter opinionem sedavit seditionem, ascenso edito loco vociferatus: *Utinam ego ipsum interfecissem. Quibus verbis territi milites, tumultuandi finem fecerunt.* Hæc Dionis sunt extrema libro 59. quibus, alioqui subobscurus, hic locus illuminatur. Sed quoniam ita respondens Asiaticus de nece C. Cæsaris nihil confessus est, probo maloque scriptionem, quæ in Matthiæ Corvini Pannoniæ regis codice ita habuit, *non extimuisse concionem populi Romani gloriamque* &c. *Vertranius.* Asiaticus non fassus est, sed solum dixit. Xiph. in Calig. εἴθ' ἐγὼ αὐτὸν ἀπεκτόνειν. i. *utinam ego eum occidissem.* Nihilominus absurdum non est, si dicamus per hæc verba Asiaticum quodam modo fassum, & insuper gloriam petiisse, præsertim cum oratione ageretur apud Claudium, qui absurdioribus adhibebat suam credulitatem. Sueton. c. 29. *nam illud omnem fidem excesserit* &c. τὸ *ultro*, id est *insuper.* Plaut. Amph. *Quoniam herus quod imperavit, neglexisti persequi: Nunc venis etiam ultro irrisum dominum.* Salinerius. Flor. & plerique alii veteres habent verbum, *fateri.* atque in nonnullis etiam legitur, *in concione*, optimo sensu. Ideo textum restitui, olim à Rhenano sic imminutum: *non extimuisse concionem pop. R. gloriamque.* Pichena.

1 *Dedita per provincias*] Sive mavis, *didita.* Lucretius.

—— *rerum simulacra feruntur*
Undique, & in cunctas jaciuntur didita partes.

Virgilius:

Cognatique patres, tum terris didita fama
Conjunxere tibi.

Lipsius.

Didita] Sic scriptum in utroque. Gabriel tamen Faernus mavult scribi *didita*, pro sparsa, à verbo *dido*, quo Lucretius & Horatius utuntur. Ego nihil mutandum censeo, mihique Augerius Ferrerius, illi Dionysius Lambinus assentitur. *Vertranius.* Faernus optima conjectura legebat, *didita.* quo verbo utitur sæpe Lucretius, cujus si recte memini, est illud, *per terras didita fama.* Ursinus. Verbum, *didita*, à Lipsio repositum, Florentini auctoritate confirmo. *Pichena.* Tolle apices à fine vocum *dedita fama*, ut casu nominandi accipias, non auferendi. *Acidalius.* Fallit & fallitur. *Gronovius.*

2 *Promptum haberet*] Alter Vatic. *propretii haberet.* Nihil elicio, quod anteferam vulgatæ. *Lipsius.*

3 *Suilio corruptionem militum*] Ex Florentino sic scripsi, ac deinde, *objectante.* nam minus recte in vulgatis, *Suilius:* & *objectare.* Pichena. Hæc omnia plane sic exhibuit ex eodem MS. Beroaldus. *Jac. Gronov.*

4 *In omni flagitio*] Malim, *in omne flagitium.* Rhenanus. Tolerari posset lectio publicata, abjecta præpositiuncula *in.* aliud enim est, *obstringi in omne flagitium*; aliud *obstringi flagitio omni.* Gruterus.

5 *Postremum*] Usurpat adverbialiter; ut lib. I. *perniciem aliis, ac postremum sibi invenere.* Rhenanus. Si modo credere oportet. Nam in MS. legitur *poppe ac postr.* quo clarissime indicatur *Poppæa, postremum.* Jac. Gronovius.

6 *Victo silentio*] Veteres. *indicto.* recte, ut prorupisse ad loquendum intelligamus, etsi silentium ante jussum. *Lipsius.*

Victo silentio] Par erat ut Asiaticus crimina dilueret, ubi accusator perorasset: verum ita excanduit ad Pathici nomen ut obloqui præmature coactus sit. itaque silentium vicit: quo fere significatu poste-

li, filios tuos: [1] *virum me esse fatebuntur:* ingressusque defensionem, commoto majorem in modum Claudio, Messallinæ quoque lacrymas excivit. quibus abluendis cubiculo egrediens, monet Vitellium, ne elabi reum sineret. ipsa ad perniciem Poppææ festinat, subditis qui terrore carceris ad voluntariam mortem propellerent; adeo ignaro Cæsare, ut paucos post dies epulantem apud se maritum ejus Scipionem percunctaretur, *cur* [2] *sine uxore discubuisset?* atque ille [3] *functam fato* responderet. [4] Sed 3
consultanti super absolutione Asiatici, flens Vitellius commemorata *vetustate amicitiæ,*

atque

posteriora prolata sunt. Curt. libro 3. *videtis ne obstinatum ad tacendum? (inquit) num genu posuit? num supplicem vocem misit? vincam tamen silentium, & si nihil aliud, certe gemitu interpellabo.* Salinerius. Verbum, *victo* à Florent. confirmatur: longe melius, quam *indicto.* Reis enim silentium nunquam indicebatur, licebatque accusationibus respondere. Supra dixit, *intra cubiculum auditur.* ac paulo post, *ingressusque defensionem.* Videtur sensus: Asiaticum, dum Suilius verba faceret, tacuisse; cum vero mollitiam corporis sibi objectari audiret, silentium vicisse. *Pichena.* Nescio quomodo, *indicto silentio,* minus huc quadret. quare retinuerim *victo*; ut hactenus tacuerit Suillius, & nunc demum proruperit in vocem. Codex Hispanus & Florentinus stant pro vulgata. *Gruterus.* MSS. disertim habent, *indicto silentio.* Quod non intellectum in *victo silentio,* est mutatum. Hoc quidem commodum sensum, sed eo, quem vult Tacitus, minorem habet. Lipsius igitur probat, *indicto,* sed contra mentem Taciti interpretatur. Ut prorupisse, inquit, ad loquendum intelligamus, etsi silentium ante jussum. Atqui hoc falsum est. Paulo namque ante dixit Tacitus, *Vinclisque inditis,* Asiaticus nimirum, *in urbem raptus, neque data Senatus copia, intra cubiculum principis auditur.* Qui auditur, sive vocatus est ut audiatur, ei silentium non est indictum. Amicus noster, vir in his literis egregie versatus, ex *indicto,* faciebat, *inciso silentio,* id est, interpellato. Sed, quod sciam, nunquam sic loquitur Tacitus. Et, quod ei probe cognitum est, genius auctoris & dicendi modus hic primas faciunt. Rectum est, *indicto silentio.* Id reus Asiaticus accusatori indicit, animi vir maximi; & tunc inprimis commoti, quod & sequentia ostendunt. Nisi potius velis à Claudio & Messalina, post hæc dicta, accusatori silentium indictum, tanquam ista sufficerent. *Boxhornius.* Quia codd. optimos auctores habet τὸ *victo,* quid moramur alterum, quod utcumque versabis, nihil ex eo sani exsculpes. Nec placet tamen, quod Salinerius & Pichena scribunt Asiaticum *vicisse silentium.* Qui enim ἀνοκαρτερεῖ, nec se continet diutius, is vincitur, non vincit. Itaque silentium ejus victum est ab impudentia Suillii. *Victo silentio* est victa patientia. *Gronovius.*

1 *Virum me esse*] Sic editi, etiam Beroaldinum exemplar, quum tamen in MS legatur *virum esse me fat.* quæ series cur turbatur? *Jac. Gronovius.*

2 *Sine uxore discubuisset*] Discis hinc uxores vulgo adhiberi solitas ad convivia. Æmilius Probus: *Quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in convivium?* Et olim quidem cubantibus viris sedere solitæ, (ut Servius ex Varrone notat, ad illud, *Perpetuis soliti patres considere mensis.* & Valer. Maximus libro II. De matrimoniorum ritu:) postea etiam accumbere. In accubitu ille mos, ut recumberent in sinu virorum. Ovidius ad puellam, quæ cum viro cænatura:

> *Alteriusque sinus apte subjecta fovebis?*
> *Injiciet collo cum volet ille manum?*

Iterumque:

> *Nec premas indignis sinito tua colla lacertis,*
> *Mite nec in rigido pectore pone caput.*

Sed & amicæ puerique meritorii non aliter jacebant apud amatores. Id vocabant *interiorem jacere.* Scipio in Oratione adversus Gallum: *Qui in conviviis adolescentulus cum amatore, cum chirodota tunica interior* (etsi Agelli in libris, *inferior,* scriptum: non item male) *accubuerit; eumne quisquam dubitet quin idem fecerit, quod cinædi facere solent?* Itaque arguit ecce mollitiam à decubitu ipso. Suetonius in Cæsare, cap. XLIX. Cæsarem à Dolabella dictum ait, *spondam interiorem regiæ lecticæ:* non ab alia caussa, ne interpretes ultra alucinentur. Eodem faciunt Tranquilli verba de Caji libidinibus, capite XXIV. *Cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit, plenoque convivio singulas infra se vicissim collocabat, uxore supra cubante.* Nam sorores infra se, id est in sinu, collocabat, quasi justas uxores: legitima consorte, loco pulsa. Nec aliud Cicero significat in Epistola quadam hilariore: *Infra Eutrapelum Cytheris accubuit.* Livius libro XXXIX. de scorto: *Tum illam infra eum accubantem, negasse, umquam vidisse quemquam securi ferientem.* Ubi liber optimus, *in terra eum.* ut videatur fuisse, *intra.* & forte sic in prioribus. *Lipsius.*

3 *Functam fato responderet*] Malo, *respondere.* Nec scripsit aliter Tacitus. *Acidalius.*

4 *Sed consultanti super absolutione*] Faernus legebat, *consultantes.* Ursinus. Consusa hæc, & interpolata à mala & imperita manu Lipsius clamat, ut pæne totum librum. Vere. Nos tamen ista non male sic ordinabimus, ut structura orationis æquabiliter decurrat, & sententia nihil offendat. L. *Sed consultanti super absolutione Asiatici, flens Vitellius commemorata vetustate amicitiæ.* &c. *quæque alia conciliandæ misericordiæ videbantur, secuta sunt Claudii verba, in eandem clementiam: & liberum ei mortis*

arbi-

usque [1] *Antoniam principis matrem pariter observavissent*, dein percursis *Asiatici in rempublicam officiis, recentique adversus Britanniam militia*, quæque alia conciliandæ misericordiæ videbantur; [2] *liberum ei mortis arbitrium* permisit: & secuta sunt Claudii verba, in eandem clementiam. [3] Hortantibus dehinc quibusdam *inediam & lenem exitum*,

arbitrium permisit. Vixque est, ut aliter Tacitus De libero mortis arbitrio Curt. lib. 4. *Alii foribus adium obseratis occupant liberum mortis arbitrium*. Acidalius.

1 *Antoniam*] De qua lapis Romæ,

ANTONIAS
AVGVSTAI
DRVSI
SACERDOTI. DIES
AVGVSTS
MATRI. TI. CLAVDI.
CÆSARIS. AVG. P. P.

Lipsius.

2 *Liberum ei mortis arbitrium permisit*] Sed in MS. legitur, *liberum mortis arbitrium ei permisit*. Jac. Gronovius.

Liberum ei] Satis confuse ista, ut pleraque omnia hoc libro: quem scio interpolatum à mala & imperita manu. Sententia tamen hæc ex Dione: ut subornatus Vitellius quasi Valerii nomine culpam agnoscentis, peteret mortis arbitrium: idque à Claudio concessum. *Lipsius*.

Ei mortis arbitrium permisit] Non sunt hiulca, nec confusa, ne putes Insignem impudentiam Vitellii notat, & insignem stoliditatem Claudii. Asiaticus accusatus erat à Suilio palam, clam à Messalina & Sosibio. Quum responderet criminibus, flexus princeps, & jam in consilium ibat de absolvendo, quem videbat innocentem. Scelestè Vitellius, amicitiam prætexens, & recensitis quæ fidem facerent eum cupere rei causa, flexit tandem pro absolutione ad mitiorem pœnam: & stolide Claudius exorari clementiam suam passus artibus Vitellii, quem nullius criminis compertum absolutum ibat, ei priorum bene meritorum commemoratione victus, quasi gratiam faceret, liberum mortis arbitrium permittit. *Mercerus*. Id est, Vitellius curavit ut a Claudio permitteretur. Ad quam faciem dicta sunt: *principes Musulamorum defectionem cœptantes securi percutit*. quo uno tantum hinc expedire te potes, ubi mihi animadvertas oro dolosam Vitellii pietatem: qui petendo specie miserationis levius genus mortis Asiatico, non modo imposuisset Claudio, qui lapis erat, sed os cuivis callidiorum sublevisset. *Salmerius*. *Permisit*, hoc est, permittendum censuit. Sic lib. 3. *fusti necat*, id est, necari jussit, lib. 4. *securi percutit*, pro, percuti jussit. lib. 6. *quanto majorem, quam Augustus, rei frumentaria copiam advectaret*: hoc est, advectari curaret. *Pichena*. Interpres est, qui mavult *super supplicio*, quam *super absolutione*: neque enim se capere, quo colore Vitellius potuerit effundere lacrimas ob novissimum amici casum & mortem ejus decernere, si princeps ostendisset se ad mitiora inclinare. Non legerat aut intellexerat parum, quæ præclare hic Mercerus. Et miror ipsum Lipsium admonendum fuisse. Tacitus enim suavissimo lepore, in re inexspectata narranda, verbis quoque utitur, quæ illudunt παρὰ προσδοκίαν, & fallunt exspectationem legentis: & tamen suum illud σεμνὸν servat. Etiam Messalina commota erat, quæ jure injuria perditum volebat Asiaticum; nedum Claudius, cui nullum in eum proprium erat odium. Ergo auditis partibus rogaturus sententias aliquid jecit, ex quo apparebat placatum & absolventes æquis auribus admissurum esse. Hic Vitellius, memor præcepti Messalinæ, docuit, quid esset apud Tacitum alibi *pessimi inimicorum laudantes*, quid *ornandum & tollendum*, mirificaque machina hominem μετέωρον & instabilem circumegit. Lacrimæ enim illæ detestabiles & commemoratio amicitiæ meritorumque rei & captatio misericordiæ fidem ei fecere benevoli: qui mox idem petens pro beneficio & rei & suo nomine voluntariam mortem, duplici miserum præjudicio gravat, tanquam qui semet ipse, & quem homo benevolentissimus ac precator supplicio dignum agnosceret. Id satis fuit Claudio, perinde hic, ut prius, *nihil ultra scrutato*, & jamdudum, quæ dixisset ipse Asiaticus, oblito. Sed quêmadmodum hic eventus, contrarius principio totique actioni Vitellii, frustratus est haud dubie, quotquot in consilio erant fraudis ignari, multosque Romæ, dum fama facti fertur: ita Tacitus etiam facete supplantat legentem, atque eo ipso ejus attentionem excitat, mirantemque ac destitutum, indignitatem negotii, scelus Vitellii, vanitatem cruentam Claudii aut cogitando invenire aut aliunde exquirere compellit. Illa enim omnia, consultans super absolutione princeps, flens Vitellius, amicitia, Patrona communis & eadem principis mater, res gestæ domi bellique, misericordia implorata calculum album large promittebant; quum subito, velut scorpii cauda, niger apparet: *liberum ei mortis arbitrium permisit*. hoc est, rogavit principem & suo & Asiatici nomine, ut ei tanquam confesso convictoque concederetur sponte mori, non sub carnifice. Rursus ἐπιφωνούμενον: *Et secuta sunt Claudii verba in eandem clementiam*. Itaque locus hic mihi videtur singularis, & cui antiqua illa L vel X præfigi debeat: tantum abest, ut accusandus aut labefactandus sit. *Gronovius*.

3 *Hortantibus dehinc quibusdam*] Excidit vocula, puto: scribendumque *quibusdam ad inediam*, si non imposuit olim mihi Orbilius meus. *Lipsius*.

Hortantibus deinde quibusdam inediam] Nihil opus addita vocula *ad*. Sæpius enim præpositio neglecta

exitum, remittere beneficium Asiaticus ait: [1] & usurpatis quibus insueverat exercitationibus, lauto corpore, hilare epulatus, cum se *honestius calliditate Tiberii, vel impetu C. Caesaris periturum* dixisset, [2] *quam quod fraude muliebri & impudico Vitellii ore caderet*, venas exsolvit: viso tamen ante rogo, jussoque *transferri partem in aliam, ne opacitas arborum vapore ignis minueretur*. tantum illi securitatis novissimae fuit. Vocan- 4
tur post haec patres, [3] pergitque Suilius addere reos [4] equites Romanos inlustres,

[1] qui-

cta optimis auctoribus, in quos nihil juris Orbilio; imo ne Grammaticis quidem. *Gruterus.* Qui tam laxe omnia donat, nihil donat; aut valde turbat minus exercitos, quasi nihil non liceat. Aliter igitur agendum dicendumque & Orbilio & Grammaticis minime intercedentibus, neque in contrarium sibi jus aliquod praetendentibus, veteres dixisse & *hortari aliquem* & *hortari ad aliquid* & *hortari aliquid*, quod si quis negavit, qui Orbilii personam Grammaticive gereret, non negavit ut Orbilius aut Grammaticus, sed ut peccans Orbilius aut Grammaticus. Dedimus auctoritates ex Attio, Ovidio, Justino vel Trogo, Seneca, Statio ad duos horum postremum nominatos. Accedat Gellius lib. 13, 22. *Has mera veritas Tusculani hominis plus hercle, promovet ad exhortandam parsimoniam sustinendamque inopiam, quam Graeca praestigia.* Accedat, ut etiam defendatur, Vegetius lib. primi caput XXVIII. sic proscribens: *De adhortatione rei militaris Romanaeque virtutis.* Lemma ridiculum, inquit P. Scriverius. adhortatur auctor ad rem militarem Romanamque virtutem; non Virtus aut Militia ipsa loquitur. quare scribe, *ad rem militarem Romanamque virtutem.* At, ô bone, qui adhortatur ad rem militarem Romanamque virtutem, is juxta commode, & exquisitius etiam, dicitur *adhortari rem militarem Romanamque virtutem*, aut facere vel scribere *hortationem rei militaris & Romanae virtutis.* Quid ipso de Cicerone dicam? lib. 7. ad Atticum epist. 14. *Pacem quidem hortari non desino.* Sic certe lectum olim: & sic in MS. est Helmaestadiensi. Quare vellem, quibus MSS. plurium copia fuit, non tam negligentes transiisse hunc locum, & verbo attigisse, qua fiducia subjecerint: *Equidem ad pacem hortari non desino.* Nam & sic ad Atticum 7, 2. *partes istius officii sunt pueri Ciceronis sive jam adolescentis; quod quidem illum soleo hortari.* Et ad Q. fratrem 1, 1. *Sed quid ego te horter, quae tu facere potes tua sponte?* Gronovius.

1 *Et usurpatis quibus insueverat*] Ex veteribus libris restitui copulam &. Pichena. Sed bene etiam novit Beroaldus. *Jac. Gronov.*

2 *Impudico Vitellii ore*] Quiane inter Ligures Vitellius? an quia, ut Suetonius ait, *amore libertinae perinfamis; etiam salivis ejus melle commistis, cotidie palam arterias & fauces pro remedio fovebat?* Lipsius.

Quam quod fraude muliebri, & impudico Vitellii ore caderet] Rotundior longe meo judicio, ordo orationis, si recisis *quod* & *caderet*, scriberemus; *quam fraude muliebri, & impudico Vitellii ore.* Gruterus. De particula subscribo: & vitium est, quale apud Livium lib. 28, 43. curavimus. Verbum facile tolero. *Gronovius.* Sed locus hic omnino conferri debet cum verbis Justini, quae sunt illi simillima 19, 3. *Nihil tamen se gravius ferre, quam quod inter fortissimos viros mori non potuerit.* Jac. Gronovius.

3 *Pergitque Suilius addere reos*] Videtur legendum *agere reos*: nisi verbum *addere* Tacitus ex antiquo aliquo sumpsit Scriptore. *Ursinus.* Muretus voluit *agere.* Acidalius. Neque corrigendum est, neque hoc magis ex antiquo auctore sumptum quam ex quotidiana Romani oris consuetudine, nobis ex sat certis auctorum locis observanda, qua *addere* est augere, vel alios aliis addere. Infra hoc libro: *Ac novas literarum formas addidit*, id est, invenit & prioribus addidit. lib. 1. *Idem annus novas caerimonias accepit addito sodalium Augustalium sacerdotio.* i. instituto & addito iis quae antiquitus habebantur. Tale Plinii lib. 22, 7. *Addidere vivendi pretia deliciae.* Quod etiam non cepere, ut ibi docemus. Sic igitur *addere reos* est alios corripere & Poppaeae atque Asiatico addere. *Gronovius.*

4 *Equites Romanos illustres*] Qui sunt Equites illustres? Neque enim temerarium est certe, quod totiens is titulus repetitus. Ut lib. IV. Annal. *Eques Romanus ex illustribus Curtius Atticus.* Libro VI. *Pater quoque illustris eques Romanus ac frater Praetorius.* Lib. XV. *Die pacta Tiberius Alexander illustris eques Romanus, minister bello datus.* Hoc ipso libro: *Eadem constantia & illustres equites Rom. cupidos maturae necis fecit.* Suspicor ego sic dictos, qui non quidem Senatores, sed & censum habebant & spem Senatoriae dignitatis. Imo etiam ordinis ejus insigne, id est latum clavum. Colligo, quod Tacitus Equites illustres cum Senatoribus conjungit pari gradu. Lib. II. Annal. *Acerrime increpuit quod contra instituta Augusti Alexandriam introisset. Nam Augustus inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi Senatoribus aut equitibus Rom. illustribus, seposuit Aegyptum.* Et clare Annal. XVI. *Mella & Crispinus equites Romani, dignitate Senatoria.* Haereo an ad hanc rem Dionis verba accommodem lib. LIX. Τοῦ τε τέλους τοῦ τῶν ἱππέων ὀλιγανδροῦντος, τοὺς πρώτους ἐξ ἁπάσης καὶ τῆς ἔξω ἀρχῆς τοῖς τε συγγένεσι καὶ ταῖς περιουσίαις μεταπεμψάμενος κατελέξατο, καί τινας αὐτῶν καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ βουλευτικῇ καὶ πρὶν ἄρξαι τινὰ ἀρχὴν δι' ἧς ἐς τὴν γερουσίαν ἐσερχόμεθα, χρῆσθαί τι ἐπὶ τῇ τῆς βουλῆς ἐλπίδι ἔδωκε. Πρότερον γὰρ μόνοις, ὡς ἔοικέ πως τοῖς ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ φύλου γεγεννημένοις τοῦτο ποιεῖν ἐξῆν. Id est: *Cum ordo autem equestris ad paucos redigeretur, primores ex omni imperio etiam extra*

Ita-

[1] quibus Petra cognomentum. [2] at caussa necis ex eo, quod domum suam [3] Mnesteris & Poppææ congressibus præbuissent. Verum *nocturnæ quietis species* alteri objecta, *tam-*

Italiam qui genere & opibus excellerent in eum allegit: & quibusdam eorum etiam Senatoria veste, priusquam magistratum ullum cepissent, uti dedit in spem dignitatis. Nam antea non nisi iis qui Senatoria stirpe essent (male ista & contra historiam verterat vir doctus) *id permissum.* Hæreo, inquam, an ea faciant istuc, apta quidem, sed à Cajo id statutum Dio ait: Illustrium autem titulus ante eum. Refero ergo potius ad Augustum, (etsi de veste negare non possumus, quin sit à Cajo) qui a. DCCXLII. legem tulit, ut ex Equitibus, qui non minus decies sestertio possiderent, eligerentur à magistratibus, è quibus tribuni Senatoresque fierent: qui gesto Tribunatu aut retinerent Senatorium ordinem si vellent, aut iterum redirent ad equestrem. Verba sunt Dionis lib. LIV. *Τὴν δὲ δημαρχίαν ὀλίγων σφόδρα αἰτούντων, ἐνομοθέτησεν, ἐκ τῶν ἱππέων τῶν μὴ ἔλαττον πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας κεκτημένων προβάλλεσθαι τοὺς ἐν ταῖς ἀρχαῖς ἕνα ἕκαστον, κἀκ τούτων τὸ πλῆθος τοὺς ἐνδέοντας αἱρεῖσθαι. εἰ, μὲν καὶ βουλεύειν μετὰ τοῦτο ἐθέλοιεν, εἰ δὲ μή, ἐς τὴν ἱππάδα αὖθις ἐπανιέναι ἐξεῖναι.* Qui ergo in hoc seminario Senatus equites, dicti illustres. Reperio & insignes, ut hoc libro: *Samius insignis eques Romanus.* iterumque: *Cn. Novius insignis eques Rom.* Item Splendidos, ut Plinius libro VI. Epistol. *Passienus Paulus splendidus eques Rom.* & alibi idem: *Scribis Robustum splendidum equitem Rom.* Et Cicero ipse non semel in Verrem. Sed hi duo tituli infra illum non dubie: & à fama ducti, opibusque. Alii ab illis Illustres sunt: qui in Codice Justinianæo, & Cassiodoro. *Lipsius.*

Equites Romanos illustres] De iis anxie quæritur: equites esse credam, qui in senatu jus sententiæ habebant. Gell. 2, 18. *M. autem Varro in Satyra Menippea, quæ Ἱπποκύων inscripta est, equites quosdam dicit pedarios appellatos, videturque eos significare, qui nondum à censoribus in senatum lecti, senatores quidem non erant, sed quia honoribus populi usi quidem erant in senatum veniebant, & sententiæ jus habebant.* Tacit. 16. ann. quæ ab his leviter affirmantur. *Mella & Crispinus equites Romani dignitate senatoria.* Salmasius. Ad Augusti ævum, equitum illustrium titulum Lipsius refert. Sed & à Livio multo antea usurpatur. ait enim lib. 30. *Cn. Helvius tribunus militum in restituenda pugna cecidit, & duodeviginti ferme equites illustris obtriti ab elephantis, cum centurionibus aliquot perierunt.* Pichena.

1 *Quibus Petra cognomentum*] A quibus alia Petrina, opinor, nominata lib. IV. Historiarum: itemque in Notitia imperii. *Lipsius.*

2 *At causa necis ex eo*] Capite legis Juliæ de adulteriis coërcendis tenebantur Petræ equites Rom. quod domum suam, ut adulterium committeretur, scientes præbuissent, ut Papinianus, Ulpianus & Tryphoninus retulerunt. Sed erat lex mitior infligendæ pœnæ exilii, quam patrum cognitio fuerit, quæ durius pœnam legitimam asperavit, pro exilio irrogans ultimum supplicium. *Vertranius.* Malim deleri illud *At*, vel certe scribi *Et.* Non enim alias recte consequatur postea, *Verum nocturna quietis species* &c. *Acidalius.* Flor. *Ac causa necis ex eo.* Pichena. Edd. vett. non agnoscunt illa *ex eo:* & possunt sane abesse, nullo auctoris incommodo. *Gruterus.*

3 *Mnesteris & Poppææ congressibus*] Veterum editionum lectio, *Valerii & Poppææ.* apta sane ad historiam, quia Valerio Asiatico objectum adulterium Poppææ: & forte equitibus istis, quod interpretes & administri. Libri tamen scripti, *Nesteris*, aut *Nestoris.* Ex quo Rhenanus *M. Nestoris*, nec recte. Germanum illi Pantomimo nomen, Mnester: vel lapidis fide, qui in ædibus Crepanicorum Romæ:

T I. I V L I O.
A V G. L.
M N E S T E R I.

Nescio ergo an Poppææ etiam adulterium objectum dilecti hujus mimi: in quo & Messallina deperiit. Ceterum hæc Poppæa illa est, quæ cunctas ætatis suæ fœminas pulchritudine supergressa, gloriam reliquit filiæ, quæ scortum sive uxor Neroni. Quam genuit ex priore marito, T. Ollio. *Lipsius.*

Valerii & Poppeæ congressibus] In volumine Budensi scriptum est; *in Nestoris & Poppeæ congr.* Hinc reposui; *Quod domum suam M. Nestoris & Poppeæ congressibus præbuissent.* Histrio fuit M. Nestor, intimus Messallinæ, cujus sæpe ministerio abusa est. proinde trucidata Messallina, inter eos qui illius sævitiæ ac libidini inservierant, M. Nestor quoque est interfectus. Id quod in hujus libri fine commemorat Tacitus, quanquam in vulgatis editionibus eo loco *Mnester* legitur pro *M. Nestor*, cujus Seneca mentionem facit in ludicro libello de morte Claudii Cæsaris, quem nos olim Scholiis exposuimus, pro *noster Pantomimus*, *Nestor Pantomimus* reponentes. Eum locum infra citabimus. *Rhenanus.* Recte viri doctissimi revocarunt nomen pantomimi Mnesteris clarissime in antiquis libris declaratum; sed cui injuria scribarum nocuit detrectantium iterare eandem literam *suam nesteris.* Hinc post typos inventos ab prioribus subjectum post τὸ *suam* fuit nomen *Valerii*; quod ab eis factum non est ut intelligentibus, sed quia in literis scriptis hærebat illis aqua, unde aliud libuit supponere quodcunque, sed proximum erat *Valerii*, ab principio hujus libri, ut mirer aliquo colore tentavisse Cl. Ryckium hanc fœdam temeritatem colorare. Nam quod prætexit de amore Messalinæ, inde forsan consilium sumpserunt liberti, ut de consulto & industria Suilium

tamquam vidisset Claudium [1] *spicea corona evinctum, spicis retro conversis: eaque imagine* [2] *gravitatem annonæ dixisset.* [3] Quidam *pampineam coronam albentibus foliis visam, atque ita interpretatum* tradidere, [4] *vergente autumno mortem principis ostendi.* Illud haud ambigitur, qualicumque insomnio, ipsi fratrique perniciem allatam. Sestertium quindecies, & insignia præturæ Crispino decreta. Adjecit Vitellius sestertium decies Sosibio; *quod Britannicum præceptis, Claudium consiliis juvaret.* Rogatus sententiam & Scipio: *cum idem*, inquit, [5] *de admissis Poppææ sentiam quod omnes, putate me idem dicere quod omnes*, eleganti temperamento inter conjugalem amorem, & senatoriam necessitatem. Continuus inde & sævus accusandis reis Suilius, multique audaciæ ejus æmuli. nam cuncta legum & [6] magistratuum munia in se trahens Princeps, materiam prædandi patefecerat. nec quidquam publicæ mercis tam venale fuit, quam advocatorum perfidia: adeo ut Samius insignis eques Romanus, quadringentis [7] nummorum millibus Suilio datis, & cognita [8] prævaricatione, ferro in domo ejus incubuerit. Igitur incipiente C. Silio consule designato, cujus de potentia & exitio in tempore memorabo, consurgunt patres, [9] legemque Ciniciam flagitant. qua

lium ad id subornarent, ut jam tunc inciperent præparare illi homini alia quam optabat. Nam quod fatetur etiam in MSto ipsius legi *Valerii*, id egregie facit ad enervandam ejus fidem & bonitatem, utpote cujus scriptor nihil edoctus de Mnestere, audacissimum sumpserit ex vicinia supplementum. *Jac. Gronovius.*

1 *Spicea corona evinctum*] Quæ Cereris propria, & sacerdotum item Arvalium, ut Plinius notat lib. XVIII. cap. II. Corona ea alias non infelix, omen triste habuit quod spicis esset retro conversis: sicut quod ante pugnam in Philippis, corona inversa Cassio imposita. *Lipsius.*

2 *Gravitatem annonæ dixisset*] Vel *prædixisset*, vel *significari dixisset*. Rhenanus. Nisi verbum *gravitatem* Tacitus ex antiquo sumpsit Scriptore, libentius legerem, *caritatem*. nam *caritatem annonæ* usurpavit Cicero & alii etiam scriptores. *Ursinus.* Muretus *caritatem*. Male lib. 6. fuit, *gravitate annonæ juxta seditionem ventum.* Acidalius.

3 *Quidam pampineam coronam*] Consentit cum interpretatione hujus somnii Artemidorus lib. I. cap. LXXIX. ubi observat coronam è vite præter Dionysiacos artifices mortem ac vincla significare, propter pampinos implicatos & inflexos. Similia crimina valuisse apud Constantium non inscite Ammianus narrat. lib. XV. *Mercurius Solemniorum appellatus comes, si per quietem quisquam vidisse aliquid amico narrasset, id venenatis artibus coloratum in pejus, patulis imperatoris auribus infundebat. & ob hoc homo, tamquam inexplicabili obnoxius culpæ, gravi mole criminis pulsabatur. Hac augente vulgatius fama, tantum aberat, ut proderet quisquam visa nocturna, ut ægre homines dormisse sese præsentibus faterentur externis: mærebantque docti quidam, quod apud Atlantæos nati non essent. ubi memorantur somnia non videri.* Lipsius.

4 *Vergente autumno*] Farnes. *vertente*: Idem.

5 *De admissis Poppææ sentiam*] Flor. corrupte: *de admissis Poppææ assen essentiam:* Alii duo MSS. in eadem bibliotheca Medicea non adeo veteres, *assentism.* Talia mendosa loca non pigebit aliquando adscribere, ut alii cogitent. *Pichena.*

6 *Magistratuum munia*] Farnes. *nece*, refert pro, *munia.* Deleo vero utrumque, ut glossema: scriboque, *cuncta legum & magistratuum in se trahens.* Lipsius.

7 *CCCC. nummorum millibus*] Hæc summa nostro ære decem millibus ducatorum valet, quandoquidem illud constat, mille nummis sestertium argenti æstimati, esse autem sestertium libras duas & semissem, hoc est, uncias argenti XXX. quæ plus minus XXXV. nostros coronatos æquant pretio. *Alciatus.*

8 *Prævaricatione*] *Prævaricator* dicitur, qui cum reo colludit. Marcellus ad SC. Turpil. *Accusatorum temeritas tribus modis detegitur, aut enim calumniantur, aut prævaricantur, aut tergiversantur. calumniari est, falsa crimina intendere. prævaricari est, vera crimina abscondere. tergiversatur qui in universum ab accusatione desistit.* Idem.

9 *Legemque Ciniciam flagitant*] Certa ea scriptura ex libris, & historia. Legem de donis & muneribus (Muneralem apte Plautus dixit) tulit M. Cincius trib. pl. anno urbis DXLIX. Retulit iterum Augustus evanescentem vetustate, & firmavit novo consulto Senatus. Dio LIV. Καὶ τοὺς ῥήτορας ἀμισθὶ συναγορεύειν· ἢ τετραπλάσιον ὅσον ἂν λάβωσιν ἐκτίνειν ἐκέλευσε. Noto eo, nequis miretur cum plebiscitum fuerit, vocari Senatusconsultum à Tacito lib. XIII. *Ejus opprimendi gratia repetitum credebatur SC. pœnaque Cinciæ legis, adversus eos qui pretio caussas oravissent.* Et Plinio epistola ultima libri V. *Caussa dilationis Nepos Prætor, qui legi De muneribus præposuerat brevo edictum, admonebat accusatores, admonebat reos exsecuturum se quæ SC. continerentur. Suberat edicto Senatusconsultum. hoc omnes qui quid negotii haberent, jurare priusquam agerent jubebantur, nihil se* ob

6 qua cavetur antiquitus, *ne quis ob caussam orandam pecuniam donumve accipiat.* Deinde obstrepentibus his quibus ea contumelia parabatur, [1] discors Suilio Silius acriter incubuit, *veterum oratorum exempla* referens, *qui famam & posteros, præmia eloquentiæ cogitavissent pulcherrima. alioquin & bonarum artium principem sordidis ministeriis fœdari;* [2] *ne fidem quidem integram manere, ubi magnitudo quæstuum spectetur.* [3] *quod si in nullius mercedem negotia tueantur, pauciora fore: nunc inimicitias, accusationes, odia, & injurias foveri, ut quomodo vis morborum pretia medentibus, sic fori tabes pecuniam advocatis ferat.* [4] *meminissent C. Asinii & Messallæ, ac recentiorum Arruntii & Æsernini.*

[1] *ad*

ob advocationem cuiquam dedisse, promisisse, cavisse.' His enim verbis & mille praterea & venire advocationes, & emi vetabantur. Sed id SC credo fuisse à Trajano. Cetera super hac lege vide apud Manutium, cujus scrinia non compilo. Legem Titiam quisquis hic reposuit (ea enim scriptura in vulgatis) Rhemmiæ pœna dignus ipse. *Lipsius.*

Legem Titiam flagitans] Sic citat Alciatus; sed & quæ iste, & quæ Vertranius huc attulerunt, nihil prorsus ad Tacitum, & apud ipsos legi possunt, unde hinc expelli placuit satis crebro repetita. *J. Gronov.*

1 *Discors Suilio*] Hæc verba non significant, hac in caussa Silio aliud, aliud Suilio visum, ita ut nihil exprimant, nisi quod ex sequentibus satis noscitur, & jure prætereantur interpreti; sed volunt nobiles publicasque inter Silium & Suilium fuisse simultates quod dedita opera interjecit Tacitus, ut intelligeremus, actionem eam, etsi foret in commune utilis, non tamen tam amore egregii publici quam odio & cupidine inimicum ulciscendi a Silio inceptam esse. *Gronovius.*

2 *Ne fidem quidem integram manere*] Quum conjunctio *quidem* non sit in exemplari scripto, maluimus legere, *Nec fidem integram manere.* Nam hanc particulam etiam in sequentibus sæpe reperi insultam à castigatoribus. *Rhenanus.* Editio Veneta non infimæ notæ præferebat *ne fidem quidem*; efficacius quam alii *nec fidem.* Freinsh. Quum Rhenani lectionem, è Budensi proditam, neque ea Vaticanis Vertranius & Lipsius, neque ex Florentinis Pichena sollicitarint, verosimile est eos codices illam adfirmasse. Illa autem non infimæ notæ editio non magis quam Frobeniana an. 1519. quam Aldina 1534. & omnes, quæ præcesserunt Rhenani recensionem habent & hanc & alias audaciæ primitus edentium notas: quos eadem, opinor, efficaciæ objecta inanis species à veteri scriptura discedere compulit. *Nec fidem* est quod alii exprimerent, *Sed nec fidem*, vel, *Nec vero fidem.* Gronovius. Patet optime, ereptus nobis es, antequam veritatis te possemus facere conscium. Sed post tuum discessum strenue mandatis tuis paruimus, idque ut quamprimum appareret, cum Ryckio communicavi, isque demum lectionem Mediceæ membranæ ex vero produxit, quod nunc in contextu est. Præterea quantum aberravit ipse, quum scripsit (nisi quod Flor. in ultima voce aberret exhibendo *spectaretur*) quum in scheda mea plane viderit *spectetetur*, supra prius & posito *e.* *Jac. Gronovius.*

3 *Quod si in nullius mercedem negotia tueantur*] Lego, *Quod si nullius in mercedem negotia tueantur.* Eo ordine & sensu: Si nullius negotia tueantur in mercedem, id est mercede, vel ob mercedem. Sic de moribus German. *Exercitatio artem paravit, ars decorem: non in quæstum tamen aut mercedem.* Acidalius. Facile credo esse hic aliquid scabri. Lipsianæ ad marginem ostendunt in MSS. esse *negotiantur.* Forte. *Quod si in nullius mercedem negotia cant, pauciora fore.* Sic lib 3. *qui neque servatus in periculum reipublicæ, neque interfectus in exemplum ibit.* lib. 14. *Itur in principis laudes.* Gronovius. Apparet ea verbis promptis affatim clare, quo stimulo ad hanc conjecturam adactus sit pater meus; certe longe alio, quam Acidalius, & solummodo quod verbum *tueantur* apportaret aliquid scabri: Quin & conjectura ista valde est probabilis, utpote proxime accedens ad veterrimam lectionem: & quam robustus ad eam firmandam Sidonius Apollinaris 2, 13. per hæc verba? *Perspexit pariter ire non posse negotium principis & otium senatoris.* Et simile quid in Cicerone pro Roscio Comœdo cap. 3. tentasse Gulielmium notabat Gruterus. Sed Ryckius post crimen, quod exprobrat Acidalio, etiam id transfert ad patrem meum dicens (unde etiam alius vir eruditus inductus videtur ut divinaret &c.) quum ab eo remotissimum se ostendat vir ille eruditus, quem vocat, utpote nihil trahens ex Acidalio. Quid autem! an pater meus non fuit, qui Ryckium docuit intelligere illud Tullianum *magna mercede aliquid cognoscere?* An ut id fieret, pater non huc advocavit locum Ciceronis pro Domo? *Data merces est erroris mei magna.* Quod ad Taciti locum attinet, aperte hinc constat codicem MS. Ryckii ineptiis & nugis fuisse interpolatum, deinde quod *eam* supposuit pater, eum collegisse has literas ex verbo *tueantur*, quod totum barbarici temporis ac malæ manûs; & ex MS. Mediceo legi debere, *Quod si in nullius mercedem negotia sint, pauciora fore*, ut cap. 21. *Unde tenuis fructus, nec in longum fuit.* 5, 2. *Quarum apud prapotentes in longum memoria est.* 2. hist. 26. *In vulgus adverso rumore fuit.* 1. ann. 28. *Ut novissimi in culpam, ita primi ad pœnitentiam sumus.* Jac. Gronov.

4 *Meminissent C. Asinii*] Omisi verba, quæ non repperi in libris scriptis, aliunde inculcata. *Lipsius.* Abrupte & præcipitanter sic Lipsius, quo nihil aliud

[1] *ad summa provectos incorrupta vita & facundia.* Talia dicente consule designato, consentientibus aliis parabatur sententia, qua [2] *lege repetundarum tenerentur*; cum Suilius, & Cossutianus, & ceteri qui non judicium (quippe in manifestos) sed pœnam statui videbant, circumsistunt Cæsarem, anteacta deprecantes. [3] Et postquam an 7
nuit tacens, incipiunt; [4] *Quem illum tanta superbia esse, ut æternitatem famæ spe præsumat?* [5] *usui & rebus subsidium præparari, ne quis inopia advocatorum* [6] *potentioribus obnoxius sit. neque tamen eloquentiam gratuito contingere: omitti curas familiaris, ut* [7] *quis se alienis negotiis intendat.* [8] *multos militia, quosdam exercendo agros tolerare vitam. nihil à quoquam expeti,* [9] *nisi cujus fructus ante providerit. Facile Asinium, & Messallam,*

liud effectum, quam ut Nicolaus Heinsius nomini Messalæ cogitaret præponendum nomen M, & Ryckius probaret; exemplo Ursini 2, 6. *P. Vitellio & C. Antio* scribentis. Dignæ prorsus Tacito notæ! Quæ vero sunt illa, quæ non repperit in libris scriptis? Nimirum *T. Galba*, quæ ante inserebantur. Recte: sed an prænomen *C* repperit in ullo scripto libro? Si deberet respondere Lipsius, hæreret omnino. nec enim reor id uspiam exstare, & quod mireris, in loco tam affecto tacet Ryckius de sui codicis lectione. Itaque habe, quod vidit Ryckius me notasse ex sacro illo codice Mediceo, *gali asinii Messala*, nulla copula interposita, sed quod illum nequivit advertere, quum clare pateat auctorem dedisse: *Meminissent Galli, Asinii, Messala, ac.* Nam & hæc Longobardica manus unum modo *l* agnoscit in nomine postremo. *Jac. Gronov.*

1 *Ad summa provectorum*] Codex Budensis habet, *ad summa provectos*, & est non absurda lectio, si quis recte distinguat, nempe hoc modo: *Meminissent T. Galba, C. Asinii, & Messalla, ac recentiorum Arruntii & Eserninii. Ad summa provectos, incorrupta vita & facundia.* Subauditur verbum, *esse.* nam illud, *ad summa provectorum*, plane durius est. *Rhenanus.* Hic quoque Venetum sequimur, *provectorum:* alii, *provectos.* Freinshemius. Videtur quidem rotundiorem facere periodum τὸ *provectorum:* & ideo sic ausi corrigere, qui primas editiones curaverunt. Sed neque spernendum est, quod constare membranis clamat mihi silentium eorum, quibus harum copia fuit. Livium imitatus dixisset: *Quos ad summa provectos.* Id pronomen omissum brevitatem Taciti haudquaquam dedecet. *Gronovius.*

2 *Lege repetundarum tenerentur*] Qua cavebatur, ne quis ob accusandum vel non accusandum pecuniam acciperet: teste Venulejo libro 3. Publicorum. D. de lege Julia repetundarum. Notandum autem hoc amplius, Cossutianum & cæteros perfidos advocatos, fuisse repetundarum reos eo, quod pecunia accepta à Suillio accusatore, prævaricati essent. Quod non reperias scriptum in lege de repetundis. *Vertranius.*

3 *Et postquam annuit tacens*] Veteres, *tacere.* Lego, *postquam annuit, agere incipiunt.* Lipsius.

Postquam annuit tacere] Hic surrepsit *tacens* sive *agere.* Mihi autem *tacere* placet: transitque in vim nominis, ut *vivere.* Salinerius. Flor. lectio: *postquam annuit, tacere incipiunt.* ac supra, alia manu, sed antiquia, scriptum est. *agere*, Pichena. In quibusdam pro *tacens* est *tacere*, ex quo formem *jacere.* Sic; *postquam annuit, jacere* (hoc est serere, disserere, proloqui non continua oratione, sed velut interjungentes) *incipiunt*, Freinshemius. Posses hæc accipere de ea facundia, quam mutam vocat Cassiodorus. de qua illud Ovidii; *Sæpe tacens vultum, verbaque vultus habet.* quæ & gestibus peragitur. Sed cum in MSS. sit, *tacere*, lege; *Postquam annuit placere*, scilicet, ut loquerentur, *incipiunt.* Boxhornius. Quod in hoc loco prompsit Pichena, & quidem recte, promit & Ryckius, nescio cur, & subnectit Freinshemiana, ut locum libri 6. cap. 4. ex Freinshemii indice petitum videret inter notas suas legi. Quis vero per sequentia istam acrimoniam habebit, ut opinetur dicta velut ab interjungentibus Freinshemianis? Est immo validissima peroratio ad præsentia defendenda & sese excusandos. Sic nihil agit. vide, mi lector, an non ex Mediceo codice verum reparemus legendo: & *postquam annuit facere, incipiunt. Facere*, nimirum anteactorum gratiam. Hæc petebatur. Sic cap. 9. quum legatur *fœdus repente faciunt*, etiam codex Mediceus habet *jaciunt.* Sic cap. 31. litigatum inter *fatentibus* & *tacentibus.* Jac. Gronov.

4 *Quem ullum tanta superbia esse*] Codex Budensis habet: *Quem illum tanta superbia esse.* Rhenanus. Etiamnum prætulimus Venetam lectionem, *quem ullum*; communi, *quem ullum.* Freinshemius.

5 *Usus & rebus subsidium præparari*] Subsidium scil. eloquentiæ: quod ad commercium hominum, & ad res proprias tuendas, præparatur. *Pichena.*

6 *Potentioribus*] Codex Med. tantum *potentibus*, ut 1. Hist. 22. *Genus hominum potentibus infidum.* Jac. Gronov.

7 *Quis se alienis negotiis intendat*] Bene *intendat:* etiam omisso *se* Quid tamen, si illo retento, pro hoc legas *impendat.* Acidalius.

8 *Multos militia*] Ad eam sententiam Sallustius, *Humillimus quisque in arvis, aut militia, nullius honestæ rei egens, satis sibi, satisque patria erat:* ut vere emendavit nobilissimus noster Dousa. *Lipsius.*

9 *Nisi cujus fructus ante prævidetur*] In cod. Budensi manifeste legitur, *providerit.* Et quid erat opus hoc mutare? Subauditur autem *quisquam* aut

lam, inter Antonium & Augustum bellorum præmiis refertos, aut ditium familiarum heredes Æserninos & Arruntios, magnum animum induisse: prompta sibi exempla, quantis mercedibus P. Clodius aut C. Curio concionari soliti sint. se modicos senatores, [1] *quieta republica nulla nisi pacis emolumenta petere.* [2] *Cogitaret plebem, quæ toga enitesceret. sublatis*

ipso. Rhenanus. Malim, *fructum.* at verbum, *præviderit*, reposui ex Flor. Vulgo, *providerit.* Pichena. Incredibile in viro eximio. Nam in illo MS. prima syllaba scribitur per notam eandem, quæ solet iste scriptor uti in prima syllaba vocum *proximas, proturbat, provisor &c.* nimirum ꝓ, non ut edidit Beroaldus *Turbat.* Jac. Gronov.

1 *Qui à republica*] Quidam scripti, *qui & a:* ex quo Pichena, *quieta rep.* & mox deinde, *petere.* Assentior. *Lipsius.*

Quieta Rep. nulla nisi pacis emolumenta petere] Hanc lectionem ex Flor. elicui, in quo legitur: *qui & à Rep.* unde vulgo, *qui à Rep.* Optimo ergo sensu respondent verba, *quieta Rep.* ad superiora, *bellorum præmiis refertos.* Nos (inquit) modici senatores, quibus in hac imperii pace bellorum præmia non possunt contingere, satis habebimus, si pacis emolumenta, id est, eloquentiæ fructus, nobis relinquatur. *Pichena.*

2 *Cogitare plebem*] Displicent quæ scripsi olim, & induco. Vett. *cogitaret.* Scribo, *cogitare & plebem, qua toga enitesceret.* id est, etiam quemvis è plebe occupatum esse, ut emergeret se, & nitidiore toga uti posset. Sed revera (iterabo hunc animi mei sensum) & narrationes & orationes istæ, turbatæ, concisæ. Confer, sodes, hunc xi. librum, cum uno quovis è primoribus; jurabis elapsum eum imperitorum manibus, velut è pugna aliqua Cannensi. *Lipsius.*

Cogitaret plebem qua toga enitesceret] Diu cum hoc loco sumus luctati, nihil nos adjuvante codice scripto. Deprehendimus tandem pro *cogitaret* legendum *cogitare*, & *qua* non pronomen hic esse, sed adverbium pro *quatenus.* Itaque circumflexum accentum super imposuimus, ne se lector hic torqueat. *Cogitare plebem, quâ toga enitesceret.* Sensus est cogitare plebejos quo pacto sese altioribus ordinibus inserant, atque in senatum allegantur. *Rhenanus.* Valeant emendationes. hæc reddunt optimum sensum. Suilius & Cossutianus (inter multa, quæ jaciebant, ne pretium aboleretur patronis causarum) hæc inserunt, opus esse pecunia, qua ipsi decoris vestibus instruerentur: quod eo tempore plebs ludos faceret oratores pannis obsitos, quippe quæ inania tantum probaret. Juvenal. Sat. 7.

Et tamen hoc ipsis est utile, purpura vendit
Causidicum, vendunt amethystina: convenit illis,
Et strepitu, & facie majoris vivere census.

Hæc Satirographus: quæ tamen ipse ferre vix potest:

Cum tu multitia sumas,
Cretice, & hanc vestem populo mirante perores,
En habitum, quo te leges ac jura ferentem.

Nec antea Demostheni condonata sunt: illi vitio data κομψὴ χλανίς, & μαλακοὶ χιτωνίσκοι, i. *vestis elegans, molles tunicula.* Gell. 1, 15. *Saliverius.* Videtur sensus: Etiam plebs cogitat, quomodo per togam, id est per eloquentiæ studia, possit ad facultates & dignitates pervenire. At Flor. habet, *cogitaret*, ut forte velit, ipsum Principem ad plebejos etiam animum advertere, qua ratione valeant emergere, togaque clarescere. Nulla enim iis alia spes reliqua, si studiorum pretia tollantur. Quid si pro, *quâ*, legas, *qua* ut de parte illa plebis intelligat, quæ aliquando honores adipiscebatur, non etiam de infima. *Pichena.* Non modo respiceret Arruntios & Æserninos, sed etiam eorum meminisset, qui modica origine arcta re familiari cum sint, togæ pacisque artibus & eloquentiæ studeant, quibus utique ex studiis suis petenda sustentatio. *Freinshemius.* Scripsit omnino Tacitus: *cogitaret plebem, qua toga enitesceret.* Nec satisfaciunt interpretes. *Togam* utique Freinshemius accipit laxe nimis. Ea enim pacem pacisque artes omnes etsi aliquando possit complecti, tamen hic arctius nihil aliud significat quam eloquentiam forensem. Ut Livio libro 22. de C. Terentio Varrone: *totaque ac forum placuere, proclamando pro sordidis hominibus causisque.* Plinius libro 1. epist. 22. *in toga negotiisque versatur: multos advocatione, plures consilio juvat.* Florus libro 4, 12. *ut primum togas & seviora armis jura viderunt.* Reliquus autem sensus. Meminisset magnam partem plebejos ac de plebe esse, qui enitescerent atque in lucem se proferrent toga & causidicina: qui non possent tam magnum induere animum, & operam illam gratuitam præstare, nisi esurire domi & fame perire velint, dum alios beatos faciunt. Nam quod dicere Tacitum faciunt, plebi non esse aliam viam ad dignitates, falsum est, ut norunt rerum Romanarum periti. Pejus & ridicule, qui proprie accipit, quasi vellet Tacitus, ut plebs cogitet, quomodo niteat toga, si oratorem cogitare quomodo niteat oratio. *Gronovius.* Rectissime quidem ista. Sed hactenus. Nam interim hic locus miserabilem in modum ab præcedentibus concussus pendet etiamnum. Quum enim MS. Mediceus plane legat *peterene*, quod servantes priores editiones deserens ita defunctorie Lipsius, an vindicat sibi arbitrium auferendi Tacito duas literas *ne?* Eademque erit arrogantia Pichenæ, ex quo fere crederem in citato codice tantum legi *petere*, nisi oculis meis aliud vidissem. Sed quam bene omnia sequuntur, si nihil abeas ab optimis libris MSS? *Se modicos senatores; quietâ republicâ nulla nisi pacis emolumenta. Petere, ut cogitaret plebem*

tis studiorum pretiis, [1] *etiam studia peritura.* Ut minus decora hæc, ita haud frustra dicta princeps ratus, capiendis pecuniis posuit modum, [2] usque ad dena sestertia, [3] quem egressi repetundarum tenerentur. Sub idem tempus Mithridates, quem im- 8
peritasse Armeniis, & ad præsentiam Cæsaris [4] vectum memoravi, monente Claudio in regnum remeavit, fisus Pharasmanis opibus. Is rex Iberis, idemque Mithridatis frater, nuntiabat *discordare Parthos: summaque imperii ambigua, minora sine cura haberi.* Nam inter Gotarzis pleraque sæva (qui necem fratri Artabano, [5] conjugique ac filio ejus præparaverat, unde metus ejus in ceteros) accivere Bardanen. Ille,

bem &c. Omnia ex literis veteribus bene nexa & firma. *Jac. Gronovius.*

5 *Etiam studia peritura. Ut minus decora hæc, ita*] Hactenus editi, *etiam studia peritura ut minus decora. Hoc ita.* quæ lectio cum meo suasu mutata sit, ad causas mutationis indicandas obligatum esse me sentio. Primo itaque nego commodum habuisse sensum. quid enim studia *minus decora* videbuntur, si pretia tollas immo hercle si hæc magis respicias, haud facile atrociorem iis injuriam inferas. quæ & Ulpianus eleganter monet l. 1. §. 1. de eattaord. cognit. *pretio nummario non esse dehonestanda.* Unde & Themistius invehitur in eos, qui mercede docent, sophisticum id esse dicens, in Oratione 4. Posteriora autem verba: *Ut minus decora hac, ita* &c. conjungenda esse duxi particulis *ut, ita*, hoc volentibus, quæ sibi sic opponi solent. quemadmodum *etsi* ve *quidem* & *tamen.* Est ergo sensus: Hæc quidem ut pro sordido lucro dicta, non satis esse decora reipub. sed tamen adesse dicentibus rationes, propter quas non omnino repudiari debeant. Hæc ergo particularum istarum sic oppositarum vis est. quarum usus apud nostrum frequentissimus, ut H. 3, 56. *Ut terrorem Italia* &c. *ita haud dubium.* H. 5, 7. *Ut avaritia & libidine fœdum & maculosum, ita cogitatione rerum novarum abstinuisse.* H. 2, 50. *Ut potior utroque Vespasianus, ita bellum horrebant.* H. 3, 29. *Ut ad prosens disjecit obruitque quos inciderat; ita pinnas ac summa valli ruina sua traxit.* H. 2, 37. *Ut concesserim* &c. *itaque neque Paullinum* &c. 14, 45. *Ut nemo unus contrarie ausus est, ita dissona voces respondebant.* 56, 7. *Ut palam tristem, ita recordantibus latam.* 14, 24. *Ut nullis ex prælio damnis, ita per inopiam & labores fatiscebant.* 15, 16. *Ut augenda infamia composita, sic reliqua non in obscuro habentur.* nisi forte eo loco pro *sic* legendum est *sint.* Quapropter ita quoque scribendum arbitrer H. 1, 52. *Vitellias ut apud severos humilis, ita comitatem vocabant.* &c. & apud Liv. 41, 20. *Rhodiis ut nil unum indigne, ita omnis generis dona dedit.* Freishemius.

2 *Usque ad dena sestertia*] Eandem summam Nero etiam definiit, credo. de quo Suetonius cap. XVII. *Item ut litigatores pro patrociniis certam justamque mercedem darent.* Sæpius enim relata hæc lex, cum perrumperet improbitas forensis. Eandem summam capere & Trajanus advocatis permisit, sed dumtaxat post negotia peracta. Plinius, libro V. *Peractis tamen negotiis permittebantur pecuniam dumtaxat decem millium dare.* Nam decem millia *H-S.* idem quod dena *H-S.* idem, quod centum aurei, ut alibi docebo. Quod honorarium patrono Ulpianus tribuit in singulas caussas, l. 1. D. De variis & catr. cognit. *Lipsius.*

Usque ad dena sestertia] JCti tradunt licere advocato in singulas causas pro honorario centum aureos accipere. hane summam eamdem cum H-S. X. arbitror, cum centeni nummi aureo pensentur, & *decem sestertia* decem millibus nummorum sestertiorum valeant. qua æstimatione consequens est æstimari aureum antiquum undecim libris, assibus quinque nostris, hoc est, duobus ducatis coronatis cum dimidio. *Alciatus.* Vide ad hunc locum quæ scripsimus Pecuniæ Veteris libro 2. capite 5. *Gronovius.*

3 *Quem egressi*] Vulgo *qua egressi*, nec male, ut ad sestertia referatur. potior tamen mihi Florent. lectio, *quem*, id est, quem modum. Sic lib. 13. in princ. *Pallas tristi arrogantia modum liberti egressus.* Pichena.

4 *Vectum memoravi*] In libris scilicet, quibus descriptæ res Caii. Dio libro LX. rem breviter tangit: Τὸν Μιθριδάτην τὸν Ἴβηρα ὃν ὁ Γάϊος μεταπεμψάμενος ἐδεδέκει, οἴκαδε πρὸς ἀνάληψιν τῆς ἀρχῆς ἀπέπεμψεν. Id est, *Mithridatem Iberum, quem Cajus arcessitum in vinclis habuerat, domum ad reciperandum regnum remisit.* Quod hic in Tacito est, *vectum*; manuss. *vinctum.* Legerim, *ad præsentiam Cæsaris vectum vinctumque memoravi.* Quamquam Seneca non vinctum modo, sed in exilium missum fuisse significat, De Tranquillit. cap. XI. *Ptolemæum Africa regem, Armenia Mithridatem inter Cajanas custodias vidimus. Alter in exsilium missus est,* (Mithridates scilicet:) *alter ut meliore fide mitteretur, optabat.* Lipsius.

5 *Conjugique ac filio ejus præparaverat, unde metus ejus* &c.] Malim deleri posterius *ejus.* Muretus etiam *properaverat* scribit. *Acidalius.* Nihil certius mihi quam Tacitum scripsisse *properaverat*, quod & Mureto visum. Ut libro 2. *petiturum se vitam quamvis nocenti, nisi voluntariam mortem properavisset.* l. 1. Cod. de his qui par. *Si quis parentis aut filii aut omnino adfectionis ejus, quæ nuncupatione parricidii continetur, fata properaverit.* Virgilius 9. Æneid. *an sese medios moriturus in hostes inferat, & pulcram properet per vulnera mortem.* Vulgatum vix Latinum est,

le, ut erat magnis ausis promptus, biduo [1] tria millia stadiorum invadit, ignarumque & exterritum [2] Gotarzen proturbat: neque cunctatur, quin [3] proximas præfecturas corripiat, solis Seleucensibus dominationem ejus abnuentibus. In quos ut patris sui quoque defectores, ira magis quam ex usu præsenti accensus, implicatur obsidione urbis validæ, & munimentis objecti amnis muroque & commeatibus firmatæ. Interim Gotarzes Daharum Hyrcanorumque opibus auctus, bellum renovat; co-
9 actusque Bardanes omittere Seleuciam, Bactrianos apud campos castra contulit. Tunc distractis Orientis viribus, & quonam inclinarent incertis; casus Mithridati datus est occupandi Armeniam, vi militis Romani ad excidenda castellorum ardua, [4] simul Ibero exercitu campos persultante. [5] Nec enim restitere Armenii, fuso qui prœlium ausus erat Demonacte præfecto. Paululum cunctationis attulit rex minoris Armeniæ Cotys, versis illuc quibusdam procerum; [6] dein litteris Cæsaris coërcitus. & cuncta in Mithridaten fluxere, atrociorem quam novo regno conduceret. At Parthi imperatores cum pugnam pararent, [7] fœdus repente faciunt, cognitis popularium insidiis, quas [8] Gotarzes fratri patefecerat. congressique primo cunctanter, deinde complexi dextras, apud altaria deum pepigere, *fraudem inimicorum ulcisci, atque ipsi inter se concedere.* [9] Potiorque Bardanes visus retinendo regno: at Gotarzes, ne quid æmu-

est, neque elegantius *paraverit.* Gronovius. Acidalius vero quam mereatur non audiri, patet ex 13, 16. *Ita cunctos ejus artus pervasit, ut vox pariter & spiritus ejus raperentur.* Jac. Gronov.

1 *Tria millia*] Est ingens cursus in biduo: sed noctes etiam haud dubie assumptæ. Faciunt *trecenta septuaginta quinque* milliaria Romana. est idem cursus, quem Annibal confecit, à Scipione victus: & vide me, si voles, Centuria Epist. ad Italos, epist. LIX. *Lipsius.*

2 *Gotarzem perturbat*] Castigavimus, *proturbat.* Rhenanus.

Gotarzem] Sic vulgo & consensu omnes, qui tamen in fine capitis 10. ediderunt *Gotarzen*, nisi quod Cl. Ryckius etiam illic mutavit in *Gotarzem*, quod miror, quia schedam Florentinæ collationis a me habebat, in qua notavi & nunc & postea illic legi *Gotarzen*, atque etiam paulo ante ibi scribi *Bardanen*, immo & in cap. 9. *in Mithridaten*, ubi edunt *Mithridatem*, & proximo *Erinden*, non *Erindem*, quæ singula observavi. *Jac. Gronov.*

3 *Proximas præfecturas corripiat*] Varia hujusce dictionis est significatio. Agennius Urbicus libro de controversiis agrorum, *præfecturas eos agros* dici auctor est. *qui cum alterius jurisdictionis essent, principis placito alicui civitati asscribuntur.* Sunt & præfecturæ dictæ, munia præfectorum. Ausonius: *Præfecturarum titulo tenuere secundo.* Sunt enim quatuor dignitatum in jure civili ordines, *illustres, spectabiles, clarissimi, perfectissimi.* ex his *præfecti* sunt spectabiles. ut merito dictum sit, *secundum his titulum dari.* Sed & non absimili significatione in Assyriis & Medis præfecturæ erant. Sic enim vertit Plinius, quos Græci *νόμους*, Herodotus etiam *σατραπηΐας* appellavit, ut Laur. Valla infelicissime *portiones* transtulerit. *Alciatus.*

4 *Simul Ibero*] Alii *simulque Ibero.* sed nihil opus copula *que*, cum particula *simul* per se conjungendi vim habeat. ergo Venetam lectionem præferendam duximus. *Freinshemius.*

5 *Nec enim restitere Armenii*] Scripti codicis lectio, *resistere*, id est, *resistebant.* Rhenanus.

6 *Deinde literis Cæsaris coercitus*] Brevius Flor. *dein literis Cæsaris.* Idem paulo infra: *dein prævaluit Gotarzes.* Pichena.

7 *Fœdus repente faciunt*] Non ut in libris hodie, *jaciunt.* Bene etiam Maurus, *iciunt.* Porro an hic *Bardanes* sit, quem in eo tractu, regem à se visum & conventum Apollonius apud Philostratum dicit, nescio. Ætas patiatur: sed & ibi notatur, *pulsum eum regno fuisse, & tertium tunc annum iterum regnasse.* Libro I. *Lipsius.*

Fœdus repente faciunt] Exemi quod erat, *jaciunt:* neque enim id unquam verbum, à quoquam scriptore, in hac significatione usurpatum est. Contra auctores omnes Latini sermonis scientes, fœdus *icere* dixerunt: de cæteris Cicero, Virgilius, Livius, Suetonius, & hic noster Cornelius sup. libro 4. non *jacta*, sed *icta nobiscum fœdera*, & infra libro 12. non *jecerant*, sed orios Bizantios sermonem suum à *fœdere quod nobiscum icerant*, scripsit. *Vertranius.* Lego, *fœdus repente sanciunt.* nam annal. 2. ita noster, *sanciendo fœderi.* Libro 12. *hortari Mithridatem ad sanciendum fœdus.* Aurelius.

8 *Gotarzes fratri patefecerat*] Ita reposuimus, pro *patefecit.* Rhenanus. Muretus *patri.* Nescio unde aut quare. *Acidalius.*

Fratri patefecerat] Viderint, quis auctor sit. Beroaldus in prima editione exhibuit *patefecit*, idque & ipse & frater meus vidimus in vetustissimo Mediceo. *Jac. Gronov.*

9 *Potiorque Bardanes*] In scripto non est adnexa par-

æmulationis exsisteret, penitus in Hyrcaniam abiit. regressoque Bardani deditur Seleucia, septimo post defectionem anno, non sine dedecore Parthorum, quos una civitas tamdiu eluserat. [1] Exin validissimas præfecturas invasit. [2] & reciperare * Armeniam, [3] ni a Vibio Marso Syriæ legato bellum minitante cohibitus foret. Atque interim Gotarzes pœnitentia concessi regni, & revocante nobilitate, cui in pace durius servitium est, contrahit copias. & huic contra itum ad amnem Erinden: in cujus transgressu multum certato, pervicit Bardanes, prosperisque prœliis medias nationes subegit [4] ad flumen Ginden, quod Dahas Ariosque disterminat. Ibi modus rebus secundis positus. nam Parthi quamquam victores, [5] longinquam militiam aspernabantur. Igitur exstructis monimentis, quibus opes suas testabatur, [6] nec cuiquam ante Arsacidarum tributa illis de gentibus parta, regreditur; ingens gloria, atque eo ferocior, & [7] subjectis intolerantior. qui dolo ante composito, incautum venationi-

que

particula, *que*. Et quid erat opus addere, quum brevitati Cornelianæ magis conveniat eam abesse. *Rhenanus.*

1 *Exin validissimas præfecturas invasit*] Hic locus meo judicio recte fuit castigatus, quum in scripto volumine legatur *invisit* sed perperam. *Rhenanus.* Sed jam ante ediderat Beroaldus *invasit*. J. Gronov.

2 *Et reciperare Armeniam* *] Non sanus locus; de quo velut in tenebris micabo. Libri scripti voce auctiores, *reciperare Armeniam habebat*. Et rectumne illud? ut sit Græcorum ἔχω, ἀντὶ τοῦ δύναμαι: quomodo Cicero, Appulejus, Agellius, aliique è Latinis interdum. An, *havebat?* an, *audebat?* verbum quidem infarciendum est, ruenti sententiæ sustentandæ. Veneta editione, *reciperare Armeniam parabat*, expressum invenies. In Vat. opt. (si quid hoc ad rem) *habeat*. scribitur. littera alia superne adjecta. Quid si etiam, *reciperare Armeniam ibat?* sive *vadebat*. Lipsius.

Et reciperare Armeniam parabat] Hic verbum *parabat* est insultum postea, nam Tacitus scripsit: *Et recuperare Armeniam, ni Vibio* &c id est, recuperabat. Testatur id Codex Budensis. *Rhenanus.* In v. c. est: *Exin validissimas præfecturas invisit, & recuperare Armeniam parabat, ni Vibio* &c. Ursinus. Omnes hunc locum quasi labentem tibicine suffulciunt: sed (libere dicam) nec eo sine dedisset ruinam. *Recuperare*, id est *recuperabat*. noster libro 1. ann. *hæc atque talia agitantibus gravescere valetudo Augusti.* At *recuperabat* sibi sumit vim *recuperasset*, ut in ejusmodi fit. *Salinerius.* Hic abstineo manum. Sed Florent. tantum lectionem corruptam auctioremque refero: *exin validissimas præfecturas invisit, & recuperare Armeniam habeat, ni Vibio Marso* &c. Pichena. Lipsius varie. Mihi ex omnibus nihil præter ipsam scriptorum librorum lectionem placebat, *Reciperare Armeniam habebat.* Vel Mureto assentiar, qui è vulgata simpliciter, *Et reciperabat Armeniam, ni à Vibio* &c. Acidalius. Corrigo: *& reciperaret*, vel *reciperasset Armeniam*: etsi non improbem correctionem Lipsianam. *Harlæus.* Optime Rhenanus & Salinerius. Vide Observat. 2, 14. *Gronovius.*

3 *Ni a Vibio Marso*] Ita denique replevi, quum Ryckius rem notam faciendo non ex mea tantum annotatione, sed etiam suo libro defungeretur, unde nihil ad Tacitum; inchoante jam omittere præpositionem ipso Beroaldo, miro postea consensu; quum lib. 4. hist. 72. in verbis *Cerealis a metu infamia* tantopere de ea certetur, etiam sui codicis momentum illic afferente postremo. Sed debuit hoc testimonium de lectione libri Medicei omnino aperiri, quoniam vides aliter proferre sustinuisse Pichenam, prorsus vitiose. Quod ad literas præcedentes *habeat*, quæ excluduntur propter ingeniorum imbecillitates, nondum tam ferreus sum, ut queam credere per nævum supervacuas, qui perspectam gero castitatem illius membranæ, ignoratam aliis; sed quum nunc vix sufficiam, de his alibi. Mox cur supprimant lectionem optimæ membranæ, quæ præfert *vocante*, non *revocante*, non intelligo, quum simplex sufficiat. *Jac. Gronovius.*

4 *Ad flumen Ginden*] Vett. *Sinden.* Gindes fluvius nominatur etiam Senecæ III. de Ira: *Cyrus cum Babylonem oppugnaturus festinaret ad bellum, Ginden late fusum amnem vado transire tentavit*, & quæ sequuntur: è quibus hauris sententiam Tibulliani versus,

——— *aut rapidus Cyri dementia Gindes.*

Ubi male vett. libri, *Cydnus.* Nam & Herodoto Gyndes. *Lipsius.*

Ad flumen Ginden] Codex Budensis, *ad flumen Sinden.* Rhenanus. Covarruvianus habet, *Sindem.* Vertranius.

5 *Longinquam quamque aspernabatur*] Particulam *quamque* errore librarii repetitam induximus. *Rhenanus.*

6 *Nec enim cuiquam ante Arsacidarum tributa illis de gentibus parata*] Docuit regius liber conjunctione *enim* expuncta, pro *parata* scribendum *parta*, sententiamque legendam absque parenthesi hoc modo, *quibus opes suas testabatur, nec cuiquam ante Arsacidarum tributa illis de gentibus parta, regreditur.* Quamquam nihil mali sit, si clausula parenthesi includatur. *Idem.*

7 *Subjectis intolerantior*] Iterum putem ob causas

Eee modo

que intentum interfecere, primam intra juventam, sed claritudine [1] paucos inter senum regum, si perinde amorem inter populares, quam metum apud hostes quæsivisset. Nece Bardanis turbatæ [2] Parthorum res, inter ambiguos quis in regnum acciperetur: multi ad Gotarzen inclinabant; quidam ad Meherdaten [3] prolem Phrahatis obsidio nobis datum. dein prævaluit Gotarzes. [4] potitusque regiam, per sævitiam ac luxum adegit Parthos mittere ad principem Romanum occultas preces, quis [5] *permitti Me-*
11 *herdaten patrium ad fastigium* orabant. [6] Iisdem consulibus ludi sæculares octingentesimo post Romam conditam, [7] quarto & sexagesimo quam Augustus ediderat, spectati sunt. Utriusque principis [8] rationes prætermitto, satis narratas libris, quibus res imperatoris Domitiani composui. nam is quoque edidit ludos sæculares; iisque intentius affui sacerdotio Quindecimvirali præditus, ac tum prætor. quod non jactantia refero, sed quia [9] collegio Quindecimvirum antiquitus ea cura, & [10] magistratus potis-

modo mihi dictas ponendum *intoleratior*. Grotius. Jam diximus *curis intolerantibus* pro intolerandis dixisse Lævium: ut *intolerantior* possit esse minus tolerandus. *Gronovius.*

1 *Paucos inter senum regum*] Muretus, *paucis inferiorem regum.* Supervacue & male. Non respexit vir bonus præcedentia verba illa, *primam intra juventam.* Acidalius.

2 *Parthorum res, inter ambiguos, quis in regnum acciperetur. Multi* &c.] Muretus sic distinguere maluit: *Parthorum res. Inter amb. q. i. r. acciperetur, multi.* Ego ut vulgo est, relinquo. *Acidalius.*

3 *Prolem Phrahatis*] Non filium, ne erres, sed nepotem ex Vonone. Ipse Tacitus infra. *Lipsius.*

4 *Potitusque regia*] Vat opt. *regiam.* Itaque scripsit. *Idem.*

Potitusque regiam] Vulgati non minus recte, *regia.* tamen quia Lipsius testatur, in Vat. codice legi, *regiam*, & Flor. congruit, eam vocem reposui. *Pichena.*

5 *Permitti Meherdatem*] Viti summi, proniores erant in *remitti.* Sed controversiam minime movendam scripturæ receptæ, satis ostendi Notis meis ad Martialem 10. Epigr. 12. *Ne vivam, nisi te, Domiti, permitto libenter.* Gruterus. Ad hunc Martialis locum adde, si libet, quæ scripsimus 2. Observ. 13. *Gronovius.*

6 *Iisdem consulibus*] Excidit initium Annalis hujus, ex quo sine dubitatione sciri posset, Claudium Cæsarem IV. & L. Vitellium III. an alios consules Tacitus intelligat. Plinius 7, 48. scribit à Claudio IV. Cos. *Seculares* editos, LXIII. anno posteaquam illos ediderat Augustus. Sic vero dicti ludi fuere, qui apud Romanos post 100 annos fiebant, ait Pompejus, quia seculum spatium 100 annorum vocarunt. Sed fecit Claudius ludos Seculares Apollini & Dianæ quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reservatos: quamvis ipse Claudius in historiis suis prodat intermissos eos, Augustum multo post, diligentissime annorum ratione subducta, in ordinem redegisse. Illos sane Augustus perfecerat C. Furnio C. Silano Coss. quintaque Dioni Secularium illa celebratio fuit, vel ad rationem seculi quinti inita, post 500 annos quam à Valerio Publicola exactis regibus instituti ludi & primum celebrati fuerant. Aliud vero Claudius animum induxit, ordinatos Seculares in quosque centenos annos urbis conditæ, & cum octingentesimus venisset, maluit institutionis quam computationis ab Augusto factæ rationem habere. Quare vox præconis irrisa est invitantis more solenni ad ludos, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset: cum superessent adhuc qui spectaverant, & quidam histrionum producti olim, ut Stephanio, tunc quoque producerentur. Similisque risus excitandi causa fuit sub Domitiano, qui fecit & ludos seculares, computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, sed quo olim Augustus ediderat. Horum auctor in Claudio & Domit. Suetonius. *Vertranius.*

7 *Quarto & sexagesimo*] Plinius: *Ec minus mirer Stephanionem, qui primus togatas saltare instituit, utrisque sæcularibus ludis saltasse, & divi Augusti, & quos Claudius Consulatu suo quarto fecit; quando & sexaginta tres non amplius interfuere anni.* Lipsius.

8 *Rationes prætermitto*] Quæ tamen claræ sunt. Augustus enim priscam institutionem secutus est, & edidit quinctos ludos sæculares anno centesimo & nono (decimo debuisset, si paruisset artæ legi) exacto. Claudius ita rationem instituit, ut centesimo quoque anno censuerit celebrandos: quasi sæculum rotundo centum annorum numero definiens. Itaque insuper habita computatione Augusti & prisca: rettulit nunc octingentesimo urbis anno, se IIII. & L. Vitellio III. Coss. Plura si cupis, vade ad Onufrii Panvini ea super re libellum: viri industrii, diligentis, & cui Romanæ memoriæ (curam tantum ferre potuisset aut limam) debent, debebuntque. *Idem.*

9 *Collegio Quindecimvirum*] Ideo Horatius in Carmine sæculari:

Quindecim Diana preces virorum
Curet. ———

Et in Nummis Augusti: IMP. CÆS. AVG. LVD. SÆC. XV. S. F. id est, *Quindecimviri sacris faciundis*

potissimum exsequebantur officia cærimoniarum. Sedente Claudio Circensibus lu-
dis, cum [1] pueri nobiles [2] equis ludicrum Trojæ inirent; interque eos Britannicus
imperatore genitus, & L. Domitius adoptione mox in imperium & cognomentum
Neronis adscitus, favor plebis acrior in Domitium, loco præsagii acceptus est. vul-
gabaturque *affuisse infantiæ ejus dracones in modum custodum*, fabulosa & externis [3] mi-
raculis adsimulata. nam ipse haudquaquam sui detractor, [4] unam omnino *anguem in*
cubiculo visam narrare solitus est. Verum inclinatio populi supererat ex memoria Ger- 12
manici, [5] cujus illa reliqua suboles virilis: & matri Agrippinæ miseratio augebatur,
ob sævitiam Messallinæ. quæ semper infesta, & tunc commotior, quo minus strue-
ret crimina & accusatores, novo & furori proximo amore distinebatur. Nam in C.
Silium juventutis Romanæ pulcherrimum ita exarserat, ut [6] Juniam Silanam nobi-
lem feminam, matrimonio ejus exturbaret, vacuoque adultero potiretur. Neque
Silius flagitii aut periculi nescius erat: sed certo si abnueret exitio, & [7] nonnulla fal-
lendi spe, simul magnis præmiis, opperiri futura, & præsentibus frui pro solatio ha-
bebat. illa non furtim, sed multo comitatu ventitare domum; [8] egressibus adhære-
scere; largiri opes, honores; postremo velut translata jam fortuna, servi, liberti,
paratus principis [9] apud adulterum visebantur. At Claudius matrimonii sui ignarus,
& [10] munia censoria usurpans, *theatralem populi lasciviam* [11] severis edictis increpuit,

dis. Quamquam ad eos & aliorum ludorum curam pertinuisse, alibi mihi dictum. *Idem*.

10 *Magistratus potissimum*] Hoc ad id spectat, quod Prætorem se tunc præmisit: eoque, inquit, gnarum hujus rei & permixtum. *Idem*.

1 *Pueri nobiles*] De quo titulo sic scribit Ezech. Spanhemius de Præstant. Numism. p. 668. (Haud aliter nempe ac *nobiles pueri* dicti jam olim Tacito, talia Augustæ domus subsidia, Britannicus & Nero) credimus? an somnia sibi fingit, & captat, quod captari nequit? Nam Tacitus clarissime totam copiam eorum, quorum parentes inter proceres erant, per hanc descriptionem comprehendit, segregatim deinde addens *interque eos* fuisse hunc Britannicum & Domitium, ut mox cap. 21. dicet *nobiles inter candidatos*, & propius Juniam Silanam describit *nobilem feminam*. Et 12, 2. Domitium, ante matris cum Claudio nuptias, vocat *nobilem stirpem*. Jac. Gronovius.

2 *Equis ludicrum Troja*] Ut scripsit Suetonius, ludus ipse quem vulgo *Pyrrhicham* appellant, *Troja* vocatur: cujus originem expressit in libro de lusibus puerorum: adhucque superest descriptio Virgilii Æneid. lib. v. peditum tamen proprie Pyrrhicha saltatio est, apud Athenæum 14, c. 12. Troja vero ludus puerorum, qui turmatim se invicem ex equis peterent: unde formatum vulgare *Torniamentum*, quasi *Troiamentum*. Vertranius.

3 *Miraculis adsimilata*] Ita Flor. vulgo, *assimulata*. Pichena. Ego hanc notam potius ætatis in librario puto, qui Tacitum & æquales ejus numquam *similare*, ut sequiorem ætatem, scripsisse arbitror, & de eo ad Statium dicere cœperim. *Gronovius*.

4 *Unam omnino anguem*] Paullo aliter Xiphilinus, qui exuvias dumtaxat serpentis ad caput Neronis pueri inventas ait: idque vates ita interpretatos, magnam potentiam ab homine sene capturum. quia serpentes positis exuviis senectutem exuerent. En vanitatem? *Lipsius*.

5 *Cujus illa reliqua suboles virilis*] Agrippina enim Neronis mater, Germanici filia erat. *Pichena*.

6 *Juniam Syllanam*] Muretus, *Juniam Silanam*. Acidalius. Ita libro 13. non semel. Male vulgo, *Syllanam*. Pichena.

7 *Nonnulla fallendi spe*] Hoc est, latendi, ne res videlicet deprehenderetur. Nam *fallere* pro latere sæpius reperias apud hunc scriptorem, quæ est elegantissima verbi hujus significatio. lib. 13. *Quæ mutatio neque Neronem fefellit*. lib. 2. *Non fallebat duces impetus militum*, hoc est, non latebat. *Rhenanus*.

8 *Egressibus adhærescere*] Qui mos Romæ colendi potentiores. *Lipsius*.

Egressibus adhærescere] Sic libro 5. de Nerone. *Cujus ne modicos quidem egressus tolerarent*. Rhenanus.

9 *Apud adulterum visebantur*] Ista quidem munera typorum, quum in MS. Mediceo liquide exstet *apud alterum vis.* ut conjicio, pro *ad adulterum vis.* sive intelligatur *ire*, aut priora illa *translata jam fortuna* posita sint in primo casu. Sic jam cap. 16. molesta fuit lis inter has particulas. *Jac. Gronovius*.

10 *Munia censoria usurpans*] In quibus vel maxime iterabatur formula ista, *Ex tui animi sententia uxorem habes*, hinc jocis etiam subjecta, ut notat Cicero lib. 2. Orat. c. 64. quo etiam respicere nunc opinor inprimis Tacitum. *Idem*.

11 *Severis edictis increpuit*] Sic melius ex Flor. *edictis*,

quod [1] *in P. Pomponium consularem* (is carmina scenæ dabat) *inque feminas inlustres probra jecerat.* Et lege lata, [2] sævitiam creditorum coërcuit, [3] *ne in mortem parentum pecunias filiisfamiliarum fœnori darent:* fontesque aquarum [4] sub Imbruinis collibus de-

ctit, quam vulgo *dictis.* libro 5. *increpitaque per edictum plebe.* libro 14. *Tum Cæsar populum edicto increpuit.* Pichena. Sequor quod expressit Covarr. codex, *Severis edictis:* ita scripsisse *Tacitum* inde evincas, quod id quoque restet in MS. Florentino, & ita solebant Imperatores. *Gruterus.*

1 *In P. Pomponium consularem*] Qui consul fuit anno DCCXXCIII. iterum sub Cajo, anno DCCXCIII. Sed de prænomine illustris viri & poetæ, quæro. Hic Publicus dicitur: infra, Lucius, *Deinde L. Pomponius Legatus auxiliares Vangiones ac Nemetas*, &c. Loqui enim eum de hoc poeta, docent quæ subjunxit: *decretusque Pomponio triumphalis honos, modica pars famæ ejus apud posteros, in quis carminum gloria precellit.* At Dioni est Quintus: ἔπειτα τοὺς ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ οὕτως ἀπέλυσεν, ὥστε καὶ ὁ Κόιντος Πομπώνιος ἑπτὰ ὅλοις ἔτεσιν ἐν τῷ οἰκήματι μετὰ ὑπάτευσιν κακωθείς. Quæ ipsa de hoc vate accipienda, clarum ex iis quæ Tacitus libro VI. Ubi cum descripsisset custodiam hujus Pomponii apud fratrem, addit: *At Pomponius multa morum elegantia, & ingenio illustri, dum fortunam æquus tolerat, Tiberio superstes fuit.* Et sunt ab eo tempore, ad liberationem è custodia, anni septem Hanc nominis litem dabam secundum Dionem (quippe integre perscriptum apud eum prænomen est;) nisi submonuisset Tacitus fratrem poetæ fuisse Quinctum, libro VI. *Sancta aqua & igni interdictum, accusante Q. Pomponio. Is moribus inquies, hæc & hujusmodi à se factitari prætendebat, ut parta apud principem gratia, periculis Pomponii Secundi fratris mederetur.* Itaque nihil constituo. Est autem hic, non Atellanarum scriptor, (qui L. Pomponius Bononiensis dictus, Ciceroni, Senecæ, Macrobio, Nonio, Festo, laudatus) sed tragœdiarum. Quintil. *Eorum quos viderim, longe princeps Pomponius Secundus, quem senes parum Tragicum putabant, eruditione ac nitore præstare confitebantur.* Plinius in epist. *Pomponius Secundus scriptor Tragœdiarum, si quid forte familiarior amicus tolleret, dum ipse retinendum arbitraretur, dicere solebat, Ad populum provoco.* Hic est, quem tanti Plinius alter fecit, ut vitam ejus miserit in scripta. Libro XIV. *Nobili exemplo docuimus, referentes vitam Pomponii Secundi vatis, cœnamque quam Principi dedit.* Et alibi: *Ita sunt longinqua monumenta Tiberis Caiique Gracchorum manus, quæ apud Pomponium Secundum vatem civemque clarissimum vidi annos fere post ducentos.* Lipsius.

2 *Sævitiam creditorum coërcuit*] Dabatur olim fœnori pecunia adulescentibus, collata solutione in mortem patrum: quod vel fœnoris magnitudine, vel ob turpitudinem faciebant fœneratores. Claudius autem interdixit, ne quisquam filiusfamilias fœneraret in mortem parentum: quod deinde Senatusconsulto confirmatum fuit Vespasiano imperante. Tranquillus: *Auctor senatui fuit decernendi, ne filiorumfamilias fœneratoribus exigendi crediti jus unquam esset: hoc est, ne post patrum quidem mortem.* Id Senatusconsultum Macedonianum appellatum est. *Ferrettus.*

3 *Ne in mortem parentum*] Quæ circumscriptio juventutis jam ante vetita, Lætoria lege. Sed paullo aliter. Nam Lætoria lex saltem caverat iis, qui intra XXV. annos alios, insuper habuerat: Claudius universe constituit de omnibus filiisfamiliarum, etiam supra legitimam ætatem. Lætoria etiam lex, fenoris aut pecuniæ nulla mentione, simpliciter vetabat, *minorem vigintiquinque annis stipulari*, id est, ἐπερωτᾶσθαι, ait Priscianus, sive stipulanti respondere. De ea non dubie Plautus sensit:

> *Perii, an non tum me lex perdit quinta vicenaria?*
> *Metuunt credere omnes.*

Et alibi:

> *Ni dolo malo instipulatus siet, nive etiamdum siem*
> *Quinque & viginti natus annos.*

Asperius eamdem Claudii legem rettulit Vespasianus, *ne filiorumfamilias feneratoribus exigendi crediti jus umquam esset, ne post patrum quidem mortem.* Satis multa JCti ad SC. Macedonianum. *Lipsius.*

4 *Simbruinis collibus*] Vett. *Sub Imbruinis.* Lego, *sub Imbrivinis.* Prorsum addi eam voculam placet. Non enim ex ipsis collibus deductam aquam vult: sed fontes aquarum qui sub collibus, Romam perductos. Locus ipse in melioribus Livii libris, *Imbrivium*, libro VIII. & Silio:

> ——— *gelidoque rigantur*
> *Imbrivio.*

Apud Celsum tamen Simbruinas item aquas legas, libro IV. cap. V. *Consistere in frigidis medicatisque fontibus, quales Cutiliarum, Simbruinarumque sunt, salutare est.* Idem.

Sub Imbruinis collibus] Scribit Tacitus libro 14. Neronis apud Simbruina stagna discumbentis ictas fulgure dapes mensamque fuisse disjectam. Quare scripsimus hoc loco, *fontes Simbruinis collibus deductos*, hoc est, à Simbruinis collibus. *Rhenanus.* Expressi vocem Florentini, *sub Imbruinis collibus*, nam editi habent *Simbruinis collibus.* Lipsius, *Simbrivinis*, legit, ex historicis. *Pichena.* De lectione hujus appellationis consentiunt etiam alii, adeo ut Cl. Ryckius profiteatur ita se scripsisse *fontesque aquarum Simbruinis coll.* Nescio an laudari debeat. Ille quidem recenset studiose sua justa, sed si attendas, est merus in hoc contemptus codicum veterum, quorum nihil attingit, & insuper sic ex aliis docet; nihil suum. Certe vix feras ita præter-

eun-

ductos, urbi intulit. Ac novas litterarum formas addidit, vulgavitque; comperto quoque Græcam litteraturam non simul cœptam, absolutamque. [1] Primi per figuras 14
animalium Ægyptii sensus mentis effingebant; [2] & antiquissima monimenta memoriæ humanæ impressa saxis cernuntur, & *litterarum semet inventores* perhibent; *inde Phœnicas, quia mari præpollebant, intulisse Græciæ, gloriamque adeptos, tamquam repperirint quæ acceperant.* Quippe [3] fama est, *Cadmum classe Phœnicum vectum, rudibus adhuc Græcorum populis artis ejus auctorem fuisse.* Quidam [4] *Cecropem Atheniensem*, vel *Linum Thebanum*, [5] *& temporibus Trojanis Palameden Argivum* memorant, [6] *sedecim litterarum formas; mox alios, ac præcipuum Simoniden ceteras repperisse.* At in Italia Etrusci

eundo opprimi violente, quicquid est præteritæ memoriæ, & particulatim quod in MSS. exstat *sub imbr.* An non enim hæc scriptura satis manifeste inculcat recte omnia integra haberi, sed videri tantum confusas fuisse literas pro *ab Simbruinis?* Jac. Gronovius.

1 *Primi per figuras animalium*] Non animalium solum, sed & rerum mutarum: quæ Hieroglyphicæ notæ Dictæ. Litteras tamen postea Ægyptiis sive Isis regina tradidit, sive Mercurius: sed ita, ut priscas illas notas, quas ἱερὰς dicebant, Sacerdotes retinerent: alias, quas πανδήμους, vulgus. *Lipsius.*

2 *Et antiquissima monumenta*] Lego, *ea antiquissima.* Idem.

Et antiquissima monimenta] Pro *&* substituam *ea*, totamque periodum includam parenthesi (*ea ant. monimenta memoriæ humanæ impressa saxis cernuntur*) *&* *litterarum* &c. *Freinshemius.*

3 *Fama est Cadmum*] Atque ita creditum plerisque scriptoribus. ut Clementi Alexandrino Strom. I. Κάδμος δὲ Φοῖνιξ ἦν, ὁ τῶν γραμμάτων Ἕλλησιν εὑρετὴς, ὥς φησιν Ἔυφορος (vetius, Ἔφορος) ὅθεν καὶ Φοινίκια τὰ γράμματα Ἡρόδοτος κεκλῆσθαι γράφει. Q. Curtius: *Si famæ libet credere, hæc gens* (Phœnices) *litteras prima aut docuit, aut didicit.* Isidorus: *Græcarum litterarum usum primi Phœnices reppererunt. Hinc est quod Phœniceo colore librorum capita describuntur, quia ab ipsis littera initium habuerunt.* Quod ait de colore capitum sive titulorum in libris, verum & vetus est. Ovidius.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Caussa tamen inepta, & ex pectore Isidori. De Cadmo inventore Agenoris F. vide & Plinium libro VII. & Suidam in Φοινίκια. *Lipsius.*

4 *Cecropem Atheniensem, vel Linum*] Cecropem tamen plerique Ægypto ortum fatentur, & illinc intulisse litteras. Linus est Apollinis & Terpsichoræ filius, de quo Suidas: λέγεται δὲ πρῶτος οὗτος ἀπὸ Φοινίκων γράμματα εἰς Ἕλληνας ἀγαγεῖν. Ita vides in diversitate sententiarum, consentire tamen omnes de Phœnice aut Ægypto: & bene Plinius, numquam dubitasse ait quin litteræ ab Assyriis essent. *Idem.*

5 *Temporibus Trojanis Palamedem*] Videamus. Trojanis temporibus repertæ primum litteræ? Imo sive Cadmus, sive Cecrops eas repperit; trecentis propemodum ante id bellum annis. Quin & Orpheus Poëta vixit scripsitque major illo ævo. At quidam ita memorant de Palamede. Sed vix tamen aliqui veterum: & ad fidem rerum emendes: *Quidam Cecropem Atheniensem, vel Linum Thebanum sedecim litterarum formas, & Trojanis temporibus Palamedem Argivum tres memorant, mox alios ac præcipue Simonidem ceteras repperisse.* Ita res habet. Sedecim litteræ primo: Palamedes tres addidit, ut Isidorus censet; sive quatuor, ut Plinius, Suidas, (& per me quidem in Tacito etiam legeris, *Palamedem Argivum* IIII. *memorant.* nam ex notis omissis confusisque hic error.) alias Simonides Pythagorasque. Possis etiam verbis non trajectis scribere: *Quidam Cecropem Atheniensem vel Linum Thebanum. Et temporibus Trojanis Palamedem Argivum memorant* IIII. *litterarum formas*, &c. Etsi fateor tamen in Gorgiæ declamatione pro Palamede, eum dici *auctorem litterarum*, ἁπλῶς & indefinite. Itaque non nimis pertendo. etsi pro mea sententia licet Irenæum etiam addas, libro I. advers. Hæres. cap. XII. *Idem.*

Et temporibus Trojanis Palamedem] Non hic sigillatim Cornelius persequitur, quot quisque litteras invenerit, sed generatim quæ sibi potior videretur, eam opinionem secutus, ait Cecropem sive Linum, & Palamedem (diverso tamen tempore) vulgasse XVI. literarum formas. Idem facit recensendo auctores reliquarum. *mox alios & præcipuum Simonidem reperisse.* Evanidæ igitur sint temporum absurditates, quas hic vir doctissimus inducit, indeque suas res sibi habere castigationibus dicamus. *Salmerius.* Plin. 7, 56. *Literas semper arbitror Assyrias fuisse: sed alii apud Ægyptios à Mercurio, ut Gellius: alii apud Syros repertas volunt. Utique in Græciam intulisse è Phœnice Cadmum sedecim numero. Quibus Trojano bello Palamedem adjecisse quatuor hac figura* ΘΞΦΧ. *Totidem post eum Simonidem Melicum*, ΖΗΨΩ: *quarum omnium vis in nostris recognoscitur, Aristoteles* X. *&* VIII. *priscas fuisse*: ΑΒΓΔΕΖΙΚΛΜΝΟΠΡ ΣΤΥΦ: *& duas ab Epicharmo additas* ΘΧ, *quam a Palamede mavult. Anticlides in Ægypto invenisse quemdam nomine Menona tradit* XV. *annis ante Phoroneum antiquissimum Græciæ regem: idque monumentis approbare conatur.*

6 *Sexdecim literarum*] Ita jam statim discessit ab

trusci ab Corinthio [1] Damarato, Aborigines [2] Arcade ab Euandro didicerunt. [3] & forma litteris Latinis, quæ veterrimis Græcorum. [4] Sed nobis quoque paucæ primum fuere: deinde additæ sunt. Quo exemplo [5] Claudius tres litteras adjecit, quæ usui, impe-

MSta lectione Beroaldus, quum in hoc codice, perinde ut ex altero notavi, etiam scribatur *sedecim*, quod cur non retineamus, nulla causa est. Et quæso unde est, quod Lipsius non modo ita citet Tacitum, sed ex sua persona etiam dicat *sedecim*, non *sexdecim*? Sed & in eodem exstat *Palameden*, item *Simoniden*, non *Palamedem*, non *Simonidem*: immo etiam in prioribus hac serie utitur *comperto quoque Græcam*, ut habet Beroaldus, non *comperto Græcam quoque*. Et omnia restitui. *Jac. Gronovius.*

1 *Damarato*] Florentiæ est *Demarato*, quod expressit Beroaldus, nisi quod *Demaratho*, quod vitiosum. *Idem.*

2 *Arcade ab Evandro*] Sive à Carmenta ejus matre, ut visum aliis. *Lipsius.*

3 *Et forma*] Antiquior lectio. *Et forma.* Rhenanus. Plin. 7, 58. *Veteres Græcas fuisse easdem pæne, quæ nunc Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ est hodie in Palatio dono principum Minervæ dicata in Bibliotheca, cum inscriptione tali, Ναυσικράτης Τισαμενοῦ Ἀθηναῖος ἀνέθηκε.* Ferrettus. Verba Græca, NAVSIKRATES. TISAMENO. ATHENAIOS legit Josephus Scaliger: ΝΑΥΣΙΚΡΑΤΕΣ. ΤΙΣΑΜΕΝΟ. ΑΘΕΝΑΙΟΣ. ΑΝΕΘΕΚΕΝ. *Salmasius.* Quod ad Taciti scripturam attinet, Beroaldus statim edidit *forma*, ut nequiverit aliud in ullo antiquiore per typos edito libro videre. Sed MS. Mediceus clare habet *formas*, quod prætulerim, quum referat se Tacitus ad præcedentia de Græcis *sedecim literarum formas.* Jac. Gronovius.

4 *Sed nobis quoque paucæ*] Latinis primo non nisi XVI. litteræ. Kappa, Sallustius ludimagister invenit: Gamma, Spurius Carvilius: litteram X. ætas Augusti. *Lipsius.*

5 *Claudius tres litteras adjecit*] Suetonius, *Novas etiam commentus est litteras tres, ac numero veterum quasi maxime necessarias addidit.* Uterque esse litteras tres ait. Sed quærimus eas: & quibusdam visum promptius, dubitare de Suetonii scriptura. Non adhibebo id mantelium ignaviæ meæ ego Planissime tres Claudius repperit. Æolicum Digamma, cujus facies litteræ F. inversæ. Quinctilianus: *Nec inutiliter Claudius Æolicam illam Ⅎ. ad hos usus litterarum adjecerat.* Et iterum: *Æolica quoque littera, qua cervom servomque dicimus, etiamsi forma à nobis repudiata est, vis tamen manet.* Hanc non Claudius solus inter litteras habendam censuit, sed & Varro: si credimus Annæo Cornuto. *Hanc litteram*, inquit in Orthographia, *Terentius Varro dum vult demonstrare, ita præscribit.* VA. *Qui ergo in hac syllaba sonus est, idem littera erit.* Hoc digamma etiam hodie in lapidibus Claudianis, TERMINAℲIT AMPLIAℲITQVE. &, DIℲI. AVGVSTI. De hac ergo clarum. Secundam eruo è Prisciano libro 1. Antisigma. Ait; *S. & P. loco Græcæ ψ. fungitur. Pro quo Claudius Cæsar antisigma)(hac figura scribi voluit: sed nulli ausi sunt antiquam scripturam mutare.* Antisigma ideo, quia duo sigma obverso dorso ↄc. Hac enim semilunæ figura, prisci Græci sigma formabant. In tertia littera hæremus, nec auxilio est Grammaticorum manus. Non ille, qui AI. diphthongum fuisse censet, quia in Claudii ævo lapidibus, ANTONIAI. DIℲAI. & similia scripta. Constat enim antiquitus creberrime usurpatam hanc diphthongum. Non etiam ille, qui litteram nescio quam inventam à Claudio leniendo R. putat, ex corruptis Velii Longi verbis: in quibus prioribus de Æolico digamma saltem egisse Velium scio. Sed nec Martianus Capella, qui sic scribit: *Huic litteræ S. Divus Claudius P. adjecit aut C. propter ψ & ξ. Græcas, Psalterium, saxa.* Censet enim ille à Claudio novum X. repertum. quod vanum puto, quia X. in usu temporibus jam Augusti, ut diserte monet Isidorus. Sed & X. inter eas à Varrone & Quinctiliano censetur, quæ non necessariæ. Varro in Fragmento quopiam, ex libro De Grammatica. *Litterarum partim sunt, & dicuntur, ut* A. B. *partim dicuntur, & non sunt, ut* H. & X. *partim sunt, neque dicuntur, ut* φ. ψ. Ex quibus verbis non absurde collegeris, duabus his litteris, quæ necessariæ Varrone teste, novam formam induisse Claudium nomenque. Et de ψ quidem clarum, cui Antisigma respondit: de φ. Claudiano neglexerunt tradere Grammatici, & ego non divino. Phi quidem littera, non dubie necessaria, & alius ejus sonus quam F. uti monuit etiam Quinctilianus. Hæc in re Grammatica nugamur: & omittere licuisset si Claudii liber exstaret, quem de ratione harum litterarum edidit. *Lipsius.*

Claudius tres litteras adjecit] De iis litteris, quæ in autoribus exstant, memoria ita extat, ut tertiæ nobis ignota forma, duarum à nobis indagata sit. De priore sic accepi: Syllabæ sono in his nominibus declarando, *divus*, *clivus*, *rivus*, *servus*, repertam esse novam litteram Ⅎ. quæ in hoc nomine VIℲVS in antiquis spectationibus etiamnum aspicitur, & apud Agellium Digamma Æolicum appellatur, libro 14. 5. quod in Latio desideratum, & à Claudio non inutiliter adjectum ait M. Fabius libro 1. c. 4. & 13. De altera comperi, cum S præpositum P loco ψ Græcæ fungeretur, pro duabus illis litteris Claudium Cæsarem in Latium induxisse antisigma. & hac figura)(scribi voluisse: de quo testis est Priscianus lib. 1. ubi de accidentibus literæ. De tertia Velius Longus hoc habet in libro de Orthographia, quem manuscriptum apud Strossium egomet Romæ legi: *Claudius princeps*, inquit, *novam*

imperitante eo, post oblitteratæ, aspiciuntur etiam nunc [1] in ære publicandis plebiscitis per fora ac templa fixo. Rettulit deinde ad senatum super collegio haruspicum, *ne* [2] *vetustissima Italiæ disciplina per desidiam exolesceret: sæpe adversis reipublicæ* [3] *temporibus accitos, quorum monitu redintegratas cærimonias, & in posterum rectius habitas. primoresque Etruriæ sponte aut patrum Romanorum impulsu retinuisse scientiam, & in familias propagasse: quod nunc segnius fieri, publica circa bonas artes socordia, & quia externæ* [4] *superstitiones valescant. & læta quidem in præsens omnia; sed benignitati deûm gratiam* [5] *referendam, ne ritus sacrorum inter ambigua culti, per prospera oblitterarentur.* Factum ex eo senatusconsultum; *viderent pontifices, quæ retinenda firmandaque haruspicum.* Eodem anno [6] Cheruscorum gens regem Roma petivit, amissis per interna 16
bella nobilibus; & uno reliquo stirpis regiæ, qui apud urbem habebatur, nomine *Italus.* Paternum huic genus è Flavio fratre Arminii, mater [7] ex Catumero principe Cattorum erat: ipse forma decorus, & armis equisque in patrium nostrumque morem exercitus. Igitur Cæsar auctum pecunia, additis stipatoribus, hortatur *gentile decus magno animo capessere. Illum primum Romæ ortum, nec obsidem, sed civem, ire externum ad imperium.* Ac primo lætus Germanis adventus, [8] atque eo magis quod nullis

vam quandam literam excogitavit similem ei notæ, quam pro aspiratione Græci ponunt, per quam scriberentur illæ voces, quæ neque secundum exilitatem literæ, neque secundum pinguedinem sonant, ut Viro & Virtute: neque rursus secundum latum literæ sonum enunciarentur: ut in eo quod est, Legere, Scribere. Quibus verbis significat tertiam Claudii literam R leniendo inventam fuisse. Sed licet Cæsar hæc non sine ratione induxerit, nulli tamen ausi sunt antiquam scripturam mutare, &, ut ait Priscianus, *consuetudo superavit.* Vertranius. Hoc idem Suetonius ait. Sed tres literæ, quæ fuerint, non scribit. Unius certi sumus ex titulis, ut *amplia*ꟻ*it.* Alteram existimo fuisse ɪɪ pro H Græco: tertia litera quæratur, & fortasse pro ω aliqua nota. *Ursinus.*

1 *In ære publicandis plebiscitis*] Ego vero cum Imperatoribus tollo hæc plebiscita: quæ vim usumque Claudii temporibus habere non potuerunt, omni potestate tralata ad unum. Quære exempla in historia principum, non invenies. Legerim, *publicandis scitis.* Sciti nomen generale est, & ad decreta omnia pertinet ac jussa. Et haud dubie ea scriptura observata non solum in plebiscitis (ut demus ea fuisse) sed in legibus aliis, edictisque. *Lipsius.*

In ære publicandis plebiscitis] Una litera adjecta corrupit sententiam. Fuit *publicandis plebi SCtis.* id est Senatusconsultis. illis enim æneis tabulis, quæ senatus constituerat, plebi innotescebant. Eodem spectat Ovidii illud: *nec verba minantia fixo Ære ligabantur.* Grotius.

2 *Vetustissima*] Quam ipsi Romani liberos suos capere volebant, ac publice mittebantur. Vide Valerium libro I. de Relig. & Ciceronem II. de Divinat. *Lipsius.*

3 *Temporibus accitis*] Non displicet veteris libri scriptura, qui habet. *accitos* pro *accitis.* quamvis & *accitis* æque placet. *Ursinus.* Malim *accitos.* Rhenanus. *Ascitos* omnino melius quam *accitis.* ostendit enim olim ita fieri solitum: utendum ergo ipsi casu, qui narrationibus proprius est. *Freinshemius.*

4 *Superstitiones valescant*] Venetus, *invalescant.* Pichena. Immo & Beroaldus, sed contra MS. Mediceum. *Jac. Gronovius.*

5 *Referendam, ne*] Non recte videntur hæc conjungi; distinxerim potius *referendam, ne* &c. *Freinshemius.* Non videtur cepisse vir insignis, quum judicavit hoc membrum à proximo τελεία ὑποστιγμῇ separandum. Neque enim novum argumentum est aut stimulus hortationis differens ab eo, quo jam usus est: sed id ipsum quod brevius attigerat, persequitur explicatius. *Gratia*, quam diis referri censet, hæc est una, ut cerimoniæ, rebus Romanis multo minoribus aut in arcto servatæ diligenter, temporibus secundis ne negligantur. Intelligimus enim *gratiam*, non quæ verbis haberetur, aut aliis suppliciis, sed si fieret tum, ex quo appareret in hoc genere cultus gratos esse erga Deos. Ut lib. 2. milites promittunt Germanico se *gratiam in acie* relaturos. Deinde τὸ *gratiam* accipiendum, quasi dixisset *eam gratiam* vel *hanc gratiam.* Gronovius.

6 *Cheruscorum gens regem Roma petivit*] Malim, *Romæ petivit.* Nam sic scribit lib. 13. *Barbaros malle Romæ petere reges quam habere.* Rhenanus.

7 *Ex Catumero*] In Vatic. est, *Actumero:* Strabone Οὐκρόμηρος ἡγεμὼν Κάττων, id est, *Ucromerus.* vel ad etymon Germanicum verius, *Acromerus.* Lipsius.

8 *Atque eo magis, quod nullis*] Veteri Covarr. abest vox *magis.* Gruterus.

Nullis discordiis imbutus &c.] Hac laudandi occasione claudit panegyricum suum de Imp. Anthemio Sidonius Apollinaris, ubi contrariis exemplis Ca-

nullis discordiis imbutus pari in omnes studio ageret; celebrari, coli, modo comitatem & temperantiam nulli invisam, sæpius vinolentiam ac libidines grata barbaris usurpans. [1] Jamque apud proximos, jam longius clarescere, cum potentiam ejus suspectantes qui factionibus floruerant, discedunt ad conterminos populos, ac testificantur, *admi veterem Germaniæ libertatem, & Romanas opes insurgere. adeo neminem usdem in terris ortum, qui* [2] *principem locum impleat, nisi exploratoris Flavii progenies* [3] *supra cunctos attollatur?* [4] *Frustra Arminium præscribi: cujus si filius hostili in solo adultus, in regnum venisset, posse extimesci,* [5] *infectum alimonio, servitio, cultu, omnibus externis. at si paterna Italo mens esset, non alium infensius arma contra patriam ac Deos*
17 *penates,* [6] *quam parentes ejus exercuisse.* His atque talibus magnas copias coëgere. Nec pauciores Italum sequebantur. *non enim irrupisse ad invitos, sed accitum* memorabant. *quando nobilitate ceteros anteiret, virtutem experirentur, an dignum se patruo Arminio, avo Catumero præberet.* [7] *nec patrem illi rubori esse, quod fidem adversus Romanos, volentibus Germanis sumptam, numquam omisisset. falso libertatis vocabulum obtendi ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei, nisi per discordias habeant.* Adstrepebat huic alacre vulgus; & [8] magno inter barbaros prælio victor rex; dehinc secunda fortuna ad superbiam prolapsus, pulsusque, ac rursus Langobardorum opibus re-
18 fectus, per læta, per adversa res Cheruscas adflictabat. Per idem tempus Chauci nulla dissensione domi, & [9] morte Sanquinii alacres, [10] dum Corbulo adventat, inferiorem Germaniam incursavere, duce Gannasco. [11] qui natione Caninefas, [12] auxiliare

Camilli, Cincinnati & Livii Salinatoris adductis subjicit: *Longe altera nostri Gratia judicii est: scit se non læsus amari*, & per hanc Taciti observationem illustrat Cl. Sirmondus. *Jac. Gronovius.*

1 *Jamque apud proximos, jam longius clarescere*] Melius in Cod. Budensi, *Jamque apud proximos longius clarescere.* Rhenanus. Ex Flor. restitui, *apud*, vulgo, *ad proximos.* Pichena. Omnino *apud* retinuit Beroaldus. *Jac. Gronovius.*

2 *Principem locum impleat*] Et hoc ex Flor. Vulgo, *principis locum.* Sic lib. 4. *Satisque habere, si locum principem impleam.* Et *spe objecta principis loci.* Pichena.

3 *Supra cunctos extollatur*] Castigavimus, *attollatur.* Item *hostili in loco, hostili in solo.* Rursum *posset extimesci, posse extimesci.* Rhenanus.

4 *Arminium præscribi*] Qui illi patruus: & tamquam in ejus gratiam honoremque Principatu ornatus esset. *Lipsius.*

Frustra Arminium præscribi] Frustra, inquit, jactamus, Italum esse ex Arminii stirpe, Germaniæ liberatoris. lib. 4. *Frustra Pulchram præscribi.* Pichena.

5 *Infectum alimonio*] Ita Flor. vulgo, *alimonia.* Idem.

6 *Quam parentes ejus exercuisse*] Ita vulgati libri, quod non placet. Videtur legendum *parentem.* Ursinus. Legendum puto: *parentem*, supra: *si paterna Italo mens esset.* & paulo infra: *nec patrem illi rubori.* Error similis, de quo monui in princip. libro 3. Scias etiam Italum istum, in Florentino ubique Italicum nominari. *Pichena.* Muretus *parentem.* Recte. *Acidalius.*

7 *Nec patrem illi rubori esse*] Vox postrema non comparet in membranis Covarruv. neque habet certe, quod hic agat. *Gruterus.* Mireris omnino, si intelligas centones hic additos ab ipso Beroaldo. Nam in MS. Mediceo tantum legitur *nec patrem rubori, quod* &c. ita deletis præclare duobus insiticiis vocabulis. Mox etiam vix intelligo, qui in primam editionem veniat *dehinc secunda*, quum in MSto eodem sit manifeste *dein.* Jac. Gronovius.

8 *Magno inter barbaros prælio victor rex*] Forte, *magno ut inter.* Lipsius. Dubito an non, *magnus*, quasi dicat magnum habitum Italum regem, post victoriam prælii. *Acidalius.*

9 *Morte Sanquinii*] Sanquinii Maximi, de quo supra dixi. *Lipsius.*

10 *Dum Corbulo adventat*] Forte filius illius, qui libro 3. *Domitius Corbulo* appellatur. certe non idem. ille enim senex: *pro Corbulone ætas.* at de hoc paulo infra ait, *sui principium illa militia fuit.* Pichena.

11 *Qui natione Caninefas*] Scribendum est, *Cannanefas*, ex antiqua inscriptione apud Vulsinios superioribus annis reperta, cujus exemplum hoc est: *L. Cannulejus. in. Italia. Volsiniensium. patriae. suae. item. Ferent. &. Tiburtium. item. coloni. Italicensis. in. prov. Baetica. praet. Etrur. populor. sacerdoti. Caeninensium. M. Helvius. M. F. Clemens. Arnensi. domo. Cartagine. praef. eq. alae. primae. Cannanefatum. Praesidi. sanctissimo. & rarissimo. curam. agente. L. Atonio Calisto. tribuno. mil. leg.* XIIII. *Gem. Sev.* Ursinus.

12 *Auxiliaris, & diu meritus, post transfuga*] Vaticana scriptura, *auxiliare esd in meritis.* Fortasse, *auxi-*

liare æs diu meritus, post transfuga, levibus navigiis prædabundus, Gallorum maxime oram vastabat, non ignarus dites & imbelles esse. At Corbulo provinciam ingressus, magna cum cura & mox gloria, cui principium illa militia fuit, triremes alveo Rheni, [1] ceteras navium, ut quæque habiles, per [2] æstuaria & fossas adegit: lintribusque hostium depressis, & exturbato Gannasco, ubi præsentia satis composita sunt, legiones [3] operum & laboris ignavas, populationibus lætantes, veterem ad morem reduxit; ne quis agmine decederet, [4] nec pugnam nisi jussus iniret. stationes, vigiliæ, diurna nocturnaque munia, in armis agitabantur. [5] Feruntque *militem*, *quia vallum*

auxiliaris, *dein emeritus*. Nam & auxilia, illo ævo, credam adstricta ad militiæ certum modum. Mercero placet, *Auxiliare as diu meritus*. Lipsius.

Auxiliaris & diu meritus] Budensis codex habet *ex diu meritis*. Rhenanus. Proba lectio si esset à libris. Ita sup. libro 2. *Tacfarinas auxiliaris*, *stipendia meritus*. Sed libri variant, & in Vaticano est: *auxiliare es diu meritus*. Quid propius quam quod olim mihi visum, *auxiliare as diu meritus*: *Auxiliare as*, ut *as militare*. Mercerus. Mihi placeat, *auxiliares inter diu meritus*. Acidalius. Farnesianus codex MS. *auxiliare ex drumensis*: unde conjiciebat olim Lipsius, *auxiliaris ex frumentariis*: postea omnem hanc annotationem expunxit. Quod in conjectura facile fero: sed scripturam vetusti codieis insuperhaberi nolim: quippe in qua videam vestigia veritatis adhoc usque latentis. Eam esse credo: *auxiliaris & dux gentis*. Juvat quod legitur libro 4. de Thracibus: *ne regibus quidem parere*, *nisi ex libidine*, *soliti*, *aut si mitterent auxilia*, *suos ductores præficere*. Gronovius. Doctum satis. Et sic lib. 2. cap. 10. *Ut qui Romanis in castris ductor popularium meruisset*. Sed cur tam procul discedemus ab optimo codice vetere? Is omnino confirmat vocem *auxiliare*: & stupeo maxime Cl. Ryckium juxta novissimam collationem profiteri (Cod. Flor. *auxiliaris*) Schedæ meæ supersunt. nihil in illis notavi, nisi quod dixi *auxiliare*. Et hoc debet pro verissimo ab tanta vetustate accipi, quum & Budensis & Ryckianus sint recentissimi & interpolati. Tum ibi sequitur *ex diu meritis*, sed prima vox est manus recentis, antiquiore erasa. Nihil securius, quam retinere Merceri illud *as diu meritus*. Neque enim illud *diu* Tacito eripi potest. Hinc etiam 12, 40. *Venusius fidusque diu & Romanis armis defensus*. 13. 55. *Quinquaginta annorum obsequio id quoque adjungere*, dicit Bojocalus *clarus per illas gentes & nobis quoque fidus*. Jac. Gronovius.

1 *Coteras naves*] Emendavimus, *coteras navium*. Sic enim subinde Tacitus loquitur per genitivum, ut *quosdam militum*, *cunctis civium*, *residuis nobilium*; pro *quosdam milites*, *cunctis civibus*, *residuis nobilibus*: & sic de similibus. *Rhenanus*.

2 *Æstuaria & fossas*] Per Drusianam fossam, & lacus, qui plures tunc, in unum Meridialem coiverunt. *Lipsius*. Nam quod scripserat *meridionalem*, præstat cum eo sepeliri nisi maluerit in media Latinitate, ut vocat Salmasius in funere Linguæ Hellenisticæ, aut in hodierna fæce cum Raphaele Fabretto versari. *Jac. Gronovius*.

3 *Operum & laboris ignaras*] Farnes. *ignavas*. Lipsius. Etiam codex Mediceus clare exhibet *ignavas*, idque verum est Taciti. *Jac. Gronovius*.

4 *Nec pugnam nisi jussus iniret*] Facit huc quidem Sallustius cap. 9. Catil. historiæ. Verum cum pugnam inire injussu imperatoris unum fuerit de delictis, omni tempore, omni duci, castigatis; videtur audiendus manuscript. Covarruv. *ne quis agmine decederet*, *ne quis nisi jussus iniret*. ut referatur ad *agmen*. Sic libro 13. dixit *stationem inire*, pro ingredi. *Gruterus*.

5 *Vallum non accinctus*] Aliud est ac si dixisset, Discinctus. Non accinctum fodere, est sine gladio fodere: Discinctum fodere, est soluta fluxaque tunica in morem muliebrem. At ex disciplina erat, cum gladio opus facere. Vegetius 111. *Milites gladio cincti fossam aperiunt*. Lipsius.

Feruntque militem, *quia vallum non accinctus*] Maurus Servius exponens illud Æneid. 1. *Illi se præda accingunt*, notat *Accinctos* industrios vocari, & contra negligentes *Discinctos*, ut *discinctos Mulciber Afros*. Omnes vero qui militant cincti sunt. Nam mos militaris fuit, ut milites cingulo cincti semper essent, ut paratum ensem haberent ad omnia pericula, & erat ignominiosum discinctum esse militem. T. Livius libro 7. belli Punici, *Districtu gladiis discinctos destituit*. Persius. *Non pudet ad morem discincti vivere Natta?* Ita Corbulo, qui disciplinam militarem observabat, non accinctum militem morte punivit. Nam posteaquam juraverant milites, cingebantur zona militari, quod erat equo merentium insigne. Unde à Marcello *cinctus* dicitur pro eo, qui eques militat. Et apud JCtos sæpius reperias *Cingulum* & *Cingere*. Inde illæ loquendi formæ *accingi ferro*, quod infra à Tacito dicitur, & *Procinctus exercitus*, & *Procinctum testamentum*, quod illa pugnandi spe, vel timore milites faciebant, de quo à Justiniano plura. Vulcatius Gallicanus in Avidio Cassio, *Nam statim*, *& ad signa edici jussit*, *& programma in parietibus fixit*, *ut si quis cinctus inveniretur apud Daphnen*, *discinctus rediret*. Lupanus. Ex more enim & disciplina, gladius, etiam in opere, gestandus. Vegetius libro 3, 8. *Milites gladio cincti fossam aperiunt*. Pichena.

lum non accinctus; atque alium quia pugione tantum [1] *accinctus foderet, morte punitos.* [2] quæ nimia, & incertum an falso jacta vel aucta, originem tamen è severitate ducis traxere. intentumque & magnis delictis inexorabilem scias, cui tantum asperitatis etiam adversus levia credebatur.

19 Ceterum is terror milites hostesque in diversum affecit. [3] nos virtutem auximus: barbari ferociam infregere. Et natio Frisiorum [4] post rebellionem clade L. Apronii cœptam infensa, aut male fida, datis obsidibus consedit apud agros à Corbulone descriptos. Idem senatum, magistratus, leges imposuit. ac ne jussa exuerent [5] præsidium immunivit; missis qui majores Chaucos ad deditionem pellicerent, simul Gannascum dolo aggrederentur. nec irritæ aut [6] degeneres insidiæ fuere adversus transfugam & violatorem fidei. Sed cæde ejus motæ Chaucorum mentes, & Corbulo semina rebellionis præbebat; ut læta apud plerosque, ita apud quosdam sinistra fama. *cur hostem conciret? adversa in rempublicam casura:* [7] *sin prospere*

1 *Vallum foderet*] Vallum aut vallus non foditur, sed cæditur potius. idem enim est quod palus seu stipes. ergo hoc quoque loco pro *vallum foderet* leg. puto *vallum caderet*. aut forte *vallum ferret*. Ut apud Horat. *Fere vallum & arma miles*, & notum est istud Scipionis apud Livium Epit. 57. *Cum te gladio vallare scieris, vallum ferre desinito.* Freinshemius.

2 *Falso jacta*] Venet. editio; *jacta, aucta.* hæsitante librario utrum præferret, utrumque adscripsit. Ego quidem hic malim, *falso aucta.* Lipsius.

Quæ munia & incertum an falso jacta vel aucta] Pro *munia* scripsimus *nimia*, & clausulam *vel aucta* delevimus. Infra ex *perlocutus* fecimus *prolocutus.* Rhenanus. V. c. habet: *Qua munia, & incertum an falso jactata*, &c. Sed de verbo *jactata* dubius non sum, de *munia*, hæreo. *Ursinus.* Illud *nimia* à Rhenano est. in MS. enim *munia* erat. quæ etsi non vera, tamen vero proxima scriptura. Legendum, *qua immania.* Sic idem libro 4. ann. *fabulosa & immania* dixit. *Pricæus.* Vulgo, *jacta.* ego judicium Lipsii secutus, malui, *aucta* & fere Flor. consentit, in quo legitur, *acta.* Sic libro 3. *in falsum aucta.* Pichena. Lipsius, *aucta.* Muretus. *jactata.* Quasi vero multum intersit, quid horum præponas. *Acidalius.*

3 *Nos virtutem auximus*] Vereor ut scripserit, *virtute auximus.* Augendi verbum patiendi significatu, ut infra. *Lipsius.*

Nos virtutem auximus] Nulla causa est cur mutes, neque semper *augere* passive scriptum veteribus. Non melius illo, qui in Catullo, *augens*, vult esse pro, *auctus*, noto versu; *O decus eximium, magnis virtutibus augens.* Quum uno ductu recte scribatur, *augens decus virtutibus*; ut apud Ovid. *Ille memor magni generis, virtute quod auget.* Mercerus.

4 *Post rebellionem*] Non ut receptum, *per rebell.* Historia ipsa narrata fine libri IV. *Lipsius.*

Post rebellionem clade L. Apronii captam] Quod Lipsius restituit, *post rebellionem* à Flor. confirmatur, male antea, *per rebellionem.* Pichena.

5 *Præsidium immunivit*] Ita manusc. At vulgi lectio, *inde munivit.* Suspicari possis antique fuisse *endomunivit.* Uti apud Livium libro v. *Juventutem militarem Senatusque robur in arcem Capitoliumque conscendere: armisque & frumento collatis, ex loco inde munito deos hominesque & Romanum nomen defendere.* scripsetim, *endomunito.* Lipsius.

Præsidium immunivit] Vulgo *inde munivit.* Suspicatur hinc Lipsius *endomunivit.* atque idem verbi tentat Livio donare. Ego neque hic nec in Livio acceperim. cujus locus per se sanus. Vera hic lectio, *inibi munivit.* Nam is sensus: Apud hos præsidium munivit, ad alios alios, qui pellicerent, misit. *Acidalius.* Nihil hic sollicitandum. Nam eadem vis est verbi, quam correctionibus quærunt. Sic Suetonius Tiberio 39. *in prætorio, cui Speluncæ nomen, incœnante eo, complura atque ingentia saxa fortuito superne delapsa sunt.* Ut *incœnante eo*, est quum ibidem cœnaret ille, sic *immunivit* est ibidem munivit. *Gronovius.*

6 *Degeneres insidiæ*] Non indignæ nomine Romano, aut ipso Corbulone: quia nempe in transfugam, & militiæ desertorem. Hoc enim est, quod *fidei violatorem* dicit: id est, sacramenti. *Lipsius.*

7 *Cum prospere egisset*] Josiæ Merceri lectio verior, *sin prospere*, & approbata quibusdam libris. Sententia, Adversa reip. nocitura; prospera, ipsi Corbuloni. *Idem.*

Cum prospere egisset] Facillima huic loco medicina. Veteres libri: *in prospere egisset*: addita litera scribe; *sin prospere egisset, formidolosum paci virum insignem.* Non placet moveri arma à Corbulone; sive rem bene gereret, ne arma & iis quæsitam auctoritatem verteret in principem; sive male, ne quid imperium detrimenti caperet. *Mercerus.* Nulla est hic menda, eoque locus emendationibus esse non debuit. Sub imbelli principe, strenui duces (ut Corbulo faciebat) bella serere non debent, quia sibi, & Reip. male consulunt; illi si vincantur, sibi victoriis partis: licet enim urgente metu princeps eos undique conquirat, tamen eo remisso, redditaque pace ferre non potest, indeque præcipue sibi timet,

re egisset, formidolosum paci virum insignem, & ignavo principi prægravem. [1] Igitur Claudius adeo novam in Germanias vim prohibuit, *ut referri præsidia cis Rhenum* juberet. Jam castra in hostili solo molienti Corbuloni, hæ litteræ redduntur. Ille re subita, quamquam multa simul offunderentur, metus ex imperatore, contemptio ex barbaris, ludibrium apud socios; nihil aliud prolocutus, quam [2] *beatos quondam duces Romanos!* signum receptui dedit. [3] Ut tamen miles otium exueret, [4] inter Mosam

timet. Sallust. Cat. *nam regibus boni, quam mali suspectiores sunt; semperque iis aliena virtus formidolosa est.* Noster libro 1. ann. *neque eminentes virtutes sectabatur, & rursum vitia oderat; ex optimis periculum sibi.* In Agric. *formidolosum id imperatori dictitans, quo plerumque prohibentur conatus honesti.* Ibid. *Inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum è Germania triumphum: at nunc veram magnamque victoriam tot millibus hostium casis ingenti fama celebrare: id sibi maxime formidolosum, privati hominis nomen supra principis attolli.* Salincrius. Male acceptus hic locus erat in omnibus libris: *cum prospere egisset.* merito ergo asterisco notatus. At nuper Josias Mercerus, unius tantum voculæ mutatione, & aptiori distinctione, correxit, ac fere ad amussim congruit Florentiuus, in quo legitur, *casuras in prospere* &c. *Pichena.* Locus corruptus & sine dubio mutilus. paullum tamen quid deesse puto. Nam sententiam equidem video, quæ hæc fuit, tanquam si scriptum: *Adversa in Remp. casura, cum prospere egisset. Fecere hac formidolosum paci virum insignem.* Acidalius. Sensus hujus loci non est, ut equidem opinor, adversa Reip. nocitura, prospera ipsi Corbuloni: sed potius suspicio erat si prospere egisset versurum arma in principem ignavum, unde bellum civile, quo enim alias illud, *formidolosum paci.* Freinshemius.

1 *Ideo Claudius adeo*] Nonne ista terminatio sic in rythmum composita videtur venusta & Tacito digna? Certe eam usurpant editiones Ryckii, Freinshemii, Pichenæ apud Marnium, Lipsianæ, Aldina, quum Beroaldus exhibendo præcesserit *Igitur Claudius adeo*, quod & legitur Florentiæ. Heu tantam inertiam & negligentiam! & tamen ex Oxoniensi codice jam id ipsum prodideram. Quod jam oportune incidit, cap. 34. habet MS. Mediceus *Igitur auditurum principem*, ubi nec quid nec quare editur ab omnibus *Ergo aud.* Jac. Gronovius.

2 *Beatos quosdam duces*] Corruptione litteræ, periit huic dicto Venus. Scribe, *quondam.* id est, olim libera rep. Persuadet Dio, qui sic extulit. *ὦ μακάριοι οἱ πάλαι ποτὲ στρατηγήσαντες. Lipsius.*

Beatos quosdam duces] Vere *quosdam* nimirum Sullam, Cæsarem, Pompejum, & quoscunque alios, qui olim ex sua libidine bella moderabantur. Eruditissimus vir maluit *quondam*, quasi respiciat Corbulo ad omnes veteris reip. duces, citatque ex Dione: *ὦ μακάριοι οἱ πάλαι στρατηγήσαντες.* i. *o beati qui quondam exercitus duxere.* Ego non tanti facio Græcos in re Romana, ut ad eorum normam nostrum rear esse corrigendum: maxime quod verba Dionis quantumvis generalia, possint etiam speciatim interpretari: ad ultimum duces veteres aliquando senatusconsulto ultimam bello manum imponere prohibiti sunt. *Salinerius.* Lipsio prorsus assensi, *quondam*, legenti. Insipide vulgo, *quosdam.* Pichena.

3 *Ne tamen miles*] Sententia scripturam eam damnat. Lege ergo, *Ut tamen.* Lipsius.

Ne tamen miles otium exueret] Plures incubuerunt emendationi, quasi sententia repugnet verbis. Putabam *exueret ἀντιφραστικῶς* à Tacito scriptum; quo me non parum inducebat Plautus Trinummo: quærit apud eum dominus à servo argenti rationem: *quid factum est eo.* Respondet servus, *Comesum, expotum, exutum, elotum in balineis.* Quid *exutum* nisi vestitum, hoc est, pretiosis vestibus consumtum? Licet enim *exuvia* proprie de inimicis dicantur, & ejus respectu, unde exutæ sint; Plaut. Menæch. *Uxoris exuvia, induvia tua, rosas* simpliciter tamen aliquando pro vestibus cujuivis accipiuntur. Virg. Buc.

Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit.

Id. lib. 4. Æn.

Dulces exuvia dum fata deusque sinebant.

Essetque sensus, Corbulo milites labori mancipavit, ne ocium induerent, hoc est, ne ocio indulgerent. Verum præstat explicare, *ocium*, id est, pacem: Cujus rei plurimus est usus. Sallust. Jugurth. *Quod in familia nostra fuit, præstitit, ut in omnibus bellis adesset vobis: nos uti per ocium tuti simus, in manu vestra est.* Idem in histor. in orat. Cottæ. *metuis ocium, odit bellum.* Noster libro 12. ann. *nam militares artes per ocium ignota.* Et libro 15. ann. *Cur deserta per ocium, qua bello defenderat?* Gnarus itaque Corbulo per labores militarem contineri disciplinam, voluit ut fossa à militibus duceretur, ne forte amoto hostium metu lascivirent, & suam provincialiumque pacem turbarent & exuerent. *Exuere pacem* ut *exuere jussa.* paulo ante, *ac ne jussa exuerent.* Salinerius. A Lipsio est emendatio. Male vulgo, *Ne tamen.* Idem fere Florent. indicat, qui habet, *vi tamen.* Pichena. Manum non adhiberem reformationi illius *exsueret*, sed potius fecerim *Ut* de *Ne.* Sæpius enim mutarunt sedem duæ illæ particulæ; & ita hic habet editionum prima. *Gruterus.* Lipsius, *ut tamen.* vel ad finem, *exerceret.* Muretus longiuscule abit, *Ne tamen miles otio insuesceret.* Mihi certe non tam crebra ejus verbi *Exuere* placeat repetitio. idem enim jam paulo ante. Nec tamen satis commode mutes: & si varie possis. Ut relinquatur, legam, *Ne tamen miles otio*

ſam Rhenumque ·¹ trium & viginti millium ſpatio foſſam præduxit ² qua incerta Oceani vetarentur. inſignia tamen triumphi indulſit Cæſar, quamvis bellum negaviſſet.

vim exueret. Acidalius. Duæ literæ adjectæ ſenſum facient optimum: *Ne tamen miles otio vim exueret.* Infra libro 13. *pace longa ſegnes, munia Romanorum ægerrime tolerabant.* & quæ ibi ſequuntur. Grotius. *Ut tamen miles otium exueret.* Sic Lipſius. At nemo exuit otium. niſi qui jam eſt otiatus. Quod de hoc Corbulonis milite jam dici non poteſt. Veteres habent; *Ne tamen miles otium exueret.* Scribam; *Ne tamen milites otium exueret.* Otium milites exuit, ſcilicet virtutibus militaribus, deſidia & ejus amore irrepente. Sic Annal. 1. *Exutoque Lepido*, vi, ſcilicet, omni ac potentia. Hæc enim eleganter ſubintelliguntur. *Boxhornius.* Recte Lipſius, Pichena, Gruterus: cætera, fabulæ. *Gronovius.*

4 *Inter Moſam Rhenumque*] Dio conſentit, διαταφρεύσας, inquit, πᾶν τὸ μεταξὺ τοῦ τε Ῥήνου καὶ τοῦ Μόσου, σταδίους ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν μάλιστα. Nam ſtadia centum LXX. milliaria conficiunt XXIII. duobus ſtadiis & ſemi minus: ita ut ſeptem ſtadia cum dimidio pro milliari capias. quod Plutarchus, Suidas, aliique monuerunt. Interpres tamen Dionis milliaria XXI. vertit: & addit non convenire illi cum Corneliana ratione. *Lipſius.*

Inter Moſam Rhenumque] Ter ea tentata res eſt, quantum me legiſſe memini, ſed non iiſdem locis: cauſa tamen ſemper eadem manente. Primum à Corbulone, qui tantum cogitavit, ut incerta Oceani vectarentur Rheno ad ea loca, quæ Moſellam contingebant. Deinde à L. Vetere, qui conjungere inſtituit Moſellam atque Ararim: ut mari copiæ primum, inde Rhodano, & Arari, & Moſella, & Rheno in occidentem veherentur. De L. Vetere idem Cornelius libro 13, 53. Sed Ælii Gracilis Belgicæ legati invidia factum eſt, ne id efficeret Vetus. Poſtremo Carolus Magnus, rex Francorum, duo flumina Radantiam & Alemoram inter ſe conjungere tentavit, inter quæ breviſſimum dicitur eſſe intervallum: quorum fluminum Radantia in Rhenum exit: Alemora vero in Danubium. Quamobrem conſtat, idem cogitaſſe Carolum & Corbulonem. Sed producta olim foſſa à Corbulone, neceſſe eſt illam aut incuria temporibuſque aut aliquorum operis & labore rediſſe ad ptiorem ſoliditatem: vel longe diverſo loco Carolum & Corbulonem id tentaſſe. Conſtat tamen ex annalibus Francorum proceſſiſſe opus Carolo ad trium milliarium longitudinem: deinde inventum fuiſſe limum paluſtrem; qui nullis operis exhauriri potuit: noctu enim excreſcebat abundantius quam die multo labore fuiſſet exhauſtus. Itaque rem Carolus omiſit. *Ferrettus.*

1 *Trium & viginti millium paſſuum foſſam*] Eſt foſſa, quæ ab urbe Leida Delfium defertur, atque inde ad vicum Maeſlandt deducta, tandem ad propinquum vicum Sluys Moſæ jungitur. Hanc eſſe Corbulonis foſſam quatuor potiſſimum rationibus, arguo: primum, quia inter Moſam, Rhenumque acta eſt: dein, quia proxima Oceano, ut quæ incerta ejus, id eſt, adfluxus, qui crebri in his locis fieri conſuerunt, ne ultra in ſuperiorem inſulæ partem agris detrimentoſi tranſirent, vetare potuerit: tertio, quia ſpatium 23000 p. ſive 170. ſtadiorum quam maxime congruit, utique ſi alveum ejus, non intervallum inter Leidam & Sluys ſequaris: poſtremo, quia foſſa hæc vulgari nomine vocatur *Vliet*, hoc eſt, æſtuarium. *Cluverius.*

Foſſam præduxit] Ita non dubitavi nunc edere, prout aliquando publicavi lectionem venerandi codicis Medicei poſt orationem de incrementis Lugduni, quum prorſus eadem eſſet nota, unde in libro 14. 13. alii & ipſe Ryckius fecerunt *prægredi* pro vulgato *progredi*, qui tamen in hoc loco ſchedam meam neglexit volens, an per negligentiam. Quod quam lætus accepiſſet Lipſius? qui lib. 5. dial. 5. de Mil. Rom. iſtud compoſitum diſerte illuſtrat locis Cæſaris & Vegetii appoſitis loco Tibulli, qui tunc mihi occurrebat, & quem Ill. Schelius ad Higinum p. 127. quoque uſurpat. Hoc verbum cum Græco προβάλλεσθαι comparabat ſummus vir Caſaubonus in notis ad Polybium p. 182. Maximus Salmaſius Circum expoliens præcipue ſe in hoc verbo notando expetitur. Itaque quid dubitem ex vanis ambagibus eripere? *Jac. Gronov.*

2 *Qua incerta Oceani vetarentur*] Recte, non *vectarentur.* Dio interpretatur, ἵνα μὴ οἱ ποταμοὶ ἐν τῇ τοῦ ὠκεανοῦ πλημμυρίδι ἀναῤῥέοντες πελαγίζωσιν. *ne fluvii in Oceani æſtu refluentes ſuperſtagnarent.* Fuiſſe ergo neceſſum eſt foſſam eam inferioris Bataviæ parte, inter Rhenum veterem, Moſamque: ubi fere ubique inter duos fluvios XXIII. milliarium intervallum. Supra agrum Batavum, inter Moſam & adhuc integrum Rhenum, eſſe non potuit: quoniam illic certe periculum nullum ab æſtu. Vertranius, cui legi placet *vectarentur* (hoc ſenſu, ut foſſam eam perduxerit, qua commeari à Moſa ad Rhenum poſſet, ne Oceani pericula neceſſum eſſet ſubire) non placet. Multo minus Ferrettus: qui μετέωρος certe fuit, cum Moſam hic cum Moſella confudit, & ea ſcripſit quæ rideant Batavorum pueri. *Lipſius.*

Incerta Oceani vetarentur] Alias, *vectarentur.* Ferrettus. Atqui *incerta Oceani*, nimium ſubinde creſcentis, non tam vetari poterant hac foſſa tantum in ſpatium producta, quam verti, ne circumjectis agris nocerent. Itaque fidenter reſcribo: *foſſam produxit, qua incerta Oceani verterentur.* Sub finem Annal. 1. *Actum deinde in Senatu ab Arruntio & Atejo, an ob moderandas Tiberis exundationes verterentur flumina & lacus, per quos augeſcit.* Quæ plane

ſet. Nec multo poſt Curtius Rufus eundem honorem adipiſcitur, qui [1] in agro
Mattiaco recluſerat ſpecus quærendis venis argenti; unde tenuis fructus, nec in lon-
gum fuit: at legionibus cum damno labor, [2] ecfodere rivos, quæque in aperto gra-
via, humum infra moliri. quis ſubactus miles, & quia plures per provincias ſimilia
tolerabantur, componit occultas litteras nomine exercituum precantium imperatorem,
ut quibus permiſſurus eſſet exercitus, triumphalia ante tribueret. [3] De origine Curtii Rufi, 21
quem gladiatore genitum quidam prodidere, neque falſa prompſerim; & vera exſe-
qui pudet. Poſtquam adolevit, [4] ſectator quæſtoris, cui Africa obtigerat, dum in
opido

ne huc faciunt. *Boxhornius.* Recte Lipſius. *Vetarentur* eſt arcerentur, prohiberentur, ne reſtagnaudo terris nocerent. Adde Obſervat. 1, 5. *Gronov.*

1 *In agro Mattiaco*] Suſpectum eſſe, & potius *Maciaco*, vel *Mazyaco* legendum videri (qui populi Africæ ſunt) docui in Saturnalium 11. *Lipſius.* Ex verbia Taciti cap. 21. extremo ſatis clare perſpicitur Curtium Rufum jam antea *conſulare imperium & triumphi inſignia* conſequutum, quam Africam obtinuerit. Non igitur Africæ ager iſte: ſed de Germaniæ aliquo agro auctorem loqui patet ex eo, quod Curtii inſignia triumphi Corbulonis inſignibus continuo ſubjicit: nec tamen ſingulatim monet, qua in provincia ager iſte fuerit: ſcilicet, quia eamdem Germaniarum proviuciam intelligebat, quam paullo ante Corbulo obtinuerat, cujus pars *Mattiaci* (Chattorum pars. Weteravia tota cum portiuncula Haſſiæ, qua oppidum Marpurgum) ſocii po. Romani. Litteras Curtium occultas compoſuiſſe narrat auctor *nomine exercituum.* Quinam igitur illi exercitus, uno plures, in una provincia Africa? quam duabus tantum legionibus cuſtoditam ipſe ex quarto annal. oſtendit Lipſius. At Rhenum Germaniaſque octo legionibus, in duas æquales exercitus diſpertitis, quibus unus præfuit conſularis præfectus, fuiſſe poſſeſſas, jamdudum ſatis ſuperque oſtenſum eſt. Horum igitur nomine literas ad Claudium Cæſarem compoſuerat Rufus. Nam quod venas argenti quemquam in Germania quæſiviſſe negat in libro de moribus Germanorum; credibile eſt, hunc librum ſcriptum ante annales, & cum poſtea meliori cura longiorique inquiſitione inveniſſet quondam à Curtio Rufo, Germaniarum præfecto, quæſitas repertaſque eſſe; eam rem annalibus his inſeri dignum judicaſſe. *Cluverius.* De literis per Curtium nomine exercituum compoſitis plane fallitur. Vide quæ diximus de Pec. Vet. lib. 4. cap. 9. *Gronovius.*

Qui in agro Machiaco] Puto *Mattiacos* eum innuere, qui tametſi alteram Rheni ripam incolerent, tamen Provinciales erant, & Romanis parebant. *Rhenanus.* Muretus mallet: *quia in agro.* Pichena.

2 *Et fodere rivos*] Forte melius, *effodere rivos.* Rhenanus. Intellige de utriuſque ducis legionibus. nam *rivos effodere* ad Corbulonem; *infra humum moliri* ad Curtium Rufum refertur. *Pichena.*

3 *De origine Curtii Rufi*] Eſt qui hunc cenſeat eſſe illum, qui memoriam ſcripſit rerum Alexandri, pure mehercules & Latine. Modius certe noſter, cujus cenſuræ Curtius non leviter debet, teſtatum reliquit cognomen ei Rufi tribui à libris. Pugnare tamen ætas videatur, ſiquidem ad Auguſtum referenda illa ſunt è libro ejus x. *Proinde jure meritoque populus Rom. ſalutem ſe principi ſuo debere profitetur, cui noctis, quam pæne ſupremam habuimus, novum ſidus illuxit. Hujus hercule, non Solis ortus lucem caliganti reddidit mundo, cum ſine ſuo capite diſcordia membra trepidarent. Quot ille tum exſtinxit faces? quot condidit gladios? quantam tempeſtatem ſubita ſerenitate diſcuſſit? Non ergo revireſcit ſolum, ſed etiam floret imperium. Abſit modo invidia, excipiet hujus ſæculi tempora ejuſdem domus utinam perpetua, certe diuturna poſteritas.* Sed non ſunt: nec quidquam hic de ſidere Julio, ut nugantur. Refutant ſequentia; quoniam Auguſtus cum ad imperium venit, non exſtinxit bellorum faces, non gladios condidit: ſed accendit, eduxit. Refutat & ille locus è lib. 111. de urbe Tyro. *Multis ergo caſibus defuncta, & poſt excidium renata, nunc tamen, longa pace cuncta refovente, ſub tutela Romana manſuetudinis acquieſcit.* Nam ait & agnoſcit *longam pacem* in re Romana. An ea ſub initia Auguſti? imo viginti annorum bella. Itaque priora illa refero ad Caji Caligulæ cædem, & confuſionem quæ ſecuta: Senatu imperium abrogante, milite & plebe ſtabiliente. Hæc ſunt illa ſine capite diſcordia membra; & Claudius ipſe, novum ſidus. Tamen incerta hæc mihi, fateor: & facile manum dedero, ſiquis adferet veriſimiliora. *Lipſius.*

De origine Curtii Rufi] Sunt qui opinentur hiſtoriam rerum ab Alexandro geſtarum hujus eſſe, qui vulgo *Q. Curtius* citetur; defenduntque indeprenſo teſtimonio, obſervaſſe ſcilicet in antiquis codicibus. Ipſe Angleriæ apud Verbanum, aram marmoream pluribus ſignis illuſtrem vidi, cum titulo *Q. Curtii VI. viri*, à quo fuiſſet dedicata. *Alciat.* Lipſii opinionem valde juvat Senecæ locus ad Polybium Conſol. ubi eadem fere de Claudio cap. 31. & 32. iſta præcipue: *Patere illum generi humano tamdiu ægro & affecto mederi; patere quicquid prioris principis furor concuſſit, in locum ſuum reſtituere ac reponere. Sidus hoc quod præcipitato in profundum, ac demerſo in tenebras orbi refulſit, ſemper luceat* &c. *Acidalius.*

4 *Sectator Quæſtoris*] Vatic. *Sector.* nec ſperno.

opido Adrumeto vacuis per medium diei porticibus secretus agitat, [1] oblata ei species mulicbris ultra modum humanum, & audita est vox; *Tu es Rufe, qui in hanc provinciam proconsule venies.* Tali omine in spem sublatus, digressusque in urbem, & largitione amicorum, simul acri ingenio, quæsturam; & mox nobiles inter candidatos præturam principis suffragio assequitur: cum hisce verbis Tiberius dedecus natalium ejus velavisset, *Curtius Rufus* [2] *videtur mihi ex se natus.* Longa post hæc senecta, & adversus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis, consulare imperium, triumphi insignia, ac postremo Africam obtinuit: atque ibi de-
22 functus, fatale præsagium implevit. Interea Romæ, nullis palam [3] neque cognitis mox caussis, [4] Cn. Novius eques Romanus, [5] ferro accinctus reperitur in cœtu salutantium principem. nam postquam tormentis dilaniabatur, [6] de se Novius........ con-

Ad hastam enim sectiones exercebant. Vulgatam tamen firmat Plinius de hoc ipso Curtio Rufo libro VII. epistol. *Tenuit adhuc & obscurus obtinenti Africam comes haserat.* Ait enim, comes. *Lipsius.*

1 *Oblata ei species mulicbris*] Plinius super eodem miraculo: *Inclinato die spatiabatur in porticu. offertur ei mulieris figura, humana grandior, pulchriorque. perterrito, Africam se futurorum prænunciam dixit. iturum enim Romam, honoresque gesturum, atque etiam cum summo imperio in eamdem provinciam reversurum, ibique moriturum.* Quod ait ultra modum humanum: semper ita antiqui, ut fidem divinitatis adstruant ejusmodi idolis. *Virgilius:*

Visa mihi ante oculos, & nota major imago.

Juvenalis:

——— *sua sacra & major imago*
Humana, turbat pavidum cogitque fateri.

Xenophon lib. VIII. παιδείας. Ἔδοξεν αὐτῷ προσελθὸν, κρεῖττον τις ἢ κατ᾽ ἄνθρωπον, εἰπεῖν, Συσκευάζου, ὦ Κῦρε. ἤδη γὰρ εἰς θεοὺς ἄπει. Tacitus I. Histor. *Erupisse cella Junonis majorem humana speciem.* Lipsius.

2 *Videtur mihi ex senatu*] Restituimus hunc locum è libro Budensi. *Videtur mihi ex se natus.* Hoc autem dixit Claudius hominis virtutes commendans. Ex virtute enim quisque æstimari debet, quæ sui cultores regenerat. Mox cap. seq. *adipiscerentur*, pro *adipiscentur*. Rhenanus. Ut qui se ipsum imitetur, sibi constet, sui sit similis, parem non sit sequutus. *Ferrettus.*

3 *Neque cognitis mox causis*] Vox tertia assiduissimi usus fuit Tacito, eaque toties recurrit in his quæ habemus, ut necessario id debeat lector advertere, & nihil minus quam uspiam mutare, ut neque hoc loco vel suspicari quenquam oportuit; tædet audire Heinsianum *noxa*, etsi & ipsa sæpe dicta auctori nostro, sed suis locis, neque ab librariis sunt hæc vocabula confusa, & falso dicas degeneravisse. *Jac. Gronovius.*

4 *Gn. Novius insignis eques Rom.*] Appellatur in Flor. *Gn. Nonius.* ibique & in antiquo edito, abest vox, *insignis*. Pichena. Alii voce una auctiores *Novius insignis eques Rom.* Sed Venetus *insignis* omisit nec credo ab auctore esse. *Freinshemius.*

5 *Ferro accinctus reperitur*] Ideo Claudius primus (& fortasse hac occasione) scrutatores instituit, qui promiscue omnes ad principem salutandi vel qua alia caussa venientes excuterent. Suetonius: *Salutatoribus scrutatores semper apposuit, & quidem omnibus, & acerbissimos.* Quos tamen Vespasianus iterum sustulit, narrante eodem Suetonio, cap. XII. Verba Dionis ad hunc morem digna legi: Κλαύδιος τά τε ἄλλα ἀκριβῶς ἐφυλάττετο, καὶ πάντας τοὺς προσιόντας οἱ καὶ ἄνδρας καὶ γυναῖκας ἐρευνᾶσθαι ἐποίει, μή τι ξιφίδιον ἔχωσιν. ἔν τε τοῖς συμποσίοις πάντως τινὰς στρατιώτας συνόντας εἶχε. καὶ τοῦτο μὲν ἐξ ἐκείνου καταδειχθὲν, καὶ δεῦρο ἀεὶ γίγνεται. ἡ δὲ δὴ ἔρευνα ἡ διὰ πάντων διὰ Οὐεσπασιανοῦ ἐπαύσατο: *Claudius cum alia acriter observabat, tum omnes qui ad ipsum venirent, viros & fœminas explorari jubebat, ne quem gladium aut sicam haberent. in conviviis etiam ubique milites quosdam adstantes habebat: atque id ab eo ostensum, deinceps ad hoc avi servatur: at scrutatio illa omnium, per Vespasianum sublata est.* Mansit igitur de Militibus: at de Scrutatione Vespasianus sustulit. quod vide in Suetonio, c. XIX. & fac ab istis lucem. Mos iste scrutandi vetus, & Græcis quoque. Tangit Plutarchus in Timoleonte: ubi Dionysium jam exsulem, irrisum à quodam ait, *qui intrans ad eum vestem excussit ut tyrannis fieri soles.* Locum totum vide. *Lipsius.*

6 *De se Novius conscios*] Non integer locus vel indicio libri Farnesiani, qui cum lacuna refert: *De se novi :::::::: conscios.* Videmur non incommode explere posse: *de se Novius confessus, conscios non edidit.* Idem.

De se Novius conscios non edidit] Videtur deesse verbum, *confessus*, quod Faernus addebat, sic legens: *De se Novius confessus conscios non edidit.* Ursinus. Cui stupori non erit ἀνανταπόδοτον manifestum fugisse eruditissimum virum? Explet ille addito *confessus.* quod venustius latet in oratione. Thucyd. lib. 3. Καὶ ἢν μὲν ξυμβῇ ἡ πεῖρα. εἰ δὲ μὴ, Μιτυληναίους ἐκέλευε ναῦς τε παραδοῦναι, καὶ τείχη καθελεῖν *& si quidem aggressio ad votum respondeat: si minus, jubere Mitylenaeos, & naves dare & muros deponere*; quæ notis Scholiastes illustrans inquit. τὸ σχῆμα καλεῖται ἀνανταπόδοτον, ὁ τοῦ οὕτως. καὶ εἰ μὲν κατορθωθῇ τὸ ἐλπιζόμενον

conscios non edidit, incertum an occultans. Iisdem consulibus P. Dolabella censuit [1] *spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum, pecunia eorum qui quæsturam adipiscerentur.* Apud majores virtutis id præmium fuerat, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus: ac [2] ne ætas quidem distinguebatur, quin [3] prima juventa consulatum ac dictaturas inirent. [4] Sed quæstores, regibus etiam

μενοι καὶ τῇ πείρᾳ αὐτῇ καταλάβωσι αὐτοὺς ἔξω, καλῶς ἂν ἔχει τοῖς Ἀθηναίοις τὰ πράγματα i. figura vocatur *ἀνανταπόδοτον*, mens est: & si spes Atticos non frustretur tentandoque ipsos extra civitatem deprehendant, recte res Atheniensibus procedent. Verum ne dicas nostrum hujusmodi præ oculis non habuisse, hæc obsecro, mihi lege. lib. 2. ann. 20. *Sejo Tuberoni legato tradit equitem, campumque: peditum aciem ita instruxit ut pars æquo in silvam aditu incederet. pars objectum aggerem eniteretur, quod arduum sibi, cætera legatis permisit.* an non tacetur *cepit?* similiter in sequentibus suppressum est *poterat.* lib. 12. ann. 64. *Enimvero certamen acerrimum, amita potius, an mater apud Neronem prævaleret. Nam Lepida blandimentis, & largitionibus juvenilem animum devinciebat; truci contra ac minaci Agrippina, quæ filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat.* Salinerius. Habet codex Florent. lacunam eandem, quam teste Lipsio Farnesianus. Ex Livio autem, unde Tacitus fortasse sumpsit; suppleri potest. ait enim lib. 24. *de se ipse haud cunctanter fassus conscios celabat.* Pichena. Volunt alii locum mutilum. non video quare. quippe constructio satis belle succedit; prout ea uti amat Tacitus. Remque eandem enunciavit Livius lib. 24. de Theodoro, qui conspirat in Hieronymum Siciliæ tyrannum: *Traditusque Andranodoro torquendus; de se ipse haud cunctanter fassus, conscios celabat.* Gruterus. Ego puto, nulla difficultate, deleta vocula *de* scribi: *se Novius, conscios non edidit.* Compendium sermonis usitatum Tacito, qualibus locutionum amfractibus sæpe vox una duabus rebus jungitur, licet alteri tantum conveniat. *Edere* autem ad alios tantum pertinet, ut vulgo usurpamus: Tacitus vero, ne morem suum stringendi sermonem migraret, etiam ei apposuit, cui minus apta ea vox erat, nempe Novio ipsi jam deprenso. *Barthius.* Inepte repetitur nomen proprium, & vox alia desideratur. Farnesianus liber *novi.* Scribam *nota.* De se edidit quæ nota erant, rem, non causam rei. Considera antecedentia *Grotius.* Corrigo: *nec de se Novius confessus*, aut *de se Novius non confessus & conscios non edidit.* Nam quod Lipsius tentat, id non patiuntur, quæ præcedunt: *nullis palam neque mox cognitis caussis.* Nam si se confessus sontem fuisset, causæ conjurationis enotuissent. *Harlæus.* Hactenus verum dicit Pichena, si dicas in MS. esse *noni*, post quas literas est vacuum spatium, & sequens versus incipit *conscios.* Curavit Nic. Heinsius per Ryckium publicari suspicionem suam *de se novissime confessus*, etsi sciens in Mediceo libro esse *Nonius*, quod fatetur, sic legi in hac parte *de se noni:* verum jam connivet in Mediceo, & auscultat, quid non accuratissime proferatur ex Farnesiano, in quo ego non dubito, quin etiam legatur *noni*, non *novi.* Est haud dubius Taciti stylus *de se non infitiatus.* pro quo 15, 2. dicit *non ibo inficias*, & convenientius exemplum præbetur in indice Freinshemii. Et ubique id verbum in isto usu celebratum occurrit. Frustratur enim se ipse Harlæus, quum non utique, si quis de se confiteatur, idcirco & causæ facinoris notescunt. Non intelligo, quamdiu statuat Heinsius hanc anquisitionem per tantam sævitiam tormentorum perseverasse, ut novissime ad id venisse possit dici. *Jac. Gronovius.*

1 *Spectaculum gladiatorum*] Suetonius: *Collegio Quæstorum, pro stratura viarum, gladiatorium munus injunxit.* Quod mutavit Nero, qui censuit, *ut ne designatis quidem Quæstoribus edendi gladiatores necessitas esset*, ait Tacitus lib. XIII. Iterum induxit Domitianus, notante Suetonio c. IV. & perseveravit. Tertullianus: *Transiit hoc genus editionis ab honoribus mortuorum ad honores viventium, Quæsturas dico, & magistratus, & Flaminia & Sacerdotia.* Plura de his, proprio libro. *Lipsius.*

Spectaculum gladiatorum] Huc pertinent illa Tranquilli Claudio 24. *Collegio Quæstorum* &c. *Vertranius.*

2 *Ne ætas quidem distinguebatur*] *Maiores nostri, admodum antiqui, leges annales non habebant, quas multis post annis attulit ambitio, ut gradus essent petitionis inter æquales:* habetur Philippica V. Tandem Q. Fulvio Flacco, L. Manlio Acidino Coss. L. Villius Trib. plebei rogationem tulit, quot annos nati quemque magistratum peterent, caperentque. Livii XL. Exinde Festo lex *annaria* dicta. *Idem.*

3 *Prima juventa consulatum*] Principio satis annorum habebat ille, quem omnes Quirites consulem facere vellent: sed ubi finita certis legibus est ætas, unde petatur honos, legitimus annus apiscendi consulatus XLIII. fuit, ut in eadem significat M. Tullius, cum de XXXIII. annis, *Ætas*, inquit, *nostris legibus decennio minor quam consularis.* Idem.

Consulatum ac dictat.] Scias in MS. Mediceo legi *&*, non *ac.* Jac. Gronovius.

4 *Sed quæstores regibus*] Origo quæstoris creandi antiquissima est, & pæne ante omnes magistratus. Junius certe Gracchanus lib. 7. de potestatibus, etiam ipsum Romulum & Numam Pompilium binos quæstores habuisse, quos ipsi non sua voce, sed populi suffragio crearent, refert. Sed sicuti dubium est, an Romulo & Numa regnantibus quæstor

etiam tum imperantibus, instituti sunt: [1] quod lex curiata ostendit, ab L. Bruto repetita. Mansitque consulibus potestas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret. creatique primum [2] Valerius Potitus, & Æmilius Mamercus, [3] LXIII. anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur. Dein gliscentibus negotiis, [4] duo additi qui Romæ curarent. [5] Mox duplicatus numerus, stipendiaria jam Italia, & accedentibus provinciarum vectigalibus. [6] Post lege Sullæ viginti creati supplendo senatui, cui judicia tradiderat. & quamquam [7] equites judicia recuperavissent; quæstura tamen ex dignitate candidatorum, aut [8] facilitate tribuentium

stor fuerit; ita à Tullo Hostilio rege quæstores fuisse certum est, & sane crebrior apud veteres opinio est, Tullum Hostilium primum in remp. induxisse Quæstores: & à genere *quærendi*, Quæstores initio dictos, & Junius, & Trebatius, & Fenestella scribunt apud Ulpianum D. de Off. Quæstoris. Exactis autem regibus quæstores in rep. nova superfuerunt, deque eo magistratu retinendo, universi populi suffragio, lex Curiatis Comitiis lata est, quam tulit L. Brutus. *Vertranius.*

1 *Quod lex curiata*] Quamvis enim priores Reges Quæstores habuerint: tamen constat, suffragio populi, non voce principis creatos fuisse. Auctor est Junius Gracchanus, teste Ulpiano. *Ferretus.*

2 *Valerius Potus*] Ita libri scripti. Lego, *Potitus*, quod Valeriæ gentis cognomen est. In vulgatis *Valerius Postumius*, imperite. Est autem ille ipse qui Consul postea anno V. CCLXXXIV. Quod clare ex Dionysio hauries lib. IX. *Lipsius.*

Valerius Potus, & Æmilius Mamercus] Restitui ex Flor. copulam, *&*, quæ interciderat. *Pichena.*

3 LXIII. *anno post*] Error numeri. nisi placet de primis quæstoribus totos XL. annos à Livio & Dionysio discrepare Tacitum. Nam anno urbis CCLXIX. Q. F. Ser. Cornelio Coss. Livio primi Quæstores nominati, L. Valerius & Cæso Fabius: itemque Dionysio lib. VIII. At ex hac Taciti putatione, circa annum demum urbis CCCVIII. Quæstores statuamus necesse est. Quod falsum esse, liquet vel ex eo, quod Livius & Dionysius post annum illum CCLXIX. sæpius jam Quæstores nominant. Corrige hic ergo, XXIII. *anno.* ut ratio constet. In altero tamen Quæstore manet adhuc dissensus: qui Livio & Dionysio est Cæso Fabius, non Mam. Æmilius, ut nostro. Nam Plutarchus plane diversus, qui P. Veturium & M. Minucium nominat. *Lipsius.*

4 *Duo additi, qui Romæ curarent*] Sic lib. 3. histor. *Exploratores, ut mos est, longius curabant.* Verbum Sallustio quoque familiare in Jug. *in postremo C. Marius cum equitibus curabat.* iterum: *ubi quisque legatus aut tribunus curabat, eo acerrime niti.* Ibidem etiam, *curator*, dixit: *de Rep. vestra, cujus huc curator missus es.* Pichena.

5 *Mox duplicatus numerus*] Epitome Livii XV. *Quæstorum numerus ampliatus est, ut octo essent.* Quod accidit circiter annum urbis CDLXXXVIII. *Lipsius.*

6 *Viginti creati supplendo Senatui*] Uti à Cæsare Dictatore quadraginta, eadem, ni fallor, caussa. Vide Dionem XLIII. *Idem.*

Post lege Sylla viginti creati supplendo Senatui] Romanorum enim institutis, nemo Senator fiebat, nisi qui magistratum gessisset. Vide Carolum Sigon. de antiq. jure Rom. lib. 2. c. 2. *Pichena.*

7 *Equites judicia recuperavissent*] Defuncto Sulla per XI. annos penes Senatorum ordinem judicia fuere, quousque L. Aurelius Cotta prætor legem promulgavit de restituendis equestri ordini judiciis, ut tres simul ordines, senatores, equites, ærariique tribuni judicarent. Indeque communicatam potestatem equites recuperasse videntur, ex Philippica 1. & Asconio in Verrinam 2. & in Cornelianam. *Vertranius.* Ablatis quippe judiciis à senatu, necesse non erat, eum adeo frequentem, ut antea, habere, nec per consequens tot Quæstores eligere ad supplendum. *Pichena.*

8 *Facilitate tribuentium*] Steph. Pighius ad annum V. C. 672. hæc verba accipit, quasi Sulla tulerit, ut quotannis isti XX. quæstores, partim populi suffragio, partim consulum beneficio crearentur. nam Tacitus, inquit profecto dixisset *populi*, non *tribuentium facilitate*, si solus populus quæsturam tunc dedisset. Idem ei apertius ostendere Cicero videtur in Interrogatione, quum ait Vatinium quæsturæ candidatum, *invitis omnibus, non populi, sed consulis beneficio extremum adhæsisse.* Ea enim verba docere, uno quæstore populi suffragiis creato, alterum mox renuntiatione consulis è turba candidatorum adjici potuisse: atque alternatim usque ad extremum. Et id fortassis eo instituisse Sullam, ne nimis diu extraherentur comitia in tanto quæstorum numero. Hæc somnia sunt inanissima. *Beneficium consulis* Ciceroni nihil est aliud quam consulis, qui comitiis præerat, studium & contentio in commendando Vatinio, & vehemens pro eo supplicatio, quod rogandi genus cum semper sit gratiosum, tum sunt interdum, quibus nihil sit quod rogantibus non jure se concessurum populus putet. hi multis sæpe indignis profuerunt & suffragia quamvis invitis extorserunt. Neque inepte Nic. Abramus, posse & fraudis suffragiorum punctis adhibitæ suspicionem motam credi. Nam Tacitum non solum intelligere populum, & solita sua subtilitate usum, quum *tribuentium* maluit, facile largimur:

buentium gratuito concedebatur, donec sententia Dolabellæ velut venundaretur. A. 23
Vitellio L. Vipsanio consulibus, cum de supplendo senatu agitaretur, primoresque ¹ Galliæ, quæ *Comata* appellatur, ² fœdera & civitatem Romanam pridem assecuti,

jus

mur: quippe & populum & senatum & principes comprehendens verbum ponere debuit. Ita *facilitate tribuentium* libera republica & jure comitiorum penes populum est studiis tribuum; postea partim senatus, ad quem translata comitia sub Tiberio; partim Principum suos candidatos sine metu repulsæ obducentium. *Gronovius.*

1 *Gallia qua Comata appellatur*] Posteaquam Galli superatis Alpibus, sedes in Italia posuerunt, cum Latio togam communem induti, & citra & ultra Padum omnis Gallia citerior Romanis, *Togata* dicta fuit. Tum eorum socii Massilienses ab Ægatha ultra Niceam maritimam oram tenebant: qui ubi Salyos mediterraneam gentem, agris finitimis infestos graviter tulere, neque terra in eos, quod in alios mari possent, auxilium à Romanis petierunt. Q. Metello, T. Flaminio coss. C. Sextius Calvinus Proconsul in Salyos venit, devictaque natione, & inde in Alpes depulsa, regionem maritimam Massiliensibus attribuit, & quo à reliquis tutiores essent, arcem iis turribus, quas intra civitatis nostræ Basilicam cernere licet, exstruxit, Latinamque coloniam Aquas Sextias condidit, & agros quosdam Mercurio consecravit, uti nos vetus spectatio docet. Acta hæc quinquennio, antequam Narbona deduceretur: à cujus tandem Coloniæ celebritate, inter Gallos & Massilienses formata provincia, Romanis principio *Narbcuensis*, sequiori sæculo *Provincia Provintia* dicta est: quæ antea *Gallia Braccata*, vetus exinde nomen amisit. Itaque factum, ut appellatione Galliæ sola *Comata* acciperetur, tam Plinio, quam Cæsari, divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgæ, aliam Celtæ, aliam Aquitani. Horum *primores fœdera & civitatem Romanam pridem assecuti erant*, ait Cornelius: puta quod è sociis & benemeritis populis & civitatibus essent, quales fuere in Belgica, Lingones & Remi, fœderati: Nervii, Verunni, Ulbanactes, Leuci, Treveri, liberi. In Celtica Hedui & Cauratani, fœderati: Meldi, Albii, liberi. In Aquitanica, Sanctones, Bituriges qui Ubisci, & qui Cubi, Arverni, liberi. Cum quibus omnibus, certisve tot populorum, icto fœdere, data primoribus civitas fuerat, sed sine latione suffragii, ne magistratus creare inter Romanos possent. Quare jus adipiscendorum in urbe honorum eos expetisse Tacitus refert. Galli namque Transpadani, ut est apud Dionem, civitate à Cæsare Dictatore donati sunt, & Senatores facti: de quibus Suetonius C. Julii LXXVI. ait: *Civitate donatos, & quosdam è semibarbaris Gallorum recepit in curiam:* & illo nomine Togatos intelligit, qui comatos, non *semibarbaros*, sed *barbaros* appellasset. Omnes vero reliqui togati Cispadani, Italici juris facti sunt ab Augusto, qui jure ac dignatione urbi quodammodo pro aliqua parte Italiam, adæquavit: excogitato genere suffragiorum, quæ de magistratibus urbicis, decuriones colonici, in sua quisque colonia ferrent, & sub diem comitiorum obsignata Romam mitterent. Illis igitur in Urbe creare, petere, gerereque magistratus, saltem minores, ut Ædilitatem & Quæsturam licuit, pro municipum jure, qui Italici juris facti, salvis legibus & moribus viverent, sicuti in oratione dixit Adrianus, quam in Senatu de Italicensibus habuit, Agellio referente libro XVI. Provincia quoque nostra non dissimili jure usa est, si Latinas ejus Colonias spectes: ut Aquæ nostræ fuere: usa vero & majore, si Romanas colonias consideres, qualis Arelate Sextanorum, & similes. Strabo namque lib. IV. in hunc sensum scribit: *Latii jus habent ut qui ædilitatis quæsturæque dignitatem Romæ assecuti sunt.* Quod si verum in sociis, verius in coloniis nominis Latini fuit. Sed & illud scitum est, in veteri rep. & ante imperium constitutum Veteranos & emeritos quasi cives in agrum assignatum deductos, æquo jure cum illis usuros, qui urbem Romam incolerent: eorumque colonia cum effigies parva & simulachrum quoddam pop. Romani videretur, jura institutaque omnia pop. Romani habuit. Inde est, quod leguntur lib. consequenti, *Senatores provinciæ Narbonensis.* Itaque si Togati & Braccati Galli magistratus gerendi facultatem cum jure civitatis haberent, idem sibi Comati æquo jure postulabant, scilicet ad aliorum exemplum eis jus suffragii ferendi à Senatu concedi. *Vertranius.*

2 *Fœdera & civitatem*] Duplex Gallia, Cisalpina, Transalpina. Cisalpini iterum duplices, Cispadani, Transpadani. Ex his qui cis Padum, jus civitatis assecuti sunt post bellum Marsicum: qui trans Padum, jus Latii eodem tempore, ferente Pompejo Strabone, qui pater Magni. Ea lex, Pompeja dicta. Sed non contenti Latinitate Transpadani, turbas sæpe moverunt: incitante etiam post Quæsturam C. Cæsare. Nec enim de aliis Suetoniana illa capio; *Decedens ergo ante tempus colonias Latinas de petenda civitate agitantes adiit, & ad audendum aliquid concitasset, nisi consules conscriptas in Ciliciam legiones paullisper ob id ipsum retinuissent.* Donec ille Cæsar Dictator primum, transtulit eos in civium jus, narrante Dione libro XLI. Τοῖς Γαλάταις τοῖς ἐντὸς τῶν Ἄλπεων ὑπὲρ τὸν Ἠριδανὸν οἰκοῦσι τὴν πολιτείαν, ἅτε καὶ ἄρξας αὐτῶν, ἀπέδωκε. At de Transalpinis non liquide pureque aliquid scriptum reperio, nisi quod Strabo ostendit Cavaros, Salyesque civitate donatos, tempore tamen non expresso. Πάντας, inquit, ὅτω προσαγορεύοντι (Cavarorum nomine, scilicet) τοὺς ταύτῃ βαρβάρους, οὐδὲ βαρβάρους

Ggg ἔτι

jus adipiscendorum in urbe honorum expeterent; multus ea super re variusque rumor, & studiis diversis apud principem certabatur, asseverantium; *non adeo agram Italiam, ut senatum suppeditare urbi sua nequiret.* [1] *suffecisse olim indigenas consanguineis populis, nec pœnitere veteris reipublicæ. Quin adhuc memorari exempla, quæ priscis moribus ad virtutem & gloriam Romana indoles prodiderit. An parum quod* [2] *Veneti & Insubres curiam irruperint,* [3] *nisi cœtus alienigenarum* [4] *velut captivitas inferatur? quem ultra honorem residuis nobilium:* [5] *aut si quis pauper è Latio senator foret? oppleturos omnia divites illos, quorum avi proavique hostilium nationum duces exercitus nostros* [6] *ferro vique ceci-*

ὅτι ὄντας, ἀλλὰ μετακειμένους τὸ πλεῖον ἐς τὸν τῶν Ῥωμαίων τύπον καὶ τῇ γλώττῃ καὶ τοῖς βίοις, τινὰς δὲ καὶ τῇ πολιτείᾳ. id est. *Omnes ita appellant, qui ibi incolunt, Barbaros: etsi nunc non Barbaros, quia plerique eorum ad Romanum habitum transierunt & lingua & moribus, quidam etiam in civitatem eorum recepti.* Donatos tamen non dubium est ab Augusto: tuncne cum Italiam ad Alpes promovit? an potius in diuturna illa peregrinatione, cum ad res Galliæ constituendas biennium continuum illic egit? Quod obiter suadere Dio videtur libro LIV. qui Augustum in ea peregrinatione libertatem & jus civitatis aliis dedisse ait, aliis ademisse. Civitatem autem accipimus, sine jure suffragii, quod nunc à Claudio demum adsecuti. *Lipsius.*

1 *Indigenas consanguineis*] Sensus videatur. Olim Latinos (qui indigenæ) suffecisse Romanis, sanguine & affinitate cum iis junctis: cur non nunc tota Italia? Possis etiam, *indigenas consanguineos populos*: eodem sensu. *Idem.*

Suffecisse olim indigenas consanguineis suis] Id est, Albani indigenæ, satis fuerunt ad explendum senatum Romanorum, quibus erant consanguinei. Liv. libro 1. Dec. 1. *Quod bonum, faustum, felixque sit populo Romano, ac mihi vobisque Albani, populum omnem Romam traducere in animo est, civitatem dare plebi, primores in Patres legere, unam urbem, unam remp. facere, ut ex uno quondam in duos populos divisa Albana res est; sic nunc in unum redeat.* Quod ait *in duos populos divisa*, describit consanguinitatem Albanorum, & Romanorum, de qua poëta, *Albanique patres atque altæ mœnia Romæ.* At hi cum cæteris è Latio indigenæ dicuntur, licet Græcis post admissis. Dionys. libro 1. Antiq. 5. βάρβαροι τινες ἦσαν αὐτόχθονες, οἱ σύμπαντες ὕστερον Λατῖνοι ἐκλήθησαν. i. erant quidam barbari indigenæ, hi omnes Latini dicti sunt. *Salinerius.* Videtur sensus: Urbis hujus indigenæ, una cum consanguineis populis, suffecere olim Reip. Romanæ. eritque locus integer, nec opus addere, *cum consanguineis*, ut Lipsius autumat. Sic alibi Tacitus libro 14. *Igitur Fabianus tabulam iis, quos memoravi, & aliis minus illustribus, obsignat.* Histor. 1. *Erat Othoni celebre convivium, primoribus feminis virisque.* De morib. Germ. *omnes ejusdem sanguinis populi legationibus coëunt.* Sed fortasse melior interpretatio: *Indigenas*, scilicet Italiæ, Romanis *consanguineis* suis olim suffecisse. *Pichena.* Accipio interpretationem Pichenæ: sed ei obstat *populis. Populum Romanum*, non *Populos Romanos* novimus. Ergo aut inducenda vox ea, ut sit: *suffecisse olim indigenas consanguineis*: aut *populos* faciendum, ut sit, *suffecisse olim indigenas consanguineis populos*, aut denique scribendum: *suffecisse olim indigenas consanguineo populo.* nempe Italicos populo Romano, qui Etruscos, Latinos, Sabinos &c. miscuerit, & unum ex omnibus sanguinem ducat, ut ait Florus libro 3. 18. Et hoc præfero. *Gronovius.* Attamen non debet velut ab ignaris præteriri, in MS. Mediceo extare *consanguines*, quæ vox perinde merebatur ostentari, ac in libro 1. *commilitibus.* Sed absint inania. Ego hinc legere adsuevi *indigenas consanguinei populi.* Jac. Gronovius.

2 *Veneti & Insubres*] Qui populi Transpadani. Ex his colligas, Cavaros, de quibus Strabo, pleno civium jure non fuisse. Eos enim potius hic nominassent. *Lipsius.*

3 *Nisi cœtus alienigenarum*] Quod sane haud diu post evenit. adeo ut Augustinus vere scripserit, *Numquid non multi Senatores in aliis terris, qui Romam ne facie quidem norunt?* lib. v. De civit. cap. XVI. *Idem.*

4 *Velut captivitas inferatur*] V.C. habet *inferatur.* Ursinus.

5 *Aut si quis pauper*] Negandi vim habet. quasi dicat: an aliquis etiam pauper è Latio Senator fiet? non fiet. posset etiam, *aut ecquis.* Lipsius.

Aut si quis pauper è Latio senator foret] Forte repetitum intelligitur: Quem ultra honorem pauperibus è Latio, qui Senatores nunc evadere possunt? Vel potius ait: Si quis pauper è Latio Senator, nulla ei reliqua spes, honorum ac magistratuum adipiscendorum, si omnes divitibus provincialibus occupabuntur. *Pichena.* Si quid mutandum, lege, *residuis nobilium, aut si quis pauper è Latio senator, fore?* Acidalius.

6 *Ferro vique ceciderint*] Ita in meis libris, & recte. Vulgo, *Ferro ignique.* Simile mendum scio esse in Suetonii Claudio, cap. XXI. *Diu cunctatus, an omnes igni ferroque absumeret, tandem è sua sede prosiluit.* Lege, *vi ferroque.* Lipsius.

Ferro ignique ceciderint] Rejicio *vique*, injuriamque à nostro & à Suetonio defendo Claud. 21. *diu cunctatus an omnes igni ferroque absumeret.* ubi etiam *vi* supponunt. an ubique eadem menda? Liv. libro 1. Dec. 1. *vosque dii testes facio, me L. Tarquinium Superbum cum scelerata conjuge, & omni liberorum stirpe*

ceciderint; divum Julium apud Alesiam obsederint. Recentia hac. [1] *quid si memoria eorum inoriretur,* [2] *qui Capitolio & ara Romana manibus eorumdem prostratis.* [3] *fruerentur sane*

stirpe ferro igni persecutum. Curtius: *admiratus Ephastion magnitudinem animi spernentis, quod alii per ignes ferrumque peterent.* Virgil. libro 4. Æn.

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
Qui face Dardanios ferroque sequare colonos.

Salinerius. Optime Lipsius *vique* invexit è mss. quos item firmat manuscript. Covarruvianus. antea erat, *ferro ignique.* quod hic locum non habet; at habet tamen in Suetonii Claud. 21. Cum enim naumachiarit isti in navibus agerent; æque eis nocere poterat ignis quam ferrum. itaque nihil ibi mutandum. *Gruterus.* Cum à Flor. codce Lipsii lectio confirmetur, probam censeo; vocem autem, *ignique*, adulterinam. Neque solicitus sum de Suetonii verbis in Claud. c. 21. si præsertim libri veteres annuunt, ut dicitur. Libentius legerem, *igni ferroque*, quam, *vi ferroque.* Nam recte quidem à Suetonio dicitur, *igni absumere.* similiter in locis Livii, ac Curtii à Salinerio relatis, *ferro igniqua persequi*, & *per ignes ferrumque petere*; at non proprie ab auctore nostro dictum videretur, *igni cadere.* Pichena.

1 *Quid si memoria eorum inoriretur*] Abstinnissem per à correctionibus, at ubi res necessario monet, nihilo magis soleo manus continere: præsertim quando castigatio una literula mihi stat. locus iste rejecta *s* litera est inter incorruptos. *quid si memoria eorum inoriretur, qui Capitolio, & ara Romana manibus eorundem prostrati. Tò Capitolio prostrati* vice *strati pro Capitolio.* sicut jam diximus, libro 6. ibi, *Ut verum Latinium Latiarem.* Et sicut illa Cæsaris lib. 2. Gallic. *pradam militibus donat, exercitum Ligerim traducit.* illa Catulli: *perambulabit omnium cubilia.* At quinam isti, qui pro Capitolio cæsi stratique sunt? seniores patrum plebisque, à Gallis sæviter discerpti: qui cum recipere se in Capitolium possent, mortem parvi fecere, ut juventus in eo facilius obsidionem toleraret, seque & saeram illam sedem ab injuria prohiberet. Liv. libro 5. 39. *Si arx Capitoliumque sedes deorum*, &c. Quod autem ad eam stragem respectum sit, liquet ex verbis Claudii ad ejusmodi respondentis: *capti à Gallis sumus.* Oblita mihi fuerant hæc Thucydidis libro 2. διαδραμὼν ἢ τὸ τῶν Ἀθηναίων στρατόπεδον i. *percurrens Atheniensium exercitum:* ubi Scholiastes, ἀντὶ τοῦ διὰ μέσου αὐτῶν δραμών, *pro per medium illorum currens.* Salinerius. Sed in MS. Mediceo manifeste legitur *mereretur*, ut discimus ex Pichena. Id notatum est ab fratre; id ego scriptum in schedis meis commisi Cl. Ryckio, quem vides laboriose circumire, ut hoc deferat, non Pichenam audiens, non collationis novissimæ jam memor, ut licentiæ Heinsianæ conveniens *renovaretur* poneret. Atqui aperte satis in isto vetere sita est vera lectio *moveretur*, quum vulgatum sit absurdum & nugax, & alia, quæ temere substituuntur, sint alieni ingenii. Tempus istud adhibet etiam 15, 52. etsi alio respectu. *Jac. Gronovius.*

2 *Qui Capitolio & ara Romana*] Locus fractus corruptusque, uti oratiuncula hæc tota. Nec ista Attius Navius pater augurum restituerit, sine libris: nedum ut Beatus nobis persuadeat germanam lectionem esse, *qui Capitolio & ara Romana? manibus eorumdem parceretis?* Est enim, *inquit*, Aposiopesis: subaudiendumque, *potiti sunt.* qua figura medius fidius vellem ipse usus esset. Mei libri, *memoria eorum memoretur qui Capitolio & ara Romana manibus eorumdem per se satis.* Lipsius.

3 *Fruerentur sane*] Ubi quæsitum fuit ab iis, qui civitatem communicari vellent, an foret, ut manes vererentur eorum, qui in urbe diripienda, ferro ignibusque vastanda, & oppugnando Capitolio intercidissent; instabant adhuc, si factitiorum civium animos tolleret majorum recordatio, denuo scilicet urbe potiti, *Fruerentur sane vocabulo civitatis* immo & re ipsa civitate. Hic tantum referam Florentini verba pariter corrupta *quid si memoria eorum moreretur, qui Capitolio & ara Romana manibus eorundem per se satis.* Pichena. Hic quoque locus fractus & corruptus: nec quem persanare hominis est, sine libris. Duo tamen in eo ipso notarim. Legendum potius videri *iniretur*, pro *inoriretur*: & pro *ara*, *arce.* Quamquam de Ara maxima possis capere: tamen verisimilius est de arce. Nam sic sæpe apud alios auctores *Capitolium* & *arcem Romanam* jungi deprehendes: nusquam *Capitolium* & *aram.* Acidalius. Emenda: *Quid si memoria eorum innovaretur, qui in Capitolio & Arce Romana à majoribus eorundem prostrati?* Vel *innovetur.* Significat multos etiam in oppugnatione Capitolii atque Arcis, qui ex urbe eo confugissent, diutino obsidio à Gallis trucidatos. *Justus Rycquius.* Ego mihi hunc locum bene persanasse visus sum: *Quid si memoria eorum inoriretur, qui Capitolio & ara Romana, mœnibus eorundem prostratis, fruerentur? Sane vocabulum civitatis; insignia patrum, decora magistratuum ne vulgarent.* Per *aram Romanam* intelligit Tacitus Maximam, quam ut & Capitolium, non fuisse prostratam satis constat. *Ger. Vossius G. F.* Tentabam: *Recentia hac: quid si memoria eorum inoriretur, qui Capitolium & arcem Romanam, mœnibus eorundem prostratis?* Intelligo, obsederint ædificiis urbis adflictis incensisque. Ista, quæ recensuerat, ferro vique cæsas legiones, D. Julium apud Alesiam obsessum, recentia & memoriæ nondum exoletæ. At quanto graviore invidia premi posse Gallicum nomen, quanto minus dignos curia Romana visum iri, si mentio etiam fiat illorum, qui mœnibus incensis ac prostratis circa montem Tarpejum & arcem per sex menses minacissimi pependerint.

24 *ſane vocabulo civitatis: inſignia patrum, decora magiſtratuum, ne vulgarent.* His atque talibus haud permotus princeps, [1] & ſtatim contra diſſeruit, & vocato ſenatu [2] ita exorſus eſt: *Majores mei (quorum antiquiſſimus Clauſus origine Sabina, ſimul in civitatem Romanam & in familias patriciorum adſcitus eſt) hortantur, uti paribus conſiliis rempublicam capeſſam, transferendo huc quod uſquam egregium fuerit. Neque enim ignoro Julios Albâ, Coruncanios Camerio, Porcios Tuſculo; & ne vetera ſcrutemur, Etruriâ Lucaniaque,* [3] *& omni Italiâ, in ſenatum accitos.* [4] *Poſtremo ipſam ad Alpes promotam, ut non modo ſinguli viritim,* [5] *ſed terræ, genteſque in nomen noſtrum coaleſcerent. Tunc ſolida domi quies, & adverſus externa floruimus, cum Tranſpadani in civitatem recepti, cum ſpecie* [6] *deductarum per orbem terræ legionum, additis provincialium validiſſimis, feſſo imperio ſubventum eſt.* [7] *Non pœnitet Balbos ex Hiſpania, nec minus inſignes viros è Gallia Narbonenſi tranſiviſſe? Manent poſteri eorum, nec amore in hanc patriam nobis concedunt. Quid aliud exitio Lacedæmoniis & Athenienſibus fuit, quamquam armis pollerent, niſi quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor noſter Romulus tantum ſapientia valuit, ut pleroſque populos eodem die hoſtes, dein cives habuerit.* [8] *Advenæ in nos regnaverunt.* [9] *Libertinorum filiis magiſtratus mandari,* [10] *non, ut plerique falluntur, repens,*

Gronovius. Non decet hic deviare, nec varietate æſtuandi inſignem hunc ſcriptorem deludere. Negari nequit, quin *ara* corrupta ſit pro *arci.* Hic ſunt iidem ductus. Jam vero quod monſtrant *per ſe ſatis*. eſt mendax ſpectatio ſcripturæ antiquæ in caſtiſſimo libro Mediceo, ubi ſunt formæ literarum parum intellectæ aut cognitæ, neque PſĒ *ſatis*, quod quantum ego aſſequor, indicaret *perſturſatis* vel *ati ſunt.* Illa nota venit quidem ad ſimilitudinem characteris E, ut volunt docti, ſed aliquantum tamen differt, ut patet in ectypo, quod de hoc volumine edidit Mabillonius, quo continetur initium libri duodecimi. Quam commodum foret, ſi legas? *qui Capitolio & arci Romanæ manibus eorundem peſtem minati ſunt.* Nihil injungo; vide ut eas ad meliora. *Jac. Gronovius.*

1 *Et ſtatim contra diſſeruit*] Ita Florentinus & melius, quam, *etiam ſtatim*, ut vulgo. *Pichena.*

2 *Ita exorſus eſt*] Quæ oratio Principis memoriæ cauſſa Lugduni habita, celeberrima urbe Galliarum, & in æs inciſa. Tabula manet illic etiam nunc; & dignum lectu exemplar ejus, quod, ex ſcriptorum fide, propoſui in Excursu A. eo magis, quod multa in eo ad Taciti lucem. *Lipſius.*

3 *Omni Italia in ſenatum accitos*] Hinc apparet, Italiam non protendi uſque ad Alpes, quando aut de juriſdictione, aut de privilegiis agitur, quamobrem Tranquillus C. Julio: *Craſſum Pompejumque in urbem provinciæ ſuæ Lucam extractos compulit*, &c. idem. *Conſecutuſque cohortes, ad Rubiconem flumen, qui provinciæ ejus finis erat.* Conſtat autem Julium Cæſarem præfuiſſe utrique Galliæ: de quo ſcripſi late in Commentariis civilibus. *Ferretius.*

4 *Poſtremo ipſam*] Romam intellige, & civitatem. *Ferretius.* Non Italiam intelligo, ſed ipſam civitatem Romanam. *Pichena.*

5 *Sed terræ genteſque in nomen noſtrum coaleſcerent*] Florentin. abſque copula, *ſed terræ gentes.* fortaſſe non improbandum. *Pichena.* Certe concedi id Tacito debet, ſæpe ſic agenti, nec aliter 12, 2. in eodem legitur *haudquaquam novercalibus odiis uſura in Britannicum, Octaviam, proxima ſuis pignora*, ubi vulgo edunt *Britannicum & Octaviam.* Utique Florentinus ille omnes alios pretio ſuperat, unde licuit copulam expulſam ab Tacito prodere ad poſteros, qui ſua tanta licentia non debuerunt abuti ad interponendum. *Jac. Gronovius.*

6 *Deductarum per orbem*] In colonias nempe deductarum. Iiſque miſti è provincialibus ſere ſemper aliqui, eodem jure. *Lipſius.*

7 *Num pœnitet Balbos ex Hiſpania, nec minus inſignes viros*, &c.] Suſpecta eſt mihi vox *Viros* cum Mureto: qui & ipſe latere ſub ea nomen familiæ alicujus cenſuit, ſed corruptum. *Acidalius.*

8 *Advenæ in nos regnaverunt*] Noti ſunt ex hiſtoriis T. Tatius & Numa Pompilius ex Sabinis, & Tarquinius Priſcus ex Tarquiniis oriundi peregrinique Romanorum reges. *Vertranius.*

9 *Libertinorum filiis*] Hoc illud eſt quod Suetonius notat in Claudio: *Appium Cæcum Cenſorem, proauctorem generis ſui, libertinorum filios in Senatum allegiſſe docuit: ignarus temporibus Appii, & deinceps aliquamdiu libertinos dictos, non ipſos qui manumitterentur, ſed ingenuos ex his procreatos.* Et notat vere. Nam libertorum filii adeo à curia remoti temporibus priſcis, ut nec in militiam ſint admiſſi. & bello Italico libertini primum militare cœperunt, ut notat Epitome Liviana LXXIII. *Lipſius.*

Libertinorum filiis] Verum ne dixerit ipſe Claudius, an ii, quos ipſe reprehendit, ex iis verbis docet Suetonius in eodem: *Latum clavum, quamvis initio affirmaſſet, non lecturum ſenatorem, niſi civis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit: ſed ſub conditione, ſi prius ab equite Romano adoptatus eſſet. Ac ſic quoque reprehenſionem verens, etiam Appium*

repens, sed priori populo factitatum est. At cum Senonibus pugnavimus. scilicet Volsci & Æqui, numquam adversam nobis [1] aciem struxere! Capti à Gallis sumus. sed & Tuscis obsides dedimus, & Samnitium jugum subivimus. Attamen si cuncta bella recenseas, nullum [2] breviore spatio quam adversus Gallos confectum. continua inde ac fida pax. Jam moribus, artibus, affinitatibus nostris mixti, aurum & opes suas inferant potius, quam separati habeant. [3] Omnia P. C. quæ nunc vetustissima creduntur, nova fuere. plebei magistratus post patricios; Latini post plebejos; ceterarum Italiæ gentium post Latinos. Inveterascet hoc quoque: & quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit. [4] Orationem principis secuto patrum consulto, primi Ædui senatorum in urbe jus adepti sunt. datum id fœderi antiquo, & quia [5] soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant.

pium Cesum Censorem, generis sui proauctorem, libertinorum filios in Senatum allegisse docuit: ignarus temporibus Appii Claudii, & deinceps aliquandiu, libertinos dictos, non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos. Sic accipe de eodem Appio scriptum apud Livium libro 9. extremo. *Vertranius.*

10 *Non, ut plerique falluntur, recens*] Non hercle antiquius, quam à Cæsare. Primus ille libertorum filios allegit in Senatum, & magistratu ornavit. Dio XLIII. καὶ παμπληθεῖς μὲν ἐς τὴν γερουσίαν, μηδὲν διακρίνων, μήτ' εἴ τις στρατιώτης, μήτ' εἴ τις ἀπελευθέρου παῖς ἦν, ἐσεγράψε. id est: *Multos in Senatum allegit, nihil dijudicans utrum quis miles esset, utrumve filius liberti.* Lipsius.

Non, ut plerique falluntur, repens] Potior mihi vox, *repens*, quæ habetur in Flor. quam, *recens*, ut in vulgatis. *Pichena.*

1 *Aciem struxere!*] Vere ex mea collatione monet Cl. Ryckius in codice Flor. legi *instruxere*, quod postea etiam vidit frater. *Jac. Gronovius.*

2 *Breviore spatio*] Ita, si Galliam Comatam spectas, de qua hic agitur: nam decimo anno à Cæsare perdomita est. Aliter in aliis, quod historiæ dicent. *Lipsius.*

3 *Omnia P. C. quæ nunc*] Pulchram & acutam Sententiam reperio à Synesio Cyrenensi Episcopo, haud disparibus sane verbis, expressam in epist. LVII. πολλὰ τῶν ὄντων ὁ χρόνος ἐξεῦρε, καὶ διωρθώσατο· οὐχ ἅπαντα πρὸς παραδείγματα γίνεται, καὶ τῶν γινομένων ἕκαστον ἀρχὴν ἔσχε· ἡμεῖς ἀρχὴν δῶμεν ἔθει βελτίονι. Verto: *Multas rerum utilium tempus invenit, aut correxit. Non omnia ad exempla fiunt, & singula quæ facta sunt initium semel habuerunt. Demus & nos principium meliori consuetudini.* Simile, sed breviter, Tertullianus advers. Marc. 1. cap. IX. *Omnis res anterior posteriori normam præministravit.* Lipsius. Locus hic communis etiam redit 12, 6. *Jac. Gronovius.*

4 *Orationem principis*] Orationis & SC. exemplar, memoriam actorum servaturum, in Galliam Comatam missum est, Lugdunique, provinciarum ornamento, ejus Galliæ metropoli, ænea tabula ex veteri more ad perpetuitatem incisum, superioribus annis è ruderibus erutum, in domo reipubl. Lugdunensis, ut olim quoque, publice nunc habetur. At longior fuit tabula, cujus exordium consumpsit vetustas: sed quæ pagina duplici pro latitudine tabulæ sculpta verba sunt, ita ordine exscripsimus. (Omisimus hic, quia erit in Excursibus Lipsianis.) Hæc quæ dixit Claudius Cæsar, in quo, ut noster Cornelius ait, *elegantiam non requireres, quoties meditate dissereret*, Lugduni aspiciuntur in ære publicandæ orationi fixo: & plumbo circum ornata tabula suggerit indicium, alia consimili tabula incisum fuisse SC. quod factum, post recitatam principis orationem, hoc loco Tacitus scribit. Sane pro eo, quod Eduis tributum idem ait, verendum, ne Augustodunum, quod tum Eduorum caput erat, similis in ære sculpta oratio cum SC. uti Lugdunum, missa fuerit. *Vertranius.*

5 *Soli Gallorum fraternitatis nomen*] In Panegyrico Flaviensium nomine apud Constantinum dicto: *Quænam igitur gens toto orbe terrarum in amore Romani nominis Æduis se postulet anteponi? qui primi omnium inter illas immanes & barbaras Galliæ gentes plurimis Senatusconsultis fratres populi Rom. appellati sunt; & cum à ceteris Rhodano ad Rhenum usque populis ne pax quidem posset nisi suspecta sperari, soli consanguinitatis nomine gloriati sunt.* Et postea: *Imputavere se origine fabulosa in Sicilia Mamertini, in Asia Ilienses: soli Ædui non metu territi, non adulatione compulsi, sed ingenua & simplici caritate fratres populi Rom. crediti sunt.* Bene ait, *crediti.* Neque enim aliunde, ut credo, fratres, quam ex sermone communi Gallorum Germanorumque, quo fideles socii, fratres amicique dicuntur. non quia ab Iliaco sanguine, ut suggerunt quidam. Sed quod Tacitus dicit solos Æduos id nomen usurpasse: repugnat Lucanus, qui tribuit etiam Arvernis:

Et docilis rector monstrati Belga covini.
Arvernique ausi Latio se fingere fratres
Sanguine ab Iliaco populi.

Et lapis antiquus, qui Batavis. GENS. BATAVORVM. AMICI. ET. FRATRES. ROM. IMP. quæ inscriptio eruta armamentario Britannico, ad ostium veteris Rheni. Tamen Diodorus etiam pro Tacito, libro v. ἡ Γαλατία κατοικεῖται μὲν ὑπὸ πολλῶν ἐθνῶν διαφόρων τοῖς μεγέθεσι. ὧν ἔστιν ὃ πρὸς Ῥωμαίους

usurpant. Iisdem diebus in numerum patriciorum ascivit Cæsar [1] vetustissimum quemque è senatu, aut quibus clari parentes fuerant: paucis jam reliquis familiarum, quas [2] Romulus *majorum*, & L. Brutus *minorum gentium* appellaverant, exhaustis etiam quas dictator Cæsar lege Cassia, & princeps [3] Augustus lege Sænia sublegere. [4] Lætaque hæc in rempublicam munia, [5] multo gaudio Censoris inibantur. Famosos probris quonam modo senatu depelleret anxius, [6] mitem & recens repertam, quam [7] ex severitate prisca rationem adhibuit; monendo, *secum quisque de se consultaret, peteretque* [8] *jus exeundi ordinis. facilem ejus rei veniam. & motos senatu, & excusatos simul*

ἴχον συγγένειαν παλαιὰν καὶ φιλίαν, τὴν μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων διαμένουσαν. Lipsius.

Soli Gallorum fraternitatis nomen cum Po. Ro. usurpant.] Asconius Pedianus notat quosdam *fœderatos*, vel *socios*: quosdam *liberos*: nonnullos *stipendiarios*: alios *fratres* populi Ro. fuisse nuncupatos. Asconium videat studiosus lector. Ideo hoc loco ait Tacitus Heduos *fratres* Po. Ro. dictos esse. atque Cicero in epistolis ad Trebatium eos *fratres* vocat. *Lupanus.*

1 *Vetustissimum quemque è senatu*] Aliud Patricii, aliud Senatores. Senatores multi è plebe, ut septuennibus pueris notum. Claudius igitur, ne exstingui, & intermori patriciorum familias pateretur, antiquissimum quemque è plebeis Senatoribus rettulit in patres. Dico antiquissimum; sive ætatis ratione, seu potius temporis, quo in Senatu fuit. Hæc clara Taciti mens. At vir juris & antiquitatis consultus, quasi in Cimmerios delatus esset, ita hic cæcutit. Vertit se in omnes formas, & tandem definit scribendum esse: *vetustissimum quemque è se natum.* Sapis lector, & non rides? *Lipsius.*

2 *Romulus majorum*] Tacitus sensisse videtur omnes patricios qui a regibus lecti (plures enim reges post Romulum legerunt) Majores fuisse: qui à Bruto, Minores. Livius tamen & alii, contra. cujus rei confusam veritatem vide apud Onufrium in Fastis, quem non exscribo. Sed Tacito, ut opinor, auctores sui. Lud. Vives tamen, patrum ævo doctrina celebri, verbis aliquot insertis hic legebat: *Romulus majorum gentium, L. Tarquinius minorum, Brutus conscriptorum appellaverant.* cujus epistolam ea super re publicavit amicus meus dum vixit G. Canterus in Notis suis. At mihi nondum animus adsentiendi: nec tibi quidem, si cum judicio excusseris, quæ Onufrius per satyram & confuse, ut solet, collegit. *Lipsius.*

Quas Romulus majorum, & L. Brutus minorum gentium appellaverant] Constat ex T. Livio Romulum centum Senatores creasse, qui postea *Majorum gentium* sunt appellati, cum Tarquinius Priscus centum alios Senatui adscripsisset, qui *Minorum gentium* dicebantur. T. Livius de Tarquinio Superbo loquens, *His muliebribus instinctus furiis Tarquinius, circumire, & prehensare minorum maxime gentium Patres.* Lupanus.

3 *Augustus lege Senia*] Ille idem Vives scribit, *Servia.* Jus & mos Belgæ, dissentiendi ab Ibero. *Sænia* enim vera lectio. Colligo ex Dione LII. qui hunc patriciorum dilectum confert in annum urbis DCCXXV. *τό τε τῶν εὐπατριδῶν γένος*, inquit, *συνεπλήθυνε, τῆς βουλῆς οἱ δῆθεν ἐπιτρεψάσης τοῦτο ποιῆσαι.* id est; *Patriciorum numerum implevit; Senatu scilicet id ei jubente.* Ex quo vides SC. aliquod fuisse ejus rei, sive legem. Legibus nomina à consulibus: & consul suffectus prioris anni, L. SÆNIVS. in monumentis. Vertranium ergo, qui *Sentiam* reposuit, non audiemus. *Lipsius.*

4 *Lætaque in R. P. munia*] Hoc est *in Remp.* sicut alibi *formidolosum in vulgus* &c. *Freinshemius.*

5 *Multo gaudio Cæsaris inibantur*] *Censoris* habet manifeste volumen Budense. Intelligitur autem Claudius Cæsar. De quo narrationem istam auspicans Tacitus supra dixit: *At Claudius matrimonii sui ignarus, & munia censoria usurpans.* Et lib. 12. *Quod porro honestius Censoriæ mentis levamen, quam assumere conjugem prosperis dubiisque sociam?* Loquitur de Claudio Agrippinam ducturo. *Rhenanus.* Claudium per jocum *Censorem* appellat. dixit enim supra; *munia censoria usurpans*, id est, quæ ad se non pertinerent. *Pichena.* Vix me teneo quin adseverem concinniorem fore auctoris sententiam, si reponamus *mutuo gaudio Censoris*; sive fuit *Cæsaris.* Gruterus.

6 *Mitem & recens repertam*] Repertam ab Augusto. Habes in Dione libro LII. in extremo. *Lipsius.*

Mitem & recens repertam, quam ex severitate, &c.] Pessime depravatus fuerat hic locus ab iis, qui pro, *quam*, substituerunt *quandam.* Merito ergo sagacissimus Lipsius odoratus erat, negationem deesse, cui consonans est lectio, quam ex Flor. codice reposui. Subintelligitur enim, *potius*, Corneliano more. *Pichena.* Lipsius ad sententiam inserit, *haud ex severitate prisca.* Sed hallucinatur certe. Usum hunc præpositionis *ex* astruo exemplo Symmachi lib. 9. ep. 92. ubi plura dicemus. Verba Symmachi sic habent: *Instar beneficii erit, si mihi contingat de te ex voluptate securitas.* Acidalius.

7 *Ex severitate prisca*] Alucinor, aut scribendum voce addita: *Haud ex severitate.* Sententiam eam esse, id mihi certum. Hæc ita scripseram: sed ecce Pichena ex Florentino codice vere emendat: *repertam, quam ex*: sententia illa mea, id est (Corneliana phrasi) *potius quam.* Lipsius.

8 *Jus exeundi ordinis*] Solos Ciliciæ abite nebulones.

mul propositurum: [1] *ut judicium censorum ac pudor sponte cedentium permixti, ignominiam*
mollirent. Ob ea Vipsanius consul rettulit, [2] *patrem senatus appellandum esse Claudium.*
quippe promiscuum patris patriæ *cognomentum: nova in rempublicam merita, non usitatis*
vocabulis honoranda. Sed ipse cohibuit consulem ut nimium assentantem. [3] condidit-
que lustrum, [4] quo censa sunt civium LXIX centena, & XLIV. millia. Isque illi
[5] finis inscitiæ erga domum suam fuit. haud multo post, flagitia uxoris noscere ac
punire adactus, ut deinde ardesceret in nuptias incestas. Jam Messallina facilitate 26
adulterorum in fastidium versa, ad incognitas libidines profluebat; cum *abrumpi dis-*
simulationem [6] etiam Silius, sive fatali vecordia, an imminentium periculorum reme-
dium ipsa pericula ratus, urgebat. [7] *Quippe non eo ventum, ut senectam principis oppe-*
rirentur. [8] *insontibus innoxia consilia; flagitiis manifestis, subsidium ab audacia petendum:*
adesse conscios paria metuentes. Se cælibem, orbum, nuptiis, & adoptando Britannico
paratum. mansuram eandem Messallinæ potentiam, addita securitate, si prævenirent Clau-
dium, ut insidiis incautum, ita iræ properum. Segniter hæ voces acceptæ, non amo-
re in maritum; [9] sed ne Silius summa adeptus, sperneret adulteram, scelusque inter
ancipitia probatum, veris mox pretiis æstimaret. nomen tamen matrimonii concupi-
vit, [10] ob magnitudinem infamiæ, [11] cujus apud prodigos novissima voluptas est.
Nec

lones. Enimvero Latinitas scribi vult, *ordine.* aut potius, *exuendi ordinis.* Ita lib. III. *Piso exuta dignitate in decem annos relegatur.* Idem.

1 *Ut judicium censorum ac pudor sponte cedentium*] Faernus legebat: *Ut judicium censorium*, &c. *Ursinus.*

2 *Patrem Senatus*] Quod imitati, sibi sumpserunt Balbinus & Pupienus Augusti. In Nummis: IMP. CÆS. PVPIEN. MAXIMVS. AVG. Tum parte versa: PATRES SENATVS. *Lipsius.*

3 *Condiditque lustrum*] Id est, *Censu perfecto, edixit, ut omnes cives Romani, equites, peditesque in suis quisque centuriis, in campo Martio prima luce adessent: ibi exercitum instructum omnem suovetaurilibus lustravit. Idque conditum lustrum appellatum, quia in censendo finis factus est.* Liv. lib. I. Hujus autem censionis à Claudio editæ, sed hominum ampliore numero, testis est vetus memoria inscripta Romæ his literis. TEMPORIBVS CLAVDII TIBERII FACTA HOMINVM ARMIGERVM OSTENSIONE IN ROMA SEPTIES DECIES CENTENA MILLIA LXXXXVII. MIL. X. *Vertranius.*

4 *Quo censa sunt civium* LXIX. *centena, &* CXLIIII. *millia, &c.*] Ant. Augustinus legebat: *Quo censa sunt civium sexagies novies centena millia, & centum quadraginta quatuor.* Ursinus. Aliter se habent hi numeri in Flor. LVIIII. LXXXIIII. LXXII. *Isque illi finis, &c.* Pichena.

LXIX. *centena, &* LXIIII. *millia*] Convenit cum Cassiodori ratione sexaginta novem centena millia exprimentis. cum libris haud plane convenit. è quibus Vatic. ille fidus exprimere videtur *quinquaginta octo centena & octoginta-quatuor millia &* LXXII. Nec miremur de granditate numeri: cum jam tunc sub Augusto (nondum tot populis in civitatem acceptis) censa reperiam *quadragies centena millia.* Lapidis inscriptio quam obtrudunt, TEMPORIBVS CLAVDII TIBERII FACTA HOMINVM ARMIGERVM OSTENSIONE IN ROMA SEPTIES DECIES CENTENA MILLIA LXXXVII. parum vera aut fida mihi est. & tamen cum de his saltem qui arma ferrent agat, nihil nobis obstat. *Lipsius.*

5 *Finis inscitiæ erga domum suam fuit*] Nescio an melius, *circa.* Acidalius.

6 *Etiam Silius, sive fatali vecordia, an imminentium periculorum remedium, &c.*] Hicne ut Tacitus *sive* illud scripserit? Non solet ita, ut *an* subsequatur. nec id adeo quisquam probatorum. Delendum aut mutandum, *etiam Silius ipse, fatali vecordia, an* &c. Acidalius.

7 *Quippe non eo ventum, ut senecta principis opperiretur*] Sic restitui ex Florent. verbum. Vulgo, *operiretur*, ambiguæ significationis. Pichena. Venetus, *senectam principis opperirentur*, melius omnino quam alii *senecta principis opperiretur.* Freinshemius.

8 *Insontibus innoxia consilia; flagitiis manifestis*] Lego, *flagitii manifestis.* quæ dictio elegantissima & Tacito frequentissima. *Acidalius.*

9 *Sed ne Silius summa adeptus*] Scripsimus quod in volumine Budensi habebatur, *summam adeptus.* Intelligitque summam rerum. Sic lib. seq. *summamque R. P. agi obtestans.* Rhenanus. Vulgo legitur, *summa adeptus*, in quibusdam tamen codicibus scriptum comperi, *summam adeptus:* cæterum priorem lectionem magis probo. *Ferrettus.*

10 *Ob magnitudinem infamiæ*] Elegantissima gnome. cujus acumen non cepit Ferrettus. Explicat unus Seneca epist. CXXIII. *Nolunt solita peccare, quibus peccandi præmium infamia est.* ubi tamen male,
&

Nec ultra exspectato, quam dum [1] sacrificii gratia Claudius Ostiam proficisceretur,
27 cuncta nuptiarum solennia celebrat. Haud sum ignarus, fabulosum visum iri, tantum ullis mortalium securitatis fuisse, in civitate omnium gnara & nihil reticente, [2] nedum consulem designatum, cum uxore principis, prædicta die, [3] adhibitis qui obsignarent, [4] velut suscipiendorum liberorum caussa, convenisse: atque illam [1] audisse

& præter reliquum judicium, Pincianus, *in fama est*, legi voluit. Ita autem est. hominibus perditis & ad flagitia projectis, ipsa infamia voluptas est. Audi Valerium Maximum de Polemone, lib. VI. cap. De mutatione morum: *Perditus luxuria Athenis adolescens Polemo, neque illecebris tantum sed ipsa infamia gaudens.* Ubi addo voculam è libro veteri, *neque illecebris ejus tantum*: sententia omnino volente. *Lipsius.*

11 *Cujus apud prodigos*] Quam *Infamiam* qui prodigunt & profundunt, nihil habent præterea voluptatis: nam, ut scribit Seneca, *Improborum voluptatum post ipsas pœnitentia est*: vel quibus infames esse contigit, nihil superest præter voluptatem. *Ferrettus.*

1 *Sacrificii gratia Hostiam*] Imo rei frumentariæ gratia, ait Dio: pellicum caussa, Victor. Sed sacrificium credo à Claudio institutum rei frumentariæ caussa, in Castorum æde. Id enim numen ibi cultum, ventorum marisque caussa. Ita lego apud Ammianum lib. XIX. in summa inopia frumenti, Tertullum qui Præf. annonæ, *apud Ostiam in æde Castorum sacrificasse, tranquillitatemque mare mollivisse.* Id sacrum perpetuum fuit, & suspicor à Claudio institutum, qui portum illum celebrem & sacrum Ostiæ exstruxit. Celebrabatur sollenni quadam lætitia, mense Majo: ideoque post sæcula Majuma dictum. Suidas: Μαιουμᾶς· πανήγυρις ἐγίνετο ἐν τῇ Ῥώμῃ κατὰ τὸν Μάιον μῆνα. τὴν παράλιον καταλαμβάνοντες πόλιν τὴν λεγομένην Ὀστίαν, οἱ τὰ πρῶτα τῆς πόλεως τελοῦντες, ἡδυπαθεῖν ἐπείχοντο ἐν τοῖς θαλαττίοις ὕδασιν, ἀλλήλους ἐμβάλλοντες. Julianus Cæsar in Antiochico: ὑμῶν δὲ ἕκαστος ἰδίᾳ μὲν εἰς τὰ δεῖπνα καὶ τὰς ἑορτὰς τῇ Μαιουμᾷ χρήματα ἀναλίσαντες, ὑπὲρ δ' ὑμῶν αὐτῶν καὶ τῆς σωτηρίας τῆς πόλεως οὐδεὶς θύει. Nec aliud intellexit Æthicus in Cosmographia: *Tiberis insulam facit inter portam urbis & Ostiam civitatem, ubi populus Rom. cum urbis Præfecto vel Consule, Castorum celebrandorum caussa egreditur, sollemnitate jucunda.* Ubi vides Castorum sollenne, & Majumam, idem esse. Hanc originem Majumæ nec inscitam, nec alienam à vero puto. *Lipsius.*

2 *Nedum consulem designatum*] Ob beneficium à principe Silio collatum, designato consulatu fabulosius visum iri Cornelius significat Silium cum principis uxore in matrimonium convenisse. Sed Dio lib. XL. de Messalina inquit, *C. Silio nupsit, magneque sumptu nuptias paravit, regiamque ei donavit, pretiosissimis quibusque Claudii rebus in eam congestis, denique consulem eum designavit.* Cujus loci faciei auctoritas, ut ingeniosus malit *nondum consulem des.* scilicet, Silium, cum maritus fieret & certe dulcis eo solo verbo fieret oratio, quæ *nedum* retinenti scabra rudisque videtur. Sed tuenda Taciti persona est, tenendaque lectio vetus, quo sui semper scriptor similis sit: qui hujus Annalis initio de C. Silio consule designato, & intra statim de proximo ejus consulatu meminit. *Vertranius.* Non beneficium principis exprobrat hic titulus Silio, sed personæ ejus eminentiam respicit, in qua nihil esse poterat obscurum: adeoque magis mirum & minus credibile fit hujus loci hominem ad tantum vecordiæ fuisse progressurum. Cæterum quod oratio scabra & rudis Vertranio videtur, id facile vitaveris, si memineris Taciti verba sic esse accipienda, ut ante τὸ *nedum cons. des.* intelligamus τὸ *& quemquam*: quasi esset: *tantum ullis mortalium securitatis inesse*; & *in civitate omnium gnara & nihil reticente* quemquam, *nedum consulem designatum, cum uxore principis*, &c. *convenisse.* His duabus voculis, quas studio brevitatis auctor noster fecit lucri, per intellectum appositis, nihil hac parte restat difficultatis. *Gronovius.*

3 *Adhibitis qui obsignarent, velut suscip. liberorum*] Veterum nuptiis testatio interposita est, quod *liberorum quærendorum causa convenirent*: cujus prætextu Sejanus codicillis ad Tiberium supra Annali 4. tegit cupidinem. Et ejusdem testationis quædam vestigia remanent in Institutionibus Ulpiani, titulo De Latinis. Eam vero interponi apud acta magistratus existimavi in eo, de jure liberorum: quod crederem adhuc, nisi Taciti locus hic esset, qui docet adhibitos signatores, qui obsignarent animo suscipiendorum liberorum in matrimonium convenire. Hinc igitur mecum addiscet studiosus, testationem coram signatoribus factam, & insertam instrumentis dotalibus, sive tabulis dotis: quas antequam uxor in domum viri deduceretur, vel ipsi auspices, ut ait Tranquillus, vel signatores obsignabant, qui in domum mulieris cum auspice convenerant. Eo illud Juvenal. Sat. 10. *veniet cum signatoribus auspex.* Quintus item Cervidius Digestorum libris *signatorum* meminit, qui sacculum cum pecuniis testato depositum, & dotis tabulas consignarent. L. 8. D. *de lege commissoria* & L. 66. D. *de donationibus inter virum & uxorem.* De tabellis Messalinæ & Silii, Suetonius ita scribit: *illud omnem fidem excesserit, quod nuptiis, quas Messalina cum adultero Silio fecerat, tabulas dotis & ipse Claudius consignaverit: inductus, quasi de industria simularentur, ad avertendum transferendumque periculum, quod imminere ipsi per quædam ostenta portenderetur.* Vertranius.

4 *Suscipiendorum liberorum caussa*] Ea formula in nuptiis

[1] audisse auspicum verba, [2] subisse, sacrificasse apud deos, [3] discubitum inter convivas, oscula, complexus, [4] noctem denique actam licentia conjugali. [5] Sed nihil compositum miraculi caussa, verum audita scriptaque senioribus [6] tradam. Igitur domus 28
principis inhorruerat; maximeque quos penes potentia, & si res verterent, formido, non jam secretis colloquiis, sed aperte fremere, [7] *Dum histrio cubiculum principis exsulta-*

nuptiis legitimis sollennis, ad conjugii verum finem. *Nec enim ob aliud*, ait Augustinus, *femina nubit, quam, ut mater fiat.* unde & matrimonium ominis caussa dictum. Ideo Græci definiunt, *γάμος, σύνοδος ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς κατὰ νόμον, ἐπὶ γνησίων τέκνων σπορᾷ.* Et apud Athenienses (ait Isidorus Pelusiota lib. III. epist. CCXLIII.) *ἡ συνάφεια ἡ κατὰ νόμον, ἐπ' ἀρότρῳ παίδων ἐλέγετο γίνεσθαι*: *Legitima conjunctio, ad seminandos liberos dicebatur fieri.* Menander etiam pulchre, apud Clementem:

Παίδων σπόρῳ τῶν γνησίων δίδωμί σοι
Γὴ τὴν ἐμαυτῦ θυγατέρα.

Et Augustus senile quoddam conjugium injustum pronunciavit, *quoniam non quarendorum liberum caussa initum*, ait Valerius lib. VII. cap. VII. In ipsis autem tabulis ea verba solita exprimi. Augustin. lib. XIV. De civitat. *Quid concubitus conjugalis, qui secundum matrimonialium praescripta tabularum, procreandorum fit caussa libererum?* Adde & Sueton. Jul. cap. LI. *Lipsius.*

1 *Audisse auspicum verba subisse*] De auspicibus in nuptiis fit etiam mentio lib. 15. Ad hunc morem, in gratiam juniorum, subjiciam verba Ciceronis de Divinat. lib. I. *Nihil fere quondam majoris rei, nisi auspicato, ne privatim quidem, gerebatur, quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant, qui re omissa nomen tantum tenent.* Idem tradit Valer. Max. lib. 2. c. 1. de nuptiis. Addam etiam hoc, Auspices deinde alio vocabulo à Græcis ducto, *paranymphos*, appellatos, qui ex parte viri nuptiis intererant; ut *pronubas*, quæ ex parte uxoris. Pichena. *Subisse verba* videtur dici, cui alius *verba praeivit.* Vide Observat. 2, 4. *Gronovius.*

2 *Subisse, sacrificasse*] Verbum *subisse*, corruptum Judico. Forte an, *nupsisse*, id est, sollenni luteo flammeo, qui mos novis nuptis, faciem velasse. Scripsi & sensi ita olim. at nunc delibero etiam atque etiam, & ambigo an subeundi verbum non hic germanum & inter legitima nuptiarum. Quinctilianus suspicionem facit in sermone Declamationis CCXLVII. *Dicis pars diversa. non fuisti uxor. non subsisti cum illo.* Legerim, *non subiisti.* Et subitionem hanc intellegam, sive cum deducta subiret mariti domum: sive de Jugo. modo is ritus tamen satis certus. *Lipsius.*

3 *Discubitum inter convivas*] Et quidem forma nuptiali: quæ volebat ut nova nupta in gremio mariti jaceret. Morem eum exprimit Juvenalis:

—— ingens
Cœna, sed & gremio jacuit nova nupta mariti.

quasi ecce id intet sollennia nuptiarum. Appulejus de nuptiis Psyches: *Accumbebat summum thorum maritus, Psychen gremio suo complexus.* Ideo recte in Catullo,

Adspice intus ut accubans
Vir tuus Tyrio in thoro
Totus immineat tibi.

Nec recte magnus ille censor, quem unum æmulor mirorque, *Adspice imus*, emendavit. Imusne in illo geniali suo epulo maritus? imo Summus, vel Appulejo teste. Intus accubare, ut intus canere. Interior antem maritus, respectu sponsæ ad quam hic sermo. Si quid tamen mutandum, legerim, *unctus*: qui mos Romanis in omni convivio sollenni. *Lipsius.*

4 *Noctem denique actam licentia conjugali*] Videndum an illud, *denique*, mutandum fit in, *diemque.* Ursinus. Apage Murete, *noctem diemque.* Acidalius.

5 *Sed nihil compositum miraculi caussa, verum audita scriptaque senioribus tradam.*] Quis hic sensus? quæ seniores audierunt scripseruntque? an quæ scripta ab aliis, & à senioribus mihi tradita? Illud verba præferunt: hoc Lipsius voluisse videtur ad 2 Annal. in fine. At tum trajicienda erant verba: *verum scripta auditaque à senioribus tradam.* Hæreo. Nisi forte legendum: *verum audita scitaque senioribus.* Vide ad 2 Ann. extremum. *Acidalius.*

6 *Tradam*] Magis pro mente, *trado.* jam enim illa incredenda scripsit. *Lipsius.*

7 *Dum industria cubiculum*] Regem olim feci, qui emendasset hunc locum. itaque concursum à multis ad coronam, & non unus mihi indicavit scribendum: *Dum histrio cubiculo Principis occultatur, dedecus.* verissime. intellegit enim Mnesterem illum Pantomimum, qui diu in deliciis Messallinæ. Libri scripti non longe abeunt ab hac lectione, *Dum instrue cubiculum Principis exultavero, dedecus.* Possis extrema item scribere, *cubiculo Principis exsultat, vere dedecus.* Idem.

Dum industria cubiculum principis occulit adulteres] Corruptus locus est nec quicquam hic minus scribendum quam vocabulum *industria.* Exemplar regium hic crucicula notatum erat, & variis lituris rasurisque fœdatum. Videtur tamen antiquior lectio fuisse: *dum inclusum in cubiculum principis exultat:* & postea quidam inseruit *cum* præpositionem & superinscripsit, *adultere*, idque ceu videtur propter *exultandi* verbum. Opinor sinceram esse lectionem, *Dum inclusum, cubiculum principis occultat, dedecus quidem illatum*, sed mox, *propinqueque consulatu*, reposuimus, *ac propinquo cens.* Item cap.

29. *acrioribus consiliis*, pro *acribus*, Rhenanus. Quasi intus & domi, verbo repetito à vetustate. *Industrium* enim antiqui dicebant *indostrium*, quasi quicquid ageret intro strueret & studeret domi autore Sexto. Alioqui otiosa est hic ea dictio, vel potius abundat. *Ferretus.* MSS. codices notæ melioris corrupte habent: *dum histrio cubiculum principis exultavero, dedecus.* pro quo veteres editores reposuerunt vulgatum. Libet certe nostro seculo gratulari, in quo neminem puto adeo immodestum, qui in gravissimorum autorum libris emaculandis sic longe aberret, suæque libidini indulgeat. Lipsius non male corrigit. Sed ego, quem puduit vulgatam depravatamque scripturam in Tacito relinquere, emendationem Francisci Medicis existimavi anteferendam; *dum histrio cubiculum principis persultaverit:* nam & mutatio est aliarum levissima, & sensus, ni fallor, ad Taciti mentem maxime accommodatus. Fuit quidem ille vir, præterita ætate, illustris doctrinæ & ingenii, contulitque etiam ipse MS Florentinum, atque in margine sui codicis multa adnotavit. Quæ cum mecum Julianus Medices, ipsius ex filio Raphaele nepos, illique persimilis, humanissime communicaverit, magno mihi usui fuere. Quod minime fuit reticendum. *Pichenus.* Haud necesse arcessere longinquiorem medicinam, si, mutato *cubiculum*, in *cubiculo*, capiamus vocem *industria*, casus primi. *Gruterus.* Reges Lipsio sunt, qui hunc locum emendarunt sic, &c. Equidem paullo majori licentia opus est in principio. Lego, *Dudum cum histrio.* Extrema mutat etiam alter Lipsius ex scripta lectione. Sed ejus mutatio non placet. Magis hæc: *Dudum cum histrio cubiculo principis exultaverat, dedecus quidem illatum* &c. Vel etiam *allatum. Dudum cum* plane requiritur, si illud oppositum *nunc* spectas. *Acidalius.* Lege: *dum histrio cubiculum principis exsultat, viro dedecus illatum quidem, sed excidium procul absuisse. Exultare* proprium histrionis, ἐξορχεῖσθαι. Inde eleganter *cubiculum principis exultare*, qui torum ejus persultabat & uxorem stuprabat. *Exultare* idem quod desultare vel persultare. Festus: *Redantruare dicitur in Saliorum exsultationibus.* Ubi *exsultationes* sunt ὀρχήσεις vel ὀρχήματα. Hoc est igitur, quod querebantur domestici principis, quibus volentibus non erat matrimonium palam contractum Messalinæ & Silani. nam antea cum inter adulteros Messalinæ etiam histrio cubiculum principis persultaret, viro quidem dedecus illatum, sed absuisse excidium: *Discidium* etiam legi potest. Ut & *hero quidem dedecus illatum.* nam de domo principis erant, qui illa loquebantur. Et hoc verius puto. *Salmasius.* Sed ubi alias apud Tacitum, gravioresque auctores, principis, *heri*, datur cognomentum? Non dubito, quin iis, qui sic emendant, hoc sit suspectum. Melius fuit, *viro*, minusque sic abitur à vestigiis antiquæ scripturæ: quomodo etiam vir maximus ad Tertulliani Pallium. At potius, antiqua vestigia illa sequutus proxime, ita lege: *Dum histrio cubiculum Principis exsultat adulterio quidem dedecus illatum, sed excidium procul absuisse.* Ex postremis literis τοῦ *exultat*, ut plerumque fit, non repetitis in membranis, & cum *vero* à nobis conjunctis nascitur, *adulterio. Exsultat cubiculum principis*, ea Corneliana phrasi, qua Ann. 1. *Quintilii Vari corpus insultasse* dicebatur. Sensus autem apertus est. Adulterium nempe distinguitur à matrimonio, superstite Principe, cum alio inito. Illo dedecus, hoc exitium Principi procuratum. Confer cum his Orationem Narcissi, quæ pag. proxima exstat, hac de re apud Claudium habitam. *Boxhornius.* Me non offendit vox *hero*: non enim id agitur, quale cognomentum principi detur apud Tacitum & graves auctores, ut Marcus deszævit; sed quemadmodum patremfamilias, præsertim principem, in familiari sermone appellaverint servi & liberti: quorum profecto personis hoc vocabulum mirabiliter convenit. nam, ne libertos excipias, quorum *servilia ingenia* Tacitus agnoscit, eos non dedecet interim loqui more vernarum. Sed tamen, ne quid dissimulem, & *hero* & *viro* & *adulterio* extra corpus orationis eminere & supervacua esse mihi videntur. Simplicissimum vero: *dum histrio cubiculum principis exsultaverit, dedecus quidem illatum, sed excidium procul absuisse.* Illud Salmasii eruditum *exsultare* esse ἐξορχεῖσθαι. Quod melius intelliges, ubi consideraveris, quæ vir insignis Hen. Savilius notavit ad Chrysostomum in Psalmos, eo verbo usos veteres, Andocidem, &c. & recentiores Lucianum, Plutarchum, Chrysostomum, pro κατακερτομεῖν, ὑβρίζειν· metaphora sumpta ἀπὸ τῶν ἐκπομπευόντων τὰ μυστήρια. ut idem sit τῷ Χρυσοστόμῳ ἐξορχήσασθαι τὴν πολιτείαν τὴν πατρῴαν, quod Macab. 1. βεβηλῶσαι τὰ σάββατα καὶ ἑορτὰς καὶ μιᾶναι ἁγίασμα. Quamquam ipsum illud ἐξορχεῖσθαι τὰ μυστήρια etiam translatum putem: & omnia ista dici ex eo, quod saltabatur in scena, ita ut ἐξορχεῖσθαι τινὰ sit κωμῳδεῖν. Proprie *exsultantur* οἱ κωμῳδούμενοι & τὰ κωμῳδούμενα. quemadmodum *saltatur fabula, Cyclops, Niobe*; quemadmodum *canticum desaltatur.* Quæ ab histrionibus & mimis in pulpito repræsentantur; publicantur utique atque invulgantur; inde ἐξορχεῖσθαι τὰ μυστήρια dicuntur οἱ ἐξαγορεύοντες. Sed & derisui sunt ac ludibrio: inde ἐξορχεῖσθαι τινὰ est ὑβρίζειν, προπηλακίζειν. Hinc etiam Tacitus sumsit ut diceret *exsultari* ab histrione *cubiculum principis*, id est, infamari, inhonestari, contaminari, conspurcari: quorum verborum aliquo aut simili usus fuisset, si de quovis alio homine quam scenico loqueretur. Artificium hominis & genus vitæ impetrarunt, ut hoc verbum mallet, qui ubique decora personis animadvertit & tribuit. Nec Lucilius aliter multo videtur dixisse apud Nonium: *delelles me atque deuras, exsultes, sollicites.* Dum histrio cubiculum principis polluit & in eo quasi in scena exsultat, *dedecus quidem illatum.* Intelligo *domui.* Itaque placet *exscidium*, non *dissidium*, non *discidium.* Et hoc ipsum *exscidium* grandius quam *exitium.* Horatius: *concidit Auguris Argivi domus ob lucrum Demersa exscidio.* Gronovius.

1 Sed

exsultaverit, dedecus quidem illatum; [1] *sed excidium procul absuisse: nunc* [2] *juvenem nobilem, dignitate formæ, vi mentis, ac propinquo consulatu, majorem ad spem accingi. nec enim occultum, quid post tale matrimonium superesset.* Subibat sine dubio metus reputantes, *hebetem Claudium & uxori devinctum, multasque mortes jussu Messallinæ patratas.* Rursus ipsa facilitas imperatoris fiduciam dabat, *si atrocitate criminis prævaluissent, posse opprimi damnatam antequam ream. Sed in eo discrimen verti, si defensio audiretur, utque clausæ aures etiam confitenti forent.* Ac primo Callistus jam mihi [3] cir- 29
ca necem Cæsaris narratus, & [4] Appianæ cædis molitor Narcissus, [5] flagrantissimaque

1 *Sed excidium*] In Florentino est, *sed & scidium:* è quo Pichena, *dissidium*. Sed profecto plus quam dissidium hic timebatur, & *exitium*, atque extrema. *Lipsius.*

Excidium procul absuisse] Flor. *sed & scidium*. Unde veram lectionem suspicor, *sed dissidium*. ut sit sensus: Quantumvis petulanter, & impudice se gesserit Messallina, nondum tamen eo infamiæ pervenit, ut de dirimendo Claudii matrimonio cogitarit. Nunc vero hoc etiam agitat, cum Silio nupserit. Videtur sententia confirmari ex eo quod inferius ait: *an dissidium suum nosset?* Et in MSS. observavi, sæpe pro, *dissidium*, scriptum esse *discidium*. Pichena. Alii melius *exitium*. Acidalius.

2 *Dignitate formæ, juventa*] Ita lego, non *forma*. Dignitas formæ proprie de viris, uti notat vetus litterator Agrætius, illud, *juventa*, suspectum facit Vatic. qui refert, *Vimentis*. Ex quo Palmerius diductum legebat, *vi mentis*. Lipsius.

Juvenem nobilem, dignitate formæ, vi mentis] Lectionem Florentini anteposui; nam vulgati pro, *vi mentis*, habent, *juventa*, Inepte quidem, cum præcesserit, *juvenem*. & sic sibi invicem respondent, dignitas formæ, & vis mentis. Quod autem Lipsius correxit, *dignitate forma*, nihil certius puto. id ipsum enim à Tacito usurpatur libro 12. *& dignitate formæ haud degenerem reputantes*. Pichena. Vox *juventa* non modo suspecta falsi, sed plane falsa. Quid enim hæc vult, cum præcesserit *juvenem nobilem*. Nec Palmerius placet, qui ex Vaticani *vimentis*, diductum facit, *vi mentis*. Acidalius.

3 *Circa necem Cæsaris narratus*] C. Cæsaris Caligulæ: cujus necis conscius particepsque fuit hic libertus, narrante Josepho libro XIX. cap. I. Scilicet autem Tacitum hoc narrasse in libris qui de Caligula. *Lipsius.*

Ac primo Callistus jam mihi circa mortem Cæsaris narratus] Eruditiss. vir (ut est ingenuæ veritatis) autumat hanc totam periodum cum sequenti, *perstitit Narcissus, solum id immutans*, suum fugere captum. Ego vero (si non me nimis indulgeo) reor ea esse mihi cognita, quæ connexa contentaneaque tibi dilucidabo. Pallas, Callistus, & Narcissus, *quos penes potentia, &, si res verterent, formido*, cognito Messalinæ facinore, primum inter se consultavere, an retraherent Messalinam ab illo perdito amore, idque minaciis intentis de tota re Claudio manifestanda: sed animadverso non leve illinc periculum, post illa disceptant, num potius sit eam apud maritum deferre. verum & hinc periculis imminentibus, Pallas, & Callistus missa utraque faciunt diversis de caussis: at Narcissus persistit in posterioribus, scilicet in accusatione: uno tantum immutato: hoc est, declinavit Messalinam pervertere secreta delatione. Verum enim vero, quænam horum supina stultitia (dicat aliquis) minis eam sperare ab amore Silii deterrere, cui adeo vilis maritus, ut nuptias in propatulo celebrare sit ausa? respondet pro me Suetonius in Claud. 29. docetque ad maritum fallendum non eam omnem prætextum flocci fecisse: *Nam illud omnem fidem excesserit, quod nuptiis quas Messalina cum adultero Silio fecerat, tabellas dotis. & ipse consignaverit, inductus quasi de industria simularentur ad avertendum transferendumque periculum, quod imminere ipsi per quædam ostenta portenderetur.* Salinerius. Videndum est an addendum sit prænomen *Caji*, ut Faernus legebat: *Ac primo Callistus jam mihi circa mortem C. Cæsaris narratus*, &c. Ursinus. Callistus Dioni Cassio lib. 59. libertus Caji Cæsaris Caligulæ, & cædis ejus conscius est: de quo libris superioribus, qui interciderunt se meminisse Cornelius intelligit. *Vertranius.* Magis proprie Flor. *circa necem*. Vulgo *circa mortem*. Pichena. Certum puto verbo *Cæsaris* vix alium intelligi apud historicos, Tacitum præcipue, quam dictatorem Cæsarem, vel illum certe, qui eo tempore, de quo sermo institutus est, imperio præsideret. ut non dubitem fuisse *circa necem C. Cæsaris*, atque istuc C. notam prænominis Caji ab ignaro librario pro supervacuo fuisse habitam. C. autem Cæsar ubique fere appellatur hic Caligula, exempli gratia in nostro infr. 13, 3. *Etiam C. Cæsaris turbata mens*, &c. Freinshemius.

4 *Appianæ cædis molitor*] Vide Sueton. cap. XXXVII. in cujus verbis, *Nec multo post ex composito irrumpere Appius nunciatus, qui pridie ad id temporis ut adesset, præceptum erat: quasi plane repræsentaretur somnii fides, accersi statim, ac mori jussus est*, menda est. Quo enim accersi jubetur. qui jam aderat? Non fugit Torrentium, qui ex libris legit, *arcessi*, pro accusari, ut interpretatur. Mihi, *arceri*, verum videatur: ut exclusum eum à Claudio intellegamus, nec admissum. Transcripserim etiam, *arceri, ac statim mori*. Historiam pete à Dione. *Lipsius.*

que eo in tempore gratia Pallas agitavere; [1] *num Messallinam secretis minis depellerent amore Silii, cuncta alia dissimulantes.* [2] deinde metu, ne ad perniciem ultro traherentur, desistunt, Pallas per ignaviam; Callistus [3] prioris quoque regiæ peritus, & potentiam cautis quam acrioribus consiliis tutius haberi. [4] Perstitit Narcissus, at solum id immutans, ne quo sermone præsciam criminis & accusatoris faceret. Ipse ad occasiones

Appiana cædis molitor Narcissus] Annalis hujus initio, sive libro præcedenti de nece Appii Silani à Tacito sctiptum conjicio, quod hic obiter tantum ejus mentio est. De illo Cassius lib. 60. & Tranquillus eadem retulere, & hujus verba sunt: *Appium Silanum cum Messalina, & Narcissus conspirassent perdere, divisis partibus, alter ante lucem similis attonito, patroni cubiculum irrupit, affirmans somniasse se vim ei ab Appio illatam: altera in admirationem formata, sibi quoque eandem speciem aliquot jam noctibus observari retulit. Nec multo post ex composito irrumpere Appius nunciatus, cui pridie ad id temporis, ut adesset, præceptum erat, quasi plane repræsentaretur somnii fides: accersi statim, ac mori jussus est.* Claudii 37. *Vertranius.*

5 *Flagrantissimaque eo in tempore gratia Pallas*] Ita Flor. Vulgo, *eo* tempore. Sic alibi Tacitus. *Pichena.* Muretus, *in tempore.* Ea quidem Taciti phrasis, nec asseverem tamen hic usurpatam. libro 12. *Non abnuere pacem Iberos, quamquam in tempore validiores.* Ubi quidem certa ejus notio de præsenti. nam alias ambigua de futuro. ut eod. libro 12. *Truculentior quam antea, tanquam adversus defectores, & in tempore rebellaturos.* Potuit & *in eo tempore* scripsisse. ut alibi libro 13. *Pons Milvius in eo tempore celebris nocturnis illecebris erat.* Acidalius.

1 *Num Messallinam secretis*] Obscura examinanti, nec scio an satis nexa. Sententia videtur. deliberasse libertos bifariam: primo, an ad Claudium deferrent, quæ pars præivit: hic jam, an ipsam Messallinam secreto de Silio monerent, alia adulteria dissimulantes. Destitere ab utroque alii: *Narcissus perstitit*, sed in sententia priore, id est de Claudio admonendo. *Lipsius.*.

Num Messalinam secretis minis] Æstuant in hoc loco viri docti: sed certe in simpulo fluctus movent. Nuptiis Messallinæ cognitis inhortuere omnes principis domestici, quia exitium principi imminere necessario videbant. Admonere principem intutum, recordantibus potentiam uxoris, cujus vi tot proceres morti dati. Rursus facilitas principis spem faciebat opprimendæ uxoris, si prævenirent; sed in hoc metus, ne uxorem quamvis accusatam audiret, antequam perderet: quod si fieret, eadem facilitas periculum vertebat in accusatores. Eo metu fiebat, ut ad aliud consilium descenderent, si sine accusatione Messalinæ possent avertere exitium à capite Principis. Id videbatur fieri posse, si ab amore Silii eam absterrerent; quod secretis minis tentandum primo censuerant liberti, injecto metu, nisi adulterum relinqueret, dicturos principi. Rursus hoc consilium periculosum visum, ne impotens mulier ultro monitores in exitium raperet. Ita in tanto consiliorum æstu destitere prorsus ab omni incœpto Pallas, & Callistus, exspectaturi. quid sors ferret: Pallas ignavia; Callistus prudentia. Solus Narcissus perstitit in amoliendo periculo, quod imminebat capiti principis; sed usus priore consilio, præveniendi adulteram apud aures principis: alterum consilium aspernatus, minis absterrendæ Messallinæ, ne exinde suspicaretur accusaturum, & occuparet. *Merserus.*

2 *Deinde metu*] Sic edunt, sed in MS. Mediceo tantum est *dein metu.* Immo etiam mox ibi legitur *acribus*, non *acrioribus*, qui comparativus unde sic placeat, nulla causa est. Certe & Beroaldus tenuit positivum; quem non sine crimine lectionis Cornelianæ admodum claudicantis fatetur Rhenanus se mutavisse, quum Tacitus longe magis gaudeat positivo illo, quam comparativo; sed neque allegat vel minimum prætextum. 4, 61. *Claris majoribus quam vetustis.* Simile fuit 11, 7. *Jac. Gronovius.*

3 *Prioris quoque regia*] Sub Cajo, apud quem in gratia potentiaque fuit. Dio, ubi de Domitio Afro, libro LIX, Et eleganter Seneca, epistola quadam: *Stare ante limen Callisti dominum suum vidi, & eum qui illi impegerat titulum, qui inter ridicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi.* Sed fuit non minus magnus apud Claudium. estque ille ipse cui Scribonius Largus medicus ejus ævi opus suum inscribit, & appellat C. Julium Callistum. *Lipsius.*

4 *Perstitit Narcissus, solum id immutans*] *Et* particulam expunximus. *Rhenanus.* Addit Flor. *ut solum id immutans.* Venetus, *& solum.* certe de aliquo defectu suspicionem augent: nam quanto magis aciem adhibeo, verba illa, *solum id*, aut corrupta, aut mutila. *Pichena.*

Et solum id immutans] Cl. Ryckins hoc loco inquirit ac recenset, quinam sint, qui ita edant, aut qui particulam *&* omittant, ac denique ipse supervacaneam particulam decernit. In quo agit non satis integre. Nam qui omiserunt particulam istam, ante vocem *Ipse* posita τελίως στιγμῆ absciderunt sermonem; at qui interpositam servaverunt, junctim habent sequentia, *Perstitit Narcissus, & solum id immutans, ne.... faceret, ipse ad .... perpulit delationem subire.* Unus Beroaldus & στιγμὴν illam fecit, & copulativam retinuit. Ne dubita. in codice Mediceo legitur perspicue *ut solum.* Hoc expungere est quidem facile, sed justum quæritur, & nihil violentum. Quod si scripseris *at solum id imm.* sunt omnia satis lenia, & scire oportet in ista scriptura primam

siones intentus, longa apud Ostiam Cæsaris mora, duas pellices, [1] quarum is corpori maxime insueverat, largitione ac promissis, & uxore dejecta plus potentiæ ostentando, perpulit delationem subire. Exin Calpurnia (id pellici nomen) ubi datum secretum, Cæsaris genibus provoluta, *nupsisse Messallinam Silio* exclamat. simul Cleopatram, quæ idem opperiens adstabat, *an comperisset?* interrogat: atque illa annuente, *cieri Narcissum* postulat. Is *veniam in præteritum petens*, *quod ei* [2] *cis Vectium*,

primam vocalem esse in summo apertam perinde ut vocalis *u*, unde id pro indubitabili existimans recepi, abactis hinc illis temerariis jaculationibus, & ante *Ipse* omnino posui notam, quo consilii constantiam ab modo exsequendi separarem. *Jac. Gronovius.*

1 *Quarum is corpori*] Vatic. *corporibus*. Lipsius.

2 *Cis Vectium, cis Plautium*] Emendavi præeunte Vaticano, qui habebat, *Cis Vecticis Plautio*. Et vere. Duo enim famosi in hac Messallina & quasi primorum ordinum adulteri, Vectius Valens & Plautius Lateranus: quos tamen dissimulasse, & siluisse se dicit. Sed an magis pro hac sententia, *bis Vectium, bis Plautium?* An *circa Vectium?* Non accusatos quidem illos, aut certe iterum excusatos, sequentia etiam dicunt. Ceterum famosi, ut dixi, hi adulteri. De Vectio, mox noster, & Plinius de Medicis: *Exortus mox est Vectius Valens adulterio Messallinæ Claudii Cæsaris nobilitatus*. Item Scribonius Largus: *Hoc medicamentum Apulei Celsi fuit, præceptoris Valentis & nostri*. De Plautio mox, & libro XIII. *Secutaque lenitas in Plautium Lateranum, quem ob adulterium Messallinæ ordini remotum reddidit Senatui*. At viri docti desperatam hujus loci restitutionem censebant: cum vulgo esset, *cis Vectium Plautium*. Lipsius.

Cis Vectium Plancium] Illic est semper *Plantius*. Rhenanus. Hic locus fœdissimè corruptus est, usque ad ea verba, *An dissidium*. Immo aliquid procul dubio deest. Principio *Vectii Plancii* mentio nulla est apud hunc alibi, aut apud alios, qui de Claudio scripsere, quantum nunc memini. *Vectii Valentis* infra tamen meminit frequenter, tanquam indicium offerentis remque confessi. Deinde quid est, *non fuisse eum nunc objecturum adulteria, ne redderet domum & servitia?* nam si ad Claudium referuntur, cur inquit statim: *Frueretur immo iis?* Sin autem ad Silium aut Messalinam, cur non erat dicturus adulteria, ne redderent hæc principi, quibus auctæ fuissent res principis? Quamobrem omnino desideratur aliquid & locus est contaminatissimus: ubi aliquid nihil possis quam temere addere & divinare, *Ferrettus*. Mendis fœdatus locus hic est, eo usque, *an discidium*. Et quod ignotus sit historicis omnibus *Vectius Plancius*, & quod ad Claudium referri scriptum minime possit, multa deesse suspicor, quorum est apud me desperata restitutio, ut ante Æmylio Ferretto fuit. Neque vero quicquam attinere ista puto ad Vettium Valentem, de quo mox Cornelius. neque quicquam ad Aulum Plautium senatorem, qui rebus prospere in Britannia gestis, ut est inf. libro 13. & apud Suetonium & Dionem, à Claudio laudatus, ovans urbem ingressus est. Vertranius. *Quod ei Vectium, sis Plautium dissimulavisset*, emendavit Lipsius, nam turbant libri veteres. MS. corrupte: *quod ei cis vetticis Plautio*. Forte, *quod ei de Vectio & Plautio dissimulavisset*. Pichena. Conjicio: *quod ei scelus Vectii, scelus Plautii dissimulavisset*. Nam illud *cis* Tacito insolens, nec sic ab auctoribus usurpatum. *Aurelius*. Non jam rogo, ut Taciti lectores inspiciant aliorum in hunc locum conatus (sunt enim tantum conatus, neque alio nomine laudandi,) sed modo MS. Florentini lectionem. Illa tandem nos, ni fallor, verissimam docebit & absolvet. Sic habet; *Quid ei cis Vecticis Plautio dissimulavisset*. Premamus jam singulas litteras & sic constituamus totum locum: *Quid enim si Vectios, Plautios, dissimulavisset? Nec nunc adulteria objecturum, ait*. Veniam petit Narcissus, Messalinæ cum Silio conjugium principi expositurus, quod priores adulteros Messalinæ ad principem non detulisset. Post quæ exclamat: sed vix sibi propterea venia esse opus. Quid enim eo peccatum, quod Vectios, Plautios, Messalinæ adulteros, apud Principem hactenus dissimulaverit; Non fuisse illam rem cum exitio ejus conjunctam. Neque proinde nunc etiam adulteriorum Messalinæ facturum mentionem. At jam sibi minime silendum, postquam Messalina palam Silio nupsisset, & in præsentissimum discrimen fortuna Principis esset conjecta. *Ei* pro *enim* in MSS. fere invenies; virgula aliquando, subinde nulla, superimposita. Illud *Vecticis* totidem apices continet, ex quibus *Vectios* facias. Quem accusativum pluralem etiam vult illud *Plautio*, pro quo *Plautios*, scribendum esse quia diffiteri audeat? Et sic alibi loquitur noster: *Matios posthac & Vedios, & cætera Equitum Romanorum prævalida nomina referre nihil attinuerit*. Annal. XII. Paulo post lege: *Frueretur imo iis, at redderet uxorem, rumperetque tabulas nuptiales*. Minus est dicentis impetu τὸ & vulgatum. *Boxhornius*. Scribendum: *quod ei cis Vectios, cis Plautios dissimulavisset*. Quid? patrata, sed sistentia, neque ultra tales & hanc fœditatem excurrentia Messalinæ *adulteria*. Quam vocem differt in membrum sequens. Particula *sis* idem vult quod *intra*. Sic *cis Tiberim*: sic Plauto *cis paucas tempestates*. Ut libro sequenti: *Vis Agrippinæ citro ultima stetit*. Veniam peto, Cæsar, inquit, quod tacui, dum Vectiis, dum Plautiis mœchis

ctum, cis Plautium dissimulavisset, nec nunc adulteria objecturum ait, [1] *ne domum, servitia,* [2] *& ceteros fortunæ paratus reposceret; frueretur imo iis, & redderet uxorem,* [3] *rumperetque tabulas nuptiales.* [4] *an dissidium,* inquit, *tuum nosti? nam matrimonium*
31 *Silii vidit populus, & senatus & miles: ac ni propere agis, tenet urbem maritus.* [5] Tum potissimum amicorum vocat, [6] primumque rei frumentariæ [7] præfectum Turranium, post [8] Lusium Getam prætorianis impositum, percunctatur. [9] Quis fatentibus, tum cer-

contenta fuit Messalina, dum intra hos & horum similes libidinem stitit. *Gronovius.* Prorsus ita legitur in MS. Mediceo, prout publicavit Ryckius, *vectius*, non ut Pichena & inde Boxhornius. Illam igitur scripturam spectans reor scripsisse Tacitum: *quo de Iciis*, vel *Titiis* ex cap. 35, *Vettiis, cis Plautios dissimulavisset*, ut innuat Plautium fuisse ex primis, qui eam contrectaverint, mœchos novos & præcipue infames post eum exortos sive unum sive plures bene cognitos nominibus, appellatosque Icios aut Titios & Vettios, quo nihil simplicius, nihil propius ad antiquam manum. *Jac. Gronovius.*

1 *Ne domum, servitia, & ceteros fortunæ paratus reposceret*] Contaminatissimum locum Ferrettus esse vult: qui mihi castus, purus. Invidiosa concessione libertus: Fruatur sane, inquit, Silius domo tua, servis, veste, & gaza omni regia (nam hæc translata ab adultera ad Silium, notante etiam Dione:) reddat saltem uxorem. *Lipsius.*

Ne domum, servitia, &c. *reposceret*] Melius legas *nec domum, servitia,* &c. *reposcere.* Hoc ait, non ideo accusationem Silii ab se institui, ut domum aliaque ex patrimonio principis ei dono à Messalina data repeteret. quin frueretur iis, nec enim in tanta atrocioris delicti enormitate levia ista animadversione digna esse, sed alia longe graviora subesse innuit, dum eum uxorem Principi jubet reddere. *Freinshemius.*

2 *Et ceteros fortunæ apparatus*] Scripsimus, *paratus.* quod verbum usurpat sæpe Tacitus. Ut supra. *Servi, liberti, paratus principis apud adulterum visebantur.* libro 3. *Ventris & ganeæ paratus assiduis sermonibus vulgati.* libro 5. *Et columen partium Abdageses gazam & paratus regios adjicit.* Item libro 15. *Parthi omisso paratu invadenda Syria.* libro 1. Histor *Studia militum jam pridem spe successionis, aut paratu facinoris affectaverat.* libro 2. Hist. *Igitur navium, militum, armorum paratu strepere provincia.* Eodem libro. *Ita Vitellii paratus noscebantur.* Rhenanus.

3 *Rumperetque tabulas nuptiales*] Ad legitimum matrimonii actum Tabulæ & signatores adhibiti. Tabulis & dos continebatur, & illa sollennis conjugii caussa, Liberum quærendorum. Juvenalis,

Signatæ tabulæ, dictum, Feliciter.

Appulejus. *Quod in villa non in opido tabulæ sint consignatæ quarto & ultimo loco objecere.* Meminerunt non semel Jurisconsulti: & proprio huic rei libro Cl. V. Brissonius, cujus accuratæ diligentiæ doctrinæque non à me, non ab aliis quidquam addo. Ut ergo ex tabulæ matrimonio firmando: sic eædem ruptæ, disparando. Juvenal.

——— *tabulas quoque ruperat, & jam*
Signabat, tota vix hac ego nocte redemi.

De his tabulis locum accipio, qui in priscis Glossis: λεγούσης τινὸς γυναικὸς τὴν ἐπίδοσιν τοῦ ἰδίου υἱοῦ ἀφῃρῆσθαι ἀπό τινος, αὐτόν τε υἱὸν ἴδιον εἶναι, καὶ πρὸς αὐτὴν ἀνήκειν τὴν ἐπίδοσιν, ἠρνήσατο ἄλλος, ἀπεκρίθη γυνὴ, ῥωμαϊκὴν αὐτὴν γεγενῆσθαι, καὶ δέλτους μὲν γεγράφθαι, γάμους δὲ μὴ γεγονέναι μὴ δυνηθεῖσα δὲ αὐτὸν ἀποδεῖξαι υἱὸν ἴδιον εἶναι περὶ οὗ ἐπράττετο, Ὁπότε μὴ ἔστι σὸς υἱὸς, τὴν ἐπίδοσιν ἀπόδος. *Dicente quadam muliere congiarium filii sui ablatum esse à nescio quo, eumque filium suum esse, & ad se pertinere congiarium: negavit alius. Respondit mulier, Latinam se fuisse, & tabulas quidem scriptas fuisse, nuptias vero non fuisse. Cum ergo non potuisset eum ostendere filium suum de quo agebatur; Cum non sit tuus filius, congiarium redde.* Lipsius.

4 *An dissidium, inquit, tuum nosti*] Et hic Tacitus scripsit, *discidium.* Numquid scis tibi nuntium remissum? divortium tecum fecisse Messalinam? *Gronovius.*

5 *Tum potissimum amicorum vocat*] Imo, *potissimos* Mercerus. An id est, Narcissum amicorum primum & optimum appellat? Non puto. Sed legendum: *Tum potissimos amicorum vocat.* Et postea, *percontatur:* qua de re? Non de uxoris facto: sed quid sibi nunc agendum Quæ caussa est, ut non *fatentibus*, sed veterem lectionem *tacentibus*, sed veterem lectionem *tacentibus* deinceps amplectar. Tacebat nempe Turranius & Geta, quid consulerent, aut saltem responderent in re subita ignari. *Acidalius.* Aut excidit hic vox *quemque:* aut legendum est *potissimos.* Freinshemius.

6 *Primumque rei frumentariæ Præf. Turranium*] Dixi aliquid ad librum 1. Annalium, & videtur primus in hoc munere fuisse. Tamen ambigo de tota hac sententia, & ne verius legi: *Tum potissimos amicorum vocat, primumque rei fr. Præf.* hac mente: vocat præcipuos amicos, ac primo Turranium, deinde Getam. *Lipsius.*

7 *Præfectum Turranum*] Scripsimus, *Turranium.* Rhenanus.

8 *Lusium Getam*] Id illi verum & gentile nomen, non *Lucium*, aut *Luscium.* Duo autem hoc tempore Prætorii Præfecti, Lusius Geta & Rufus Crispinus. *Lipsius.*

9 *Quibus fatentibus*] Libri mei scripti, *tacentibus.* Idem.

Qui-

certatim ceteri circumstrepunt, *iret in castra, firmaret prætorias cohortes, securitati antequam vindictæ consuleret.* Satis constat eo pavore offusum Claudium, ut identidem interrogaret, *an ipse imperii potens? an Silius privatus esset?* At Messallina non alias solutior luxu, [1] adulto autumno, simulacrum vindemiæ [2] per domum celebrat; urgeri præla, fluere lacus & feminæ pellibus accinctæ assultabant, [3] ut sacrificantes vel insanientes Bacchæ. [4] ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens, juxtaque Silius hedera vinctus,

Quibus fatentibus, tum certatim ceteri circumstrepunt] Lipsius ait, scriptos libros habere, *tacentibus.* at Florentinus, *fatentibus.* Pichena. Cernis quid hoc loco sit actum, quum tamen in MS. Mediceo non legatur *quibus*, quod jam Beroaldus edidit, sed clare *quis*, quod toties prætulit Tacitus, cui hoc saltem reddidi. Eaque occasione permittas precor, ut ex sequentibus libris colligam hæc vitia, etsi ab Pichena per varios etiam locos tacta, tamen & nunc & sæpius deserente Tacitum, residua mera aut inscitiæ aut contumaciæ insignia. 14, 5. legitur in MS. *ex quis Crepereius*, non *quibus.* 3 Hist. 5. *Quis vetus obsequium erga Romanos.* 4. Hist. 53. *Quis fausta nomina.* 5, 3. *In quis urbs & templum dicatum est.* Certe in cap. 34. hujus undecimi libri etiam habet MS. ille, *quis visus Cæsaris averteret*, ubi nolunt aliud quam *quibus* agnoscere. & adde ipsum hujus libri finem. Sed videntur in hoc loco plura accessoria esse extranei calami, quum in eodem libro legatur tantum *quis fatentibus certium ceteri circ.* Unde patet auctorem scripsisse *certius ceteri circ.* sine vocula *tum*, quæ modo præcessit. Certius dicit eos id facere, h. e. confidentius, postquam duo, ex quibus unus erat potissimus amicorum & primus, ita sustinuissent eam rem aperire. *Jac. Gronovius.*

1 *Adulto autumno, simulacrum Vindemiæ per domum celebrabat*] Adulto antumno, id est mense Octubri. Itaque etiam in Horologio veteri Romæ signatum eo mense, VINDEMIÆ SACRVM LIBERO. Et persuasum mihi non aliud esse hoc Vindemiale festum, quam sacra Liberi quæ C. Cæsar primus Romæ celebravit; etsi Athenienses mense Novembri celebrasse, in Philostrati quarto legi. De ipsa re, Servius ad eos versus, *Daphnis & Armenias*, &c. *Hoc*, inquit, *aperte ad Cæsarem pertinet, quem constat primum sacra Liberi patris transtulisse Romam.* Ideo nummus percussus Cæsari, in cujus parte C. VIBIVS RVFVS. & impressa ara cui persona histrionia imposita, item thyrsus, & tigris adjuncta. ad memoriam non dubie hujus rei. Lampridius in Heliogabalo: *Cum ad vindemiam vocasset amicos nobiles, & ad corbes sedisset, gravissimum quemque percontari cœpit an esset promptus in Venerem: posteaquam senes vidit erubescere, contulit se ad juvenes; a quibus cum audiret ætati congrua, gaudere cœpit, & dicere vere liberam* (emendo, *Liberi.* in eo enim lusum, quasi ea libertas vindemialis digna vere libero deo) *vindemiam esse, quam sic celebrarent. Ferunt multa ab ipso primum repertum, ut in Vindemiarum festo multa in dominos jocularia & audientibus dominis dicerentur.* Capitolinus in M. Antonino: *Vindemias privato modo cum amicis agebat.* Videturque ritus postea Imperii fuisse, ut Princeps extra urbem, dies aliquot lasciviret & vacaret huic Vindemiali festo. Paullus Diaconus libro III. De gestis Longobard. cap. VI. *Procedente itaque Tiberio ad villam, ut juxta ritum Imperialem triginta dies ad Vindemiam jocundaretur, Sophia vocatum ad se Justinianum voluit ad imperium sublimare.* Idem festum, Magnam coronam dictum esse, suspicor ex Tertulliani his verbis: *Sed & alias Liberum principem coronæ plane laureæ etiam vultus agnoscit, cum dies in illum solennes Magnam appellat coronam.* Alia ab hoc festo, ne erres, Liberalia: quæ antiquæ liberæque reip. & incidebant in XV. Kalend. Apriles. De queis Varro libro V. & Kalendarium Romanum. *Lipsius.*

Adulto autumno] Hoc est, medio jam autumno. Sic libro 2. *Sed æstate jam adulta, legionum alia itinere terrestri in hibernacula remisso.* Annus in quatuor digeritur species. prima cujusque pars *nova* vocatur aut *viridis*, id est, immatura; secunda, *adulta*; tertia, *præceps.* Sic Marcellinus *adulta hieme* dixit libro 20. *Adulta hieme dux ante dictus Bononiam venit.* Tacitus rursum libro I. Histor. Seditionem incipientem, vocat *necdum adultam.* Item libro 3. Histor. dixit *adultam noctem. Donec*, inquit, *adulta nocte, luna surgens ostenderet acies, falleretque.* Rursum libro 5. Hist. dixit, *Parthis nondum adultis.* pro eo quod est, qui nondum invaluerant. Quo sensu libro 3. dixit, *prævalida & adulta vitia.* Rhenanus. Alibi, *adulta æstate*, infra legitur, id est, jam provecta æstate. *Ferretius.*

2 *Per domum celebrat*] Scripsimus, *celebrabat.* Rhenanus. Gregorius Turonensis libro 5, 30. *Procedente autem eo ad villam, ut juxta ritum imperialem XXX. diebus ad Vindemiam jocundaretur.* Gronov.

3 *Ut sacrificantes vel insanientes Bacchæ*] Muretus deletis duabus vocibus, *ut insanientes Bacchæ.* Ego probem. *Acidalius.*

4 *Ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens; juxtaque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos*] Eodem habitu Antonium depingit Vellejus. qui Liberum se ferebat: *Cum Liberum patrem appellari se jussisset, cum redimitus hedera, coronaque velatus aurea, & thyrsum tenens, cothurnisque succinctus curru velut Liber pater vectus esset Alexandriæ.* De cothurnis, etiam Virgil.

——— nudataque musto
Tinge novo mecum direptis crura cothurnis.

De

vinctus, [1] gerere cothurnos, jacere caput, strepente circum procaci choro. [2] Ferunt Vectium Valentem lascivia in prælaltam arborem connisum, interrogantibus *quid adspiceret?* respondisse, *tempestatem ab Ostia atrocem:* sive ceperat ea species; seu forte lapsa vox in præsagium vertit. Non rumor interea, sed [3] undique nuntii incedunt, qui *gnara Claudio cuncta, & venire promptum ultioni* afferrent. [4] Igitur Messallina Lucillianos in hortos, [5] Silius dissimulando metu, ad munia fori digrediuntur. Ceteris passim dilabentibus, affuere centuriones, inditaque sunt vincula, ut quis reperiebatur in publico aut per latebras. Messallina tamen [6] quamquam res adversæ consilium adimerent, ire obviam, & aspici à marito, quod sæpe subsidium habuerat, haud segniter intendit, jussitque *ut Britannicus & Octavia in complexum patris pergerent.* Et Vibidiam virginum Vestalium [7] vetustissimam oravit, *Pontificis maximi*

32

De thyrso, præter alios Justinus: Ὥσπερ αἱ Βάκχαι διὰ σχήματος ἱερωνικοῦ τὰς λόγχας ἐν τοῖς θύρσοις περιφέρουσι. id est, *Veluti Bacchæ per speciem habitumque pacis lanceas in thyrsis circumferunt.* Vide & Plinium XVI. cap. XXIV. Athenæus ejusmodi Bacchi insignia in Pyrrhicha saltatione recepta fuisse ostendit libro XIII. Ἡ δὲ καθ' ἡμᾶς πυρρίχη Διονυσιακή τις εἶναι δοκεῖ, ἐπιεικεστέρα οὖσα τῆς ἀρχαίας. Ἔχουσι γὰρ οἱ ὀρχούμενοι θύρσους ἀντὶ δοράτων, προΐενται δὲ ἐπ' ἀλλήλους, καὶ νάρθηκας, καὶ λαμπάδας φέρουσιν. Ὀρχοῦνται δὲ τὰ περὶ τὸν Διόνυσον, καὶ τὰ περὶ τοὺς Ἰνδοὺς, καὶ τὰ περὶ τὸν Πενθέα. Quæ verba lucem dare volo iis quæ hic præcedunt, *feminæ pellibus accinctæ assultabant, velut sacrificantes vel insanientes Bacchæ.* Lipsius.

1 *Gerere cothurnos, jacere caput*] Hoc etiam ex Bacchantium more, caput jacere. Apulejus libro 8. *Dinque capite demisso, cervices lubricis intorquentes motibus, crinesque pendulos rotantes in circulum, & nonnunquam morsibus suos incursantes musculos.* L. 1. §. 9. D. de Ædil. Edict. *Quæritur, si servus inter fanaticos non semper caput jactaret, & aliqua profatus esset, an nihilominus sanus videretur.* Pichena.

2 *Ferunt Vectium Valentem*] Deprehendimus in codice Budensi scriptum, *fertur*, id accipiendum impersonaliter. Et bene habet lectio. *Rhenanus.*

3 *Undique nuntii incedunt*] Nimis hoc lentum esse videtur pro discriminis magnitudine *nuncii incedunt.* Suspicor auctorem scripsisse *nuncii incidunt,* quæ vox festinationem notat, qualis rebus trepidis oriri solet. Sic apud Livium 3, 11. *quum fuga trepidum, plenum vulnerum ac pavore incidentem* (falso editiones quædam *incedentem*) *portis exercitum viderint.* Idem 6, 33. *patentibus portis quum improviso incidissent.* Iterum 3, 3. *agrestesque pavidi incidentes portis* &c. *Freinshemius.*

4 *Lucullianos in hortos*] De quibus initio hujus libri. Tamen & Luciliana prædia reperio, & hic in manuss. constanter hortos Lucilianos. Lapis Romæ:

D. M.
CRESCENTIS. NEPOTI. FORTVNATI
CÆSARIS. N. SER. EXACTORIS
PRÆDIORVM. LVCILIANORVM. *Lipsius.*

Igitur Messalina Lucullianos in hortos] Miror quod in codice Budensi hoc loco reperi. *Fulrianos in hortos.* Sed & paulo post, *Lucullianis in hortis*, illic rursum scriptum, *Lucianis.* In libello de regionibus urbis Romæ fit mentio *hortorum Lucullianorum* regione nona. *Rhenanus.* Flor. *Fucilianos.* ac plerique alii veteres, *Lucilianos.* Lipsius etiam de lapide quodam Romæ testatur, qui prædiorum Lucilianorum meminit, & idem Florent. prope finem hujus libri, ubi vulgo legitur, *Lucullianis in hortis*, clare habet, *Lucilianis.* Tamen nihil muto. nam & initio libri Tacitus dixit, *à Lucullo cœptos*, & Plutarchus idem confirmat. *Pichena.*

5 *Silius dissimulando metu, ad munia fori digrediuntur*] Ita ex Flor. restitui, & vere, nam de Messalina & Silio intelligit. male vulgo, *digreditur.* Pichena.

Dissimulando metu] Non me fugit hoc Latine eleganterque dici pro dissimulando metui, sive ob metum dissimulandum. Sed tamen in exemplari scripto manifeste legebatur, *dissimulando metum.* Rhenanus. Idem notavimus in Mediceo. *J. Gronovius.*

6 *Quamquam res adversæ consilium adimerent*] In codice Budensi est *eximerent.* Nec improbanda lectio. Nam *eximere consilium*, est veluti differre. Sed & *eximitur*, quod adimitur. Sic lib. 13. *Quia dissimulationem nox & lascivia exemerat.* Rhenanus. Flor. *eximerent.* Pichena.

7 *Vetustissimam*] Est eadem, quæ *Virgo maxima* dicitur. Nam ab ætate præerat, & sic dicebatur. Nos in *Vesta.* Lipsius.

Vetustissimam oravit] *Vetustissimam* esse, quæ *maxima* est, facile concesserim, cum plerumque, quæ dignatione ac loco præcederet, eadem præcelleret etiam ætate, certe annis sacerdotii. Sed *Maxima* proprie princeps collegii, ut *Pontifex maximus*, *Augur maximus*, *Curio maximus.* In quo Lipsius de Vesta cap. 7. nudum latus objecit Gutherio de jure Pontif. 1, 4. qui tamen ipse hac occasione ingerit, quæ nunquam defendet. Quid est enim *Pontificem maximum* dici, quod maximi esset imperii; & nuncupatum à potestate & imperio, quod utrumque maximum legibus Romanis sit assequutus. Nugæ de Pontificum imperio: Sigonio, cui obtrectat, manus dare debuerat. *Maximus* autem qui pri-

ui aures adire, *clementiam expetere*. Atque interim tribus omnino comitantibus (id
repente solitudinis erat) spatium urbis pedibus emensa, vehiculo quo purgamenta
hortorum eripiuntur, Ostiensem viam intrat: nulla cujusquam misericordia, quia
flagitiorum deformitas prævalebat. Trepidabatur nihilominus à Cæsare. quippe Ge- 33
tæ prætorii præfecto haud satis fidebat, ad honesta seu prava juxta levi. Ergo Nar-
cissus, assumptis quibus idem metus, *non aliam spem incolumitatis Cæsaris* affirmat,
quam si jus militum uno illo die in aliquem libertorum transferret; *seque* offert *suscepturum*.
At ne, dum in urbem vehitur, ad pœnitentiam à L. Vitellio, [1] P. Largo
Cæcina mutaretur, [2] in eodem gestamine sedem poscit, sumitque. Crebra post hæc 34
fama fuit, inter diversas principis voces, cum modo incusaret flagitia uxoris, ali-
quando ad memoriam conjugii, & infantiam liberorum revolveretur, non aliud pro-
locutum Vitellium, quam *ô facinus! ô scelus!* Instabat quidem Narcissus *aperire ambages*,
& veri copiam facere: sed non ideo pervicit, quin suspensa & quo ducerentur
inclinatura responderet; exemploque ejus [3] Largus Cæcina uteretur. Et jam erat in
aspectu Messallina, clamitabatque *audiret Octaviæ & Britannici matrem*; [4] cum ob-
streperet accusator, *Silium & nuptias* referens: simul codicillos libidinum indices tra-
di-

primum inter eos locum teneret, collegiumque cogeret atque ei præsideret. Pari judicio *prætorem maximum* facit urbanum, quem M. Tullius dixerit *primum*. Verba Ciceronis: *Me cum quæstorem in primis, ædilem priorem, prætorem primum cunctis suffragiis populus Romanus faciebat.* Quemadmodum nullus nuncupatione propria *Quæstor* est *in primis*, nec *Ædilis prior*, ita nec *prætor primus:* tantummodo ante collegas se renuntiatum significat. Sed nec in prætoribus, quales intelligimus, qui jure dicundo præessent, ullus *maximus*. *Majorem & minores* novi. Festus: *Majorem consulem L. Cæsar putat dici vel eum, penes quem fasces sint; vel eum, qui prior factus sit; Prætorem autem majorem Urbanum, minores cæteros.* Quemadmodum autem *consul maximus* non dicebatur ille major, ita nec major ille *prætor maximus*. Sicubi autem occurrit hic titulus, *Prætor maximus* est maximus magistratus. Ut apud Livium lib. 7. *Ut qui prætor maximus sit, idibus Septembribus clavum pangat.* Hunc ut haberent, dictator dictus L. Manlius. Olim enim *Prætores*, qui postea *consules*, à Bruto nempe Tarquinioque ad communicatum cum plebe consulatum, cum magistratui jure dicundo datum hoc nomen; iis autem, qui antehac *prætores* fuerant dicti, *consulum*. Festus in *Prætoria porta*. Livius, quem margini Gutherius allevit lib. 25. ex vate Marcio prætorem nominat, *qui jus populo plebique dabit summum*, non *Prætorem maximum*. Nihilo magis enim juvat illud Festi: *Maximum prætorem dici putant alii eum, qui maximi imperii sit; alii, qui ætatis maxima.* Veriorem esse priorem sententiam liquet ex Livio. Addit: *Pro collegio augurum decretum est, quod in Salutis augurio prætores majores & minores appellentur; non ad ætatem, sed ad vim imperii pertinere.* Hoc aut consentit cum illis verbis, quæ supra adduximus: aut ibi *prætores majores & minores*, ipsi fuere consules & prætores: nam imperium minus prætor, majus habebat consul, ut ex Messalla refert Gellius 1, 15. *Gronovius.*

1 *P. Largo Cæcina*] Fratre, opinor, C. Cæcinæ Largi, qui consul cum Claudio fuit, anno urbis DCCXCV. & in consulatu interfectus. Quem intellegit Asconius, in Pro M. Scauro: *Scauri domum possidet nunc Longus Cæcina, qui consul fuit cum Claudio.* scribe, *Largus.* & disce quæ hinc Asconii certa ætas. *Lipsius.*

2 *In eodem gestamine*] Id est, gestatoria sella, quæ à Claudio deducta in vulgi usum, ut docui. Sic libro XIV. *Gestamine Baulos pervectam.* Apparet tamen in uno gestamine plures sellas fuisse, ut hic vides in Narcisso, qui eodem gestamine sellam poscit sumitque. *Idem.* Ulterius examinantem hæc Chimentellium videre potes in erudito scripto de Honore Bisellii pag. 126. *Jac. Gronovius.*

In eodem gestamine sedem poscit assumitque] Ita Flor. vulgo, *poscit sumitque.* Pichena. Magnum aliquid sustinet Pichena; neque enim in illo libro aliud apparuit quam *poscit is sumitque*, ut caute lectionem illam ab Pichena prolatam posteri non fuerint sequuti, præsertim quum verbum *assumere* modo antecesserit. Utique & pronomen non plane est otiosum, quum lenissime denotet personam Narcissi in præcedente periodo nominatam. *Jac. Gronovius.*

3 *Largus Cæcina*] In codice Budensi *Largius Cæcina.* Paulo post. *Et ad minas prorumpentem*, lectio codicis scripti habet *erumpentem*. Rhenanus.

4 *Cum obstreperet accusator*] Lege, *obstrepere*. Acidalius. Hæc lectio subsistere non potest, quoniam nihil sequitur, quod necessario sit, quoties conjunctivus talis præcedit. Quoties enim hæc audis, *Cum obstreperet accusator*, exspectas quid eo obstrepente factum fuerit. Sed legendum, *cum obstrepere accusator.* Hoc est, obstrepebat, modo lo-

didit, quibus visus Cæsaris averteret. Nec multo post urbem ingredienti offerebantur communes liberi; nisi Narcissus *amoveri eos* jussisset: [1] Vibidiam depellere nequivit, quin multa cum invidia flagitaret, *ne indefensa conjunx exitio daretur.* Ergo *auditurum principem, & fore diluendi criminis facultatem* respondit; *Iret interim virgo,*
35 *& sacra capesseret.* Mirum inter hæc silentium Claudii: Vitellius ignaro propior: omnia liberto obediebant. *patefieri domum adulteri, atque illuc deduci imperatorem* jubet. Ac primum [2] in vestibulo effigiem patris Silii consulto senatus abolitam, demonstrat: [3] tum quidquid habitum Neronibus & Drusis, [4] in pretium probri cessisse. incensumque & [5] ad minas prorumpentem, castris infert, parata concione militum, apud quos, præmonente Narcisso, pauca verba fecit: nam & si justum dolorem pudor impediebat. Cohortium clamor dehinc continuus, *nomina reorum & pœnas* flagitantium: admotusque Silius tribunali non defensionem, non moras tentavit, precatus *ut mors acceleraretur.* eadem constantia & inlustres equites Romanos cupidos maturæ necis fecit. [6] Titium Proculum custodem à Silio Messalinæ datum, &

[1] indi-

quendi valde usitato auctori. Et *cum* hic valet tum, illo tempore, sicut à principio lib. 4. supra: *cum repente turbare fortuna cœpit.* Et simillima huic verborum positio est in his Tac. 2, 31. *cum Libo,* &c. *vocare percussorem, prensare servorum dextras, inserere gladium.* Denique *cum* hac significatione positum nunquam admittit conjunctivum. quod pluribus exemplis ostendere promptum foret; sed festinamus, nec etiam de hac re cuiquam mediocriter erudito dubitari credimus. *Freinshemius.*

1 *Vibidiam depellere nequivit, quin multa cum invidia*] Illud, *quin*, ex Flor. reposui melius quam vulgo, *qua.* Pichena.

Qua multa cum invidia flagitaret] Lego: *flagitare.* Quod tamen retineri potest, sed distinctione mutata, ut cum sequentibus nectatur: *Qua multa cum invidia flagitaret, ne indefensa conjunx exitio daretur; ergo auditurum principem, & fore diluendi criminis facultatem, respondit.* Acidalius.

2 *In vestibulo effigiem patris Silii consulto Senatus abolitam demonstrat*] In atrio sive in vestibulo ædium, imagines majorum: uti hic Silii patris. Sed enim Silius Legatus olim inferioris Germaniæ damnatus crimine majestatis cum uxore Sosia Galla, ut lib. IV. narratum: ideoque & imagines abolitæ, quas tamen filius restituerat. Criminatur ergo id libertus. *Lipsius.*

3 *Quidquid habitum Neronibus*] Lege, *avitum*: quod monuit me JC. Claudius Chiffletius. *Idem.*

Tum quicquid habitum Neronibus & Drusis] Jampridem Faernus *avitum*, pro *habitum*, emendavit, ut alibi etiam, *avitas*, pro *habitas.* Paulo post scribendum est, *Cæsoninus.* ex antiquis titulis. *Ursinus.*

4 *In pretium probri cessisse*] Quicquid enim fuerat insigne apud Nerones & Drusos, ad Silium transtulerat Messalina, tamquam pretium ac mercedem adulterii. *Ferretius.*

5 *Ad minas prorumpentem*] Mediceus *erumpentem*, quod cur cedit alteri? & mox alia serie verborum, *Continuus dehinc cohortium clamor.* Jac. Gronovius.

6 *Custodem Silio ac Messallina datum*] Quis dederit Silio custodem? Claudiusne, qui omnium ignarus? Logi. In Vat. est, *Custodem Messallina dat.* aliena deinde manu adpictum, *ac Silio.* Lego igitur: *Custodem Messallina datum.* vel etiam: *Custodem à Silio Messallina datum.* Alterum quidem verum est, ut hic Titius sive à Claudio adpositus uxori custos; sive à Silio, ut amicæ. Utrumque enim solens Romanis. De maritis, Tibullus,

Ipse malus docui, quo posset ludere pacto
Custodes.

De amatoribus, Propertius,

Quos igitur tibi custodes, qua limina ponam?

Misellus ille custos! cui id monstrum commissum, quod non Argus cum Mercurio custodisset. Vertranius inexplicabilem locum censet, nisi custodem pro exactore interpretemur, scilicet qui mortis pœnas exigat. Verum merumque somnium. *Lipsius.*

Titium Proculum custodem Silio ac Messalina dat] Suspicor scribendum, *datum.* Rhenan. Sic Beatus: sed fallitur, eum ex eo necatum Proculum adversus scriptoris sensum exaudiat. Et certe inexplicabilis est locus, si scriptionem mutes, nisique ita exponas, *custodem Sil. & Mess. dat*, qui mortis pœnas exigat. Sic paullo infra: *Custos & exactor è libertis Euodus datus.* Idem enim custos salutis & mortis exactor esse potuit eorum jussu, quibus jubendi potestas erat. *Vertranius.* Optima lectio, quæque omnium castigationibus merito antevertat. Adulteri ministrique Messalinæ supplicia subeunt: quorum Silius (ut reor) tribuni manu: nam principes viri ab his capite truncabantur. Tacit. lib. 15. ann. *Pœna Flavis Vejano Nigro mandatur.* Et hic de Plautio Laterano, *manu Statii tribuni trucidatur.* At carnifex occidit Urbicum, Trogum, & Valentem: *trahi ad supplicium jubet.* Titius vero Proculus, minister amorum Silii, & Messalinæ, militibus

[1] indicium offerentem Vectium Valentem, & confeſſum, & Pompejum Urbicum,
ac [2] Saufellum Trogum ex conſciis *trahi ad ſupplicium* jubet. [3] Decius quoque Cal-
purnianus vigilum præfectus, Sulpicius Rufus ludi procurator, Juncus Virgilianus
ſenator, eadem pœna affecti. [4] Solus Mneſter cunctationem attulit, dilaniata veſte 36
clamitans, *aſpiceret verberum notas*, [5] *reminiſceretur vocis, qua ſe* [6] *obnoxium juſſis Meſ-
ſallinæ dediſſet. Aliis largitione aut ſpei magnitudine, ſibi ex neceſſitate culpam: nec cui-
quam ante pereundum fuiſſe, ſi Silius rerum potiretur.* Commotum his & pronum ad
miſericordiam Cæſarem perpulere liberti, *ne tot illuſtribus viris interfectis, hiſtrioni
conſuleretur: ſponte an coactus* [7] *tam magna peccaviſſet, nihil referre.* Ne Trauli qui-
dem Montani equitis Romani defenſio recepta eſt. is modeſta juventa, ſed cor-
pore inſigni, accitus ultro, noctemque intra unam à Meſſallina proturbatus erat,
[8] paribus laſciviis ad cupidinem & faſtidia. Suilio Cæſonino, & Plautio Lacerano mors
remitti-

tibus laniandus à Claudio datus eſt, qui univerſos ſeditioſis vocibus expoſcebant. Ad eam faciem Cleander permiſſus eſt plebi vociferanti: *plebi ad pœnam donatus eſt*. At *cuſtos Silio ac Meſſalinæ* vice *cuſtos Silii ac Meſſalinæ*. Plaut. Curcul. *Es quidem te liqui in ventre cellæ uni locum*. Noſter lib. 2. ann. *Is rex Iberis, idemque Mithridatis frater*. Thucydides lib. 1. ὄντο τὸ μὲν λοιπὸν ἔχειν οὐδὲν τῶν αἰσθητῶν ἑκάστῳ. Dixi *cuſtodem* poſitum pro *miniſtro*. Virgilius affirmat lib. 12. ibi Serv.

At Tricia cuſtos jam dudum in montibus Opis.

Ea recte miniſtra dicitur, nam ſumma montium tenebat ad exequendam ultionem Camillæ, ſibi injunctam à Diana. *Salinerius*. Emendaverat Lipſius ex ingenio, & à Flor. confirmatur, *Cuſtodem à Silio Meſſalinæ datum*. Falſo in vulgatis, *cuſtodem Silio ac Meſſalinæ datum*. Pichena. His ergo credamus: nam ſatis inepte vulgararum defenſor. Sine dubio illa, caſtas imitata, per blanditias hunc ἀοι-δὸν à marito novo ipſa exegit. Martialis lib. 10. ep. 69.

Cuſtodes das Polla viro, non accipis ipſa.

Talis ille, qui *dominam nec vir nec fœmina* ſervabat adverſus Naſonem. Juvenalis: *quis cuſtodiat ipſos Cuſtodes?* Gronovius.

1 *Indicium offerentem*] Bene confeſſum. Nam indicium, ait in Eunucho Donatus, proprie eſt ejus qui una peccaverit. Aſconius ad illud Ciceronis: *Quapropter ſi indicium tibi poſtulas dari.* ait: *Index eſt, qui facinoris, cujus ipſe eſt conſcius, latebras indicat, impunitate propoſita.* Quæ tamen impunitas circumſcripta eſt: quia, ut idem notat, *Certa ſunt in quibus impunitas indici datur, ut in cauſſa proditionis, majeſtatis, & ſi quid hujuſmodi.* Lipſius.

2 *Saufellum Trogum*] Vatic. *Saufelium*. Scribo, *Saufeium*. & induxit librarios illud I. longiuſculum, ut L. ſcriberent. Horum omnium mentio Senecæ in Menippæa de Claudii morte. ubi tamen disjunctim ſcribe *M. Helvius, Trogus*. Qui hic etiam *Traulus*, male fortaſſe in Seneca, *Sex. Trallus*. Idem.

3 *Decius quoque Calpurnianus*] Scripti libri, *Decrius*. Puto, *Decrius*. quod nomen & infra invenies. *Idem*.

4 *Solus Mneſter*] Caſtigavimus, *ſolus M. Neſtor*. In ludicro libello de morte Claudii Cæſaris meminit hujus *Neſtoris* Seneca catalogum interfectorum à Claudio recenſens: *Medius*, inquit, *erat in hac canentium turba Neſtor Pantomimus, quem Claudius decoris cauſa minorem fecerat*. Sic enim illic ſcripſimus, quum ante legeretur, *noſter Pantomimus*. Apparet autem ei caput amputatum fuiſſe, & longa ſtatura præditum. Tacitus *hiſtrionem* vocat, Seneca *Pantomimum*. Meminit ejus & Suetonius in vita Caligulæ. Tacito quoque & nobis paulo ante eſt memoratus. *Rhenanus*. Tranquillus quoque in Caligula, ter *Marcum Neſtorem Pantomimum* nominat; ut horum teſtimonio emaculandi ſint tam Dio, quam Xiphilinus, quibus pro *M. Neſtore*, Μνηστῆρα ſcribitur: errore inde orto, quod poſt literam M. punctum primi exſcriptores minime animadverterint. *Vertranius*. Condonandum ſeculo virorum optimorum. Nunc certum, non arbitrarium amplius eſt Mneſteri nomen fuiſſe. *Gronov.*

5 *Reminiſceretur vocis*] In Claudii juſſu, & vi majore Meſſalinæ, Neſtoris excuſatio accipi debuit. Hæc aperit Dio lib. LX. *Mneſteris* (pro *M. Neſtoris*) *amore flagrans Meſſalina, cum neque pollicitis, neque minis ullo modo ad coitum pellicere poſſet, petiit à Claudio, ut illum obſequi ſibi juberet, quaſi Neſtoris alia in re arte ſibi opus eſſet: tum à Claudio juſſus, Meſſalinæ in omnibus morem gerere, cum illa rem habuit, tanquam id princeps quoque juſſiſſet.* Vertranius.

6 *Obnoxium juſſis Meſſallinæ*] Commentum feminæ lepidum. Mimum iſtum deperibat Meſſallina. ſollicitat. Ille tergiverſari, metuere Imperatorem. Quid ergo ſi maritus ipſe jubeat? inquit. Et cum marito egit, quaſi opera Mneſleris aliqua in re illi uſus. Ille vocatum mimum male accipit, jubet in omnibus uxori obediat pareatque. Paruit. & id juſſum valere ſibi nunc vult ad veniam obtinendam & vitam. Dio LX. *Lipſius*.

7 *Tam magne peccaviſſet*] Repoſuimus è volumine Budenſi, *tam magna peccaviſſet*. Rhenanus.

8 *Paribus laſciviis ad cupidinem & faſtidia*] Ex-

preſſi

remittitur: huic [1] ob patrui egregium meritum; Cæsoninus vitiis protectus est, tanquam in illo fœdissimo cœtu [2] passus muliebria.
37 Interim Messallina [3] Lucullianis in hortis prolatare vitam, [4] componere preces, nonnulla spe, & aliquando ira: tanta inter extrema superbia agebat. Ac ni cædem ejus Narcissus properavisset, [5] verterat pernicies in accusatorem. Nam Claudius domum regressus, & tempestivis epulis delinitus, [6] ubi vino incaluit, *iri* jubet, *nuntiarique misera* (hoc enim verbo usum ferunt) *dicendam ad caussam postera die adesset*. Quod ubi auditum, & languescere ira, redire amor, ac si cunctarentur, propinqua nox, & uxorii cubiculi memoria timebantur; [7] prorumpit Narcissus, denuntiatque centurionibus & tribuno qui aderant, *exsequi cædem: ita imperatorem jubere*. custos & exactor è libertis, Euodus datus. Isque raptim in hortos prægressus, reperit fusam humi, [8] assidente matre Lepida: quæ florenti filiæ haud concors, supremis ejus necessitatibus ad miserationem evicta erat; suadebatque *ne percussorem opperiretur. transisse vitam, neque aliud quam* [9] *morti decus quærendum*. Sed animo per libidines corrupto, nihil honestum inerat.

pressi lectionem Florentini. id est & ad cupidinem, & ad fastidia. vulgo *fastidio*. Pichena.

1 *Ob patrui egregium meritum*] A. Plautil, suspicor, qui Britanniam Claudio subegit. *Lipsius.*

2 *Passus muliebria*] Simile illorum inventum in Suetonii Domitiano cap. x. *Qui se quo facilius expertes culpæ ostenderent, impudicos probaverant.* Dii dexque illos, non corpore non animo viros. Adeo turpior omni morte hæc fuga mortis. *Lipsius.*

3 *Lucullianis in hortis*] Jo. Antiochenus: τῶν μὲν βασιλείων ἐξωσθεῖσα, περὶ δὲ τοὺς Ἀσιατικοῦ κήπους πλανωμένη. ὧν ἕνεκα τὸν δίκαιον Ἀσιατικὸν μικρῷ πρόσθεν ἀπολώλεκει. Gronovius.

4 *Componere preces, nonnulla spe, & aliquando ira*] Non muto. Sed poterat *& aliquanta ira*. Acidalius.

5 *Verterat perniciem in accusatorem*] Castigavimus, *verterat pernicies*. nam auctores verbum *vertit* absolute nonnunquam & tamen quasi in passiva significatione soliti sunt usurpare. Sic supra: *Seu forte lapsa vox in præsagium vertit*. lib. 2. *Astusque hostium in perniciem ipsis vertebat*. lib. 4. *Quod aspere acceptum ad præsens, mox in laudem vertit*. Eodem libro paulo post; *Nam quæ saxo struuntur, si judicium posterorum in odium vertit, pro sepulchris spernuntur*. lib. 5. *Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant*. Rhenanus.

6 *Ubi vino incaluit*] Scripsimus, *incaluisset*. Et paulo post, *raptim in hortos progressus*. Item *jugulo ac pectori*. Et infra, *privatis ac publicis locis*. Idem. Immo in Mediceo est *p̄gressus*, id est, *prægressus*. Jac. Gronovius.

7 *Prorumpit Narcissus denuntiatque centurionibus*] Vulgo, *prorupit*. Melius Flor. *prorumpit*: Nam sequitur, *denuntiatque*. Pichena.

8 *Assidente matre Lepida*] Quænam hæc Lepida? Ego vero repperisse me censeo famosæ feminæ (Messallinam dico) stirpem & matrem. Suetonius scribit: *Post has Valeriam Messallinam Barbati Messallæ consobrini sui filiam in matrimonium accepit.* ubi dissimulant interpretes, quomodo hic Valerius Claudio consobrinus. Dicam ego. Ex L. Domitio & majore Antonia natus est Cn. Domitius pater Neronis principis, & item Lepida amita ejusdem, de qua infra. Hæc Lepida, est illa ipsa quæ nupta Valerio Messallæ, & quæ hic Messallinæ dicta mater. At Claudius natus ex Druso & minore Antonia, uti clarum. Stemma istud:

M. ANTONIVS III. vir. — OCTAVIA.
{ ANTONIA *major*. — L. DOMITIVS *maritus*. { CN. DOMITIVS. — AGRIPPINA *uxor*. { NERO IMP.
{ DOMITIA LEPIDA. — VALERIVS MESSALLA *maritus*. { VALERIA MESSALLINA *uxor Claudii*.
{ ANTONIA *minor*. — DRVSVS *maritus*. { GERMANICVS. CLAVDIVS IMP.

Vides ergo Claudium & Lepidam Domitiam (id enim duplex illi nomen fuisse alibi ostendo) vere consobrinos. Atque hac ratione forte maritum ipsum Lepidæ, Suetonius dixerit Claudii consobrinum. Tamen tutius putarim legi, *Barbati Messallæ & consobrinæ suæ filiam*. Sententia quidem non alia est: & hæc Lepida Neronis amita, Messallinæ mater. Suet. Claudii cap. xxvi. *Lipsius.*

9 *Morte decus*] Placet, *morti*, ut in Veneto. *Idem.*

inerat. lacrimæque & queftus irriti ducebantur; [1] cum impetu venientium pulfæ fores, aftititque tribunus per filentium, [2] at libertus increpans multis ac fervilibus probris. Tunc primum fortunam fuam introfpexit, ferrumque accepit, quod fru- 38
ftra jugulo ac pectori per trepidationem admovens, [3] ictu tribuni transfigitur: corpus matri conceffum. Nuntiatumque Claudio epulanti *periiffe Meffallinam*, non diftincto fua an aliena manu: nec ille quæfivit; popofcitque poculum, & folita convivio celebravit. Ne fecutis quidem diebus, odii, gaudii, iræ, triftitiæ, ullius denique humani affectus figna dedit, non cum lætantes accufatores afpiceret, non cum filios mærentes. Juvitque oblivionem ejus fenatus, cenfendo *nomen & effigies privatis ac publicis locis demovendas.* [4] decreta Narciffo *quæftoria infignia*, [5] leviffimum faftigii ejus, [6] cum fupra

1 *Cum impetu venientium pulfa fores, aftititque Tribunus*] Hæc Florentini lectio ac diftinctio. Confufius vulgati: *Tum impetu venientium pulfa fores, aftitit Tribunus.* Pichena. Lege cum Florent. Cod. *cum impetu*, &c. Dum fleret (inquit) fores pepulerunt illi. *Pricæus.*

2 *At libertus increpans*] Sic Florentinus. vulgo, *ac libertus.* Pichena. Qui poterat addidiffe, ibidem legi *multis & fervil.* non *ac.* Præterea *jugulo aut pectori*, non *ac.* Jac. Gronovius.

3 *Ictu tribuni transfigitur*] Malim, *transfigitur.* Lipfius. Ita etiam in Mediceo legit frater meus. *Jac. Gronovius.*

4 *Decreta Narciffo quæftoria infignia*] Decreta funt, inquit, infignia quæftoria Narciffo: quod, cum effet ille tertius inter libertos, potens gratia apud principem, minimum erat faftigii ejus, atque erant illa quidem decora infignia; per quæ tamen deterrima faciendi facultatem Narciffus haberet: quia flagitia propter dignitatem vel *inulta* erant, vel *multa*: utrumque enim legi in diverfis codicibus. Quod autem liberti potentes effent apud Claudium, auctor eft Tranquillus: *His*, inquit, *uxoribusque addictus non principem fe, fed miniftrum egit; compendio cujusque horum, vel etiam ftudio ac libidine, honores, exercitus, impunitates largitus eft.* Quod autem Calliftum & Pallantem præponit Narciffo, aliter habetur apud eumdem Tranquillum, qui Narciffum & Pallantem tradit fuiffe præcipuos, quos amaverit, quibusque crediderit. Callifti tamen & Pallantis, ut maxime principi gratorum, meminit Cornel. initio libri fequentis. *Ferrettus.* Conceffa infignia præter fcipionem eburneum, & fellam curulem, fi quæ fuerant, amplius quæro. *Vertranius.* Locus ab omnibus tanquam defperatæ fanitatis derelictus Ego tantum experiar, an aliquis fenfus eliciatur, hac fola interpunctione: *Decreta Narciffo quæftoria infignia: leviffimum faftigii ejus, cum fecundum Pallantem, & Calliftum ageret. Honefta quidem: fed ex quibus deterrima orirentur, flagitiis multis.* Senfus eft: leviffimam Narciffo fuiffe dignitatem quæftoriam, refpectu faftigii ejus, cum apud Claudium obtineret primum gratiæ ac potentiæ locum, poft Pallantem, & Calliftum. hi enim, ut dixit, flagrantiffima gratia erant. Simili fere modo Tac. lib. feq. *decretusque Pomponio triumphalis honos, modica pars famæ ejus apud pofteros.* Quod fequitur: *Honefta quidem* (fcilicet ut libertis nihil amplius tribueretur, quam quæftoria infignia) ironice intelligendum eft, propter corruptionem temporum, quibus valde liberti pollebant. nam eodem lib. feq. ait: *decreta Pallanti prætoria infignia.* ac deinde: *Claudius libertos fibi & legibus adæquavit.* Sed cum eorum flagitia Princeps multa relinqueret, deterrima inde oriebantur, cum ii quotidie in majora flagitia prolaberentur. *Pichena.*

5 *Leviffimum faftigii ejus*] Conjicio legendum, *latiffimum faftigii ejus*, & pro *flagitiis multis*, *flagitiis inultis.* five *vitiis inultis.* nam exemplar regium habet *triftitiis inultis.* Rhenanus.

Leviffimum faftigii ejus] Hæc cum lineis poftumis, corrupta, hiulca, nec juvant aut difcrepant libri, nifi quod, *Triftitiis inultis*, non *Flagitiis*, uti fubftituiffe fatetur Rhenanus. Ego ab ejusmodi ulceribus fanandis, fani hominis cenfeo abftinere manum. Nam fine librorum ope, irrita abierit Hygia ipfa. *Lipfius.*

6 *Cum fupra Pallantem & Call. ageret*] Sic enim malo edere, & inde ita citare, quam *cum fecundum Pall.* quod per omnes Taciti editiones pro veriffimo circumferebatur, etiam in vernaculas verfiones prolapfum, quum ex mea collatione Ryckius mutaverit fecundam vocem in *fuper.* Ad quam rem certe lætus libensque petenti ei iftam conceffi, quamvis perquam laboriofe peractam; fed non etiam in accipiendo ftipulatus fuit, ut omnia quæ ipfe obiter quidem, fed ftudiofe annotans obfervaveram mihi, pro fuis ederet. At fane totum illud quod fcripfit (Quare non dubitavi cum in MS. Flor. viderem legi *cum fuper Pallantem & Call. ag.* hanc veriffimam lectionem Tacito reftituere. Fugit hæc ut nonnullæ aliæ optimi Pichenæ diligentiam, dubio procul quod vox *fuper* nota expreffa, non perfcripta, hoc modo ꝭ Hæc autem nota cum fæpius occurrat, ut h. l. 28, 2. in vocabulo *fuperesfes*, 12, 9. 2. H. 1, 51, 5. Ibique non fugerit Pichenam hujus intellectus, mirum hic non fuiffe attentiorem) eft agelli mei bona fide, non ipfius,

 ut

pra Pallantem & Calliſtum ageret, [1] honeſta quidem, ſed ex quibus deterrima orirentur, flagitiis inultis.

ut non debuerit me illic habere eodem numero, quo habuit patrem meum, cujus dictata arripit ultra quam credere lector poteſt, etſi id ſane fatear ab principio monuiſſe, ſed aliquatenus. Notam vero iſtam male ſic in ima parte incurvat Ryckius, quum ex MS. notaverim, & quidem bene memor ꝑ', ut cauda prorſus deorſum fluat leviſſima flexione. Hanc quum ſic collegiſſem, in alia chartula eandem notans & ponens ſemper ad manum, inibi eram, ut ſimilia occurrentia adlegerem. Sic regyravi ad caput 16. hujus libri. Cæterum ego non ſcripſi in tribus illis locis, aut etiam aliis obſcurari vel intelligi *ſuper*. hoc eſt abruptum Ryckii. Immo ad hunc ipſum locum adſcripſeram, *hoc eſt*, *ſupra*. In verbo *eſſe* compoſito cum hac præpoſitione nemo negaverit intelligi *ſuper*: ſed quum vox libera eſt, cur altera terminatio ei auferatur? Utique cap. 16. hujus libri edit & Ryckius *ſupra cunctos attollatur*. At ille hunc locum noluit reliquis addere, ubi perinde eſt eadem nota, ſed ex manipulo iſto expunxit, equidem inique, ſed quoniam iſtic editur *ſupra*, pro qua hanc notam monebam ibi ſcriptam eſſe, non erat illa ad ejus ſaporem; tanto abſurdius quod licet in iſto compoſito ſupereſſe plane præpoſitio iſta exprimatur, tamen ab illo *ſuper* uſurpando ad altiorem gradum notandum abſtinet Tacitus, & mavult tunc iſtud *ſupra*, quum *ſuper* in alio ſenſu, ut ampliſſime patet in Freinshemii indice. Habes cur *ſupra* maluerim. *Jac. Gronovius.*

1 *Honeſta quidem, ſed ex quibus deterrima orirentur flagitiis multis*, ſive *inultis*] Quod in idem recidit. Una opera dicam me non aſſequi ſenſum horum verborum, quam ea eſſe mutila, & corrupta. Tacitus impoſiturus huic libro finem, judicium fert de tota Meſſalinæ tragœdia, nemo (inquit) adulteræ cædem accuſet: quia ſuo ſibi merito pœnis fuit affecta: verum illinc fons tot malorum, quæ ſecuta ſunt: nam Meſſalina viva nunquam locus inceſto neptis matrimonio, non veneficio Britannici, non tot ſceleribus, quibus Nero infeſtavit orbem terrarum. *Salmerius.*

C. COR-

C. CORNELII TACITI
AB
EXCESSU DIVI AUGUSTI
ANNALIUM
LIBER DUODECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Claudius de matrimonio deliberat: & Agrippina aliis præfertur, Germanici fratris ejus filia. Eæ nuptiæ decreto Senatus firmatæ. & legitimæ habitæ. L. Silanus mortem sibi conscifcit, Claudii gener. Annæus Seneca ab exsilio redit. Octavia Claudii filia Neroni desponsa. Parthi regem Roma petunt Meherdatem: qui prœlio congressus à Gotarze vincitur. Mithridates Ponti regnum reciperare tendit irrito conatu. victus Romam tandem perducitur. Lollia inlustris femina Agrippinæ artibus damnata. Claudius pomœrium urbis profert: & qui ante eum protulerint. Nero Domitius à Claudio adoptatur. Colonia in Ubios deducta. Catti latrocinia agitantes vincuntur. Vannius Suevorum rex, pellitur regno. P. Ostorii in Britannia res, & de Caractaco rege victoria. Britannicus Agrippinæ fraudibus Neroni posthabetur, & fidelissimi comitum paullatim ab eo removentur. Prodigia aliquot, & Romæ annonæ caritas. Bellum inter Armenios & Iberos: cui Parthi & Romani quoque miscentur. Furius Scribonianus relegatus. S. C. Claudianum de feminis quæ servo succumberent. Motus aliquis in Judæa inter incolas & Romanos milites. Claudius lacum Fucinum emisit, & navale spectaculum præbuit. Procuratorum in provinciis auctoritas ab eodem stabilita. Cois immunitas concessa. Byzantiis tributum ad tempus remissum. Lepida ad mortem agitur. Claudius denique veneno non obscure ab uxore tollitur. Nero primordia imperii capit. Gesta hæc annis sex,

C. POMPEIO. Q. VERANNIO
C. ANTISTIO. M. SUILIO RVFO
TI CLAUDIO. V. SER. CORNELIO ORFITO
P. CORNELIO SULLA. L. SALVIO OTHONE
D. JVNIO SILANO. Q. HATERIO.
M. ASINIO MARCELLO. M. ACILIO AVIOLA.
} Coss.

Cæde

1 Cæde Messallinæ convulsa principis domus, orto apud libertos certamine, [2] quis deligeret uxorem Claudio [3] cælibis vitæ intonanti, & conjugum imperiis obnoxio. Nec minore ambitu feminæ exarserant, suam quæque nobilitatem, formam, opes, contendere, [4] ac digna tanto matrimonio ostentare. Sed maxime ambigebatur inter Lolliam Paullinam, [5] M. Lollii consularis filiam, & Juliam Agrippinam Germanico genitam: huic Pallas, illi Callistus, fautores aderant. at Ælia Petina è familia Tuberonum, Nar-

COMMENTARIUS.

1 *Cæde Messallinæ convulsa* &c.] Hoc principium ab Ill. Magliabequio suppeditatum fuit Mabillonio, ut in Re Diplomatica ostentari posset unicuique. Quod mihi est pergratum; quippe quisquis hoc inspicit, agnoscet severitatem attentionis meæ in tali volumine non nisi per singulas literas legendo, ad quod me labor improbus adigebat. Illud doleo voces ibi tantum incipere ab participio *convulsa*, cui anteposita vocabula duo si adjecta essent, pateret in MS. etiam hoc legi *Messalinæ*, non per geminum *ll*, ut exigunt & imperant viri docti contra tantam ætatem. Nam & in præcedentium librorum exemplari non nisi unum *l* in isto nomine exprimitur, ut nunc etiam Beroaldus: & quoniam id agimus, eadem ista membrana sic statuit quoque in nomine Messala, ut obiter jam monui ad 3, 18. Sed est constans etiam in sequentibus, ut 13, 43. *Jac. Gronovius.*

2 *Quis deligeret uxorem*] Monendus est lector, ubique hoc verbum perpetuo scribi, *deligere*, & *delectus*: ac suadeo ut ita in omnibus libris corrigatur, propter ambiguum verbi intellectum, cum aliud sit *deligere*, aliud, *diligere*, ut est notissimum. *Pichena.*

3 *Cælibi vitæ intonanti*] In manuscriptis quibusdam, *cælibis*: & vellet Pichena, *cælibis vitæ intoleranti.* Illud vulgatum, nescio quo modo, mihi pro moribus & sermone Claudii videtur. *Lipsius.*

Cælibi vitæ intonanti] Amicus meus homo doctissimus putabat huic loco mendum aliquod subesse, legebatque *cælibis vitæ intoleranti.* Ego nihil mutandum censeo. nam ex vulgata lectione aptus elicitur sensus, & phrasis resipit antiquitatem eam, cujus studiosum fuisse Tacitum diximus. *Ursinus.* Plerosque reor ignorare, quid sibi velint hæc verba: nisi forte mihi obscura sunt, quæ aliis clara & manifesta. *Tonare μεταφορικῶς* quasi dicas altiori voce aliquem arguere. Virgil. XI. Æn. *Proinde tona eloquio.* Livius lib. 21. *Cum hæc intonuisset plenus ira.* quod à Græcis profectum lib. 1. Epigr.

Ὁ Ζεὺς πρὸς τὸν Ἔρωτα, βέλη τὰ σὰ πάντ᾽ ἀφελοῦμαι.
Χὠ πτανὸς· βρόντα, καὶ πάλι κύκνος ἔσῃ.

Juppiter Amori: auferam omnia tela tua. At aliger, tona, & rursus cygnus eris. *Tona*, id est, minacius utere. Claudius ergo scribitur *intonare vitæ cælibi*, quod ægre ferret cælibatum, in eumque sæpius ardens inveheretur. *Salinerius.* Muretus *intoleranti.* Consideretur. At hercle tamen scribendum, *cælibis.* Sic IV. histor. *Æqualium quoque, adeo superiorum intolerantis.* Acidalius. Libri veteres pene omnes, & Manuscripti & editi habent, *cælibis vitæ*, & historia ipsa ubique testatur. Claudium sine uxore vivere non potuisse, præsertim Suetonius cap. 26. Itaque quod olim correxi, *cælibis vitæ intoleranti*, non dubitavi, quin serio reciperem. Nam vulgata lectio, *cælibi intonanti*, præter historiæ mentem erat, neque Cornelium mihi sapiebat. Doctissimus Salinerius nuper ea verba, *cælibi vitæ intonanti* interpretatur, cælibatum ægre ferenti. subtiliter fortasse magis quam vere. Exempla hujus locutionis in Tacito multa; pauca tamen subjiciam. Ann. lib. 1. *Lascivia sueta, laborum intolerans.* lib. 2. *omnium quæ ultionem morarentur intolerans.* histor. lib. 4. *æqualium quoque, nedum superiorum intolerantis.* Pichena. Debet hic cumulus disceptationum augeri suffragio Dom. Baudii, cujus ut solet, desiderantis eum fieri suum creditorem, verba exstant eentur. 4. epist. 20. suppresso ejus nomine ad quem scripta est. (Ita enim leges sanciunt, sine quibus erubesco loqui apud te legis maritæ candidatum & ultra cœlibis vitæ intolerantem, hoc est, vitæ vere cœlitis. nam nusquam magis assentior Grammaticorum tribui, & collegæ quondam meo Justo Lipsio, quam in hujus vocis origine assignanda.) Hinc collige qualia ediderit pro cathedra illum versans. Quibus addi potest consensus Cl. Ryckii nuper editus, etiam huc tendens, ut vetustissimæ scripturæ fides, quam nullus sine reverentia adspexerit, convellatur. Quod plane exosus, omnes illos novos conatus ex Taciti contextu expuli, vetera adorans, nisi fallor & intelligens, quod forsan probabo alias, quum certe meliora huc possint adferri, quam quæ placuerunt Salinerio. *Jac. Gronovius.*

4 *Ac digna tanto matrimonio*] Forte *dignas.* Gronovius. MS. Mediceus habet *dignã*, unde Beroaldus edidit *dignam.* Jac. Gronovius.

5 *M. Lollii consularis filiam*] Non prisci illius Lollii, qui moderator C. Cæsari datus, ne erres. sed filii ejus. qui tamen quando consul fuerit, ignoro. Tempora suadent, & clarissime Plinius l. IX. c. XXXV.

Narcisso fovebatur. [1] Ipse modo huc, modo illuc, [2] ut quemque suadentium au-
dierat, promptus, [3] discordantes in concilium vocat, ac *promere sententiam, & ad-
jicere rationes* jubet. Narcissus *vetus matrimonium*, [4] *familiam communem* (nam An- 2
tonia ex Petina erat) *nihil in penatibus ejus novum* differebat, *si sueta conjunx rediret,
haudquaquam* [5] *novercalibus odiis usura in Britannicum & Octaviam, proxima suis pigno-
ra.* Callistus [6] *improbatam longo discidio, ac si rursus assumeretur, eo ipso superbam:
longeque rectius Lolliam induci, quando nullos liberos genuisset, vacuam æmulatione, &
privignis parentis loco futuram.* At Pallas id maxime in Agrippina laudare, *quod Ger-
manici nepotem secum traheret, dignum prorsus imperatoria fortuna, stirpem nobilem*
[7] *& familiæ Claudiæ, quæ posteros conjungeret;* [8] *ne femina experta fecunditatis, integra
juven-*

xxxv. qui hanc Lolliam Paullinam neptem illius Lollii appellat. *Lipsius.* Sed vox *filiam* abest ab MS. Med. unde inditam crede ab editoribus, non bene advertentibus Romana, ubi sæpius hanc vocem potius subintelligi deprehendimus, præsertim quum sequatur idem sensus alio modo expressus, ut de filiabus agi inde ultro pateat. Nempe Tacito relinquenda sua varietas. *Jac. Gronovius.*

1 *Ipse modo huc, modo illuc*] MS. *ipse huc modo, modo illuc.* Idem.

2 *Ut quemque suadentium audierat promptus*] Muretus, *pronus.* Parum interest, sed hoc tamen ego etiam malim. *Acidalius.* Muretus mallet, *pronus.* vide quæ notavi libro 4. in verbis: *quod mater Agrippina, promptior Neroni erat.* Pichena.

3 *Discordantes in concilium vocat*] Imo *in consilium.* Privata enim hæc deliberatio: & cum paucis in eadem urbe habitantibus, non aliunde atque aliunde evocatis, quorum cœtus *concilium* dicitur, Græce σύνοδος. Grotius. Ita edidit Beroaldus, quum tamen in MS. liquide scriptum sit *concilium.* Jac. Gronovius.

4 *Familiam communem*] Muretus *Filiam.* Res clara, mirum qui Lipsio non visa. *Acidalius.*

5 *Novercalibus odiis visura Britannicum*] Ven. atque alii antiqui editi habent, *usura in Britannicum.* Pichena.

6 *Improbatam longo dissidio*] Immo *discidio*, ut supra sæpius. *Gronovius.*

7 *Et Familia Claudia*] Expediri sententia potest: tamen mavelim scribi, *& familia Claudia. quin posteros conjungeret.* ut quasi hortantis ea sint liberti. *Lipsius.*

Familiæ Claudiæ, quæ posteros conjungeret] Expediri sententiam posse ait Lipsius: idem tamen malit, *quin posteros conjungeret:* ut quasi hortantis ea sint liberti. Nec expediri sententia potest è verbis, ut nunc leguntur: & omnino vim hortandi habent. Mihi certum, deleto *quæ* legendum: *quod Germanici nepotem secum traheret, dignum prorsus imperatoria fortuna. Stirpem nobilem* (id est, nepotem Germanici) *& familiæ Claudiæ posteros conjungeret.* Muretus voluit transposite, *stirpem nobilem & quæ famil. C. p. conjungeret.* Acidalius. Valde hoc loco sudant interpretes, nec immerito: est enim ex obscurissimis. Videor tamen videre sensum qui hic est. Decet hoc imperatorem, ut stirpem nobilem, & familiæ Juliæ Claudiæque posteros unam in domum colligat, nec patiatur, ut enubendo alios in penates sanguinem & perinde claritudinem Cæsarum deferat Agrippina. hic verissimus, si quid video, sensus est, eumque verba quoque ipsa inculcant, si ductum literarum secutus legeris totum locum hoc modo: *dignum imperatoria fortuna* (subaudi *esse*) *stirpem nobilem & familia Julia Claudiaque posteros conjungere.* Freinshemius. Ego vero illud, *dignum prorsus imperatoria fortuna.* Neroni detrahi nunquam patiar. Significat enim, dignissimam Augusto lare, dignam Cæsarea domo partem. Deinde accipio quidem Lipsii, *Quin*, & sagaciter odoratum Muretum puto non omnia locum suum tenere: sed quem appellavit auctor *dignum imperatoria fortuna*, eum eodem ordine vocari *stirpem nobilem* parum acre parumque decens mihi videtur. Scribo autem: *quin stirpem nobilem & familiæ Claudiæ posteros conjungeret.* Hoc est, magnopere suadere, ut diductam nunc in duas domus primæ nobilitatis gentem revocaret in unam, & Claudii nominis posteros, seque & fratris nepotem, matre illius uxore ducta, penatibus consociaret, ne matrona felicis & probati uteri, ætate habili & indeflexa, conjugio suo quemcumque alium extolleret ac nobilitaret. Sic infra cap. 20. *quin arriperet oblata & servaret exsulem.* Gronovius. Equidem id laude non caret. Sed Lipsio hic hæsitanti & subjicienti voculam *quin* tam prompte assensum dari vetaret Tacitus, etiamsi aliquid blandum inde conferret. Quod in antiquis codicibus legitur, sponte videtur manum auctoris aperire; ad quam accessisset Freinshemius, si continentior solas antiquas literas probavisset, non de suo auxisset. Certe sic oritur hæc scriptura; *stirpem nobilem etiam Julia Claudiaque posteros conjungere.* Nec enim vox *familiæ* requiritur, quum & antecedat *stirps*, & sequatur *domus.* Ita ex duobus modis probat eum aptum gloriæ Cæsarum, tum quod sit propinquus Germanico, tum quod in ipso ita sanguis Juliorum & Claudiorum concurreret: & quod deinceps additur, accipio instar voti aut exclamationis, qua abominatur tale quid fieri. *Jac. Gronovius.*

juventa, claritudinem Cæsarum aliam in domum ferret. Prævaluere hæc adjuta Agrippinæ illecebris, quæ ad eum per speciem necessitudinis crebro ventitando pellicit patruum, ut prælata ceteris, & nondum uxor, potentia uxoria jam uteretur. Nam ubi sui matrimonii certa fuit, struere majora, nuptiasque Domitii, quem ex Cn. Ænobarbo genuerat, & Octaviæ Cæsaris filiæ moliri: quod sine scelere perpetrari non poterat, quia L. Silano desponderat Octaviam Cæsar; [1] juvenemque & alia clarum, [2] insigni triumphalium, & gladiatorii muneris magnificentia, protulerat ad studia vulgi. Sed nihil arduum videbatur in animo principis, cui non judicium, non odium erat, [3] nisi indita & jussa. Igitur Vitellius nomine Censoris [4] serviles fallacias obtegens, ingruentiumque dominationum provisor, quo gratiam Agrippinæ pararet, consiliis ejus implicari, [5] serere crimina in Silanum, cui sane decora & procax soror Junia Calvina haud multum ante Vitellii nurus fuerat. hinc initium accusationis, [6] fratrumque non incestum, sed incustoditum amorem ad infamiam traxit. & præbebat

8 *Ne femina experta fecunditatis*] Sine dubio legendum, *experta fecunditatis*, quo modo Faernus quoque legebat. *Ursinus.* Muretus maluit, *experta fecunditatis.* Non assentior. *Experta fecunditatis* dicetur ut *Compertus flagitii*, &c. De his ad Apulejum Apolog. 11. *Acidalius.* Scio recte dici, *experta fecunditatis.* Sic Tac. lib. 4. histor. *veterem expertumque belli*; mallem tamen, *experta fecunditatis.* Pichena.

1 *Juvenemque & alia clarum*] Ita diserte Vatic. vereque. Transmarina forma sermonis est, νεάνικον τά τ' ἄλλα λαμπρὸν, crebrumque apud Latinos, *Homo cetera bonus*, & similia: in Agellio, *Homo pleraque non indiligens.* Lipsius.

Juvenemque & alia clarum] Ex Vat. emendavit *Lipsius.* & congruit Flor. in cæteris male, *alias clarum.* Pichena.

2 *Insigni triumphalium*] Lipsius prima edit. monuit libros suos habere *insignia.* & id melius. Non hercle, nisi addas præpositionem: *per insignia triumphalium.* quod plane ego verum puto. Nam *insigne triumphalium*, nusquam alibi singulari numero legas, ut neque *insigne pretorium* vel *ornamentum pretorium* & ejusmodi alia: quæ omnia plurali numero efferuntur. *Acidalius.*

3 *Nisi indita & jussa*] Muretus, *indicta.* Lipsius.

Nisi indita & jussa] Muretus legit, *indicta & jussa.* Acidalius & Pichena.

4 *Serviles fallacias obtegens*] Dubitavi ne prisco verbo scrib. *serviles pellacias.* Apud Lucretium scriptum.

Subdola cum ridet placidi pellacia ponti.

& convenientior huic sententiæ visa ea vox. Non enim tam fraudes erant, quam adulationes humiles & demissæ ad pelliciendam parandamque gratiam Agrippinæ, ut addit noster. *Lipsius.*

5 *Serere crimina in Silanum*] Volumen scriptum habet, *ferre.* Proinde sic scripsi. Hoc Livius dicit, *ferre sermonibus.* Rhenanus. Fortasse rectius esset & usitatius: *Serere crimina in Silanum*, &c. nam & ita sæpe Sallustius locutus est, cujus Tacitum imitatorem diximus. *Ursinus.* Venetus: *serere crimina.* Pichena. An melius *serens.* Bonum tamen etiam *ferre.* Acidalius.

6 *Fratrisque non incestum*] Vatic. *fratrumque*; quod probo. In reliqua scriptura pendeo animi. Vulgatam si ferimus: sententiam esse volo, Tractum in crimen esse non amorem incestum inter fratrem sororemque, sed tantum incustoditum. id est, amorem parum cautum circumspectumque, & qui sine crimine, rapi tamen in crimen potuerit. Simillimum illud Plinii è l. VI. epistolar. *Tuitus sum Julium Bassum, ut incustoditum nimis & incautum, ita minime malum.* Si quid mutandum, legerem, *incustoditum sermonem.* Ex Seneca certe clarum non aliud vere objectum huic Silano, quam verba adversus sororem nuptialia, & parum cauta. Ait in Ludo de morte Claudii: *Qui, quantum quidem in ipse fuit, damnatum incesti L. Silanum generum suum occidit. Oro propter quid? Sororem suam festivissimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocarent, maluit Junonem vocare.* ita enim restitui eum locum nuper. *Lipsius.*

Fratrisque non incestum sed incustoditum amorem] Hic locus in Budensi codice erat interpolatus. nam quidam *non* particulam supra ascripserat. & legebatur illic, *Fratremque*, quod est in vulgatis edd. *Fratrisque.* Mihi videtur hæc esse sincera lectio, *Fratreque incestum sed incustoditum amorem ad infamiam traxit.* Expone sic, *amorem incestum fratre*, id est ob fratrem, *sed incustoditum*, quasi diceret, si custoditus fuisset & caute celatus; non fuisset periculum. *Rhenanus.* Vocem, *fratrum*, in Flor. & in aliis veteribus inveni. De Vat. testatur Lipsius. Digna ergo mihi visa est, quæ recipiatur. Intelligit enim, *fratrum*, hoc est fratris & sororis. Vulgo, *fratrisque.* Pichena. Recte omnino. Sic Seneca Medea: *Ad regum thalamos.* id est, regis & puellæ regiæ. Dein idem, *Sceptrigeris rite Tonantibus*, hoc est, Jovi & Junoni. Neque erat, cur penderet animi ἀ πάν in tam commoda explicatione

bebat Cæsar aures, accipiendis adversum generum suspicionibus caritate filiæ promptior. At Silanus insidiarum nescius, ac forte eo anno prætor, repente [1] per edictum Vitellii ordine senatorio movetur, quamquam lecto pridem senatu, lustroque condito. simul affinitatem Claudius diremit; adactusque Silanus ejurare magistratum, & reliquus præturæ dies in Eprium Marcellum collatus est. C. Pompejo Q. Veranio consulibus pactum inter Claudium & Agrippinam matrimonium, [2] jam fama, jam amore illicito firmabatur, nec dum celebrare solennia nuptiarum audebant, [3] nullo exemplo deductæ in domum patrui fratris filiæ. [4] Quin & incestum ac si sperneretur,

ne reliqui. Non fædam & scelestam libidinem, sed simplicem nimis & incautam, eoque malignæ interpretationi obnoxiam consuetudinem & conversationem arripuit in crimen. Apud Senecam in ludo scribendum: *Si mehercules à Saturno petiisset hoc beneficium, cujus mensem toto anno celebravit, non tulisset illud. Nedum ab Jove, quem, quantum quidem in illo fuit, damnavit incesti. L. Silanum enim generum* &c. Eodem pertinet ibidem: *unum abnepotem L. Silanum. Videris, Jupiter, an in causa mala? certe in tua.* Vide quæ ibi notav. *Gronovius.*

1 *Per edictum Vitellii*] Nam censores edicta proponebant. Livius lib. 43, *Multis equos ademerunt. in ea re quum equestrem ordinem offendissent, flammam invidiæ adjecere edicto, quo edixerunt, ne quis eorum* &c. Plinius lib. 13, 3. *Urbis anno* DCLXV. *P. Licinium Crassum L. Julium Cæsarem censores edixisse, ne quis venderet unguenta exotica.* Idem lib. 14, 14. *L. Licinius Crassus L. Julius Cæsar censores edixerunt, ne quis vinum Græcum Amineumque octonis æris singula quadrantalia venderet.* Suetonius de Rhetorib. *De iisdem interjecto tempore Cn. Domitius Ænobarbus & L. Licinius Crassus CENS. ita edixerunt.* De quo ante, *item censorium edictum subjiciam.* Ne quem frustretur, qui *Edictum*, tacentibus aliis, explicat album Censorium cum Senatorum nominibus, quod postquam Augustus publicarit primus, ex eo *Edictum* sit appellatum. Nihil aliis cum senatoribus; solo cum Silano negotium in hoc edicto Vitellio fuit. *Gronovius.*

2 *Matrimonium jam fama*] Distinguunt libri mei, *matrimonium, jam fama.* Et recte. quoniam ante istos consules matrimonium pactum. Supra enim scriptum: *quæ postquam matrimonii sui certa fuit.* Statim etiam è Farnes. scripseris, *deducta in domum patrui fratris filia.* Lipsius.

3 *Nullo exemplo deducta in domum patrui fratris filia*] Ita Florentinus. Vulgo, *deducta in domum patrui, fratris filia.* Pichena.

4 *Quin & incestum*] Sententiam loci censeo: Fruebantur quidem matrimonii bonis Claudius & Agrippina: at non securi. quia & incestum subesse videbatur, nondum firmatis ejusmodi nuptiis; & periculum ne populus, ab exemplo, passim usurparet, publico malo. *Lipsius.*

Quin & incestum ac si sperneretur] Duas causas adfert, cur matrimonium jam pactum nondum auderent celebrare: primum, ne princeps sine exemplo incestas nuptias faceret: alterum, ne exemplum daret aliis idem facturis malo publico. Itaque legerim: *Quin & incestui via si sterneretur, ne in malum publicum erumperet metuebatur.* Mercerus. Lipsius hæc ita interpretatur: timuisse Claudium & Agrippinam, ne propter incestum, populus sperneret profani principis imperium. Mercerus hæc verba corrupta suspicatur & corrigit, acute quidem: sed *incestui sternere viam*, duriuscula sententia videtur, nec de Taciti phrasi. Ideo vulgatam potius lectionem tueor, quamvis fortasse non integram, eodem Merceri sensu manente. Id est: Quin & incestum ipsum Claudius & Agrippina metuebant: ac si ab ipsis sperneretur, ne fortasse in malum publicum erumperet: scilicet ne alii eodem exemplo uterentur. *Pichena.* Sententiam loci censeo: Fruebantur quidem matrimonii bonis Claudius & Agrippina: at non securi, quia & incestum subesse videbatur, nondum firmatis ejusmodi nuptiis, & periculum iræ cælestis ob tam insigne flagitium. non enim metuebant ne populus ab hoc exemplo usurparet, nec in malum publicum id erupturum credebant, nec enim postea tale Senatusconsultum fecissent: sed Deos verebantur. eos enim incestu offendi crediderunt, quod satis patet ex auctore nostro, infra 12, 8. ubi *sacra ex legibus Tulli regis, piaculaque apud lucum Dianæ per pontifices danda*, procurando incestui Claudius hic suasit. *Freinshemius.* Hærent hic omnes, & nonnulli aliter atque aliter interpretantur. Una modo litera mutata offero ipsam scripturam Taciti. Qui non, *incestum*, scripsit, sed *inceptum.* Expendamus totum locum. Dicit Tacitus, clam pactum inter Agrippinam & Claudium matrimonium, sed necdum ausos palam celebrare solemnia nuptiarum. Causa ista, quod nullum hactenus datum esset exemplum deductæ in domum patrui fratris filiæ. Interim subibat cura & cogitatio, inceptum jam esse matrimonium, solenni more porro peragendum, non licere resilire; si id, & in eo Agrippina sperneretur, rem in motus & perniciem publicam, movente vel Agrippina, sic contempta, vel populo, qui, ut supradixit, id matrimonium jam fama firmaverat, erupturam. Idcirco videbatur, solennia nuptiarum non esse diutius differenda. Adeo ut Claudii ejusque amicorum cunctatio, & diversi consilii diversæ rationes, quod cunctantium est,

tur, ne in malum publicum erumperet, metuebatur. Nec ante omissa cunctatio,
quam Vitellius suis artibus id perpetrandum sumpsit. Percunctatusque Cæsarem, *an
jussis populi, an auctoritati senatus cederet?* ubi ille *unum se* [1] *civium & consensui impa-
rem* respondit, *opperiri intra palatium* jubet. ipse curiam ingreditur, [2] summamque
rempublicam agi obtestans, veniam dicendi ante alios exposcit, orditurque; *Gravissi-
mos principis labores, quis orbem terræ capessat, egere adminiculis, ut domestica cura va-
cuus, in commune consulat.* [3] *quod porro honestius censoriæ mentis levamen, quam assume-
re conjugem prosperis dubiisque sociam. cui cogitationes intimas, cui parvos liberos tradat,
non luxui aut voluptatibus assuefactus, sed qui prima ab juventa legibus obtemperavisset.*
6 Postquam hæc favorabili oratione præmisit, multaque patrum assentatio sequebatur;
capto rursus initio, *Quando maritandum principem cuncti suaderent, deligi oportere fe-
minam nobilitate, puerperiis, sanctimonia insignem.* [4] *Nec diu anquirendum, quin Agrip-
pina claritudine generis anteiret: datum ab ea fecunditatis experimentum: & congruere ar-
tes*

duabus distinctis periodis proponantur. Lege igitur: *Quin & inceptum*, scilicet matrimonium esse, *ac, si sperneretur, ne in malum publicum erumperet, metuebatur.* Neque, *in malum publicum erumperet*, hic aliter accipiendum, quam infra, *Nisi pravitas tam infensa docentium arceatur, erupturam in publicam perniciem.* Hanc cunctationem Claudii suis artibus tandem sustulit Vitellius, effecitque ut solenniter Claudio nuberet Agrippina, quod statim subjungit & persequitur auctor. *Boxhornius.* Gerræ Siculæ male κολοτικῶ. Freinshemio Catone sumus contenti. Claudius haud erat intacti superstitione animi. Immo quo mente commotior, eo paullo infirmior unus multorum, eo superstitiosior. Docetque id etiam Suetonius in vita ejus cap. 22. Semper autem incesta in prodigiis habita, in expiandis & procurandis, in iis quibus iram Deorum putabant denuntiari. Reliqua pete à Freinshemio. *Gronovius.*

1 *Civium & consensui*] Delenda copula, vel quod verius, addenda vox scriptori elapsa, *civium & S. consensui*, id est, Senatus. Ita respondebit Claudii oratio Vitellianæ. Tamen aliquis ceperit (aut jam cepit) quasi esset, *Unum se civium, & consensui imparem:* quod ego non probem, nec certe Princeps unus è vulgo civium est: non. *Lipsius.*

Et consensui imparem] Plus quam se solum posse consentientem senatum. *Ferretus.* Nec τὸ & delendum, nec τὸ *senatus* addendum. Aptius ad quæsita Vitellii, Claudius non potuit respondere. is dixerat imperatori: Populus vult, senatus postulat nuptias tuas cum Agrippina: consensumne tuorum civium nihili facies? Ad quæ Claudius, se esse unum ex civibus, & eorum consensui obsecutum. Nec fefellere usquequaque Vitellii promissa, licet is Claudium palpo percuteret. Ecce senatores: *haud defuere, qui certatim, si cunctaretur Cæsar, vi acturos testificantes erumperent curia.* Ecce populum; *conglobatur promiscua multitudo, populumque Romanum eadem rogare clamitat.* Salinerius. Lipsius mendum hic notat, quod ego non sentio. Respondet enim Cæsar, se unum esse civium, & consensui (scilicet universorum civium) imparem. *Pichena.*

2 *Summamque Reip. agi*] Scribo, *summamque Rempublicam.* Lipsius. Mirum cur non addiderit caussam, utrum ex scriptis exemplaribus petitam, an ex consuetudine loquendi, quam observaverat. Utrumque aderat, si Mediceum inspexisset, prout ex collatione mea Cl. Ryckius publicavit, tam hic, quam 16, 28. *Jac. Gronovius.*

3 *Quod porro honestius Censoria mentis levamen*] Fallor an scribendum *Cæsareæ mentis* Certo enim hæc de Claudio. Ac supra lib. xi. idem error harum distinctionum: *Lætaque hæc in P. R. munia, multo gaudio Censoris inibantur.* Recte Farnesianus codex, *Cæsaris.* At Cæsar etiam idem forte Censor: ut plerique tum Imperatores. Consideretur. *Acidalius.* Suspecta mihi vox, *Censoriæ.* præsertim in ore Vitellii, qui ipse Censor. ac si quem librum auctorem haberem, libenter reponerem, *Cæsareæ.* Pichena. Immo *Censoria*, non *Cæsarea.* Nam censorum erat exigere matrimonia. Censor adigebat solenne jusjurandum: *Tu ex animi tui sententia uxorem habes?* teste Gellio 4, 20. Huc pertinet oratio Q. Cæcilii Metelli Numidici, *quam in censura dixit ad populum de ducendis uxoribus*, ut est apud eundem 1, 6. Vel *de prole augenda*, ut inscribit Suetonius, qui & Augustum eam senatui recitasse & populo per edictum notam fecisse scribit cap. 89. Itaque censor uxore legibus ducenda exemplum salubre prodebat populo. Claudius autem non modo forte, sed certe censor, & post longum intervallum, Augusto & aliis magisterio morum contentis. Sueton. cap. 16. *Gessit & censuram intermissam diu post Paullum Plancumque censores.* Quod honestius levamen ei, qui non nomen modo censoris & officium, sed & mentem, castam illam, sanctam, integram dignamque Censore unico & morum custode, præstaret? *Gronovius.*

4 *Nec diu inquirendum*] Ex Flor. restitui antiquum verbum, *anquirendum.* Vulgo, *inquirendum.* Pichena.

1 *Viduæ*

tes honestas. Id vero egregium, quod provisu deum [1] *vidua jungeretur principi, sua tantum matrimonia experto. audivisse à parentibus,* [2] *vidisse ipsos, arripi conjuges ad libita Cæsarum: procul id à præsenti modestia. statueretur imo* [3] *documentum, quo uxorem imperator acciperet. At enim nova nobis in fratrum filias conjugia. sed* [4] *aliis gentibus solennia,* [5] *nec lege ulla prohibita. &* [6] *sobrinarum diu ignorata,* [7] *tempore addito percrebuisse. morem*

1 *Vidua jungeretur*] Vidua Agrippina mortuo, sub initia imperii Claudiani, Crispo Passieno, cui post Domitium nupserat. Plinius libro XVI. *Arborem mori eximiam ætate nostrâ adamavit Passienus Crispus bis consul, orator, Agrippinæ matrimonio & Nerone privigno clarus.* Sueton. Nerone: *Verum Claudio imperium adepto, non solum paternas opes recuperavit, sed & Crispi Passieni vitrici sui hereditate ditatus est.* Tamen idem ille Passienus antea maritus Domitiæ sororis Ænobarbi. Quod ex Quinctiliano colligas lib. VI. cap. II. Apud Senecam de hoc eodem lib. IV. Natur. Quæst. initio: *Crispus Passienus, quo ego nil novi acutius in omnibus rebus, maxime in distinguendis* (omnino scrib. *distringendis*) *& curandis vitiis, sæpe dicebat. Adulationi opus esse non claudere ostium sed aperire, & quidem sic quemadmodum amica solet. quæ si impulit, grata est: gratior, si effregit.* Iterum scribe, *sed operire.* id est, leviter obducere, opponere ostium: ne pereat dicto sua Venus. Pluscula etiam in EXCURSU *A.* vide. *Lipsius.* MSS. Senecæ: *adulationibus non claudere ostium, sed aperire.* Scribendum igitur: *adulationi nos non claudere ostium, sed opponere, & quidem sic quemadmodum amica opponi solet.* Hoc est, non obserare aut repagulis firmare, sed sine sera, dempto obice, manibus tantummodo obtendere, vel objectum sustinere ac prætendere. Nam *operire*, in quo & Gruterus argutatur, ipsum claudere est. Terentius Phormion. 5, 3. *Jamne operuit ostium.* Noster. 3. annal. *egressa cubiculo uxore operiri fores jussit.* Gronovius.

Vidua jungeretur] Patefacta nuptiis domo, ne opus esset abducere eam à marito: quod prius Augustus, atque Caligula, & deinde Nero fecerunt. Quo etiam pertinere arbitror, quæ statim sequuntur: *statueretur imo documentum, quo uxorem imperator acciperet*, non raperet. eoque sensu defendi potest illa oratio, nec opus est ut pro *quo uxorem*, legas *quomodo uxorem:* quod putabat vir doctissimus. *Freinshemius.*

2 *Vidisse ipsos*] Principe Cajo. *Lipsius.*

3 *Documentum, quo uxorem*] Nugax oratio, quid enim? non antea Imperatoribus semper uxor? semper. Quid ergo opus ei rei documento? Tu corrige, *quomodo uxorem.* Id enim vult adulator homo, prodendum esse posteris exemplum, ut Imperator uxorem Senatu suasore & auctore capiat. *Idem.*

Statueretur immo documentum, quo uxorem imperator....... acciperet] Ante omnia necessarium duxi, hunc locum, ut se habet in Flor. proponere; ut quilibet, lacuna inspecta, judicare possit, quid & quatenus in eo deesse videatur. Ut autem nunc tanquam integrum consideremus, Lipsius corrigit; *quomodo uxorem imperator acciperet.* quod non improbo. tamen apud me vulgata lectio nihil habet difficultatis: immo aliquid argutius præ se ferre videtur, cum sit vis quædam in verbo, *acciperet*, respondens ad id, quod supra dixit, *arripi conjuges.* sicuti lib. II. *tracturum conjuges.* & hist. III. *dum quæ accipi poterant, rapiuntur:* Ait igitur: documentum hoc aliis principibus erit, quo documento uxores accipiant: non arripiant. *Pichena.* Quicquid obtrectent Lipsio, multo magis resipit Latium vetus, *statueretur immo documentum, quomodo uxorem imperator acciperet*, quam alterum. Hoc enim vult, tempus venisse, ut exemplum prodatur, idque jam prodi posse, quod respicientes quoque admoniti secuturi principes discant; qualiter & quemadmodum matronam introducere in penates deceat Augustum. Adhuc enim nullum exemplum conjugii Cæsarum salubre exstabat. Adde quæ scripsimus 4. Observ. 11. *Gronovius.*

4 *Aliis gentibus solemnia*] Anaxandrides enim legitur sororis filiam duxisse, ex qua Doryeum, Leonidem, & Cleombrotum sustulit, cum id apud Græcos liceret. *Vertranius.*

5 *Nec lego ulla prohibita*] Consentiunt in hoc Beroaldus & Pichena: uterque tamen vidit in vetustissimo codice legi *nequo.* Vidit idem ex collatione mea Ryckius: & omnes spernunt. Tu tamen scias: qui Tacitum vis legere. *Jac. Gronovius.*

6 *Sobrinarum*] Sobrinas appellat, tamen palam est, intellegi debere de Consobrinis. Quis enim hoc censeat, eos, quos proprie Sobrinos legum auctores appellant, arceri inter se nuptiis? nunquam factum. Sed veteres hæc miscebant. vocularum haud æque curiosi captarores, In Glossis priscis legas; Ἀνεψιὸς *Consobrinus, Sobrinus.* Alibi: Θεῖα πρὸς μητρὸς, *Consobrina.* Et Ἐξάδελφος, ἐκ δύο ἀδελφῶν θηλειῶν, *Consobrinus*, Quid, quod Vellejus simili libertate, *Consobrinum Ti. Gracchi* Scipionem Nasicam appellat: qui Jurisconsultorum finitione Sobrinus sit? *Lipsius.*

Et sobrinarum diu ignorata, tempore addito percrebuisse] Lipsius vocem *addito* ut additam à glossographo rejicit. Ego aliud suspicor, ne ita forte scribendum, *Et sobrinarum diu ignorata, tempore adita, tempore percrebuisse.* Valde quidem eleganter & nervose. *Adita*, id est, cepta. Nec dubito, quin ita plane Tacitus. *Acidalius.* Cum hanc lectionem omnibus libris probari, nec incommodum sensum habere videam, non arbitror esse necessarium, ut vocula illa *addito* vel omittatur, vel commutetur. *Tempore addito*, hoc est, adjecto tempore,

[7] *morem accommodari prout conducat, & fore hoc quoque in his quæ mox usurpentur.* Haud defuere qui certatim, *si cunctaretur Cæsar, vi acturos* testificantes, erumperent curia. Conglobatur promiscua multitudo, *populumque Romanum* [1] *eadem rogare* clamitat. Nec Claudius ultra exspectato, obvium apud forum præbet se gratantibus; senatumque ingressus [2] *decretum postulat, quo justæ inter patruos fratrumque filias nuptiæ etiam in posterum statuerentur.* [3] Neque tamen repertus est, nisi unus talis matrimonii cupitor. [4] Talledius Severus eques Romanus, quem plerique *Agrippinæ gratia impulsum* ferebant. Versa ex eo civitas, & cuncta feminæ obediebant, non per lasciviam, ut Messallina, rebus Romanis illudenti. [5] adductum, & quasi virile servitium: palam

pore, vel processu temporis. *Freinshemius.*

7 *Tempore addito percrebuisse*] Malim, *tempore percrebuisse*, rejecta voce quæ glossographum sapit: aut potius invertam, *tempore adeo.* & id verum puto. De re ipsa, Plutarchus auctor in Caussis, Quæst. VI. diu apud Romanos sobrinarum conjugia (ἀνεψιὰς ipse appellat, & bene vertit Xylander) fuisse invisa: cœpisse tamen à levicula causa, quam ipse denarrat. factumque decretum populi, Πᾶσι ἐξεῖναι γαμεῖν ἄχρις ἀνεψιῶν, τὰ δὲ ἀνωτέρω κεκωλῦσθαι, id est, *licere omnibus ducere usque ad consobrinas, supra autem vetari.* Hoc quando propriè cœperit, non dicit: satis vetus esse, ex Livio discas. apud quem, libro XLII, ita loquitur Sp. Ligustinus: *Cum primum in ætatem veni, pater mihi uxorem fratris sui filiam dedit:* imò quasi in laudem hoc recenset. Sane conjugia ea deinceps crebra: & sic inter illustres, M. Marcellus Juliam Augusti F. duxit, sibi sobrinam: aliique plures. Sustulit tamen eas ipsas nuptias Theodosius, de quo Victor. *Tantum*, inquit, *pudori tribuit & continentiæ, ut consobrinarum nuptias vetuerit, tamquam sororum.* permiseruntque iterum Arcadius & Honorius l. XIX. C. De nuptiis. *Lipsius.*

1 *Eadem orare clamitat*] Supposuimus, *rogare.* Rhenanus. Muretus rescripserat, *orare.* nescio unde aut quare. nisi si fortius hoc visum. *Acidalius.* Quid Acidalius opponit? debuerat scire ab Beroaldo editum esse *orare*, unde colligeretur ita scribi in fidelissima membrana, ut certe scribitur; imo sic quoque inveni in libro Oxoniensi, perinde ut in cap. 9. *oraretur Claudius.* In eadem mox etiam legitur *obvius*, non *obvium.* Jac. Gronovius.

2 *Decretum postulat*] Zonaras: Ψήφισμα ἐποίησαντο, ἐξεῖναι Ῥωμαίοις ἀδελφιδᾶς ἄγεσθαι. Ait Tacitus, Fratrum filias: & stricte capias; non enim lienis sororum. Quod notavit accurate & diffuse, quantum satis est, Cujacius XIII. observ. c. XVI. quem non exscribo. Nec sustulit Nerva hoc SC. ut idem vera interpretatione collegit. De Claudii hoc facto Tragicus:

Genitamque fratris, conjugem captus, sibi
Toris nefandis, flebili junxit face.

ubi melius leges, *Genitamque fratre conjugem captam.* Domitianus imitatus exemplum est, qui Juliam habuit filiam Titi. *Lipsius.*

3 *Neque tamen repertus*] Suetonius de eodem; *Confecit nuptias*, inquit, *non repertis, qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam, & altero primipilari, cujus officium nuptiarum ipse cum Agrippina celebravit.* Sunt autem sub Domitiano frequentata ex eo senatusconsulto matrimonia. At Cocceius Nerva rerum potitus sororis fratrisve filiam uxorem habere prohibuit, ut in eodem scripsit Dio. Inventus est tamen L. Antonius Cæsar, qui M. Aurelii Antonini Philosophi fratris Lucillam filiam duxit uxorem: quod illi soluto legibus licuit: cæteris non idem. *Vertranius.*

Neque tamen] Scilicet quia præcedens periodus incipit *Nec Claudius*, ideo volunt docti editores in initio hujus poni debere *Neque*, quæ est pervicax temeritas, quum liquide etiam nunc in MSS. legatur *Nec tamen.* Jac. Gronovius.

4 *Talledius Severus*] *T. Alledius* scribo. & vidi postea ita citare hunc locum Beroaldum. In monumentis priscis, M. ALLIDI. in Juvenali.

——— *sibi habe frumentum, Alledius inquit.*

Quod noster unum imitatorem sceleris ejus facit; Suetonius dissentit, qui duos, c. XXXI. Noster, credo, non habuit curæ nescio quem recensere libertinum. Vocat etiam equitem R. quem ille Primipilarem. Nec aberrat, quoniam primipili comes, gradus equestris. Martialis:

Et referes pili præmia clarus eques.

Lipsius.

T. Alledius Severus eques Romanus] Lipsius emendavit. Vulgo, *Talledius.* Pichena.

5 *Addictum quasi*] Arbitrio meo, transponantur verba, *Addictum & quasi virile.* Lectioni stabiliendæ (nam ego olim solicitavi) est, quod apud eundem Tacitum de moribus Germanorum scribitur: *Trans Lygios Gothones regnantur, paullo jam adductius quam cetera Germanorum Gentes, nondum tamen supra libertatem.* Nec pœnitet tamen prorsus conjecturæ, *Adductum*, præsertim quæ firmatur codice Budensi, & item Florentino: de quo verbo in lib. Histor. *Lipsius.*

Additum & quasi vile servitium] Depravata verba sunt. In Bud. codice legitur, *Adductum quasi & virile servitium.* Nos emendavimus, *Addictum quasi & virile servitium. Palam severitas, ac sævius superbia.* Sensus est, etiam servos Claudii Cæs. quasi addi-

lam severitas, ac sæpius superbia: nihil domi impudicum, nisi dominationi expediret. cupido auri immensa obtentum habebat, quasi subsidium regno pararetur. [1] Die 8
nuptiarum Silanus sibi mortem conscivit: sive eo usque spem vitæ produxerat; seu delecto die, augendam ad invidiam. [2] Calvina soror ejus [3] Italia pulsa est. Addidit Claudius, [4] *sacra ex legibus Tulli regis, piaculaque apud lucum Dianæ per pontifices danda:* [5] inridentibus cunctis, quod pœnæ procurationesque incesti id temporis exquirerentur. At Agrippina ne malis tantum facinoribus notesceret, [6] veniam exsilii pro Annæo Seneca, simul præturam impetrat, lætum in publicum rata, ob claritudinem studiorum ejus, utque Domitii pueritia [7] tali magistro adolesceret, [8] & consiliis ejusdem ad spem dominationis uterentur. quia Seneca fidus in Agrippinam memoria beneficii, & infensus Claudio dolore injuriæ credebatur. Placitum dehinc 9
non ultra cunctari, sed [9] designatum consulem [10] Memmium Pollionem ingentibus promissis

addictos fuisse Agrippinæ, quæ contenta muliercularum ancillatu non erat. *Rhenanus.* Venditum matrimonio servitium virorum. *Ferretus.* Vulgo *Addictum quasi & virile.* Lipsius conjectura correxit, transposuitque. quod penitus à Flor. confirmatur. *Pichena.* Pugno pro Lipsio contra Lipsium. Omnino scribendum, ut olim conjecerat, *Adductum & quasi virile s.* quamquam ipse postea *Addictum*, retineri voluerit & stabilierit alio Taciti loco. sed nego hic ei verbo locum. Non enim vult auctor dicere arctum & astrictum, sed severum servitium: quod & sequentia verba satis demonstrant: & clamat adjunctum hoc ipsum, *Virile.* Acidalius.

1 *Die nuptiarum*] Mala ergo distinctio, & historiæ vitiandæ, in Suetonii Claudio obtinuit, cap. XXIX. *Silanus abdicare se pratura, morique initio anni coactus. Die ipso Claudii & Agrippinæ nuptiarum in quinque & triginta Senatores trecentosque amplius equites animadvertit.* Apage. nulla cædes nuptiali ejus die lecta, scribeque, *initio anni coactus. die ipso Cl. & Ag. nuptiarum. In quinque,* &c. *Lipsius.*

2 *Calvina soror ejus*] Fortasse illa, quæ vitam produxit ad Vespasiani imperium, de qua Suet. XXIII Vespas. *Cum Mausoleum repente patuisset, ad Juniam* (male enim editum suppositumque à Scholiastis, *Juliam*) *Calvinam è gente Augusti pertinere dicebat.* Nam Silani isti inter abnepotes Augusti fuerunt, ut dicam. *Lipsius.*

3 *Italia pulsa est*] Si pulsa tantum, quid ita Commentator Juvenalis scribit eam à se interfectam? *Calvina*, inquit, *Prætoris cujusdam soror, quæ se occidit tamquam infamis in fratrem* (lego, *fratre*) *Claudii temporibus.* Hoc notat ad illud è Satyr. III.

——— *donat Calvina vel Catiena.*

Homo errat. *Lipsius.*

4 *Sacra ex legibus Tulli*] Non alia sacra piaculaque accipio, quam quibus Tullus olim rex in Horatio sororiam cædem luit expiavitque. Livius: *Itaque ut cædes manifesta aliquo tamen piaculo lueretur, imperatum patri ut filium expiaret pecunia publica. is quibusdam piacularibus sacrificiis factis* (*quæ deinde genti Horatiæ tradita sunt*) *transmisse per viam tigillo, velut sub jugum misit juvenem.* Similiaque Dionys. lib. III. qui addit ea sacra per Pontifices facta: convenienter cum iis, quæ hic Tacitus. *Lipsius.*

5 *Irridentibus cunctis*] Et hercle ridiculum, quod Claudius Silani cum sorore incestum piacularibus sacris lueret: ipse in eadem culpa. Nam piacula istæc cave alio referas, quam ad crimen Silani. *Lipsius.*

6 *Veniam exsilii*] Relegatus enim Seneca post Quæsturam à Claudio in Corsicam insulam, ob suspicionem adulterii cum Julia Germanici filia, Vinicii uxore. Cujus criminis scena à Messallina fuit. Scena dico. Non enim re ipsa expetit in te hæc culpa, ô Romani nominis & sapientiæ magne sol. *Lipsius.*

Veniam exsilii pro Annæo Seneca] L. Annæus Seneca studiis sapientiæ eminentissimus seculi sui, insimulatus adulterii cum Julia M. Vinicii uxore, Germanici & Agrippinæ filia, confictis in illam à Messalina criminibus, ut conreus, pulsus erat in exsilium: ei Agrippina restitutionem impetrat. Ex Dione lib. LX. *Vertranius.*

7 *Tali magistro adolesceret*] Magno, magno magistro: utili privatim & publice, si Neronis indoles, aut Romana fata, voluissent. Sed ad historiam, adde hæc Scholiastis, in Juvenalis Sat. V. *Seneca sub Claudio, quasi conscius adulteriorum Juliæ, Germanici filiæ, in Corsicam relegatus, post triennium revocatus est. Qui etsi magno desiderio Athenas intenderet, ab Agrippina tamen, erudiendo Neroni, in palatium adductus, sævum immanemque natum & sensit cito, & mitigavit. inter familiares solitus dicere, Non fore sæve illi leoni, quin, gustato semel hominis sanguine, ingenita redeat sævitia.* Lipsius.

8 *Et consilia ejusdem ad spem dominationis uterentur*] Ita rectius Florentinus, quam, *uteretur*, ut in vulgatis. nam & de Domitio, & de Agrippina simul intelligitur. *Pichena.*

9 *Designatum consulem Memmium*] Ordo rogandi sententias in senatu veteris Reip. varius fuit; alias enim is toto anno servabatur, quem Consul initio ma-

promissis inducunt, sententiam expromere, [1] qua oraretur Claudius, *despondere Octaviam Domitio.* quod ætati utriusque non absurdum, & majora patefacturum erat. Pollio haud disparibus verbis, ac nuper Vitellius, censet; despondeturque Octavia, [2] ac super priorem necessitudinem, sponsus jam & gener Domitius æquari Britannico, studiis matris, arte eorum [3] quis ob accusatam Messallinam ultio ex filio timebatur.

10 Per idem tempus legati Parthorum ad expetendum, [4] ut retuli, [5] Meherdaten missi, senatum ingrediuntur, mandataque in hunc modum incipiunt: *Non se fœderis ignaros, nec defectione à familia Arsacidarum venire;* [6] *sed filium Vononis, nepotem Phrahatis, accedere adversus dominationem Gotarzis, nobilitati plebique juxta intolerandam. Jam fratres, jam propinquos, jam longius sitos, cædibus exhaustos:* [7] *adjici conjuges gravidas, liberos parvos, dum socors domi,* [8] *bellis infaustus, ignaviam sævitia tegat. Veterem sibi*

ac

magistratus habito senatu in rogando observarat. alias primus rogabatur, qui à Censoribus princeps in senatum lectus fuerat: alias qui designati consules erant. Imperio constituto id legimus tributum consuli designato, ut quæ ejus, omnium plerumque ea sententia esset: exemplaque suppeditant libris superioribus Drusus, Haterius, & Silius: infraque sequentibus Barea Soranus, & alii. & apud Senecam ludo de morte Claudii, Janus patet. Quamobrem contendit Agrippina Memmium censere, Octaviam Claudii filiam cum privigno L. Domicio elocari. *Vertranius.*

10 *Memmium Pollionem ingentibus promissis inducunt, sententiam expromere*] Muret. *inducit.* ut scilicet ad Agrippinam solam referatur. Manere tamen illud recte potest, nec respicitur forte sola Agrippina, sed & Vitellius, & alii ejusdem sectæ. *Acidalius.*

1 *Qua oraretur Claudius, despondere Octaviam Domitio*] Verbum, *oraretur*, ex Flor. restitui. Vulgo, *hortaretur.* Pichena.

2 *At super priorem necessitudinem*] Non semel accidit in libris editis, ut, *secundum*, pro, *super*, à librariis scriptum fuerit, nec mirum. error enim ortus ex eo, quod in veteribus Manuscriptis, & præcipue in Flor. verbum, *super*, plerumque uno tantum charactere, ad hujus similitudinem S' scriptum sit, ut hic. Restituimus ergo, *super priorem*, quod in vulgatis erat, *secundum priorem.* Pichena.

3 *Quis ob accusatam Messallinam ultio ex filio timebatur*] Verissima lectio & sententia. At quid Muretus voluit mutando? *qui sub accusatam Messallinam vitrico & filio timebantur.* Ineptissime. *Acidalius.*

4 *Ut retuli*] Libro XI. vide. *Lipsius.*

5 *Meherdaten*] Sic edidi ex optimo libro, non *Meherdatem*, etiam cap. 12. ut *Eunonen* cap. 15. & 18. ex eodem. Sed bene Freinshemius, quum vel amissam vel rejectam ex editione Rhenani, & inde propagato vitio ad Pichenam & omnes Lipsianos copulam reposuit ex Beroaldina; nam certe legitur in MS. *mandataque:* sed illæ omnes habent *mandata in hunc* &c. Et sicut hoc loco istam copulativam agnoscit, ita in sequentibus capitis proximi ignorat, ubi edunt *addiditque præceptum*; ac licet meminerim I, 11. *addideratque consilium*, & alibi: utique tamen non est nostrum sic augere aliena; præsertim non infulcire, ubi est incommodum. Certe etiam in cap. 47. solummodo dicitur: *Addidit jusjurandum.* Jac. Gronovius.

6 *Sed & filium Vononis, nepotem Phrahatis accersere*] Demiror, cur quisquam voluerit *accedere* verbum, quod in exemplari manuscripto legitur, mutare in *accersere.* Nam defectioni eleganter accessus opponitur. Sensus est. Nemo nos potest defectionis arguere, quum ad filium Vononis, nepotem Phrahatis accedamus. Subjicit causam, *adversus dominationem Gotarzis.* Mallem ego pro *sed & filium*, scribere, *sed ad filium.* Verum infra sic quoque loquitur: *Quia societatem nostram volentes accesserant*; non, *ad societatem*, quod tamen Latine dicitur. Item lib. 2. *Ut ripam Euphratis accederet.* Itaque expone & pro, *etiam*, hoc sensu: nos non modo non deficimus a familia Arsacidarum, sed etiam veram stirpem accedimus. *Rhenanus.* Danesius legebat *accedere.* Ursinus. Majus momentum est membrana Florentina, unde sic edidi. Sed ex eodem patet hic alia legi dire suppurata, & ideo præteriri ab viris doctis. Nam quis illos induxit, ut ederent *intolerandam*, quum in MS. Mediceo conspicue legatur *intoleranda*, sine ullo vestigio alterius literæ addendæ, quum in Collegio Jesu vidissem *tolerandam*, certe tres lineas supervacuas in ea voces agnoscens. Vide ergo Taciti manum: *adversus dominationum Gotarzis nobilitati plebique juxta intoleranda.* Jam capite 4. dixit *dominationum proviserem*, & sæpius. *Jac. Gronovius.*

7 *Abjici conjuges gravidas, liberos parvos*] Reposuimus, *adjici con. gravid.* Significat enim Gotarzen scelera sceleribus cumulantem, nec contentum fratribus propinquique trucidatis, nisi illis uxores gravidas & liberos adjiciat. *Rhenanus.*

8 *Bellis infaustus*] Elegantissimi ingenii & doctrinæ noster Modius observat è libro vetere, *belli infaustus.* recte: ea forma, qua *militia clarus.* Lipsius.

1 *Is*

ac publice cœptam nobiscum amicitiam, & subveniendum sociis virium æmulis, cedentibusque per reverentiam. Ideo regum obsides liberos dari, ut si domestici imperii tædeat; sit regressus ad principem patresque, quorum moribus assuefactus rex melior ascisceretur. Ubi 11 hæc atque talia dissertavere, incipit orationem Cæsar *de fastigio Romano, Parthorumque obsequiis:* seque divo Augusto adæquabat, *petitum ab eo regem* referens: omissa Tiberii memoria, quamquam [1] is quoque miserat. Addiditque præcepta (etenim aderat Meherdates) *ut non dominationem & servos, sed rectorem & cives cogitaret; clementiamque ac justitiam,* [2] *quanto ignara barbaris,* [3] *tanto toleratiora capesseret.* Hinc versus ad legatos, extollit laudibus *alumnum urbis spectata ad id modestiæ;* [4] *ac tamen ferenda regum ingenia, neque usui crebras mutationes. rem Romanam huc* [5] *satietate gloriæ provectam,* [6] *ut externis quoque gentibus quietem velit.* Datum post hæc C. Cassio qui

Syriæ

1 *Is quoque miserat*] Et quidem tres miserat, Vononem, Phraatem, Tiridatem. Adi lib. 11. supra & vi. *Idem.*

2 *Quanto ignara barbaris*] Ita edidi è Vatic. in Farnesiano erat, *ignota:* vulgo, *ignoratiora.* Phrasis vulgata & obvia in Tacito. *Idem.*

Quanto ignoratiora] Vetustior lectio, *quanto ignara Barbaris.* subauditur *magis.* Accipitur autem hæc lectio passive, pro ignota. Sic sæpe Tacitus in sequentibus: *qua gnara militi; qua gnara Vespasiano.* Hoc ipso libro, infra: *Nihil tam ignarum barbaris quam machinamenta & astus oppugnationum: at nobis ea pars militia maxime gnara est.* Rhenanus. Flor. corrupte, *ignata.* ex qua voce, quamvis una tantum litera immutata, legi æque possit, *ignota,* &, *ignara,* mihi tamen *ignara* magis placet, ut etiam Lipsio. *Pichena.*

3 *Tanto toleratoria capessiret*] Videtur legendum: *Clementiamque ac justitiam, quanto ignoratiora barbaris, tanto lætiora capesseret,* &c. non ut vulgo legitur, *tolerantiora.* Ursinus. Verbum, *toleratiora,* ex Flor. restitui. Rectius procul dubio, quam *tolerantiora,* ut in vulgatis. Ceterum, quoniam verbum, *tolerare,* oneris molestiam innuit, quid cum clementia ac justitia, quæ virtutes sunt populis vel maxime desiderabiles? An sic loquitur Tacitus propter barbariem Parthorum, quibus virtutes pro vitiis? Tacitus initio lib. 2. *Sed prompti aditus, obvia comitas, ignotæ Parthis virtutes, nova vitia.* Ego interpretor, verbum *tolerare,* respicere tantummodo justitiam, omissa clementia. Justitia enim populis plerumque onerosa & invisa. In promptu mihi exemplum est ex lib. 4. in fine: *Ibi campo aut litore jacentes, nullo discrimine noctem, ac diem, juxta gratiam aut fastus janitorum perpetiebantur.* nam etsi argui potest, vilium ac superborum hominum gratiam ipsis etiam, qui accipiunt, invisam, & odiosam; tamen mihi videtur, verbum *perpetiebantur* fastui tantum respondere, non gratiæ. At Francisci Venturii de hoc loco sententia est: Capesseret Meherdates clementiam & justitiam. quæ virtutes, quoniam barbaris ignotæ, utpote qui dominium regum, non regimen, perpetiebantur, id efficient, ut qui illas adhibeat, gratius & minus grave imperium in subditos exerceat. *Pichena.* Non placet *tolerantiora,* non quia vocem ipsam reprobem, sed quia sententiam admodum quam languidam gignit. Muretus voluit, *tanto tetriora,* quod plane non convenit. Nec ego scio quid faciam. Hariolor tantum, *tanto lætiora,* bono quidem sensu. quanto inusitata magis ac nova barbaris, tanto gratiora futura. *Acidalius.* Quid ergo, num insueta barbaris magis tolerantur? & vero num tolerari dicendæ sunt clementia atque justitia, quasi res, quas abesse malis? tolerari enim ea puto, ad quæ sustinenda patientia opus est, manente interim voto & spe amoliendi. Id autem de regiis istis virtutibus ad novum regem imperator diceret, præcepta bene imperandi traditurus? Denique ne Latinam quidem vocem esse contendam, *toleratiora.* Adeoque adfirmem in scriptura vitium esse ex repetitione ejusdem syllabæ præcipue ortum, cum enim forte scriptum esset, *tanto tratiora* (pro *tanto gratiora,* & scimus hujusmodi innumera in membranis admitti) facile argutulus aliquis vulgatam deinde lectionem exsculpsit. Videtur autem legi debere, ut dictum est, *tanto gratiora.* quod & per se veram atque pulchram sententiam efficit; & vero instituto sermoni longe convenientissimum est. *Freinshemius.* Fluctus movent in simpulo. Vide 1. Observ. 14. *Gronovius.*

4 *Ac tamen ferenda regum ingenia*] Deprehendi librarium subinde scripsisse, *Ac tamen,* pro *attamen.* Rhenanus.

5 *Satiate gloria*] Hoc cum in editione Pichenæ compareret, ego pro typographico sphalmate habebam, & juvabat indice erratorum, qui eidem editioni annexus est. Sed socer meus credebat auctorem, phraseos Sallustianæ (quem præcipuum verborum veterum novatorem fuisse constat) imitatorem perpetuum, hoc quoque verbum ex antiquitate arripuisse, quo & Lucretius utatur, *fessus satiate videndi.* Hunc dissensum, & si quæ alia in his studiis inter nos ambigitur, veræ concordiæ sincerique affectus vicissim securi, incolumi amicitia & fovemus & propugnamus, & lectorem amicæ litis arbitrum facimus. *Freinshemius.*

6 *Ut externis quoque gentibus quietem velit. Datum*

12 Syriæ præerat, deducere juvenem ripam ad Euphratis. ¹ Ea tempestate Cassius ² ce-
teros præminebat peritia legum. nam militares artes per otium ignotæ, ³ industriosque ac ignavos pax in æquo tenet. Attamen quantum sine bello dabatur, revocare priscum morem, ⁴ exercitare legiones, cura, provisu perinde agere, ac si hostis ingrueret. ita dignum majoribus suis, & ⁵ familia Cassia *ratus*, ⁶ per illas quoque gentes celebrata. Igitur excitis quorum de sententia petitus rex, positisque castris apud Zeugma, unde maxime pervius amnis, postquam illustres Parthi, ⁷ rexque Arabum Acbarus advenerat, monet Meherdaten, *barbarorum impetus acres cunctatione languescere, aut in perfidiam mutari: itaque urgeret cœpta.* Quod spretum fraude Acbari, qui juvenem ignarum, & summam fortunam in luxu ratum, multos per dies attinuit apud oppidum Edessam. Et vocante Carrhene, *promptasque res* ostentante *si citi advenissent*, non cominus Mesopotamiam, sed flexu Armeniam petunt,
13 id temporis importunam, ⁸ quia hiems occipiebat. Exin nivibus & montibus fessi, post-

&c.] Interpungendum sic: *ut externis quoque gentibus quietem velit. Datum post hac C. Cassio, qui Syria præerat.* Ursinus. Aliter in Flor. legitur, ac distinguitur: *quietem velit. Datum post hac C. Cassio, qui Syria præerat, deducere juvenem ripam ad Euphratis.* Abest quippe ab eo verbum, *jubet*. Sed hanc lectionem vulgatæ non anteferam. *Pichena.* Elegantissimam hic emendationem vidit Muretus, delet à fine verbum, *jubet*, reliqua scribit interpungitque: *ut externis quoque gentibus quietem velit. Datum post hac C. Cassio, q. s. p. deducere, i. r. a. Euphr.* Acidalius.

1 *Ea tempestate Cassius præminebat peritia legum*] Lipsius in prima edit. putavit legendum: *Præ ceteris peritia legum. Præ ceteris*, ut alibi solet *ante alios.* Interpolatus locus varie est ab imperitis, qui abesse quid crediderunt. In ultima hac accipit Vaticani lectionem, *ceteris præerat.* Non ego hoc quidem. Nam præcessit vix dum, *qui Syria præerat.* è qua linea huc idem verbi inculcatum. *Acidalius.*

2 *Ceteros præminebat*] Vatican. *ceteris præerat.* Accipio. *Lipsius.*

3 *Industriosque ac ignavos*] Castigavi, *aut ignavos.* Item *Zeugma*, pro *Zeuma*; ex Strabone Stephanoque. *Rhenanus.* Certe in MS. Mediceo exstat *aut ignavos.* Sed noluit sequi Beroaldus. *Jac. Gronovius.*

4 *Exercere legiones*] Vett. *exercitare.* Lipsius.

Exercitare legiones] Scripsi, *exercitare*, ex Flor. Vulgo, *exercere.* Pichena.

5 *Familia Cassia ratus*] Hoc participium non eadem fide venit ad Beroaldum, qua reliqua, quum in MS. Mediceo non exstet nisi recente manu adscriptum, haud dubie ab eo, cui progredienti in legendo statim occurrebant verba illa *fortunam in luxu ratum*, unde concitata fuit ejus mens ad recordandum; & similia sunt 14, 31. *Tali obsequio ratus regnum procul injuria fore.* 2. hist. 31. *Dignum fama sua ratus.* Attamen Beroaldi factum mihi displicet, quamvis sequantur omnes, & securius subintelligam, quia sane & maluit interdum Tacitus talia velut trunca. Utique tale est 1. hist. 9. *Ne quieto quidem milite regimen.* Et 4. hist. 23. *Neque unquam id malorum, ut oppugnatum ultro legiones nostras venirent.* etsi illuc ex vicino arcessi possit verbum *credere.* Jac. Gronovius.

6 *Per illas quoque gentes*] Ob Cassium illum qui τυραννοκτόνος, cujus in Syria prospera res post cladem Crassi. *Idem.*

7 *Rex Arabum Abbarus*] Solenne illis regibus nomen, ut Ptolomæus Ægyptiis. Vatic. *Acbarus* semper scriptum, & Appiano Ἄκβαρος: in Nummis antiquis, Ἄβγαρος. *Idem.*

Abbarus] In Budensi codice modo *Acbarus*, modo *Abbarus* legitur, sicut *Yliates* & *Ezates.* Rhenanus. Hic in numismate æreo Gordiani Pii Imp. dicitur ΑΒΓΑΡΟϹ ΒΑϹΙΛΕΥϹ in cujus numismatis altera parte caput ipsius regis diadematum cum titulo si recte memini, ΕΔΕϹϹΕΩΝ, signatum est. In alio autem ejusdem Gordiani numismate item æreo, rex ipse Camelo insidens impressus est cum eodem titulo. Camelus autem Arabum insigne est, in argenteo etiam denario familiæ Plautiæ, in quo REX ARETAS inscriptum est. *Ursinus.* Qui interim melius dixisset *caput ipsius regis tiaratum.* Non enim est diadema. Porro in hoc dynasta cui non dictus Hylas? præsertim postquam detecti sunt nummi tam multi, ut pateat ejus nominis continuam per Cæsarea tempora successionem fuisse: in quibus omnibus etsi legatur Abgarus, absit tamen ut inde Taciti scripturam formare velis, ut facit Cl. Ryckius. In nimiam vetustatem fidemque patet codex Mediceus, quam ut ei non credatur *Acbarus*, quidquid obstrepat Ezech. Spanhemius. Et quoties in nominibus Asiaticis occurrit apud diversos aliqua literarum confusio aut transpositio? *Jac. Gronovius.*

8 *Quia hiems occipiebat*] Muretus legit, *quia hiems occupabat.* Fortasse minime spernendum. Nam quod sequitur, *Exin nivibus, & montibus fessi*, non hiemis initium indicat, sed maxime adultam. *Pichena.* In Mureti libro notatum, *Occupata,* Non convenit.

postquam campis propinquabant, copiis Carrhenis adjunguntur. Transmissoque amne
Tigri, permeant Adiabenos, [1] quorum rex Izates societatem Meherdatis palam induerat, [2] in Gotarzen per occulta & magis fida inclinabat. Sed capta in transitu
urbs Ninos vetustissima sedes Assyriæ, [3] castellum insigne fama, quod postremo inter Darium atque Alexandrum prœlio Persarum illic opes conciderant. Interea Gotarzes apud montem cui nomen [4] *Sambulos*, vota diis loci suscipiebat, præcipua religione Herculis: [5] qui tempore stato, per quietem monet sacerdotes, *ut templum juxta, equos venatui adornatos sistant.* equi ubi pharetras [6] telis onustas accepere, per
saltus vagi, nocte demum vacuis pharetris, multo cum anhelitu redeunt. [7] Rursus
deus, qua silvas pererraverit, nocturno visu demonstrat: reperiunturque fusæ passim
feræ. Ceterum Gotarzes nondum satis aucto exercitu, flumine Corma pro muni 14
mento uti; & quamquam per insectationes & nuntios ad prœlium vocaretur, necte-
re

nit. Verbum tamen id si melius hic, scribendum, *occupabas*. Sed nihil mutandum. *Acidalius.*

1 *Quorum rex Juliates*] Ita edidi ex meis libris. Vulgo tamen, *Hyliates*: & statim infra, *Ezates*, etiam in manusc. Scito verum nomen esse, *Jazates*. Ita enim appellatur constanter Josepho lib. xx. Antiq. cap. II. III. ubi & historia omnis explicita de origine hujus regis & progressu. Narrat autem Josephus Judaicæ religionis eum, & matrem Helenam fuisse: multaque alia, quæ operæ sit legere. *Lipsius.*

Rex Izates] Alii *Juliates*. quod nomen cum in codicibus corruptum sit (sunt enim ubi & *Hyliates* reperias) deinde etiam infra 12, 14. *Ezates* appelletur, haud obscurum fuit, verum nomen hujus Regis, quod Josepho Antiq. 20, 2. & 3. proditur, utroque hoc Taciti loco positum ab auctore fuisse, qui id utique scire poterat, cum ejus coætaneus esset: ergo visum nobis fuit nomen illud utroque loco restituere. *Freinshemius.*

2 *In Gotarzen per occultam & magis fidam inclinabas*] Scripsimus, *per occulta & magis fida inclinabat*, ex Budensi codice. *Rhenanus.*

3 *Castellum insigne fama*] Attentum lectorem non fallet vitium. Quid enim? An Ninon non castellum vocat, quam paullo ante urbem? Et utrumne apud Ninon postremum Darii cum Alexandro prœlium fuit? Imo haud procul Arbela, apud pagum Gaugamela. Inseruerim ergo vocem, *sedes Assyria, & Arbela castellum insigne fama:* aut certe si satis sit id intellegi, addita copula, *sedes Assyria, & castellum.* Lipsius.

Et castellum insigne fama] Adjeci copulam, *&*, contra librorum auctoritatem, ut defectui manifesto quam minima mutatione mederetur, neu lectoribus absurdum illud se offerat, *urbem Ninos*, castellum à Tacito appellari. Idque suadente Lipsio, qui etiam suspicatur, nomen castelli, scilicet *Arbela*, intercidisse. *Pichena.*

Castellum insigne fama] Nihil beatius, quam habere codices scriptos heri aut hodie, ex quibus tanquam ex cornu quodam copiæ petas, quæ desideras, qualis in hoc loco est Rycquianus, unde promitur *& Arbela castellum.* At quando id castellum evenit? Nam olim erat præclara urbs; quæ si ita cecidit, ut in castelli vicem sit attenuata, an id ab tanto exercitu dicetur capi? Certe etiam Marshamus pag. 558. judicat Tacitum in præcedentibus minus accurate quam solet, dicere, neque sana esse, quæ ibi sequuntur. Pudeat eos ita agere, quum Dio scribat lib. 68. pag. 783 de expeditione Trajani: Καὶ τήν τε Ἀδιαβηνὴν ἅπασαν παρεστήσατο, καὶ τά τε Ἄρβηλα καὶ τὰ Γαυγάμηλα, παρ᾽ οἷς ὁ Ἀλέξανδρος τὸν Δαρεῖον ἐνίκησε &c. Prorsus ejusdem formæ scriptum. An illi ex his Græcis etiam aliquid expungent, ut habeant sola sua Arbela? Quoties asyndeta ponit Tacitus? vide ad 11, 24. Neque vero cum dicit Tacitus *capta in transitu* utique cum Ryckio intellexeris Tigridis; non enim adfirmat auctor ibi eos utique transiisse Tigrin, ubi erat aut fuerat Ninos, sed dum transeunt illam regionem, ut 4. hist. 33. *Rapiunt in transitu hiberna alæ Asciburgii sita.* Sed non sustineo nimis onerare has notas, quum plura hic sint, quæ displiceant. *Jac. Gronovius.*

4 *Sambulos*] Ut Sambelus nomen reguli per ista loca in Excerpt. Peiresc. ex Dione pag. 17. Mediceus tamen legit *Sanbulos*; etiam tum in hoc, tum in Oxoniensi est *Herculi*, non *Herculis.* Jac. Gronovius.

5 *Qui tempore stato per quietem monet sacerdotes*] Ita Flor. & melius, quam vulgati, *tempore statuto.* Sic lib. 3. histor. *stato in eosdem dies mercatu.* lib. 4. *statos æstivis flatibus dies.* de morib. Germ. *stato tempore.* Pichena.

6 *Telis onustas*] Vatic. *telis omissis onustas.* nec scio quid voce ea faciam. Forte, *telis omnigenis onustas.* Lipsius.

Equi ubi pharetras telis onustas accepere] Vatic. *telis omissis onustas.* Unde Lipsius, *telis omnigenis on.* Quid si *telis missilibus onustas?* Sed absque dubio natum *omissis* ex supervacua iteratione sequentis *onustas.* Acidalius.

7 *Rursus deus, qua silvas pererraverit*] Vulgo, *quas silvas pererraverint.* at Florentini lectionem reposui, quæ mihi melior. *Pichena.*

 1 *Mox*

re moras, locos mutare, & missis corruptoribus, exuendam ad fidem hostes emercari. Ex quis Izates Adiabenus, [1] mox Aebarus Arabum cum exercitu, abscedunt, levitate gentili, & quia experimentis cognitum est, Barbaros malle Roma petere Reges quam habere. At Meherdates validis auxiliis nudatus, ceterorum proditione suspecta; [2] quod unum erat reliquum, [3] rem in casum dare, prœlioque experiri statuit. Nec detrectavit pugnam Gotarzes, deminutis hostibus ferox. Concursumque magna cæde, & ambiguo eventu: donec [4] Carrhenem profligatis obversis longius evectum, integer à tergo globus circumveniret. Tum omni spe perdita, Meherdates promissa Parrhacis paterni clientis secutus, dolo ejus vincitur, traditurque victori. Atque ille *non propinquum, neque Arsacis de gente, sed alienigenam & Romanum* increpans, auribus decisis vivere jubet, ostentui clementiæ suæ, & in nos dehonestamento. Dein Gotarzes morbo obiit, acecitusque in regnum Vonones, [5] Medos tum præsidens. Nulla huic prospera aut adversa quis memoraretur. brevi & inglo-
15 rio imperio perfunctus est; resque Parthorum in filium ejus Vologesen translatæ. At [6] Mithridates Bosporanus amissis opibus vagus, postea quam Didium ducem Romanum, roburque exercitus abiisse cognoverat; relictos in novo regno Cotyn juventa rudem, & paucas cohortium cum Julio Aquila equite Romano: spretis utrisque, concire nationes, illicere perfugas, postremo exercitu coacto, regem Dandaridarum exturbat, imperioque ejus potitur. Quæ ubi cognita, [7] & jam jamque Bosporum invasurus habebatur, [8] diffisi propriis viribus Aquila, & Cotys, quia [9] Zorsines Soraco-

raco•

1 *Mox Abbarus Arabum, cum exercitu abscedunt*] Dubito an sit legendum, *& Rex Abbarus, Arabum cum exercitu.* nam & in Farn. codice ajunt scriptum esse, *& Rex*, & à Tacito supra sic appellatur; & de Arabum tantum exercitu intelligi, verisimile est, cum Ezates Adiabenus privatus esset, neque ullas ab eo copias adductas appareat. *Pichena.* Hæc non excidissent viro præstantissimo, si Josephum & Zonaram inspexisset; aut animadvertisset cap. 12. legendum: *Adiabenos, quorum rex Izates.* Intelligo tamen esse in hac narratione quo aliquis acutum videns facile offendatur: eique hoc remedii censeo, ut scribamus: *Ex quis Izates Adiabeno, mox Abbarus Arabum cum exercitu abscedunt.* Si non dixisset supra, cap. 12. *rexque Arabum Abbarus* admitterem Farnesianum, tanquam Izati nunc eum titulum temperasset apponere, quia cap. 13. dederat. Sed quum superius utrumque regem appellasset, fatua hic ea mentio in altero. Non minus fatuum *Izates Adiabenus*, tanquam id antea non percepissemus. Nihil commodius quam *Adiabeno*, ut intelligas ex proximo, *cum exercitu.* Gronovius.

2 *Quod unum erat reliquum*] In codice Budensi verbum *erat* non reperio: Tacitus autem brevitatem amat. *Rhenanus.* Venetus, *quod unum erat reliquum.* Pichena.

3 *Rem in casum dare*] In eum sensum Panegyr. Constantino Constantii f. dict. *Cur salutem Reip. in tanta pericula misisti?* Acidalius.

4 *Carrhenem*] Hoc nomen bis insuper ante præcessit, at æquali literarum ductu id curant editores; quorum princeps Beroaldus cur ita id formare voluerit, non dixerim: & procedat nunc quoque similiter, sed sciat lector in MS. Mediceo nunc scribi *Carenem*; mox retrogressus invenies *Carrenis*, denique *Carene*; duntaxat ut scias istam adspirationem omitti debere, pari peccato, quod in appellatione *Rahorum* admitti contigit. *Jac. Gronovius.*

5 *Medos tum præsidens*] Ita Flor. Vulgo, *Medis.* nam etsi Tacitus tertium & quartum casum verbo, *præsidere*, indistincte jungat: tamen cum de provinciis loquitur, quarto libentius utitur. Annal. lib. 4. *Italiam & Galliæ litus præsidebat.* Notavi etiam infra, in verbis, *qui Pannoniam præsidebat.* Pichena.

6 *Mithridates*] Dio Mithridatem quemdam nominat, prolem magni illius; cui Claudius regnum Bospori largitus sit. libro LX. Sed is alius debet fuisse ab illo. *Lipsius.*

7 *Et jam jamque Bosporum invasurus habebatur*] Duas particulas, *& jam*, delevimus, & pro *habebatur* scripsimus *videbatur*. Rhenanus.

8 *Diffisi propriis viribus Aquila & Cotys*] Falso in vulgatis, *diffisus*. Indicavit veram lectionem Flor. qui habet, *diffisis*. Restitui ergo, *diffisi*: de duobus enim sermo est. *Pichena.*

9 *Zorsines Soracorum rex*] Farnes. *Siracusorum* Vera scriptura, *Siracorum*. Nam & à Strabone in XI. Τὰ τῶν Σιράκων φῦλα dicuntur. Populi sunt ad Caucasum. *Lipsius.*

Qua Zorsines Soracorum rex hostilia resumpserat] Flor. *Siracusorum Rex.* Pichena. Quæ nota nescio unde trahatur. Scriptum est *Syracusorum*. Jac. Gronovius.

1 *Ador-*

racorum rex hostilia resumpserat, externas & ipsi gratias quæsivere, missis legatis
ad Eunonen, qui [1] Adorsorum genti præcellebat. Nec fuit in arduo societas, po-
tentiam Romanam adversus rebellem Mithridaten ostentantibus. Igitur pepigere,
equestribus prœliis Eunones certaret; obsidia urbium Romani capesserent. Tum composito 16
agmine incedunt: cujus frontem & terga Adorsi media cohortes & Bosporani tuta-
bantur, [2] nostris in armis. Sic pulsus hostis, [3] ventumque Sozam opidum Danda-
ricæ, quod desertum à Mithridate, ob ambiguos popularium animos obtineri relicto
ibi præsidio visum. Exin in Soraeos pergunt. & transgressi amnem Pandam, cir-
cumveniunt urbem Uspen, editam loco, & mœnibus ac fossis munitam; nisi quod
mœnia non saxo, [4] sed cratibus & vimentis, ac media humo adversum inrumpentes
invalida

1 *Adorsorum genti*] Straboni, Plinio, Ptolemæo, hi populi dicti, *Aorsi:* inter Scythas. *Lipsius.*

Qui Adorsorum (*Aersorum* Lipsius) *genti præcellebat*] Novo sensu hoc verbum hic, si tamen sanum. Fort. leg. *gente.* Acidalius.

2 *Nostris in armis*] Aliter exaudio, quam vulgus. id est, nostri in lateribus erant, & ad armos. Nec enim solos Romanos in armis fuisse censendum. sed cùm Aorsi in fronte agminis & tergo essent, in medio Bospotani, Romanos latera tutatos esse. Nisi tamen legendum, *nostris armis.* ut dicat Bosporanos, Romano ritu instructos armatosque: quod malo. *Lipsius.*

Nostris in armis] Sincerior lectio: *Nostri in armis*, subauditur, *erant.* Rhenanus. *Armos* in re militari nuuquam legi usurpatam pro lateribus. De interpretatione vero eadem mihi mens, & eruditissimo viro: nimirum Romanas cohortes, & Bosporanos Romanis armis instructos media tenuisse: at non concesserim dispungi τὸ *in*, quia Cornelius id sedulo hic è Virgilio deduxit: *Nec minus Æneas maternis sævus in armis.* Qui non infrequenter Virgilium æmulatur, & imitatur, licet ejus dicta propria non faciat, ea deflectens à significatu Poëtæ. Thucydides libro 12. (ait Demetrius) κἂν λάβῃ παρὰ ποιητοῦ τι, ἰδίῳ αὐτῷ χρώμενος, ἴδιον τὸ ληφθὲν ποιεῖ. nam quod Homero περίφρων magnitudinem designat, apud eum concordiam præ se fert. Nunc ex multis nonnulla decerpamus, quæ Tacitus per Virgilium scripsit. lib. 6. Æn. *non ulla laborum O virgo nova mi facies.* lib. 5. histor. *Ac rursus nova bellorum facies.* Ille lib. 6. Æn. *Assueta ripis volucres & fluminis alveo.* Item lib. 5. histor. *neque pisces aut suetas aquis volucres.* Publius lib. 6. Æn. *Jam senior, sed cruda Deo viridisque senectus.* Cornelius in vit. Agric. *& quibus cruda ac viridis senectus.* Apud Poëtam lib. 2. Æn. *Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.* Apud historicum in vit. Agric. *& aliquando etiam victis ira virtusque.* Tandem vates lib. 1. Æn. *Maturate fugam regique hæc dicite vestro.* Orator lib. 12. Ann. *in longinqua & contermina Scythia fugam maturavit.* Salinerius. Præcipuam Lipsii interpretationem non admiserim: scilicet, nostros fuisse in armis, hoc est, ad armos. Nam præter modum loquendi auctori nostro inusitatum, historia ipsa repugnat. supra enim dixit Julium Aquilam paucas cohortes habuisse. eæ deinde in acie collocantur una cum Bosporanis. præter hos, nihil Romanorum militum. Ergo illud, *nostris*, referri non potest ad milites Romanos, sed veram sententiam censeo, quam postremo idem Lipsius tangit: Bosporanos, quia una cum Romanis militabant, Romano etiam ritu fuisse armatos & instructos. Idem fere dixit lib. 2. *ut Tacfarinas lectos viros, & Romanum in modum armatos, castris assueret.* lib. 3. *Quadraginta millia* (id est Gallorum) *fuere, quinta sui parte legionariis armis.* hist. lib. 3. *mox donati civitate Romana, signa armaque in nostrum modum, desidiam licentiamque Græcorum retinebant.* Pichena. Cave sic exaudias, ut Lipsius, *in armis*, pro in lateribus, & ad armos. Nemo ita unquam locutus. Deinde quam errat idem Lipsius, cum explicat incessum agminis: & in fronte ejus ac tergo Adorsos, in medio Bosporanos, ad latera Romanos fuisse vult? Quomodo hoc ex Tacito colligas? qui ita, si sane verba interpretaris, describit: à fronte & à tergo Adorsos incessisse: ad latera cohortes (& accipe Romanos) & Bosporanos: in medio qui fuerint, non addit. Cohortes, quas dicit, non aliæ sunt nisi Romanæ, de quibus paulo superius: *Relictos in novo regno Cotyn juventa rudem, & paucas cohortium cum Julio Aquila, equite Romano.* Verba, *nostris in armis*, sic accipiam, quasi dicat, agmen hoc instructum fuisse in morem militiæ Romanæ. quod sensisse postea & Lipsius videtur, quamquam de solis Bosporanis: instructos hos armatosque Romano ritu. Et in hanc sententiam præpositionem *in* delet. Quod necesse ego non puto, & de toto agmine, non de unis Bosporanis accipiendum statuo. *Acidalius.*

3 *Ventumque Sozam opidum Dandarica*] Auctore Florentino scripsi, *Sozam.* Vulgo, *Soza.* Pichena.

Oppidum Dandarida] Correximus, *Dandaricæ*, subintelligitur, terræ. *Rhenanus.*

4 *Sed cratibus junctis*] Vatic. *cratibus & vimentis* probo. *Lipsius.*

Sed cratibus junctis ac media humo] Volumen regium habet, *sed cratibus vinctis ac vimentis media humo.* Quid si legas. *Sed croatibus, vinctis sarmentis media humo.* subauditur *existente.* Rhenanus. Se-

 qui-

invalida erant, eductæque altius turres facibus atque hastis turbabant obsessos. ac ni prœlium nox diremisset, cœpta patrataque expugnatio eundem intra diem foret.
17 Postero misere legatos, *veniam liberis corporibus* orantes; *servitii decem millia* offerebant. quod aspernati sunt victores, quia trucidare deditos sævum, tantam multitudinem custodia cingere arduum: [1] ut belli potius jure caderent. Datumque militibus, qui scalis evaserant, signum cædis. Excidio Uspensium metus ceteris injectus, nihil tutum ratis, cum arma, munimenta, impediti vel eminentes loci, amnesque & urbes juxta perrumperentur. Igitur Zorsines diu pensitato, Mithridatisne rebus extremis, an patrio regno consuleret; postquam prævaluit gentilis utilitas, datis obsidibus, [2] apud effigiem Cæsaris procubuit, magna gloria exercitus Romani, quem incruentum & victorem, tridui itinere absuisse ab amne Tanai constitit. Sed in regressu dispar fortuna fuit; quia navium quasdam, quæ mari remeabant, in litora Taurorum delatas circumvenere barbari, præfecto cohortis, & [3] plerisque centurionum inter-
18 fectis. Interea Mithridates nullo in armis subsidio, consultat cujus misericordiam experiretur. Frater Cotys proditor olim, deinde hostis, metuebatur: [4] Romanorum nemo id auctoritatis aderat, ut promissa ejus magni penderentur. Ad Eunonen convertit, [5] propriis odiis inoffensum, & recens conjuncta nobiscum amicitia

quitur Vaticani lectionem noster, qui habet, *cratibus & vimentis, ac media hume* supra autem notatum est, *modica hume*, quod non probo. *Pichena.*

1 *Ut belli potius jure caderent*] Hæc verba unde pendent, quo referentur? Suo loco excidisse puto, & sic transponenda: *custodia cingere arduum. datumque militibus, qui scalis evaserant, signum cadis, ut belli potius jure caderent. Excidio Vesp.* &c. *Acidalius.*

2 *Apud effigiem Cæsaris procubuit*] Romani primo fœni manipulis pro vexillo usi sunt: deinde signo Aquilæ, Lupi, Minotauri, ut alia omittam. Postremo Imperatorum imagines pro signis & vexillis habuerunt, & qui eas ferebant, *imaginarii* dicebantur. Inde ait hoc loco Tacitus Zorsinem ad imaginem Cæsaris procubuisse. & lib. 15. Tyridatem apud effigiem Neronis insigne regium deposuisse, nec nisi manu Neronis resumpsisse. Et paulo post. *sedens effigiem Neronis sustinebat.* Suetonius in Calig. cap. 14. *Transgressus Euphratem, Aquilas & signa Romana, & Cæsarum imagines adoravit.* Lupanus.

3 *Plerisque centurionum*] A Rhenano est, ex emendatione, ut ait, codicis Bud. Nam mei manuss. itemque editiones antiquæ, *plerisque consularium:* quidam, *consiliarium.* Verum puto, *auxiliarium.* Nam præit de Præfecto cohortis. *Lipsius.*

Plerisque consularium interfectis] Quidam emendarat in libro Budensi, *plerisque Centurionum interfectis.* Rhenanus. In veteribus nonnullis, ut ait Lipsius, legitur, *plerisque consularium.* In Flor. *consiliarium.* utrumque credo, corrupte. sensus exigere videtur, *classicorum*, vel, *classiariorum.* Pichena. Satis licenter agunt viri docti. Unde enim Lipsius venit ad *auxiliares*, quum vix credibile sit aliquem ex auxiliis in ea expeditione voluisse pontum transire ad provinciam Romanam: certe Tacitus nihil tale ostendit. Classicos autem vel classiarios ab Pichena adductos quod attinet, ne illos quidem adfuisse in illa nave ullos credi potest, quum nihil in eo exercitu fuerit, nisi paucæ cohortium, ut clare indicavit cap. 15. Auget ultra modum Heinsiana sagacitas in suspicando *communipularium*, quos sumpsit ex 4. hist. 46. Hunc locum inspice, & decerne, an ab tanta turba vocem usurpatam potuerit Tacitus transferre ad tam paucos in quibusdam navibus, qualibus per Pontum usos in libris seqq. describit. Ego semper solitus fui legere *contubernalium*, ut sint illi egregii milites, qui in contubernio hujus præfecti militare soliti, nunc cum ipso erant in eisdem navibus, ut pariter trajicerent; & de his contubernalibus ac contuberniis ducum quis non dixit? *Jac. Gronovius.*

4 *Romanorum nemo ejus auctoritatis aderat*] Miror quid ei venerit in mentem, qui in editione Romana aut Basileensi locum hunc adulteravit, pro, *id auctoritatis* scribens, *ejus auctoritatis.* Latine eleganterque dicitur *id auctoritatis*, sicut *id ætatis*, *id temporis*, *quidvis temporis*, *id genus*, *omne genus*, *quod genus* pro *ejus auctoritatis*, *ejus ætatis*, *ejus temporis*, *omnis generis*, & *cujus generis.* Ad hanc formam pertinet quod dixit lib. 16. *id honoris indicibus*, pro *ejus honoris*, quemadmodum illic admonebimus. *Rhenanus.*

5 *Propriis odiis infensum*] Franc. Modius è Rodolphi Agricolæ codice negationem inserit, *non infensum.* Quod approbo. Non enim Eunones à se Mithradatem oderat, sed in gratiam aspectumque Romanorum. *Lipsius.*

Propriis odiis infensum] Ex Agricolæ codice Modius, & eruditissimus vir addunt negationem, *propriis odiis non infensum.* Ego de vetere sententia non dece-

citia validum. Igitur cultu vultuque quam maxime ad præsentem fortunam compa-
rato, regiam ingreditur, genibusque ejus provolutus, *Mithridates*, inquit, *terra ma-
rique Romanis per tot annos quæsitus, sponte adsum. Utere ut voles prole magni Achæme-
nis, quod mihi solum hostes non abstulerunt.* At Eunones claritudine viri, mutatione 19
rerum, & [1] prece haud degenere permotus, allevat supplicem, [2] laudatque *quod gen-
tem Adorsorum, quod suam dexteram petendæ veniæ delegerit.* Simul legatos literasque
ad Cæsarem in hunc modum mittit: *Populi Romani imperatoribus magnarumque natio-
num regibus, primam ex similitudine fortunæ amicitiam: [3] sibi & Claudio, etiam commu-
nionem victoriæ esse. Bellorum egregios fines, [4] quotiens ignoscendo transigatur. Sic Zor-
sini victo nihil ereptum. Pro Mithridate, quando gravius mereretur, non potentiam, ne-
que*

decedo. *Odia propria* apud nostrum sunt odia non momentanea, sed quæ non facile deponuntur: ea enim vis τῦ *proprium*. Plaut. Mostell. *Atque illam amatorem tibi proprium futurum in vita.* Virg. 2. Æn. *nimium vobis Romana propago Visa potens, superi, propria hæc si dona fuissent.* Sensus est, Eunones licet in Romanorum gratiam conspiraverit cum aliis Regibus adversus Mithridatem, tamen habebatur exorabilis, utpote qui simultatum tenax non erat, immo id genus hominum invisum habebat, gnarus pœnatum, quæ inexorabiles sequuntur. Hom. Il. 1,506.

Ὃς δέ κ' ἀνήνηται, καί τε στερεῶς ἀποείπῃ,
Λίσσονται δ' ἄρα ταίγε Δία Κρονίωνα κιοῦσαι,
Τῷ Ἄτην ἅμ' ἕπεσθαι, ἵνα βλαφθεὶς ἀποτίσῃ.

i. qui autem renuerit dureque repudiaverit, Precantur igitur hæ Saturnidem adeuntes, Eum Atem una sequi, ut læsus pœnas luat. Vel Eunones alias ante Romanam societatem inimicus erat Mithridati propriaque odia exercebat. sed is adeo sibi à Romanis metuebat, ut genua regis infensi accidere sustinuerit. Sic Themistocles Atheniensium metu supplex fit Admeti Regis, & inimici. Thucyd. lib. 2. *Salinerius.* Neutra interpretatio est unius assis. Non prior, quia usus ille elegans τῦ *proprius* non est hujus loci: deinde si esset, quis ferat dicentem: *infensus diuturnis simultatibus, infensus iris plumbeis:* pro exorabili & non gaudente istis? Non altera, quia si vetus inter eos erat offensa, non id prætermisisset Tacitus monere, cum scriberet, Eunonem missis legatis sollicitatum: *nec fuisse in arduo societatem potentiam Romanam ostentantibus.* Sola igitur potentia Romana, momentum apud Eunonem habuit, non privatum ejus odium in Mithridatem. Sed & verba Mithridatis, quæ subjiciuntur, aliquam deprecationem τῶ μνησικακεῖν habuissent, si qua re antea Eunonem offendisset. Compara Themistoclis orationem ad regem Persarum. Excidit igitur haud dubie vox, sive fuerit, *propriis odiis non offensum*, sive *propriis odiis nullis offensum*, ut viri doct. videre. *Gronovius.* Lepida diversitas. Freinshemius nitens verbis 15, 64. *At Nero nullo in Paulinam proprio odio*, ubi clare patet genius & stylus Taciti, neaspicit quidem, quod ex codice Agricolæ erat productum. At Rycquius venditat (ita edidi ex MS. meo) nempe ut citavit Modius. Omnino recte Freinshemius id habuit pro interpolato: & sufficit huic rei probandæ, quod Tacitus non ita loquatur, præsertim quum ex hac voce habeat decompositum, quod fuit ipsi placitissimum, nempe *inoffensus*, ut 1, 56. *Siccitate & amnibus modicis inoffensum iter properaverat.* Et sæpius etiam alia, ut *improvisus*. Hoc igitur in singulorum lubitu mihi etiam placuit. *Jac. Gronovius.*

1 *Prece haud degenere permotus*] Ita scripsimus, ubi ante, *promotus*. Rhenanus.

2 *Laudatque quod gentem Adorsorum, quod suam dexteram petenda venia delegerit*] Libenter hic legerim contra vulgatas editiones omnes simul & scriptum exemplar: *Laudatque gentem Adorsorum, quod suam dexteram petendæ veniæ delegerit.* Nam hic indubie *suam* dixit pro *ejus*, ut & lib. 15. *Quod clam ad omen ac dolum sui exitii verteret*, sic enim ibi nobis legendum videri indicabimus. Et lib. 2. hist. de Nerone: *Sed sua immanitas, sua luxuria cervicibus publicis depulere.* Quomodo Cicero quoque loquitur & autores alii. *Rhenanus.*

3 *Sibi & Claudio, etiam communionem victoriæ esse*] Expressi lectionem Florentini, cui & Venetus consonat. Vulgo, *ex communione victoriæ*. Pichena.

4 *Quoties ignoscendo transigentur*] Scripsimus, *transigatur.* id accipiendum impersonaliter. *Rhenanus.* Ven. *transigantur*. Sed nihil muto. *Pichena.* Adeo meliorem esse lectionem contendo *transigantur* (nempe bella) ut alteram ne tolerari quidem posse putem, ut sensus corrupti ream. si enim *transigere* absolute ponas, de conventione quadam utriusque partis consensu inita intelligas, quod hic non potes. *Transigere* autem bellum, est perficere, quomodo *transigere negotia*, 3, 33. German. 22. *Freinshemius.* Mihi vero multo potius *transigatur*, in quo intelligo, *res, controversia, id quod bello quæritur.* Sic lib. 3. histor. *Affuit ut sæpe alias, fortuna populi Romani, quæ Mucianum viresque orientis illuc tulit; & quod Cremonæ interim transegimus.* Annon hic quoque verbum absolute ponitur? Numquid autem conventio utriusque partis consensu inita accipienda est? Non secus in Agricola: *Transigite cum expeditionibus: imponite quinquaginta annis magnum diem.* Gronovius.

1 *Præ-*

que regnum precari; sed ne triumpharetur, neve [1] *pœnas capite expenderet.* [2] At Claudius, quamquam nobilitatibus externis mitis, dubitavit tamen, accipere captivum pacto salutis, an repetere armis rectius foret. [3] Hinc dolor injuriarum, & libido vindictæ adigebat. Sed differebatur contra: *Suscipi bellum avio itinere, importuoso mari:* [4] *ad hoc reges feroces; vagos populos; solum frugum egens: tum tædium ex mora, pericula ex properantia, modicam victoribus laudem, ac multum infamiæ si pellerentur. quin arriperet oblata, & servaret exsulem:* [5] *cui inopi quanto longiorem vitam, tanto plus supplicii fore.* His permotus scripsit Eunoni, [6] *meritum quidem novissima exempla Mithridaten, nec sibi vim ad exequendum deesse; verum ita majoribus placitum,* [7] *quanta pervicacia*

1 *Pœnas capite expenderet*] Farnes. *exciperet.* At de more ipso plectendi in carcere triumphatos duces, suadeo omnino legas Fabrum lib. 11. Semestr. cap. 111. *Lipsius.*

Ne triumpharetur, neve pœnas capite penderet] *Imperatores*, ait Florentinus, *captivos vendere, ac per hoc servare, nec occidere solent:* quod de militibus accipio. De ducibus aliud jus est: siquidem Romani vitam Reguli à Carthaginiensibus minime deprecati sunt, quod duci captivo jure belli, nisi redimi se curaret, mors juste indiceretur. Eaque de re Jugurtha cum duobus filiis ductus in triumpho C. Marii, ante currum ejus, mox in carcere necatus Liv. lib. 67. Simon quoque Bargioras triumphatus, mox supplicio affectus est Vespasiani jussu, ut est apud Xiphilinum. Unde est quod Eunones apud Claudium pro Mithridate intercedit, & Caractacus ait Claudio, si incolumis servetur, fore se ejus clementiæ æternum exemplum. *Vertranius.*

2 *Atque Claudius quamquam*] Videtur vel delenda copula, *que*, vel legendum: *At Q. Claudius*, &c. *Ursinus.* Sed quis scripsit Claudio fuisse prænomen *Quinto?* Gronovius. Est lapsus Beroaldi ex aliis locis memoriæ infixis sic describentis; nam id ita se habet, & sæpe incipit periodum noster Tacitus ab illo *Atque*; sed propterea non est id ubique insulciendum, præsertim quum arceant libri veteres, prout nunc in libro Mediceo simpliciter exstat *At Claudius*, quod repetivi nec debeo propter id metuere. *Jac. Gronovius.*

3 *Hinc dolor injuriarum*] Forte, *huc dolor.* Lipsius.

4 *Ad hat reges feroces*] *Ad hoc* reposuimus, usurpatum à Livio Sallustioque. Sic infra: *Ad hoc gentium ductores circumire, hortari, firmare animos.* Item, *his permotus*, non *promotus.* Rhenanus.

5 *Cui inopi, quanto longiorem vitam*] Flor. *quin inopi*, quod vulgatæ lectioni non antefero. Fortasse scriptum erat *quoi* antiquo more, quod parum attentis librariis erroris causam sæpe dedit. Sic lib. seq. ubi legitur, *cui per nuptias Antoniæ gener erat:* veteres male habent, *qui per nuptias.* Pichena.

6 *Meritum quidem novissima exempla Mithridatem*] Sic lib. 5. *quamquam adversus sontes, & novissima meritos.* id est, mortem, omnium humanarum rerum novissimam, quam lib. eodem dixit *necessitatem ultimam.* Suetonius, & Livius, *ultimam pœnam.* Apul. *extremam pœnam.* I C. in L. 21. Dig. de pœnis. *Ultimum supplicium, mortem solam interpretamur.* Pichena.

7 *Quanta pervicacia in hostem*] A M. Antonio Mureto est, qui ingeniose veram lectionem pervidit. non vulgo erat, *quantalibet pertinacia in hoc tentata.* *Pervicacia* autem in Vatic. scriptum. *Lipsius.*

Quantalibet pervicacia in hoc tentata] Quid si legatur, *in nos tentata.* Rhenanus. Beato magis placet, *in nos tentata:* ego subscribo. *Vertranius.* Muretus, *verum ita majoribus placitum, quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum.* Eruditissimus vir pedibus it in ejus sententiam. Quam vellem ut ab his supersedissent, vocemque indignam populo Rom. ei se attribuere pepercissent. Tacit. lib. 12. ann. *ac præcipua Silurum pervicacia, quos accedebat.* pervicax ideo hæc gens, quod jam victa ab Ostorio minore militum numero, & loco Romanis iniquo, nihilo secius bellum redintegrabat: aptius autem id verbi cadit in Mithridatem, qui non semel à Romanis victus bellum reparavit: *nec fuit in arduo societas potentiam Romanam adversus rebellem Mithridatem ostentantibus.* ac verbum *tentatum* de ea re dicimus, cujus jam periculum fecimus. Liv. lib. 5. *ratus tentari potentiam, & tentatam contemni.* noster lib. 5. hist. *sic provecti tentato telorum jactu dirimuntur.* His percursis, dicimus Claudium ita respondisse Eunoni pro Mithridate intercedenti: animus ferebat, vis aderat ulciscendi Mithridatem; sed clementia majorum qua supplicibus sine fine indulgebant (licet expertus ego sæpe sim, quam is fuerit animi ad rebellandum obstinati) me ab incepto continet & avertit. Vel simplicius: sequar tamen majores, qui quantamvis pervicaciam deprehenderint in hoc: id est in ignoscendo, supplices tamen venia semper impertiebantur. *Salmerius.* Hic quoque non potuit non nugari vir optimus, cum meras nugas defendendas susciperet. Sive simplicius, sive duplicius tractatis verbis istis nihil sani sensus est. At *pervicacia in hostem* propria laus Romanæ virtutis. Appius apud Livium lib. 5. *An hic sit terror nominis nostri, ut exercitum Romanum non tædium longinqua expeditionis,*

cia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum. [1] *nam triumphos de populis regnisque integris adquiri.* Traditus post hæc Mithridates, vectusque Romam per 21
[2] Junium Cilonem procuratorem Ponti, ferocius quam pro fortuna disseruisse apud Cæsarem ferebatur. Elataque vox ejus in vulgum hisce verbis: *Non sum remissus ad te, sed reversus: vel si non credis, dimitte & quære.* vultu quoque interrito permansit, cum Rostra juxta, custodibus circumdatus, visui populo præberetur. [3] Consularia insignia Ciloni, [4] Aquilæ prætoria decernuntur. Iisdem consulibus atrox odii Agrippi- 22
na, ac Lolliæ infensa, quod secum de matrimonio principis certavisset; molitur crimina, & accusatorem, qui objiceret *Chaldæos, magos, interrogatumque Apollinis Clarii simulacrum super nuptiis imperatoris.* Exin Claudius inaudita rea, multa de claritudine ejus apud senatum præfatus, [5] *sorore L. Volusii genitam, majorem ei patruum Cottam Messallinum esse,* [6] *Memmio quondam Regulo nuptam* (*nam de C. Cæsaris nuptiis consulto reticebat*) addidit *perniciosa in rempublicam consilia,* [7] *& materiem sceleri detrahendam. Proin publicatis bonis, cederet Italia.* [8] Ita quinquagies sestertium ex opibus immensis exsuli relictum. Et Calpurnia illustris femina pervertitur, quia formam ejus laudaverat princeps, nulla libidine, sed fortuito sermone. [9] unde vis Agrippinæ citra ultima stetit. In Lolliam mittitur tribunus, à quo ad mortem adigeretur. Damnatus & lege repetundarum [10] Cadius Rufus, accusantibus Bithynis. [11] Galliæ Nar- 23
bonensi

tionis, non vi hiemis ab urbe circumsessa semel amovere posset, nec finem ullum alium belli quam victoriam noverit, nec impetu potius bella quam perseverantia gerat? Putavit *pervicaciam* tantum in vitio dici. Quasi non Tacito Helvidius *pervicax recti, constans adversus metus* lib. 4. histor. *Gronovius.*

1 *Nam triumphos de populis regnisque integris acquiri*] Id est, de iis, qui integri florentesque vincuntur, non de supplicibus, ac deditis. *Pichena.*

2 *Junium Colonem*] Hic & infra emendo, *Cilonem.* Dio auctor lib. LX. faceta narratione inserta super hoc homine. Præfuerat Bythynis, inquit. (nam Bithynia adjuncta, ut opinor, Ponticæ administrationi) & præfuerat nequiter, avare. Questi Bithyni apud Claudium sunt, poposceruntque pœnas. Cum parum intellexisset Claudius in turba strepituque adstantium, quid dixissent Bithyni, alios interrogat. Ibi Narcissus pronus in Cilonem, audaci mendacio edidit, gratias eos agere Ciloni. Tum ille, Præsit ergo eis alterum biennium. Dicitur autem Dioni Ἰούνιος Κίλων. & firmat Velius Longus: *Cilones*, ait. *vocantur homines angusti capitis & longi: chilones à brevioribus labiis dicti.* Glossæ: *Cilo*, προκέφαλος. Declamator in Sallustium, pro hominibus nequam improbisque accepit: *Quidquid impudicorum, Cilonum, parricidarum, sacrilegorum debitorum in tota urbe fuit.* Vide Festum, in *Chilo*, & *Cilones.* Lipsius.

Per Junium Cilonem procuratorem Ponti] Emendavit ex historia Lipsius. Vulgo, *Colonem.* Pichena.

3 *Consularia insignia Coloni*] Hic erat procurator Ponti: ideo Suetonius de Claudio; *Ornamenta consularia etiam procuratoribus & ducenariis indulsit*; id est, à senatu indulgenda curavit. Ita lib. 16. *Nero consularia insignia Asconio Labeoni petivit à Senatu.* Ceterum auctore Cassiodoro lib. 6. Variarum, insignia tributa fuere, latus clavus, tunica palmata, toga picta, quæ indueret: ensis, quem gereret: eburneaque sella, in qua sederet. Fasces vero datos procuratori minime credo, quod imperii signa essent, minusque tributum imperium proconsulare, licet quidam confundere videantur. *Vertranius.*

4 *Aquilæ prætoria decernuntur*] Hæc autem fuere, Latus clavus, toga prætexta, paludamentum, & curulis sella. Ex Cicerone & Livio observatum. *Vertranius.*

5 *Sorore L. Volusii genitam*] De cujus gentis nobilitate Rutilius in Itinerario:

Qui Volusi antiquo derivas stemmate nomen;
Et reges Rutulos, teste Marone, refert. Lipsius.

6 *Memmio quondam Regulo*] Vide Sueton. in Cajo, cap. XXV. itemque Dionem. Statim vox *Nuptiis* abest Farnes. codici: & illæsa sententia potest. *Idem.*

7 *Et materiam sceleri detrahendam*] Scripsimus, *materiem.* Sic lib. 2. *Si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloria.* lib. 3. *Præbuit juveni materiem adipiscendi favoris.* lib. 5. *Et materies criminandi.* Rhenanus.

8 *Ita quinquagies sestertium, &c.*] *Ita* non hic congruit. Scripserim *At* vel delerim potius, ex literis prioris vocis natum. *Acidalius,*

9 *Unde vis Agrippinæ citra ultima stetit*] Vis Agrippinæ intra mortem stetit: non adeo incendit eam, ut puniri capite vellet: quia laudaverat princeps fortuito nullaque libidine. *Ferretus.*

10 *Cadius Rufus*] Male ego olim, *Claudius*; male vir doctus, in Re nummaria, *Cordius* restituit. Est ille, de quo II. Histor. *Redditus Cadio Rufo, Pedio*

bonensi ob egregiam in patres reverentiam datum, [1] *ut senatoribus ejus provinciæ, non exquisita principis sententia, jure quo Sicilia haberetur, res suas invisere liceret.* Ituræique & Judæi, defunctis regibus [2] Sohemo atque Agrippa, provinciæ Syriæ additi. [3] Salutis augurium quinque & viginti annis omissum repeti, ac deinde continuari

dio Blæso Senatorius locus, qui repetundarum criminibus sub Claudio ac Nerone ceciderant. Si mutamus: legerem, *Tadius.* Lipsius.

11 *Gallia Narbonensi*] Annales temporum injuria intercepti, continebant, opinor, decretum Senatus, quo Siculis senatoribus Italia abesse licuit. Eorum exemplo, idem nostri provinciales obtinuerunt, *ob egregiam in patres reverentiam*, ait Cornelius: quippe qui *amore in urbem Romam, ut patriam communem, Romanis ipsis non concederent*, ut libro superiore Claudius Cæsar oratione sua in senatu testatus est. Fuerat enim edictum Augusti, *Ne quis senator sine jussu permissuve suo Italia excederet*; quod postea quoque observatum fuit, cum nulli Senatori, quam in Siciliam, aut Galliam Narbonensem, proficisci extra Italiam liceret. Et ne illo quidem, nisi prædia ibi possiderent, inquit Dio lib. 52. extremo. Et certe demulcentes atque laxantes animum in insulis Italiæ, edicti cancellos egressi non visi fuere: quia ut dicebat Ulpianus, *insulæ Italiæ pars Italiæ sunt.* Ideo eum pacatæ essent provinciæ, nostra & Sicilia, huic quod insulis idem tribuendum fuit, quæ modico freto ab Italia divisa, pars ejus existimatur, apud Justinum ex Trogo Pompejo lib. 4. at vero de Gallia Narbonensi non idem est, licet Italiæ junctam, & continentem, uti est, testetur Ulpianus. JC. D. de verborum signif. Sed Provincialibus idem quod Siculis tribuit senatus honoris causa. *Vertranius.*

1 *Ut Senatoribus ejus provinciæ*] Libera rep. liberum Senatoribus peregrinari etiam rei privatæ causa. Id tantum excogitatum, ut legatio libera peteretur à Senatu, sumereturque: quo majori abessent cum dignitate. Cicero sæpe. At lapsa rep. in servitutem, Senatoribus etiam adempta hæc libertas. Augustus id instituit imperio firmando, & ne quis illustriorum commeare ad exercitus aut conciliare milites provincialesve posset. Dio eleganter LII. in extremo: Προεκήρυξε πᾶσι τοῖς βουλεύουσι μὴ ἐκδημεῖν ἔξω τῆς Ἰταλίας, ἂν μὴ αὐτός τινι κελεύσῃ, ἢ καὶ ἐπιτρέψῃ. Καὶ τοῦτο καὶ δεῦρο ἀεὶ φυλάττεται. id est, *Edixit omnibus Senatoribus, ne quis eorum peregrinari extra Italiam vellet, injussu permissuve suo. quod interdictum ad hoc usque ævum servatur.* Quamquam præivisse ad hoc factum Augusto Julius videtur: *qui sanxit, nequis Senatoris filius nisi contubernalis aut comes Magistratus peregrè proficisceretur*, ait Sueton. c. XLII. Ubi libido mihi legendi, *ne quis Senator Senatorisve filius.* Si enim filiis interdictum; major ratio ut Senatoribus ipsis. In usu autem, ut commeatus peregrinandi a Cæsare ac Senatu peterentur. Suetonius Calig. c. XXIX. *Prætorium virum ex secessu Anticyræ propagare sibi commeatum sæpius desiderantem, cum mandasset interim;* &c. quo loco rejecta vocula scripserim, *Prætor. virum secessu Ant.* Sed Claudius à se solo id peti primus instituit. Sueton. c. XXIII. subobscure: *Commeatus à Senatu peti solitos sui beneficii fecit.* cui lucem do ex Dione: Τοῖς δ' οὖν, inquit, αἰτουμένοις, ὥστε ἔξω τῆς Ἰταλίας ἀποδημῆσαι, ἐφῆκε μὲν καὶ καθ' ἑαυτὸν ἄνευ τῆς βουλῆς. Τοῦτο μὲν καὶ νόμον τινὰ αὐτῷ δοκεῖν ποιεῖν, δόγμα γίνεσθαι ἐκέλευσε. id est, *Petentibus extra Italiam eundi commeatum, per se concessit, Senatu non consulto: quod tamen ut lege aliqua fieret videretur, jussit super ea re confici Senatus decretum.* Vide & L. XXII. *Ad municipalem.* Atque inprimis Cassiodorum: apud quem expressa Formula ipsa dandi hujus per principem commeatus, l. III. Variar. epist. XXI. Augustus tamen in hoc decreto suo Siciliam exceperat: sicut nunc Claudius Narbonensem, quia utraque provincia vicina & quasi suburbana. Dio: Πλὴν γὰρ ὅτι ἔς τε τὴν Σικελίαν καὶ ἐς τὴν Γαλατίαν τὴν περὶ Νάρβωνα, οὐδαμόσε ἄλλοσε βουλευτῇ ἀποδημῆσαι ἐξῆν. id est: *Excepta enim Sicilia, & Gallia Narbonensi, nusquam alio peregrinari Senatori fas est.* Ad hoc Claudianum interdictum respexit Suidas. etsi id paullo aliter effert, in Κλαύδιος. Ait: Νόμον ἔγραψε μὴ δύνασθαι βουλευτὴν ὑπὲρ ἑπτὰ σημεῖα τῆς πόλεως ὁδεύειν, χωρὶς τοῦ τοῦ Βασιλέως κελεύοντος. id est: *Legem tulit, ne cui Senatori abire urbe ad septimum lapidem fas esset, principis injussu.* Lipsius.

2 *Sohemo atque Agrippa*] Quorum ille Arabum Ituræorum, hic Judææ rex. *Sohemus* autem scribendum, aut certè Soæmus ex Dione: non Sohennius, ut edition. vulgatæ. Dio de Caligula. Ἐν δὲ τούτῳ, Σοαίμῳ τὴν τῶν Ἰτουραίων τῶν Ἀράβων, καὶ Πολέμωνι τὴν πατρῴαν ἀρχὴν ψηφισαμένης τῆς βουλῆς ἐχαρίσατο. De Agrippa & mutatione secuta vide Josephum XX. Antiquit. qui tamen nihil apertè de contributione Judæorum in Syros. Imo verò etiam nunc, ut antè, Præsides suos sive Procuratores habebant: qui adspiciebant quidem Legatum Syriæ, sed non assiduè audiebant. Quin & Agrippa junior rex etiam fuit, patre defuncto. Quomodo igitur *provinciæ Syriæ additi* noviter, cogitandum sit, aut a peritioribus rogitandum. *Idem.*

3 *Salutis augurium*] Quod è tenebris primus eruit Politianus: quem licet legas Miscell. cap. XIII. Dionem XXXVII. & LI. Festum in voce *Maximus Prætor.* Sed numerus in Tacito satin' verus? delibero. Nam suprema mentio capti hujus Augurii apud Dionem est anno urbis DCCXXV. cum & Janus item ab Augusto clusus. atqui ab eo die ad hunc DCCCII. urbis annum, non XXV. uti hic scriptum, sed LXXVII. intersunt anni. Ut ergo verus jullusque hic numerus sit, à Tiberio repetitum id augurium

nuari placitum. Et [1] pomœrium urbis auxit Cæsar more prisco; quo iis qui pro-
tulere imperium, etiam terminos urbis propagare datur. Nec tamen duces Roma-
ni, quamquam magnis nationibus subactis, usurpaverant, nisi [2] L. Sulla, & divus
Augustus. [3] Regum in eo ambitio, vel gloria varie vulgata. Sed initium conden 24
di, & quod pomœrium Romulus posuerit, noscere haud absurdum reor. Igitur à
foro boario, ubi æreum tauri simulacrum aspicimus, quia id genus animalium aratro
subditur, sulcus designandi oppidi cœptus, ut magnam Herculis aram amplecteretur;
tur; inde certis spatiis interjecti lapides, per ima montis Palatini ad aram Consi,
[4] mox ad Curias veteres, tum ad sacellum Larium: forumque Romanum & Capi-
tolium non à Romulo, sed à T. Tatio additum urbi credidere. Mox pro fortuna
pomœrium auctum. Et quos tum Claudius terminos posuerit, facile cognitu,
[5] & publicis actis perscriptum. C. Antistio M. Suilio consulibus [6] adoptio in Domi- 25
tium

rium necesse est Cornelio Cethego, Visellio Varrone Coss. anno urbis DCCLXXVII. *Idem.*

Salutis augurium] Breves notas scribenti longius esset æquo transferre in hunc locum, quæ de eo divinationis genere prodidit Dio lib. 37. Satis sit auctorem indicasse *Vertranius.* Scribit Suetonius in Aug. 31. Ipsum Augustum nonnulla ex antiquis cæremoniis abolita restituisse, inter quæ recenset Salutis augurium. Idem Dion memoriæ mandavit, qui ostendit modum fuisse Augurii, ut si Deus permittat salutem populo, poscant Augures, quasi ne salutem quidem petere à diis fas sit, nisi prius dii concesserint. Quintus Ciceroni lib. 1. de Divinat. *Tibi P. Claudius Consuls nuntiavit addubitato Salutis augurio bellum domesticum triste, ac turbulentum fore: quod paucis post mensibus exortum, paucioribus est à te diebus oppressum.* Observabatur autem una dies quotannis, in qua nullum ad bellum proficisceretur exercitus, nemo contra se pararet, nemo pugnaret, quod in bellis civilibus nunquam potuit observari. Quare Augustus pace orbi restituta, Salutis augurium omissum repetivit, & post eum Claudius. *Lupanus.*

1 *Pomœrium urbis*] Idque lapis etiam nunc testatur Claudiani ævi, Romæ:

TI. CLAVDIVS
DRVSI F. CAISAR
AVG. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT.
VIIII. IMP. XVI. COSS. IIII.
CENSOR. P. P.
AVCTIS. POPVLI. ROMANI
FINIBVS. POMERIVM.
AMPLIAVIT. TERMINAVITQ.

Auxit, post Britanniam Romano imperio adjectam. *Lipsius.*

2. *L. Sulla, & D. Augustus*] Non defendo te, Corneli: erras. Etiam C. Cæsar auxit interjectus inter eos duos. Agellius auctor lib. XIII. c. XIV. Dio lib. XLIII. Ταῦτα τε ἐποίει, καὶ νόμον τινὰ ἔθηκε, τό τε πωμήριον ἐπὶ πλεῖον ἐπεξήγαγε. Apud eumdem Antonius in laudatione Cæsaris funebri: Ὅ καὶ τὸ πωμήριον αὐτῆς (τῆς πόλεως) ἐπαυξήσας, ἐν τῷ βαλευτηρίῳ κατεσφάγη, &c. Cicero ad Attic. lib. XIII. *De urbe augenda quid sit promulgatum, non intellexi. id sane scire velim.* Juvat tamen aliquid nostrum, quod Suetonius exacte in tabulis diligentiæ, nihil hujus in Julio commemorat; & fortean concepta à Julio res, perfecta demum ab Augusto. Nam ille nugator apud Senecam ridiculus, qui *Sullam ultimum Romanorum protulisse pomœrium tradidit: quod nunquam Provinciali sed Italico agro acquisito mos proferre apud antiquos fuit.* Vide quæ huc faciunt, apud Vopiscum in Aureliano. *Idem.*

3 *Regum in eo ambitio*] Consule Onufrium in urbe Roma. *Idem.*

4 *Mox ad Curias veteres*] Ita manuss. & rectè. Varro de L. L. *Curia duorum generum. Nam & ubi curarent sacerdotes res divinas, ut curiæ veteres: & ubi Senatus humanas, ut curia Hostilia.* Festus: *Nova curia ad compitum Fabricium facta, quod parum ampla veteres à Romulo facta.* Plautus: *Sub veteribus ibi sunt qui dant, quique accipiunt fœnore.* Livius XLIV. *Ædes P. Africani pone Veteres ad Vortumni signum lanea'que* (scribe, *laniena'que*) *& tabernas conjunctas in publicum emit.* Ovidius easdem intellegit III. Fallor.

Janua tunc regis posita viret arbore Phœbi:
Ante tuas itidem Curia prisca fores. Lipsius.

Mox ad Curias veteres] Scripsimus, *in Curias veteres.* Rhenanus. Studiosurum causa notatum voluimus, fuisse Romæ Curias Veteres & Novas. In veteribus Pontifices sacra faciebant, in Novis Senatus habebatur. Arbitrabatur Martianus, vir in Romana antiquitate investiganda multum versatus, Novas fuisse, & Veteres appellatas, ratione aliarum, quæ post longo tempore fuerunt ædificatæ. *Lupanus.* Ceterum & hoc nosci interest in MS. Mediceo exstare *per ima montis Palatii ad aram Consi, mox Curias veteres*, ut particula *ad* in his non repetatur, & deleri debeat. Idem MS. habet *Larum*, non *Larium.* Jac. Gronovius.

5 *Et publicis actis perscriptum*] Ita scribendum; non, *præscriptum.* Ursinus. Lego, *perscriptum.* Etiam Muretus notavit. *Acidalius.* Clare satis ita legitur in Mediceo, & bene notavi, licet Ryckius

hunc

tium auctoritate Pallantis festinatur. qui obstrictus Agrippinæ ut conciliator nuptiarum, & mox stupro ejus illigatus, stimulabat Claudium, *consuleret reipublicæ, Britannici pueritiam robore circumdaret. Sic apud divum Augustum, quamquam nepotibus subnixum, viguisse privignos: a Tiberio, super propriam stirpem, Germanicum assumptum. Se quoque accingeret juvene, partem curarum capessituro.* His evictus, [1] biennio majorem natu Domitium filio anteponit, habita apud senatum oratione [2] in eundem, quem à liberto acceperat, modum. [3] Adnotabant periti, [4] nullam antehac adoptionem in-
26 ter patricios Claudios reperiri, [5] eosque ab Atto Clauso continuos duravisse. Ceterum actæ Principi grates, [6] quæsitiore in Domitium adulatione. [7] Rogataque lex, qua *in familiam Claudiam & nomen Neronis transiret.* Augetur & Agrippina cognomento *Augustæ.* quibus patratis, nemo adeo expers misericordiæ fuit, quem non Britannici fortunæ mœror afficeret. [8] desolatus paulatim etiam servilibus ministeriis,

hunc supprimat, suum & Reg producens, magnæ scil. utrumque fidei *Jac. Gronovius.*

6 *Adoptio in Domitium*] Agnosce ergo lector, & tolle librarii errorem (non enim ipsius Suetonii, puto) Neronis c. VII *Undecimo ætatis anno à Claudio adoptatus est, Annæoque Senecæ jam tunc Senatori in disciplinam traditus.* Adoptatus Nero XI. ætatis anno? Falsum, vel te judice & indice Suetoni. Nam idem scribis XVII. anno ad imperium eum pervenisse, quod & Tacitus & Dio adstruunt. Atqui ab hoc die ad imperium anni intersunt non quinque. *Duodecimo*, ergo in Suetonio scribendum: si ratio quidem constatura est. *Lipsius.*

1 *Biennio maiorem natu*] At infra, 13, 6. *septemdecim annos egressus* dicitur Nero, quum aliquanto post Britannicus *quartum decimum ætatis annum expleret.* Quorsum hæc? ut videas aut incusandum auctorem nobis quod tibi contradixerit; aut si ejus diligentiæ fidimus, locum hunc à librariis corruptum emendandum esse, sic, ut pro *biennio* legatur *triennio.* Freinsh.

2 *In eundem, quem a. l. a. modum*] Scire oportet præpositionem nullam esse in codice Mediceo, unde ab acumine Beroaldi productam fovent omnes, & pro Taciti parte habent. Perquam inique. Probabilius multo ederis *Eundem, quem a liberto acceperat, in modum*, quum in vocis ultimæ prima litera occultaretur. *Jac. Gronovius.*

3 *Ac notant periti*] Immo ipsemet, quasi parum reprehenderetur, identidem evulgavit, si vere Tranquillus in eodem Claudio 39. *Vertranius.*

4 *Nullam antehac adoptionem*] Atqui Tiberius Germanicum adoptavit, uti notum. Excusabunt id curiosi, quod Tiberius jam è Claudiis migrarat in gentem Juliam. *Lipsius.*

5 *Atta Clauso*] Secuti sumus spectatæ fidei codicem Vat. qui disertim habet *Atto Cluso.* superius tamen aliena manu l. addito, ut fieret, Attio. Ut mirer Jurisconsultum Vertranium scribere duos Vat. *Accio Clauso*, referre. Sed ille quidem nobis imposuit: ego si fallo, tum mihi quivis oculos

Istos, suppositis eruito manibus.

Facit à Vatic. in eadem bibliotheca vetus Sueton. qui initio libri tertii, *Attâ Claudio* refert. Et quidni probabile, cum Clausus recens è Sabinis esset, prænomen eum habuisse terminatione Sabinum? Emendandus ita, me judice, Livius libro II. *Atta Clausus, cui posteà Appio Claudio Romæ nomen fuit.* & l. X *Principem nobilitatis vestræ, seu Attam Clausum, seu Appium Claudium vultis.* De Clauso, manifestè post Virgilium Silius XVII. Punicor.

Hic prisca ducens Clausorum ab origine nomen
Claudia

Et Ovidius in Fastis:

Claudia Quincta genus Clauso referebat ab alto.

Lipsius.

Eosque ab Atto Clauso continuos duravisse] Ita Flor. & concordat Vat. ut ait Lipsius. Vulgo, *ab Atta Clauso.* Notavi etiam lib. 4. *Pichena.*

6 *Quæsitiore in Domitium adulatione*] Restitui Tacito suum verbum, Florentino prælucente, in quo legitur, *quæstiero*, cui suppositum fuit: *exquisitiore*, & est phrasis illi usitata. lib. 2. *Excepere Græci quæsitissimis honoribus* lib. 3. *quæsitiores iam, & plures Solon perscripsit.* & eodem: *quæsitior adulatio fuit.* Pichena.

7 *Rogata lex, qua in familiam Claudiam & nomen Neronis transiret*] Eum *adoptionis* morem attingit, quæ *per arrogationem* fiebat. de qua etiam Gellius. Cæterum & *nomen* hic pro gentili familia accipitur. Cintius, & Cicero in Topicis, *Gentiles*, inquit, *mihi sunt, qui eodem nomine vocantur.* Valer. Maximus auctor est, *à Q. Metello ejusdem nominis viros exhæredatos.* hoc est, agnatos, gentilesque suos: ut inde existimem; in tribus Romanis nominibus, ut C. Julius Cæsar, nomen Julii familiam significare. quo exemplo mihi nomen erit, *Alciatus*, *Andreas* magis cognomini quadrabit, quam prænomini, licet nemo non contrarium opinaretur. Sed alias latius. *Alciatus.*

8 *Desolatus paulatim*] Ita capio. Britannicus spoliatus exutusque paulatim non solum honestiore comitatu, sed etiam servulis; cùm Agrippina eos, quasi ad alia officia operasque avocaret. Desolatus, *μονωθεὶς*, solus relictus: uti lib. 1. *Nonanus opperiendas Tiberii epistolas clamitaverat; mox desolatus aliorum*

riis, [1] per intempestiva novercæ officia, [2] in ludibria vertebat, [3] intelligens falsi. neque
enim segnem ei fuisse indolem ferunt; [4] sive verum; seu periculis commendatus re-
tinuit famam sine experimento. Sed Agrippina, quo vim suam sociis quoque natio- 27
nibus ostentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, [5] veteranos coloniam-
que deduci impetrat; cui nomen inditum [6] ex vocabulo ipsius. Ac forte acciderat,
ut

rum discessione, imminentem necessitatem sponte præverit. Lipsius.

Desolatas paulatim] *Desolare*, est tamquam de solo dejicere. Virgil. *Vidimus ingentes & desolavimus agros.* *Desolatas* ergo dejectus est, & demissus. *Tacitus* lib. 16. *Viduata desolataque.* Ferretus. Immo ad solitudinem & vastitatem redigere. Vide 4. Observ. 21. *Gronovius.*

1 *Per intempestiva noverca officia*] Eruditissimus vir ad servos refert, qui ab Agrippina ad alia officia vocabantur. Videat lector. Ego dicerem Agrippinam amovisse à privigno plerosque familiarium liberos, & servos, quo ex comitatu Neronis & Britannici, populus *fortunam utriusque præsumeret*: & quo privignus non haberet, unde præceptis sive monitis imbueretur. Hæc de domesticis: idem de iis, qui foris ejus sortem querebantur. *Simulque qui centurionum tribunorumque sortem Britannici miserabantur, remoti fictis de caussis, & alii per speciem honoris etiam libertorum si quis incorrupta fide depellitur.* Eadem ergo ratio removendi domesticos, & extraneos: sed non idem prætextus. De extraneis clarum, non itidem de domesticis: nam per *intempestiva noverca officia* quo pacto quis animo defæcato interpretetur de servis ad alia officia vocatis? Mihi placet, Agrippinam prætendisse caritatem: hoc est, Britannico (quem penes se in Gynæceo vellet) familiares ut minime necessarios abstulisse. Id verò intempestivum est, quia jam ætas Britannici excesserat è magisterio feminarum: qui ad hoc loci undecim annos jam natus erat. Si enim anno 806. ab U. C. Nero sedecim annorum; (*D. Junio. Q. Haterio coss sedecim annos natus Nero*) majorque biennio quam Britannicus. (*bis evictas biennio majorem natu Domitium filio anteponit*) necessum est Britannicum C. Antistio & M. Suilio Coss (quibus ea ab Agrippina curabantur) annum jam decimum primum attigisse, *Salinerius.*

2 *In ludibria vertebat*] Et hic usurpat absolute *verto*, quemadmodum supra annotavimus. *Rhenanus.*

3 *Intelligens falli se*] Sincerior lectio, *intelligens falsi.* Gaudet autem hujusmodi constructionibus cum genitivo Tacitus. *Rhenanus.*

4 *Sive verum; seu periculis*] Desistite medici: nullum hic vulnus. Sive, inquit, re verà non segnis illi indoles fuit; sive pericula, & ex periculis favor, hanc ei famam circumdederunt. Alternans hic sermo per Tacito familiaris. lib III. *Longam & continuam absentiam paullatim meditans, sive ut amoto patre Drusus munia consulatus solus obiret.* Lib. II. *De se nihil addidit metu invidiæ, an ratus conscientiam facti satis esse.* Et exempla obvia *Lipsius.*

Sive verum seu periculis commendatus] In Budensi volumine legitur eodem modo, nisi quod illic est, *sive periculis.* Conjicio scribendum priori particula *sive* expuncta, *Verum seu periculis commendatus, retinuit famam sine experimento.* Rhenanus. Beatus priorem particulam *sive*, expungit, & legit *verum sine peric.* Ego priore expuncta, nihil muto: neque vere dici potest sine periculis Britannicum habitum non segnem, cui tot noverca tenderet dolos. Scribendum igitur, *fervat, verum seu periculis commendatus*, &c. quasi pericula non segnis indolis fecerint fidem. *Vertranius.*

5 *Veteranos coloniamque deduci impetrat;*] Sic optime Venetus. Quamquam enim Claudius uxoribus admodum obnoxius fuerit, tamen hoc neque ipse neque ceteri permisissent, ut Agrippinæ arbitratu atque adeo imperio veterani in colonias deducerentur, quæ res summo fastigio proxime connexa est. Scimus quidem magnam ejus fuisse potentiam, sed & hoc scimus non fuisse sua vi nixam, sed artibus atque blanditiis apud Claudium valuisse, perque eum quæ viderentur effecisse. quod ipsum sufficiebat ad ostentandam potentiam, etiam in præsenti negotio, cum appareret ejus unius suasu atque impulsu coloniam eam esse deductam. Sic etiam supra 12, 8. hæc eadem Agrippina *veniam exsilii pro Annæo Seneca, simul præturam*, non *imperat* certe, sed *impetrat.* Freinshemius.

6 *Ex vocabulo ipsius*] Parum ἀναλόγως ergo vulgo Colonia Agrippina dicitur, etsi ita passim in Æthico & Itinerario Antonini: melius Agrippinensis, aut Agrippinensium. Etiam Claudia agnominata, fide lapidis, quem totum adscribamus ad gratiam celeberrimæ urbis.

M. MARIO. M. F.
STEL. TITIO. RVFINO
COS.
LEG. LEG. I. MINER P. F.
CVR COL. CLAVD. AVG.
AGRIPPINENSIVM
PROCOS. PROV. SICILIÆ
CVR. AMITERNOR. PRÆF.
TR. PL. Q PROV. MACEDON.
SEVIR. TVRMAR. EQ. ROM.
TRIB. LATICL. LEG. I. ADIV. P. F.
IIII. VIRO. STLITIBVS. IVDIC.

Quo jure deducta colonia fuerit, Paulus lib. 11. De censibus: *In Germania inferiore Agrippinenses juris Italici sunt.* Lipsius.

ut eam gentem Rheno transgressam [1] avus Agrippa in fidem acciperet. Iisdem temporibus in superiore Germania trepidatum, [2] adventu Cattorum latrocinia agitantium. [3] Deinde L. Pomponius legatus auxiliares [4] Vangionas ac Nemetas, [5] addito equite alario, monuit, *ut anteirent populatores*, [6] *vel dilapsis improvisi circumfunderentur*. Et secuta consilium ducis industria militum, divisique in duo agmina, qui lævum iter petiverant, recens reversos, prædaque per luxum usos, & somno graves circumvenere. Aucta lætitia, quod quosdam è clade Variana,
28 [7] quadragesimum post annum, servitio exemerant. At qui dextris & propioribus
compendiis ierant, obvio hosti & aciem auso, plus cladis faciunt. Et præda famaque onusti, [8] ad montem Taunum revertuntur, ubi Pomponius cum legionibus opperiebatur, si Catti cupidine ulciscendi casum pugnæ præberent. Illi metu ne hinc Romanus, inde Cherusci, cum quis æternum discordant, circumgrederentur, legatos in urbem & obsides misere, decretusque Pomponio triumphalis honos, modi-
29 ca pars famæ ejus apud posteros, in quis carminum gloria præcellit. Per idem tem-
pus Vannius [9] Suevis à Druso Cæsare impositus, pellitur regno; prima imperii ætate clarus acceptusque popularibus; [10] mox diuturnitate in superbiam mutans, & odio accolarum, simul domesticis discordiis circumventus. [11] Auctores fuere Jubillius Her-

1 *Avus Agrippa*] Quod factum credo Agrippa & L. Gallo Coss. anno urbis DCCXVII. ex Dione lib. XLVIII. *Lipsius.*

2 *Adventu Cattorum latrocinia agitantium*] Muret. *Caucorum.* Acidalius.

3 *Deinde L. Pomponius legatus*] Parum cohæret narratio. Cui rei enim illud, *Deinde?* Vereor ut exciderint ea quæ de Sulpicii Galbæ & P. Gabinii expeditione adversum Cattos Marsosque Dio narravit, lib. LX. Quamquam ea gesta annis aliquot ante. *Lipsius.*

Deinde L. Pomponius legatus] Parum certe cohærens narratio, quod recte Lipsio animadversum. Nec tamen putem ea deesse, quæ censuit ipse Quin satis integer locus fore videtur, si *proinde* legas. *Acidalius.*

4 *Vangionas ac Nemetas*] Quo hanc importunam varietatem? Neque enim est Taciti; quod inde apparet, quia Beroaldus ediderat *Vangionas*; at qui exceperunt has vices, tam fuere naluti, ut eum sua sibi habere jusserint; ipsi luctantes contra vetustatem spretisque codicibus scriptis, quos hic inspexisse dissimulant omnes, nemo allegat, ita deformaverint Tacitum, id quod inchoatum fuit ab ipso Aldo. Scias, mi lector, in Mediceo planissime legi *Vangionas*, ut ex eo tum ipse, tum frater notavimus, ideoque restitui. Certe hæc singula potuit scire Cl Ryckius. Est jocus similis, quem notavi in Pomponio Mela 2, 5. *Jac. Gronovius.*

5 *Addito equite alario monuit*] Codex regius habet, *monitos* Opinor scribendum: *addit, equite alario monito.* Rhenanus.

6 *Vel dilapsis improvisis circumfunderentur*] Sic Flor. Vulgo, *delapsis.* Pichena. Hic quoque scribe *dilapsis*, in qua voce sæpe erratum. Hic Mur. etiam notaverat. *Acidalius.* Imo *dilapsis* jam recte edidit Beroaldus. *Jac. Gronovius.*

7 *Post quadragesimum annum*] Justa supputatio. Clades illa enim accepta, anno DCCLXIII. *Lipsius.*

Quadragesimum post annum servitio exemerant] Transpositiones hujusmodi Tacitus amat. Hanc ergo ex Flor. hic reposui. Vulgo, *post quadragesimum annum.* Pichena.

8 *Ad montem Taurum revertuntur*] Castigavimus, *Taunum.* Supra lib. I. *Positoque castello super vestigia paterni præsidii in monte Tauno expeditum exercitum in Cattos rapit.* Pomp. Mela in descriptione Germaniæ, *Montium*, inquit, *altissimi Taunus & Rhetico.* Occasionem errori præstitit ut ingens ita etiam celebris Ciliciæ mons *Taurus.* Paulo post scripsimus, *Vangio ac Sido.* Rhenanus.

9 *Suevis à Druso Cæsare*] Non genti toti Suevorum, sed iis qui Maroboduum & Catualdam reges comitati erant; *qui à Druso, ne quietas provincias immixti turbarent, Danubium ultra inter flumina Marum & Cusum locati sunt, dato rege Vannio gentis Quadorum*, ait noster lib. II. Annal. Vannii regnum in parte describit Plinius: *Campos & plana Jazyges Sarmatæ, montes vero & saltus pulsi ab his Daci ad Pathissum amnem, à More*, (Nescio, an corrig. *Maro*) *sive is Duria est, à Suevis regnoque Vanniano dirimens eos.* Lipsius.

10 *Mox diuturnitatem*] Lego, *diuturnitate.* Mutans, pro mutatus. quod apparet ex manuss. Varro: *In priore verbo graves prosodiæ quæ fuerunt, manent; reliquæ mutant.* Lipsius.

Diuturnitate in superbiam mutans] Comprobatur hæc Lipsii correctio a Flor. Vulgo, *diuturnitatem.* Pichena.

11 *Auctores fuere Jubillius Hermundurorum rex*] Muretus notat ex veteribus libris *Vibellius.* Acidalius.

Hermundurorum rex, & Vangio ac [1] Sido forore Vannii geniti. Nec Claudius, quamquam fæpe oratus, arma certantibus barbaris interpofuit, *tutum* Vannio *perfugium* promittens *fi pelleretur*. fcripfitque [2] P. Atellio Hiftro, qui [3] Pannoniam præfidebat, *legionem ipfaque è provincia lecta auxilia, pro ripa componeret, fubfidio victis, & terrori adverfus victores, ne fortuna elati, noftram quoque pacem turbarent.* nam vis innumera Ligii, aliæque gentes adventabant, fama ditis regni, quod Vannius [4] XXX. per annos [5] prædationibus & vectigalibus auxerat. Ipfi manus propria pedites, [6] eques è Sarmatis Jazygibus erat, impar multitudini hoftium: eoque caftellis fefe defenfare, bellumque ducere ftatuerat. Sed Jazyges obfidionis impatientes, & proximos per campos vagi, neceffitudinem pugnæ attulere, [7] quia Ligius Hermundurufque illic ingruerant. Igitur digreffus caftellis Vannius, funditur prœlio: quamquam rebus adverfis, laudatus, *quod & pugnam manu capeffiit, & corpore adverfo vulnera excepit.* Ceterum ad claffem [8] in Danubio opperientem perfugit. Secuti mox clientes,

lius. Ita quidem fervat codex Mediceus, n. *Vibillius*, ut ex meis Schedis publicavit Ryckius, adeo obfequens, ut nixus fimili fcripturæ 2, 63. plane nunc ita refcribat. Quod probo, & miror Freinshemium, qui fæpe hæc duo loco connotavit & contulit, nihil de hoc nomine dixiffe. *Jac. Gronovius.*

1 *Sido*] Ille ipfe qui poftea in partibus Vefpafiani. Tacit. 3. Hiftor. *Trahuntur in partes Sido atque Italicus reges Suevorum.* Lipfius.

2 *P. Atilio Hiftro*] Vatic. & Flor. *Atellio.* In veteri infcriptione reperio hominem: quæ fic habet fide Aldi.

SEX. PALPELIO. P. F. VEL.
HISTRO
LEG. TI. CLAVDI. CAESARIS
AVG. PRO. COS.
PR. TR. PL. X. VIR. STL. IVDIC.
TR. MIL. LEG. XIV. GERMANICAE
COMITI. PI. CAESARIS. AVG.
DATO. SVB. DIVO. AVG.

Quæ fi ad illum referenda, quod ego cenfeo: legend. hic, *fcripfitque Palpelio.* Lipfius.

Scripfitque P. Atillio Hiftro] Concordant in hoc nomine Vat. & nofter. Vulgati vero, *P. Attilio.* At Lipfius ex antiquo lapide fufpicatur verum ei nomen fuiffe: *Palpelio Hiftro.* Pichena.

3 *Pannoniæ præfidebat*] Quidam fcripti, *Pannoniam:* nec raro ita nofter. lib. IV. *Galliæ litus roftrata naves præfidebant.* Iterumque: *Litora oceani præfidebat.* Lipfius.

Qui Pannoniam præfidebant] Vulgo, *Pannoniæ.* Mutavi ex Flor. & dixi etiam alibi. *Pichena.* Recte, fed mox quoque in eo legitur tantum *componere.* Quod amplius eft, quum mox dicat *fubfidio victis & terrori adverfus victores*, ita jungens duo, ut cap. 14. *oftentus clementiæ fuæ & in nos dehoneftamento*, tamen nunc in eodem MS. Mediceo legitur *terrorem*, non *terrori*, ut edidit Beroaldus, & fine ullo murmure tenuerunt ad hoc ufque tempus pofteri, quum conftet plus quam credere poffumus, adfuiffe Tacito varietates in loquendo, quafi *fubfidio* ufurparet ex fuo more, quo fic dativos ponit, at *terrorem* maluiffet addere per epexegefin vel appofitionem τῶν *legionem & auxilia.* Jac. Gronovius.

4 *Triginta per annos*] Legitima ratio effet XXXIII. *per annos.* Lipfius.

5 *Prædationibus & vectigalibus auxerat*] Non hic accipienda arbitror tributa, quæ ob res urbi invectas evectafve folvuntur, fed potius agros vectigales intelligendum. Scribit Julius Fronto in opufculo de limitibus agrorum, *folitos veteres, quos agros de hoftibus capiebant, alios veteranis in præmia affignare, in alios colonias deducere: quofdam mancipibus in longum tempus locare, ut annuam aliquam mercedem principi darent:* hos *vectigales* dici. Auxerat igitur his regnum Vannius, non tributis aut portoriis, quibus Germanos nunquam atteri potuiffe, auctorum confenfu traditur. In hoc fenfu *vectigalium* mentio eft etiam Jurifconfultis. *Alciatus.*

6 *Eques è Sarmatis Jazygibus erat*] Quidam Jazyges & Dacos (hodie *Valacos* vocant) feparant, cum tamen hic Tacitus Jazyges Sarmatas vocet, & lib. 3. hiftor. Ptolomæus tamen Jazyges Metanaftas a Sarmatis fejungit & dividit. Hodie Jazygum tractum partim occupant Turcæ, partim Hungari. Hos Jazygas Tacitus lib. 3. hift. equitatus vi plurimum valere fcribit. Pomp. Mela lib. 3. Sarmatas habitu armifque Parthis proximos afcribit. Hodie quoque in equitatu funt præftantiffimi, utunturque in bello arcubus. Jazygas hodie vulgus appellat *Tranffylvanos*, ubi Septem caftra. Dacorum mentionem facit Tacitus, lib. 19. *Lupanus.*

7 *Quia Ligius Hermundurufque illic ingruerant*] Correximus, *ingruebant.* Item *Capeffit.* Infra cap. 31. *aditu angufto.* Rhenanus. Confentientibus Florent. & Venet. fcripfi *ingruerant*, pro *ingruebant*, ut in vulgatis. *Pichena.*

8 *In Danubio opperientem*] Nihil hic moleftum, quum & lib. 2. cap. 63. nomen hujus fluvii ita his rebus immifcuerit, ubi fecunda vice eum nominans codex

tes, & acceptis agris, in Pannonia locati sunt. Regnum Vangio ad Sido [1] inter se partivere, [2] egregia adversus nos fide: subjectis suone an servitii ingenio, [3] dum adipiscerentur dominationes, multa caritate, & majore odio postquam adepti sunt. At in Britannia [4] P. Ostorium proprætore turbidæ res excepere, effusis in agrum sociorum hostibus, eo violentius, quod novum ducem exercitu ignoto, & cœpta hieme, iturum obviam non rebantur. Ille gnarus primis eventibus metum aut fiduciam gigni, citas cohortes rapit: & cæsis qui restiterunt, disjectos consectatus, ne rursus conglobarentur. infensaque & infida pax non duci, non militi requiem permitteret; detrahere arma suspectis, [5] cinctosque castris Antonam & Sabrinam fluvios

dex scriptus habet *Danuvium*. Ergo nihil hic molestum, si modo Tacitus ita scripserit. Et forsan fuerit, ut voluminis hujus librarius contracte magis quam oportuit notaverit *in Davio*. Sic enim istie legitur. Id tamen exprobrari ei non debet, qui accurata sua manu tot jam dederit occasiones melius & doctius de Tacito cogitandi, aut sit hoc exemplum syllabæ omissæ, quo crimine mali delatores ei detrectant, sed quod excusent similia, ut qui aliis mons *Vesuvius*, aliis est *Vesbius* vel *Οὐέσβιος* &c. *Jac. Gronovius.*

1 *Intor se partivore*] Ex iisdem libris reposui, *partivere*. Alii, *partiti sunt*. Pichena. Ex vetere formula loquendi. Plautus in Amph. *Vos inter vos partito: ego abeo, negotium est.* Et in Asinar. *Prædam cum illis partiam:* Aurelius.

2 *Egregia adversus nos fide*] Ita Vatic. Livius lib. v. *Quamquam adversus Rom. nulla eis amicitia erat.* Noster lib. sss. *Et privignis cum vitrico levior necessitudo, quam avo adversus nepotem.* At vulgo, *apud nos fida* legeris, non Latine. *Lipsius.*

Egregia adversus nos fide] Restituit prius ex Vat. Lipsius. addo ego Florentini consensum. Male vulgo, *apud nos.* Pichena.

3 *Dum adipiscerentur dominationes*] Scio, *dominationes*, numero plurium recte dici. Tac. initio. lib. 13. *dominationibus aliis fastiditus.* Mallem tamen, *dominationem*, ut monui etiam lib. 6. in verb. *nihil abnuentem, dum dominationis apisceretur.* Pichena.

4 *P. Ostorinm propratorem*] Flor. *propratore.* Vide quæ supra notavi ad lib. 2. e. 66. & 3, 32. *Idem.*

5 *Cinctosque castris Antonam*] Aciem omnem habui ad hunc locum, nec quidquam pervidi. Libri vett. *cunctisque castris.* Forte: *detrahere arma suspectis, cinctisque: castris Antonam ad Sabrinam* (Ptolomæo est *Sabriana*) *fluvium cohibere parat.* Sive, ut Agricola legebat, *junctisque castris.* Antona sane civitas videtur, manetque hodie Northamptuna: quasi dicas Septemtrionalis Hammonis civitas. Nam, *Ton* priscis Britannis semper civitas. Olim divinavi, *cinctosque castris, Antona & Sabrina fluviis*, eo sensu, ut hostem vagum & metuentem pugnæ partim castris, partim fluminibus eingeret, & ab effusa populatione arceret. Sed ludimus aleam, in loco fortasse non pleno. *Lipsius.*

Cinctosque castris Antonam & Sabrinam fluvios] Invenio inter Britannos *Sabrianam æstuarium & ostia fluminis Trisantonis* Ptolom. lib. 2. quæ nomina non valde abhorrent ab *Antona* neque a *Sabrina. τὸ cohibere*, de altitudine nostro dicitur: *cohibita domnum altitudine.* Quis igitur vetat, ne etiam de latitudine dicatur? Ostorius uti dubios profligatis hostibus in fide retineret, eos jubet arma tradere, & fluvios Antonam & Sabrinam in rivos extenuare parat: idque est faciebat, quod fiducia fluminum sæpius homines rebellent, vel minus certe victoribus concedant. Hinc Darius quo deterreret Alexandrum. Curt. lib. 4. *Transeundum esse Alexandro Euphratem Tigrimque & Araxem, & Hydaspem magna munimenta regni sui.* Cæterum flumen Sicoris eodem modo rivis cohibetur. *Salmerius.* Florentinus: *cunctaque castris.* Alii, ut testatur Lipsius, *cunctisque.* hinc mihi levis quædam divinatio, *cunctosque ultra Antonam.* Pichena. Varie hic Lipsius, ad extremum, ut notaverat & Muretus: *cinctosque castris, Antona & Sabrina fluviis cohibere parat.* quasi hostem partim castris, partim fluminibus eingere voluerit ad prohibendam populationem. Nihil enim hoe meo judicio: vera lectio, & ex ea facillimus sensus, mutata voce *castris*, in *claustris*, ut fluvios ipsos claustra vocet. Et quid si pro *cinctos*, legas etiam *excinctos*, i. armis exutos, spoliatos: quod pulcherrime cum præeedentibus conveniat. Lege igitur, *Detrahere arma suspectis, excinctosque claustris Antona & Sabrina fluviis cohibere parat. Excingendi* verbum Silius Italicus lib. 15. in eundem sensum, ut quidem vult Scaliger ad Catullum. Nam ego non viso integro loco, verba ista nondum plane scio an sic capienda: *apparent mania Grajo Condita Massilia populis excincta superbis Barbarus immani qua terrtat accola ritu.* Acidalius. *Antona*, fl. *Nen* hodie vocatur, qui sæpe recurrentibus ripis per orientalem hujus provinciæ partem iter habet. Fluvius sane nobilissimus, &, nisi me fallo, à Romanis olim præsidiis munitus. Cum enim jam citerior Britanniæ pars sub Claudio in Romanorum potestatem ita cessisset, ut qui eam incolerent Romanorum socii dicerentur, & ulteriores Britanni sæpius in horum agros effusi omnia violentius raperent: ipsique socii facilius Romanorum imperia, quam vitia ferentes, subinde cum ulterioribus illis conspirarent; P. Ostorius (inquit Tacitus) *cinctos castris*

vios cohibere parat. Quod primi Iceni abnuere, [1] valida gens, nec prœliis contusi, quia societatem nostram volentes accesserant. hisque auctoribus circumjectæ nationes locum pugnæ delegere, septum agresti aggere & aditu angusto, ne pervius equiti foret. Ea munimenta dux Romanus, quamquam sine robore legionum sociales copias ducebat, perrumpere aggreditur, & distributis cohortibus, [2] turmas quoque, peditum ad munia accingit. Tunc dato signo perfringunt aggerem, suisque claustris impeditos turbant. Atque illi conscientia rebellionis, & obseptis effugiis, multa & clara facinora fecere. Qua pugna [3] filius legati M. Ostorius servati civis decus meruit. Ceterum clade Icenorum compositi qui bellum inter & pacem dubitabant: 32
& [4] ductus in Cangos exercitus. Vastati agri, prædæ passim actæ; non ausis aciem hostibus, vel si ex occulto carpere agmen tentarent, punito dolo. [5] Jamque ventum haud procul mari, quod Hiberniam insulam aspectat; cum ortæ apud Brigantes discordiæ retraxere ducem, destinationis certum, ne nova moliretur, nisi prioribus firmatis. Et Brigantes quidem, paucis [6] qui arma cœptabant interfectis, in reliquos data venia, resedere: [7] Silurum gens, non atrocitate, non clementia mutabatur, quin bellum exerceret, castrisque legionum premenda foret. Id

castris Antonam (*Ausonas* libentius legerim) *& Sabrinam cohibere parat.* Hoc est, ni male capio, munimentis ad fluvios dispositis statuit coërcere Britannos ulteriores, & provinciales, ne mutuas operas in Romanos traderent. Quis fluvius hic sit *ANTONA*, dixerit nemo. Lipsius nostræ ætatis Phœbus aut hanc nebulam dispulit, aut nubes me sane obduxit. Ad Northampton digitum intendit ille, & ego *Antonam* pro *Ausona*, ad quem sita Northamptona, in Tacitum subrepsisse opinor. Hic enim *Avona* in umbilico Insulæ surgens, ita ad Ortum tendit, & ejusdem nominis alter vicinus fl. *Sabrinam* petens, ita ad Occasum se confert, insulam transversam secantes, ut in Boreales Britanniæ partes transeunti alter ex his sit necessario transeundus. Quare cum Ostorius Sabrinam, & hos *Ausonas* communivisset, non erat cur è Wallia, vel septentrionali Britanniæ plaga suis Romanis, & sociis timeret, qui eo tempore proximam insulæ partem solummodo in provinciæ formam redegerant, ut alibi testatur ipse Tacitus. *Cambdenus.*

1 *Prœlus concussa*] Farn. *contusi.* Lipsius.

Valida gens nec prœliis contusi] Sic in Florentino recte, *contusi*, & etiam in aliis Manuscriptis, Lipsio teste. tamen repositum fuerat, *concussa*. Pichena.

2 *Turmas quoque peditum*] Ego scio numquam turmas peditum dici; quod tamen libri omnes præ se ferunt. Possit legi, *Turmas, quodque peditum.* Addo, Pichenam distinctione expedire, *Turmas quoque, peditum ad munia accingit.* Id est, turmas equitum (qui immunes) jubet peditum officia fungi. *Lipsius.*

Turmas quoque, peditum ad munia accingit] Constanti librorum omnium consensu hæc lectio confirmatur. Sed quoniam nulla in eis distinctio, videbaturque non bene, *turmas peditum*, dici; ideo Lipsius emendavit; *turmas quodque equitum.* Ego distinctione apposita, vocem, *peditum* textui reddidi, sensumque optimum expedivi. Ait enim: cum exiguum peditatum Ostorius haberet, turmas equitum adeo disposuit, ut *peditum* munia adimplerent. Transpositio Tacito familiarissima. Sic lib. seq. *militia ad labores vocaretur.* Pichena.

3 *Filius legati M. Ostorius*] Publii Ostorii scilicet filius, quem jam dixit proprætorem, & ita quoque mox & etiam *legatum* appellabit, & legatus erat Proprætore, qualiter in spectatione Brixiæ in Italia legas, de C. PONTIO. C. F. PALIGNO TRIB. M. LEG. X. GEM. CVR. LOCORVM PVBLIC. ITERVM. AEDIL. CVR. LEGATO PROPRAE. ITERVM EX. S. C. ET TI. CAESARIS D. Cæterum quod hic & alibi de corona civica Cornelius ait, explicandum ex Agellio Noctium v. c. vi. *Vertranius.*

4 *Ductus in Cangos exercitus*] Promontorium Καγγανῶν etiam Ptolemæus in Britannia agnoscit. sed qui fuerint proprie hi populi, certant. Ego hoc scio vicinos Icenis fuisse, & cum iis restituendos Cæsari lib. v. Corrupte enim ibi legas, *Cenimagni, Segontiaci, Bibroci, missis legationibus, sese Cæsari dediderunt.* Nam Cenimagni nusquam lecti inter Britanniæ gentes. Divido, & scribo: *Iceni, Cangi.* Capio judicem te Guilielme Camdene, qui Britanniæ tuæ nebulas claro ingenii sole nuper illustrasti. *Lipsius.*

Et ductus in Cangos exercitus] Cum Flor. & Vat. habeant; *inde Cangos*; suspicor legendum, *inde in Cangos.* Pichena.

5 *Jamque ventum haud procul mari*] Vulgo, *Jam ventum.* addidi copulam ex Flor. *Pichena.*

6 *Qui arma cœptabant*] Forte, *cœptarant.* ut auctores rebellionis capias. *Acidalius.*

7 *Silurum gens*] Ita correximus. Nam quidam *Silurum* verterat in *Sylvarum.* alius addidit R. & fecit *Sylurarum.* Rhenanus.

quo promptius veniret, [1] Colonia Camalodunum valida veteranorum manu deducitur in agros captivos, subsidium adversus rebelles, & [2] imbuendis sociis ad officia legum.
33 Itum inde in Siluras, super propriam ferociam, [3] Caractaci viribus confisos: quem multa ambigua, multa prospera extulerant, ut ceteros Britannorum imperatores præmineret. [4] Sed tum astu, locorum fraude prior, vi militum inferior, transfert bellum in [5] Ordovicas, additisque [6] qui pacem nostram metuebant, novissimum casum expe-

1 *Colonia Camalodunum*] Quod opidum antea, regum in eo tractu sedes. Dio *Καμουλόδουνον τὸ τῆς Κυνοβελλίνου βασίλειον* appellat. At Camalodunum lapidi prisco insculptum, ecce tibi. CENSITOR. CIVIVM. ROMANORVM. COLONIAE. VICTRICENSIS. QVAE. EST. IN BRITANNIA CAMALODVNI. Duplex autem eo nomine opidum, alterum in Brigantibus, alterum in Trinobantibus, colliges ex Ptolemæo Plinioque. Nescio an nomen illis a peculiari aliquo & indigena deo: cujus fortean mentio in hoc lapide:

CAMVLO. SANC.
FORTISS.
SAC.
TI. CLAVDIVS. TI. F. QVIR.
TERTIVS.
MIL. COG. VII. PR. T. VERI
L. D. D. D.

Camulus indigena deus, idem qui Mars. *Lipsius.*

Colonia Camalodunum] Ejusdem coloniæ meminit etiam lib. 14. *Pichena.* De qua contulit plurima Cambdenus in *Essex* pag. 281. aut nihil sciens aut nihil curans *Camulum* in titulo isto memoratum, vel *Camulodunum* ex optimo Mediceo codice, quum hodie illic reperiret *Malden*, adeo ut Camalodunum genuinum esse nomen adfirmet etiam ex Dione, unde Lipsius clare citavit *Καμυλόδουνον*. Mirum unde ex inscriptione citet Ryckius COLONIAE VICTRICIS. *Jac. Gronovius.*

2 *Imbuendis sociis ad officia legum*] Olim monui legendum esse, *ad officia legionum.* Et hoc vult Tacitus, idque institutum fuit Romanorum. *Boxhornius.* Perperam & tunc & olim. Veteranos eo deductos ait, à quibus & illi, qui essent in armis, repellerentur; & qui in ditione, legibus & imperiis Romanis adsuescerent, sub fascibus vivere addiscerent. *Gronovius.*

3 *Caractaci viribus*] Dio *Καταράτακον* nominat, alii *Catacratum*: Zonaras *Caratacum.* *Caradocum* vocasse videntur Britanni. Certe etiam hodie locus est, & in eo parietinæ arcis, quem *Caer Caradoc* vocant: id est opidum sive arcem Caradoci. *Lipsius.*

4 *Sed astu, tum*] Amplector Florentinam scripturam. *Sed tum astu, locorum fraude prior*: ut sit sensus, astu translatum ab eo bellum, quia fraude ex locorum peritia prior esset. Monuit Pichena. *Idem.*

Sed tum astu, tum locorum fraude prior] Vel *sed astu tum locorum fraude prior*, quod æqui bonique facio. *Astus*, qui alias dicitur *furta belli*, est pars præcipua bellandi: Hom. A. *ἢ ὁδὸν ἐλθέμεναι, ἢ ἀνδράσιν ἶφι μάχεσθαι.* 1. Vel ad insidias ire vel fortiter adversus viros pugnare. Et *Οὔτε λόχονδ' ἰέναι σὺν ἀριστήεσσιν Ἀχαιῶν.* i. neque ad insidias ire cum optimis Græcorum. *Fraus locorum* peritia locorum Virg. lib. 9. *quem jam manus omnis Fraude loci, & noctis subito turbante tumultu Oppressum rapit.* Agitur de Euryalo oppresso ab equitibus locorum gnaris. *Objiciunt equites sese ad divortia nota.* Qua de re Caractacus his fretus, transfert bellum in Ordovicas, ubi utrisque locus esset. Eruditissimus vir in sec. cur. ex his composuit *actutum*, nefas ratus Britannum melius *τὰ στρατηγήματα* callere, quam Ducem Romanum. Verum quisnam Caractacus ille? princeps inter Siluras, qui ab Hispanis gente astutissima originem ducunt. Tac. in Agric. *Silurum colorati vultus, & torti plerumque crines, & positu, contra Hispaniam iberos veteres trajecisse, easque sedes occupasse fidem faciunt.* Et is super vim originis quæ durat, *proximi Gallis & similes sunt durante vi originis.* per prospera & per adversa multum profecerat. *Caractaci viribus confisos, quem multa ambigua, multa prospera extulerant, ut ceteros Britannorum imperatores præmineret.* Salinerius. In vulgatis: *Sed astu, tum locorum fraude prior.* Ego Florentini lectionem longe meliorem reposui: *Sed tum astu, locorum fraude prior.* Sensus est Caractacum locorum fraude ac peritia priorem, inferiorem vi militum, transtulisse astu bellum in Ordovicas. Paneg. ad Maximianum. *Sed neque illa fraudes locorum, nec quæ plura inerant perfugia silvarum, barbaros tegere potuerunt.* Pichena. Malim, *locorumque.* Illud, *que*, abstulit sequens litera *f.* In libris enim antiquis *que* contracte scribitur converso *f.* estque quasi *q.* *Boxhornius.* Hoc nempe deerat. Et tamen Ryckii amicus redit ad vulgata *sed tum astu, tum locorum f. p.* Ita ille non novit pretium statuere historicorum antiquis libris. Sed quis non applaudat ingenio Pichenæ, quod vides? Immo quis audiens aliquem describi ut locorum fraude priorem, eumque transferre bellum in hanc vel illam regionem, non ultro & statim supponet illum id facere astu, ut hic exprimi debeat, & nisi sit expressus, sermonem non esse plenum cogitet? Perspicue colligas ex Mediceo Tacitum scripsisse *sed tum astu, loco, tum fraude prior.* Sunt certe tria diversa, & ab bellis vix separanda. *Jac. Gronovius.*

5 *Ordovicas.*] Ita correximus pro *Ordolucas.* Britanniæ populus est. *Rhenanus.*

6 *Qui pacem nostram*] Libri aliquot editionum vete-

experitur; sumpto ad prœlium loco, ut aditus, abscessus, cuncta nobis importuna, & suis in melius essent. Tunc montibus arduis, & si qua clementer accedi poterant, in modum valli saxa præstruit: & præfluebat amnis vado incerto, [1] catervaque * majorum [2] pro munimentis constiterant. Ad hoc gentium ductores circum- 34
ire, hortari, firmare animos, minuendo metu, accendenda spe, aliisque belli incitamentis. Enimvero Caractacus huc illuc volitans, *illum diem, illam aciem testabatur, aut recuperandæ libertatis,* [3] *aut servitutis æternæ initium fore.* vocabatque nomina ma-

veterum, *pacem in iram.* Ego legerim, *pacem an iram nostram.* Duplex scilicet stimulus capiendi arma in Romanos: sive quod pacem & servitutem multi timerent, sive quod extrema ab iratis. *Lipsius.*

Qui pacem nostram metuebant] Hi sunt reliqui Britannorum, ad eam diem Romanis intentati, qui metuebant ne reddita victis pace, contra se veniretur. Eruditissimus vir *pacem an iram nostram*, & interpretatur: at vulgata tum scriptio, tum sensus faciliora sunt. *Salinerius.* Libri aliquot editionum veterum; *pacem in iram.* Unde vir doctissimus *pacem an iram*, ut duplex ad arma stimulus his gentibus fuerit: sive quod pacem & servitutem multi timerent, sive quod extrema ab iratis. Sed non video si ab iratis sibi metuebant, cur ad iram provocandos crederent: donec enim in officio manerent, iram Romanorum hand sane metuendam habebant. Forte legendum sit *qui pacem in iram mutabant.* quomodo *pacem bello mutare.* Item *mutare in perfidiam, pœnitentiam* &c. alibi apud nostrum reperias. Quamquam ne mihi blandiar, hæc quoque non satisfaciunt. Tentem ergo sic quoque, *qui parem injuriam metuebant*, quod quidem sensum evidentissimum præstet. nec enim temere firmius ineundæ societatis vinculum, quam ejusdem periculi metus. Dicemus aliqua (volente Deo) ad ista Curtii 8, 4. *Inde ventum est in regionem Oxydracarum Mallorumque quos alias bellare inter se solitos, tunc periculi societas junxerat.* Freinshemius. Frustra moliuntur. *Pax* eleganter interdum est idem quod imperium. Seneca de Clementia 1, 1. *Hæc tot millia gladiorum, quæ pax mea comprimit.* Cap. 4. *Hic casus Romanæ pacis exitium erit: hic tanti fortunam populi in ruinas aget.* Sed & cap. 8. *tibi in tua pace armato vivendum est.* In regno vel imperio tuo, quod pace contines, ubi aliis pacem præstas. De Providentia cap. 4. *Omnes considera gentes, in quibus Romana pax desinit.* Plinius lib 27, 1. *Immensa Romanæ pacis majestate non homines modo diversis inter se terris gentibusque verum etiam montes & excedentia in nubes juga, partusque eorum & herbas quoque invicem ostentante.* Arrianus lib. 3. Epict. cap. 22. Ἄν τίς σε δαίρῃ, κραύγαζε πᾶσιν ἐν τῷ μέσῳ, ὦ Καῖσαρ, ἐν τῇ σῇ εἰρήνῃ οἷα πάσχω. Ergo *pacem nostram metuunt*, qui detrectant imperium nostrum: qui verentur, ne & ipsi veniant in ditionem nostram. Sic quoque supra Tacitus: *terrori adversus victores, ne fortuna elati nostram quoque pacem turbarent.* hoc est, in fines nostros facerent incursiones: nos quoque adorirentur. *Gronovius.*

1 *Catervaque majorum*] Lego, *catervaque nationum.* Solitum ita Britannis Gallisque struere aciem per nationes, ut discreta virtus elucceret. *Lipsius.*

Catervaque majorum] An electi ergo *majores* corpore, qui ad saxeas illas sepes starent, uti commodius prospicere possent, scilicet. Ineptissime. Quid si enim iidem magni simul & timidi atque ignavi, uti videmus plerumque, tot præcipue numero hic colligendis? Immo natio quædam Britannica est, cujus nomen obliteratum hoc loco, proposita autem cæteris ad locum periculosissimum, quia vilior, nec verorum Britannorum domestica velut aut cognata. Talis ergo gens insulam *Maniam* aut *Moniam* habitans, ambigentibus populis tandem Britanniæ adscripta, & ob hoc utique vel vilior vel exosior. Scribendum ergo arbitramur. *Catervaque Moniorum*, aut *Maniorum.* De his autem, quæ modo retulimus, legi possunt apud Silvestrum Giraldum sui temporis illustrem eruditione scriptorem in Topographia Hiberniæ. cap. xv. *Barthius.* Quod Lipsius, *catervaque nationum*, emendavit, firmari videtur, ex ipso Tacito, qui statim ait, *gentium ductores.* ac deinde, *gentili quisque religione.* Pichena. Legit vir doctissimus *catervaque nationum*, quod solitum ita Britannis Gallisque struere aciem per nationes. Propius autem tam à scriptione, quam sensu ac historia absit si legas *catervaque armatorum.* Sic enim de his iisdem Britannis in Agric. 37. *caterva armatorum paucioribus terga præstare.* Freinshemius.

2 *Pro munimentis constiterant*] Cave intelligas, ipsas catervas fuisse, vice munimentorum. Sed eodem modo dicitur, quo supra, *pro ripa componeret.* Pichena.

3 *Aut servitutis æternæ*] Nescio an elegantius veriusque, *aut servitutis æternæ fore*, voce deleta. *Lipsius.*

Illum diem, illam aciem testabatur, aut reciperandæ libertatis, aut servitutis æternæ initium fore] Libenter cum Lipsio delerem vocem *initium*: intrusam ab imperio phraseos Cornelianæ. Et ferrem tamen, si conveniret, & aptari cum præcedentibus omnino posset. Sane ita recte dixeris, *Illum diem servitutis æternæ initium fore.* Sic in Agric. *Hodiernum diem consensumque vestrum initium reciperandæ libertatis atque Britanniæ fore.* At durum fuerit sic, *illam aciem fore servitutis initium.* Nec eleganter ita, *il-* lum

majorum, qui dictatorem Cæsarem pepulissent: quorum virtute [1] *vacui à securibus & tri-*
butis, intemerata conjugum & liberorum corpora retinerent. Hæc atque talia dicen-
ti, adstrepere vulgus; gentili quisque religione obstringi, *non telis, non vulne-*
ribus cessuros. Obstupefecit ea alacritas ducem Romanum: simul objectus amnis,
35 additum vallum, imminentia juga, nihil nisi atrox & propugnatoribus frequens,
terrebat. Sed miles prœlium poscere, [2] *cuncta virtute expugnabilia* clamitare, præ-
fectique ac tribuni paria disserentes, ardorem exercitus incendebant. Tum Osto-
rius, circumspectis quæ impenetrabilia, quæque pervia, ducit infensos, am-
nemque haud difficulter evadit. Ubi ventum ad aggerem, dum missilibus certa-
batur, plus vulnerum in nos, & pleræque cædes oriebantur. Postea quam facta te-
studine, rudes & informes saxorum compages distractæ, parque cominus acies, [3] de-
cedere Barbari in juga montium. Sed eo quoque irrupere ferentarius gravisque mi-
les: illi telis assultantes; [4] hi conferto gradu, turbatis contra Britannorum ordinibus,
apud quos nulla loricarum galearumve tegmina: & si auxiliaribus resisterent, gladiis
ac pilis legionariorum; si huc verterent, [5] spathis & hastis auxiliarium sternebantur.
. clara ea victoria fuit, captaque uxore & filia Caractaci, fratres quoque in deditio-
nem accepti. Ipse (ut ferme intuta sunt adversa) cum fidem Cartismanduæ reginæ
36 Brigantum petivisset, vinctus ac victoribus traditus est, [6] nono post anno quam bel-
lum in Britannia cœptum. Unde fama ejus evecta insulas, & proximas provincias perva-
gata, per Italiam quoque celebrabatur: avebantque visere, quis ille tot per annos opes
nostras sprevisset. Ne Romæ quidem ignobile Caractaci nomen erat. & Cæsar dum
suum decus extollit, addidit gloriam victo. Vocatus quippe ut ad insigne spectacu-
lum populus. Stetere in armis prætoriæ cohortes, campo qui [7] castra præjacet.

Tunc

lum diem vel aciem fore initium reciperandæ libertatis. Quod si deleas, ex omni parte oratio examussim sibi quadrat. Et tamen diversi locutionum modi sunt, *fore recipiendæ libertatis*, & *fore æternæ servitutis.* Ille vulgatior & aliis etiam frequens: hic uni Tacito, nisi fallor, usurpatus, & illi ipsi raventer. Exemplum unum nunc occurrit 3. Annal. *Præerat castello Decrius impiger manus, exercitus militia, & illam obsidionem flagitii ratus.* Quod ipsum non peregrinius ad aures nostras accidere debet, quam Suetonii illud August. 43. *Prisci decorique moris existimans, claræ stirpis originem sic innotescere:* & multa similia, vulgi etiam usu trita. Tacit. iterum in Germ. *Cedere dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur.* Acidalius.

1 *Vacui à securibus & tributis*] Id est, à servitute Romanorum. Nam fascibus quibus alligatæ secures essent, uti solebant Magistratus Romani. *Lupanus.*

2 *Cuncta virtute expugnabilia clamitare*] Mallem, *virtuti.* Idem fere in vita Agric. *nihil virtuti suæ invium.* Pichena.

3 *Decedere barbari in juga montium*] Malim, *recedere.* Hoc enim magis adsignificet retrocessionem. *Acidalius.*

4 *Hi conferto gradu*] Legendum ajo, *conserto gradu.* Aperte enim opponit telis quæ eminus jaciuntur. idque est quod alii *collato gradu*, *collato pede*, *collatis signis* dimicare vocant. Sic *conserere pugnam*, alibi noster, & 6, 35. *consertam aciem* dixit, ubi pede pes, viroque vir hærebat. *Freinshemius.*

5 *Spathis & hastis auxiliarium*] Observa diversa arma inter legionarios, auxiliaresque, illis gladios & pila; his spathas & hastas tribuit. Spathas autem, *gladios majores* interpretatur Vegetius, lib. ss. cap. xv. *Lipsius.*

Spathis & hastis] Mirum est Tacitum iam felici seculo *Spatha* verbo prorsus Barbaro usum, quod leges apud Spartianum in Adriano, & Capitolinum in Maximinis duobus. *Lupanus.* Mirum est barbarum vocari, quod Græcum & ipsius Menandri est. *Gronovius.*

6 *Nono post anno*] Atqui bellum cœpit Claudio tertium, L. Vitellio secundum Coss. ut Dio clarè tradidit: nec inde ad hunc diem plus annos septem numeraveris, ut suspicio jure numeralis mendi sit. Pugnant etiam hæc cum iis, quæ tertio Histor. scribuntur: *Carthismandua*, inquit, *Brigantibus imperitabat, pollens nobilitate: & auxerat potentiam, postquam capto per dolum rege Caractaco instruxisse triumphum Claudii Cæsaris videbatur.* Nam triumphus Claudii aliquot annis anterior: nec in eo herclè ductus iste Caractacus. Ut nihil dici possit, quin Tacitum in Historiis aut memoria fefellerit, aut provexerit calor quidam scriptionis. *Lipsius.*

7 *Castra præjacet*] Vatic. *castris.* Et statim lego *regiis clientelis* pro vulgato *clientulis.* Lipsius.

1 *Plu-*

Tunc incedentibus regiis clientelis phaleræ torquesque, quæque externis bellis quæsierat, traducta; mox fratres, & conjunx & filia: postremo ipse ostentatus. Ceterorum preces degeneres fuere, ex metu. At non Caractacus aut vultu demisso, aut verbis misericordiam requirens, ubi tribunali astitit, in hunc modum locutus est: *Si* 37
quanta nobilitas & fortuna mihi fuit, tanta rerum prosperarum moderatio fuisset, amicus potius in hanc urbem, quam captus venissem: neque dedignatus esses claris majoribus ortum, [1] *pluribus gentibus imperitantem fœdere pacis accipere. Præsens sors mea, ut mihi informis, sic tibi magnifica est. habui equos, viros, arma, opes. quid mirum, si hæc invitus amisi?* [2] *Num si vos omnibus imperitare vultis, sequitur ut omnes servitutem accipiant? Si statim deditus traderer; neque mea fortuna, neque tua gloria inclaruisset: & suppli-*

1 *Pluribus gentibus imperitantem*] Ita Flor. Vulgo, *imperantem.* Pichena.

2 *Nam si vos omnibus imperitare*] Falso vero hoc & inepte dicitur. Id ne consequens, ut qui velit, quod velit possit? Ego me Britannis regem esse volo: illi accipiant? Emendo priorem voculam, & *Num* lego: atque ita sententiam interrogatione inspiro. Ego, inquit, vobis me opposui. quid mirum? An quia vos omnibus imperare vultis, omnes statim imperari etiam velint? non hercules animosi nos & liberi. *Lipsius.*

Nam si vos omnibus imperitare vultis, sequitur] Acumen horum non satis perceptum correctiones invitavit. Agricola *Non si vos omnibus.* Eruditissimus vir, *num si vos omnibus.* Atqui usus non erat, quippe quod hæc rationem reddant, cur bellando se suaque defenderit. Britanni persuasum habebant Romanos spe devorasse imperium totius orbis, & omnes data occasione sensim subacturos Tacit. in Agric. *Raptores orbis postquam cuncta vastantibus defuere terræ, & mare scrutantur. Si locuples hostis est, avari, si pauper, ambitiosi, quos non Oriens, non Occidens satiaverit.* Hinc ergo Caractacus excusat bellandi necessitatem, aitque: Invitus res meas amisi, scilicet liber ego pro iis servandis bellum adversus vos gessi. nam vos in omnes regimen vultis, unde omnibus manifesta servitus impendet. At (inquit vir eruditissimus) necessario non sequitur: Romani volunt omnes servi fiunt. Callide Caractacus (respondeo) auget Romanorum potentiam: nam dicendo eos quæcumque vellent posse, excusat bellum tanquam gestum pro vitanda urgentissima servitute. *Salinerius.* Lipsius ait falso, & inepte hoc dici, cum consequens non sit, ut qui velit, id quod velit, possit. ergo emendat? *Num si vos omnibus:* nota interrogationis adjecta. Mihi vulgata lectio minime probatur. Nam etiam si verba Caractaci, libertatem, ac minime degenerem animum præ se ferant: tamen aspersa etiam sunt plurima in Claudium, Romanosque adulatione. Et posteaquam sententiam suam jactavit, sequitur, se opes (etsi invitum) amisisse, quia illorum viribus resistere nequiverit, cum enim Romani, ceteris potentiores, alias opibus impares debellare velint, consequens ut omnibus sit servitus subeunda. *Pichena.* Recte Lipsius hoc arguit & damnat. Idem bene corrigit, *Num si.* Æque bene & forte melius Mureius, *Non si.* Acidalius. Ex emendatione Lipsii edere visum fuit, *Num si*, sententia prompta & orationi præcedenti accommodatissima, cum in altera illa, *Nam si*, non agnoscas, quo ista dicantur, aut quomodo jam dictis cohæreant. Pergit autem servire causæ suæ, & quod Romanis restitisset excusare. Primum igitur, argumento ab opibus suis ducto usus, ostendit, quæ & quanta amiserit. eaque cum sint ex iis, quæ in rebus humanis maximi solent æstimari, infert nemini mirum videri debere, si ea invitus amiserit: si donec posset tenuerit. Nec est, inquit, ut quis opponat Romanos gentium esse dominos, iisque ut melioribus parendum. nam etiamsi hæc ita vobis videantur, alii tamen non statim ea mente sunt, ut jugum patienter accipiant, sed resistunt quantum possunt. Sed ipsam illam repugnantiam ægre ferre non debetis, cum vobis gloriam augeat, quæ non ex levibus prœliis aut victoriis absque pulvere partis oritur, sed ex bellis periculosis atque exercitis. Sed tota hæc oratio, si qua alia his libris, artificiosissime contexta est, quam volente Deo in paraphrasi nostra resolvam. *Freinshemius.* Ponam *Non si vos.* Elegans loquendi genus & Juris Consultis etiam familiare, fefellit exscriptores. *Accipere servitutem* est sua sponte & sine renisu eam subire. *Grotius.* Vides illud *non si*, quam multis placuerit, quum Ryckius modo celebret Salinerium, qui de Agricola testetur, & novissimum Grotium: At enim Acidalius jam in Mureto laudat istud ipsum. Id autem persuave, quum Grotius dixisset elegans loquendi genus & Jurisconsultis etiam familiare, eam elegantiam Jurisconsultis familiarem probat Ryckius, hinc discedens ad Ciceronem & Suetonium, Taciti securus aut ignarus. De Tacito tamen agitur, & illi placuit colloquia sic interdum componere, ut tali modo contradiceretur. 3. hist. 20. *Non si pateant portæ, nisi explorato, nisi die, intrandum.* Est scilicet firma resistendi & obloquendi pervicacia; sed ejus elegantiam illi videant. Etiam 12, 57. *Jac. Gronovius.*

plicium mei [1] *oblivio sequeretur. at si incolumem servaveris, æternum exemplar clementiæ ero.* Ad ea Cæsar veniam ipsisque, & conjugi, & fratribus, tribuit. Atque illi [2] vinclis exsoluti, Agrippinam quoque haud procul alio suggestu conspicuam; iisdem quibus principem laudibus gratibusque venerati sunt. novum sane, & moribus veterum insolitum, feminam signis Romanis præsidere. ipsa semet parti à majoribus suis
38 imperii sociam ferebat. Vocati posthæc patres, multa & magnifica super captivitate Caractaci disseruere; *neque minus id clarum,* [3] *quam cum Syphacem P. Scipio, Persen L. Paulus; & si qui alii* [4] *vinctos reges populo Romano ostendere.* Censentur *Ostorio triumphi insignia*; prosperis ad id rebus ejus, mox ambiguis, [5] sive quod amoto Caractaco, quasi debellatum foret, minus intenta apud nos militia fuit; sive hostes miseratione tanti regis, acrius ad ultionem exarsere. Præfectum castrorum, & legionarias cohortes exstruendis apud Siluras præsidiis relictas, circumsundunt. [6] Ac ni cito vicis & castellis proximis subventum foret; copiæ tum occidione occubuissent. Præfectus tamen & octo centuriones, ac promptissimus [7] quisque manipulus cecidere. [8] nec
39 multo post pabulantis nostros, ipsasque missas ad subsidium turmas profligant. Tum Ostorius

1 *Oblivio sequeretur*] Lego, *sequetur*, & distinctione sententiam expedio: *Et supplicium mei, oblivio sequetur: at si incolumem*, &c. *Lipsius.*

Et supplicium mei oblivio sequeretur] Malim, *sequetur.* Rhenanus. Videndum an legi debeat, *sequetur.* Ursinus. Eruditissimus vir post Rhenanum scribendum putat *oblivio sequetur.* Et hac distinctione: *& supplicium mei oblivio sequetur: at si incolumem.* Quæ tendunt in hunc sensum. si me suppliciis afficis, statim hujus rei homines obliviscentur: at si mihi ignoscas, &c. Quam digniora Caractaci virtute sunt vulgata: *Si statim deditus traderer, neque mea fortuna, neque tua gloria inclaruisset, & supplicium mei oblivio sequeretur: at si incolumem.* Is certe Claudio persuasum it, è re imperatoris fuisse, se cum Romanis tot præliis decertasse. Si statim (inquit ille) atque duces tui me bello aggressi sunt, sine sanguine me dedidissem, & ad tua genua supplex accidissem, quidnam tuæ gloriæ additum esset ab imbelli & sic facile dedito? at nunc tot pugnis adversus vos notus viribusque tuis tandem domitus: quantum laudis à te servatus apud posteros consignabo? *Supplicium* hoc loco *supplicatio.* Noster lib. 1. ann. *Tum supplicia Diis decernuntur.* Salinerius. Optime hæc emendavit atque distinxit acutissimus Lipsius: *Oblivio sequetur? at si incolumem*, &c. *Freinshemius.*

2 *Vinclis exsoluti*] Id alii procrearunt, alii probaverunt. Attamen MS. Mediceus testatur auctorem scripsisse *absoluti*, prout edidit Beroaldus. *Jac. Gronovius.*

3 *Quam cum Siphacem*] MS. Mediceus *quam quod Siph.* Intendere videtur *quam quo Siphacem.* Etiam ibi legitur *Persen*, non *Persem*, quod placuit huc usque editoribus. *Idem.*

4 *Vinctos reges populo Ro. ostendere*] Vulgati habent, *victos reges*, & utraque vox sensum habet: tamen Florentini lectionem malui. *Pichena.*

5 *Sive quod amoto Caract.*] Vox secunda prorsus abest ab MS. Florentino, nec cogitare queo, vel cur vel a quo sit interposita, quum Tacitus non soleat ea voce uti ad ratiocinandum per suspiciones, sed simpliciter eas ponere, ut modo cap. 26. *Sive verum, seu periculis commendatus retinuit famam.* Potuerat & illic pronomen immitti. Sed Tacito id displicet. Clare ita 14, 2. *Et fama huc inclinat, seu conceperit animo tantum immanitatis Agrippina, seu credibilior* &c. Sed ubi insuper in eodem præstantissimo codice legitur & recte *concepit.* Adde ibidem in fine capitis quarti. *Jac. Gronovius.*

6 *Ac ni cito vicis*] Editione prisca, & quibusdam scriptis: *cito nunciis.* Suspicor, *ni citis nuntiis è castellis.* nisi placet, *ni cito municipiis & castellis.* Malo etiam mox, *promptissimus quisque è manipulis cecidere.* Et, *cohortes expeditas opposuit.* Lipsius.

At ni cito vicis & castellis proximis subventum foret] Faernus legebat: *Ac ni cito è vicis & castellis subventum foret, copia Rom. occid. occubuissent.* Ursinus. Flor. & alii veteres: *ac ni cito nunciis, & castellis.* Muretus, *è vicis & castellis.* Ego nonnihil suspicor. *præsidiis & castellis.* Sic lib. 14. *omissis castellis præsidiisque.* & in vita Agric. *& præsidiis castellisque circumdata.* Pichena. Lipsius, *Ac ni citis nunciis è castellis.* Melius & vere Muretus, *ni cito è vicis & castellis.* Item mavult paullo post *occidissent.* Et hoc sane vulgato in usu. *Acidalius.* Nihil hic mutandum esse monuimus 2. Observ. 23. *Gronovius.*

7 *Quisque manipulus*] Verius, *è manipulis.* Lipsius.

Quisque manipulus cecidere] Ego mallem, *manipularis.* Pichena.

8 *Nec multo post pabulatis nostros*] Scripsimus, *pabulantes nostros ipsos.* Rhenanus. Miror sic edere potuisse Beroaldum, quum legeret in optimo MS. *pabulantes nos ipsos missasque*, ut τὸ *nos ipsos* includat in voce *nostros.* Sed nec minus Rhenanum mireris oportet, qui in tam clara luce scribat *pabulantes nostros ipsos.* Ubi enim Tacitus ita loquitur? Ita-

Oſtorius cohortes expeditas expoſuit: nec ideo fugam ſiſtebat, ni legiones prœlium
excepiſſent. earum robore æquata pugna, dein nobis pro meliore fuit. effugere ho-
ſtes tenui damno, quia inclinabat dies. Crebra hinc prœlia, & ſæpius in modum
latrocinii: per ſaltus, per paludes; ut cuique fors, aut virtus: [1] temere, proviſo;
ob iram, ob prædam; juſſu, & aliquando ignaris ducibus. [2] ac præcipua Silurum
pervicacia, quos accendebat vulgata imperatoris Romani vox; *ut quondam* [3] *Sugam-
bri excisi, & in Gallias trajecti forent, ita Silurum nomen penitus exſtinguendum.* Igitur
duas auxiliares cohortes, avaritia præfectorum incautius populantes, intercepere.
ſpoliaque & captivos largiendo, ceteras quoque nationes ad defectionem trahebant:
cum tædio curarum feſſus Oſtorius, conceſſit vita; lætis hoſtibus, tamquam ducem
haud ſpernendum, [4] & ſi non prœlium, at certe bellum, abſumpſiſſet. At Cæſar 40
cognita morte legati, ne provincia ſine rectore foret, A. Didium ſuffecit. Is pro-
pere vectus, non tamen integras res invenit, adverſa interim legionis pugna, cui
Manlius Valens [5] præerat; auctaque & apud hoſtes ejus rei fama, quo venientem
ducem exterrerent: [6] atque illo augente audita, [7] ut major laus compoſitis, vel ſi
dura-

Itaque & vernaculi interpretes verterunt omiſſa poſteriore voce *hebben zy d'onzen, die om voeder uit waaren, en zelfs de Kornetten*, non meliore omnino intellectu. Vulgatæ quis faber fuerit ignoro, ſed jam habet Aldus. Nam codicis Medicei ſcriptura optime & clare ſine ulla trajectione inculcat *pabulantes hos ipſos, miſſaſque*, nempe illos, quos modo innuit effugiſſe, quum amiſiſſent præfectum & octo centuriones & promptiſſimum quemque manipulum. Vides nihil mutari. *Jac. Gronovius.*

1 *Proviſa*] Verius, *proviſu*. Lipſius.

Tempore proviſo] Libri editi, *proviſa*. Lipſius, *proviſu*. ego, *proviſo*, ex Flor. *Pichena*. Lipſius *proviſu*. Malo, *proviſo*. adverbiali forma qua item *improviſo*, *inopinato*, *inexpectato*, & talia. *Acidalius.*

2 *Ac præcipua*] Rectius omitteretur conjunctio. *Freinshemius.*

3 *Sicambri exciti*] Hodie Geldrenſes eſſe creduntur: diu habiti locii fratreſque Gallorum, pro quibus non ſemel arma movere Galli in Alemannos. *Ferretius.* Faernus ſcribebat: *Ut quondam Sugambri excisi, aut in Gallias trajecti forent.* Urſinus. At hæc ipſa lectio eſt codicis Medicei. *Jac. Gronovius.*

Sicambri trajecti in Gallias fuere] In Menapiis conſediſſe ex auctorum lectione deprendi, ut hi ſint qui nunc *Geldrenſes* quaſi *Galli Rhenenſes* vocantur. Nimagum Venloemque pagos habent, & Vahalem Rheni attingunt. *Alciatus.*

4 *Et ſi non prœlium*] Idcirco læti erant hoſtes, quod bellum cum aliis gerens periiſſet, quamvis prœlio non interemptus: & quod dux erat non contemnendus. *Ferretius.* Sic ſup. lib 2. in fine: *prœliis ambiguus, bello non victus.* De morib. Germ. *alios ad prœlium ire videas, Cattos ad bellum.* Nonius Marcellus ait, *bellum* & *prœlium* in hoc differre, quod *prœlia* partes ſint belli; hoc eſt, in bello congreſſiones. Hoc pueris etiam notum ſcio adnotavi tamen, ut obiter monerem, imminutum fuiſſe Cæſarem initio Comment. de bel. Gall. nam ubi in omnibus antiquis exemplaribus legitur: *quod fere quotidianis bellis prœliiſque cum Germanis contendunt*; recentiores voce, *bellis*, carent. *Pichena.*

5 *Præerat. auctaque*] Male interpunctus locus. Lege, *præerat, auctaque & apud hoſtes ejus rei fama.* Et auferendi caſu capiendæ voces *aucta fama*. Acidalius.

6 *Atque illo augente audita*] Sane venit aliquando & tarde patri meo in mentem poſſe hic ſcribi *illo augere*, ut in chartulam conjecerit. Sed nimis belle procedit hæc triplicati ablativi ſimplicitas, haud dubie quæſita ſtudioſe ab auctore, ut præſtet nihil mutari, præſertim quum certo nunc mihi conſtet de lectione membranæ veteris. *Jac. Gronovius.*

7 *Ut major laus compoſiti, vel ſi duraviſſent*] Judicavi deeſſe olim aliquid. male. Scribe tantum, *compoſitis*, & ſententia liquida erit. *Lipſius.*

Ut major laus compoſiti, vel ſi duraviſſent] Collective, & ea forma, qua *repetitum* apud noſtrum lib. 1. ann. *& libertatis improſpera repetita.* Doctiſſimus vir *compoſitis*, ut his aptius ſequentia reſponderent, *vel ſi duraviſſent.* Verum cum etiam in eodem reatu Thucydides ille ſit, ſatius erit deſiſtere ab advocatione lib. 2. τοσοῦτον τῷ Περικλεῖ ἐπερίσσευσε τότε, ἀφ' ὧν αὐτὸς προέγνω. i. *tantum Pericli ſupererat, ex quibus ipſe prævidebat.* Salinerius Lipſius emendavit optime Vulgo, *compoſiti*. Pichena. At cur optime, quum tanta ſit fides, tanta antiquitas libri Medicei? in quo plane tantum eſt *compoſiti*. Quare illud maſculinum primi caſus transferri debet in ablativum neutrum, quo tamen vergebant quoque noſtrates *om te grooter eere te behaalen, indien by 't ſtilde?* An non optimum ſenſum & meliorem ſane illo continent vulgata, *ut major laus compoſiti*, nempe hoſtes forent? Si ipſe potuiſſet eos coercere, ſi id contigiſſet ipſi, ut per ipſum componerentur tumultuantes hoſtes, certe majorem
gra-

duravissent, venia justior tribueretur. Silures id quoque damnum intulerant, lateque persultabant, donec accursu Didii pellerentur. Sed post captum Caractacum, præcipuus scientia rei militaris Venusius è [1] Jugantum civitate, ut supra memoravi, fidusque diu, & Romanis armis defensus, cum Cartismanduam reginam matrimonio teneret; [2] mox orto dissidio, & statim bello, etiam adversus nos hostilia induerat. Sed primo tantum inter ipsos certabatur, callidisque Cartismandua artibus, fratrem ac propinquos Venusii intercepit. Inde accensi hostes, stimulante ignominia, [3] ne feminæ imperio subderentur, valida & lecta armis juventus regnum ejus invadunt. quod nobis prævisum, & missæ auxilio cohortes acre prœlium fecere, cujus initio ambiguo, finis lætior fuit. Neque dispari eventu pugnatum à legione, cui Cesius Nasica præerat. Nam Didius senectute gravis, & multa copia honorum, per ministros agere & arcere hostem satis habebat. Hæc, quamquam à duobus, [4] Ostorio Didioque proprætoribus plures per annos gesta conjunxi, ne divisa, haud perinde ad
41 memoriam sui valerent. [5] Nunc ad temporum ordinem redeo. [6] Ti. Claudio quintum,

gratiam in Claudii aula, majorem laudem ubique sibi circumdaret. Insuper an non magis placita antiquis fuit hæc loquutio, quam ista Lipsiana? Ne dubites, aperiam; quippe satis manifesta est imitatio ex Ovidio, ubi dixit:

——— *Servatus gloria major ero.*

Utique non solet Tacitus idem verbum, quod cum sequentibus construitur (ut est *τὸ tribueretur*) etiam prioribus adjungere; sed mutata constructione aliud in illis subintelligere. *Jac. Gronovius.*

1 *Jugantum civitate*] Legit, *Brigantum*, Rodolphus. & sane è tertio Historiarum ita apparet. Nam quod hic ait supra se rettulisse, non lego id quidem in his libris. *Lipsius.*

Venusius è civitate Jugantum] Nonnulla civitatum, fluminum, locorum nomina Tacito dicuntur, quæ non ob id corruptionis insimulare debemus, quod ab aliis non recenseantur: inter quæ (ut reor) Jugantes. Eruditissimus vir sequitur Rodolphum, legitque, *Brigantum*. putant iis se juvari, quæ sunt 3. hist. 45. *spreto Venusio*, &c. Sed quid ibi pro illo? Catismandua Regina Brigantum, maritum habebat Venusium è civitate Jugantum; inter quos secuto dissidio bellum cœpit. Venusius suis, & plerisque Brigantum, qui a Regina defecerant, eam obsidione adeo premebat, ut Romanis cohortibus vix eripi valuerit. Quæ omnia profecto vera dices, si cum sequentibus sedulo contendas. *Sed post captum Caractacum*, &c. *finis lætior fuit.* Præcipue tamen arguit Venusium non fuisse è civitate Brigantum, *inde accensi hostes.* Scilicet Venusius, & sui, additis *& regnum ejus invadunt*, id est, Cartismanduæ, quæ Brigantes regebat. *Salinerius.*

2 *Mox orto dissidio*] *Discidio* & hic scribendum censeo. *Gronovius.* Ita perspicue scriptum est in Mediceo. *Jac. Gronovius.*

3 *Ne feminæ imperio subderentur*] Vereor Tacite, ut mens tibi præsens. In tuis moribus, non in Britannorum fuisti, cum hæc scripsisti. Numquid illis ignominiosum subdi feminæ? Te igitur audi. *Solitum quidem Britannis feminarum ductu bellare.* Quod clare testatur Boudicæa tua, lib. XIV. *Lipsius.*

Ne feminæ imperio subderentur] Eruditissimus vir obliviosum Cornelium facit; quod apud Britannos feminæ regno, & ducatu dignarentur, nec id ignominiæ daretur. Tac. lib. 14. ann. *Solitum quidem Britannis feminarum ductu bellare.* Et in vita Agric. *neque enim sexum in imperiis discernunt.* At ego illi non inurerem hanc notam: nam & illa verba referri possunt ad fratrem & propinquos Venusii fraude captos: quos cum Jugantes puderet in feminæ potestatem devenisse, ad arma itum sit: vel si mavis Jugantes arma rapuisse, ne feminæ subderentur, nec in Tacitum peccas, qui nusquam dixit, Jugantum civitatem à feminis solitam regi. Nec obstat, *solitum quidem Britannis.* Multa enim in commune dicuntur, quæ non obtinent apud singulas gentes. de morib. Germ. *hæc in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus: nunc singularum gentium instituta ritusque quatenus differant.* Salinerius.

4 *Ostorio Didioque*] Nomina hæc à glossa quadam adjecta putem, quam ab ipso auctore. *Freinshemius.*

5 *Nunc ad temporum ordinem redeo*] Unde processerit vox prima, non dixerim. Habent utique editiones omnes. At MS. Mediceus negat esse Taciti. An momentum in eo non satis validum repositum est? Videntur revocavisse huc ex 2. hist. 38. *Sed me veterum novorumque morum reputatio longius tulit; nunc ad rerum ordinem venio.* Sed implebitur sane idem sensus, si adverbium absit; & id Tacito liberum debuit relinquere Beroaldus, qui certe ipse ingessit. *Jac. Gronovius.*

6 *T. L. Claudio*] Autographum habuit *TI.* & ita scriptum oportuit. alias *L.* frustra est: *T.* vero pro Tito exposita Claudio Cæsari non convenit. Emendo igitur *TI.* quod illis literis Tiberius significetur in

tum, Ser. Cornelio Orfito consulibus [1] virilis toga Neroni maturata, quo capessendæ reipublicæ habilis videretur. Et [2] Cæsar adulationibus senatus libens cessit,

[2] *ut*

in antiquis inscriptionibus. Unde argumentum est in illos qui *Tyberium* per *TY* scribunt. *Vertranius.*

1 *Virilis toga Neroni maturata*] Bene, maturata. Non enim ex ritu populi Rom. debebatur ante expletum annum XIV. At ipse ineunte cepit. Tertullianus De anima: *Jura civilia ubhinc* (id est à XIV. anno) *agendis rebus attemperant.* Idem de virginib. veland. *Ethnici feminas quidem à* XII. *annis, masculos vero à duobus amplius ad negotia mittunt.* Nec alius sententiæ illud Cornelii infra l. XIII. *Turbatus his Nero, & propinquo jam die quo quartumdecimum ætatis annum Britannicus explebat.* Nota quod ait, *explebat*: quia tunc referendus in viros, & ideo ab eo metus. Vetus Horatii interpres indicatum id voluit dum scribit, *Nobiles pueros prætexta veste sub disciplina usque ad annum decimumquintum usos.* scilicet quia tunc toga eam mutabant virili. Hoc verum est. nec velim pendere ultra viros dictos in tirocinii legitimo die. Nam quod Augustus aliique serius ceperint togam, ab alia quavis caussa fuit, non à lege aut more. *Lipsius.*

Virilis toga Neroni maturata] De Augusto fefellerunt Lipsium verba Suetonii cap. 8. vulgo corrupta: *Decimum annum agens aviam Juliam defunctam pro concione laudavit, quadriennio post virili toga sumpta.* Sed sic jubent ex Nic. Damasceno Florida. Ὅτι Καῖσαρ περὶ ἐννέα ἔτη μάλιστα γεγονὼς θαῦματι οὐ μικρὸν παρέσχε Ῥωμαίοις, φύσεως ἀγχίνοιαν δηλώσας ἐν τοιᾷδε ἡλικίᾳ, καί, ὅπου τοῖς ἀνδράσι πολὺς ἐγγίνεται θόρυβος, ἐν πολλῷ ὁμίλῳ δημηγορήσας. Nempe ἀποθανούσης αὐτῷ τῆς τηθῆς. Mox: Κατέβαινε δ' εἰς τὴν ἀγορὰν περὶ ἔτη μάλιστα γεγονὼς τεσσαρεσκαίδεκα, ὥστε ἀποθέσθαι μὲν αὐτὸν ἤδη τὴν περιπόρφυρον ἐσθῆτα, ἀναλαβεῖν δὲ τὴν καθαράν, σύμβολον οὖσαν τῆς εἰς ἄνδρας ἐγγραφῆς. Atque ita penes utrumque scribendum recte judicavit Hen. Valesius. Neque aliter legas suadeo apud Quintilianum lib. 12. cap. 6. *Cæsar Augustus, decem natus annos aviam pro Rostris laudavit.* Etsi vulgo ibi quoque *duodecim.* Corrigenda & Vita Virgilii: *Initia ætatis Cremonæ egit usque ad virilem togam, quam* XVII. *anno natali suo accepit, iisdem illis consulibus, quibus erat natus.* Repone: *quam quintodecimo natali suo accepit.* Nam consules illi, Cn. Pompejus Magnus M. Licinius Crassus, fuerunt primum a. V. C. 683. Iterum 698. Capitolinus Marco: *Virilem togam sumpsit quinto decimo ætatis anno.* Aug. Buchnerus cum ad Plinii lib. 2. Epist. 14. *qui nuper togas sumserunt*, observat describi septendecim annorum ætatem, quod sexdecim annos nati togam puram, prætexta posita, sumerent, vulgarem secutus est errorem Manutiorum, Sigonii, aliorum. Ex quibus Aldus in Quæsitis Ciceroni filio datam in exitu sextidecimi anni togam virilem scribit, qui natus fuerit Cotta & Torquato consulibus. Atqui L. Julio Cæsare C. Marcio Figulo natum scribit ipse ad Atticum, hoc est, à U. C. 689. Tirocinium autem ejus fuit Lentulo & Marcello consulibus à U. C. 704. hoc est, quintodecimo. Idem perperam accipit, quod est apud Ovidium, lib. 3. Fastorum ver. 771. quasi velit ille, pueris non exspectato ætatis anno XVI. per unum solummodo diem Baccho dicatum toga pura uti licuisse. Nam, *quare toga libera detur*, est, quare dari soleat, non in istum diem modo, sed in perpetuum, tum cum in viros transcribuntur; & *pueris* est qui adhuc prætextam gesserunt. Petrus Servius in Juvenilibus Feriis argumentum firmissimum censet, quod legimus apud Valerium Maximum, à M. Cotta, quo die togam virilem sumsit, ut è Capitolio descendit, postulatum Carbonem; *minorem* autem *septem & decem annis Prætor postulare vetat.* Id mihi nullius ponderis videtur: facile namque legibus annariis aut eximia virtus aut gratia illustris solvitur. Quem & vehementer falli puto in verbis Ciceronis pro Cælio: *Nobis quidem olim annus erat ad cohibendum brachium toga constitutus.* Nam, inquit, prætexta puerilis non adeo omissa ac protracta erat, ut brachio eam colligi oporteret; virilis autem cum longius defflueret, potius pateret, ac multum laciniosa esset, brachio manuque colligenda erat. Hæc somnia mera: nec minus, quæ inde colligit, vere, cum sumeretur toga, una brachio cohibitam: quasi *cohibere brachium toga* nihil sit aliud quam togam liberam induere & olim statum annum ejus sumendæ fuisse, postea incertum. Cicero enim significat primo post sumtam togam anno puberes modestiæ specimen dedisse cohibito intra togam dextro brachio, neque exserto: quali cum semper esset Cethegus, ferocior habitus est, & meruit illud: *exsertisque manus vesana Cethegi. Olim* autem particula obliquam habet insectationem temporum, quum sublatus haud quidem, multo tamen solutior iste mos esset, crescente indies licentia & lascivia juventutis. Sic igitur habendum, non XVI. aut XVII. non incertum omnino atque arbitrarium, sed quintumdecimum solemnem ac legitimum tirocinii annum fuisse; nisi qua eum gravis causa proferret: quod raro fiebat inter bonos ac pios propter avida vota parentum: quemadmodum qui rempubl. capesserent, annum petitionis non obire metuebant. *Gronovius.*

2 *Cæsar adulationibus senatus liberis cessit*] Vocabulum *liberis* non est in exemplari. Conjicio voluisse aliquem scribere, *libens cessit*, quod postea versum sit in *liberis.* Rhenanus. In V. C. additur verbum mendosum, *liberis*, pro quo scribi posset, *libens*, ut ita legatur: *Cæsar adulationibus senatus libens cessit.* Miror autem Tacitum hic omisisse alios honores Neroni adolescenti tunc decretos, de qui-

[1] *ut vicesimo ætatis anno consulatum Nero iniret: atque interim designatus*, [2] *proconsulare
imperium extra urbem haberet*, *ac* Princeps juventutis *appellaretur*. Additum nomine
ejus donativum militi, congiarium plebi. Et ludicro Circensium, quod adquirendis
vulgi studiis edebatur, Britannicus in prætexta, Nero [3] triumphalium veste trans-
vecti sunt. Spectaret populus hunc decore imperatorio; illum puerili habitu, ac
perinde fortunam utriusque præsumeret. [4] Simul qui centurionum tribunorumque
sortem Britannici miserabantur, remoti fictis caussis, & alii per speciem honoris.
etiam libertorum si quis incorrupta fide, [5] depellitur, tali occasione. Obvii inter
se, Nero *Britannicum* nomine, ille *Domitium*, salutavere. Quod ut discordiæ ini-
tium, Agrippina multo questu ad maritum defert: *sperni* quippe *adoptionem*, *quæ-
que censuerint patres*, [6] *jusserit populus*, *intra penates abrogari*: [7] *ac nisi pravitas tam in-
fensa docentium arceatur*, *eruptura in publicam perniciem*. Commotus his [8] quasi cri-
minibus Claudius, optimum quemque educatorem filii exsilio ac morte afficit; da-
42 tosque à noverca, custodiæ ejus imponit. Nondum tamen summa moliri Agrippina
audebat, ni prætoriarum cohortium cura exsolverentur Lusius Geta, & [9] Rufius
Crispinus,

bus extat memoria in aureis apud me nummis cum instrumentis sacrorum & inscriptione in uno; *SACERD. COOPTATVS. IN. OMNE. CONL. SVPRA. NVMER.* in altero cum titulo, quem hic Tacitus ponit; *EQVESTR. ORDO. PRINCIPI IVVENTVTIS*, & Clypei dedicatione, quam Tacitus prætermisit. *Ursinus.*

1 *Ut vicesimo ætatis anno*] Decretum frustra. Consulatum enim init decimoseptimo ætatis anno: sed jam princeps, & legum securus. *Lipsius.*

2 *Proconsulare imperium*] Initium fastigii Cæsaribus: quod ea mente etiam Germanico tributum fuit, lib. I. *Idem.*

3 *Triumphalium veste transvecti*] Mirum si non verius, *triumphali in veste*. Nec tamen alterum plane damno, aut scribendum *triumphantium*. Acidalius. Ita nemo quod sciam dicit *vestem triumphalium*, sed *triumphalem* omnes: quomodo & noster supra I, 15. *utque per Circum triumphali veste uterentur*. infra 13, 8. *vestem principi triumphalem*. Ergo & hic scribendum potius *triumphali in veste*, vel *triumphali cum veste*. Freinshemius. Nihil est mutandum. Cur enim minus dicere liceat, *triumphalium vestem*, quam, *triumphalium insigne?* quomodo supra. *Boxhornius.*

4 *Simul qui centurionum tribunorumque*] Addita fuerat in vulgatis copula, *simulque qui*, inepta ac supervacua. & quoniam à Flor. abest, tollendam censui. *Pichena.*

5 *Tali occasione obvii*] Quæ hæc occasio? Non enim præcessit: nec ad Circenses velim referri. At tu distingue, *Etiam libertorum si quis incorrupta fide depellitur*, *tali occasione. Obvii inter se*, &c. Removendi enim ministros fidiores occasio, nata ex hoc, quod denarrat, facto. *Lipsius.*

Depellitur, *tali occasione*] Distinctionem hanc à Lipsio indicatam, longe meliorem, quam quæ vulgo, *depellitur. Tali occasione obvii*: quilibet judicabit. *Pichena.*

6 *Jusserit populus*] Rogata enim lex fuit, qua in familiam Claudiam, & nomen Neronis transiret, ut ait supra. *Lipsius.*

7 *Pravitas tam infensa docentium*] Ita accipio; quasi dicat magistros eos esse ad iras & offensas. Romanus tamen priscæ editionis codex, *Pravitas tam impensa*, præfert. quod magis approbo: id est, grandis, immodesta. *Idem.*

8 *Quasi criminibus*] Venetus pro *quasi* exhibet *quamquam*; quæ varietas utramque lectionem suspectam mihi reddit: præsertim cum ipsa quoque sententia limitantes istas particulas vix admittat. nam instigare juvenes principes ad discordiam in publicam perniciem erupturam; consulta patrum, jussa populi contemnete, ea vero non sunt quasi crimina, sed re vera & sua natura sunt crimina. quamquam hic *crimina* potius accipienda videntur pro criminationibus, ut supra I, 13. *criminibus variis circumventi*. Freinshemius. Recte, *quasi criminibus*. Agrippina enim fictis quibusque ac falsis criminibus optimum quemvis educatorem Britannici amoliri conabatur. Et hæc ipsa, quæ jam adduxit, ficta esse cur dubitemus? Quæ Britannicus enim dixit hic aut fecit, ab Agrippina quidem dicuntur, sed non probantur, facta educatorum instinctu. Facit huc illud vulgatum Jurisconsultis *quasi*, vocem similitudinis esse, non veritatis. Quod Venetus hic habet, *quamquam*, haud dubie corruptum est ex, *tamquam*. Hoc vero idem est, quod *quasi* aut illud interpretatur. *Boxhornius.* Sed quod præterea quietum relinqui non meretur, recte Cl. Ryckius in suspicionem adduxit illud nomen *Claudius* huic bigæ verborum proximum, quum non legatur in Mediceo. Et sodes, an non efficax satis erit sententia, si ad hæc cogitetur *maritus* ex antecedentibus? *Jac. Gronovius.*

9 *Rufius Crispinus*] Sic exhibeo, quia rite videtur id vindicavisse idem vir doctissimus, quum subministraret etiam collatio mea, tum hoc loco,
tum

Crispinus, quos Messallinæ memores & liberis ejus devinctos credebat. Igitur *distrahi cohortes ambitu duorum, & si ab uno regerentur, intentiorem fore disciplinam* asseverante uxore, transfertur regimen cohortium ad Burrum Afranium egregiæ militaris famæ, gnarum tamen cujus sponte præficeretur. Suum quoque fastigium Agrippina extollere altius, carpento Capitolium ingredi, qui mos [1] sacerdotibus, & sacris antiquitus concessus, venerationem augebat feminæ, [2] quam imperatore genitam, sororem

tum infra; sed observa mirifice ab eo non allegari proprium codicem MS. quem habuit. Etiam cum eo probavi *Burrum* sine adspiratione interposita. *Jac. Gronovius.*

1 *Sacerdotibus, & Sacris*] Emendatio à libris est. Nam vulgata quid ineptius, *& sacris Druidibus?* qui nihil ad res moresque Romanos. Ex qua voce tamen Pithœus acute, *virginibus*, faciebat. Sacerdotes, Vestales capio: sacra, deos ipsos statuasque, quas pompa Circensi traduci in carpentis mos fuit. De Vestalibus, Prudentius:

Fertur per medias ut publica pompa plateas
Pilento residens molli.

Idemque de sacerdotibus feminis universe Artemidorus adsignificat lib. 1. cap. LVIII. ubi curru in somniis per urbem vehi, liberis mulieribus & virginibus bona sacerdotia ait portendere. Scilicet quia id sacerdotum insigne. De diis aut consecratis, Sueton. Claudio cap. XI. *Matri carpentum, quo per Circum duceretur.* Item Calig. cap. XV. *Matri Circenses carpentumque instituit, quo in pompa traduceretur.* Olim tamen commune fuisse videtur, ut matronæ vulgo carpentis uterentur ad sacra. *Ovidius:*

Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant,
Hæc quoque ab Euandri dicta parente reor.

Livius l. XXXIV. *Ne mulier juncto vehiculo nisi sacrorum publicorum caussa veheretur.* Sed exolevit scilicet ille mos, utique post repertas lecticas. & mansit saltem in veneratione sacerdotum, deorumque. Prima Messalina honorem hunc à Senatu cepit: Καὶ τῇ Μεσσαλίνῃ, ait Dio, τὴν προεδρίαν ἣν καὶ ἡ Λιβία ἐσχήκει, καὶ τῷ καρπέντῳ χρῆσθαι ἔδοσαν. & juxta eam Agrippina nunc, de qua idem scriptor: Καὶ ἡ μὲν ταχὺ καὶ αὐτὴ Μεσσαλῖνα ἐγένετο, καὶ μάλιστα ὅτι καὶ τιμὰς ἄλλας τε καὶ τῷ καρπέντῳ ἐν ταῖς πανηγύρεσι χρῆσθαι παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβεν. Posteaque etiam præfecti prætorio (Cassiodor. l. VI. in formula præf. præt. Symmachus lib. x. distinct XVII.) carpentis usi, & (nisi Vopisci locus in Aureliani initio fallit) etiam Præf. urbis. Et mos satis certus: hæreo in Corneliana saltem lectione. Ait in Capitolium ingredi carpento, concessum Agrippinæ. quid? in Capitolium tantum? vereor ut nimis anguste: & certe non ad exemplum Messallinæ. quæ etiam carpento mariti sui currum secuta, triumphantis. Denique Dio laxe, ἐν ταῖς πανηγύρεσι ait: id est, *per festos omnes dies lætosque.* Nec tamen muto quidquam aut repono. Carpenti formam veram erues ex Numis Agrippinæ; & qui differat à rheda, aliquid apud Pausaniam lib. 5. in descriptione Olympiæ ludorum. *Lipsius.*

Sacris Druidibus] Vox reicula unde irrepserit; merito quæro. non enim fortuita est, nec à librario temere inculcata. Galli sane olim usi carpentis, scio, sed pugnæ caussa, non honoris: nec Druides soli, sed vulgus. Suspicari liceat (proinde ut fracti hi libri sunt) scriptum hic aliquid de Druidibus fuisse. quorum religionem nomenque, quantum in se fuit, Claudius sustulit, Seneca in Menippæa Claudiana, & Suetonio teste. Etsi Plinio ad Tiberium id referre visum. lib. XXX. *Tiberii Cæsaris*, inquit, *principatus sustulit Druidas Gallorum, & hoc genus vatum medicorumque.* Sed Tiberium scilicet in urbe tantum sustulisse, Claudium in Gallia ipsa. *Idem.*

Qui mos sacerdotibus] Magis placeret, *qui honos*, &c. Nam id est usitatius. *Ursinus.*

2 *Agrippinam imperatore genitam*] Si *Imperatorem*, quales erant ante occupatam remp. accipiamus, non ita magnum erit exemplum: si pro *principe*, falsum: quandoquidem Germanicus Agrippinæ pater dominationem nunquam assumserit. Igitur sciendum inter *Cæsares* & *Imperatores* & *Augustos* multum interfuisse. *Cæsares* dicti, qui Augustæ majestatis hæredes designati essent, administratione rerum illis interdicta, nisi aliquam fortasse provinciam Augusti jussu administrandam haberent. Hinc nulla eis donativi militibus dandi facultas erat: in comitatu eos solum habebant, quos Princeps tribuisset. Paulo major *Imperatoris* dignitas, qui licet infra Augusti fastigium positus, ejusque arbitrio bella gereret, summam tamen potestatem in magistratus inque milites habebat, jusque illi indicendi belli erat. Solo itaque Imperatoris nomine decoratus fuit Germanicus, sicut à Galba Piso *Cæsar* solum nuncupatus est. Cæsarum imperatorumque creandi potestas militibus concessa. primum Maximinum posthabita senatus auctoritate milites Augustum fecere. Hæc ex Ammiano, Lampridio, & Constitutionibus. *Alciatus.* *Imperatoris* nomine tunc demonstrabatur, qui cum imperio præesset exercitui, nomine tali parto assensu militari, & confirmato à principe, ob res egregie gestas. Hic autem significatur Germanicus de quo Tacitus supra lib. 1. *Exercitum reduxit nomenque Imperatoris auctore Tiberio accepit.* Et idem infra lib. 13. de Nerone jam principe post Artaxata eversum à Corbulone; *Ob hæc consalutatus Imperator Nero*, &c. Hæc

rorem ejus qui rerum potitus sit, & conjugem & matrem fuisse, [1] unicum ad hunc
diem exemplum est. Inter quæ præcipuus propugnator ejus Vitellius validissima
gratia, ætate extrema (adeo incertæ sunt potentium res) accusatione corripitur, de-
ferente Junio Lupo Senatore. Is crimina majestatis, & cupidinem imperii objecta-
bat. Præbuissetque aures Cæsar, nisi Agrippinæ minis magis quam precibus muta-
tus esset, ut accusatori [2] aqua atque igni interdiceret. [3] hactenus Vitellius voluerat.
43 Multa eo anno [4] prodigia evenere. Insessum diris avibus Capitolium: crebris terræ
motibus prorutæ domus: ac dum latius metuitur, [5] trepidatione vulgi, invalidus
quisque obtriti. Frugum quoque egestas, & orta ex eo fames, in prodigium acci-
piebatur. Nec occulti tantum questus; sed jura reddentem Claudium circumvasere
clamoribus turbidis, [6] pulsumque in extremam fori partem vi urgebant, [7] donec mi-
litum globo infensos perrupit. [8] Quindecim dierum alimenta urbi, non amplius su-
perfuisse constitit. magnaque deum benignitate, & [9] modestia hiemis rebus extremis
subventum. [10] At Hercule olim [11] ex Italiæ regionibus longinquas in provincias
[12] commeatus portabant. nec nunc infecunditate laboratur, sed Africam potius &
44 Ægyptum exercemus, navibusque & casibus vita populi Romani permissa est. Eo-
dem anno bellum inter Armenios Iberosque exortum, Parthis quoque ac Romanis
gra-

autem postea appellatio transiit in eos, qui potiti rerum sunt. Soror fuit Agrippina Caligulæ, conjux Claudii, mater Neronis, unicum ad illam diem exemplum. *Ferretius.*

1 *Unicum ad hunc diem exemplum est*] Inter Romanos dumtaxat. alias parum cauta adfirmatio: sicut & illa Pliniana l. VII. nisi restringas ad Græcos. *Una feminarum in omni ævo Lampido Lacedæmonia reperitur, quæ regis filia, regis uxor, regis mater fuit.* Nam apud Ægyptios aliosque Barbaros sunt exempla. *Lipsius.*

2 *Aqua & igni interdiceretur*] Castigavimus, *interdiceret.* Item, *accipiebatur.* Rhenanus.

3 *Hactenus Vitellius voluerat*] Potuisset enim sævire in mortem ejus: sed contentus hac quasi deportatione fuit. *Lipsius.*

4 *Prodigia evenere*] In MS. Covarruviano exstat, *prodigia fuere.* unde alicui poterat suboriri dubitatio, an non vox postrema irreptitia fuerit. plane, ea sublata, constat sua auctori sententia. *Gruterus.*

5 *Trepidatione vulgi, invalidus quisque obtriti*] Frequentes Tacito hujusmodi figuræ & tamen hic delicatiores pro, *obtriti*, reposuerunt, *obtritus.* quod verbum auctore Florentino sustuli, alterum reddidi. *Pichena.*

6 *Pulsumque in extremam fori partem, vi urgebant*] Vox, *vi*, quam Florentinus addit, minime superflua mihi visa est immo digna quæ restituatur. *Idem.*

7 *Donec militum globo infestos perrupit*] Nec male Florentinus, *infensos.* Pichena. Et cur non verius habetur?

8 *Quindecim dierum alimenta*] Id est, Canon dierum XV. Majus autem isto periculum sub Cajo; cum septem aut octo certe dierum cibaria tantum superfuisse Seneca notat ad Paulinum, cap. XVIII *Lipsius.*

9 *Modestia hiemis*] Ita capio ut dicat modesta & quieta, præter solitum, hieme anni, frumentum navibus subvectum: quod alias hieme advehi, non moris. Vide Suetonium, cap. XVIII. Hæc scriptura codicum. alii tamen, *modestia urbis*, alii, *molestia hiemis* reponunt. male, male. *Idem.*

Et modestia urbis rebus extremis subventum] Habet regius codex: *Et modestia hyemis rebus extremis subventum.* Lego, *Et molestia hyemis rebus extr. sub.* Expone &, id est, etiam molestia hyemis s. in molestia hyemis, rebus extremis subventum. Quod sane majus est, quam si æstate quis subvenisset. Nam hyems importandis frumentis sive mari seu terra minime est opportuna. quando verissima est T. Quintii apud Livium sententia: *Ad hæc hyems accedit, ad comportandum ex longinquo difficilis.* Igitur apte dixit, *molestia hyemis.* nam hyems per se molesta est, etiamsi non accedat fames. *Rhenanus.* Dele copulam &. Modestia enim hiemis ipsa munus & benignitas Deorum. *Acidalius.*

10 *At Hercule olim*] Querela quæ expressa videri possit ex illa Varroniana. *Igitur quod nunc intra murum fere patresfamilia correpserunt, & manus movere maluerunt in theatro ac Circo quam in segetibus ac vinetis: frumentum locamus qui nobis advehant, qui saturi fiamus, ex Africa & Sardinia.* Post bella certe civilia, & fusum tantum sanguinis, Italiæ inducta vastitas. Lucani ea in re sententias operæ sit legere lib. VII. *Lipsius.*

11 *Italiæ regionibus*] In regio codice est, *ex Italiæ regionibus.* Quamquam ea lectio minus probatur, qui sciam solemne esse Tacito præpositiones omittere. *Rhenanus.*

12 *Commeatus portabant*] Utcunque ferri potest. tamen

graviſſimorum inter ſe motuum cauſſa fuit. Genti Parthorum Vologeſes imperitabat, materna origine ex pellice Græca, conceſſu fratrum regnum adeptus. Iberos Pharaſmanes vetuſta poſſeſſione; Armenios frater ejus Mithridates obtinebat opibus noſtris. Erat Pharaſmani filius nomine Rhadamiſtus, decora proceritate, vi corporis inſignis, & patrias artes edoctus, claraque inter accolas fama. Is *modicum Iberiæ regnum ſenecta patris detineri* ferocius crebriuſque jactabat, quam ut cupidinem occultaret. Igitur Pharaſmanes juvenem [1] potentiæ promptæ, & ſtudio popularium accinctum, vergentibus jam annis ſuis metuens, aliam ad ſpem trahere, & *Armeniam* oſtentare, *pulſis Parthis datam Mithridati à ſemet* memorando: ſed *vim differendam, & potiorem dolum, quo incautum opprimerent.* Ita Rhadamiſtus ſimulata adverſus patrem diſcordia, tamquam novercæ odiis impar, pergit ad patruum. multaque ab eo comitate in ſpeciem liberum cultus, primores Armeniorum ad res novas il-
licit, [2] ignaro & ornante inſuper Mithridate. Reconciliationis ſpecie aſſumpta, re- 45
greſſus ad patrem, [3] *quæ fraude confici potuerint prompta* nuntiat, *cetera armis exſequenda.* Interim Pharaſmanes belli cauſas confingit: *præliandi ſibi adverſus regem Albanorum, & Romanos auxilio vocanti fratrem adverſatum, eamque injuriam excidio ipſius ultum iturum.* Simul magnas copias filio tradidit. ille [4] irruptione ſubita territum exutumque campis Mithridaten, compulit in caſtellum Gorneas, tutum loco ac præſidio militum, quis Cælius Pollio præfectus, centurio [5] Caſperius præerat. [6] Nihil tam ignarum barbaris, quam machinamenta & aſtus oppugnationum: at nobis ea pars militiæ maxime gnara eſt. ita Rhadamiſtus fruſtra vel cum damno tentatis munitionibus obſidium incipit: & cum vis negligeretur, avaritiam præfecti emercatur, obteſtante Caſperio, *ne ſocius rex, ne Armenia donum populi Romani,* [7] *ſcelere & pecunia*

tamen legendum puto, *portabatur*, vel *portabantur.* Flor. *portabat.* Pichena.

1 *Potentia prompta*] Malo, *promptum.* Lipſius.

Potentia prompta] Mavult vir doctiſſimus; *promptum.* At ſi tantum à ſcriptura abire liceat, legam *properum:* ſicut ſupra 4, 59. *à libertis & clientibus apiſcendæ potentiæ properis.* Rectius tamen, opinor, ſcripſerimus hoc loco *impotentia promta*, ſicut *prompta ſtudia, arma, ingenia, animi*, alibi in his libris, quæ lectio ſenſum etiam probum oſtendit, quem valde obſcurat, vel corrumpit potius, vulgata lectio. quid enim hoc loco *prompta potentia?* num id ipſum quod mox ſubjicit de ſtudiis popularium? at ſi eſſet, idem certe bis non dixiſſet. Ergo proponit duas cauſſas, ob quas metuebat Pharaſmanes. non tantum ſtudia popularium in filium inclinata, ſed præcipue animum ejus præferocem atque violentum, nec cupiditati ſuæ moderantem, quod optime expreſſit his verbis; *juvenem impotentia prompta* eum appellans. *Freinshemius.*

2 *Ignaro & ornante inſuper Mithridate*] Ita emendavi, neſcio an recte. Diſtinctione potius peccatum eſt, ſcribendumque, *Ignaro & ornante i. Mithridate, reconciliationis ſpecie*, &c. ſententia continuante. *Lipſius.*

Ignaro & ornante inſuper Mithridate] Verbum *ornante*, à Lipſio repoſitum, etiam a Flor. confirmatur. Male olim *orante.* ſed & Lipſii diſtinctionem ſecuti ſumus. *Pichena.* Non tamen potuit in MS. Flor, Pichena videre *ornante*, quum id plane in eo non exſtet, ſed prorſus tantum *orante.* Res ita habet, ut prima manus aliquid tale exaraverit *& l. r.* Hinc iſta longa litera eſt craſa & *o* impoſitum. *Jac. Gronovius,*

3 *Qua fraude confici*] Ita emendavimus. Male vulgo, *qua fraude confici potuerit, promptè nuntiat.* Sententia eſt. parata ſibi promptaque, quæ ad fraudem ſpectent: cetera vim requirere. *Lipſius.*

4 *Eruptione ſubita*] An potius *irruptione?* Freinshemius. Defixos in ſolam Pichenæ editionem habuit oculos; nam omnes Lipſianæ, quas vidi, & antiquiores *irruptione.* Pichenam ſecutus & Gruterus, incuria magis ut puto, quam conſilio. *Gronovius.*

5 *Aſperius*] Fortaſſe ita legendum pro eo, quod vulgo legitur, *Caſperius.* Urſinus. Forſitan pater Æliani Caſperii, qui præfectus prætorio ſub Nerva, de quo Xiphilinus. *Aurelius.*

6 *Nihil tam ignarum barbaris, quam machinamenta*] Sen. de Vita beata, cap. 26 *Sicut barbari plerumque incluſi, & ignari machinarum ſegnes laborem obſidentium ſpectant.* Pichena.

7 *Scelere & pecunia venderentur*] In ſcripto libro legitur, *verterentur.* Opinor ſcribendum, *averterentur*, aut *verterentur*, pro *ſubverterentur*, ut *verſam Remp.* aliquando vocat. *Rhenanus.*

nia venderentur. Postremo quia multitudinem hostium Pollio, jussa patris Rhadamistus obtendebant, pactus inducias abscedit, ut nisi Pharasmanen bello absterruisset, [1] T. Umidium Quadratum præsidem Syriæ doceret, quo in statu Armeniæ forent.

46 Digressu centurionis [2] velut custode exsolutus præfectus, hortari Mithridaten ad sanciendum fœdus *conjunctionem fratrum, ac priorem ætate Pharasmanen, & cetera necessitudinum nomina* referens, *quod filiam ejus in matrimonio haberet; quod ipse Rhadamisto socer esset. Non abnuere pacem Iberos quamquam in tempore validiores; & satis cognitum Armeniorum perfidiam.* [3] *nec aliud præsidii quam castellum commeatu egenum.* [4] *ne dubitaret*

1 *T. Vinidium Quadratum*] Vatic. liber, *Tumidum.* Verum nomen, *Numidium.* Ex Josepho libro xx. qui vocat diserte, Νυμίδιον Κοδράτον τῆς Συρίας προεστηκότα. Sed & Plinius in epistolis non uno loco docet gentile nomen Quadratorum Numidium esse. Ita lib. vi. Numidia Quadratilla, Quadratus adolescens. *Lipsius.*

T. Umidium Quadratum] Scripti codices habeant prout voluerint. Certe Florentinus, de quo Cl. Ryckius minime fuit sollicitus, habet *Tumidium Quad.* Viri hujus nomen omnino scriptæ lectioni est propinquius, quam novit Ryckius, nempe *T. Umidius* vel *Ummidius Quadratus.* Noluit id ab Salmasio accipere: imo addit hunc ita censere nullo alio argumento, quam quod *Umidios* & *Ummidios* exhibeant lapides, *Numidios* non item. Quid? an Salmasius ad locum istum Spartiani non adducit MS. Palatinum & editionem veterem? Certe: & hæc omnia coeuntia tenent insigne robur. Itaque id, quum ambiguus etiam hæreret Ezech. Spanhemius in Differt. pag. 867. tam plena manu docuit ex fide inscriptionum & nummorum & codicum veterum, ut amplius fieri nequeat, Eminentissimus Henricus Norisius in Epochis Syromacedonicis pag. 156. & seqq. ubi licet fateatur ab Raph. Fabretto acceptum exemplum, tamen ille ipse Fabrettus in Inscript. pag. 673. & 674. aliam præterea in Lusitania repertam (nescio qua de causa subtractam notitiæ Henrici sui, præsertim quum esset publicata) ostendit magna certe & invicta nominis *Umidii* vel *Ummidii* documenta. Itaque non debet in opere Taciti nostri aliud nomen legi, quod & curavi. *Jac. Gronovius.*

2 *Velut custodia exsolutus præfectus*] Restituimus, *velut custode exsol. p.* Rhenanus. Quia silent omnes, compellor credere sic in MSS. eos reperisse. Alioqui si *custodia* in illis quoque, ut ante Rhenanum editi, blandiebatur magis *custodia.* Gronovius.

3 *Nec aliud præsidii*] Florent. *subsidii.* Sed nihil muto. *Pichena.*

4 *Ne dubitaret armis*] Hoc est, ne dubitaret malle incruentas conditiones, quam armis scilicet partas. *Ferrettus.* Libri veteres variant. nam alii habent, *Ne dubitaret armatus, quam circumventus conditiones malle,* &c. alii: *Ne dubitaret armis incruentas conditiones malle,* &c. quod magis placet. *Ursinus.* Phrasis hyperbatica exemplo Thucydidis concinnata, non semel in Cornelium criticos excitavit: nec eos continuit auctoritas Phalerei, Halicarnasseique: qui apertissime dixerunt, magnitudinem per talia valde promoveri. En ea alium in ordinem compono: *Ne dubitaret malle incruentas conditiones, quam armis.* Venalis iste Pollio suadet Mithridati, ne exspectaret extremam vim, quando castellum obsessum expers commeatibus erat: eo angustiarum (dicebat) redactus es, ô Mithridates, ut nequeas hinc evadere: proinde ne nos consule, potiusne sit cum Rhadamisto pacisci ante ultimam pugnam, an ea transacta accipere ab eo victore conditiones: scis enim festinata deditione conciliari clementiam victoris, contra in pertinaces, & victos omne sævitiæ genus exerceri. *Arma,* bellum. prœlium. Propert. *Arma Deus Cæsar dites meditatur ad Indos.* Salinerius. Suspectus mihi locus. An hortatur Mithridatem, quamquam armis instructum, conditiones quam incruentas accipere. *Pichena.* Claritati sententiæ nihil deesset, modo auferretur vocula *quam.* nam, ne admittamus aliorum emendationes, in caussa est locus infra lib. 13. Ann. 37. qui habet; *Posse illi stabile regnum, & res incruentas contingere, si omissa spe longinqua & sera præsentem potioremque sequeretur.* Gruterus. *Ne dubia tentaret armis quam incruentas conditiones mallet.* Ita lego. *Aurelius.* Hæc ab interpretibus varie exposita, nec defecta esse putem, & clara si pro *armis,* suadente sententia reponas *arma.* Locum autem obscurum reddidit vox *dubitandi,* quæ hic non sumitur quomodo solet, ut hunc sensum habeat, absque dubio esse præferenda arma conditionibus incruentis: sed hunc potius, adeo omittenda esse arma, ut ne in quæstionem quidem vel deliberationem vocanda sint: adeo nempe in confesso esse, bellum ipsi non gerendum. *Dubitare* ergo hoc loco est deliberare, utrum ex duobus pluribusve sit eligendum, integro adhuc judicio: nec quoquam dum inclinante. Hoc sensu repetitur infra 13, 50. *Dubitavit Nero an cuncta vectigalia omitti juberet.* Supra 12, 20. *dubitavit tamen, accipere captivum pacto salutis, an repetere armis rectius foret.* ubi *dubitare* dictum est de deliberatione etiam in consilio habita, ut ex sequentibus patet: *sed differebatur contra.* Sic 4, 57. *dubitaverat Augustus Germanicum rem Rom. imponere.* Freinshemius. Mirum est in hoc loco hactenus hæsisse viros doctissimos. Ecce tibi integerrimum; *Ne dubitare armis, quam incruentas conditiones mallet.* Mihi

*dubitaret * armis* [1] *quam incruentas conditiones malle:* cunctante ad ea Mithridate, &
suspectis præfecti consiliis, quod pellicem regiam polluerat, inque omnem libidinem
venalis habebatur. Casperius interim ad Pharasmanen pervadit, *utque Iberi obsidio
decedant* expostulat. Ille propalam incerta, & sæpius molliora respondens, secretis
nuntiis monet Rhadamistum, [2] *oppugnationem quoquo modo celerare.* Augetur flagitii
merces, & Pollio occulta corruptione impellit milites, ut *pacem* flagitarent, [3] *seque
præsidio abituros* minitarentur. Qua necessitate Mithridates diem locumque fœderi ac-
cepit, castelloque egreditur. Ac primo Rhadamistus in amplexus ejus effusus, si- 47
mulare obsequium, *socerum* ac *parentem* appellare. Adjicit jusjurandum, *non ferro*,
non veneno vim allaturum: simul in lucum propinquum trahit, [4] *provisum illic sacrifi-
cium*

hi non est dubium, quin sic scripserit Tacitus. Ne mallet dubiis bellorum casibus se permittere, quam accipere incruentas, facta pace, conditiones. *Dubitare armis* eleganter gerentes bellum dicuntur, ob maxime dubiam, incertam, trepidam, ambiguam spem ac fortunam bellorum. Idem volunt & eodem fere modo loquuntur Tiridatis oratores Annal. 13. *Ideo nondum ipsum Vologesem commotum, quia caussa, quam vi agere mallent.* Boxhornius. Appono calculum τὸ *quam* delentibus. sive conjectura est ea Groslotii & Gruteri: & multo magis si verum est, quod jacit Ursinus inventos libros veteres, qui particulam damnarent. Labes non ab iis, qui docendi erant quid *arma*, quid *dubitare*, quid *dubitare armis* esset, sed ab his, qui non concoquebant *incruentas conditiones armis malle.* Neque enim protritum hoc loquendi genus: elegans tamen. Appulejus Apolog. *Persuaserat idem Pontianus matri suæ; ut me aliis omnibus mallet.* Subaudiebam antea *experiri*, quod & ad *armis* & ad *conditiones* satis commode referri videbatur. Sed illud magis placet. *Gronovius.* Optime & veracissime. Sed ibi nihil vetat, quin vocula *quam* possit manere ut adhærens adjectivo sequenti, *quam incruentas*, ut augeat abstinentiam ab sanguine, quæ hic integerrima esse posset, h. e. maxime incruentas. 2, 77. *Si quid hostile ingruat, quam justius arma oppositurum, qui legati auctoritatem acceperit.* 1. Hist. 83. habebat Ryckianus codex: *Otho quam turbidis rebus & diversis militum animis.* Quod potest ita habere speciem. Sed non ego credulus illi. *Jac. Gronovius.*

1 *Quam incruentas conditiones*] Ego, *incruentâ conditione.* At Groslotius, τὸ *quàm* deletum it. *Lipsius.*

2 *Oppugnationem quoquo modo accelerare*] Ita restituimus, pro *celerare.* Rhenanus. Muretus notavit *celerare.* Etsi nihil pæne interest, ego tamen hoc quoque prætulerim. *Acidalius.* Immo satis conspicue simplex *celerare* legitur in MS. Florentino, ut id non debeat augeri, quod bene observat etiam Ryckius. Utique sic cap. 64. *Agere & celerare statuit.* Jac. Gronovius.

3 *Seque præsidio abituros minitarentur*] Vitium aliquod hic latere suspicor. nam in Flor. corrupte legitur: *seque præsidium ammis minitarentur.* Pichena. Pichenæ MS. *præsidium ammis.* unde mihi suspicio genuinam esse lectionem *præsidium omissuros. Omittere præsidium* est præsidio excedere: quomodo infra 14, 16. *omitteret modo Campaniam.* supra 4, 74 *satis visum omittere insulam.* Freinshemius.

4 *Provisum illic Sacrificium*] Superfluit verbum alterum. quid enim refert provisum sacrificium, an imperatum dixeris? Vera, puto, lectio: *provisu suo illic sacrif.* sive etiam: *provisum illic ac sacrif. paratum.* Video alios explicare vulgatum, Provisum ibi sacrificium, quod imperasset: sed ubi de imperato legitur? nisi intellegit à se ipso imperatum. *Lipsius.*

Provisum illic sacrificium imperatum dictitans] Eruditissimus vir *provisu suo.* To *provisum* idem est, ac si diceres, curatum, præparatum, Tac. lib. 13. ann. *nam ut proximus quisque Britannico neque fas, neque fidem pensi haberet, olim provisum erat.* & lib. 14. *quod nostris parum provisum, dum amœnitati potius, quam usui consulitur. Et erat provisum quidem venenum, quo damnati publico Atheniensium judicio extinguerentur.* quæ vis non est aliena à verbo *video* Terent. Andr. *Nisi tu vides.* Plaut. Mercat. *hoc nunc mihi viso est opus, Huic persuadere quomodo potis siem.* Salinerius. An, *provisum*, id est præparatum jam sacrificium, quod imperaverat? Frigidum nec Cornelianum Lipsius *provisu suo*, ego suspicor de mendo. *Pichena.* Quamvis aliquis ejiceret voces duas postremas, constaret tamen orationi suus sensus integer. plane aut *provisum*, aut *imperatum*, superfluit. *Gruterus.* Ego, *provisum* non mutem; potius *imperatum* ejiciam, quod glossa alterius, & inepta. Dura profecto nimis locutio, *Provisu suo aliquid imperare:* nec Tacito unquam alibi usurpata. *Acidalius.* Ita corrigo: *provisum illic sacrificium ut imperatum suis dictitans.* Aurelius. Timide suspicabar: *simul in lucum propinquum trahit renisum, illic sacrificium paratum dictitans* Vel, *renitentem.* i. tergiversantem, quod nihil boni præsagiret animus: sequentem tamen, quia suæ potestatis esse desierat. *Gronovius.* Post hæc nihil ineptius, quam quod prolatum est ab Cl. Ryckio. Congerit sex loca Taciti, ubi usurpatur primum participium, omnia sex annotata in indice Freinshemii, nullo discrimine

nisi

cium imperatum dictitans, *ut diis testibus pax firmaretur.* [1] Mos est regibus quotiens in societatem coëant, [2] implicare dextras, pollicesque inter se vincire, nodoque præstringere: mox ubi [3] sanguis in artus extremos se effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt. id fœdus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sacratum. Sed tunc qui ea vincula admovebat, decidisse simulans, [4] genua Mithridatis invadit, ipsumque prosternit: simulque concursu plurium [5] injiciuntur catenæ, ac compedes ([6] quod dedecorum Barbaris) trahebatur. Moxque vulgus duro imperio

nisi quod *provisum conscientiam* maluit, ut quod nemo sustinere ausus est, Heinsii licentia pateret legentis *sacrificio imperato.* Sed non hic tantæ insidiæ. Scripsit auctor *promissum illic sacrificium imperatum d.* Ut Philippus promiserat, h. e. finxerat se promisisse, statuam Herculi ponere in ostio Istri; sic Rhadamistus fingit se vovisse illic sacrificare suis diis, & necessaria ad eam rem ut pararentur, se imperavisse, eaque jam ex mandato recte prompta & curata esse. *Jac. Gronovius.*

1 *Mos est regibus*] Idem ex Herodoto refert Q. Tertullianus Apologetici. c. IX. *Vertranius.*

2 *Implicare dextras*] Morem hunc sanciendæ privatim publiceque amicitiæ usitatos esse Scythas, Armenios, & in ea ora gentes legi. De Scythis Lucianus in Toxari, sive de Amicitia: Οὐ γὰρ ἐντεμόντες ἅπαξ τοὺς δακτύλους, ἐναλλάξαμεν τὸ αἷμα ἐς κύλικα, καὶ τὰ ξίφη ἄκρα βάψαντες, ἅμα ἀμφότεροι ἐπισχόμενοι, ἐκ ἴσου ὃ, τι μετὰ τοῦθ' ἡμᾶς διαλύσειεν ἄν. Mela lib. I. cap. II. *Ne fœdera quidem incruenta sunt: sauciant se qui paciscuntur, exemptumque sanguinem, ubi permiscuere, degustant.* De Armeniis Valerius lib. IX. *Sariaster adversus patrem suum Tigranem Armeniæ regem ita cum amicis consensit, ut omnes dextris manibus sanguinem mitterent, atque eum invicem sorberent.* Et universe Tertullianus Apologetico: *Legite ne ubi relatum sit, diffusum brachiis sanguinem ex alterutro degustatum, nationes quasdam fœderi comparasse. Nescio quid & sub Catilina degustatum est.* Atque is mos, patrum etiam ævo, passim repertus ab Hispanis, apud Barbaros novi orbis. Sed nec Romanis ipsis ignota cruenta potio quæ Assiratum iis dicta, quoniam Assir, sanguis, ut ajunt Glossæ. Festum ita capio: *Assiratum apud antiquos dicebatur genus quoddam potionis ex vino & sanguine temperatum, quod Latini prisci sanguinem Assir vocarent.* Etsi fortasse ea potio olim in sacris. quod suadere videtur Sallustius. *Fuere*, inquit, *qui dicerent Catilinam humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse. inde cum post exsecrationem omnes degustavissent, sicuti in sollennibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum.* Ait enim consuetum id in sollennibus sacris. Silius videatur innuere, lib. II.

Parte alia supplex infernis Annibal aris,
Arcanum Stygia libat cum vate cruorem.

Lipsius.

3 *Sanguis in artus extremos suffuderit*] Scripsimus *se effuderit.* Rhenanus. Sed quid momenti in Rhenano, ut ad tantam mutationem omnes editores adegerit? Ego sane dubito, an dici possit ita sanguis effudisse se in artus extremos, ubi paululum modo eum coercet ac impedit nodus, quo minus regyrare valeat; quum contra tam bene isti rei conveniat alterum inde compositum suffundere ab membranis tam vetustis confirmatum, ut removeri ab hoc loco nequeat, unde omnino retinui. Et commodissime de eo cogitavit Nic. Heinsius delenda particula *in*, si Latinam loquutionem spectes. Sed habet Tacitus sua quædam propria, ut videtur nunc id verbum, passim active usurpatum, habuisse instar neutrius. Sed quantum, ὦ φιλάτε, distat Taciti ratio *pollices inter se vincire* & Ovidiana descriptio *digitis inter se pectine junctis?* ubi *vincire* tolerari nequit, quoniam nulla adsunt vincula: apud Tacitum vinciuntur, & adsunt vere vincula. Etiam in MS. Mediceo legitur *perstringere*, quod exhibuit Beroaldus. An eo est aliquid melius in verbo *præstringere*, quod supponunt? Nihil aliud vult, quam ita arcte vinciri, ut in extremo sistatur sanguis, & cutis plenissimum ruborem exhibeat. Quod si aliter placet considerare, ex ratione codicis Medicei censerem scribi debere, *ubi sanguis in artus se extremos suffuderit.* Istud enim pronomen ibi per similes literas potuit expelli. *Jac. Gronovius.*

4 *Genua Mithridatis invadit*] Simile aliquid in Apulejo lib. 9. Met. *simulans se ad commovendam miserationem, velle genua ejus contingere, submissus atque incurvatus arreptis ejus pedibus utrisque sublimem elatum, terræ graviter applaudit.* Et Tacitus infra lib. 15, 53. *Aurelius.*

5 *Injiciuntur catenæ, ac compedes*] Hæsi ipse olim in his vinclis: unde facile me nunc expedio, scriboque: *injiciuntur catenæ: ac compede, quod dedecorum Barbaris, trahebatur.* Ad morem Romanum Tacitus narrat. Injectæ, inquit, catenæ: imo & oblonga compede per viam tractus. qui ritus apud Romanos quidem receptus est in custodia militari; at apud Barbaros dedecori habetur & ignominiæ summæ. Verissima lectio sententiaque. Ita Athenion Manium Aquillium (quasi per summam ignominiam) tractum describit ab equite catenam longam habente. quem locum omnino vide transcriptum à me ex Athenæo supra de custodia militari, lib. III. *Lipsius.*

6 *Quod dedecorum Barbaris trahebatur*] Suspicor legendum, *quo dedecorum.* Sed hoc frigidum sit. Si

perio habitum, probra ac verbera intentabat. [1] Et erant contra, qui tantam [1] for-

Si quis me audiet, leget potius, *modo pecorum barbaris trahebatur*. *Modo*, hoc est more seu ritu. Sic Livius dixit *itineris modo*. lib. 8, 1. decad. *Signis repente sublatis, fuga magis quam itineris modo penitus ad Oceanum & Gadeis ducit.* Et Tacit. 2. Hist. *continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metæ modo exurgens.* Item eodem lib. *Castra in modum pinnatium dirigebantur.* Verum quid multis opus est? lib. 4. expresse sic loquitur: *Hostibus contra omnium nesciis, non arma, non ordo, non consilium, sed pecorum modo, trahi, occidi, capi.* Livius lib. 30. *Sed iis, qui hos ipsos Liguros aliquando pecorum modo fugientes per saltus invios consectati ceciderunt.* lib. 38. *Eos ex eo tempore per ducentos jam annos pecorum in modum consternatos cædunt.* *Barbaris* subaudi, *à*, id est *a Barbaris trahebatur.* Rhenanus. V. C. habet, *habebatur*, non *trahebatur*. Illud autem, *dedecorum*. Danesius mutabat in *modo pecorum*, quod pluribus locis Sallustius usurpavit in fragmentis historiarum. *Ursinus.* Si tractio barbaris est ignominiosa, quid aditum emendationibus aperimus? præsertim cum elarum sit, qua de caussa conjunctiones à Tacito dissimulentur. Demetr. τὸ ϧ τοιῶτο, κυρτὰ, φαληριῶντα, τῇ ἰξαιρίσει τῶ καὶ συνδέσμου μεγαλειότερον ἀπέβη μᾶλλον, ἢ ἐι ἔιπω, κυρτὰ καὶ φαληριῶντα i. *Hoc enim, tumida, spumantes, dempta & conjunctione, majus evasit, quam si sic dixisset, tumida & spumantes.* Præterea sollicitudo reddendi conjunctiones grammaticum sapit: hinc Philippus lib. 2. Antholog. συνδέσμων λυγρῶν θηρήτορες. i. *conjunctionum molestarum venatores.* Verum *trahi* ob id probrosum duco, quod pecora sic minentur. *sed pecorum modo trahi.* Hinc etiam Virgilius de barbara loquens affectus ciet:

Ecce trahebatur passis Priameïa virgo
Crinibus à templo Cassandra adytisque Minervæ.

Quod prius sacra pagina flebiliter usurpavit Jerem. in Lament. *cervicibus nostris minabamur.* Ita doctissimus interpretum. Certior à me discederes, si major esset copia, sed non omnia pluribus testibus consignari possunt. Exemplo sit in captivis incisio vinculorum: Joseph. lib. 5. c. 12. de bello Judaic. *Titus vero, qui cum patre aderat, justum est (inquit) pater, una cum ferro etiam probro Josephum solvi: erit enim tanquam nec initio vinctus sit, si non dissolverimus, sed inciderimus catenas: namque id agi solet in his, qui non recte fuerint vincti.* Et ignis prælatio ante imperatores. quotus enim quisque (nisi hi) talia memoriæ prodidere. Herod. in Commod. *Salinerius.* Leg. *ac compede suo (quod dedecorum barbaris) trahebatur*: nam S. pro siglo. Ait *Barbaris.* Sed dico etiam Græcis. Plautus Captiv. *At nos pudet, quia cum catenis sumus.* Et lib. 2. Reg. in lamentatione Abner. *Aurelius.* Nihil sani sensus, utcumque torqueant, premant, invertant. Scribe: *injiciuntur catena ac compedes. quo dedecore, barbaris trahebatur.* Hoc est, quo vinculorum dehonestamento addito vel imposito, è lustris illis producitur, & in conspectum turbæ præsentis datur, vilissimis è Scythia calonibus & lixis custodum vice stipantibus, quibusdam & tenentibus catenas. Nam hoc auget contumeliam, non centuriones, non milites saltem justos fuisse, quibus custodia credita. Quamquam & τὸ *barbaris* ad mores Rhadamisti & suorum referri possit, ut sit: Quibus vinculis tam pudendis oneratus & tractus ostenditur vulgo à Rhadamisto & comitibus vere barbaris. Immo & dandi casu, ingeritur oculis barbarorum Armeniorum & Iberorum. *Trahi* dicuntur, quicunque offeruntur catenati. lib. 2. Æneid. *Ecce manus juvenem interea post terga revinctum Pastores magno ad regem clamore trahebant.* Gronovius. Etiam atque etiam videndum, ne scripserit Tacitus; *injiciuntur catena ac compedes, & quod dedecorum.* Jensius.

1 *Et erant è contra*] Ita Florent. Vulgo, *& erant contra.* Pichena. Ego vero eam notam puto temporis, qui factum est illud exemplar: nam ævo meliore non sic loquebantur. *Gronovius.* In Oxoniensi non erat annotatum prius *&*, ut hinc forsan doceamur ambiguitatem invasisse librarios, & ita istud ortum abundans & vitiosum, ut habuerint nonnulli *erant & contra.* Porro est Cornelius Tacitus, de quo agitur. Ille præbet notabilia loca puram hanc præpositionem exhibentia, ubi levissimo negotio potuerat istud *e* præponi, pignora firmissima styli ejus. Sic 4. hist. 24. nemo aliter edit, quam *stare contra.* Sic 15, 37. *Lupanaria adstabant, & contra scorta visebantur.* Alibi ab vocabulo *contra* incipit ipsam periodum. ut lib. 2. h. cap. 10. Immo & 1. hist. 27. *Latum è contrario.* Et c. 88. *Nec deerant è contrario.* 2, 5. *Mucianum è contrario.* 3, 54. *Quum è contrario læta omnia fingeret.* Certe lib. 13. cap. 37. sic scribitur in Mediceo *si copia è contra ducerentur*, quod per typos ita divisum est, *si copia contra ducerentur.* An credi potest eum alicubi edidisse *è contra?* Lepor inexpectatus cogit his addere, quod medio tempore notavit Olaus Borrichius in Analect. ut vocat, Ling. Lat. pag. 51. (Damnat & Cellarius vocem *è contra*, tanquam Aurelii Victoris & Hieronymi partum; nihilne ergo concedendum Tacito, qui Annal. lib. XII. *Et erant è contra.* Ita legunt Berneggerus, Hugo Grotius, Boxhornius, Pichena. Malim tamen assentiri Ludovico Orleans, B. Rhenano, & editioni Parisiensi anni 1608. quibus *contra* placet. Quo etiam inclinat Celeb. Jac. Gronovius in Notis ad Tacitum.) Præcox est Borrichius, cui sæpe in hac urbe fui obvius, in meo prænomine; sed egregius vir nihil adjuvat Tacitum, perinde ut agunt alii. Sententiam suam promunt expedite, sed non docent unde ista abundantia præpositionis vel literæ *e* incesserit Tacitum. Si enim nostri est temporis, cur simile non contigit in isto loco quem citavi, cui sunt alia similia? Ego autem istud *e* hoc loco incidisse

[1] fortunæ commutationem miſerarentur. Secutaque cum parvis liberis conjunx, cun-
cta lamentatione complebat. Diverſis & conſectis vehiculis abduntur, dum Pharaſ-
manis juſſa exquirerentur. Illi cupido regni fratre & filia potior, animuſque ſceleri-
bus paratus. viſui tamen conſuluit, ne coram interficerentur. Et Rhadamiſtus quaſi
jurisjurandi memor, non ferrum, non venenum in ſororem & patruum expromit;
ſed projectos in humum, & veſte multa gravique opertos necat. Filii quoque Mi-
48 thridatis, quod cædibus parentum illacrymaverant, trucidati ſunt. At Quadratus
cognoſcens proditum Mithridaten, & regnum ab interfectoribus obtineri, [2] vocat
conſilium, docet acta, & an ulciſceretur conſultat. Paucis decus publicum curæ:
plures tuta diſſerunt: [3] *Omne ſcelus externum, cum lætitia habendum. ſemina etiam odio-
rum jacienda, ut ſæpe* [4] *principes Romani eamdem Armeniam ſpecie largitionis, turban-
dis Barbarorum animis præbuerint. Potiretur Rhadamiſtus male partis, dum inviſus, in-
famis, quando id magis ex uſu, quan* [5] *ſi cum gloria adeptus foret.* In hanc ſententiam
itum.

opinor, prout deprehendi & bene ſignavi in lib. 13, 15. *Inter alia æqualium ludicra R. regnum.* Item cap. 25. *Eadem exercebant. T. in modum.* Tanto poſtremum notabilius, quod iſti characteri ſimiliter literam *e* appoſuerunt, ut fieret copulativa. Jam ohe! ſatis. niſi quod, ſicut iſtas literas Beroaldus, Pichena & alii noluerunt adſciſcere in contextum, arbitrer mihi ſatis valida juſta eſſe, ut illam *e* literam perinde hinc abigam, quod feci. *Jac. Gronovius.*

1 *Fortunæ commutationem*] Male vulgo, *commotionem*. Lipſius.

2 *Vocat concilium*] Reſcribe iterum *conſilium*. Ita enim mos vocare præſidis aſſeſſores. *Grotius.*

3 *Omnes ſcelus externum*] Sententiæ reddita lux, ſi ſcribas, *Omne ſcelus*, littera detracta; ut ſint verba ex oratione cenſentium. *Lipſius.*

Omnes ſcelus externum] Præſto eſt cauſſa, qua doctiſſimus vir ſuppoſuit *omne*. nimirum conſentaneum non erat, paucos *quibus decus publicum curæ* (quod ipſe occipit etiam de puniendo Rhadamiſto) dixiſſe *ſcelus externum cum lætitia.* Cognoſcat lector noſtra, quæ forſan eum ſiſtent in tranquillum. Agitur in concilio, quid opus facto ſit prodito à Romanis militibus rege, eodemque à Rhadamiſto interfecto, quem imperator dediſſet: pauci dicunt eſſe puniendos milites infames: plures ad neceſſaria belli reſervandos: at hi omnes conſtanter cenſent, eſſe tranſmittendum Rhadamiſtum, quia regnum per ſcelera partum, diu retineri nequeat. & Romanis apprime ſit utile, gentes inter ſe bella exercere. *maneat quæſo, duretque gentibus, ſi non amor noſtri, at certe odium ſui: quando urgentibus imperii fatis, nihil jam præſtare fortuna majus poteſt, quam hoſtium diſcordiam.* Salinerius. Veriſſima lectio quam eruit Lipſius, cum ante eſſet *omnes ſcelus externum*: falſa ſententia. non enim omnes ita ſenſerunt, ſed plures illi qui tuta diſſerebant, quorum hæc eſt oratio. Similis fere narratio repetitur ſupra 3, 43. *Paucorum hæc adſenſu narrata; plures obturbabant, neque* &c. nam & ibi plurium iſtorum ſententia refertur. Sic apud Livium 42, 47. *Hæc ut ſumma ratione acta, magna pars ſenatus approbabat: veteres & moris antiqui memores negabant* &c. ubi ſubjungitur etiam epiphonema, judicio Taciti quod de hac deliberatione promit, non abſimile: *Hæc ſeniores, quibus nova hæc minus placebat ſapientia. Vicit tamen ea pars ſenatus, cui potior utilis quam honeſti cura erat.* Freinshem. Fruſtra tranquillum promittit hic nobis Salinerius. Non id potiſſimum tractabatur, an milites puniendi eſſent: ſed an ferendum eſſet regnum, quod beneficium erat populi Romani, ab interfectoribus regis teneri. Quibus igitur *decus publicum curæ*, hi non laborabant de pœna militum, (qui ſi potuerunt convinci, ſunt haud dubie puniti, etſi prætermiſerit hoc Tacitus) ſed arma decernebant & hoſtem judicandum Rhadamiſtum eoque non poterant eſſe in numero *Omnium* Salinerianorum, ſcelus tranſmittendum eſſe conſtanter cenſentium. Neque tamen video, cur plaudam Lipſio: non enim *Omne* magis huc congruit quam *Quoddam*, aut quodvis hujuſmodi additamentum. Prorſus aliud quid in ea voce latet, de quo inveniendo non multum quidem mihi polliceor: eſſe tamen poterat: *plures tuta diſſerunt, monentes, ſcelus externum cum lætitia habendum.* Gronovius.

4 *Principes Romani eamdem Armeniam*] Addidimus particulam, *in*, *in eandem Armeniam*. Rhenanus. Dane'ius legebat, *princ. Ro. in eandem Armeniam.* In vulgatis autem deeſt, *in*, præpoſitio. *Urſinus.*

5 *Si cum gloria adeptus*] Scribo hæc omnia: *quanto id magis ex uſu, quam ſi cum gloriâ adempta forent?* At nunc (ultimis curis) video, explicare Pichenam quod vulgatum eſt: Magis hoc ex uſu Romano, ſi cum infamia, quam ſi cum gloria regnum adeptus: quia ſcilicet incertior futurus, odiiſque magis obnoxius. Non damno. *Lipſius.*

Quando id magis ex uſu, quam ſi cum gloria adeptus foret] Lipſius aliter. Ego nihil muto. Clarus namque ſenſus, ac præclara ſententia. Ex uſu inquit,
Ro-

itum. Ne tamen annuisse facinori viderentur, & [1] diversa Cæsar præciperet, missi ad Pharasmanen nuntii, *ut abscederet à finibus Armeniis, filiumque abstraheret.* Erat 49
Cappadociæ procurator [2] Julius Pelignus, ignavi animi, & [3] derididiculo corporis juxta despiciendus; sed Claudio perquam familiaris, [4] cum privatus olim conversatione

Romanis erat, quod Rhadamistus regnum scelere occupasset: quoniam spes erat, seditiones & turbas in provincia illa brevi orituras, quod præcipue Romani quærebant. At si gloria egregiisque artibus regnum adeptus fuisset, tunc in illius quieta & pacifica possessione diu esset duraturus. *Pichena.* Optime hæc explicavit Pichena, nec quicquam mutandum esse apparet. *Freinshemius.*

Quam si cum gloria adeptus foret] Erat è re Romana, (ut jam dictum est) Rhadamistum scelere potius; quam per virtutem, sui juris Armeniam fecisse: ejus enim flagitium præcipue ad eam occupandam rapuit Vologesem. *nam Vologeses casum invadendæ Armeniæ obvenisse ratus, quam à majoribus suis possessam externus dux flagitio obtineret.* populus equidem votis regnum à sceleltis ad innocuos transferr. *anteponendum esse vix dum egresso pueritiam Neroni, & imperium per scelus adepto, virum ætate composita insontem.* Audi Sallustium in Catil. *ita imperium semper ad optimum quemque à minus bono transfertur.* At emendatio eruditissimi viri *quam si cum gloria ademta foret*, potest hinc abesse. *Salmerius.*

1 *Diversa Cæsar præciperet*] Tantum differentiam noto, in Flor. legi, *juberet.* Pichena. Huc igitur pertinent illa magni & Tacito æquævi poetæ:

Genus hinc, sed cesso agnoscere; quando
Tu diversa jubes. —— Jac. Gronovius.

2 *Julius Pelignus ignavi animi*] Faernus legebat: *Julius Posthumus ignavo & derididiculo.* Ursinus. *Πτώσεως* similitudo illexit doctiss. virum in castigationes, & idcirco ei placuit *ignavia*, ut id concordaret cum *derididiculo.* Verum noster hic Θουκυδίδιζει lib. 4. *εἶπον δὲ τούτοις καὶ Κερκυραίων ἅμα παραπλέοντας τῶν ἐν τῇ πόλει ἐπιμεληθῆναι.* i. *Dixerantque his Corcyræorum simul adnavigantes, qui in civitate curam haberent.* Ad quæ hujusmodi Scholiastes: *τὸ ἑξῆς ἦν, παραπλέουσι, ἀλλὰ μεταβάσει ἐχρήσατο ἀπὸ δοτικῆς ἐπὶ αἰτιατικήν.* i. *Consequens erat adnavigantibus, verum usus est transitu à tertio ad quartum casum.* & iteravit lib. 11. ann. *meminissent C. Asinii, & Messallæ, ac recentiorum Arruntii & Æsernini ad summa provectos incorrupta vita & facundia.* Optime *Pelignus ignavi animi.* Sallust. Catil. *hominem veteris prosapiæ, ac multarum imaginum, & nullius stipendii.* noster *Abdus ademta virilitatis.* Salmerius. Muretus, *ignavo animi.* Hoc ei assentior, & malo, quam quod ad marginem *ignavia. Ignavum animi*, perinde dictum, ut *derididiculum corporis.* Tamen etiam Taciti phrasis *ignavi animi.* Acidalius. Facile tolero vulgatum: sed non inductus iis, quæ disputat Salinerius. Quid enim simile? Thucydides poterat scripsisse *παραπλέουσι*, quod referres ad *τούτοις*, poterat & *παραπλέοντας*, ut referas ad *ἐπιμεληθῆναι.* Hoc maluit: *mandatum his, & Corcyræorum, qui urbem tenerent* (adversus eos, qui *τὸ ὄρος τῆς Ἰστώνης* insederant) *prænavigantes curam gererent.* Taciti autem verba, si placet ea scriptura, requirunt *τελείαν σύνταξιν* post *τὸ Æsernini.* neque enim ulla ratione copulari possunt, *Asinii & Messallæ, Arruntii & Æsernini provectos* sed ante *τὰ ad summa provectos* dissimulatur pronomen *eos.* At hoc loco quod legitur, accipio, quasi scripsisset: homo ignavus atque imbellis, nec minus turpis distorto corpore. *Gronovius.*

3 *Derididiculo corporis juxta conspiciendus*] Fecimus, *despiciendus.* Porro *derididiculi* vocem etiam lib. 3. usurpat. *Derididiculo fuit senex fœdissimæ adulationis.* Rursum lib. 5. *Togonius Gallus dum ignobilitatem suam magnis nominibus inserit, per derididiculum auditur.* Rhenanus. *Conspiciendus* cum Mureto, non mutem *despiciendus.* Sic namque libro 14. *Marcellus Asinio Pollione proavo clarus neque morum spernendus habebatur.* Acidalius. Memoratur hic, quod nollem, quibus MSS copia fuit, silentio transiisse. Video enim fateri Rhenanum se fecisse *despiciendus*, nulla mentione vett. librorum. In quibus si erat *conspiciendus*, profecto mutandum non fuit, quippe quod sit insignis, insignitus, & non secus atque hæc tam in deteriorem quam in meliorem partem flectatur. Suetonius Claudio cap. 4. *ne quid faciat, quod conspici ac derideri possit.* Homero *conspiciendus ἐπόψιος* Ιλ. γ. *λώβην τ' ἔμεναι καὶ ἐπόψιον ἄλλων.* Vide nostra Observata in Scriptores Ecclesiasticos cap. 19. & ad Livii lib. 4. cap. 13. *Gronovius.* Non est nisi mera Beroaldi licentia. *Jac. Gronovius.*

4 *Cum privatas olim*] Deprecor invidiam: sed profecto hunc locum, si quem alium, propitiis Musis restitui, hoc modo: *Cum privatus olim conversatione scurrarum iners otium oblectaret.* Claudius ante imperium vilis, abjectus, scurris & sordidissimis hominibus convixit: *è quorum contubernio super veterem segnitiæ notam, ebrietatis quoque & aleæ infamiam subiit*, ait Sueton. cap. v. Inter eos hic Pelignus. Libri veteres, quorum vestigia institi, habent: *cum privatis olim conversationes curaret, iners otium objectaret.* unus Vatican. *cursationes*, pro *conversationes.* Lipsius.

Cum privatas olim conversationes curaret; iners otium oblectaret.] Quia Vatic. *cursationes*, velim, *curatione scurrarum.* Sic de Hadriano Spartianus, *curasse delicatos.* Palmerius Mellerus. Scilicet Claudius cum nondum princeps, undique sui similes alliceret ad animi remissionem. Cur autem hæc senio fuerint eruditiss. viro, ego juxta cum ignotis scio, At quando Claudio iners otium? is certe privatus & princeps, multus in historia scribenda, quod licet

ne scurrarum iners otium oblectaret. [1] Is Pelignus auxiliis provincialium contractis, tamquam recuperaturus Armeniam, dum socios magis quam hostes prædatur; abscessu suorum, & incursantibus Barbaris, præsidii egens, ad Rhadamistum venit: donisque ejus evictus, ultro *regium insigne sumere* cohortatur; sumentique adest auctor & satelles. Quod ubi turpi fama divulgatum, [2] ne ceteri quoque ex Peligno conjectarentur. Helvidius Priscus legatus cum legione mittitur, rebus turbidis pro tempore ut consuleret. Igitur propere montem Taurum transgressus, moderatione plura quam vi composuerat; cum *redire in Syriam* jubetur, *ne initium belli adversus*
50 *Parthos exsisteret.* Nam Vologeses casum invadendæ Armeniæ obvenisse ratus, quam à majoribus suis possessam, externus rex flagitio obtineret, contrahit copias, fratremque Tiridaten deducere in regnum parat, ne qua pars domus sine imperio ageret. Incessu Parthorum, sine acie pulsi Iberi; urbesque Armeniorum Artaxata & Tigranocerta jugum accepere. [3] Deinde atrox hiems, seu parum provisi commeatus, & orta ex utroque tabes, [4] perpellunt Vologesen omittere præsentia. vacuamque rursus Armeniam Rhadamistus invasit, truculentior quam antea, tamquam adversus defectores, & [5] in tempore rebellaturos. Atque illi quamvis servitio sueti, patientiam
51 abrumpunt, [6] armisque regiam circumveniunt. Nec aliud Rhadamisto subsidium fuit, quam pernicitas equorum, quis seque & conjugem abstulit. Sed conjunx gravida, primam utcumque fugam ob metum hostilem & mariti caritatem toleravit; post festinatione continua, ubi quati uterus, & viscera vibrantur, orare *ut morte honesta contumeliis captivitatis eximeretur.* Ille primo amplecti, allevare, adhortari, modo virtutem admirans, modo timore æger, ne quis relicta potiretur. Postremo violentia

cet ocium, non tamen iners vocatur. Tacit. in Dialog. *Si modo in hac studiorum parte oblectare ocium & nomen inferre possunt famæ.* Putem respectum ad illa tempora, quibus Claudius abjecit spem dignitatum. Suet. c. 5. *tum demum abjecta spe dignitatis ad ocium concessit modo in hortis, & suburbano, modo in Campania secessu delitescens, atque ex contubernio sordidissimorum hominum, super veterem segnitia notam, ebrietatis & aleæ quoque infamiam subiit.* At Pelignus iste unus eorum, qui corpore deformis, & in paucis ei carus, cui vel ante ἀπολίαστο suus Vulcanus in deliciis. Hom. Iliad. α. *Α'σβεστος δ' ἀρ' ἐνῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσιν, Ως ἴδον Η'φαιστον διὰ δώματα ποιπνύοντα.* i. *infinitus autem excitatus est risus beatis Diis, Postquam viderunt Vulcanum per domos ministrantem.* Eadem de caussa Vatinius irrepsit in aulam Neronianam. Tacit. lib. 15. *corpore detorto, facetiis scurrilibus:* Serio tandem conjunctiones a nostro supprimuntur, quod expressæ venustatem procul summoveant. Suet. in Aug. *quæ detracta afferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent.* Salinerius. Nonnihil variat Flor. *cum priva tis olim.* ut facile appareat nugas illas de privatis conversationibus, in libris non haberi. Optime Lipsius & acute restituit: ac si ulla ipsius conjectura recipi merebatur, hæc certe præcipue est, eaque Taciti verba esse jurarem. Sed timore scrupulosiorum, eam in margine tantum apposui. Idem fere de Vitellio dixit, histor. lib. 2. *Aggregabantur è plebe flagitiosa per obsequia Vitellio cogniti, scurræ, histriones, aurigæ, quibus ille amicitiarum dehonestamentis miro gaudebat.* Pichena. Quod facturus erat Pichena, in hac editione factum est, ut eximia hæc emendatio Lipsii in textum reciperetur: cum idem omnium doctorum judicium de ea fore videbatur, quod Pichenæ fuit, qui ea Taciti verba esse juraret. Quod prius vulgabatur, nullo est aut ridiculo sensu. *Freinshemius.*

1 *Is Pelignus*] Cum hominis istius nomen modo indicatum sit, non videtur ab auctore statim repetitum *Idem.*

2 *Ne ceteri quoque ex Peligno conjectarentur*] Ne conjectura Peligni ceteri idem voluisse crederentur. *Ferretus.* Non est obscurum, quid velit. Ne de Peligno conjectura in alios fieret: ne Romanorum alii, quibus armorum jus, si quiescerent, approbare Peligni facinus & ratum habere crederentur. Terent. Heaut. 3. 3. *Ego de me conjecturam facio.* Gronovius.

3 *Dein atrox hiems*] Flor. *Deinde atrox hiems.* Pichena. Sic quoque Beroaldus.

4 *Percellunt Vologesen*] Reposui, *perpellunt.* Rhenanus. Restitui ex Flor. verbum, *percellunt.* Vulgo, *perpellunt.* Vide quæ notamus ad Liv. lib. 3. cap. 36. *Gronovius.*

5 *In tempore bellaturos*] Meum secutus judicium, *bellaturos* mutavi in *rebellaturos*, id exposcente sensu. *Rhenanus.*

6 *Armisque regiam circumeunt*] Scripsi, *circumveniunt.* Idem.

1 Di-

lentia amoris, & facinorum non rudis, [1] destringit acinacem, vulneratamque ripam
ad Araxis trahit, flumini tradit, ne corpus etiam auferretur. ipse præceps [2] Iberos
ad patrium regnum pervadit. Interim Zenobiam (id mulieri nomen) [3] placida illu-
vie, spirantem ac vitæ manifestam [4] advertere pastores, & dignitate formæ haud de-
generem reputantes, obligant vulnus, agrestia medicamina adhibent; cognitoque
nomine & casu, in urbem Artaxata ferunt. unde publica cura deducta ad Tiridaten,
comiterque excepta, cultu regio habita est. Fausto Sulla, Salvio Othone consuli- 52
bus Furius Scribonianus in exilium agitur, quasi *finem principis per Chaldæos scruta-
retur.* adnectebatur crimini *Junia mater ejus*, ut *casus prioris* (nam relegata erat) *im-
patiens.* Pater Scriboniani Camillus arma per Dalmatiam moverat. idque ad clemen-
tiam trahebat Cæsar, [5] quod stirpem hostilem iterum conservaret. Neque tamen
exsuli longa posthac vita fuit: [6] morte fortuita, an per venenum extinctus esset, ut
quisque credidit, vulgavere. *De mathematicis Italia pellendis* factum Senatusconsul-
tum, atrox & irritum. Laudati dehinc oratione principis, *qui ob angustias familiares
ordine senatorio sponte cederent*, motique *qui remanendo impudentiam paupertati adjicerent.*
Inter quæ [7] refertur ad patres *de pœna feminarum, quæ servis conjungerentur.* statuitur- 53
que *ut ignaro domino ad id prolapsæ*, [8] *in servitute; sin consensissent, pro libertis habe-
ren-*

1 *Distringit acinacem*] Nemo est, qui nesciat esse Medorum Persarumque gladium, teste Horatio. *Ferretus.* Sed Flor *destringit.* & mox voces digerit non ut vulgo *ad ripam Ar.* sed *ripam ad Araxis.* Quod utrumque ab Cl. Ryckio bene admissum vigebit credo in posterum Cui simile erit 2. hist. 52. *Illinc adverse de prælio allatum*, ubi vulgo *de adverso pr.* Ita 15, 17. error admittitur in editione ejusdem, quum bis illic citet *Euphratem ultra*, ubi vulgo habetur *ultra Euphratem*, sed ex Flor. notavi *Euphraten ultra*, quod non debuit mutare in *Euphratem.* Ibid. c. 47. *Viam propter.* Cæterum isti ordini lis mota fuit medio tempore. Nam quum in MS. ipso satis pateat hanc esse antiquam scripturam, si inspexeris, cernes eam valde varieque interpolatam esse. *Jac. Gronovius.*

2 *Iberos ad patrium regnum*] Ut Livius in fine libri 1, *Sex. Tarquinius Gabios tanquam in suum regnum profectus.* Sic 3. hist. 1. *Petovionem in hiberna tertiadecimæ legionis convenerant.* Idem.

3 *Placida illuvie*] Videri *eluvie* legendum diximus ad Livii 1, 4. *Gronovius.*

4 *Advertere pastores*] Sic lib. 11. *Ocius aquilæ petere silvas visæ advertere Imperatorem.* Id verbum ea notione reddendum Livio, lib. 1. de Metio Curtio in paludem conjecto: *adverteratque ea res etiam Sabinos tanti periculo viri.* id est, converterat illuc animos oculosque Sabinorum. Nam libris omnibus, *averterat*, scriptum, alio sensu. *Lipsius.* Fallitur Lipsius, qui locum sic accipiendum putat *Advertere* hic nihil est aliud quam animadverterunt. In istam significationem scribendum fuerat: *Zenobia spirans ac vita manifesta advertit pastores.* Vide supra ad lib. 1, 41. *Acidalius.*

5 *Quod stirpem hostilem iterum conservaret*] Melius sic Flor. quam vulgati, *qui stirpem.* Pichena At mihi multo magis se probat aliorum *Qui*: Est enim quale Terentii Andr. a. 4. sc. 1. *nisi mihi deos satis Scio fuisse iratos, qui auscultaverim.* Heautont. 3, 3. *Dii te eradicent, Syre, qui me istinc extrudis.* Justinus lib. 39. *Ptolemæo regnum redditur, qui neque cum matre bellum gerere voluisset, nec à fratre armis repetere, quod prior possedisset.* Cicero lib. 5. famil. Ep. 22. *Neque enim est Spartiates ille Agesilaus perhibendus, qui neque pictam neque fictam imaginem suam passus est esse.* Et talia ὅσα κόνις. Gronovius.

6 *Morte fortuita, an per venenum extinctus esset*] Verba, *extinctus esset*, ejicit Muretus, & ego cum illo, nimis manifestum & insipidum glossema. Hæreo tamen, an non potius scribi: *mortem fortuitam; an per venenum, ut quisque credidit, vulgavero.* Acidalius. Mitius faceremus, *exstinctum esse.* Sed nihil mutandum: à fronte namque horum verborum subauditur τὸ *Utrum*: quemadmodum in omnibus fere istis, ubi *incertum an*, vel *dubium an*, vel *an* solum in hanc sententiam interponitur. *Gronovius.*

7 *Refertur de pœna feminarum*] Senatusconsultum hoc, Claudianum in jure appellatur, cujus quoque mentio in Institutionibus. *Alciatus.* Hoc dictum fuit *Senatusconsultum Claudianum*, auctor Tribonianus in Institutionibus titulo de Successionibus sublatis, quæ fiebant per bonorum possessionem: & de Senatusconsulto Claudiano. *Ferretus.* Idem statuit D. Vespasianus autore Suetonio in eodem c. 11. Prætetea de eo tractatus est in Justinianco Codice de mulieribus, quæ servis propriis se conjunxerunt. *Lupanus.*

8 *In servitutem sui consensisset*] Non prompta lectio sententiaque hujus loci: mihi quidem. Nam aliis omnia liquent. Ajunt non dubiam sententiam

esse

esse hanc: mulierem liberam, quæ cum alieno servo solita sit domino insciente, servam fieri velut proprio consensu: & natos item ex iis, liberos non haberi. Itaque nunc nuper ecce emendavit vir doctus; *ut ignaro domino ad id prolapsa, in servitutem, seu consensisset: & qui nati essent, pro libertis ne haberentur.* Sed mihi, per bonam gratiam, jus sit dissentire. Nego alterum illud membrum, de natis ex eo cœtu in servitutem habendis, usquam repperirii in legum libris: ajo contra jus esse. Favor libertatis exposcit, ut nati è libera sint liberi: adeoque superveniens calamitas matris, nocere ei qui in utero est non debet, ut sufficiat matrem liberam vel medio tempore habuisse. Paullus lib. 11. Sentent. tit. XXIV. Marcianus l. 5. De statu hominum. Quo jure ergo servi isti? Clementius vulgata lectio ajebat, *pro libertis haberentur:* sed non verius. Quomodo enim libertus, qui numquam servus? Adde quod manuscriptis vestigium nullum ejus membri. verba, inquam, ea, *& qui nati essent*, absunt manuscriptis omnibus, etiam Budensi. Ut mihi Farnesiani codicis scriptura certa sit: *ut ignaro domino ad id prolapsa, in servitute: si consensisset, pro liberta haberetur.* Optime. Duplex videlicet ejus SCti membrum, in eas quæ ignaro, quæque sciente domino, peccatum id peccassent. Et si quidem ignaro, ait lex: serva esto. sin volente: habetor pro liberta. Omnino enim propositum legislatori à servili contubernio abstinere lubricum sexum: & sive sciente sive inscio domino ea mixtio, posuit pœnam. sed ἀναλόγως, & pro gradu noxæ intentiorem, remissioremque. Sed cui rei, inquies, fuerit pro liberta? Huic, ut vinculo aliquo teneatur domino servi, ad operas libertorum aliaque ejus ordinis præstanda. Jus item domino in feminæ bonis: & quicquid in veram libertam. Sed recte, *pro liberta:* non enim liberta vere. Rettulit hoc ipsum decretum postea (credo quia abolucrit, licentia temporum, & inusu) Vespasianus Princeps, de quo Suetonius: *Auctor Senatui fuit decernendi, ut quæ se Servo alieno junxisset, ancilla haberetur.* ita tamen, ut apud Jurisconsultos nomen manserit consulti Claudiani: non à Claudio Pallante, qui repertor, sed à Claudio Principe qui rettulit. Tertullianus item adspexit, ad uxorem lib. 11. *Nonne insuper censuerunt* (Romani) *servituti vindicandas, quæ cum alieno servo, post dominorum denuntiationem in consuetudine perseverarunt?* Plura ad hanc rem petes, si operæ tibi est, à P. Fabro lib. 1. Semestr. cap. XXV. Revera enim ad asciam factum, quidquid dedolavit ille faber. *Lipsius.*

Statuitque ut ignaro domino ad id prolapsa, in servitute sui consensisset, & qui nati essent, pro liberis haberentur] Hæc verba, *& qui nati essent*, non sunt in Budensi codice. Divino sic Tacitum scripsisse, *Statuiturque ut ignaro domino ad id prolapsa, in servitute; sin consensisset, pro libertis haberentur.* Rhenanus. Senatusconsultum hoc, factum Claudianis temporibus, Claudianum quoque nomen habet. Continet autem, ut libera mulier servi consuetudine capta, terque à domino servi coram septem testibus nuntiata, ni abstineret, prolata denunciatione trina prætori aut Præsidi in urbe, provinciisve, cum bonis omnibus quæ haberet, domino servi addiceretur. In rebus namque Veneris servo submissa, in aliis conserva ut esset, Senatui concessisse videbatur. Sed tandem Cæsaris Justiniani constitutione sublata est ex SC. Claudiano manus injectio, & in servitutem redactio, Codicis Imperatorii lib. 7. tit. 24. & Institutionum lib. 3. tit. 12. *Vertranius.* Non jure bono hæc emendantur, nec integrum Senatusconsultum Claudianum à Tacito refertur: quippe qui Jurisconsulti partes non exsequatur. Femina quæ ignaro domino cum ejus servo consuevisset, conserva fiebat, & nati ex hujusmodi concubitu pro libertis habebantur, quæ de matre dicuntur, Justinianus affirmat obtinuisse l. 1. C. de Senatusc. Claud. tollend. *ne ea, quæ libera constituta est, vel semel decepta, vel infelici cupidine capta vel alio quocunque modo contra natalium suorum ingenuitatem deducatur in servitutem.* quæ de filiis, nusquam legi. Sed si pœna irroganda, quænam ea congruentior? Nasci eos servos impium est, nec in favorem libertatis, cui præcipue Jurisconsulti ac Imperatores cautum voluere: liberos, illegitimum, ut qui statim matrem à servi complexibus habuerint servam. Eruditissimus vir liberos oriri credit, qui ex tali conjugio nascerentur: quasi ei, qui in utero sit, nocere non debeat superveniens calamitas matris. Vera per se sunt, sed hic locum non habent, nam hi nunquam in utero matrem liberam habuerunt. Idem quærit, quomodo libertus esse possit, qui servus nunquam fuit? Prius mihi respondeat, quo pacto *liberta* recte dicatur ea, quæ haud extitit serva. Hæc dico, quia ipse sequitur codicem Farnesianum, unde habemus: *ut ignaro domino ad id prolapsa, in servitute; si consensisset, pro liberta haberetur.* Si *pro liberta* improprie, ego idem in *pro libertis.* Salinerius. Pugnant hic viri docti, & ego libenter pugnam illis relinquo. Tantum moneo, à Flor. etiam abesse verba, *& qui nati essent.* Ibi enim legitur; *in servitute sui consensisset, pro libertis haberentur.* Pichena. Quid pugnamus pro verbis, quæ Taciti non sunt, & specie inhibendi correctiones genus corrigendi maxime anceps & rarissime felix tuemur? Budensis, Farnesianus, Florentinus agmine facto ejurant, quod de filiis alibi nusquam se legisse fatetur & Salinerius. Idque sine dubio farcinatorum cujusdam est, leviter corruptos locos, qui litera una alterave dempta vel addita vel mutata restituebantur, pro ingentibus hiatibus supplentium. Pellexit in fraudem vox *libertis*, quam quo referret, quia non videbat, ipse aliquid commentus interposuit: cui locus non erat, si, ut est in Farnesiano, *liberta* reperisset. At, inquit, sic nati statim matrem à servi complexibus habuerunt servam. Hoc parum est pro Jureconsulto loqui, quem scire oportebat non pro serva habitam, nisi post trinas denuntiationes. Deinde hoc non eo valebat utique, ut mancipium fieret

rentur. [1] Pallanti, quem *repertorem ejus relationis* ediderat Cæsar, *prætoria insignia, & centies quinquagies sestertium* censuit [2] consul designatus Barea Soranus: additum à Scipione

fieret (nisi forte in humilibus & egentibus personis) quam ut & suam & adsumpti mariti libertatem ab hujus domino emere compelleretur. Itaque caute Tacitus, *in servitute haberetur.* Quemadmodum enim aliud est *esse in libertate*, aliud *esse liberum*, teste Fabio declam. 340. sic & aliud est *servam esse*, aliud *in servitute esse.* Roganti Lipsio, quemadmodum libertus esse possit, qui servus nunquam fuit? reponit, quo pacto liberta dicatur, quæ non servierit; Hæc paria non sunt. mulieris enim culpa est subeuntis jugum, cui leges eam infamiam statuerunt: nulla culpa fœtus est. Quin rem diligentius consideranti liquebit, nihil tale nec potuisse de natis ex eo conjugio constitui, nec necesse fuisse, cum jure communi satis cautum esset. Nam qui ante denuntiationes istas provenerant, nec servi erant, nec libertini, sed ingenui, quia non mutabat mulier statum, nisi postquam dominus servi denuntiasset. Si vero factis denuntiationibus non abstinuit servo mulier neque libertatem utriusque redemit, & plane serva facta est; si quod inde nascitur, conceptum est, antequam mater justam servitutem subiret, haud dubie liberum est; quod simul concepit & parit jam ancilla, servum est ex communi jure. Quod autem P. Faber, *ingrate* pro *ignaro* reponi suadet, quod fit invito, ut apud Terentium Donatus interpretatur, fallitur. Neque enim id procedit, nisi in uno *ingratiis*: sic enim loquimur *ingratiis meis, ingratiis alicujus fieri*, quod fit me vel aliquo invito. & de hoc agit Donatus. Illa vero *ingrata*, quæ ex Catullo & Plauto Turnebus explicat, non invita sunt, sed quæ sunt ingratis & non reddentibus vicem aut cum gratia excipientibus collocata. *Gronovius.* Itaque quum vere in hac nobili parte restitutus Tacitus incipiat legi, & laudabiliter aliena expulerit Cl. Ryckius, ut hæc editio non sit dispar, idem agi oportebit; quum tamen hæream idcirco, quia Farnesianum exemplar nec æquiparare Florentino possim, nec dum præferre, ut fit ab illo. Nam verba Florentini *pro libertis haberentur* jure vetustatis id evincunt, ut oporteat credi istam esse Cornelii nostri manum, & hinc omnino docent in plurali istud SCtum conceptum fuisse, perinde ut relatio sic per eundem numerum facta est, quod clare docent priora. Adeo singularis est plane interpolatus. Neque aliud exigitur, quum ut *prolapsa* scribatur pro *prolapsa*, quod in pravo intellectu facillime fieri debuit. Certe mihi placent Florentina, & ipsa expressi. Agit de hac parte etiam Fabrettus in Inscriptionibus pag. 190 sed ut vir saxis tractandis vertendisque tritus, antiquitatis & elegantiæ ex codicibus scriptis eruendæ ignarus. *Jac. Gronovius.*

1 *Pallanti Prætoria insignia*] De quo inscriptio:

TI. CLAVDIVS AVG. L.
PALLAS.
HVIC. SENATVS. OB. FIDEM
PIETATEM. QVE. ERGA
PATRONOS. ORNAMENTA
PRÆTORIA. DECREVIT
ET. H. S. CENTIES. QVIN
QVAGIES. CVIVS. HONORE
CONTENTVS FVIT.

Et indignatur jure in hoc facto major Plinius, lib. XXXV. (ad Pallantem enim ea refero) cap. penult. *Hoc est insigne venalitiis gregibus, opprobriumque insolentis fortunæ. quos & nos adeo potiri rerum vidimus, ut prætoria quoque ornamenta decerni à Senatu, jubente Agrippina Claudii Cæsaris, viderimus: tantumque non cum laureatis fascibus remitti illo: unde cretatis pedibus advenissent.* Itemque minor lib. VIII. epistolarum epistol. v. quem vide. *Lipsius.*

Pallanti &c. *Prætoria insignia & centies quinquagies H. S.*] Quod refert Cornelius inscriptum Pallantis monumento, via Tiburtina, intra primum ab urbe lapidem: Plinius Cæcilianus ad Montanum VII. & VIII. Epistolarum annotavit his verbis: HVIC. SENATVS. &c. CVIVS. HONORE. CONTENTVS. FVIT: scilicet, oblatam ex ærario liberalitatem à S. P. Q. R. donumque sprevit. & ait Plinius, *quod solum potuit tantis opibus publice oblatis, arrogantius fecit, quam si accepisset.* Vertranius.

Quinquagesies] Unde venerit ea vox in Tacitum, & cur tanto favore ab viris doctis excepta sit, nullus adsequor. Ab Pichena video transiisse ad Freinshemium, hinc progressam in novissimas, immo & Ryckianam, quum Beroaldus, Aldus, Rhenanus & Lipsianæ dedissent *quinquagies*, quam solam suppeditat quoque MS. Mediceus, ut nunc, ita & cap. 22. rejeci illud ignotæ originis. *Jac. Gronov.*

2 *Barea Soranus*] Lego in lapide,

Q. MARCIO BAREA.
T. RVSTIO. NVMMIO. COSS.

Si de isto; habemus viri celebris gentile nomen. *Lipsius.*

Consul designatus Barea Soranus] At neque anno proximo, neque ultra, Consulem Baream invenio. Similiter lib. 14. ait: *Censuitque Junius Marullus Consul designatus, adimendam rei præturam.* & lib. 15 in fine, *Cerialem Anicium Consulem designatum pro sententia dixisse.* Et tamen horum neuter reperitur inter Consules anni sequentis. Censeo designatos eos, non in priores duos menses Januarium & Februarium, qui fastis nomen dabant, sed in duos alios ex sequentibus. Nam, ut videtur, duobus tantum mensibus, illo & inferiori ævo, Consulatus habebatur, quo pluribus civibus honos ille impertiretur. Patet hist. 1. ubi Tacitus de Othone ait; *Consul cum Titiano fratre in Kal. Martias ipse, proximos menses Verginio destinat* & paulo post: *Cælio ac Flavio Sabinis in Julias, Ario Antonio & Mario Celso in Septembres.* Pichena.

1 Re-

Scipione Cornelio, *grates publice agendas, quod* [1] *regibus Arcadiæ ortus, veterrimam nobilitatem usui publico postponeret, seque inter ministros Principis haberi sineret.* Asseveravit Claudius, *contentum honore Pallantem, intra priorem paupertatem subsistere.* Et [2] fixum est. . . publico Senatusconsultum, quo libertinus sestertii ter millies possessor,
54 antiquæ parcimoniæ laudibus cumulabatur. At non [3] frater ejus cognomento *Felix* pari moderatione agebat, jam pridem Judææ impositus, & cuncta malefacta sibi impune ratus, tanta potentia subnixo. Sanè præbuerant Judæi speciem motus orta seditione, postquam [4] cognita cæde ejus [5] haud obtemperatum esset. manebat metus

tus

1 *Regibus Arcadiæ ortus*] Vide quæso mancipium hoc togatum Pallantem ad regum stirpem refert: credo, quia Pallas aliquis Virgilio aliisque inter Arcadum reges. O opprobrium omnium Scipionum; & dignissime domino Pallante! Nos hunc nequissimum servum trans mare advectum inter vænales, ex Plinio scimus: & eundem Antoniæ matri servisse, ex Josepho lib. XVIII. qui Πάλλαντα appellat τὸν πιστότατον τῶν δούλων αὐτῆς. Ab ea ergo ad Claudium pervenit. *Lipsius.*

2 *Fixum est publico*] Ita libri scripti: & non abhorret à Corneliana phrasi. At vulgo, *ære publico*, legas, non sine additamenti suspicione. *Idem.*

Fixum est ære publico S. C.] Ejus reliquiæ supersunt hæ: SED. CVM. PRINCEPS. OPTIMVS PARENSQ. PVBLICVS. ROGATVS. A. PALLANTE. EAM. PARTEM. SENTENTIAE. QVAE. PERTINEBAT. AD. DANDVM. EI. EX. AERARIO. CENTIES. QVINQVACIES. SESTERTIVM. REMITTI. VOLVISSET. TESTATVR. SENATVS. ET. SE. LIBENTER. AC. MERITO. HANC. SVMMAM. INTER. RELIQVOS. HONORES. OB. FIDEM DILIGENTIAMQ. PALLANTIS. DECERNERE. COEPISSE VOLVNTATI. TAMEN. PRINCIPIS. SVI. CVI. IN. NVLLA. RE. FAS. PVTARET. REPVGNARE. IN. HAC. QVOQ. RE. OBSEQVI. Acta hæc fuere IV. Calend. Februarii, ut refert idem Plinius lib. 8. *Vertranius* Lacunam quæ est in Flor. codice retuli, *Fixum est.........publico*, necessarium existimans, defectus omnes notos facere. In margine autem ejusdem libri, alia sed antiqua manu, additum est, *ære.* Pichena. Similiter mox ubi agitur de *Ventidio Cumano*, prius nomen ordine positum est, sed pro posteriore locus vacuus idque eadem nova manus scripsit in margine, quam miror antiquam ab Pichena nunc vocari, quum potius videatur hesterna. Porro istud *ære* est incertissimum & ingenii rudioris supplementum, quum videatur Tacitus innuere hic aliquid evenisse simile illis 3, 57. *Ejus diei Senatusconsulta aureis literis figenda incuria*, de quo more plura ad libri sequentis caput quartum. Ut mirer sane, cur Freinshemius noluerit Pichenam sequi spatio vacuo relicto, quum Gruterus sine hoc ipsam vocem *ære* prorsus expulerit. Mihi placuit Pichenæ puritas. Adde 11, 15. *Jac. Gronovius.*

3 *Felix jam pridem*] Non hercle ita pridem, si Josepho in gentili historia credendum. Præpositus enim demum Judææ est, post damnatum Cumanum. Josephus lib 22. Ἰουδαϊκῆς ἁλώσεως, cap. XXII. clare: Μετὰ ταῦτα, inquit, Ἰουδαίας μὲν ἐπίτροπον Φήλικα τὸν Πάλλαντος ἀδελφὸν ἐκπέμπει τῆς τε Γαλιλαίας καὶ Σαμαρείας καὶ Περαίας. Ut fortasse hic rescribendum sit, *Felix haud pridem Judææ impositus.* Hunc libertum, Claudium Felicem Josephus, Suidas, Zonaras nominant: at Antonium Felicem Tacitus l. v. Hist. *Antonius Felix per omnem sævitiam ac libidinem, jus regium servili ingenio exercuit.* Ne te turbet: scies plerosque istos è libertis Antoniæ matris fuisse: eoque binomines, alias principis, alias patronæ mortuæ nomen tulisse. *Lipsius.*

Frater ejus cognomento Felix] De hoc Felice, & Ventidio vide Josephum. Hujus quoque Felicis mentionem facit Lucas in Actis Apostolorum cap. 26. ad lib. 5. hist. plura. *Lupanus.* Nomen illi Antonio, cognomen *Felici* fuit, quem cohortibus & alis, provinciæque Judææ præposuit Claudius, ut est apud Sueton. & infra lib. 5 hist. *Judæam provinciam equitibus Romanis aut libertis permisit: è quibus Antonius Felix.* Uxores mihi tres sorores habuit è Cypro uxore Agrippæ regis, filias scilicet Berenicem, Mariamnem, & Drusillam, cujus & divus Lucas meminit in Actis Apostolorum 24. quamobrem Suetonius in Claud. 28. *Felicem* appellat, *trium reginarum maritum.* Vertranius. Hoc commentum merum Vertranii est. In Suetonii loco sunt etiamnum, quæ me valde reddunt dubium. epist. 27. *Rupertus.*

4 *Cognita cæde ejus*] Lacuna hic & hiatus, quem tamen ab historia facile explevero. Tangit enim motum illum Judæorum, qui Caligula imperante fuit, ob statuas ejus in templo erigi & coli jussas. Tacitus lib. 5. hist. *Dein jussi à C. Cæsare effigiem ejus in templo locare, arma potius sumpsere. quem motum Cæsaris mors diremit.* Et disce rem omnem è Josepho lib. II. Ἁλώσεως, itemq. XX. Ἀρχαιολογίας. Tangit, adsero, illum motum. argumento claro in his verbis: *Cognita cæde Caii.* Et: *manebat metus, ne quis principum eadem imperitaret.* Qui aliter medicinam adferunt, aberrant. Sed quid hoc, inquiunt, ad Felicem, qui tanto post successit? Nam ille quidem motus Petronio procuratore fuit. Dicam, Repetit rem ab alto Tacitus; & initia recenset motuum secutorum. quos auxit accenditque infelix iste Felix. Apud Suidam tamen alterius

rius

tus, ne quis principum eadem imperitaret. Atque interim Felix intempestivis remediis delicta accendebat, æmulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars provinciæ habebatur: [1] ita divisis, ut huic Galilæorum natio; [2] Felici Samaritæ parerent, discordes olim, & tum contemptu regentium minus coërcitis odiis. Igitur raptare inter se, immittere latronum globos, componere insidias, & aliquando prœliis congredi, spoliaque & prædas ad procuratores referre. Hique primo lætari, mox gliscente pernicie, cum arma militum interjecissent, cæsi milites. Arsissetque bello provincia, ni Quadratus Syriæ rector subvenisset. Nec diu adversus Judæos qui in necem militum proruperant, dubitatum, quin capite pœnas luerent: Cumanus & Felix cunctationem afferebant, quia Claudius caussis rebellionis auditis, jus statuendi etiam de procuratoribus dederat. Sed Quadratus Felicem inter judices ostentavit, receptum in tribunal, quo studia accusantium deterrerentur: [3] damnatusque flagitiorum,

rius mentio turbæ, cui componendæ Felix electus: Στασιασάντων (inquit in voce Κλαύδιος) τῶν Ἰυδαίων κατὰ Χριστιανῶν, ἄρχοντα ἐπίστησεν αὐτοῖς Κλαύδιον Φήλικα, κελεύσας αὐτῷ τιμωρεῖσθαι τούτους. Lipsius.

5 *Haud obtemperatum esset*] De hac eadem sævitia Felicis idem Corn. infra. lib. 5. hist. cap. 9. Sed locus hic corruptus est: nam illud, *Cognita cades ejus*, non habet, quo se referat: tantum enim abest, ut occisus fuerit Felix, ut potius causa cognita, absolutus inter judices sederit: quod paulo post Corn. tradit. Referri vero ad motum factum, dum imperaret Caligula, haudquaquam commode potest. Itaque si conjectura sit utendum, ita ego legerim: *postquam cognita sævitia, cade ejus haud temperatum esset: sed manebat metus.* Ferrettus. Aut legendum *post quam*, divisis vocibus sed expuncto, verbo, *esset*, hoc modo: *Sane prabuerant Judai speciem motus, orta seditione, postquam, cognita cade Cai, haud obtemperatum. Sed manebat metus.* &c. Aut potius sic: *sane prab. Jud. spe. metus. Postquam, cognita cade Cai, jussis haud obtemperatum esset, manebat metus, ne quis Principum eadem imperitaret.* inducta conjunctione *sed*. Hanc rem explicat lib. 4. hist. cap. 9. Quia vero non præcessit, *sub Cajo*, quo queat referre genitivus *ejus*, scribendum, aut *Cai*, aut *jussis haud obtemperatum esset.* Rhenanus. Faernus legebat, *postquam cognito, Cui jussis haud obtemperatum esse*, &c. Sed locus videtur mutilus, & cui non ita facili medicina mederi possit. *Ursinus.* Locus manifesto mutilus, sed non manifesto, qua potissimum parte. Ego ajo, post verba *orta seditione*, paucula quædam deesse, quibus caussam seditionis auctor perstrinxerit, & eam plane, quam Lipsius in Commentario retulit. Hic igitur indicia lacunæ & hiatus facienda sunt. Reliqua sequentia sic conjungantur, abjecta vulgata distinctione: *postquam cognita cade Caji* (vel *ejus.* ut libri veteres: verisimiliter. quia Caji ipsius nomen præcessisse debuit in iis, quæ nunc desiderantur) *haud obtemperatum esset, manebat metus, ne quis principum eadem imperitaret.* Dubites etiam an non *manebat* scribendum. quod magis etiam convenerit, si priora ita rescripseris: *postquam* (sc. seditionem) *quia cognita cade ejus haud obtemperatum esset, manebat metus, ne quis p. e. imperitaret.* Acidalius. Sane hic nihil deesse puto. Si enim citra cædem Caji fuisset, haud dubio Judæi rebellassent: jam vero hujus edictis hactenus non paruerant, ut etiam ad seditionem res claram venerit. Metuebant autem paria edicta à secuturis principibus: itaque jam in motu velut erant, nec nesciebant id Romani proceres, *Barthius.* Suspicabar pro *postquam* scribendum *quamquam*: & quia ἀντὶ τῦ *Caji*, quidam libri *ejus*, fuisse: *quamquam cognita cade Caji edicto ejus haud obtemperatum esset.* Nam quod illud fuerit edictum, voluit auctor repeti ex quinto historiarum. Videbatur sublata caussa motus morte furiosi principis. Narrat autem Tacitus nihilominus, quæ jamdudum coquebatur, seditionem ortam, etsi Cajus interfectus & edictum ejus abolitum foret. Quid ita? quia supererat metus, &c. *Gronovius.*

1 *Ita divisis, ut huic*] Vide an scripserit Tacitus: *cui pars Provincia habebatur, ita divisa, ut huic Galilaorum natio, Felici Samarita parerent.* Gronovius.

2 *Felici Samarita parerent*] Apud Josephum Felicis adhuc nullæ partes: contraque Cumanus à Samaritis stetisse legetur. Sed tu eum vide, non una in re à nostro dissentientem, lib. xx. Antiq. cap. iv. v. *Lipsius.*

3 *Damnatus flagitiorum*] Aperte magis & distincte scriptor Judæus. Negat à Quadrato damnatum Cumanum, sed ipsum cum Celere Tribuno missum ad Cæsarem, qui de re cognosceret statueretque. Ita Cumano exsilium irrogatum: Celerem remissum Hierosolyma, & vicatim discerptum. *Idem*

Damnatusque flagitiorum, qua duo deliquerant, Cumanus] De sententia hic non ego, sed de verbis sollicitus. Illa enim satis apparet, hæc dubia. Novum quippe dicendi genus, *flagitia delinquere.* Arbitror verbum excidisse, *luit*, aut quid simile. Lege, *qua duo deliquerant, unus luit Cumanus.* Acidalius.

rum, quæ duo deliquerant, Cumanus; & quies provinciæ reddita. 55 Nec multo post agrestium Cilicum nationes, quibus *Clitarum* cognomentum, sæpe & alias commotæ, tunc [1] Trosobore duce, montes asperos castris cepere. Atque inde decursu in litora aut urbes, vim cultoribus ac oppidanis, ac plerumque in mercatores & navicularios audebant. Obsessaque civitas Anemuriensis, & missi è Syria in subsidium equites cum præfecto Curtio Severo turbantur; quod duri circum loci, peditibusque ad pugnam idonei, equestre prœlium haud patiebantur. Dein rex ejus oræ Antiochus, blandimentis adversus plebem, fraude in ducem, cum Barbarorum copias dissociasset, Trosobore paucisque primoribus interfectis, ceteros clementia composuit.

56 Sub idem tempus inter lacum Fucinum amnemque Lirin perrupto monte, quo [2] magnificentia operis à pluribus viseretur, lacu in ipso navale prœlium adornatur; ut quondam Augustus structo [3] cis Tiberim stagno, sed levibus navigiis & minore copia ediderat. [4] Claudius triremes quadriremesque & undeviginti hominum millia

lius. Frustra de his verbis sollicitus est. Nam *delinquere quid* utique dicimus, ubi quid intelligas, nisi *flagitium* vel *scelus*. Sed & Papinianus L. 38. §. 4. D. Ad leg. Jul. de adulteriis: *cum alias adulterii crimen, quod pubertate delinquitur, non excusetur ætate.* Quo autem illud *luit*? An dubium est quemquam, qui *damnatus flagitiorum* dicitur, pœnas pependisse, nisi diserte addatur, unde veniam metuerit post sententiam? *Gronovius.*

1 *Trosobore*] Flor. *Troxobore*, tum hic, tum infra, nisi quod illic *Troxoboro*. Mox nescio, cur gratius judicetur ab viris doctis *cultoribus ac oppidanis ac plerumque*, quod tenent omnes editiones, quum in MS. Mediceo sit *cultoribus & oppidanis ac pl.* Jac. Gronovius.

2 *Magnificentia operis*] Quæ ex Eusebii sive Hieronymi nota in Chronico elucebit. *Claudius*, inquit, *circa hac tempora Fucinum lacum exsiccavit, undecim annos triginta hominum millibus sine intermissione operantibus.* Lipsius.

3 *Cis Tiberim stagno*] De quo Suetonius: *Edidit navale prælium circa Tiberim cavato solo, in quo nunc Cæsarum nemus est.* Idem.

4 *Claudius triremes*] Censemus reponi numerum debere, scribimusque, *Claudius centum triremes.* Tot enim fuisse, credimus Dioni: Οἱ δὲ ναυμαχήσαντες, inquit, θανάτῳ καταδεδικασμένοι ὄντες, καὶ πεντήκοντα ναῦς ἑκάτεροι ἔσχον, οἱ μὲν Ῥόδιοι, οἱ δὲ Σικελοὶ ὀνομασθέντες. Si utrimque naves quinquaginta: in universum ergo centum. Idemque numerus in Xiphilino. At ecce Suetonius duodenas duntaxat nominat. *Hoc spectaculo*, ait, *classis Sicula & Rhodia concurrerunt duodenarum triremium singulæ.* Falso. Omitto Dionem: sed quomodo hominum illa vis in duodenis utrimque navibus? quando undeviginti millia pugnasse hanc navalem pugnam Tacitus exprimat diserte. Non ergo abest quin ad Dionis reique fidem corrigendus Tranquillus, sit *quinquagenum triremium.* Idem.

Claudius triremes, quadriremesque] Etsi numerum navium, quibus navalem pugnam instituit Claudius in Fucino lacu, Tacitus non describat, nihilominus ex illius dictis facile conciliantur Dion & Suetonius in re hac valde prima facie discrepantes. Siquidem Suetonius Claud. 21. scribit, *Hoc spectaculo classis Sicula & Rhodia concurrerunt duodenarum triremium singulæ.* Dion vero quinquaginta utrinque naves depugnasse tradit, quod & Xiphilinus confirmat. Qua in re ingens discrimen quis non videt? Lipsius in re hac se hærere fatetur. Læv. Torrentius suis in Suetonium Commentariis Tacitum ad Suetonii partes trahere contendit, & numerum armatorum, ad triremium numerum accommodare conatur, violenta certe quadam metamorphosi. Et virum doctum reprehendit, qui loco duodenarum *quinquagenum* legendum censuit, sic Suetonio Dionem concilians. Ego in eam venio sententiam in Suetonii textu deesse vocem *quadriremium*, & legendum esse, *duodenarum triremium & quadriremium.* Namque ex Tacito habemus in ea naumachia non solum triremes, sed quadriremes fuisse, quas omnes Dion unica appellatione *naves* vocavit, generali significatione illas comprehendens. Ita ut 48. triremes & quadriremes pugnaverint ex Suetonio, numerus parum distans ab eo, quem Dion recensuit. Non enim assentior illis, qui ex Dione centum naves eo in navali conflictu fuisse dixerunt, L. scilicet hinc & inde L. quod falsum esse ex Græco Dione facile probatur. Habet enim καὶ πεντήκοντα ναῦς ἑκάτεροι ἔσχον, οἱ μὲν Ῥόδιοι, οἱ δὲ Σικελοὶ ὀνομασθέντες. quo loco interpretandum ἑκάτεροι, *utrique*, nam *utrinque*, Græcis ἑκατέρωθεν dicitur: ἑκάτερος vero, à quo ἑκάτεροι, Latinis *uterque* est. Ergo *utrique* copulative seu conjunctim. Ita ut sit sensus verborum Dionis, ambas classes pugnantium omnes quinquaginta naves habuisse: quas si compares duodenis triremibus, & totidem quadriremibus, utravis ex parte, tum Rhodiæ classis tum Siculæ ex Suetonio, duarum tantummodo navium erit discrimen. Quinquagenarium vero numerum seu XLVIII. tum triremium tum quadriremium convenire numero undevi-

millia armavit; [1] cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent; [2] attamen spatium amplexus, [3] ad vim remigii, gubernantium artes, impetus navium, & prœlio solita. in ratibus prætoriarum cohortium manipuli turmæque adstiterant, antepositis propugnaculis, ex quis catapultæ balistæque tenderentur. [4] Reliqua lacus classiarii tectis navibus obtinebant. Ripas & colles, ac montium edita in modum theatri, multitudo innumera complevit, proximis è municipiis, & alii urbe ex ipsa, visendi cupidine, aut officio in principem. Ipse insigni paludamento, neque procul [5] Agrippina chlamyde aurata præsedere. Pugnatum, quamquam inter sontes, fortium virorum animo: ac post multum vulnerum, occidioni exempti sunt. Sed perfecto spe- 57
ctaculo apertum aquarum iter, [6] & incuria operis manifesta fuit, haud satis depressi [7] ad lacus ima vel media. Eoque, [8] tempore interjecto, altius effossi specus, & con-

deviginti armatorum millium, quod Tacitus tradit, optime novere nauticæ militiæ periti. Si itaque Suetonii dictis, quæ disjunctim leguntur, addamus voces, *& quadriremium*, transcribentium vel impressorum incuria omissas (nam non solum ea in pugna fuisse triremes, sed & quadriremes, docet Tacitus) conjunctim autem si Dionis verba legamus, uti textus Græcus sonat, tolletur difficultas omnis, quæ hactenus tot viros doctos fatigavit. *Marcellus Donatus.* Numerus omnino reponendus est, ut comparatio inter Claudii & Augusti apparatum constet. *Levibus* Augusti *navigiis*, *triremes*, *quadriremesque* Claudii opponuntur. quæ copia earundem hujusdem, copiæ minori illius? Scribe igitur indubitanter cum Lipsio; *Claudius c.* (id est, centum, hæc. n. nota numeralis, occasio & caussa numeri aboliti) *triremes quadriremesque.* Idonei auctores Dio & Xiphilinus. *Acidalius.*

1 *Cincto ratibus ambitu*] Quid si, *cratibus*, aut *trabibus*? Tale quid substitueris non invito Dione, qui lacum muro ligneo circumdatum scribit: *τεῖχός τε περὶ τὴν λίμνην ξύλινον κατεσκεύασε, καὶ ἴκρια ἔπηξε.* Ejus ergo quasi valli tutelæ præpositus Prætorii miles. *Lipsius.*

Cincto ratibus ambitu] Lipsius è Dione, qui muri lignei meminit, in Tacito hic pro *ratibus*, substituit *cratibus*, aut *trabibus*. Non possum probare. Vetant paullo inferiora verba: *In ratibus prætoriarum cohortium manipuli turmæque adstiterant.* Et ne hic quoque verbum *ratibus* mutandum alterutro illo modo censeas, ligant te *tecta* illæ *naves*, de quibus mox. *Acidalius.*

2 *Attamen spatium amplexus*] Magis placeret: *Ac tantum spatium amplexus*, &c. pro eo quod est in vulgatis, *Attamen spatium amplexus.* Ursinus. Muretus, *Ac tantum.* Vide ne fuerit potius, *Sat tamen spatium amplexus. Sat spatium*, ut *Parum fides* in Terentio: *Satis consilium*, *satis otium* in Cicerone & alibi. de quibus Gulielm. Quæstion. Plautin. ad Bacchides cap. 3. Et nos item ad Plautum diversis locis. *Acidalius.*

3 *Ad vim remigii, gubernantium artes; impetus navium, & prœlio solita*] Expressi Florentini lectionem, aliquanto meliorem vulgata: *ad vim remigii, & gubernantium artes, impetusque navium prœlio solitos.* Pichena.

4 *Classiarii tectis navibus.*] Ita restitui, pro, *rectis.* Tectæ naves, idoneæ ad pugnam: *αἱ τὰ καταστρώματα ἔχουσαι*, uti Thucydides appellat. *Lipsius.*

Reliqua lacus Classiarii tectis navibus] Ambigit Lipsius, quinam essent hi Classiarii, atque intelligit, militem è classe, ibi collocatum ad tutelam. Ego potius, damnatos ad pugnam. Nam supra dixit ratibus cinctum ambitum lacus, in quibus ratibus (scilicet in ipso lacu, non in terra) prætoriæ cohortes erant, propugnaculis antepositis. Ad quid aliud hi nisi ad custodiam, & ad multitudinem circumdandam & coercendam? Ergo reliquum lacum classiarii pugnaturi obtinebant, tectis navibus impositi, seu, quod idem hoc loco est, in tectis triremibus & quadriremibus. *Pichena.* Male hunc locum Lipsius mutat restituens, *tectis navibus:* quia hæ idoneæ ad pugnam. At ô bene infirmum hoc argumentum: & Tacitus *rectas naves ratibus* opponit, quæ non veræ naves. *Acidalius.*

5 *Agrippina chlamyde aurata*] Dio etiam Neronem adjungit: *Ὁ δὲ Κλαύδιος, ὅ, τε Νέρων στρατιωτικῶς ἐστάλησαν, ἥ τε Ἀγριππῖνα χλαμύδι διαχρύσῳ ἐκοσμεῖτο.* Plinius: *Nos vidimus Agrippinam Claudii principis, edente eo navalis prœlii spectaculum, adsidentem ei indutam paludamento, auro textili, sine alia materia.* Lipsius.

6 *Et incuria operis manifesta fuit*] *Et* connectens particula non est in volumine Budensi, nec ea est opus. Sed paulo post eam adjecimus, *aut fragore, & sonitu exterritis.* Rhenanus. Copulativa ista particula non etiam reperitur in MS. Mediceo, sic confirmante asyndeton Tacito tantopere placitum, in quo etiam est *exterriti* propter *s* sequens, quod fugit repetere. *Jac. Gronovius.*

7 *Ad lacus ima vel media*] Muretus *ad lacus media:* reliquis deletis. haud satis intelligo quare. Si alterum delendum, potius inclinem ut *ima* maneat. Sequitur enim *altius* postea *effossos specus.* Acidalius. Dixerat, *ad lacus ima:* quod ut melius intelligeretur, adjecit *vel media:* inde namque colligimus id ei esse imum, quod in medio lacus foret, ubi plerumque maxime profundum est. *Gronovius.*

contrahendæ rursus multitudini, gladiatorum spectaculum editur, inditis pontibus pedestrem ad pugnam. Quin & convivium effluvio lacus appositum magna formidine cunctos affecit, quia vis aquarum prorumpens, proxima trahebat, convulsis ulterioribus, aut [1] fragore & sonitu exterritis. Simul Agrippina trepidatione principis usa, ministrum operis Narcissum incusat *cupidinis ac prædarum*. nec ille reticet,
58 *impotentiam muliebrem nimiasque spes ejus* arguens. [2] D. Junio Q. Haterio consulibus, sedecim annos natus Nero Octaviam Cæsaris filiam in matrimonium accepit. Utque studiis honestis, & [3] eloquentiæ gloria nitesceret, caussa Iliensium suscepta, [4] *Romanum Troja demissum, & Juliæ stirpis auctorem Æneam*, [5] aliaque haud procul fabulis vetera facunde exsecutus, [6] impetrat *ut Ilienses omni publico munere solverentur.* [1] Eodem

8 *Altius effossi specus*] De laborioso hoc opere vide Plinium lib. XXXVI. cap. XV. Quod ante Claudium tamen conceperat D. Julius, (Sueton. Jul. cap. 44.) non inceperat: nec rite perfecit ipse Claudius, quoniam manus postea admovit & Hadrianus. Spartianus in ejus vita. *Lipsius.* Mireris licet, cur viro insigni placuerit ita pronunciare contra quam ipse paulo ante citaverat ex Eusebio sive Hieronymo in Chronico, quem integrum tunc relinquebat. Potuit & Hadrianus manus admovere, unde tamen non colligitur a Claudio rite perfectum non esse. Sic agendo Lipsius & quidem similiter statuentes paraverunt Raph. Fabretto descriptionem Emissarii Fucini Lacus, quam acriter fatus & ex vero exsequutus est. *Jac. Gronovius.*

Tempore interjecto, altius effossi specus] Interjectum tempus intelligit, inter navale prœlium, & spectaculum gladiatorium. Quod ait de pontibus inditis, significat, lacum, propter specus altius effossos, effluxisse quidem, sed non ad ima: unde ad pedestrem pugnam pontes super imponere necesse fuerit. *Pichena.* Haud scio, an Taciti mentem ceperit vir doctissimus. Non enim videtur spectaculum datum, postquam aqua jam erat emissa, sed antequam emitteretur. Nam si post specus altius effossos nondum tamen siccatus est lacus, novo erat opus remedio, & denuo altiores effodiendi fuerunt: de quo altum hic silentium. Ergo cum essent effossi specus illi, adhuc tamen in lacu contineretur aqua cataractis, super eam pontibus stratis munus datum spectatoribus alliciendis, & eo finito amotis cataractis liber decursus aquæ permissus. *Gronovius.*

1 *Fragore & sonitu exterritis*] Aliquid est in hac oratione monstri. Nam cum audimus, *convulsis ulterioribus*, intelligimus *membris operis*: cum autem, *aut fragore & sonitu exterritis*, non possumus hoc de iisdem accipere, sed de convivis, qui super illa discumbebant, & qui circa erant. Requirit tamen filum orationis, ut eadem sint *convulsa* illa & *exterrita*. Si quid video, Tacitus scripsit *exterritos*; ut id referatur ad τὸ *cunctos*. Exterritos, inquit, partim eo, quod sentiebant labefactari & convelli tigna, continuata illis, quæ abstrahebantur, partim fragore ac sonitu tum prorumpentium aquarum, tum soluti operis. Suetonius Claudio: *Convivatus & super emissarium Fucini lacus, ac pœne submersus, cum emissa impetu aqua redundasset.* Quem locum in promptu cum haberet Aurelius, tamen ostentus voce *convivii* eo usque delirat, ut *compluvium* subjecerit. Sed *convivium* hic convivatio est, triclinium vel locus ita structus, ut caperet convivas. Sic lib. 15. *publicis locis struere convivia.* Neque aliter accipiendum lib. 1. histor. *Militum impetus ne foribus quidem palatii coërcitus, quo minus convivium irrumperent.* Sic & incertus auctor Panegyrici Maximiano & Constantino dicti: *imago illa in Aquilejensi palatio ad ipsum convivii posita adspectum.* Ubi etiam male tentarunt. *Gronovius.*

2 *D. Junio, Q. Haterio Coss.*] Non concilio in hac omni narratione Tacitum cum Suetonio. Noster matrimonium cum Octavia, caussarum dictiones, ad consules refert quos posuit: Suetonius gesta hæc vult toto anno ante, Claudio quintum & Cornelio Orfito Coss. Nec enim de alio Claudii consulatu intellexeris illa: *Apud patrem Consulem pro Bononiensibus Latinè, & pro Rhodiis atque Iliensibus Græcè verba fecit. Nec multo post duxit uxorem Octaviam.* At inter eum consulatum, & hunc Taciti annum, interjecti, Faustus Sulla, & Salvius Otho. Uter verior, mihi sane non liquet. *Lipsius.*

3 *Eloquentiæ gloria nitesceret*] Profecto in Groslotii mei correctionem inclino, *netesceret.* Lipsius.

4 *Romanum Troja demissum*] Deest aliquid implendo sensui. Mihi placeat *Romanum nomen*, ut exciderit vox posterior similitudine literarum præcedentium. *Grotius.* Nihil deesse ostendimus ad illud Livii: *quod & Romanus ira odioque pugnabat*, lib. 2, 3. *Gronovius.*

5 *Aliaque haud procul fabulis vera*] Correximus, *Aliaque haud procul fabulis vetera.* Rhenanus. Non muto ego, tamen non inepte Muretus: *aliaque haud procul fabulis, verum* (sive, quod me judice è literarum ductu facilius constat, *ceterum*) *facunde exsecutus.* Sic & Lipsius in prima editione conjecerat, quod post omisit. *Acidalius.*

6 *Impetrat ut Ilienses*] Liber vet. *perpetrat*, recte. Sed quid? non jam ante immunes Ilienses? immunes pridem. Primus Alexander, post pugnam

ad

¹ Eodem oratore, Bononiensi coloniæ igni haustæ subventum, centies sestertii largitione. ² Redditur Rhodiis libertas, adempta sæpe aut firmata, prout bellis externis meruerant, aut domi seditione deliquerant. Tributumque ³ Apamiensibus terræ motu convulsis, in quinquennium remissum. At Claudius sævissima quæque pro- 59
mere adigebatur ejusdem Agrippinæ artibus, quæ Statilium Taurum opibus inlustrem, hortis ejus inhians, pervertit, accusante Tarquitio Prisco. Legatus is Tauri Africam imperio proconsulari regentis, postquam revenerant, pauca *repetundarum crimina*, ceterum *magicas superstitiones* objectabat. Nec ille diutius falsum accusatorem indigna sorte perpessus, vim vitæ suæ attulit, ante sententiam senatus. Tarquitius tamen curia exactus est; quod patres odio delatoris, contra ambitum Agrippinæ pervicere. Eodem anno sæpius audita vox Principis, *parem vim rerum habendam* ⁴ *à pro-* 60
cura-

ad Granicum amnem, ἐλευθέραν καὶ ἄφορον eam urbem pronunciavit, ait Strabo in XIII. Certamen deinde Romanis, in honestanda urbe, ut credebant, parente. in fœdere quod cum Antiocho, immunitas Iliensibus data, & Rhœteum ac Gergithum concessa: ut auctor est Livius lib. XXXVIII. Epistola deinde Græca Senatus populique Romani ad Seleucum regem missa (Suetonii verba sunt, Claudii cap. XXV.) *amicitiam & societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes præstitisset.* Sulla etiam, Asiam constituens, eosdem ἐλευθέρους ἠφίει, καὶ Ῥωμαίων ἀνέγραφε φίλους: *Liberos dimisit, & socios amicosque Romanorum scripsit*, ait Appianus. An hoc mutatum posteà (& sæpe solet) nescio: Julius quidem Cæsar iterum & agrum, & libertatem dedit, & immunitatem: nec imminuit Tiberius aut Augustus. Strabo: Καῖσαρ ὁ θεὸς χώραν τε προσένειμεν αὐτοῖς, καὶ τὴν ἐλευθερίαν, καὶ τὴν ἀλειτουργησίαν αὐτοῖς συνεφύλαξε. καὶ μέχρι νῦν συμμένουσιν ἐν τούτοις. Quis ergo ea abstulit, ut opus fuerit sive reddi à Claudio, seu firmari? An Caligula? nihil lectum. Credo equidem, nemo: sed vel Claudius adjecit aliquid ad immunitatem olim datam, effecitque ut plenissima uterentur, (atque ideo Tacitus scripserit, *ut omni publico munere solverentur*, quasi antea non omni:) aut concessa, sed publicanorum improbitate mota, sanxit in perpetuum stabilivitque. Suetonius: *Iliensibus quasi Romanæ gentis auctoribus tributa in perpetuum remisit.* Callistratus. De excusat. *Iliensibus & propter inclytam nobilitatem civitatis, & propter conjunctionem originis Romanæ, jam antiquitus & Senatusconsultis & principum constitutionibus plenissima immunitas tributa est, ut etiam tutelæ excusationem habeant.* Lipsius.

Impetrat, ut Ilienses] Flor. *perpetrat*, Pichena.

1 *Eodem oratore*, &c. *redditur Rhodiis libertas*] Nero, ut est apud alios, pro Rhodiis Græce verba fecit. Et ejus honoris causa, ab illis Numus percussus est, qui mulierem alatam, quæ altera manu palmam, altera coronam, haberet, hac inscriptione ΡΟΔΙΩΝ. *Vertranius.*

2 *Redditur Rhodiis libertas*] Adempta nuper ab ipso Claudio, propter cives quosdam Romanos in crucem actos, ut notat Dio. Sed restituta, orante Nerone. cujus honori jure Epigramma illud adfero, quod nomine Antiphili legitur primo Anthologiæ, εἰς νήσους. Nec enim alio spectat, quam ad hoc factum.

Ὡς πάρος ἀελίου, νῦν Καίσαρος ἁ Ῥόδος εἰμὶ
Νᾶσος, ἴσον δ' αὐχῶ φέγγος ἀπ' ἀμφοτέρων.
Ἤδη σβεννυμέναν με, νέα κατεφώτισεν ἀκτὶς
Ἅλιε, καὶ παρὰ σὸν φέγγος ἔλαμψε Νέρων.
Πῶς εἴπω; τίνι μᾶλλον ὀφείλομαι; ὃς μὲν ἔδειξεν
Ἐξ ἁλός, ὃς δ' ἤδη ῥύσατο δυομέναν.

Argutum Epigramma. & comparat Neronem ecce cum Sole. quia ut ille Rhodum retexit radiis fecitque oriri; sic iste pressam & occidentem restituit, reduxitque in lucem. *Lipsius.*

3 *Apamiensibus*] Bona fide exceperunt editores omnes hoc gentile, ex quo primum ab Beroaldo publicatum fuit, forsan quia confirmabat eos Strabo, ex cujus lib. 12. pag. 564. citatur: οἱ δ' Ἀπαμεῖς ἀποικίαν ἐδέξαντο Ῥωμαίων. Sed & librarii scriptores possunt in tam levi causa facile falli, & in nummis omnibus non legimus nisi ΑΠΑΜΕΩΝ, & codex Mediceus primum *i* ignorat exhibens tantum *Apamensibus*, quod Beroaldus & Pichena non debuerant negligenter habere. Certe dum ab Plinio colonia Apamena dicitur, ut etiam Græcis Ἀπαμηνοί, satis inde patet literam *i* in gentili non fuisse toleratam, unde nec ipse ulterius toleto. *Jac. Gronovius.*

4 *A procuratoribus suis judicatarum*] Defunguntur vulgo leviter interpretatione hujus loci, & alterius Suetoniani comparis: *Ut rata essent quæ Procuratores sui in judicando statuerint, à Senatu precario exegit.* Referunt enim ad Procuratores rei familiaris in provinciis: quibus datum nunc jus volunt cognoscendi statuendique inter privatos & fiscum, in re pecuniaria quidem: non enim criminum. argumento l. II. C. Si advers. fisc. l. VIII. §. Transactiones. De transact. l. I. C. De jurisd. omn. judic. Itaque non aliud Tacitum tam longa & querula oratione indignari, quam jurisdictionem Procuratoribus mandatam in re & caussa fiscali pecuniaria: eorumque decreta firma à Claudio habita & rata. Sed mihi profecto, &, credo, Tacito

curatoribus suis judicatarum, *ac si ipse statuisset.* [1] ac ne fortuito prolapsus videretur, [2] Senatus quoque consulto cautum, plenius quam antea & uberius. Nam [3] divus Augustus *apud equestres qui Ægypto præsiderent* [4] *lege agi*, [5] *decretaque eorum proinde haberi* jusserat, *ac si magistratus Romani constituissent:* [6] mox alias per provincias, & in urbe pleraque concessa sunt, quæ olim à prætoribus noscebantur. Claudius omne jus tradidit, de quo totiens seditione aut armis certatum, cum Semproniis rogationibus equester ordo in possessione judiciorum locaretur; aut rursum [7] Serviliæ leges senatui judicia redderent: Mariusque & Sulla olim de eo vel præcipue [8] bellarent.

alia mens est. cui lucem dare conamur in Excursu B. *Lipsius.*

1 *Ac ne fortuito prolapsus*] Ita scripsimus. Codex scriptus videtur quodammodo habere, *fortuita*, velut subaudiendum sit, *voca.* Rhenanus.

2 *Senatus quoque consulta cautum est*] Jus quidem refertur ab Ulpiano: sed Senatusconsulti nulla mentio est in libris civilibus. *Ferrettus.* De officio procuratoris Cæsaris observatum habeo, cum fuit constitutum imperium, procuratori non nisi jus in servitia & pecunias familiares, & colligendos legitimos reditus, à principe datum fuisse, quo tempore pariter eorum causa ac civium & privatorum, ex jure civili in foro judicaretur. Tunc Lucilius Capito Cæsaris in Asia procurator, quod vim prætoris usurpasset, manibusque militum usus foret, in exilium damnatus est. Legitur tamen infra lib. 15. Servator noster Jesus Christus, Tiberio imperante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus. Quod si de crimine cognoscere, quanto magis de re pecuniaria judicare potuit? Inde factum ut Claudius *judicata à procuratoribus suis precario exegerit pro ratis haberi*, teste Tranquillo; deinde ita illis stari voluerit, ac si ipse statuisset: de hocque factum S. C. ait Cornelius. Aliud vero jus sub Trajano, de quo Plinius Paneg. inquit, *Dicitur actori atque etiam procuratori tuo*, *In jus veni*, *sequere ad tribunal.* Quæ arguunt, si ad alterius tribunal in jus vocatus est Cæsaris procurator sub Trajano, jam tum ipsum non cognovisse. Redit tamen jus de lite pecuniaria cognoscendi, ut est apud Marcianum l. 16. D. de publicanis, & de criminibus, ut conjicio, multandi, si rem familiarem Cæsaris attingerent. Cæterum procuratores Cæsaris jus deportandi non habent, inquit Callistratus: quia pœnæ constituendæ jus non habent. *Vertranius.*

3 *Divus Augustus apud equestres*, *qui Ægypto præsiderent*] Subjungit Tacitus, quo exemplo de potestate procuratorum Cæsaris factum fuerit SC. Erat enim equestris ordinis præfectus Ægypti (quod scilicet senatorii sine religione esse non posset) cui imperium ad similitudinem proconsulis, lege lata sub Augusto datum est: exindeque dictus præfectus Augustalis: qui cum *loco regis esset*, ait Tac. Hist. 1. apud eum ex legibus agi & ipse decernere etiam in reos potuit: & hoc est quod Ulpianus dixit, *data est ei legis actio.* Vertranius.

4 *Lege agi*] Neque id mirum, cum *loco regum* agerent, ut scribit Tac. 1. Hist. Quæ vero sint *legis actiones*, explicat Pomponius de Origine juris: *Deinde ex eisdem legibus eodem fere tempore actiones compositæ sunt, quibus inter se homines disceptarent: quas actiones ne populus, ut vellet, institueret, certas solemnesque esse voluerunt. Et appellatur hac pars juris, Legis actiones.* Quamobrem apud eos dicimus esse *legis actiones*, apud quos instituere possumus actiones ex lege XII. tabularum, & jure Civili veteri: ideoque apud quæstores ac minores magistratus adoptiones fieri non poterant, quæ ex lege XII. tabularum constitutæ fuerant. *Ferrettus.*

5 *Decretaque eorum proinde haberi jusserat*] Malim *perinde.* Pichena.

6 *In urbe pleraque concessa*] In urbe Equitibus Romanis late datum jus. uti ab Augusto Mæcenati in Præfectura urbis, uti Præfecto Prætorio semper: quia is ex Equite ad tempora Vespasiani. Sed & Procuratoribus Cæsaris in urbe aliquod jus, extra res fisci. Ulpianus. *Frequens est etiam legis Fabia cognitio in tribunalibus Præsidum: quamquam quidam Procuratores Cæsaris usurpaverint, quam Romæ tam in provinciis.* Lipsius.

Mox alias per provincias, & in urbe pleraque concessa] In urbe præfecti urbis, aut vigilum notio fuit de rebus, quæ antea ad prætorum cognitionem pertinerent. In provinciis omnium Romæ magistratuum vice & officio fungi præses debuit, ejusque de omnibus causis notio fuit, de quibus vel præfectus urbi, vel præfectus prætorio, itemque consules & prætores, cæterique Romæ cognoscerent, Proculo, Marciano, & Hermogeniano testibus. *Vertranius.*

7 *Serviliæ leges*] Plures eo nomine: sed una Judiciaria, quam tulit Q. Servilius Cœpio Consul. de qua Cicero sæpius, & Asconius. *Lipsius.*

8 *Bellarent*] Mutavimus in *bellarunt.* Rhenanus. At cur! Neque enim Tacitus nunc vult indicare, quod omnes noverant. Si scripsisset *bellarunt*, sane videretur docere voluisse lectorem illos id fecisse. Quod perquam ineptum. Sed dixit *bellarent*, ut *cum equester ordo locaretur*, *cum Serviliæ leges redderent;* similiter *cum hi duo bellarent*; tria documenta gravium certaminum, quæ probare volebat. Restitui igitur ex mea collatione, quod antiquum cernens etiam necessarium judicavi, licet alii fastidiant præ inscitia. *Jac. Gronovius.*

1 *Et*

rent. Sed tunc ordinum diversa studia: [1] & qui vicerant publice valebant. C. Oppius & Cornelius Balbus primi Cæsaris opibus potuere conditiones pacis & arbitria belli tractare. [2] *Matios*, posthac, & *Vedios*, & cetera equitum Romanorum prævalida nomina, referre nihil attinuerit; cum Claudius [3] libertos, quos rei familiari præfecerat, sibique & legibus adæquaverit. [4] Retulit dein *de immunitate Cois tribuenda*, 61
multaque *super antiquitate eorum* memoravit; [5] *Argivos vel Cœum Latonæ parentem, vetustissimos insulæ cultores: mox adventu Æsculapii artem medendi illatam, maximeque inter posteros ejus celebrem fuisse*, nomina singulorum referens, & quibus quisque ætatibus viguissent. Quin etiam dixit *Xenophontem, cujus scientia ipse uteretur, eadem familia ortum: precibusque ejus dandum, ut omni tributo vacui in posterum Coi*, [6] *sacram & tantum dei ministram insulam colerent*. Neque dubium habetur, multa eorumdem in populum Romanum [7] merita, sociasque victorias potuisse tradi. Sed Claudius facilita-

1 *Et qui vicerant, publice valebant*] Flor. & Ven. *& qua vicerant*. Ut ad studia referatur. *Pichena*.

Publice valebant] Non hic sensus est, victores valuisse in publicum, hoc est, rempub. suo arbitratu administravisse: sed hic potius, neminem sibi privatim imperium quæsivisse, sed ordini alicui toti. Postea autem in unius hominis potestate sita fuisse judicia; aliaque summæ fortunæ munia. Ergo hæc vox *Publice* hic opponitur singulis illis, qui postea eandem potestatem nacti sunt, de qua prius inter Ordines (Senatum nempe, equitesque) certatum fuerat. *Freinshemius*.

2 *Matios posthac & Vedios*] Vedium intellegit Pollionem, & C. sive Cn. Matium. Etsi libri hic omnes inepte, *Macchyos*, vel, *Matthios*. C. Matii, qui inter amicos Julii Cæsaris, mentio Suetonii cap. LII. *Quæ scire C. Matium, C. Oppium reliquosque Cæsaris amicos*. item Ciceroni ad Trebatium: *Quod in C. Matii suavissimi doctissimique hominis familiaritatem venisti*. Et quia Cicero elogio doctissimi ornat, censui olim eumdem esse cum illo qui Mimiambos & Iliada scripsit, quem Agellius Macrobiusque laudant, ut hominem impense doctum. Sed tamen cum Cnæi prænomine, uti & apud Plinium Cn. Martius legitur inter amicos Augusti, lib. XII. *Cn. Matius ex equestri ordine divi Augusti amicus*. Qui fortasse alius ab illo primo, & de quo hic sermo. In lapide quodam geminata littera sculptum legi P. MATTIUS. CHARITON. *Lipsius*.

3 *Libertos, quos rei familiari*] Juvare videtur eos qui Claudianum scitum ad Rationales tantum referunt. Frustra. Procuratores enim omnes primo rei familiari sive fisco præfecti, sed imago imperii quibusdam adjuncta. *Lipsius*.

4 *Retulit dein de immunitate Cois restituenda*] Castivigamus, *Cois tribuenda*, Rhenanus.

5 *Argivos vel cum Latona parante*] Certissima emendatio est & elegantis ingenii clara index, quam à Josia Mercero accepi: *Argivos vel Cœum Latonæ parentem*. Pater enim ejus deæ Κοῖος vel Κοῖος. Hesiodus:

Φοίβη δ' αὖ Κοίου πολυήρατον ἦλθεν ἐς εὐνὴν,
Κυσαμένη δ' ἤπειτα θεὰ θεοῦ ἐν φιλότητι
Λητὼ κυανόπεπλον ἐγείνατο.

Et ab eo nomen ipsi insulæ datum. Huic ipsi rei Gryphus in Athenæi x. ex veteri carmine:

——— μάτηρ δ' ἐς' ἀριθμοῖο παῖς.

numeri mihi filia mater. *Significatur Latona*, inquit Athenæus, *Cœi filia* quia *Macedones Numerum, Cœum agnominant*. At de Xenophonte quod additur, est ille medicus, cujus Diogeni Laertio mentio in fine Xenophontis Socratici: Τρίτος, ἰατρὸς Κῷος. *Lipsius*.

Argivos vel cum Latona parente] Dudum monui legendum, *Argivos vel Cœum Latonæ parentem*; vel *Et Cœum*. Cœus pater Latonæ, à quo nomen habet insula. Xenophon, qui mox dicitur medicus Claudii, Laertio memoratus in fine Xenophontis Socratici, ubi Xenophontes recenset: τρίτος ἰατρὸς Κῷος. Mercerus. Ex historia emendavit ingeniose Mercerus. Corrupte in vulgaris, *vel cum Latona parente*. Flor. aliquantulum juvat, qui habet, *parentem*. Pichena.

6 *Sacram & tanti Dei ministram insulam colerent*] Aliter legitur in exemplari scripto, nempe, *sacram & tantum dei ministram* Tamquam adeo occupata ministerio dei foret insula, ut aliis rebus, quæ lucrum afferant, vacare non liceat. *Rhenanus*. Potior mihi hæc Florentini lectio, *tantum*, quam vulgata, *tanti*. Pichena. Ita nunc agit Cl. Ryckius, quasi hæc non vidisset aut plane scripta non exstarent: unde interpolatus ille codex debuit primas & solas ferre, quasi qui legeret aut diceret aliquid novum aut magis præclarum, quum nihil proferatur inde, nisi quod rejecit Rhenanus. Quid autem? an qui dicit *sacrā & tantum Dei ministrā* perinde non intelligit Ἀσκληπιοῦ Νεώκορον? immo vel multo magis. *Jac. Gronovius*.

7 *Merita, sociasque victorias potuisse. Claudius facilitate solita*] Budense volumen sic: *merita, sociasque victorias potuisse tradidisset. Claudius facilitate sol.* Hinc deprehendimus sic scripsisse Tacitum: *merita sociasque victorias potuisse tradi, sed Claudius facilitate sol.* Atque eam lectionem in contextum inseruimus. *Rhenanus*.

8 *Nullis*

62 facilitate solita, quod uni concesserat, [1] nullis extrinsecus adjumentis velavit. At Byzantii data dicendi copia, cum *magnitudinem onerum* apud senatum deprecarentur, cuncta repetivere; [2] orsi *à fœdere quod nobiscum icerant, qua tempestate bellavimus adversus regem Macedonum, cui ut degeneri, Pseudophilippi vocabulum impositum.* [3] *Missas posthac copias in Antiochum, Persen, Aristonicum, & piratico bello* [4] *adjutum Antonium* memorabant; *quæque Sullæ, aut Lucullo, aut Pompejo obtulissent:* mox *recentia in Cæsares merita, quando ea loca insiderent, quæ transmeantibus terra marique ducibus,*
63 *exercitibusque*, [5] *simul vehendo commeatu opportuna forent.* Namque artissimo inter Europam Asiamque divortio, Byzantium in extrema Europa [6] posuere Græci. quibus Pythium Apollinem consulentibus *ubi conderent urbem?* redditum oraculum est, *quærerent sedem cæcorum terris adversam.* Ea ambage Chalcedonii monstrabantur, quod priores illuc advecti, [7] prævisa locorum utilitate pejora legissent. Quippe Byzantium

1 *Nullis extrinsecus adjumentis velavit*] Id faciunt prudentes oratores, ut aliquid caussarum prætexant, quo citius impetrent, quod postulant, animis judicum re exactius commendata. Sic de Galba ad milites loquente lib. 1. Hist. *Nec ullum orationi, aut lenocinium additum aut precium. Velandi* verbum etiam alias in simili re usurpat, ut lib. 13. *Annæus Serenus simulatione amoris adversus eamdem libertam, primas adulescentis cupidines velaverat.* Et lib. 14. de Nerone: *Facetus natura, & consuetudine exercitus velare odium fallacibus blanditiis.* Rhenanus.

2 *Orsi à fœdere, quod nobiscum icerat*] Flor. *icerant.* & ubi lib. XI. legitur, *fœdus repente faciunt*, nonnulli ex Manuscriptis habent, *jaciunt.* Pichena. Sequentia reliqua rectius distinguam, & levi emendatione melius concinnabo: *cuncta repetivere. Orsi à fœdere, quod nobiscum icerant, qua tempestate bellavimus adversus Regem Macedonum, cui ut degeneri, Pseudophilippi vocabulum impositum: missas post hac* (alii: *impositum. Missas posthac*) *copias in Antiochum, Persen, Aristonicum, & piratico bello adjutum Antonium memorabant, quæque Sullæ*, (al. *Antonium memorabantque quæ Sullæ*) *aut Pompejo obtulissent. mox* (al. *obtulissent Mox*) *recentia in Cæsares merita, quando ea loca insiderent &c.* Muretus hic nihil aliud notaverat, quam vocem *merita* delendam. de quo deliberandum amplius censeo. *Acidalius.*

3 *Missas posthac copias*] Quid *posthac?* ergo Antiochus & Perses post Pseudophilippum? minime, tempore hi antecunt: sed scilicet Byzantii primum, ut validius, fœdus memorant, quod tempore Pseudophilippi coiit: tum addunt de Auxiliis variè latis. Itaque *posthac*, non tempus rei gestæ, sed dictæ notat. Malim tamen, *post hac*, eo sensu. *Lipsius.*

4 *Adjutum Antonium*] Capio non de celebri notoque Antonio, qui Triumvir: sed de M. Antonio, qui curator oræ maritimæ cum infinito imperio, sub initia Piratici belli. de quo illud Sallustii innotuit, *M. Antonius perdundæ pecuniæ genitus, vacuusque à curis nisi instantibus.* Vide Ciceronem, & Asconium, in Verrem. *Lipsius.*

5 *Simul vehendo commeatu opportuna forent*] Fortasse melius, *commeatui.* Pichena.

6 *Posuere Græci*] Pleraque Historia Spartanis adscribit conditam hanc nobilem urbem, & fatalem imperiorum sedem. Justinus & Isidorus à Pausania rege: Claudianus à Byzante quodam non obscure exstructam vult: in Eutropium lib. II.

——— *hoc Byzas Constantinusque videbunt?*

In Joanne Sarisberiensi de nugis Curialium (in quo centone multos pannos purpuræ agnosco, & fragmenta ævi melioris) lego: *Chilon Lacedæmonius jungendæ societatis caussa missus Corinthum, duces & seniores populi ludentes invenit in alea. Infecto itaque negotio reversus est, dicens se nolle gloriam Spartanorum, quorum virtus constructo Byzantio clarescebat, hac maculare infamia, ut dicerentur cum aleatoribus contraxisse societatem.* At alii non conditam à Pausania, sed saltem expugnatam tradiderunt; inter quos Æmilius Probus: Ammiano vero est *Atticorum colonia*, lib. XXII. *Lipsius.*

7 *Prævisa locorum utilitate*] Ad sententiam fortasse aptius, *parum visa locorum utilitate.* Ideo enim cæci, oraculo dicti. Apud Strabonem denarrata tota res, lib. VII. Τὸν Ἀπόλλω, inquit, φασὶ τοῖς κτίσασι τὸ Βυζάντιον ὕστερον, μετὰ τὴν ὑπὸ Μεγαρέων Χαλκηδόνος κτίσιν, χρηστηριαζομένοις, προστάξαι ποιήσασθαι τὴν ἵδρυσιν ἀπεναντίον τῶν τυφλῶν. τυφλοὺς καλέσαντα τοὺς Χαλκηδονίους, ὅτι πρότεροι πλεύσαντες εἰς τοὺς τόπους ἀφέντες τὴν πέραν κατασχεῖν, τοσοῦτον πλοῦτον ἔχουσαν, εἵλοντο τὴν λυπροτέραν. Habes eadem in Herodoto, lib. IV. nisi quod illic dictum hoc & scomma in Chalcedonios Megabyzo Satrapæ tribuit. Septemdecim autem annis conditam Chalcedona ante Byzantium, ibidem etiam traditum. *Lipsius.*

Prævisa locorum utilitate] *Cæcus* pro improvido. Vide Non. in *Cæcum.* quod non injuria cadit in Chalcedonenses, qui prius adiere & videre loca (ubi postea Byzantium) iisque per imprudentiam neglectis, adversa & pejora legerant. Doctissimo tamen viro placuit *parum visa.* Sed Strabo ab eo laudatus inprimis pro me facit. Τυφλοὺς καλέσαντα τοὺς Χαλκηδονίους, ὅτι πρότεροι πλεύσαντες εἰς τοὺς τόπους, ἀφέντες

zantium fertili solo, fecundoque mari; quia [1] vis piscium innumera pontum erumpens, [2] & obliquis subter undas saxis exterrita, omisso alterius litoris flexu, hos ad portus

ἀφέντες τὴν πέραν κατασχεῖν τοσοῦτον πλοῦν ἔχουσαν, εἵλοντο λυπροτέραν. i. *Cæcos vocantem Chalcedonenses, quod prius ea loca advecti, neglexerant obtinere adversam regionem tot bonis copiosam, & sterilierem delegerunt.* Salinerius. An Chalcedonii, quamvis utilitatem locorum prævidissent, nihilominus sedem illam neglexerunt, pejoremque delegerunt, fortasse utiliorem rati, ideoque decepti? Potius Lipsii correctionem amplector, *parum visa*, quod cæcis optime convenit. *Pichena.* Ita oberrant viri docti, quia nolunt indulgere Tacito, & ejus stilo adsuescere. Is enim hoc etiam loco scripserit *improvisa*, Id lenissimum, prout cap. 18. occurrebat *inoffensus*, fatis clare, sed stupide oppressus. *Jac. Gronovius.*

1 *Vis piscium in Pontum*] Falsa lectio: damnata ab historia; & à libris. Nam libri omnes, *vis piscium in Metapontum erumpens.* Ex quis vere corriges, *vis piscium innumera Pontum erumpens.* Ita scilicet res est. copia ista piscium (Pelamydes sunt) non intrantes è mari Ægæo Pontum, ut vulgata lectio suadet, sed exeuntes erumpentesque capiuntur. Fœtura enim eorum in paludibus Mæotidis est; atque inde adulti, grege facto, Pontum Propontidemque intrant. atque ibi captura. Strabo clare lib. VII. super hac ipsa re atque pisce: Γεννᾶται οὖν τὸ ζῶον, (Pelamydem intelligit) ἐν τοῖς ἕλεσι τῆς Μαιώτιδος. ἰσχύσαν δὲ μικρὸν, ἐκπίπτει διὰ τοῦ στόματος ἀγεληδὸν, καὶ φέρεται παρὰ τὴν Ἀσιανὴν ἠϊόνα μέχρι Τραπεζοῦντος καὶ Φαρνακίας. Et post pauca addit; Ἐπειδὰν δὲ ἤδη συνάψῃ ταῖς Κυανέαις, καὶ παραλλάξῃ ταύτας, ἐκ τῆς Χαλκηδονιακῆς λευκή τις πέτρα προσπίπτουσα φοβεῖ τὸ ζῶον, ὥστ' εὐθὺς εἰς τὴν περαίαν τρέπεσθαι. παραλαβὼν δ' ὁ ἐνταῦθα ῥοῦς ἅμα καὶ τῶν τόπων εὐφυῶν ὄντων πρὸς τὸ τὸν ἐκεῖ ῥοῦν τῆς θαλάττης, ἐπὶ τὸ Βυζάντιον καὶ τὸ πρὸς αὐτὸ Κέρας τετράφθαι φυσικῶς, συνελαύνεται δεῦρο, καὶ παρέχει τοῖς Βυζαντίοις καὶ τῷ δήμῳ τῶν Ῥωμαίων πρόσοδον ἀξιόλογον. Eademque ex Aristotele colliges lib. VIII. De Historia animalium, cap. XIII. Plinani codicis mendum non sileo in hac narratione lib. IX. cap. XV. *Est in Euripo*, ait, *Thracii Bospori, in ipsis Europam Asiamque separantis freti angustiis, saxum miri candoris, à vado ad summa perlucens, juxta Chalcedonem in latere Asia. Hujus adspectu repente territi, semper adversum Byzantii promontorium, ex ea caussa appellatum Chrysoceras, præcipiti petunt agmine. Ita jus omnis captura Byzantii est, magna Chalcedonis penuria. Opperiuntur autem Aquilonis flatum, ut secundo fluctu exeant è Ponto: nec nisi intrantes Pontum Byzantii capiuntur.* Quid? non capiuntur nisi intrantes Pontum? contra ante dixit, capi exeuntes è Ponto, non intrantes. quod verissimum est. Itaque alii vice Ponti, *Propontidem* substituunt; Pincianus totum locum rescribit confidentius, *nec nisi infuantes tunc Byzantii capiuntur.* Fortasse verius, simplicius certe, *intrantes portum Byzantii*, ut ad ipsum oppidum, & in portu fuerit ea captura. Nam cornu illud, ad quod deferantur, fuit προσεχὲς τῷ Βυζαντίων τείχει, ut Strabo ait: imo, ut Plinius, in ipso illo promontorio, quod Cornu vocant, Byzantium urbs. Atque ibi in multos sinus scissum, tamquam ramos (εἰς οὓς ἐμπίπτοντα ἡ πηλαμὺς ἁλίσκεται) faciebat urbi illi portum. Strabonem vide.

Add. Ad correctionem nostram & exitum piscium è Ponto, facit valde Sallustii locus, apud Servium lib. IV. & Juvenalis interpretem Sat. IV. *Qua tempestate vis piscium Ponto erumpit.* Tamen, ne callide dissimulem, vulgatam lectionem D. Ambrosius affirmare videtur, Hexaem. lib. V. cap. X. *Pisces*, inquit, *ex plurimis locis, à diverso sinu maris, innumeri, velut communi consilio convenientes, conjuncto agmine flatus Aquilonis petunt, & ad illud Septemtrionalium mare partium quadam naturæ lege contendunt. Dicas, si ascendentes videas, rheuma quoddam esse. ita proruunt, fluctusque intersecant, per Propontidem in Euxinum Pontum violento impetu profluentes.* Sed mox addit, ingruente hieme, & postquam ibi fœtificaverint, immenso agmine regredi. Vide locum: & utramvis lectionum defendi posse, tu defendes. *Lipsius.*

Quia vis piscium in Metapontum erumpens] Ita Flor. & alii antiquiores Manuscripti. In editis imminuta voce legitur, *in Pontum.* At quod Lipsius corrigit, *vis innumera Pontum*, idem à Tac. dictum lib. 4. *nam vis innumera Ligii, aliaque gentes adventabant.* Pichena.

2 *Obliquis subter undas*] Quærunt, quæ hæc *saxa obliqua?* Ego dicam. è littore Chalcedonis saxa à latere se ostendunt; & velut ex transverso (Straboni scriptum) atque ea igitur fugiunt. At Franciscus Medices, quia Strabo idem & Plinius *candidum saxum* id dicunt, vellet hic legi, *albis*, vel *albidis*, pro voce, *obliquis.* Vellem & ego hominis caussa. quis enim Musicus Medices non amet? sed non possum hanc peraudacem conjecturam. *Lipsius.*

Et obliquis subter undas saxis exterrita] Quæ ista obliqua saxa subter undas? turpe vitium emendavit, ni fallor, juvante Strabone, Franciscus Medices: qui in suo codice adnotavit, legendum sibi videri, *& albis* (vel, *albidis*) *subter undas saxis exterrita.* Strabonis verba Latine conversa ex lib. 7. talia sunt: *Earum generatio* (Pelamydes ab eo appellantur) *in Mæoticis paludibus fit. inde vere paulatim erumpunt, grege facto per os ipsum, ac propter litus Asiaticum usque Trapezuntem, ac Pharnaciam excurrunt. Hinc primum earum venatio existit, non copiosa admodum, nondum enim conveniens est multitudo. Sed ut Sinopen propius accesserint; speciosior nimirum earum est piscatio, simul & salsamentaria. Postquam vero Cyaneas transierint, & ex ripa Chalcedonis albicans*

portus defertur. Unde primo quæstuosi & opulenti; post magnitudine onerum urgente, *finem aut modum* orabant, annitente Principe, qui [1] *Thracio Bosporanoque*
64 *bello recens fessos juvandosque* rettulit. Ita tributa in quinquennium remissa. [2] M. Asinio M. Acilio consulibus, mutationem rerum in deterius portendi, cognitum est crebris prodigiis. [3] Signa enim ac tentoria militum igne cælesti arsere. Fastigio Capitolii [4] examen apium insedit. Biformes hominum partus. [5] Et suis fetus editus, cui accipitrum ungues inessent. Numerabatur inter ostenta, [6] deminutus omnium magistratuum numerus, quæstore, ædili, tribuno, ac prætore, & consule, paucos intra menses defunctis. Sed in præcipuo pavore Agrippina vocem Claudii, quam temulentus jecerat; *fatale sibi, ut conjugum flagitia ferret: dein puniret*, metuens; agere & celerare statuit, [7] perdita prius Domitia Lepida muliebribus caussis:

[1] quia

cans occurrit petra quadam, tantus bestiis ipsis terror incutitur, ut e vestigio in ulteriorem convertantur ripam. Plinius quoque de iisdem piscibus loquens, lib. 9, 15. ait: *Est in Euripo Thracii Bospori, in ipsis Europam Asiamque separantis freti angustiis, saxum miri candoris, à vado ad summa perlucens, juxta Chalcedonem in latere Asia. Hujus aspectu repente territi, semper adversum Byzantii promontorium, ex ea causa appellatum auricornu, præcipiti petunt agmine. Itaque omnis captura Byzantii est, magna Chalcedonis penuria.* Pichena.

1 *Thracio Bosporanoque bello*] Thracium bellum intellegit, quod cum Thracibus montanis gestum, duce Poppæo Sabino; Bosporanum, quod cum rege Mithridate. De illo, noster lib. IV. de hoc supra, isto ipso lib. *Lipsius.*

2 *M. Asilino, M. Acilio Coss.*] Legendum fortasse, *Asinio*, sic enim habet Seneca in mortem Cæsaris. *Quid actum sit in cœlo ante diem tertium Eidus Octobris, Asinio Marcello, Acilio Aviola coss.* Idemque Tranquillus 45. *Vertranius.*

3 *Signa enim*] Hæc posterior vocula non est in MS. Med. Beroaldus edidit *Signa u. ac tent.* Quod quidquid est, plane ex supervacuo. Non magis vocem istam nunc posuit Tacitus, quam *suis fœtum* qui sequitur. Sed insunt stimuli nimis duri acutique quam ut nunc eos tractare possim. *Jac. Gronovius.*

4 *Examen apum*] Quod semper inter portenta: cum visum loco insolenti. Silium Italicum emendari velim lib. VIII. de prodigiis quæ ante pugnam Cannensem:

Obseditque frequens castrorum limina bubo:
Nec densa trepidis absunt se involvere nubes
Cessarunt aquilis: non unus crine corusco
Regnorum eversor rubuit lethale cometes.

scribique:

Nec densa trepidis apium se involvere nubes.
Cessarunt aquilis. Nubes apium, examina vocat, quæ insederunt signa. Quod sequitur, *Suis fetus editus*, libris omnibus erat, *fetum editum*: & fortasse nominandi casu sic dixerint etiam antiqui. *Lipsius.*

Fastigio Capitolii examen apium insedit] Ita scribitur in Florent. ea vox. vulgo, *apum*. Pichena.

5 *Et suis fœtum editum, cui accipitrum ungues inessent*] Illinc *erant* legitur, non *inessent*. Ipse vero suspicor pro *fœtum editum* scribendum, *fœtu edito*. *Biformes hominum partus*, subaudi, extiterunt, & (id est, etiam) *suis fœtu edito*, &c. *Rhenanus.* Ex eodem Florent. reposui, *inessent*. Vulgo, *erant*. Pichena.

6 *Deminutus omnium magistratuum numerus*] In Florent. semper, *deminutus*, quod etiam lib. I. notavi. Vulgo, *diminutus* Pichena.

7 *Perdita prius Domitia*] Nemo tam inconspectus in legendo, qui vitium non videat male hærentis & incohibilis orationis. Domitia, inquit, perdita est: & subdit quasi de alia, quia inter Lepidam & Agrippinam æmulatio exercebatur. Corrige vero, & reduc aberrantem vocem: *perdita prius Domitia Lepida levibus & muliebribus caussis: quia minore Antonia genita.* Scilicet Cn. Domitio duas fuisse filias, quarum utraque Domitia gentis nomine dicta: sed minor, de qua hic, discriminandi caussa, cum Lepidæ cognomine. Ea nunc ad mortem adacta. Suetonius Nerone, cap. VII. *Amitam Lepidam ream testimonio coram adflixit, gratificans matri à qua rea premebatur.* At Domitia altera supervixit, & mentio ejus lib. XIII. estque veneno sublata à Nerone, paullo post mortem matris. Vide Suetonium Ner. cap. XXXIV. & Xiphilinum. *Lipsius.*

Perdita prius Domitia] Verum est, nomen huic mulieri fuisse, Domitia Lepida, sed non ideo transposuerim hic eas voces: explicat enim sequens quam Domitiam dixerit, neque id apud Tacitum sine exemplo. Lepida hæc procul dubio una ex amitis Neronis, & apud quam ille educatus, matre in exsilium pulsa, unde hæc blandimenta adversus alumnum. Eandem esse, quæ mater Messalinæ, non persuadent mihi viri docti; nam ecce forma & ætate Agrippinæ parem eam facit Tacitus, quod sane in matrem Messalinæ cadere vix potest. Et quod ex ea & altero marito Appio Silano natum volunt L. Silanum sponsum Octaviæ, prorsus stare non potest. Nam ex præmissis sequeretur ante Claudii & Agrippinæ nuptias licuisse ducere sororis

ris

ᵃ quia Lepida minore Antonia genita, avunculo Augusto, ᵃ Agrippinæ sobrina prior,

tis filiam. Faciunt enim L. Silanum & Messallinam Octaviæ matrem ex una matre Lepida genitos; quod, ut dixi, stare non potest. Quod addit Tacitus, *impudicam & infamem*, scilicet ob fratris Domitii incestum, de quo Suetonius, quo in scelere constitisse mulieris libidinem vix simile vero. *Mercerus.* Lipsius transponit, *Domitia Lepida*, ut error sit ortus ex similitudine syllabæ sequentis. ego de majori mendo suspicor, ac verba, *levibus &*, ab interpolatore quodam addita, cum in Florentino corrupte legatur: *Domitia le muliebribus* &c. Hinc fortasse restituendum: *perdita prius Domitia Lepida muliebribus causis, quia Lepida, minore Antonia* &c. Pichena. Hæc fere scriptura est, quam Florentinus Pichenæ exhibet. cujus judicium cum probaremus, caussa nulla erat, cur non sequeremur, Prius vulgati: *Domitia levibus & muliebribus caussis.* at certe leves hæ caussæ non erant, cum de potentia apud Imperatorem certaretur. *Freinshemius.*

1 *Minore Antonia genita*] Culpant me quod non scripserim, *majore*. Non me, sed Tacitum. Ita enim iterum sensit scripsitque noster lib. IV. Annal. *Cn. Domitius electus, cui minor Antonia Octavia genita in matrimonium daretur.* At enim Suetonius & Plutarchus aliter. Quid ergo? novum est, ut dissensus aliquis scriptorum sit? Et tamen Plutarchus clare id non dicit: clare Suetonius, fateor, plus uno loco. sed cur arbiter ego inter eos sim? Solvo me judicatu isto; & bono veterique ritu, juro mihi non liquere. *Lipsius.*

Quia Lepida minore Antonia genita avunculo Augusto] Binas Lepidas apud Suetonium observamus, alteram in Calig. 5. Germanici sororem patris Agrippinæ natam ex Druso, & Antonia juniore, alteram ex Cn. Domitio Neronis avo, & Antonia majore genitam, sororemque Domitii Neronis patris, & Agrippinæ viri; quam incestasse eundem Domitium, tradit idem Sueton. in Ner. 5. De hac verba facere Tacitum constat ex ipsius textus serie. Siquidem hæc Domitia dicta, uti ex gente Domitia orta, non illa ex Druso ortum ducens: tum hanc mariti Agrippinæ sororem, & Neronis amitam vocat Tacitus. Ex cujus dictis duæ insurgunt non contemnendæ difficultates. Una, quomodo Domitiam Lepidam minore Antonia genitam dixerit, quam ex majore natam tradidere Suetonius, Plutarchus, & Plinius. Quare mendum in textu inesse dicendum, atque non *minore*, sed *majore* legendum: non enim rationi consonum, Tacitum in recensenda ferme sui corporis genealogia adeo fœde lapsum. Præterea si Augusto avunculo Agrippina Lepidam priorem, seu, ut legit Vertranius, *propiorem*, (in hoc namque parum laboro, quum utraque vox propinquiorem significet) dixit Tacitus, cui dubium de Antonia majore intelligendum? Altera difficultas emergit, quod hanc Lepidam perditam ab Agrippina scribat Sueton. 34. ex Xiphilino & Dione interemptam post Agrippinæ matris necem, jussu Neronis, medicis, ut largius eam purgarent, adactis. Tollitur & hæc objectio dicendo, Agrippinam quidem mortem Lepidæ molitam illis caussis objectis, quas recenset ipse Tacitus, at non datam, sed indictam tantum, inquit enim: *Ob hæc mors indicta multum adversante Narcisso.* Unde quum paulo post Claudii mors sequuta sit, & Nero ad Imperium assumptus, jam rerum omnium potita Agrippina, & adversante Nerone in amitam benevolo, apud quam prius inops & egens puer nutritus fuerat: & adolescens blandimentis & largitionibus devinctus, quod Suetonius & Tacitus tradidere, mortem indictam, minime exequutioni mandatam, sed in memoratum à Suetonio tempus dilatam, *Marcellus Donatus*, De Lepida Drusi filia, Germanici sorore, haud scio, unde habeat: nihil enim de illa Suetonius. *Gronovius.*

2 *Agrippina sobrina prior*] Sive quod Jurisconsulti suggerunt, *sobrina propior:* etsi eadem vis alteri illi voculæ. Lepida autem Germanico patri Agrippinæ, consobrina fuit. Filiæ ergo Germanici, Lepida sobrina proprior. Res satis clara ex Stemmate nostro Augusti. *Lipsius.*

Agrippina sobrina prior] Scribendum, *propior*, verbo Jurisconsultis familiarissimo. Sic autem dicitur Lepida, quæ Germanico Agrippinæ patri consobrina erat. Hic enim Druso patre & minore Antonia Augusta natus, frater patruelis seu consobrinus erat Lepidæ L. Domicii & Antoniæ majoris filiæ. Quod de minore dixi consulto, etiam adversus Taciti testimonium, Plinio, Suetonio & Plutarcho auctoribus. Itaque Lepida *propior sobrina* scribitur Agrippinæ, quod ab ea cognationis quinto gradu disjuncta, uno gradu propior quam sobrina futura erat, quæ sexto gradu enumeratur apud Cajum, & ex Massurio Sabino apud Paullum libello, de gradibus & affinibus. *Vertranius.* Domitia nata fuit ex Antonia Germanici matertera; atque ita Agrippinæ consobrina fuit: sic enim appellantur, qui ex duobus fratribus, sororibusve, vel fratre & sorore nascuntur: aliquando tamen & *sobrini* appellantur. De *sobrinis* autem *prioribus* alibi scriptum lectumve fuisse non memini: ne *propiores* quidem hoc loco multum ad rem faciunt. Minus etiam ad scripturam. Præterea offendor, quod maritus Agrippinæ tantum prænomine notetur; quod insolitum & vix ullibi usurpatum reor, ut solo prænomine indicetur aliquis, nisi longe notissimus, ut exempli gratia Tiberius: præsertim ubi nullus præterea de eo sermo est, sed tantum leviter nominatur. Quin & maritum Agrippinæ appellari, qui diu defunctus aliis maritis locum fecit, satis novum. His rationibus motus ita corrigen-

 dum

prior, [1] ac Cn. mariti ejus soror, parem sibi claritudinem credebat. nec forma, ætas, opes multum distabant; & utraque [2] impudica, infamis, violenta, haud minus vitiis æmulabantur, quam si qua ex fortuna prospera acceperant. Enimvero certamen acerrimum, amita potius an mater apud Neronem prævaleret. Nam Lepida blandimentis ac largitionibus juvenilem animum devinciebat, truci contra ac minaci Agrippina, [3] quæ filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat.

65 Ceterum objecta sunt [4] *quod conjugium principis devotionibus petivisset, quodque parum coercitis* [5] *per Calabriam servorum agminibus pacem Italiæ turbaret.* [6] Ob hæc mors indicta, multum adversante Narcisso; qui Agrippinam magis magisque suspectans, prompsisse inter proximos ferebatur, *certam sibi perniciem, seu Britannicus rerum, seu Nero potiretur. Verum ita de se meritum Cæsarem, ut vitam usui ejus impenderet. Convictam Messallinam & Silium.* [7] *Pares iterum accusandi caussas esse, si Nero imperitaret.*

dum putavi: *Sobrina priorisque mariti ejus soror.* Prior maritus quomodo *prior uxor* supra 4, 22. & mox 12, 65. *prior conjunx* Freinshemius.

1 *Ac Cnei & mariti ejus soror*] Id est Gneii Domitii Agrippinæ mariti, qui L. Domitii Ahenobarbi, & Antoniæ majoris filius fuit. Vide Lipsium in Augusti stemmate. *Pichena.* In MS. scribitur *Cn. mariti:* tum mox *blandimentis ac larg.* non *&*, ut vulgo. *Jac. Gronovius.*

2 *Impudica, infamis, vinolenta*] Malim, *violenta:* ut superba & commota animo utraque fuerit. De vini nota nihil legi. *Lipsius.*

Impudica, infamis, violenta] Vulgo, *vinolenta.* quod verbum rejiciebat Lipsius ex historia restituens, *violenta.* optime, nam & Florentinus consentit. *Pichena.*

3 *Quæ filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat*] Aut deest verbum ad ista, *quæ filio dare imperium* · aut negatio τῷ *nequibat* ad ea ipsa non pertinebit. quod genus etsi rarum, tamen & alibi observatum. Atque ita locus ille forte lib. 13. ad finem integer: *Deesse nobis terra, in qua vivamus; in qua moriamur, non potest.* Ubi Lipsius pariter & Muretus inseri volunt, *in qua vivamus, potest; in q. m. n. p.* Videri posset hic etiam legendum, *quæ filio dans imperium, tolerare imp. nequibat.* Acidalius. Attentum lectorem non fallit deesse hic aliquid sensui, quem quidem facile restituam, de verbis non promittam, nisi quod scio fieri ut quæ similem fere sonum babent sæpissime aut duplicentur in membranis, aut omittantur. quod hac caussa accidisse putem, quia librariis ista describentibus dictari consuevisse consentaneum est, ut eo expeditius in describendo possent pergere. hi cum fere indocti essent: nec magnam in istis rebus diligentiam ponerent, ut qui non amore studiorum, sed in sordida mercede id negotium quærebant, quomodocunque audita temere inferebant chartis: & hinc tot loca corruptionis manifesta. Forsitan igitur hunc locum idem casus corruperit, ut legendum sit: *filio dare imperium volebat, tolerare imperitantem nequibat.* quod utrumque verissimum est, & posterius quidem exertis verbis hic pronunciatur: prius autem tot artes fraudesque & astuta consilia; flagitia quin etiam atque scelera, quorum & ipse meminit infra 13, 14. satis affirmant, præter id quod infra traditur 14, 9. audito Chaldæorum responso *fore ut imperaret Nero, matremque occideret*, dixisse; *occidat, dum imperet.* Freinshemius. Non profecto *volebat* tantummodo, quippe quæ jam dudum dedisset: sed intelligendum *quibat.* Agrippina eo usque valebat in republica, penes Claudium, apud se, ut filio imperium pararet: sed non erat tam potens sui, ut toleraret regnantem. Genus loquendi lib. 4. Observ. cap. 2. illustravimus. *Gronovius.*

4 *Quod conjugium Principis*] Id est, conjugem. Nam ut Claudii conjugium ipsa ambierit, non lectum. Abusa ergo vetitis artibus ad perniciem Agrippinæ. Sic *servitium* pro servo, & *matrimonium* pro matrona alibi notavi, & *clientelas* pro clientibus in Tacito. *Lipsius.* MS. Medic. *conjugem.*

5 *Per Calabriam servorum agminibus*] Ergo suspiceris quæ supra 4, 27. de initiis belli civilis perscripta sunt ad Domitiam pertinere; nam & illa in Calabria oriebantur circa Brundisium & circumjecta oppida. qua de caussa etiam locum istum inter paralelos notari curavimus. *Freinshemius.*

6 *Ob hæc mors indita*] Forte, *indicta.* Rhenanus.

7 *Pares iterum accusandi*] Ita hæc distinguenda sunt: etsi suspecta mendi. *Lipsius.*

Pares iterum accusandi caussas esse] Hæc mendosa non sunt, sed obscura, quæ tamen parum juvat distinctio doctissimi viri; *pares iterum accusandi caussas esse si Nero imperitaret. Britannico successore nullum principi meritum.* Narcissus scilicet horrebat regnum Britannici, quod in eum beneficia nunquam contulisset: sciebat is profecto (indeque sibi metus) eo imperatore se certam perniciem manere, ob accusatam & convictam matrem Messalinam. *Sponsus jam & gener Domitius æquari Britannico studus matris, arte eorum, quis ob accusatam Messalinam ultio ex filio metuebatur.* Ego alia puncta adhiberem. *pares iterum accusandi caussas esse; si Nero imperitaret*

Bri-

ret. Britannico successore, [1] *nullum principi meritum*, [2] *ac noverca insidiis domum omnem*
convelli; majore flagitio, quam si impudicitiam prioris conjugis reticuisset. quamquam ne
impudicitiam quidem nunc abesse, Pallante adultero. ne quis ambigat, decus, pudorem,
corpus, [3] *cuncta regno viliora habere.* Hæc atque talia dictitans, amplecti Britanni-
cum: *robur ætatis quam maturrimum* precari: modo ad deos, modo ad ipsum tendere
manus, *adolesceret, patris inimicos depelleret*: [4] *matris etiam interfectores ulcisceretur.*
In tanta mole curarum, Claudius valetudine adversa corripitur, resovendisque viri- 66
bus mollitie cæli & salubritate aquarum, [5] Sinuessam pergit. Tum Agrippina sce-
leris olim certa, & oblatæ occasionis propera, nec ministrorum egens, de genere
veneni consultavit; *ne repentino & præcipiti facinus proderetur; si lentum & tabidum dele-*
gisset, ne admotus supremis Claudius, & dolo intellecto, ad amorem filii rediret: exquisitum
aliquid placcbat, *quod turbaret mentem, & mortem differret.* Deligitur artifex talium,
vocabulo *Locusta*, nuper veneficii damnata, & diu inter instrumenta regni habita.
Ejus mulicris ingenio paratum virus, cujus minister è spadonibus fuit Halotus, [6] in-
ferre

Britannico successore nullum principi meritum. Et is (ni fallor) est sensus. parvi facere deberem (Narcissus ait) Nero an Britannicus regnet, nam mihi ab utroque exitium impendet: à priore propter odium, quo mater ejus me perditum cupit: à secundo propter cædem Messalinæ: verum tot me beneficiis Claudius prosecutus est, ut vitam potius ibi profundere dcbeam, ubi ei saltem caveam, & salui sim: quod eveniet, si delatione pervertam Neronem, & Agrippinam Claudio insidiantes. is postea ex prospero similis accusationis eventu, colligit id operis esse tentandum: *convictam Messalinam, & Silium, pares iterum accusandi caussas esse.* postulavi Messalinam (inquit) insidiarum adversus maritum, & ream peregi: qua de re confidenter, & jure, hos deferre debeo & possum, qui eadem machinantur. *Si Nero imperitaret Britannico successore nullum principi meritum.* præsertim (addit) timore pœnitentiæ Claudii: nam qui filio (ut Nero) prælati sunt. semper timent, ne pater resipiscat, ob idque ei solent esse ingrati & insidiantur. hæc Narcissus. Agrippina quoque (licet alia de caussa lentum venenum non delegit) verens, *si lentum & tabidum delegisset, ne admotus supremis Claudius & dolo intellecto ad amorem filii rediret*, ut infra scribit. *Salinerius.* Omnia hie luxata, distorta, corrupta. quapropter nemo mihi vitio vertet, si ut in corpore & morbo desperato uram & secem. Sic autem sibi constet oratio, si legas: *certam sibi perniciem, seu Britannicus rerum; seu Nero potiretur.* Nempe ob damnatam illius matrem, hujus inimicam, & forte damnandam. postquam enim addidisset *ita de se meritum Cæsarem* &c. adjicit *Pares iterum accusandi caussas esse*: quænam illæ? *noverca insidiis domum omnem convelli* &c. ita enim conjungam abolitis intermediis, quæ si interroges cur abolenda sint, quæram & ego cur aut quomodo retinenda? *Freinshemius.* Explicandum potius quam mutandum hunc locum existimo; & id tentavimus lib. I. cap. 22. Observationum. *Gronovius.* Quem tamen non felicius aliis se expedivisse scribit in Electorum principio Octav. Ferrarius; sed qui & in explicando tam enormis est, ut verba ejus longissime relinquat id quod in Taciti mente fuit, & in contextu instaurando plane se ostendit iis similem, qui spretis antiquis monimentis nihil pensi habent, quid agant, & omnia licere putant. *Jac. Gronovius.*

1 *Nullum principi meritum, ac noverca insidiis domum omnem convelli &c.*] Sic distinguenda fuisse ait Lipsius; tamen etiamnum mendi suspecta. Vere. Quid enim sonant illa, *nullum principi meritum?* Audeo pæne affirmare, vere à me emendatum, *nullum è principe metum.* accommodatissime profecto ad sensum. elegantissime item ad dictionem, quæ hujus generis sæpe Tacito usurpata, & exemplis aliquantis firmata Lipsio ad I. Annal. Sed & dehinc scribe: *nullum è principe metum: at noverca insidiis domum* &c. Quod fatebor etiam Mureto notatum, ut *at* mutaretur. Sed id solum, & cujus sola ope locus non constituitur. *Acidalius.*

2 *Ac noverca insidiis domum omnem convelli*] Totus hic locus, etiam apud me, vitii aut defectus suspicione non caret. nec quid reponam habeo. tantum moneo, in Flor. legi, *ad noverca.* Pichena.

3 *Cuncta regno viliora habere*] Erit rectius *haberi.* Grotius.

4 *Matris etiam interfectores ulcisceretur*] Ergo suam ipsius perniciem Narcissus optat. Is enim autor, molitor, atque etiam exactor cædis Messalinæ, ut in fine lib. præced. Sed odio in Agrippinam adeo exarserat, ut dum Britannicus illam filiumque ulcisceretur, de salute sua non esset sollicitus. *Pichena.*

5 *Sinuessam pergit*] Sinuessanæ aquæ lib. I. Histor. & Plinio lib. XXXI. commendatæ, ob vim quamdam salubrem. *Lipsius.*

6 *Inferre epulas, & explorare*] Sic lib. XIII. *Quia cibos*

67 ferre epulas, & explorare gustu solitus. [1] Adeoque cuncta mox pernotuere, ut [2] temporum illorum scriptores prodiderint, *infusum delectabili* [3] *cibo boletorum venenum, nec vim medicaminis statim intellectam, socordiane Claudii an vinolentia:* [5] simul soluta alvus subvenisse videbatur. igitur exterrita Agrippina, & quando ultima timebantur, spreta præsentium invidia, provisam jam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet. [6] Ille tamquam nisus evomentis adjuvaret, pinnam rapido veneno illitam faucibus ejus demisisse creditur; haud ignarus summa scelera incipi cum peri-
68 culo, peragi cum præmio. Vocabatur interim senatus; votaque *pro incolumitate principis* consules & sacerdotes nuncupabant, cum jam exanimis vestibus & fomentis obtegeretur, [7] dum res firmando Neronis imperio componuntur. Jam primum Agrippina, velut dolore victa & solatia conquirens, tenere amplexu Britannicum, *veram paterni oris effigiem* appellare, ac variis artibus demorari, ne cubiculo egrederetur. Antoniam quoque & Octaviam sorores ejus attinuit, & cunctos aditus custodiis clauserat, crebroque vulgabat, *ire in melius valetudinem principis*, quo miles bona

cibos potusque ejus delectus ex ministris explorabat. Cui id munus, is passim in lapidibus dicitur, Prægustator: in quodam etiam, A. POTIONE. Athenæus lib. IV. Ὃν νῦν καλοῦσιν οἱ Ῥωμαῖοι προγεύστην, τὸν οἱ Ἕλληνες προτένθην ὠνόμαζον. Mos qui libera rep. ignotus Romanis: quem tamen cœpisse conjicio ab Augusto, non vano argumento lapidis qui Romæ.

GENIO
CÆLI. HERODIAN.
PRÆGVSTATOR
DIVI. AVGVSTI
IDEM. POSTEA. VILLICVS. IN.
HORTIS. SALLVSTIANIS
DECESSIT. NONIS. AVGVSTIS
M. COCCEIO. NERVA } COSS.
C. VIBIO. RVFINO }

Tenuitque Tiberius, de quo lego: TI. CLAVDIVS. FLAMMA. CLAVSVS. TI. AVG. PRÆGVSTATOR. & deinceps alii. Traductum morem opinor à Persis maxime, de quis Xenophon lib. I. παιδείας. Οἱ τῶν βασιλέων οἰνοχόοι, ἐπειδὰν ἐνδιδῶσι τὴν φιάλην, ἀρύσαντες ἀπ' αὐτῆς τῷ κυάθῳ, εἰς τὴν ἀριστερὰν χεῖρα ἐγχεάμενοι, καταῤῥοφοῦσι, τοῦ δ' εἰ φάρμακα ἐγχέοιεν, μὴ λυσιτελεῖν αὐτοῖς. Ubi & ritum habes prægustandi. *Lipsius.*

Explorare gustu solitus] Plinius lib. 21, 3. *Antonio timente, nec nisi prægustatos cibos sumente.* Ratio in Dione lib. 55. de principibus. Hieron. epist. 2. *Vestes oris applicitus & oblatos ac prægustatos cibos.* Idem de Virgin. Velan. *à quo etiam cibi, cum facti fuerint, prægustantur.* Idem de vitæ susp. contub. *aliena oscula, prægustatos cibos.* Aurelius.

1 *Adeoque cuncta mox pernotuere*] Regium exemplar tantum habet, *notuere* à *notesco* verbo. Sic lib. 5. *Libertis quoque ac janitoribus ejus notescere pro magnifico accipiebatur.* Rhenanus.

2 *Temporum illorum scriptores prodiderint*] Seneca de eadem ait, *Nec post boletum epipare medicamentis conditum, plus cibi sumpsit.* De ceteris diversa fama fuit, refertque Suetonius Claudio extremo. *Vertranius.*

3 *Cibo boletorum*] Plinius 22, 22. *Boletos immenso exemplo in crimen adductos, veneno Ti. Claudio principi, per hanc occasionem, à conjuge Agrippina dato. Quo facto illa terris venenum alterum, sibique ante omnes, Neronem suum dedit.* Juvenalis Sat 6. *minus ergo nocens erit Agrippinæ Boletus: siquidem unius præcordia pressit ille senis.* Aurelius. Sed MS. Mediceus tantum habet *cibo boleto*, ut fit appositio. Ita enim voluit iste librarius, etsi tantum posuerit *cibo leto.* Jac. Gronovius.

4 *Socordiane Claudii, an vinolentia*] *Vinolentia* vox, quam Florentinus & alii habent, longe melior ad sensum videtur, quam, *violentia*, ut vulgati. ideo illam reposui. Nam de nimio Claudii potu, satis ab autoribus, & præsertim à Suetonio 33. At idem Florent. addit: *Socordiane, an Claudii vi, an vinolentia.* Quæ lectio fortasse non improbanda: ut tres sint causæ, cur veneni vis statim intellecta non fuerit. *Socordia* scilicet Claudii, quæ illi sensum adeo hebetasset, ut venenum non sentiret: an illius *vis*, id est naturæ corporisque robur: an quia largiter potasset. Livius lib. 26. *Implota cibis vinoque vena, minus efficacem in maturanda morte vim veneni fecerunt.* Nihil tamen affirmo. *Pichena.*

5 *Simul soluta alvus subvenisse videbatur*] Legitur in Regio exemplari: *Simul solutum alvum subvenisse videbatur.* Quid erat hoc opus mutare? Nam *videbatur* impersonaliter accipiendum. *Rhenanus.*

6 *Ille tamquam nisus evomentis*] Repoluimus, *nixus*, à verbo *nitor*, *eris*. Rhenanus.

7 *Dum res firmando &c.*] Sic edunt pro arbitratu & denudare audent Tacitum ex usu suo. At MS. Mediceus exhibet *dum res forens firmando*, procul dubio corrupte, sed emendando promptum, nempe *dum res foris firmando &c.* Respicit militem, ut & favor ejus præoccupatus esset, & per eum forent omnia obsessa, ut I, 5. *Provisis quæ tempus mone-*

na in ſpe ageret, [1] tempuſque proſperum ex monitis Chaldæorum adventaret. Tunc 69
medio diei, [2] tertium ante idus Octobris foribus palatii repente diductis, comitante Burro, [3] Nero egreditur ad cohortem, quæ more militiæ excubiis adeſt. [4] Ibi monente præfecto, feſtis vocibus exceptus, inditur lecticæ. Dubitaviſſe quoſdam ferunt reſpectantes, rogitanteſque *ubi Britannicus eſſet?* mox nullo in diverſum auctore, quæ offerebantur ſecuti ſunt. Illatuſque caſtris Nero, & congruentia tempori præfatus, promiſſo donativo, [5] ad exemplum paternæ largitionis, *Imperator* conſalutatur. Sententiam militum ſecuta Patrum conſulta. nec dubitatum eſt apud provincias. *Cæleſteſque honores Claudio* decernuntur, & funeris ſolenne perinde ac divo Auguſto celebratur; æmulante Agrippina proaviæ Liviæ magnificentiam. Teſtamentum tamen haud recitatum, ne antepoſitus filio privignus, injuria & invidia animos vulgi turbaret.

monebat, ſimul exceſſiſſe Auguſtum & rerum potiri Neronem fama eadem tulit. Jac. Gronovius.

1 *Tempuſque proſperum ex monitis Chaldæorum adventaret*] Fœdus lapſus, eſt in verbo *adventaret*. Rectius in Budenſi codice legitur, *attemptaret*. Tu ſcribe, *attentaret*. Senſus eſt: Agrippinam novercam Claudii liberos tamdiu attinuiſſe domi, mortemque mariti celaſſe, donec experiretur id tempus, quod Chaldæi ſive magi novis cœptis accommodum proſperumque prædixerant. Neque enim quibuſvis negotiis quævis horæ conveniunt, ſi illorum placitis habenda fides. Porro *attentandi* verbum convenit inſidiantibus. *Rhenanus.* Nullam video cauſſam, cur Rhenanus ſpreverit verbum, *adventaret*, ab antiquioribus libris, ac præcipue à Flor. confirmatum; & ex Budenſi, ut ille ait, Codice, repoſuerit, *attentaret*. Priſcam itaque lectionem reſtitui optimo ſenſu. Exſpectabat, ut Chaldæi ex poſitu ſiderum proſperum imperii initium monerent. At verbum, *attentaret*, vix eſt, ut ad eam ſententiam trahatur, aut Taciti mens ad eum. *Pichena.* Verbum *attentaret* nullo ſenſu capio. Muretus notavit, *adventaret*. Ne id quidem mihi ſatisfacit, niſi legam *adventare*; quod verum omnino puto. Agrippina nempe vulgabat *adventare* proſperum tempus, quod Chaldæi promiſiſſent. An legendum potius *attenderet?* miles ſcilicet. Utrumque veriſimile, neutrum alteri præfero. *Acidalius.*

2 *Tertio ante Idus Octobris*] Caſtigavi ex Flor. ac Ven. *tertium*. Pichena. Sed debebat progredi. Non enim id ſolum beneficium eſt optimi codicis, ſed & ultimam ſyllabam in nomine menſis ita ut exhibeo nunc, expreſſam habet, unde iſtud exemplum merito traho ad alia menſium nomina. Nam & in hoc loco quum vulgo efferant *Octob.* Ryckius promit *Octobres*, & 1. Hiſt. 52. *Decembres.* Jac. Gronovius.

3 *Nero egreditur ad cohortem, quæ more*] Ita caſtigavimus. Ubi prius legebatur, *à cohorte*. Rhenanus.

4 *Ibi monente præfecto, feſtis vocibus exceptus*] Ex Flor. ac Ven. repoſui, *Ibi*. In aliis, *ubi*. Pichena.

5 *Ad exemplum paternæ largitionis*] Promiſit ergo viritim *quinadena ſeſtertia*. ut Suetonius in Claudio expreſſit cap. x. ſive ut Joſephus, *quina millia drachmarum*: quæ ſunt *ſeſtertia vicena*, ſive nobis *quingenti Philippei*. Nam quod olim ex Dione dixi, de centenis nummis: erravi. ea enim donatio à Claudio uſurpata ſingulis deinceps natalibus imperii ſui. *Lipſius.*

C. COR-

C. CORNELII TACITI
AB
EXCESSU DIVI AUGUSTI
ANNALIUM
LIBER TERTIUS-DECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Silanus proconsul Asiæ, veneno necatus, Agrippinæ fraude. item Narcissus ad mortem actus. Claudio funus censorium ductum, & laudatur à Principe. Bona Neronis initia, & multa arbitrio Senatus constituta. Parthi Armeniam adfectant: quibus Domitius Corbulo opponitur. Nero Acten libertam amat, matre fremente. eaque caussa imminutæ maternæ potentiæ. Pallas libertus cura rerum demotus. mox venenum Britannico properatum: & festinum ejus funus Agrippina Neroni offensior, & visa res novas moliri. accusata eo nomine, absolvitur. Neronis luxus & lascivi per noctem discursus. Actum de libertis in servitutem revocandis, sed non peractum. Damnationes aliquot illustrium, itemque à fato mortes: Iterum cum Parthis discordia, super Armenia ad quod bellum prisca severitate & disciplina militem suum Corbulo firmavit. Is Armeniam ingreditur, castella aliquot exscindit, urbem Artaxata capit & incendit: rege Tiridate prœlium aut defensionem nusquam auso. P. Suilius Romæ damnatur, adnitente Seneca. Octavius Sagitta Pontiam tergiversantem de nuptiis, impotentia amoris, ferro transadigit. libertus suum crimen id fatetur, magno exemplo. Poppæam Sabinam amare Nero occipit: deque ingenio & Venere ejus feminæ. Cornelius Sulla Massiliam amovetur, suspectus Principi. Publicanorum iniquitas temperata. In Germania Frisii res movent: & sedes juxta Rhenum conantur figere. frustra. quia pulsi ab Romano equite & disjecti. Eosdem agros mox Ansibarii occupant, sed eodem fato. Hermunduri Cattique inter se bellantur. sed magno prœlio Catti ad exitium pæne gentis cæsi. Gesta hæc annis quattuor.

IMP. CLAUDIO. NERONE. L. ANTISTIO VETERE.
Q. VOLUSIO. P. CORNELIO SCIPIONE.
IMP. CLAUDIO NERONE. II. L. CALPURNIO PISONE.
IMP. CLAUDIO NERONE. III. VALERIO MESSALLA.
} Coss.

Prima

Prima novo principatu mors [1] Junii Silani proconsulis Asiæ, ignaro Nero- I
ne, per dolum Agrippinæ [2] paratur. non quia ingenii violentia [3] exitum irritaverit, segnis & dominationibus aliis fastiditus, adeo ut [4] C. Cæsar *pecudem auream* eum appellare solitus sit: verum Agrippina fratri ejus [5] L. Silano necem molita, ultorem metuebat, crebra vulgi fama, *anteponendum esse vix dum pueritiam egresso Neroni, & imperium per scelus adepto, virum ætate composita, insontem, nobilem, &* quod tunc spectaretur, *è Cæsarum posteris*, quippe & [6] Silanus divi Augusti abnepos erat. hæc caussa necis. ministri fuere [1] P. Ce-

Commentarius.

1 *Junii Silani*] Crebra in historia horum temporum mentio Silanorum, & confusa: quæ, cautio mihi est, ne turbet juventutem. Ea re, non stemma quidem ejus familiæ ponam (arduus ille & fortasse vanus labor:) sed illustrissimos quosque, quo imperatore, quoque exitu fuerint, exsequar, cum temporum nota. Exordio à Tiberio principe: quia quæ supra, nihil ad Spartam meam.

C. Junius. C. F. Silanus. Consul fuit cum P. Cornelio Dolabella anno DCCLXII. sub Augusto; Proconsul Asiæ, sub Tiberio, damnatusque repetundarum & projectus in Cytheram insulam. Tacit. lib. III. Annal.

M. Junius. M. F. Silanus. Consul fuit sub Tiberio, DCCLXXI. Proconsul Africæ fuit, auctore Tacito lib. IV. Histor. *Mox C. Cæsar turbidus animi, ac M. Silanum obtinentem Africam metuens.* Socer fuit Caji Caligulæ, & ab eodem interfectus, Sueton. cap. XII. & XXIII. item Dio.

D. Junius. M. F. Silanus, Marci prioris frater. Is adulter in Julia nepte Augusti, in exsilium ivit; rediitque per gratiam & potentiam M. fratris sui. Fuit posthac in urbe, neque honores adeptus est. Tacit. lib. III. Annal.

Ap. Junius Silanus. Consul fuit sub Tiber. anno DCCLXXX. Consocer Claudii dicitur Suetonio, propter L. Silanum filium ejus Octaviæ sponsum. Proconsul Hispaniæ, & maritus Lepidæ matris Messallinæ. à Claudio, incerto crimine, occisus. Dio LX. Sueton. cap. XXIX. & XXXVII.

Ejus duo filii *L. Silanus*, & *M. Silanus.* Lucius, gener Claudii fuit, Octaviæ sponsus, Agrippinæ artibus ad mortem actus. Marcus consul fuit cum Valerio Asiatico, anno DCCXCIX. in quo error insignis Onufrii, qui Asiatico collegam dat Messallam. quem Dio refutat & Fasti Græci. Proconsul Asiæ fuit, & à Nerone nunc interfectus. De eo Plinius lib. VII. *Divus Augustus, in reliqua exemplorum raritate, neptis suæ nepotem vidit genitum quo excessit anno, M. Silanum: qui cum Asiam obtineret post consulatum* (malim scribi, *proconsulatu*) *Neronis principis successione, veneno ejus sublatus est.* Etsi Plinius scelus hoc Neroni adscribit, quod noster rejicit in matrem.

Fuit & *D. Junius Silanus*, consul anno DCCCVI. *Lipsius.*

2 *Paratur*] Quid si, *patratur?* Melius ut opinor: & puto veram scriptionem. Sed addit, patratum scelus *inscio Nerone*, quod puto verum. Quia *novum imperium inchoantibus utilis clementiæ fama.* Tac. 4. hist. *Aurelius.* Rectius fortasse *patratur.* Freinshemius.

3 *Exitum irritaverit*] Sæpe *exitum* usurpat pro morte. Ut in calce lib. 15. de Nerone: *Quod clam ad omen ac dolum sui exitus verteret.* Ita enim illic legendum putamus. lib. 2. Hist. *Exitu demum Neronis, positis odiis in medium consuluere.* Et paulo post: *Vario super exitus ejus rumore.* Eodem libro: *Sane ante utriusque exitum.* Rhenanus. Lego, *exitium.* hoc convenientius vicinis: *non quia ingenii violentia exitium irritaverit.* Verbum quoque *irritaverit* præfert violentiam. *Aurelius. Exitium* rectius fortasse quam *exitum.* Freinshemius.

4 *C. Cæsar pecudem auream*] Vereor ut scriptori nostro constet ratio. Non enim in hunc M. Silanum expetit Caji dictum: sed in illum alterum, qui ejus socer. Dio clare: Ὁ δὲ πενθερὸς αὐτοῦ Μάρκος Σιλανὸς, ἐπειδὴ βαρὺς αὐτῷ, ὁπότε τῆς ἀρετῆς, καὶ ὑπὸ τῆς συγγενείας ἦν, ἑαυτὸν κατεχρήσατο. ὁ δὲ Γάϊος τότε ἄλλα ἰσχυρῶς προεπηλάκιζε, (καί τοι οὕτω καλῶς περὶ αὐτοῦ φρονῶν, ὥστε καὶ χρυσοῦν αὐτὸν πρόβατον ὀνομάζειν) καὶ ὅπως μηκέτι πρῶτος ἐπιψηφίζηται, *&c.* Cui ut assentiar ætas Silani me inducit. Natus enim est extremo, ut Plinius ait, Augusti anno: à quo ad hunc diem anni dumtaxat quadraginta sunt. Non ergo in ea ætate hic adolescens formidini aut contemtui aliis dominationibus esse potuit, cujus adhuc οὐδ' ἐν λόγῳ. Sed ut in homine Tacitus, sic in dicto aberrat Græcus. Putat enim laudis honorisque fuisse: quod revera probri fuit, & salse jactum in hominem divitem, sed ignavum, hebetem, oviculam meram. *Lipsius.*

5 *L. Silano*] Convenit cum historia: tamen libri scripti, *C. Silano.* Idem.

6 *Silanus D. Augusti abnepos*] Præit ad stemma aliquomodo Plinius, qui eum nepotem scribit Augusti neptis. Atqui Augusto è Julia filia neptes duæ, Julia & Agrippina. E Julia hunc derivo, hoc modo:

[1] P. Celer eques Romanus, & Ælius libertus rei familiari Principis in Asia impositi. [2] ab his proconsuli venenum inter epulas datum est apertius, quam ut fallerent. Nec minus properato Narcissus Claudii libertus, de cujus jurgiis adversus Agrippinam retꞏtuli, aspera custodia, & necessitate extrema, [3] ad mortem agitur; invito principe,
2 cujus abditis adhuc vitiis per avaritiam ac prodigentiam mire congruebat. Ibaturque in cædes, nisi Afranius Burrus, & Annæus Seneca obviam issent. Hi rectores imperatoriæ juventæ, & [4] pari in societate potentiæ concordes, diversa arte ex æquo pollebant: Burrus militaribus curis, & severitate morum; Seneca præceptis eloquentiæ, & comitate honesta. juvantes invicem, quo facilius lubricam principis ætatem, si virtutem aspernaretur, voluptatibus concessis retinerent. Certamen utrique unum erat contra ferociam Agrippinæ, quæ [5] cunctis malæ dominationis cupidinibus flagrans,

IULIA, Aug. F. cui vir M. Agrippa.
IULIA, cui vir L. Æmilius Paulus, Suet. Aug. c. LXIIII.
ÆMILIA LEPIDA proneptis Augusti Suet. cap. XXVI. in Claudio cui vir AP. Junius Silanus claro argumento, quia Suet. eum consocerum Claudii vocat. Postea tamen alteri Lepidæ maritus, quæ mater Messallinæ. Ex Dione.
M. SILANUS, de quo hic.
L. SILANUS Claudii gener.

Stemma hoc satis certum est. Ne fallat te tantum Dio, qui Lepidam matrem Messallinæ, uxorem tribuit Appio: sed sub finem vitæ. At M. ille Silanus Augusti abnepos genitus fuit vivo Augusto. Appium hunc Silanum intellegit Augustus in epistola quadam, vocatque adfinem Claudii ob hoc matrimonium, apud Sueton. Claud. cap. IV. *Curare eum ludis Martialibus triclinium Sacerdotum non displicet nobis, si est passurus se ab Silano filio homine sibi adfini admoneri, ne quid faciat quod conspici & derideri possit.* Idem.

1 *P. Celerins*] Infra, *P. Celer* dicitur. *P. Celerem ateufante Asia, quia absolvere nequibat Cæsar, traxit senecta, donec mortem obiret. Nam Celer interfecto, ut memoravi, Silano proconsule.* Hic ergo corrige. *Idem.*

P. Celer eques Ro.] Correxi, monente Lipsio. Vulgo, *P. Celerius.* Sic infra eod. lib. *Publium Celerem*, bis eundem appellat. Alius enim P. Celer Vespasiani imperio damnatus fuit. hist. lib. IV. *Pichena.* Quid ergo? an hi duo sic leviter possunt fastidire literas tres *ius*, quas ex libris MSS. patet per tot sæcula fuisse lectas? Id nequaquam generosum: & fuit aliqua offensio, unde in hanc scripturam venerunt. Eam licet inquirere. Forsan auctor edidit *P. Celer inops eques Rom.* Talem enim videtur describere, qui liberto in tam fœda re velit esse socius, dum inde lucraretur, quod credibile est fecisse. Idem probat peculatus crimen, quo Asia eum accusavit. Hæc duo flagitia detegunt hominem inopia audacem, ut dicit 14, 57. Sic *modicis equitibus Romanis* 1, 73. Jac. Gronovius.

2 *Ab his proconsule*] Sic Flor. Vulgo, *ab iis.* Idem.

3 *Ad mortem agitur*] Videtur legendum, *adigitur.* Ursinus. Muretus, *adigitur.* Quasi non idem alterum sit. *Acidalius.*

4 *Pari in societate pot.*] Si quid mutandum, legam: *paris in societate potentia.* Sed vix opus, etsi alii conantur. *Lipsius.*

Pari in societate potentiaque concordes] Castigavimus, *pari in societate potentia concordes.* Expone: *pari potentia, in societate.* Rhenanus. *Pari in societate potentia concordes*, id est, in pari societate potentiæ. transpositione Tacito usitata. Flor. corrupte: *& parum in societate potentia & concordes.* Pichena. An adeo necessarium est illud *pari*, ut brevitatis tantopere studiosus Cornelius id non potuerit hic omittere: Certe *societatis* vocabulum ejus vim sibi includit; quæ nimirum accipit omnes pares aut facit. Neque tamen tentarem hunc locum, nisi moneret Codex Flor. Ita ille, *& parum in societate potentia & concordes.* Unde facile & elegantius, nisi fallor, rescripseris; *& (rarum in societate potentia) concordes.* Boxhornius. Feliciter, ut puto. Sic Tacitus 1. ann. *ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, (rarum etiam inter hostes) legatus Po. Ro. Romanis in castris sanguine suo altaria deum commaculavisset.* Item: *nam (rarum illi cælo) siccitate & amnibus modicis inoffensum iter properaverat.* Lib. 6. *Per idem tempus L. Piso pontifex (rarum in tanta claritudine) fato obiit.* Gronovius.

5 *Cunctis malæ dominationis cupidinibus flagrans*] Pro genitivo *malæ* reposuimus ablativum *malis.* Conjungit autem nonnunquam duo adjectiva, ut hic, *cunctis malis cupidinib.* Et lib. 16. de Ostorio: *multa militari fama.* Aliis item locis compluribus. *Rhenanus.*

5 *Sed*

grans, habebat in partibus Pallantem; quo auctore Claudius nuptiis incestis, & adoptione exitiosa, semet perverterat. [1] Sed neque Neroni infra servos ingenium; & Pallas tristi arrogantia modum liberti egressus, tædium sui moverat. Propalam tamen omnes in eam honores cumulabantur, [2] signumque more militiæ petenti tribuno dedit, OPTIMÆ MATRIS. Decreti & à senatu [3] *duo lictores*, *flaminium Claudiale*, simul *Claudio censorium funus*, & mox *consecratio*. Die funeris laudationem ejus princeps exorsus est. Dum *antiquitatem generis*, *consulatus*, *ac triumphos majorum* enumerabat, intentus ipse & ceteri: *liberalium* quoque *artium* commemoratio: *&* [4] *nihil regente eo reipublica triste ab externis accidisse*, pronis animis audita: postquam ad *providentiam sapientiamque* flexit, nemo risui temperare, quamquam oratio à Seneca composita, multum cultus præferret: ut fuit [5] illi viro ingenium amœnum, & temporis ejus auribus accommodatum. Adnotabant seniores, [6] quibus otiosum est vetera & præsentia contendere, *primum ex iis*, *qui rerum potiti essent*, *Neronem alienæ facundiæ eguisse*. Nam dictator Cæsar summis oratoribus æmulus: & Augusto prompta ac profluens, [7] quæ deceret principem, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus, [8] aut consulto ambiguus. Etiam [9] C. Cæsaris turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio, quotiens meditata dissereret, elegantiam requireres. Nero puerilibus statim annis, vividum animum in alia detorsit: [10] cælare & pingere, cantus aut regimen equorum exercere:

1 *Sed neque Neroni*] Sed Nero non tam erat natura demissus, ut servos magni faceret: & ille tædium sui moverat. *Ferrettus.*

2 *Signum more militiæ*] Signum sive Tessera semper Tribunis data, etiam rep. antiqua. Livius lib. XXVIII. *Forma tamen Romanorum castrorum constabat, quod Tribunos & jura reddere in principiis sinebant, & signum ab iis petebant, & in stationes ac vigilias ordine ibant.* Dabatur à Consule, Prætore, eove qui exercitui toti præerat. Idem Livius: *In Prætorio tetenderunt Albius & Atrius, classicum apud eos cecinit, signum ab iis petitum est.* At prætorii Tribunus à solo Principe. Ideo supra lib. I. inter signa accepti imperii Tacitus posuit: *Defuncto Augusto signum prætoriis cohortibus, ut Imperator, dederat.* Super hac re plura in Excurs. A. *Lipsius.*

3 *Duo lictores*, *Flaminium Claudiale*] At Liviæ decretus lictor tantum unus, & id ipsum recusante Tiberio. Flaminium Claudiale quomodo ad honestandam facit Agrippinam? Credo ut ipsa Flaminica Claudii esset: exemplo Liviæ quæ Augusti. Nam eam sacerdotem Augusti fuisse docui ad lib. I. velimque addi Paterculi locum, quem viri docti emendare conati frustra, lib. II. *Livia Romanarum eminentissima, quam postea conjugem Augusti vidimus, quam transgressi ad eos sacerdotem ac filiam.* Legunt, *quin transgressa ad eos sacerdotem pene habuit ac flaminem.* quasi ad Liviam ipsam referenda sint, quæ mortua cælesti religione culta per flamines ac sacerdotes. Campas loquuntur & floccos: tu lege mecum, *quam transgressi ad deos.* Livia enim est, Livia, quæ mariti sui in deos relati & sacerdos fuit & filia. Satis dictum supra. *Lipsius.*

4 *Nihil regente eo republica triste ab ext.*] Sed in MS. Mediceo legitur: *nihil regente eo triste reipublicæ ab.* Jac. Gronovius.

5 *Illi viro ingenium amœnum*, *& temporis illius*] An igitur ista repetitio pronominis tantam venustatem præfert, ut debuerit omnibus Taciti editoribus placere, & adeo paucorum verborum caput simul & finem includere indecente prorsus iteratione? Scilicet ut 14, 64. *casus temporum illorum.* Immo etiam licet Beroaldus præsertim ac Pichena scirent viderentque in MS. Mediceo legi *temporis ejus*, id rejicere debuerunt? Non intelligo hanc ingenuitatem. Est istud vulgatum servile & mendax, unde Tacitum sibi restitui, in quo memini antea τὸ *ejus* geminatum defendisse. Sed id fieri non debet, nisi ubi requirit ipse. *Idem.*

6 *Quibus otiosum est*] Vulgo, *quibus otium est.* utrumque recte. tamen antiquiorem lectionem, & Florentini, & aliorum anteposui. *Pichena.*

7 *Qua deceret principem*, *eloquentia fuit*] Legendum forte, *qua deceret.* i. quatenus. *Acidalius.*

8 *Ac consulto ambiguus*] Lectio scripti codicis, *aut consulto ambiguus.* De Tiberio loquitur. *Rhenanus.*

9 *C. Cæsaris*] Qui etiam libros scripsit De arte dicendi, ut vult Suidas: Γάϊος Καῖσαρ ὃς ἐπικληθεὶς Καλλιγόλας ῥητορικὴν τέχνην ἔγραψε Ῥωμαϊκῶς. quem tamen puto ego falli: eosque Germanici fuisse. *Lipsius.*

10 *Cælare & pingere*] Copulativam hanc scito adhiberi ex arbitrio Beroaldi, inde retineri ab omnibus editis, quum absit ab MS. Mediceo & debeat abesse. Ipse Rycquius fatetur 13, 18. in Flor. hoc est, ex schedis meis, haberi, *quod domos*, *villas id temporis quasi prædam divisissent*, sed pertinacem vo-

re: & aliquando carminibus pangendis, inesse sibi elementa doctrinæ ostendebat. 4[1] Ceterum peractis tristitiæ imitamentis, curiam ingressus, & *de auctoritate patrum, & consensu militum* præfatus, *consilia sibi & exempla* [2] *capessendi egregie imperii* memoravit; *nec juventam armis civilibus, aut domesticis discordiis imbutam: nulla odia, nullas injurias, nec cupidinem ultionis afferre.* Tum *formam futuri principatus* præscripsit, ea maxime declinans, quorum recens flagrabat invidia. *Non enim se negotiorum omnium judicem fore, ut clausis unam intra domum accusatoribus & reis, paucorum potentia grassaretur. Nihil in penatibus suis venale; aut ambitioni pervium: discretam domum & rempublicam. Teneret antiqua munia senatus,* [3] *Consulum tribunalibus Italia, &* [4] *publica provinciæ assisterent.* [5] *Illi patrum aditum praberent: se mandatis exercitibus consulturum.*

luisse edere cum prioribus *domos villasque.* Quod cui placebit, perinde scilicet ac in eadem nota bis citat *ad id temporis,* quum præpositionis nulla ibi fit mentio, nulla ratio. Etiam paulo ante ibi exaratum est *quotiens meditata differerentur,* quod cur mutatur? *Jac. Gronovius.*

1 *Ceterum peractis tristitiæ imitamentis Curiam ingressus*] Quid sibi velit Tacitus inquiens Neronem Curiam ingressum *peractis tristitiæ imitamentis,* haud facile est conjicere, si *tristitiam* in propria & communissima significatione acceperimus: at non ita, si *tristitia* vocem aliter interpretemur, cui rei potissimum ex Cicerone lucem afferimus. nam illi *tristitia* aliquando severitas, seu gravitas dicitur: item *triste,* grave & severum est. Sic lib. de Arusp. respons. *Tristitia autem, & in omni re severitas absit;* & lib. de Clar. Orat. *Triste & severum dicendi genus.* Iterum lib. de Orat. *Severus ac tristis vultus.* Et lib. de Republ. *Qui numeros optimatum & principum optulit his vocibus, & gravitatis sua liquit illum tristem, & plenum gravitatis sonum.* Dum itaque Nero primis annis sub matris Agrippinæ præceptis, Burrhi & Senecæ disciplina vitam duxit, intra tristitiæ imitamenta, (nam non sua sponte, & ingenio) decus Imperatorium severitatem nempe & gravitatem servabat, sed juxta indita & præcepta ab his, qui illius curæ præerant; ideo non proprie severitas & gravitas illi inerant, sed simulatæ & tanquam ex imitatione moderatoribus inditæ & præceptæ. *Marcellus Donatus.* Non cepit ista Donatus, qui vult tristem fuisse Neronem, quamdiu sub pædagogo, &c. Imo indicat auctor, intrasse curiam, cum aliquandiu ante publico abstinuisset, quasi ob gravem luctum: qui risus potius fuerat, aut certe gaudium. Sic lib. 3. Ann. 5. *Prepositam toro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina, & laudationes & lacrimas, vel doloris imitamenta.* Et lib. 14, 4. *Additurum principem defuncta templum, & aras, & cetera ostentanda pietatis.* Piso apud nostrum lib. 2, 77. *Perisse Germanicum nulli jactantius mœrent, quam qui maxime latantur.* Gruterus. Justinus 12, 3. *Hac quum nuntiata in Parthis Alexandro essent, simulato mœrore, propter Alexandri cognationem, exercitui suo triduum luctum indixit.* Gronovius.

2 *Capessendi egregii imperii*] Melior lectio scripti codicis, *Capessendi egregie imperii.* Rhenanus.

3 *Consulum tribunalibus Italia*] Polybius lib. 6. Ὁμοίως καὶ ὅσα τῶν ἀδικημάτων τῶν κατ᾽ Ἰταλίαν προσδεῖται δημοσίας ἐπισκέψεως, λέγω δὲ, οἷον προδοσίας, συνωμοσίας, φαρμακείας, δολοφονίας, τῇ συγκλήτῳ μέλει περὶ τούτων. πρὸς δὲ τούτοις εἴτις ἰδιώτης ἢ πόλις τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν διαλύσεως ἢ φυλακῆς προσδεῖται, τούτων πάντων ἐπιμελές ἐστι τῇ συγκλήτῳ. Qui locus unicus verbis Taciti est illustrandis. *Gronovius.*

4 *Publica provinciæ*] Spectat ad divisionem Augustæam. Claudius pleraque omnia ad se traxerat: at Nero populi provincias (eæ enim publicæ) earumque controversias solis Consulibus curæ fore: se Cæsarianis provinciis, in quibus exercitus, velle consulere prædixit. *Lipsius.*

Publica provinciæ] Sic dictæ sunt provinciæ, quæ populo Ro. cessissent, quasi populicæ, cum facta est earum divisio inter Augustum & S.P.Q. Romanum. Has vero fuisse didici, quæ sequuntur; Africa, Numidia, Cyrenaica, Asia, Bithynia cum Ponto finitima, Græcia cum Epiro, Dalmatia, Macedonia, Creta, Sicilia, Sardinia, Hispaniæque Bætica. Fuere quoque publicæ factæ, Narbonensis nostra, & Cyprus, pro quibus a populo Cæsar Dalmatiam recepit. *Vertranius.*

5 *Illi patrum aditum*] Non muto. Consules, inquit, præbeant provincialibus aditum Patrum. At hæc oratio Senecæ adeò grata Patribus, ait Xiphilinus, ὥστε καὶ ἐς ἀργυρᾶν στήλην ἐγγραφῆναι, καὶ ἐν ταῖς νέαις τῶν ἀεὶ ὑπάτων ἀρχαῖς ἀναγιγνώσκεσθαι ψηφισθῆναι: *ut in argenteam columnam incisa sit, & Kalendis anni novi cum Consules ineunt, ex decreto deinceps lecta.* Nec novum id Senatus decretum: excipio de argento. Nam & antea semper Principum orationes in æs incisæ, & Kalendis Jan. recitatæ. Morem quem non nimis notum suggerit mihi Dio lib. ultimo: Τότε δὲ λόγους τινὰς ἐν τῇ γερουσίᾳ τοῦ τε Αὐγούστου καὶ τοῦ Τιβερίου κατὰ δόγμα ἀναγιγνωσκομένους, ὥστε καὶ μέχρι τῆς ἑσπέρας τοὺς βουλευτὰς παρατείνεσθαι, ἔπαυσεν, ἀρκοῦν εἶναι φήσας, ἐν ταῖς στήλαις τοὺς ἐγγεγράφθαι. id est; *Cum legerent in Senatu Orationes quasdam Augusti & Tiberii ex decreto, ita ut ad vesperam Senatus detineretur, legentes Claudius inhibuit; sufficere dicens, quod ea in columnis incisa essent.* Lucem hinc do Plinii Pane-

ſulturum. Nec defuit fides. Multaque arbitrio ſenatus conſtituta ſunt; *Ne quis ad cauſſam orandam mercede aut donis emeretur:* [1] *Ne deſignatis quidem quæſtoribus edendi gladiatores neceſſitas eſſet.* Quod quidem adverſante Agrippina, *tamquam acta Claudii ſubverterentur*, obtinuere patres. [2] qui in palatium ob id vocabantur, [3] ut aſtaret abditis

Panegyrico: *Acclamationes noſtras*, inquit, *ne qua interciperet oblivio. P. C. in publica acta mittendas, & incidendas in ære cenſuiſtis. Ante Orationes principum tantum ejuſmodi genere monumentorum mandari æternitati ſolebant: acclamationes quidem noſtræ parietibus Curiæ claudebantur.* Et ab hoc ritu eſt, quod Q. Haterius apud Tacitum lib. III. cenſet *ejus dies Senatuſconſulta aureis litteris in curia figenda.* Ingerunt & Juriſconſulti, apud quos locis aliquot Orationes hæ Principum laudatæ. Sed nec ab alia cauſſa eveniſſe crediderim, quod Claudii oratio Lugduni noſtro ævo reperta in Tabula æris. *Lipſius.*

1 *Edendi gladiatores neceſſitas*] Pertinet ad abolendum Claudii ſcitum, qui, auctore Dolabella, ſanxit *ſpectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum qui Quæſturam adipiſcerentur:* ait Tacitus lib. XI. Ubi ſuſpecta vox, *adipiſcerentur.* Cur enim hic ἐμφατικῶς ſcriptum, *Ne deſignatis quidem:* niſi quia antea ex ea ſanctione, dabant etiam Candidati? Atque ita in Lampridii Alexandro lego: *Quæſtores candidatos* (malim *Quæſtura*) *ex ſua pecunia juſſit munera populo dare, ſed ut poſt Quæſturam Præturam acciperent.* Ceterum hoc Neronis decretum abolevit iterum Domitianus: de quo Suetonius capite IV. *Lipſius.*

Ne deſignatis quidem Quæſtoribus edendi gladiatores] Videtur abundare vox *quidem.* Sunt enim verba Senatus decreti. *Urſinus.* Movet hic emphatica particula *quidem* Lipſium, ut de mendo ſuſpiciat in loco libro XI. verbum *adipiſcerentur: P. Dolabella cenſuit ſpectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum, pecunia eorum, qui quæſturam adipiſcerentur.* Cur enim, inquit, ἐμφατικῶς hic ſcriptum, *Ne deſignatis quidem:* niſi quia antea ea ea ſanctione dabant etiam Candidati? At tu ſcito particulam hanc hinc delendam, quæ iterata ex ſequenti linea: *Quod quidem adverſante Agrippina*, &c. ita totum illud concidit: & Tacitus ſibi non diſſentaneus. Ponit auctor hoc exemplum decretorum Senatus, *Ne deſignatis quæſtoribus edendi gladiatores neceſſitas eſſet:* eadem forma, qua alterum, quod præceſſit, *Ne quis ad cauſam orandam mercede aut donis emeretur.* Acidalius.

2 *Qui in Palatium*] Puto in templum (Vide Sueton. Auguſt. c. 29.) Apollonis Palatini. Supra lib. II. *Quatuor filiis ante limen Curiæ adſtantibus, cum in Palatio Senatus haberetur.* Lipſius.

3 *Abditis à tergo foribus velo diſcreta*] Melius, *obditis.* Intellegit autem vela quæ prætenta foribus: quibus etiam Claudius ſe texit. Sueton. cap. X. *Prorepſit ad ſolarium proximum, interque foribus prætenta vela ſe abdidit.* Et Heliogabalus, narrante Lampridio: *Subito militum ſtrepitu exterritus, in angulum ſe condidit, objectuque veli cubicularis, quod in introitu cubiculi erat, ſe texit.* Julius Pollux deſcribit lib. X. Πρὸ μὲν τοῦ κοιτῶνος ἐπὶ ταῖς θύραις, παραπετασμάτων σοι δεῖ, εἴτε ἁπλοῦν εἴη τὸ παραπέτασμα λινοῦν ἐξ ὀθόνης, εἴτε καὶ πολύχρουν Id velum levabatur, in admiſſionibus. Seneca epiſt. LXXXI. *Non crepuit ſubinde oſtium, non allevabatur velum.* Lampridius in Alexandro: *Salutabatur quaſi unus de Senatoribus, patente velo, admiſſionalibus remotis.* Inde apud JCtos cauſſas cognoſcere levato velo: id eſt palam omnibus admiſſis, l. 5. C. De naufragiis: *De ſubmerſis navibus decernimus ut levato velo iſta cauſſa cognoſcantur.* Ad hæc & talia vela facit lapis vetus Romæ:

TI. CL. THALLVS.
PRÆPOSITVS. VELARIORVM.
DOMVS. AVGVSTIANÆ.

Erant tamen & alia vela in cœnationibus arcendi frigoris, itemque ornatus cauſſa: de quibus Seneca lib. IV. Quæſt. Nat. & Tertullianus de habitu muliebri. *Lipſius.*

Ut aſtaret abditis à tergo foribus] Eapone ita ut aſtaret abditis à tergo foribus, quanquam in ſcripto codice legitur *additis*, tanquam propter ipſam factæ ſint additæque fores. *Rhenanus.* Conjiciebam *obdito à tergo foribus velo diſcreta.* *A tergo* puta ſedentis principis, *diſcreta velo*, quod *obditum* erat foribus, in quibus ſtabat ipſa. *Gronovius.* Id tolerandum non cenſet Cl. Ryckius, ut hoc loco cogitetur Agrippina adſtitiſſe a tergo ſedentis principis; quum velit ſcilicet adſtitiſſe a tergo tapetis foribus prætenti. Et quomodo illic potuit abdita ſtare, quum per fores deberent ſinguli intrare? An poſt ingreſſos ſingulos ſcit ipſe eam cœpiſſe ſtare, ut ſic neſciretur? Immo non dicit Tacitus illam tunc demum adſtare cœpiſſe, quum jam conſiderent omnes; ſed fuiſſe abditas fores, non per velum, ſed quæ vulgo ignorabantur nec aperiebantur ad uſum & ingreſſum aliorum, quam ipſius Principis, uti ſolet id in aulis haberi. Vir doctus in ſua expoſitione nullam rationem habet vocis *abditis.* Clare dicit Tacitus eam adſtitiſſe *abditus à tergo*, haud dubie principis illic præſidentis *foribus*; & quomodo? an ut ſpectari poſſet adſtans: nequaquam, ſed *velo diſcreta.* quatuor autem illa vocabula non debent diſcerpi, ſed ita junctim teneri, ut tergum nequeat pertinere ad velum. Curia Hoſtilia unum modo habuit introitum, unde toties occurrit *veſtibulum curiæ*, ut conſules ad ſedem ſuam ituri præterirent cunctos ſenatores ad mutuam ſalutationem. Unde ut illic conſulum ſellæ non habuerunt a tergo aliam januam, eam Auguſtus ſpeciem & formam retinere voluiſſe videtur in Palatio, ubi ſenatum ſæpe habuit, quum tamen eſſent abditæ fores, &

ditis à tergo foribus velo discreta, [1] quod visum arceret, auditus non adimeret. Quin & legatis Armeniorum, caussam gentis apud Neronem orantibus, [2] escendere suggestum imperatoris, & præsidere simul parabat; nisi ceteris pavore defixis, Seneca admonuisset, *venienti matri occurreret*. Ita specie pietatis, obviam itum dedecori.

6 Fine anni turbidis rumoribus *prorupisse rursum Parthos, & rapi Armeniam* allatum est; *pulso Rhadamisto*, qui sæpe regni ejus potitus, dein profugus, tum quoque bellum deseruerat. Igitur in urbe sermonum avida, *quemadmodum princeps vix septemdecim annos egressus, suscipere eam molem aut propulsare posset? quod subsidium in eo qui à femina regeretur? num prœlia quoque & oppugnationes urbium, & cetera belli per magistros administrari possent*, anquirebant. [3] Contra alii *melius evenisse* disserunt, *quam si invalidus senecta & ignavia Claudius, militia ad labores vocaretur, servilibus jussis obtemperaturus.* [4] *Burrum tamen & Senecam multarum rerum experientia cognitos: & imperatori quantum ad robur deesse? cum octavodecimo ætatis anno Cn. Pompejus, nonodecimo Cæsar Octavianus, civilia bella sustinuerint.* [5] *Pleraque in summa fortuna auspiciis & consiliis, quam telis & manibus geri.* [6] *Daturum plane documentum*, [7] *honestis an secus amicis uteretur*,

quidem a tergo, quod in domibus diceretur posticum. *Jac. Gronovius.*

1 *Aditus non adimeret*] Imo verò adimebat aditus: nec adiri conspicive Agrippina voluit. Scribo, *auditus*. Lipsius.

Quod visum arceret, aditus non adimeret] Lipsius mallet, *auditus*. Forte melius, *auditum*: vel si magis probes, *aditum*; cum præcesserit, *visum*. Pichena. Non dubitavimus in textum recipere certissimam emendationem Lipsii: prius erat *aditus non adimeret*, contra mentem auctoris. *Auditus*, ut *visus* infra 13, 16. *Freinshemius.*

2 *Escendere suggestum*] Probissima vox, & repperi ita in Farnesiano, sicuti paullo post in Vatican. *anquirebant*. Nemo autem tinctus hac meliori literatura, cui non ista hodie nota. *Lipsius.*

Escendere suggestum Imperatoris] Verbum *escendere*, à Lipsio ex Farnesiano Codice restitutum, à Flor. confirmatur. sicuti paulo post, *anquirebant*. Vulgo, *ascendere*, & *inquirebant*. Pichena.

3 *Contra alii melius evenisse dixerunt*] Videtur abundare verbum *dixerunt*, legendumque, *Contra alii melius evenisse, quam si invalidus senecta, & ignavia Claudius*, &c. potest enim videri illud, *dixerant*, adjectum esse. *Ursinus.* Malui, *disserunt*, ut vulgati. Sic lib. 12. *plures tuta disserunt*. lib. 14. *& morte ejus accensum populi favorem disserunt*. Pichena.

4 *Burrhum tamen & Senecam multarum rerum experientia cognitos, & imperatori*] Legam levi trajectione, *Burrhum & Senecam m. r. exp. cognitos: & tamen imperatori*, &c. Acidalius.

5 *Pluraque in summa fortuna auspiciis & consiliis, quam telis & manibus geri*] Scribendum, *pleraque*. Ecliptica oratio est. nam adverbium *magis* aut *potius* subauditur. Hoc loquendi genere sæpenumero Tacitus utitur. lib. 14. *Denique rebus conducat, libens quam coactus acciret dominam*. lib. 3. Hist. de Flavianis, *Ne suas quidem legiones opperiebantur, ut prædæ quam periculorum socias*. lib. 4. Hist. de rege Ptolemæo; *Ubi securitas rediit, voluptatum quam religionum appetens*. In libello de Germanis: *Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur*. Rhenanus. Magis placet, *pluraque*, &c. & ita aptius ad sententiam. *Ursinus.* Satis placet, quod Rhenanus. Magnam ait partem res etiam à Principe in bello gerendas ejus esse indolis, uti melius per legatos sive ministros & mandata quam per ipsum præsentem armatum & concursantem vel satagentem, expediantur & transigantur. Suetonius Octav. 21. *Domuit autem partim ductu, partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam, Aquitaniam*, &c. *Auspiciis suis*, id est per legatos suos, ubi ipse non intervenit, nec præsens fuit. *Gronovius.*

6 *Daturum plane documentum*] *Datum*, habet exemplar Budense; quasi dicas objectum documentum sive oblatum experimentum, per illud bellum quod tum instabat. Sed magis quadrat, *daturum*. Rhenanus.

7 *Honestis an secus amicis uteretur, si ducem*] Castigavimus, *& si ducem*, subauditur, *daturum documentum*. Rhenanus. Sensus non constans sibi. Quomodo enim hinc, si egregium ducem amota invidia, non pecuniosum & gratia subnixum per ambitum, deligeret Nero, documentum ipsis, honestis an aliis amicis uteretur? Consequens sane id non videtur. Nec adeo particulæ illæ optime hærent, *si*, *quam si*. Melius erat posterius *si* omitti, ut *potius*, vel *magis* Taciti more subintelligeretur. Sed Muretus bifidam sententiam facit; paullo alia lectione: *honestis an secus amicis uteretur, & si* (ita etiam in aliis libris) *ducem amota invidia egregium, an pecuniosum & gratia subnixum per ambitum deligeret*. Scilicet usum rariorem particulæ *si* pro *an* occasionem interpolandi dedisse. Quamquam ego profecto id ipsum *si* nolim hic agnoscere. Cur enim non addidit etiam præcedentibus sic, *si honestis an secus amicis uteretur*. Deleverim igitur etiam ipsum, ut plane concinna sit oratio in hunc modum:

retur, si ducem amota invidia egregium, quam si pecuniosum & gratia subnixum per ambitum deligeret. Hæc atque talia vulgantibus, Nero & *juventutem proximas per provincias quæsitam* [1] *supplendis Orientis legionibus admovere, legionesque ipsas propius Armeniam collocari* jubet: *duosque veteres reges* [2] *Agrippam, Antiochum expedire copias, quis Parthorum fines ultro intrarent:* [3] *simul pontes per amnem Euphraten jungi.* [4] *Et minorem Armeniam Aristobulo, regionem* [5] *Sophenen Sohemo cum insignibus regiis mandat.* Exortusque in tempore æmulus Vologeso, filius Vardanes. & abscessere Armenia Parthi, tamquam differrent bellum. Sed apud Senatum omnia in majus celebrata sunt, sen- 8
tentiis eorum, qui *supplicationes & diebus supplicationum vestem principi triumphalem, utque ovans urbem iniret, effigiesque ejus pari magnitudine ac Martis Ultoris, eodem in templo* censuere: præter suetam adulationem læti, quod Domitium Corbulonem retinendæ Armeniæ præposuerat. videbaturque locus virtutibus patefactus. Copiæ Orientis ita dividuntur, ut pars auxiliarium cum duabus legionibus apud provinciam Syriam & legatum ejus [6] Quadratum Umidium remaneret; par civium sociorumque numerus Corbuloni esset, [7] additis cohortibus alisque, quæ apud Cappadociam hiemabant: socii reges prout bello conduceret, parere jussi. Sed studia eorum in Corbulonem promptiora erant. qui ut famæ inserviret, quæ in novis cœptis validissima est, itinere propere confecto, [8] apud Ægeas civitatem Ciliciæ obvium Quadratum habuit, illuc

dum: *honestis an secus amicis uteretur* (& quod in aliis libris, possis hic si velis retinere) *ducem amota invidia egregiam, an pecuniosum & gratia subnixam per ambitum deligeret.* Ulterius mutare vix mihi quidquam hic permiserim. Venit tamen in mentem commoda etiam alia sententia. quam verba sic concepta elegantissime effecerint: *Modestis an secus amicis uteretur, si ducem aut amota invidia egregium, aut pecuniosum & gratia subnixum per ambitum deligeret.* Acidalius. Non dubito expungendam *si* particulam à quodam phrasis Cornelianæ non admodum gnaro. *Egregiam quam pecuniosum*, hoc est, egregium potius quam pecuniosum. Exempla sunt complura, in quibus potius istud non exprimitur, sed intelligitur: quorum unum tantum alterumque adscribam, assertioni meæ firmandæ. Supra 3, 32. *Nobilitatem sine probro actam honori quam ignominiæ habendam.* 4, 61. *claris majoribus quam vetustis.* Freinshemius.

1 *Supplendis Orientis legionibus admovere*] Legendum puto, *admoveri.* nam sequitur, *collocari.* Pichena. Legam, *admoveri*, ut *collocari.* Acidal.

2 *Agrippam & Jocchum*] Agrippam intellegit Agrippæ filium, cognomento Juniorem: qui Galilææ, Trachonitidis, & partis Judææ rex, de quo Josephus lib. xx. satis. Sed Jocchus iste quis? Utrum *Bocchus* rescribendum? an potius, expleta voce *Antiochus*? Quod verum censeo. Intellegit Antiochum, regem Commagenes & in parte Ciliciæ. de quo Josephus lib. xix. Ἀντίοχος δὲ ὁ ἔχων βασιλείαν ἀφηλόμενος, Κιλικίας μέρει τινὶ, καὶ Κομμαγηνῇ δωρεῖται. Et Dio lib. lx. Confirmat eam scripturam noster infra, qui in auxiliis Corbulonis Antiochum nominat: iteratque hoc mandatum. *Simul*, inquit, *Antiochum regem monet proximas sibi Præfecturas petere.* Vaticano tamen est, *Lochium.* Lipsius.

3 *Simul pontes per amnem Euphratem*] Ita legebat Faernus, non ut est in vulgatis, *per pontem.* Ursinus. An ipsis regibus mandatum, ut pontes jungerent? potius ipsius imperatoris ducibus. nam alias, *jungere*, dixisset, non, *jungi.* Rectius ergo distinxi, *intrarent: simul pontes* &c. Pichena. Muretus *amnem* delet. *Acidalius.*

4 *Minorem Armeniam Aristobulo*] Josephus xx. Τὴν τῆς μικρᾶς Ἀρμενίας προσηγορίαν, Ἀριστόβουλος Ἡρώδου τοῦ Χαλκίδος βασιλέως παῖς, ὑπὸ Νέρωνος ἐγχειρίζεται. & addit, id factum τῷ πρώτῳ τῆς Νέρωνος ἀρχῆς ἔτει, convenienter plane cum Tacito. *Lipsius.*

5 *Sophenem Sohemo*] Nescio an idem sit qui à Cajo constitutus Arabum Ituræorum rex, auctore Dione. Sed apud eum Σοαίμος dicitur: & fortasse ita hic scribendum. *Idem.*

6 *Quadratum Vinidium*] *Numidium*, ut supra. *Idem.* Sed *Umidium* cognosces ex 12, 45. quem locum Lipsius quoque innuit. *Jac. Gronovius.*

7 *Additis cohortibus alisque, quæ apud Cappadociam hiemabant*] Muretus, *cohortibus aliis, q. a. Cap.* &c. Vix abest, opinor, quin vere. *Acidalius.*

8 *Apud Egas*] Libri mei, *Ægeas*, & recte. Id enim Ciliciæ opidum. Strabo: Μετὰ δὲ Μαλλὸν, Αἰγαῖαι πολίχνιον ὕφορμον ἔχον. id est, *Post Mallum Ægæa opidulum, quod stationem navibus habet.* Lipsius.

Apud Ægeas civitatem Ciliciæ] Ita hujus oppidi nomen restituit Lipsius ex libris, & Florentinus concordat. Vulgo, *Egas.* Pichena. Lucanus tamen lib. 3. 227. *& extrema resonant navalibus Ægæ.* Sic enim legendum puto: non *externa.* Stephanus: Αἰγαὶ πολλαί. πόλις Κιλικίας, &c. Plinius lib. 5, 27. oppi-

illuc progressum, ne si ad accipiendas copias Syriam intravisset Corbulo, omnium ora in se verteret, corpore ingens; verbis magnificus, & super experientiam sapien-
9 tiamque, etiam [1] specie inanium validus. Ceterum uterque Vologesen regem nuntiis monebant, *pacem quam bellum mallet, datisque obsidibus, solitam prioribus reverentiam in populum Romanum continuaret.* [2] Et Vologeses quo bellum [3] ex commodo pararet, an ut æmulationis suspectos per nomen obsidum amoveret, tradit nobilissimos ex familia Arsacidarum. Accepitque eos [4] centurio Histejus [5] ab Umidio missus, forte [6] prior ea de caussa adito rege. Quod postquam Corbuloni cognitum est, *ire* præfectum cohortis Arrium Varum, [7] *& reciperare obsides* jubet. Hinc ortum inter

oppidum Æga liberum, amnis Pyramus, Porta Cilicia. Philostratus de vita Apollon. 1, 8. Καλεῖται τῆς ἐν Αἰγαῖς διατριβῆς. Cap. sequenti: Ὁ δὲ ἱερᾶσθαι φιλάττας, οἷς ἐπραττε (ἐν Ταρσοῖς ἄρα ἀγορὰν ἦγεν) ἐξορμήθη ἐς τὰς Αἰγάς. Idem lib. 2. vitarum in Antiocho: Ἀντίοχον τὸν Σεφιρῖν αἱ Κιλίκων Αἰγαὶ ἤνεγκαν. Apud Dionem lib. 47. est: καὶ τοὺς Ταρσίας ἐκείνους προσλαβὼν φρουρός τινας αὐτοῦ ἐν Αἰγαῖς ὄντας εἶχεν. Sed ibi quoque Xylander mavult ἐν Αἰγαῖς. Quare vereor ne & Strabo scripserit: Μετὰ δὲ Μαλλὸν Αἰγαί. Et mox: Μετὰ δὲ Αἰγὰς Ἰσσός. Gronovius.

1 *Specie inanium validus*] Restitui, meo animo, vere. Corbulo, inquit, non solum vera virtute sapientiaque magnus, sed etiam animos allicere peritus specie inanium; id est, gestibus, verbis, habituque externo. At nostri Censores quam hic mente, ut ait ille, extensa? Beatus legit, *spe animam validus* pro animorum, inquit. Vertranius, *spe immanium* scilicet rerum. Cum bona gratia, abite quæso, & cucurbitas pingite. *Lipsius.*

Etiam specie inanium validus] Ante dixit, *Corpore ingens*, quare hic rursum subdit, *etiam specie.* Budense volumen habet, *spe inanium.* Lego, *spe*, aut *spei animum validus.* Hoc enim melius placet, quam *spe immani validus.* Rhenanus. Etiam validus ad spem commovendam inanium rerum, quales sunt apparatus familiares, vestes, equi ornamenta, & cætera, quibus vulgus moveri solet, & quibus species inest magni animi, cum tamen inania sint, & aliena. *Ferretus.* Æmylius exponit pro eo, qui ad spem commovendam, vel rebus inanibus valeret: Beatus legit, *spe animum validus*, pro animorum: ego malim scribi, *spe immanium*, scilicet rerum, *validus.* Vertranius. Male antea, *spe inanium.* Emendavit Lipsius, credo ex libris, nam Ven. haud aliter habet. Flor. *Specie in animum.* Sic de Cæcina lib. 2. hist. *vigere ætatis, proceritate corporis, & quodam inani favore.* Pichena.

2 *Et Vologeses, quo bellum, &c.*] Dedit obsides: vel ut qui tunc erat impar bello, pararet interim nulla molestia, quæ æqualem illum redderent: vel ut amoveret suspectos. *Ferretus.* Faernus legebat: *Et Vologeses quo bellum ex æquo mox appararet.* Ursinus. Lege, *ex commodo pararet*, Hoc vult datos obsides non bona fide. Aut ergo dati ut falleret, & ostensa pace bellum pararet commodo suo, cui tum non satis paratus; aut ut specie obsidium amoliretur, quos suspectos haberet. Nihil certius. *Mercerus.* Corrupte in vulgatis, *ex æquo modo.* Flor. aliquid lucis ad veram lectionem dedit, habens, *ex quo modo.* Restitui ergo *ex commodo*, quod Mercero etiam ac Mureto probatur. Columell. 6, 2. *ideoque robora corporum citra maciem conservant, qui ex commodo, quum quis festinanter mandunt.* Idem 12, 19. *Ut ex commodo mustum ferveat.* Pichena. Lipsius superfluere vocem *modo* censet: Muretus mutat, *ex commodo.* Uter verius, non definio. Sed quæro, quomodo bellum parabat Vologeses, si obsides dabat? Finiebat imo, & pacem jungebat. Legam ego, *quo bellum ex æquo componeret.* Clara & vera sententia. Possis forte etiam scribere, *quo bellum ex æquo patraret:* ac postea si lubeat leviter mutatum τὸ *modo*, sequentibus inserere: *an ut æmulationis suspectos domo amoveret.* Sed quod primum dixi, mihi verum est. *Acidalius.*

3 *Ex æquo modo*] Nisi fallor, τὸ *modo* παρέλκει: aut certe cum Mercero legam, *ex commodo.* Lipsius.

4 *Centurio Hostorius*] Vaticanus codex, *Centurio Histius.* Parum, aut nihil est: tamen infra, post triennium, in his locis *Istius Capito* est, *Castrorum præfectus.* Idem.

Accepitque eos Centurio Histejus] Ita scriptum in Flor. & Vat. Vulgo, *Hostorius.* Pichena.

5 *Ab Vinidio*] Recte Lipsius, *Numidio:* Muret. *Vindicio:* & sic ubicunque id nominis reperitur. *Acidalius.*

6 *Priore de caussa*] Mureto accedo, *prior ea de caussa*, legenti. *Lipsius.*

Forte priore de causa adito rege] Notaverat Muretus, *forte prior ea de caussa*, quod non capio. Sed scribendum videtur, quomodo & ipse fortasse voluit: *Hostorius ab Numidio missus, forte prior, an ea de causa adito rege.* Accepit obsides Hostorius, sive forte fortuna prior in regem inciderat, sive de industria occupaverat. *Acidalius.* Muretus, *forte prior ea de causa, adito rege*, unica tantum litera adjecta, locum apte restituit. male antea, *priore de causa.* Pichena.

7 *Reciperare obsides jubet*] Ita ex Florent. & antiquis

ter præfectum & centurionem jurgium, [1] ne diutius externis spectaculo esset, arbi-
trium rei obsidibus legatisque qui eos ducebant, permissum. Atque illi ob recentem
gloriam, [2] & inclinatione quadam etiam hostium, Corbulonem prætulere. Unde
discordia inter duces: querente Umidio *prærepta quæ suis consiliis patravisset:* testante
contra Corbulone, *non prius conversum regem ad offerendos obsides, quam ipse dux bel-
lo delectus spes ejus ad metum mutaret.* Nero quo componeret diversos, sic evulgari
jussit: *Ob res à Quadrato & Corbulone prospere gestas laurum* [3] *fascibus imperatoriis ad-
di.* Quæ in alios consules egressa, conjunxi. Eodem anno Cæsar *effigiem Cn. Do-* 10
mitio patri, [4] *consularia insignia Asconio Labeoni*, quo tutore usus erat, petivit à se-
natu: sibique *statuas argento vel auro solidas*, adversus offerentes prohibuit. Et quan-
quam censuissent patres, *ut principium anni inciperet mense Decembri*, quo ortus erat
Nero, veterem religionem Kalendarum Januariarum inchoando anno retinuit. [5] Ne-
que recepti sunt inter reos Carinas Celer senator, servo accusante, [6] aut Julius Den-
sus equester, cui favor in Britannicum crimini dabatur. Claudio Nerone L. An- 11
tistio consulibus cum in [7] acta principum jurarent magistratus, *in sua acta colle-
gam* quis fere omnibus. Vulgo, *recipere.* Pichena.

1 *Quod ne diutius externis spectaculo esset*] Pronomen *quod*, potest abesse. & quidam in exemplari scripto superne adjecerat. tum ponendum punctum post *jurgium*, & subaudiendum verbum, *est.* Rhenanus. Venetus codex addit: *quod ne diutius*, &c. *Pichena.*

2 *Et inclinatione quadam hostium*] Idem Venetus, aliique veteres habent: *& inclinationem quandam.* Pichena. Nullum ista idoneum sensum admittunt. Legam; *inclinatione quadam etiam Hostorii.* Nam in aliis libris non *Hosteius*, sed *Hostorius* hic centurio vocatur. Hoc autem vult: Parthos Corbulonem prætulisse, partim ob recentem ejus gloriam, partim, quod, pacis concordiæque causa, aliquatenus eo inclinare ipsum Hostorium, à Vinidio missum, observarent. *Boxhornius.*

3 *Fascibus Imperatoriis*] De fascibus Imperatorum sive Principum (nec enim alios hic intelleges) docebo juvenes: fors fuit, & quosdam senes. Olim non nisi magistratus populi Romani, aut qui cum imperio in provinciis, fascibus usi. Quid ergo princeps in urbe, si nullum gereret ordinarium magistratum? Nihilo secus fasces duodecim illi. Origo rei ab Augusto; cujus honori Senatus decrevit anno urbis DCCXXXV. uti Consulari potestate semper esset, fascibusque duodecim uteretur. Dio LIV. Ὁ δὲ Αὔγουστος τὴν τῶν ὑπάτων ἐξουσίαν διὰ βίου ἔλαβεν, ὥστε καὶ ταῖς δώδεκα ῥάβδοις ἀεὶ καὶ πανταχοῦ χρῆσθαι, καὶ ἐν μέσῳ τῶν ἀεὶ ὑπατευόντων ἐπὶ τοῦ ἀρχικοῦ δίφρου καθίζεσθαι. Eumque morem tenuerunt Principes secuti: ita ut laurum tamen fascibus non adderent, nisi in victoria: uti hic factum. At statim per adulationem irrupit, ut omnium Principum fasces, & semper laureati essent. eaque nota maxime distinctus à vulgo Princeps. Herodianus de Gordiano lib. VII. Εἵπετο δὲ αὐτῷ πᾶσα ἡ βασιλικὴ πομπή, τῶν μὲν στρατιωτῶν καὶ δορυφόρων προϊόντων. αἵ τε ῥάβδοι ἐδαφνηφόρουν, ὅπερ ἐστὶ σύμβολον ἐς τὸ διαγινώσκεσθαι τὰς βασιλικὰς ἀπὸ τῶν ἰδιωτικῶν. Capitolinus in Maximinis: *Inde Carthaginem venit cum pompa regali, & protectoribus, & fascibus laureatis.* Quando id cœperit, ignoro: paulatim quidem non solum laureati admissi fasces, sed & aurati. Claudianus Panegyrico in VI. consulatum Honorii,

—— agnoscunt rostra curules
Auditas quondam proavis: desuetaque cingit
Regius auratis fora Fascibus Ulpia lictor.

Lipsius.

4 *Consularia insignia*] In MS. Mediceo est *& consularia ins.* quam copulam cur jam exsecratus fuerit Beroaldus, non assequor, idque cum adsensu omnium editorum. *Jac. Gronovius.*

5 *Neque recepti sunt in reos*] Laudabilis foret ardor insignium virorum, qui tam ardenter Tacito adfuerunt, ab Rhenano ad Ryckium, si justam causam haberet. Cur enim illi omnes sic edunt, quum & Beroaldus & Aldus aliter antecesserint, exhibendo scilicet, quod in MS. Mediceo perspicue legitur *inter reos?* Id & ipse & frater meus notavimus ex eodem codice, ut ejus lectionis fuerint omnes bene conscii. Et isti tamen in lib. 3. cap. 70. *Recipi Cæsar inter reos vetuit* edunt nemine dissentiente. Nunc certe suum recepit Tacitus. *Idem.*

6 *Aut Julius Densus equester*] Muretus legit, *eques Rom.* Ego non muto, ut idem sit *equester*, ac equestri ortus loco, vel equestris ordinis. Sic lib. 12. *Nam divus Augustus apud equestres qui Ægypto præsiderent lege agi*, &c. *Pichena.* Insolens additio hæc *equester.* Recte opinor Muret. *eques R.* id est, eques Romanus. *Acidalius.*

7 *Acta principum*] Non ut receptum, *principis.* Jurabant enim in acta non unius qui imperitabat, sed & priorum. Dicam multa ad lib. XVI. *Lipsius.*

In acta principis jurarent magistratus] Juratum in verba, juratum in acta reperias, eodem duplici ten-

gam Antistium jurare prohibuit: magnis patrum laudibus, ut juvenilis animus levium
quoque rerum gloria sublatus, majores continuaret. Secutaque lenitas in [1] Plautium
Lateranum, quem ob adulterium Messallinæ [2] ordine remotum, reddidit senatui,
clementiam suam obstringens crebris orationibus, quas Seneca, testificando quam ho-
12 nesta præciperet, [3] vel jactandi ingenii, voce principis vulgabat. Ceterum infracta
paulatim potentia matris, delapso Nerone in amorem libertæ, [4] cui vocabulum *Acte*
fuit: simul assumptis in conscientiam Othone & Claudio Senecione adolescentulis
decoris, quorum Otho familia consulari, Senecio liberto Cæsaris patre genitus,
[5] ignara matre, dein frustra obnitente, [6] penitus irrepserant per luxum & ambigua
secreta, [7] ne severioribus quidem principis amicis adversantibus, muliercula nulla cu-
jusquam injuria cupidines principis explente: quando uxore ab Octavia [8] nobili
quidem, & probitatis spectatæ, fato quodam, an quia prævalent illicita, abhorre-
bat: metuebaturque ne in stupra feminarum illustrium prorumperet, si illa libidi-
13 ne prohiberetur. Sed Agrippina *libertam æmulam*, [9] *nurum ancillam*, aliaque eun-
dem in modum muliebriter fremere. Neque pœnitentiam filii, aut satietatem oppe-
riri: quantoque fœdiora exprobrabat, acrius accendere. donec vi amoris subactus,
exueret obsequium in matrem, [10] Senecæque permitteret. Ex cujus familiaribus.
[1] An-

tendente via, ad imperium scilicet constituendum. In verba vel nomen imperatoris milites jurejurando adacti sunt, quo illius partes sequerentur, cui se religione jusjurandi addicerent: qua de re memorabile est ex Histor. lib. 1. *projectis Galbæ imaginibus, in S. P. Q. Romani verba jurasse milites. In acta jurare*, fuit se principis placita servaturos obligare. Id mortuo principi tributum honoris causa legas, si maneret illius sacrosancta recordatio: negatum vero fuit illi, cujus acta rescindi vellent. Sic namque Dio lib. 59. scribit: *M. Aquilius Julianus, P. Nonius Asprenas Coss. in acta Tiberii non juravere: quare irrita habita sunt, neque ea ullus imperator recenset, cum in sua acta juratur. Verum de Augusto Cajoque reliqua pro more facta, juratumque ab omnibus*, &c. Dixerat autem Tiberius: *exempli causa cavendum, ne se senatus in cujusquam acta obligaret, qui aliquo casu mutari posset.* Nihilominus invaluit, ut in novi principis acta juraretur. Sic supra lib. 2. juratum in acta Tiberii, apud Dionem juratum in acta Caligulæ, hoc loco juratum in acta Neronis. *Vertranius.*

1 *Plautum Lateranum*] Supra lib. xi. *Lipsius.*

2 *Ordine remotum*] Nimio mavolo simplex, *motum*. Acidalius. Suetonius Vitellio 2. *Quintus caruit ordine, cum auctore Tiberio secerni minus idoneos senatores removerique placuisset.* Gronovius.

3 *Vel jactandi ingenii*] Contaminarant impuræ manus, *caussa jactandi*. At vox ea eleganter abest Vatic. *Lipsius.*

Causa jactandi ingenii] Addidimus *vel* particulam hic non otiosam, *vel causa jactandi ingenii*. Rhenanus. Vox, *causa*, quæ hic addita fuerat, etiam à Flor. abest. *Pichena.*

4 *Cui vocabulum Acte*] Ex Asia oriunda mulier: cujus genus Nero (ut splendorem ei adstrueret) ad Attalum regem porrigebat. Xiphilinus. *Lipsius.*

5 *Ignara matre, dein frustra obtinente*] Scripsimus, *obnitente*. Rhenanus.

6 *Penitus irrepserat*] Scribe, *irrepserant*, ad Senecionem enim pertinet & Othonem: non ad Acten. *Lipsius.*

Penitus irrepserant per luxum & ambigua secreta] Monente Lipsio, scripsi, *irrepserant*, non ut vulgo, *irrepserat*. de duobus enim sermo, Othone ac Senecione. *Pichena.*

7 *Ne severioribus quidem*] Libri scripti, *senioribus*. Lipsius.

Ne severioribus quidem] Florentinus: *ne senioribus quidem*. quod vulgatæ lectioni non antefero. *Pichena.*

8 *Nobili quidem & probitatis spectata*] Magis placeret *nobili quamquam, & probitatis* &c. *Ursinus.*

9 *Nurum ancillam*] Quam *libertam* prius nominaverat: Sic sæpe apud auctores. *Sallustius. Tarrula Scyrroque pessimis servorum divitiæ partæ sunt.* Licet non servi, sed liberti essent. *Aurelius.*

10 *Senecæque permitteret*] Hærere me jubent libri. Nam Farnes. *seque neci permitteret*. Vatic. *seque permitteret*. addito superius, *neci*. E quibus, *seque Seneca*, occurrebat: nisi aliud latet. Tamen de Seneca fuisse, verba subsita statim dicunt. *Lipsius.*

Senecaque permitteret] Malim, *se Senecaque permitteret*. Rhenanus. Addenda videtur dictio, *se*, legendumque, *Senecaque se permitteret*. Ursinus. Doctiss. vir suæ tantum hæsitationis nos participes facit: mihi autem verba, & sententia in aperto sunt. Nero amoris vi matri jam minus minusque obtemperabat, quæ eum ab Acte distrahere contendebat, & se regendum Senecæ tradit, qui ejusmodi anio-

[1] Annæus Serenus, ſimulatione amoris adverſus eandem libertam, primas adoleſcentis cupidines velaverat, præbueratque nomen, ut quæ princeps furtim mulierculæ tribuebat, ille palam largiretur. Tum Agrippina verſis artibus, per blandimenta juvenem aggredi, [2] *ſuum potius cubiculum ac ſinum* offerre *contegendis qua prima ætas, &* [3] *ſumma*

amoribus non erat adverſus : *ne ſeverioribus quidem principis amicis adverſantibus, muliercula nulla cujuſquam injuria cupidines principis explente.* Inmo ad eam rem miniſtros ſuggerebat : *ex cujus familiaribus Annæus Serenus ſimulatione amoris adverſus eandem libertam primas adoleſcentis cupidines velaverat.* τὸ *Senecaque permitteret*, ut illud : Terent. Adelph. *pater tibi permittimus, Plus ſcis facto opus eſt.* utque Plaut. Rud. *equidem ſuadeo ut ad nos abeant potius dum recipis.* Eadem eſt invenire apud Græcos. Thucydides lib. 2. δεδιότες δὲ καὶ περὶ τῇ πάσῃ πόλει, μὴ ἐκείνων ἀποχωρησάντων Ἀθηναῖοι ἐλθόντες σφίσιν οὐκ ἐπιτρέπωσιν i. *Timere quoque toti civitati, ne illis digreſſis venirent Athenienſes, qui ſibi non permitterent.* quæ ſic explet ſcholiaſt. οὐ δώσουσιν ἄδειαν τοῖς Πλαταιεῦσιν ἐμμένειν τοῖς δόξασιν. Idem : καὶ οἱ μὲν Ἕλληνες τεταγμένοι προσῄεσαν, καὶ δι' ὧν φυλακὰς ἔχοντες. ubi ſcholiaſtes ἑαυτοὺς δηλονότι. *Salinerius.* Abſit ut Senecæ ſanctum mihi nomen iſtis immiſceam. Abnuunt quoque libri, quorum Farneſianus, *ſeque neci permitteret.* Vatican. *ſeque permitteret*; ſuperpicto, *neci.* Niſi valde hallucinor debuit ſcribi, *Actæ.* ut eſſet, *ſeque Actæ permitteret.* Tandem, inquit, Nero Agrippinæ matri, cui odioſus ejus amor, obſequium omne negavit, dediditque ſe totum amatæ ſibi Actæ. *Pentanus.* E Farneſiano citat Lipſius: *ſeque neci permitteret.* Vaticanus tantum habet : *ſeque permitteret.* Dubium mihi nullum, quin ſcripſerit Tacitus : *ſeque Senecæ permitteret.* Evincunt illa quæ ſtatim ſequuntur: *Ex cujus familiaribus Annæus Serenus.* Fuit enim is Serenus non tantum familiaris Senecæ, ſed cariſſimus etiam, ut ipſe fatetur Epiſtola 63. ad Lucilium. *Colerus.* Florent. *ſeque nece :* atque in margine, *Seneceque.* nam ſequitur : *ex cujus familiaribus Annæus Serenus*, &c. qui inter primos amicus Senecæ, ut ex ipſius verbis, Epiſt. 64. colligitur. An *ſeque Senecæ*, legendum, quaſi in illum Nero transtulerit obſequium, quod in matrem exuerat? Vix credam? eo enim ingenio, ea jam ætate erat Nero, ut potius imperii potentem, quam obſequii patientem, crediderim, præſertim erga familiares, cum antea neque ipſi matri libenter ſe regi ſineret. Mallem, *Senecaque permitteret.* id eſt, non adverſaretur : ſive Agrippinæ odio ; ſive metu, ne in ſtupra feminarum illuſtrium prorumperet Nero, ſi à muliercula Acte divelleretur, matrique obtemperaret. Sic ſupra : *ne ſeverioribus quidem principis amicis adverſantibus.* quæ verba Senecam ac Burrhum deſignant. Huic ſenſui lucem afferunt verba l. 14, 1. *Hæc atque talia lacrimis & arte adultera penetrantia, nemo prohibebat, cupientibus cunctis infringi matris potentiam.* Pichena. Lipſius hæret : ego indubitanter cum Mureto, *Seque Senecæ permitteret.* Acidalius. Pichena meo judicio ἐπ' αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν τοῦ κάλαμον βάψας, *Senecaque permitteret.* In re ancipiti & dubiæ interpretationis artifici brevitate defungitur, ne in alteramutram partem pronior appareat. Seneca, etſi jam ab initiis imperii Neronis unum cum Burrho certamen habuiſſet adverſus crudelitatem & ſuperbiam Agrippinæ, ſemper tamen in filio aluerat debitam matri pietatem. Et quoties ab ea ſe ille inſolentius aſperiuſque tractatum doleret, quamvis inſtigantibus haud dubie ſtatim aſſentatoribus, non permiſerat eum matri diu iraſci, nedum frenum mordere, ſed gravibus & honeſtis monitis exulceratam mentem ſanaverat. Nunc per ipſius impotentiam eo res erat redacta, & ſic commota ferocia ſævi adoleſcentis, ut neceſſario eſſet ſilendum de matre, aut exſpectandum, ut ipſe cum illa quæreretur foras, qui ſolus aut cum altero illa in aula verum dicebat, & in poſterum & ad hæc mitiganda & omnibus bonis totique reipublicæ fieret inutilis. Ergo *permiſit*, hoc eſt, tacuit, deſiit obniti, & hac parte veri molles auriculas radere, nec retinuit palam reſponſantem, & quæ adhuc clam fecerat, oculis ingerentem. Quod nec laudare voluit Tacitus, & accuſantur fruſtra, quæ cogunt tempora. Ideo ſic tranſmittit. Nam quod ſequitur de Annæo Sereno, non accipiendum, quaſi faverit amori Neronis Seneca contra matris voluntatem ſuæ gratiæ cauſa : ſed quum judicaret hunc ei ludum dandum majoris mali evitandi ergo, eo ipſo, quod comparaverat perſonam, cujus nomine liberalitas Neronis velaretur, fovebat reverentiam matris, & filium retinebat, ut cum aliqua verecundia indulgeret ætati. Sed ſalubre conſilium auſteritas Agrippinæ & æmulatio vana irritum reddidit. *Gronovius.*

1 *Annæus Serenus*] Qui præfectus vigilum Neronis. Plinius l. XXII. *Fungi familias nuper interemere & tota convivia, Annæum Serenum Præfectum Neronis vigilum & Tribunos & Centuriones. Quæ voluptas tanta ancipitis cibi?* De hoc amico ſuo capiendus Seneca, epiſt. LXIII. *Hæc tibi ſcribo, is qui Annæum Serenum cariſſimum mihi tam immodice flevi, ut, quod minime velim, inter exempla ſim eorum quos dolor vicit.* Ei inſcripſit eidem libros ſuos De Tranquillitate, monumentum amoris. *Lipſius.*

2 *Suum potius cubiculum ac ſinum offerre*] Agrippinæ moribus haud alienum erit, inceſtum eam cum filio Nerone jam tum ſecreta mente agitaſſe? at his verbis, *cubiculum ac ſinum*, eamdem vim ineſſe, ut filium ad id ſcelus aperte invitet, mihi certe non ſit veriſimile. Nam initio libri ſequentis, hoc ipſum Cornelius, tanquam novum & immane facinus, ex hiſtoria Cluvii tradit atque execratur.

[1] *summa fortuna expeterent.* Quin & fatebatur *intempestivam severitatem*, & suarum opum quæ haud procul imperatoriis aberant, copias tradebat; ut nimia nuper coërcendo filio, ita rursum intemperanter demissa. Quæ mutatio neque Neronem fefellit, & proximi amicorum metuebant, [2] orabantque *cavere insidias mulieris semper atrocis, tum & falsæ.* Forte illis diebus Cæsar inspecto ornatu, [3] quo principum conjuges ac parentes effulserant, deligit vestem & gemmas, [4] misitque donum matri: nulla parsimonia, cum præcipua & cupita aliis, prior deferret. Sed Agrippina *non his instrui cultus suos, sed ceteris arceri* proclamat, *& dividere filium, quæ cuncta ex ipso*

14 *haberet.* Nec defuere qui in deterius referrent. Et Nero infensus iis quibus superbia muliebris innitebatur, [5] demovet Pallantem cura rerum quis [6] à Claudio impositus, [7] velut arbitrum regni agebat. Ferebaturque digrediente eo, magna prosequentium multitudine, non absurde dixisse; [8] *Ire Pallantem ut ejuraret.* Sane pepigerat Pallas, [9] *ne cujus facti in præteritum interrogaretur*, [10] *paresque rationes cum republica haberet.* Præceps post hæc Agrippina [11] ruere ad terrorem & minas, neque principis auribus abstinere, quo minus testaretur; *adultum jam esse Britannicum, veram dignamque stirpem suscipiendo patris imperio, quod insitus & adoptivus, per injurias matris exerceret. Non abnuere se, quin cuncta infelicis domus mala patefierent, suæ in primis nuptiæ, suum veneficium. Id solum diis & sibi provisum, quod viveret privignus. Ituram cum illo in castra. Audiretur hinc Germanici filia,* [12] *inde debilis rursus Burrhus & exsul*

cratur. Censeo itaqne, Agrippinam, indulgentem jam & intemperanter demissam, simulavisse, libidinibus filii se non quidem adversari; sed imperatori minime decorum esse, hujusmodi mulierculas palam habere: & ideo ad id cubicula latebrasque proprias offerebat. *Pichena.*

1 *Summa ferma expeterent*] Reposuimus, *summa fortuna.* Rhenanus.

2 *Orabantque cavere insidias*] Potius legendum, *caveret.* Rhenanus. Florent. *cavere.* Vulgo, *caveri* Forte melius, *caveret.* Pichena.

3 *Quæ principum conjuges*] Claudianus de nuptiis Honorii:

> ——— *jam munera nuptæ*
> *Preparat, & pulchres, Mariæ sed luce minores,*
> *Eligit ornatus; quicquid venerabilis olim*
> *Livia divorumque nurus gessere superba.*

Aurelius.

4 *Misitque domum matri*] Scribendum, *donum matri.* Rhenanus.

5 *Demovet Pallantem cura rerum*] A rationibus Claudii fuit, ex Sueton. cap. XXVIII. & lapide, in quo sculptum: PALLANS. CÆS. N. SER. ADIUTOR. A. RATIONIBVS. *Lipsius.*

6 *A Claudio impositus*] Pallas Claudii Cæsaris libertus, à rationibus ejus fuit. Ex Sueton. 28. *Vertranius.*

7 *Velut arbitrum regni agebat*] Mirum est, quantum mellis in hac loquutione potuerint gustare viri docti, ut sic continuatis editionibus protulerint, cuum unus Beroaldus dederit clare *arbitrium.* Credas forsan id eis ita placuisse ex altero loco lib. 4. hist. cap. 22. *Proinde perfuga Batavus arbitrum rerum Romanarum ne ageret.* Quomodo sane illic legitur etiam in Beroaldi editione. Atqui scias, qui legis, oportet, utroque loco in MS. Mediceo prorsus exstare *arbitrium.* Cui voci quid adest, propter quod cedere debet masculino? An fortassis quia Livius dixit 24, 45. *Homines in medio ardore belli tanquam in pace libera de quoque arbitria agere.* Etiam mox in eodem MS. legitur *degrediente*, nempe ex Palatio, non *digrediente.* Jac. Gronovius.

8 *Ire Pallantem, ut ejuraret*] Scilicet, rempublicam, quam in manu habebat & in potestate. Quod sit autem acumen istorum verborum, multi dubitant. Et existimo respexisse Neronem ad formulam *ejurandi bonam copiam*, de qua Cicero in familiaribus epistolis ad Pætum: *Tu autem quod mihi bonam copiam ejures, nihil est.* Vocant Jurisconsulti *cedere bonis.* Pallas ergo exibat ejuraturus bonam copiam, & ingentem prosequentium multitudinem immensamque auctoritatem malæ fortunæ, invidisque & malevolis, quasi iniquis creditoribus, relicturus. *Aurelius.*

9 *Ne cuiusque facti in præteritum interrogaretur*] Emendavimus, *ne cujus facti.* alioqui stare poterat *cujusquam facti.* Rhenanus.

10 *Paresque rationes*] Id est, (uti Jurisconsulti loquuntur) ut pariator esset, sive ἰσόψηφος: nec reliqua ulla haberet. Sic parem rationem facere Seneca dixit, lib. II. epist. & lib. VI. De Benef. cap. XL. item Jurisc. l. ult. De doli except. l. XX. De manum. testam. *Lipsius.*

11 *Ruere ad terrorem & minas*] Sic Flor. & veteres editi. recentiores vero, *in terrorem.* Pichena.

12 *Inde vilis rursus Burrhus*] Vatic. *bilil.* Suspicari possis, num *debilis*, legendum. Debilitas enim loco

exſul Seneca, [5] *trunca ſcilicet manu, & profeſſoria lingua, generis humani regimen expoſtu-*

loco probri, quia & ſacris olim arcebantur, & decreto Auguſti etiam Senatu. Sequitur autem de hoc ipſo Burrho, *Trunca ſcilicet manu.* Suſpectum æque, *τὸ rurſus*, quod hic nulli rei. Puto fuiſſe, *rufus:* gloſſema ſcilicet ad cognomen Afranii, Burrhus. Nam Latini Burrhum, rufum dicebant, à Græco. Gloſſæ: *Burrhum. Χυῤῥον, πυῤῥόν.* Vide Feſtum. *Lipſius.*

Inde vilis rurſus Burrhus] *Τὸ rurſus* non eſt inutile, ſi *hinc* & *inde* accipias pro diſpoſitione locorum, unde Agrippina, & Burrhus cum Seneca viciſſim diſceptaturi fuiſſent: id nominis enim ſive *rurſum* idem valet, quod *contra*, ſive *è contrario.* Et hic reſpicit ad ſententiæ diverſitatem. Terent. Eunuch. *Heus tu negato rurſum.* & ibi Donatus. Noſter lib. 1. ann. *neque eminentes virtutes ſectabatur, & rurſum vitia oderat.* Et lib. 4. *ut nimia nuper coërcendo filio, ita rurſum intemperanter demiſſa.* Et lib. 2. hiſt. *rurſus bonis remanere inter legionarios aut alares volentibus permiſſum.* Ad hanc faciem Græci dixere *τὸ ἔμπαλιν.* Poſidipp. lib. 1. Antholog. *αἱ δὲ νεότητες ἄφρονες, αἱ πολιαὶ δ' ἔμπαλιν ἀδρανέες* i. juventutes inſipientes, canicies rurſus debiles. Burrhus autem *vilis* dicitur, propter manum truncam: quod duces invalido corpore militibus contemptui ſint. *Superior exercitus legatum Hordeonium Flaccum ſpernebat, ſenecta ac debilitate pedum invalidum.* Salinerius. Mallem cum Lipſio, *inde debilis.* nam huc inclinat etiam Florent. in quo legitur, *indebilis:* ut librarii error fuerit in geminatione ſyllabæ. *Pichena.* Lipſius: *Inde debilis Burrhus.* Ingenioſe. Nec mirum vitio datam debilitatem ab æmulis Burrho, cum ejuſmodi homines improſperi malique ominis æſtimarentur. Plin. 28, 4. *Simili modo & faſcinationes repercutimus ſiniſtra dextraque claudicatis occurſu.* Agricola qui legit *tunicata manu* nugas vendit. *Colerus.* De hoc loco erudite Lipſius, & veram omnino puto ejus lectionem, quæ & Mureto notata; *inde debilis Burrhus.* Nam vocem *rurſus* quod idem Lipſius mutare voluit, *Rufus*, etſi probabiliter aſtruit, non placet tamen: quia levis nimium alluſio, ad ſignificatum nominis Burrhus, & inconcinna duorum adjectivorum junctio. Quid ergo ea faciendum? delenda. Nam nata ex geminata ſcriptione ipſius nominis *Burrhus.* Ceterum quod in Agricolæ lectionem deinceps inclinat Lipſius, ut pro *trunca manu* ſcribatur *tunicata manu*, ſatis ego mirari nequeo. Convellitur hoc recepto ſuperior emendatio *debilis Burrhus:* quæ ſtabiliri eo debet omnino. Nec ſane moribus & vitæ Burrhi convenit, mollitiam illi & tunicas manicatas objici. quod quare ita Lipſio viſum, pariter miror. Supra longe aliud elogium homini tribuebat Tacitus, initio hujus libri: *Diverſa arte ex æquo pollebant: Burrhus militaribus curis, & ſeveritate morum; Seneca præceptis eloquentiæ, & comitate honeſta.* Et infra de eodem ſæpius. *Acidalius.* Puto legendum: *inde vilis Ruſulus Burrhus.* quod eſſet tribunorum militarium nomen vile. Livius 9. Nam hi non à populo, ſed ab imperatore fiebant; nec ſuffragio, ſed arbitrio: & quia Rutilius Rufus de his legem tulerat; ideo *Ruſuli* appellati ſunt. Et fuere primum creati Q. Servilio L. Genucio ſecundum conſulibus. Vocat autem Burrhum *Ruſulum* per deſpectum. *Aurelius.* Lipſii emendationem Pichenæ & quodammodo Florentino ejus MS. probatam, merito prætulimus vulgatæ lectioni, *inde vilis rurſus Burrhus.* Freinshemius. Pro *rurſus* Lipſio placet *ruſſus*, non male, ſi non tam ad nomen alluditur Burrhi, quam vultus notatur. Sed turbat adhuc vox præcedens, pro qua in Vaticano codice *bibil.* Ego legam *bili rufus.* Ex tali enim corporis concretione talis color. Neque extra rem id objicit Agrippina, cum ad regimen publicum minus apta ſint ejus mixturæ ingenia. *Grotius.* Scribo: *Audiretur hinc Germanici filia; debilis rurſus Burrhus & exſul Seneca.* Nam cum inveniretur *devilis*, ut ſolet his inter ſe literas permutare manus vetuſta, adjecit aliquis *τὸ in*, ut eſſet quod *τῷ hinc* reſponderet. Sed particula *rurſus*, ejus vice fungitur, & eſt idem quod inde vel viciſſim. *Gronovius.*

5 *Trunca ſcilicet manu*] Agricola adnotavit, *tunicata manu.* à ſene, an à libris? Et ſane videtur mollitiam Burrho objectare & tunicas manicatas. *Lipſius.*

Trunca ſcilicet manu] Nonnulli Burrho ea verba applicant, dicentes eum manum truncam habuiſſe, quorum utrumque falſum cenſemus: nam haud veriſimile eſt, virum militaribus artibus clarum, ſub Claudio & Nerone Prætorianis militibus Præfectum fuiſſe, ſi manum obtruncatam habuiſſet, nec Dion, Suetonius, & Tacitus ipſe, qui ſæpe illius meminere, id reticuiſſent. Præterea ex verborum ſerie patet, ea verba Senecæ, cui proximiora ſunt & conjuncta, attribuenda: quem quum nuſquam legamus manu detruncatum, verba hæc non ad literam exponenda. ſed abditiorem ſenſum habere conjiciendum, ita ut Agrippina Burrho viro militari in caſtris apud milites verba facturo, natalium humilitatem ad infringendam illius auctoritatem eſſet objectura, mulier ex adverſo nobiliſſima, & filia Germanici imperatoris exercitibus cariſſimi & amantiſſimi: Senecæ vero ignaviam & ad militaria munia tantam ineptiam, quaſi manum non haberet, & quales ſunt, qui mutilati manibus carent. *Truncum* enim ſemper in malam partem accipi, obſervamus apud Latinos. Sic homo dicitur *truncus*, quod quaſi ſtipes ſtupidus ſit. Cic. in Piſon. *Sed qui tanquam truncus atque ſtipes ſi ſtetiſſet modo, potuiſſet tamen ſuſtinere titulum Conſulatus.* Vocat autem eundem Senecam Agrippina *exulem*, quaſi facinoroſum argueret, ex quo exul factus eſſet, ingratitudinis notam eadem voce inurens, quod ab ipſa redux ab exilio factus, non modo fu-

postulantes. Simul intendere manus; aggerere probra; *consecratum Claudium*, *infernos Silanorum manes* invocare, & [1] *tot irrita facinora.* Turbatus his Nero, & propinquo die, quo quartum decimum ætatis annum Britannicus explebat, volutare secum, modo matris violentiam, modo ipsius indolem, [2] ut quidem experimento nuper cognitam, quo tamen favorem late quæsivisset. Festis Saturno diebus [3] inter alia æqualium ludicra, [4] regnum lusu sortientium, evenerat ea sors Neroni. Igitur ceteris diversa, [5] nec ruborem illatura, [6] ubi Britannico jussit *exsurgeret*, *progressusque in medium*,

rum partium non esset, sed & contra ipsam cum Burrho conspiraret. Quod eidem quoque *Professoriam linguam* exprobrat, expositionem nostram confirmat, quod scilicet manu nihil, parum lingua, licet tamen eloquentiam maxime profiteretur, valeret: siquidem *Professoria lingua* dixit, hoc est, præceptoria & pædagogica. Nisi itaque Senecam manu mutilatum dixerimus, quod nullibi legimus, nec illius vitæ scriptores tradidere, jam dicta expositio erit recipienda; nisi malueris interpretari, *manu trunca*, id est, sine multitudine adhærentium; & amicorum consectantium turba destitutum, in qua Romæ innixa erat Senecæ potentia. *Manus* enim aliquando pro multitudine & copia accipitur. *Marcellus Donatus.* Frustra sudat Marcellus. *Trunca manu* omnino respicit Burrhum, & Professoria lingua Senecam. Nec necessum totam ut manum præcisam habuerit: sufficit digito uno aut altero captum fuisse: idque incommodum accepisse, dum in acie sternit hostem, est verisimile. Ergo id insigne virtutis non magis arcuit eum præfectura prætorii, quam claudicatio ex vulnere Sp. Carvilium dehonestavit, quem mater, quoties gradum faceret, jubebat meminisse bellicæ gloriæ; aut herniæ, quam in equo dies noctesque persedendo nactus erat, M. Servilium pœnituit. *Gronovius.*

1 *Tot irrita facinora*] Vocabulum *irrita* si erat rasum ut nemo sciret, an pro *irrita facinora* legendum foret, *inita facinora*, si modo Latine dicitur *inire facinus.* Rhenanus. Quorsum hæe pertinebunt? nam hic quidem incommode admodum hærent. Nescio si fallor, sed mirum, ni ex superiori illo loco exciderunt: *Non abnuere se, quin cuncta in felicis domus mala patefierent, sua in primis nuptia, suum veneficium. Id solum diis & sibi provisum, quod viveret privignus.* Nam hic ego coner ita inserere: *Sua in primis nuptia, suum veneficium, irrita tot facinora: id solum diis & sibi provisum, quod viveret privignus.* Sed vereor ne audax hoc minus facinus sit. *Acidalius.*

2 *Ut quidem experimente cognitam*] Capio, *ut* tamquam esset *utpote*: & malim tamen rescribere *vili.* Acidalius. Si bene examines hanc lectionem, non te fugiet in ea latens vitium: quo enim illa, quæ sequuntur, *que tamen favorem.* Sensus clamat legendum esse: *modo ipsius indolem levi quidem experimente nuper cognitam, quo tamen favorem late quæsivisset.* Id est, leve id experimentum fuit & ipsa re, & æstimatione Taciti, quippe qui affirmaverit Britannicum hunc *periculis commendatum retinuisse famam* (indolis bonæ) *sine experimento.* supra 12, 26. *Freinshemius.*

3. *Inter alia æqualium ludicra*] Interpretes ad illustrationem loci adferunt, quæ Pollux scribit lib. IX. Βασιλίνδα, inquit, ἵνα ὅταν διακληρωθέντες, ὁ μὲν Βασιλεὺς προστάττῃ τὸ πρακτέον, ὁ δ' ὑπηρέτης ἴσως λαθὼν πανταχόθεν ἀπεκπέσῃ. Magis facit Arriani locus lib. I. Dissertationum Epicteti. Ἐν Σατουρναλίοις λέλογχε Βασιλεύς. Ἔδοξε γὰρ παῖξαι ταύτην τὴν παιδιάν. Προστάσσει, Σὺ πίε, σὺ κέρασον, σὺ ᾆσον, σὺ ἄπελθε, σὺ ἐλθέ. Ὑπακούω, ἵνα μὴ παρ' ἐμὲ λύηται ἡ παιδιά. id est, *Saturnalium diebus rex eligitur, lubet enim ludere hunc lusum. Is imperat, Tu bibe, tu misce, tu expelle, tu abi, tu veni. Pareo, ne mea caussa solvatur ludus.* Et maximè Luciani in Saturnalibus: Ὁρᾷς ἡλίκον τὸ ἀγαθόν, ἴσον καὶ Βασιλέα μόνον ἐφ' ἁπάντων γενέσθαι, τῷ ἀστραγάλῳ κρατήσαντα. Ὡς μήτε ἐπιταχθείης γελοῖα ἐπιτάγματα, καὶ αὐτὸς ἐπιτάττειν ἔχοις, τῷ μὲν αἰσχρόν τι περὶ αὑτοῦ ἀναβοῆσαι, τῷ δὲ γυμνὸν ὀρχήσασθαι, καὶ ἀράμενον τὴν αὐλητρίδα τρὶς τὴν οἰκίαν περιελθεῖν. *Vides* (inquit apud Græcum Saturnus magnificans suum regnum) *quantum bonum sit regem inter omnes eligi, si viceris talo. Cum neque quisquam tibi ridiculum aliquid imperet, & tu imperare aliis possis: huic, ut turpe aliquid de se ipse vociferetur, illi ut saltet nudus, utque sublata in humeros tibicina ter domum circumeat.* Lipsius.

4 *Regnum lusu sortientium*] Eo ritu, quo regna conviviorum: id est talo. Ex Luciani supra verbis. Florentinus etiam codex: *ludicra R. regnum:* quod valet, *Romanum.* Idem.

Regnum lusu sortientium] Julius Pollux Onomast. nono, lusum quendam describit, qui Βασιλίνδα dicatur, cum ducta sorte aliquis fit rex. & is quidpiam difficile ministro, qui sorte pariter obtigerit, imperat. de hoc intellexisse Tacitum dubio procul existimo; sicut & Trogum in primo. *Alciatus.* Antiquum ergo est, quod quotannis nunc quoque fit mense Januario à nostris: creatur enim Rex, qui aliquid imperet in formam regiæ dominationis, collusoribus. *Ferrettus.* Nescio quid sibi velit Florent. qui addit, *ludicra R. Regnum* &c. *Pichena.*

5 *Nec ruborem illatura*] Hoc tenui, quia vix par sum impotentiæ tanti temporis & tot ingeniorum, a quibus hæc lectio propagata & suscepta est; quum soli Beroaldus & Aldus habeant *allatura*, caste ita efferentes, quod vetustissimus ille Mediceus eis commen-

dium, *cantum aliquem inciperet*, irrisum ex eo sperans pueri sobrios quoque convictus,
nedum temulentos ignorantis; ille constanter [1] exorsus est carmen, quo *evolutum eum*
[2] *sede patria rebusque summis* significabatur. Unde orta miseratio manifestior, quia
dissimulationem nox & lascivia exemerat. Nero intellecta invidia, odium intendit.
Urgentibusque Agrippinæ minis, quia nullum crimen, [3] neque jubere cædem fratris
palam audebat; occulta molitur, [4] *pararique venenum* jubet, ministro [5] Pollione Ju-
lio prætoriæ cohortis tribuno, cujus cura attinebatur damnata veneficii nomine Lo-
custa, multa scelerum fama. Nam ut proximus quisque Britannico, neque fas, ne-
que fidem pensi haberet, [6] olim provisum erat. Primum venenum ab ipsis educa-
toribus accepit, [7] transmisitque exsoluta alvo parum validum, sive temperamentum
inerat, ne statim sæviret. Sed Nero lenti sceleris impatiens, minitari tribuno, ju-
bere *supplicium venefica*, [8] *quod dum rumorem respiciunt*, *dum parant defensiones*, *secu-
ritatem morarentur*. Promittentibus dein *tam præcipitem necem* [9] *quam si ferro urgere-
tur*, cubiculum Cæsaris juxta decoquitur virus, cognitis antea venenis rapidum. Mos 16
habebatur, principum liberos cum ceteris idem ætatis nobilibus [10] sedentes vesci in
aspectu

mendaverat, quod & ipse & pater meus in eo vidimus, Pichena etsi quoque viderit, etsi præeuntem haberet Beroaldum, spernente, nec aliter Ryckio, quum & duos illos bene nosset, ac schedis uteretur meis. *Jac. Gronovius.*

6 *Ubi Britannico jussit*] Lege, *uni Britannico*, & sequentia sic interpunge: *irrisum ex eo sperans pueri sobrios quoque convictus*, *nedum temulentos*, *ignorantis. Ille constanter exorsus est carmen*, *quo evolutum eum sede patria rebusque summis significabatur.* Acidalius.

1 *Exorsus est carmen*] Vetus illud ex Ennio tritum:

O pater, ô patria, ô Priami domus
Septum altisono cardine templum, &c.

Lipsius.

2 *Sede patriâ rebusque summis significabatur*] In codice scripto legitur, *sede patria rebus summis.* Rhenanus.

3 *Neque jubere cædem fratris audebat*] Verbum *jubere* palam ab inepto glossographo est. qui phrasin illam apud Tacitum toties frequentatam aut non meminerat, aut non intelligebat. *Acidalius.*

4 *Pararique venenum jubet*] Copulam, *que*, ex Florent. restitui. Nam in vulgatis interciderat. *Pichena.* Et video sic in contextu apud Pichenam legi. Sed mox rejecit copulativam Gruterus & Freinshemius & quæ sequutæ sunt. Prorsus iniquo judicio; quum Tacitus connectat hæc cum præcedentibus, ut innuat sumpto sic per occulta consilio statim ad factum illud fuisse progressum; quod illi videntur negare, qui hæc distrumpunt. Unde restitui & distinxi ex mente auctoris. *Jac. Gronovius.*

5 *Pollione Julio*] Puto eum esse qui postea Præf. prætorio fuit, sub Othone. Vide Plutarch. in Othone, *Lipsius.*

6 *Olim provisum erat*] Scilicet ipsius Agrippinæ artibus, l. 12. *Simul qui centurionum tribunorumque, sortem Britannici miserabantur*, *remoti fictis caussis*, & *alii per speciem honoris*, *etiam libertorum si quis incorrupta fide*, *depellitur.* Pichena.

7 *Transmisitque*] Non supprimo, quod exstat in MS. Mediceo *tramisitque* certe perinde Cornelianum. *Jac. Gronovius.*

8 *Quod rumorem respiciunt*] Hic particulam *dum* inseruimus, & *securitatem* vertimus in *securitate. Quod dum rumorem respiciunt*, *dum parant defensiones*, *securitate morarentur*, id est, ob securitatem. *Rhenanus.*

9 *Quasi ferro urgeretur*] Scripsimus, *quam si ferro urgeretur.* Rhenan.

10 *Sedentes vesci*] Suetonius super eodem ritu; Claudii c. XXXII. *Adhibebat omni cœna & liberos suos cum pueris puellisque nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum sedentes vescerentur.* Idem in Augusto, c. LXIV. de nepotibus ejus: *Neque cœnavit una, nisi in imo lecto adsiderent.* Ubi scripserim, *nisi ut imo.* Ex quibus vides pueros sedisse ad fulcra, pedesque parentum. Sedisse, dico. Spernebant enim etiam tunc accubitum à pueris, à servis: quasi luxuriæ ritum illic ætati ordinive non decorum. De servis, Plautus Sticho: *Potius in subselliis Cynice accipiemur, quam in lecto.* Idem Persa: *Non postulo equidem med in lecto accumbere, Scis tu med esse imi subsellii virum.* Donatus in vita Terentii: *Jussus ante Cæcilio recitare, ad cœnantem cum venisset, quod erat contemptiore vestitu, subsellio juxta lectulum residens legisse dicitur: post paucos vero versus, invitatus ut accumberet, cœnasse una.* Senecam sic accipio De Tranquillit. lib. ss. cap. XV. *Non accipiet sapiens contumeliam, si in convivio regis recumbere infra mensam, vescique cum servis ignominiosa officia sortitis jubebitur.* Qua contumelia à Cajo Pomponius Secundus adfectus: qui cibum cum eo cepit, κατὰ τοῖς ποσὶν αὐτοῦ καθήμενος, ait Dio: scilicet quasi Vejovis illius servus. Nec alio Plutarchus respexit, cum in Convivio suo reliquos quidem accumbentes facit,
at

aſpectu propinquorum, propria & parciore menſa. Illic epulante Britannico, quia cibos potuſque ejus [1] delectus ex miniſtris guſtu explorabat, ne omitteretur inſtitutum, aut utriuſque morte proderetur ſcelus, talis dolus repertus eſt. [2] Innoxia adhuc ac præcalida, & libata guſtu potio traditur Britannico: dein poſtquam fervore aſpernabatur, [3] frigida in aqua affunditur venenum, quod ita cunctos ejus artus pervaſit, ut vox pariter & ſpiritus ejus raperentur. [4] Trepidatum à circumſedentibus, diffugiunt imprudentes. At quibus altior intellectus, reſiſtunt defixi, & Neronem intuentes. Ille ut erat reclinis, & neſcio ſimilis, *ſolitum ita*, ait, *per comitialem morbum*, [5] *quo primum ab infantia afflictaretur Britannicus, & redituros paulatim viſus ſenſuſque.* At Agrippinæ is pavor, ea conſternatio mentis, quamvis vultu premeretur, emicuit; [6] ut perinde ignaram fuiſſe ac Octaviam ſororem Britannici conſtiterit. quippe ſibi ſupremum auxilium ereptum & [7] parricidii exemplum intelligebat. [8] Octavia quoque, quamvis rudibus annis, dolorem, caritatem, omnis affectus abſcon-

at Æſopum qui ſervus, ſedentem in ſubſellio apud Solonem. *Lipſius.* Relinquit hæc Lipſio Freinshemius, ſed notat illum locum Plauti non exſtare in Perſa, ſed in Sticho 3, 2. ad Curtium 8, 6, 5. *Jac. Gronovius.*

1 *Delectus miniſtri guſtu explorabatur*] Ita legendum, deleta dictione *ex*; quam tamen retinebat Daneſius, legebatque *ex miniſtris*, &c. Hic autem miniſter in antiquis inſcriptionibus dicitur, *PRÆGVSTATOR*, ut in hac apud me inſcriptione. *TI. CLAVDIVS. TI. AVG. LIB. ARRIO. CLAVDIANO. SCRIB. LIBEL. TI. CLAVDIVS FLAMMA. CLAVSVS. TI. AVG. PRÆGVSTATOR. FRATRI. PIISS. ET. FIDELISSIMO. FEC.* Urſinus.

2 *Innoxia adhuc ac precalida*] Rettuli ad calidæ potionem in Electis. & velim ei capiti addi Arriani locum lib. 1. c. XIII. Ὅταν δὲ θερμὸν αἰτήσαντός σου μὴ ὑπακούσῃ ὁ παῖς, ἢ ὑπακούσας χλιαρώτερον ἐνέγκῃ, ἢ μηδ' εὑρεθῇ ἐν τῇ οἰκίᾳ, τὸ μὴ χαλεπαίνειν μηδὲ ῥήγνυσθαι, οὐκ ἔστιν ἀρεστὸν τοῖς θεοῖς; qui ſimillimus illi Senecæ, quem adduxi è lib. De Ira. Ceterum ex hac potione guſtaſſe etiam Titus credebatur *Britannicum juxta cubans*, ait Suetonius Titi cap. 11. Miror cur *cubans* ſcripſerit: nam ille verò *ſedit*, ut hic in Tacito, cum Britannico ſcilicet *ſimul, ac paribus diſciplinis, & apud eoſdem magiſtros inſtitutus*, ut ipſe Suetonius ibi ſcripſit. Nec pobabile, in pari ætate, Titum ſupra Dominum honore affectum. Sed exciderit hoc Suetonio, pro vulgato more ſcribenti. *Lipſius.*

3 *Frigida in aqua*] Ita factum & Alexandro, ab eadem cauſſa & cautione. Juſtinus: *In aqua frigida venenum habuerunt, quam prægustata jam potioni ſupermiſerunt.* Eſt error hac in re, opinor, Æliani in Var. Hiſtor. lib. v. qui diſertè vult venenum ei in cibo datum, non potu. Μυρίοι γ' ὦν, inquit, καὶ πιόντες τι κακὸν κατέπιον, ὡς Ἀλέξανδρος, καὶ ἐσθίοντες, ὡς Κλαύδιος ὁ Ῥωμαῖος, καὶ Βρεταννικὸς, ὁ τούτου παῖς. Atqui de potu & Tacitus, & Suetonius, adfirmant. *Lipſius.*

Frigida in aqua infunditur venenum] Emendavimus, *affunditur venenum.* & eſt elegans verbum *affundo*. lib. 5. de Phœnice ave: *Eique vim genitalem affundere.* Lib. 5. Hiſt. *Ubi Moſa fluminis amnem Rhenus Oceano affundit.* Rhenanus. Vett. editi, *infunditur.* Sic lib. 12. in fine: *infuſum delectabili cibo boletorum, venenum.* Sed Flor. *affunditur*, & Tac. lib. 1. *venenum vulneri adfuſum.* Id veneni genus excogitatum videtur, ad exemplum illorum artificum, qui Alexandrum regem Macedonum necaverunt: Curt. lib. 10. *Philippus itaque & Jollas potum Regis prægustare ſoliti, in aqua frigida venenum habentes, eam prægustata potioni Regis ſupermiſerunt.* Iiſdem fere verbis Juſtinus l. 12. *Pichena.*

4 *Trepidatur à circumſedentibus*] Repoſuimus; *Trepidatum à circumſedentib.* ſubauditur *eſt.* Rhenanus.

5 *Quo primum ab infantia afflictaretur Britannicus*] Muretus delet nomen *Britannicus.* & hercle melius eſt hîc ſubintelligi. Ego vero ſcribam etiam, *prima ab infantia.* Sic Ann. 1. *Hunc & prima ab infantia eductum in domo regnatrice.* Acidalius. Vitium ineſſe credo ex compendio ſcripturæ, qualia paſſim compluria. Nam, *primum* iſtud videtur valere *plurimum*, ut ſit: *quo plurimum ab infantia.* Freinshemius.

6 *Ut perinde ignaram fuiſſe ac Octaviam*] Faernus legebat: *ut perinde ignaram fuiſſe atque Octaviam.* Urſinus.

7 *Parricidii exemplum intelligebat*] An eaſdem artes à Nerone relatas in Britannico necando, quas ipſamet in Claudio adhibuerat? Potius crediderim, timuiſſe Agrippinam, ne, ut Britannicum Nero ſuſtulerat, eodem exemplo matrem tolleret. *Pichena.* Prius ne cogitandum quidem, adeo frigidum eſt. Scylla Ovidio lib. 8. *Cives odere merentem, Finitimi exemplum metuunt.* Seneca Troad. *Suique victor operis exemplum horruit, Didicitque Achilles & dea natos mori.* Gronovius.

8 *Octavia quoque*] Scribe, *Octavia.* is pavor videlicet fuit. *Lipſius.*

Octavia quoque, &c.] Non ſequendus Lipſius, *Octavia* ſcribens, & ad ſuperiora illa trahens, *is* ſcilicet

abſcondere didicerat. [1] Ita poſt breve ſilentium, repetita convivii lætitia. [2] Nox 17
eadem necem Britannici & rogum conjunxit, proviſo ante [3] funebri paratu, qui modicus fuit. [4] In campo tamen Martis ſepultus eſt, adeo turbidis imbribus, ut vulgus iram deum portendi crediderit adverſus facinus, [5] cui plerique etiam hominum ignoſcebant, antiquas fratrum diſcordias, & [6] inſociabile regnum exiſtimantes. Tradunt plerique eorum temporum ſcriptores, *crebris ante exitium diebus*, [7] *illuſum iſſe pueritiæ Britannici Neronem*. ut jam non præmatura, neque ſæva mors videri queat, quamvis inter ſacra menſæ, ne tempore quidem ad complexum ſorori dato, ante oculos inimici properata ſit, in illum ſupremum Claudiorum ſanguinem, ſtupro prius quam veneno pollutum. Feſtinationem exſequiarum edicto Cæſar defendit, id à majoribus inſtitutum referens, [8] *ſubtrahere oculis acerba funera*, [9] *neque laudationibus, aut pompa detinere. Ceterum & ſibi amiſſo fratris auxilio, reliquas ſpes in republica ſitas:* [10] *& tanto magis fovendum patribus populoque principem, qui unus ſupereſſet è familia ſummum ad faſtigium genita.* Exin largitione potiſſimos amicorum auxit. Nec defue- 18
runt, qui arguerent [11] viros gravitatem aſſeverantes, *quod* [12] *domos, villas id temporis*

ſcilicet *pavor, ea conſternatio fuit*. Pendent hæc non niſi ex ſe ipſis. & alias tota turbatur orationis concinnitas. *Acidalius.*

1 *Ita poſt breve ſilentium*] Tale Statii 2. Thebaidos 262 *In regem converſi omnes formidine prima: Mox audiſſe negant.* Gronovius.

2 *Nox eadem*] Miror ergo, quomodo vera quæ Græci tradiderunt, Britannici corpus gypſo multo oblitum à Nerone fuiſſe, ne livor appareret è veneno: ſed pluviam coortam eluiſſe gypſum, dum cadaver per forum effertur; omniumque oculis ſcelus ſubjeciſſe. Hæc Zonaras, hæc Dio. Scite, ſed parum vere: ut Taciti quidem narratio eſt. Nam hæc omnia operire nox potuit. *Lipſius.*

3 *Funebri apparatu*] Scripſimus, *paratu*. Rhenanus. Flor. *paratu*. Vulgo, *apparatu*. Pichena.

4 *In campo tamen Martio ſepultus*] Non tamen ibi combuſtus: ſed reliquiæ ejus in urna, illatæ, ut opinor, monumento Auguſti: *Lipſius.*

In campo tamen Martis ſepultus eſt] Scripſi, *Martis* ex Flor. Sic moris Tacito loqui. vulgo; *Martio*. Pichena.

5 *Cui plerique etiam hominum ignoſcebant*] Meo animo non aptus ſenſus è verbo *ignoſcebant*: & ſcripſit haud dubie Tacitus, *ingemiſcebant*. Acidalius. Omnino ignoſcebant, non ingemiſcebant. Philo περὶ πρεσβείας. Ἀποδύντες δὲ οὕτως ἀθρόως ἐνδέδυνται τροπὴν ὁ πρὸ μικροῦ χρηστὸς καὶ φιλάνθρωπος εἶναί τε καὶ κοινωνικὸς νομισθεὶς Γάϊος, ἀπολογίας ἐσκέπτετο, καὶ διαρτυνάμενος εὑρίσκει. ἐπὶ μὲν τῷ ἀνεψιῷ καὶ συγκληρονόμῳ τοιαῦτα φάσκοντες. ἀκοινώνητον ἀρχὴν, θεσμὸς φύσεως ἀκίνητος, ἔτος ἀπαθεῖς ἐμέλλησαν ἂν ὑπ᾽ ἀδυνατωτέρου, προέθηκεν ἰσχυρότερος ὤν. ἄμυνα τοῦτ᾽ ἐστιν, οὐκ ἀνδροφονία. τάχα δὲ καὶ προνοητικῶς ἐπ᾽ ὠφελείᾳ τοῦ σύμπαντος ἀνθρώπων γένους τὸ μειράκιον ἐκποδὼν γεγένηται, τῶν μὲν τούτῳ, τῶν δὲ ἐκείνῳ προσκεκληρωμένων. ἐξ ὧν ταραχαὶ, ἐμφύλιοί τε καὶ ξενικοὶ πόλεμοι συνίστανται. &c. Sic enim legendum, ubi editur: ἐμύνατο, τουτέστιν οὐκ ἀνδροφονία. Gronovius.

6 *Inſociabile regnum exiſtimantes*] Pro *æſtimantes*. Rhenanus. Ex Flor. ſcripſi, *extimantes*. Nam vulgo, *exiſtimantes*. Pichena.

7 *Illuſiſſe*] Priſci aliquot, *illuſum eſſe*. ſcribe, *iſſe*. *Ludere* autem & *illudere*, in re Veneris uſurpant: ſed hoc fere in fœda. Suetonius Tiberii cap. XLV. *Fœminarum capitibus illudere*. Lipſius.

Illuſum eſſe pueritia Britannici Neronem] Correximus, *illuſiſſe pueritia Britannici Neronem*; hoc eſt, intuliſſe ſtuprum: & ſequitur, *ſtupro prius quam veneno pollutum*. Rhenanus. In Flor. & Veneto legitur, *illuſum eſſe pueritia*. quod corruptum cenſeo. *Pichena.* Bonum videri poſſet abſque Florentino; in quo *illuſum eſſe*. forſan fuit *illuſum*; acceſſitque illud *eſſe* à gloſſa; niſi fuerit, *illuſum iſſe*. Gruterus.

8 *Subtrahere oculis acerba funera*] Nota ritum. Acerba enim & immatura funera, quæ intra tirocinii diem, pompa funebri aut laudatione non dignata. Vide me ad Senecæ de Brevit. vitæ cap. ult. *Lipſius.*

9 *Neque laudationibus, aut pompa detinere*] In codice Budenſi legitur additum, *preces effundere*. quam clauſulam opinor ſic emendandam, ut *præceps effundere* legamus, ſubaudiendo *funus è ſandapila*, aut *loculo*, quod alioqui non ſine cæremoniis deponi in rogum ſolebat. *Rhenanus.*

10 *Et tanto magis fovendum*] In cod. Budenſi deeſt *&* particula. Legiturque; *reliquas ſpes in rep. ſitas. Tanto magis fovendum*. Idem.

11 *Viros gravitatem aſſeverantes*] In Senecam & Burrhum criminatio ſpectat. quam diluit tamen leviter ipſe Tacitus, Senecæ ubique volens & amicus: aliter quam ille Bithynus, qui inimicitias cum Seneca indictas exercet, & ex profeſſo. *Lipſius.*

12 *Domos, villas id temporis quaſi prædam div.*] Re ipſa patet, quam ego non diffindam cum Cl. Ryckio bonum ab codice Mediceo laudabiliter præbitum, ſed integrum duplici reſtitutione ornatum,

ris nullam

ris quasi prædam divisissent. Alii necessitatem adhibitam credebant à principe, sceleris sibi conscio, & veniam sperante, si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset. At matris ira nulla munificentia leniri, sed amplecti Octaviam; crebra cum amicis secreta habere; super ingenitam avaritiam, undique pecunias quasi [1] in subsidium corripiens, tribunos & centuriones comiter excipere: nomina & virtutes nobilium, qui etiam tum supererant, in honore habere; quasi quæreret ducem & partes. Cognitum id Neroni, *excubiasque militares*, [2] quæ ut conjugi imperatoris olim, tum & ut matri servabantur, & [3] *Germanos* super eundem honorem custodes additos *digredi* jubet. Ac ne cœtu salutantium frequentaretur, separat domum, matremque
19 transfert in eam quæ Antoniæ fuerat: quotiens ipse illuc ventitaret, septus turba centurionum, & post breve osculum digrediens. Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est, quam fama potentiæ, non sua vi nixæ. Statim relictum Agrippinæ limen. Nemo solari, nemo adire, præter paucas feminas, [4] amore an odio, incertum. Ex quibus erat Junia Silana, quam matrimonio C. Silii à Messallina depulsam,

nullam partem vitiose velim citare, ut in simili asyndeto notavi cap. 3. hujus libri, quum legeretur vulgo *domos villasque id temporis quasi prædas div.* Prius illud *domos*, *villas* habetur quoque in Oxoniensi. Sed & in eodem laudando Mediceo scribitur *nec defuere.* Simile occurrit cap. 48. *Prædam* vindicat ipse auctor 2. hist. 44. *Neque enim civilibus bellis capti in prædam vertuntur.* 3, 40. *Qua seditiosa, & corrumpenda disciplina, mox in prædam vertebat.* Jac. Gronovius.

1 *In subsidium corripiens*] Vel *corripere.* Lipsius.

2 *Quæ ut conjugi Imperatoris soli*] Emendavi verissime: *quæ ut conjugi Imperatoris olim, tum.* Jampridem, inquit, excubiæ Agrippinæ: Claudio quidem vivo, ut conjugi Principis: Nerone imperante, ut matri. *Idem.*

Quo ut conjugi imperatoris soli, tum & ut matri servabantur] Lectio regii codicis: *Quo, ut conjugis imperatoris solitum, ut matri servabantur.* quidam mutarat *ut* in *ita.* Rhenanus. Faernus legebat; *Quæ ut conjugis Imperatoris solitum & matri servabantur.* Ursinus. Nihil Lipsii emendatione verius. corrupte antea, *quæ ut conjugi imperatoris solitum, & ut matri* &c. *Pichena.* Attamen & satis probabile est, quum Cl. Ryckius istud *solitum* tuetur; sed nunquam ostendet in Florentino codice legi copulativam &, quum in eo sit exaratum, *quæ ut conjugi imperatoris solitum, ut matri serv.* Sed iteratur vocabulum *ut.* Quod plenum est fidei. *Jac. Gronovius.*

3 *Germanos super eundem honorem*] Duplex ergo custodia Agrippinæ, uti & Principi ipsi: Prætoriani milites, Germanique. Suetonius cap. XXXIV. *Abductaque militum & Germanorum statione, contubernio quoque ac Palatio expulit.* Jampridem vero Germanis habitus is honos: & ante eos Hispanis. Nam Julius Cæsar Hispanorum cohortem habuerat custodiæ suæ, Sueton. in Jul. cap. LXXXVI. & Calagurritanorum manum Augustus, Sueton. cap. XLIX. Sed ii dimissi: & eorum vicem allecti Germani. Quos ipsos metu aliquo & suspicione ob Vari cladem (Sueton. c. 48.) dimiserat; sed mox, ut opinor, recepit Augustus. Habuit certe eos inter initia Principatus, Tiberius, ex Tacito lib. 1. *Robora Germanorum qui tum custodes Imperatori aderant.* aliique ad Galbam usque, *qui cohortem Germanorum olim à Cæsaribus ad custodiam corporis institutam atque multis experimentis fidelissimam dissolvit.* Sed & post eum iterum recepta, uti clarum ex historia inferiore. Imo & externi reges vitam suam commisere istis. De Herode quidem (apud Joseph. l. XVII.) lego Judææ, habuisse eum in satellitio Germanos. Faveo tibi pugnacissima & fidelissima gens, faveo hanc laudem, quæ tamen propria quodammodo Batavorum. Uti enim hodie Helvetii, sic illi olim eximii viri ad hoc munus. Itaque indiscriminatim modo Batavi ii custodes appellati, modo Germani. Batavos Suet. Cal. cap. XLIII. nominat, Plutarchus in Othone, Dio apertissime lib. LV. Ex cujus verbis etiam disces, Equites peditesque in hac manu fuisse. sicut & in Constitutione Hadriani, inter Vexillationes Palatinas Batavos equites seniores junioresque recensitos reperies. Ad hos non dubie custodes illa Arriani spectant de oblongis gladiis, quorum & nunc Germanæ genti usus, l. IV. Dissertationum: *Δεῖκνυέ μοι τὰς μαχαίρας τῶν δορυφόρων. ἰδὲ, ἡλίκαι εἰσὶ, καὶ πῶς ὀξεῖαι; τί ἂν ποιοῦσιν αἱ μεγάλαι αὗται μάχαιραι καὶ ὀξεῖαι; ἀποκτείνουσι.* id est: *Ostende mihi gladios istos satellitum. Ecce, quam magni quamque acuti! Quid ergo faciunt isti magni gladii & acuti? occidunt.* Reperio & Frisios in hoc numero, vicinos scilicet Batavis ingenio, situque. Lapis Interamnæ: HILARIVS. NERONIS. CÆSARIS. CORPORIS. CVSTOS. NATIONE. FRISO. *Lipsius.*

4 *Amore an odio incertum*] In regio cod. *amore an odio incertas.* Expone, incertas, amore an odio, adirent eam. *Rhenanus.*

1 *Supra*

pulsam, [1] supra rettuli. [2] insignis genere, forma, lascivia, & Agrippinæ diu percara: mox occultis inter eas offensionibus, quia [3] Sextium Africanum nobilem juvenem à nuptiis Silanæ deterruerat Agrippina, *impudicam & vergentem annis* dictitans; non ut Africanum sibi seponeret, sed ne opibus & orbitate Silanæ maritus potiretur. [4] Illa spe ultionis oblata, parat accusatores ex clientibus suis [5] Iturium & Calvisium, non vetera, & sæpius jam [6] audita deferens, *quod Britannici mortem lugeret, aut Octaviæ injurias evulgaret*; sed *destinavisse eam* [7] *Rubellium Plautum, per maternam originem pari ac Nero gradu à divo Augusto, ad res novas extollere*; [8] *conjugioque ejus etiam imperio, rempublicam rursus invadere*. hæc Iturius & Calvisius [9] Atimeto Domitiæ Neronis

1 *Supra rettuli*] Lib. xi. Credo sororem esse Marci Luciique Silanorum. *Lipsius.*

2 *Insignis genere, forma lasciva*] Romana vetus editio, *forma, lascivia.* non displicet. *Lipsius.*

Insignis genere, forma, lascivia] Expressi lectionem Florentini quamvis vulgata, *forma lasciva*, æque proba sit. *Pichena.*

3 *Sextium Africanum*] Scribe, *Sex.* ut prænomen sit. l. XIV. *Census per Gallias à Q. Volusio & Sex. Africano Trebellioque Maximo acti sunt, æmulis inter se per nobilitatem Volusio atque Africano.* Nobilitatem hanc Africani repetendam arbitror à Julo Antonio Marcellæ marito, cui cognomen Africano. Ei filius L. Antonius l. v. supra: & hic, ut opinor, nepos. *Lipsius.*

4 *Illa spe ultionis casu oblata*] Ita legebat Faernus. Non ut est in vulgatis, *ultionis causa.* Ursinus.

5 *Iturium*] Verius, *Titurium*, atque ita scribunt libri veteres infra, XIV. Annali. Simile mendum III. ad Q. Fratrem libro; *Ad Labienum & ad Ligurium litteras dabo.* Malim, *Titurium*, qui in Cæsaris legatis. *Lipsius.*

6 *Audita deferens*] Florentinus, *differens.* Sed nihil muto. *Pichena.*

7 *Rubellium Plautum*] Recte *Plautum.* Noster lib. XIV. *Et omnium ore Rubellius Plautus celebratur, cui nobilitas per matrem ex Julia familia.* Iterum: *Compertoque Plautum & Syllam maxime timeri.* Lib. XVI. *Interfectum esse Rubellium Plautum generum L. Veteris.* Græcique constanter semper, Πλαῦτος. Ubi ergo frons, *Plancus*, aut, *Blandus* substituentium? At enim pater illi fuit Rubellius Blandus. Homo incircumspecte, an nescis plerosque filiorum cognomine à patribus diversos fuisse, hoc ævo? Taciti una aut altera pagina tibi testis. In Juvenali ergo corrige, Sat. VIII.

—— tecum est mihi sermo Rubelli
Plaute, tumes alto Drusorum sanguine.

Suetonius qui A. Plancum quemdam juvenem nominat, non tibi imponet: alius est ab isto, ut dicam lib. XIV. ubi de morte hujus Plauti. Quod ait Tacitus pari eum gradu à Divo Augusto fuisse ac Neronem: id clarum. Rubellius Blandus maritus Juliæ Drusi filiæ fuit. ex iis genitus hic Rubellius Plautus. Tabulam nostram adi. *Lipsius.*

8 *Conjugioque ejus etiam imperio remp. rursus invadere*] Faernus legebat: *Conjugio ejus etiam imperium rursus*, &c. Nec displiceret, si ita legeretur: *Conjugioque petito remp. rursus invadere.* Ursinus. Muretus mutare voluit, *conjugioque ejus etiam petito.* Sed nihil mutandum. *remp. imperio invadere*, clara & elegans locutio. *Acidalius.* Turpe mendum in vulgatis omnibus erat, *etiam imperio remp.* quid enim sibi vult, *invadere remp. imperio?* Nec vitium animadvertissem, nisi mihi Flor. indicasset, in quo legitur; *etiam perio.* unde correxi, *etiam pacto.* Adeoque vera mihi correctio visa est, ut eam textui inseruerim, frequens enim in matrimoniis verbum, *pacisci*, ut notum est. Sic infra eodem lib. *nuptias ejus pactus.* & lib. præced. *pactum inter Claudium & Agrippinam matrimonium.* Pichena. Hoc postremum verum, & nuper Nic. Heinsius assiduus fuit in hoc similiter monstrando. Sed quid boni ita huc ferat particula *etiam*, nec video, nec est certe vel minimum; & utique ordo rerum poscebat, ut deferret prius de conjugio aliquid constitutum esse, tum de extollendo ad res novas, ut summa omnia invaderet consensu. Itaque nec illud firmatum in MSStis libris *etiam*, nec istud incertum *imperium* possunt conduci ad gravitatem Taciti, apud quem nulla vox sine pondere. Quanto autem plura excogitari possint ab ingenio humano, patet apud Ryckium, ubi Heinsius sustinet fidem dare, quasi vel Tacitus vel Agrippina dixissent *imperium* & *rempublicam* pro eodem. At ubi Agrippina ostendit se nosse nomen reipublicæ? Tacitus autem in oratione adoptantis Galbæ adeo clare distinguit illa duo, ut nihil clarius, & quidem ita, ut illa duo nequeant ita concurrere. Unde autem Ryckio ista notitia in Florentino quum legitur *perio*, ibi omissam esse syllabam? Quis illi id dixit? An ineptia illa reliquorum codicum, quos citat vel *MS. Reg.* vel *Meus*; in quibus sicut nihil est nisi mera tricarum fuligo, ita per istud Heinsianum hariolatur omnino vanissime. Prorsus sint illa qualiacunque; duo convenientius multo esse, ut accipiamus munus vetustissimi codicis, unde patet scripsisse Tacitum: *conjugioque ejus clam petito, rempublicam rursus invadere.* Jac. Gronovius.

9 *Atimeto Domitiæ*] Aetas non abnuit, quin sit ille libertus, de quo hodie inscriptio in ædibus Cæsiorum

Neronis amitæ liberto aperiunt. Qui lætus oblatis (quippe inter Agrippinam & Domitiam infensa æmulatio exercebatur) Paridem histrionem libertum & ipsum Domi-
20 tiæ impulit, *ire propere*, *crimenque atrociter deferre*. Provecta nox erat, & Neroni per vinolentiam trahebatur: cum ingreditur Paris, solitus alioquin id temporis [1] luxus principis intendere. Sed tunc compositus ad mæstitiam, expositoque indicii ordine, ita audientem exterret, ut non tantum matrem Plautumque interficere, sed Burrum etiam demovere præfectura destinaret, tamquam Agrippinæ gratia provectum, & vicem reddentem. [2] Fabius Rusticus auctor est, *scriptos esse* [3] *ad Cæcinam Thuscum codicillos mandata ei prætoriarum cohortium cura: sed ope Senecæ dignationem Burro retentam*. [4] Plinius & [5] Cluvius nihil dubitatum de fide præfecti referunt. sane Fabius inclinat ad laudes Senecæ, cujus amicitia floruit. Nos consensum auctorum secuturi,

siorum, ATIMETVS. PAMPHILI. TI. CAESARIS. AVG. L. L. ANTEROTIANVS. cum carmine Romano Græcoque, in mortem HomonϾæ conjugis. E domo enim Pamphili Tiberiani liberti transire ad hanc Domitiam potuit. De eodem fortasse Scribonii Largi locus est, sed vitiatus, cap. CXIX. *Cassii medici*, inquit, *colico bona, multis nota propter effectus, vera hæc est: ut ab ejus servo Atimeto accepi, legato Tiberii Cæsaris*. Quomodo enim servus legatus Cæsaris sit? Scribam, *legato Tiberio Cæsari*. hac mente, ut à Cassio moriente legatum relictus sit Tiberio. *Lipsius*.

1 *Lusus Principis intendere*] Nec male, *luxus*. Lipsius.

Luxus principis intendere] Nos *luxus* mutavimus in *Lusus*. *Intendere* significat hic adjuvare, augereque. *Rhenanus*. Constans hæc librorum veterum lectio. tamen pro, *luxus*, Rhenanus maluit, *Lusus*, quam vocem sustuli, cum ad pueros potius pertineat, quam ad eam ætatem, in qua tum Nero. *Pichena*.

2 *Fabius Rusticus*] Historias eorum temporum scripsit: de quo elogium nostri, in Agricola: *Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi scriptores*. Lipsius.

3 *Ad Cæcinam Thuscum codicillos*] Bene & ad ritum ejus ævi, Codicillos. Nam officia omnia administrationesque dari à Principe moris, in codicillis. Tacitus in Agricola: *Credidere plerique missum è secretioribus ministeriis libertum, codicillos quibus ei Syria dabatur, tulisse*. Sidonius l. I. Epist. *Vacante aula turbataque repub. solus inventus est, qui ad Gallias administrandas fascibus prius quam codicillis ausus accingi*, &c. Ingerit idem non conniventi lectori Suetonius Claud. capite XXIX. *Suppositos, aut etiam palam immutatos datorum officiorum codicillos*. Et Arrian. lib. III. Dissert. Ἀλλὰ καὶ κριτὴς εἶμι τῶν Ἑλλήνων. Οἶδας κρίνειν, τί σε ἐποίησεν εἰδέναι; Καῖσάρ μοι κωδικίλλον ἔγραψε. Γραψάτω σοι ἵνα κρίνῃς περὶ τῶν μουσικῶν, καὶ τί σοι ὄφελος; Zeno Imp. L. I. C. Ut omnes judices: *Aut codicilli alterius administrationis oblati*, & l. XII. C. De Dignitat. *Judices qui se furtis & sceleribus fuerunt maculasse convicti, ablatis codicillorum insignibus & honore exuti*, &c. Lampridium vere interpretemur ex istis, in Alexandro: *Pontificatus & Quindecimviratus & Auguratus codicillares fecit, ita ut in Senatum allegerentur*. Codicillares, id est, tribuit eos ipse per codicillos: cum antea cooptari à collegis, partim à plebe solerent. De hisdem codicillis interpretor Suetonii locum Tib. cap. XLII. *Alteri Syriam provinciam, alteri præfecturam urbis confestim detulit; codicillis quoque jocundissimos & omnium horarum amicos professus*. Cæcina Tuscus quem hic nominat, est ille qui postea præf. Ægypti a Nerone relegatus est. Suet. cap. XXXV. *Tuscum nutricis filium relegavit, quod in procuratione Ægypti balneis in adventum suum exstructis lavisset*. Dionem corrige: Τὶ δὲ ὅτι καὶ Κίνναν Τοῦσκον ὑπερώρισεν ὅτι τῆς Αἰγύπτου ἄρχων ἐλούσατο ἐν τῷ βαλανείῳ ὃ ἐκεῖνος ὡς καὶ εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἥξοντι ἐποιήθη. & scribe, τί δὲ ὅτι Καικίναν. Superfuit tamen Neroni, & nominat iterum noster lib. III. Hist. *Apud Cæcinam Tuscum epulari multos, præcipuum honore Junium Blæsum, nuntiatur*. Lipsius.

4 *Plinius*] In libris Historiarum, quos à fine Aufidii Bassi composuit triginta & unum. ipse in Præfatione ad Titum: *Nos quidem omnes, patrem, te, fratremque diximus opere justo, temporum nostrorum historiam orsi à fine Aufidii Bassi*. Eosdem libros intelligit, II. Histor. nat. capite LXXXIII. *Nec minus mirum ostentum & nostra cognovit ætas, anno Neronis principis supremo, sicut in rebus ejus exposuimus*. Et cap. LIII. *Amnes retro fluere & nostra vidit ætas, Neronis principis supremis, sicut in rebus ejus retulimus*. Credo autem scripsisse Aufidium à bellis civilibus ad res Claudii aut paulum infra. Certe vixit ea ætate, & viri optimi (ita appellat) constantiam in lenta morte Seneca describit epist. XXX. Citantur bina ejus fragmenta in Suasoria pro Cicerone. *Lipsius*.

5 *Cluvius*] Non, *Clivius*. Est Cluvius ille Rufus, vir consularis, qui hujus inferiorisque ætatis historiam scripsit. Plinius lib. VIII. *Ita secum aliquando Cluvium locutum, Scis Virgini, quæ historiæ fides debeatur: proinde, si quid in historiis meis legis aliter ac velles, rogo ignoscas*. Emenda Plutarchum in Othone, apud quem sub initium male Κλαύδιος Ῥοῦφος scriptum & versum. Nominat aliquotiens noster, & Sueton. *Idem*.

1 Qua

ri, [1] quæ diverſa prodiderint, ſub nominibus ipſorum trademus. Nero trepidus, & interficiendæ matris avidus, non prius differri potuit, quam Burrus necem ejus promitteret, ſi facinoris coargueretur: *ſed cuicumque, nedum parenti defenſionem tribuendam. nec accuſatores adeſſe,* [2] *ſed vocem unius ex inimica domo afferri.* [3] *Refutare tenebras, & vigilatam convivio noctem, omniaque temeritati & inſcitiæ propiora.* Sic lenito 21
principis metu, & luce orta, itur ad Agrippinam ut noſceret objecta, diſſolveretque, vel pœnas lueret. Burrus iis mandatis, Seneca coram, fungebatur. aderant & ex libertis, arbitri ſermonis. [4] Deinde à Burro poſtquam crimina & auctores expoſuit, minaciter actum. Agrippina ferociæ memor, *Non miror*, inquit, *Silanam numquam edito partu matrum affectus ignotos habere. Neque enim perinde a parentibus liberi, quam ab impudica adulteri mutantur.* [5] *Nec ſi Iturius & Calviſius adeſis omnibus fortunis, noviſſimam ſuſcipiendæ accuſationis operam* [6] *anui rependunt, ideo aut mihi infamia parricidii, aut Cæſari conſcientia ſubeunda eſt. nam Domitiæ inimicitiis gratias agerem, ſi benevolentia mecum in Neronem meum certaret. Nunc per concubinum Atimetum, & hiſtrionem*

1 *Qua diverſa prodiderint*] In regio Codice legitur, *qui diverſa prodiderint*. Rhenanus.

2 *Sed vocem unius ex inimica domo*] Hæſito num ſcrib. *vocem mimi ex mimica domo.* De Paride enim: & fatalis quidam librariorum in iis vocibus error. *Lipſius.*

Sed vocem unius ex inimica domo afferri] Hariolatur Lipſius, *ſed vocem mimi ex mimica domo.* Meo judicio nihil mutandum. Nam & illud *unius* neceſſarium eſt. opponitur enim *accuſatoribus.* & *inimica* non minus. Fidem enim elevat delationis, quæ ab inimicis. Quod ſi dem tamen, quod non do, pro *unius*, *mimi* debere ſubſtitui: illud plane nego *mimica* poſſe ſcribi. Quid enim? an mimica Domitiæ domus? Ad hanc enim & illa ſuperiora, quæ de illa, reſpicitur: *Quippe inter Agrippinam & Domitiam infenſa æmulatio exercebatur.* Nimis hoc temere Lipſius, & non pro ſueta accuratione. *Acidalius.*

3 *Refutare tenebras*] Hæret ſententia: quam explicari poſſe puto, ſi legas, *Reputaret tenebras.* Lipſius.

Refutare tenebras] Emendet Eruditiſſimus vir, mihi certe placent vulgata, quæ ſic interpretor. Burrhus promiſſa nece Agrippinæ, ſi ea facinoris convinceretur, addit ſibi tamen non placere, quod Nero perpetem noctem pergræcatus, deſubito ſtatueret de parentis morte: liquidius eum de die (poſtquam illam crapulam obdormierit) decernere de hac re poſſe. *Salinerius.* Hærentem ſententiam explicari poſſe Lipſius putat, ſi legatur, *reputaret tenebras.* Sed fortaſſe vulgata lectio quoque defendetur. Nam cum dixiſſet Burrhus, non adeſſe accuſatores ac tantum afferri vocem unius ex inimica domo; ſequitur: quam vocem tenebræ ipſæ refutant; hoc eſt refellenda, & arguenda eſt ea vox à tenebris, atque à nocte in convivio vigilata. *Pichena.* Hæreas, tenebræne illæ & vigilata convivio nox adplicanda Agrippinæ ac Plauto, an vero Silanæ ac familiæ ejus, an denique Neroni. Sane hujus poſtremi commeſſationes exſecutus ſolum Tacitus cap. priore; aliorum nulla mentio eſt. itaque locus mihi non inter firmos. *Gruterus.*

4 *Deinde & à Burrho*] Particulam & ſuſtulimus, ſicut mox. *Et Agrippina*, eadem particula delata ſcripſimus tantum; *Agrippina ferociæ memor.* Rhenanus. Quo reſpicit *Deinde?* an ad *poſtquam?* Nugæ. Tu leg. *Proinde à Burrho.* Hoc dicit, quia Seneca & liberti aderant ſermonis arbitri, ideo minaciter à Burrho actum. *Acidalius.* Quidquid ſit, illud *Et Agrippina*, non temere carpi debet, quum plane ſic legatur in Mediceo, particula illa certe præſentiam fœminæ indicante, qua ſtatim ita vivide potuit ſubnectere in ſingulos ludibria, & ſuam defenſionem. *Jac. Gronovius.*

5 *Nec ſi Iturius & Calviſius*] Videtur ſenſus: Iturius & Calvius, dum contra me accuſationem ſuſcipiunt, noviſſimam quidem operam Silanæ rependunt. Sed ut eorum miniſterium neceſſario adimplatur, non ideo conſequens eſſe debet, ut ego infamiam parricidii in Nerone filio ſubeam, aut ipſe filius conſcientiam maternæ necis. *Pichena.*

6 *Anui rependunt*] Inſidet omnibus fere editionibus mendum typographicum, quod me monitore ſemel tollatur. Legendum enim non *anni*, ſed *anui.* & intelligit Iturium & Calviſium conſumpto patrimonio in colenda Silana, poſtremum modo ipſam captare, impenſa delationis opera. *Gruterus.* Quas ego vidi Lipſii editiones, *anni*, omnes habent: & tamen claro meridie clarius eſt, *anui*, ſcribendum. Silanam dicit, quam paulo ſuperius, *vergentem annis* dixerat. *Acidalius.* Haud dubie *anui* recte legitur: quamquam complures editiones *anni* pro *anui* exhibeant: vetuſtiores tamen noſtram lectionem præferunt. quæ pulchre oſtendit probrum muliebri æmulatione oblique in Silanam ab Agrippina jactum, quo ne antea quidem abſtinuit,

nem Paridem quasi scena fabulas componit. Bajarum suarum [1] *piscinas excolebat, cum meis consiliis adoptio, & proconsulare jus, & designatio consulatus, & cetera* [2] *apiscendo imperio prepararentur.* [3] *Aut existat qui cohortes in urbe tentatas, qui provinciarum fidem labefactatam, denique servos vel libertos ad scelus corruptos arguat.* [4] *Vivere ego Britannico*

vergentem annis dictitans sub. 13, 19. *Freinshemius.*

1 *Piscinas excolebat*] Adeo viros doctos imperavisse sibi spernere antiquam lectionem tam annosi Medicei exemplaris, ut consensu concordi eam prorsus supprimentes nec lucem ferre posse existimarint? ne Pighio quidem aliter loquente in Hercule Prodicio pag. 505. quam *Domitiam Bajarum suarum piscinas excoluisse.* In MS. eo legitur *extollentes*, quod verissimum Taciti esse docet lib. 11, 1. *Hortis inhians, quos ille à Lucullo cœptos insigni magnificentia extollebat.* Exstat idem in Oxoniensi. *Jac. Gronovius.*

2 *Apiscendo imperio*] Sic ex MS. Mediceo in chartulis meis notavi, quod tum acriter mirabar ab Pichena prætermissum, quum sit vere genuinum hujus scriptoris. At Ryckius sic edi ab se testatur ex MS. suo: adeo vides frustra penes eum hæc mea fuisse. Cæterum rependit egregie 15. 43. ubi vulgo lectum fuit *adipiscerentur*, ille citat & edit, *apiscerentur*; & in notis non agnoscit jam suum, tantum notans, *ita habet Flor.* Quam tædiosa hæc sunt si non simplicet & ex vero tractentur? in optimo codice illa syllaba *di* ab nupeto calamo fuit superscripta. *Jac. Gronovius.*

3 *At existat*] Ex *at* fecimus *aut.* Rhenanus. Alias, *ut existat.* Ferrettus. Lego *at* non *aut.* Acidalius.

4 *Vivere ego Britannico*] Lege nota interrogandi, *Vivere e. B. p. r. poteram?* Sequentia scripserim, *remp. judicaturusve obtinuerit.* id est, si Plautus rerum, judiciorumve potiretur. Rodolphus legit, *remp. invasurus.* Lipsius.

Vivere ego Britannico] Sunt sine labe & [illegible] proferuntur. *Vivere ego Britannico potiente rerum poteram, ac si Plautus aut quis alius remp. judicaturus obtinuerit.* In hac delatione objicitur Agrippinæ studium novarum rerum una cum Plauto, callide quoque repetita eadem cum Britannico suspicione, *non vetera & sæpius jam audita deferens, quod Britannici mortem lugeret.* quod nec ipsa dissimulaverat. *id solum diis & sibi provisum, quod viveret privignus: ituram cum illo in castra.* hæc omnia refutat Agrippina ad hunc modum. quid mihi Britannicum Plautumque objicitis? tot sceleribus imperium filio paravi, ut quovis alio imperante nil (nisi pernicies) mihi sit exspectandum; quis enim (præter filium) inultam prætereat me sontem, totque facinoribus infamem? *Judicaturus*, id est, recturus, quia *judicium* apud Latinos aliquando est indicium regiæ potestatis. Plaut. Pseud. Cæ. *misero miser sum Pseudole.* Pseud. *id te Juppiter Prohibessit.* Cæ. *nihil hoc Jovis ad judicium attinet. Sub Veneris regno vapulo, non sub Jovis.* Salinerius. Id est si Neronem filium meis artibus imperatorem non fecissem, ideoque Britannicus rerum potitus foret, ego quidem vivere secure poteram, absque ullius accusationis periculo, quippe tunc innocens. At si Plautum cujus conjugium me petere insimulatis, aut quem alium me judicaturum, ad imperium, exturbato filio, veherem: acrius in me accusatores insurgerent, cum ne nunc quidem desint; ea crimina objicientes, quibus ab imperante alio, præter filium, non absolveret. Talem ex hac Agrippinæ oratione sensum elicuit Franciscus Venturius. Verissimum ni fallor. *Pichena.* Volo cum Lipsio; *vivere Britannico potiente rerum poteram?* Cætera sic lego; *aut si Plautus, aut quis alius remp. invasurus* (indubie verum hoc Rodolphi pro vulgato *judicaturus*, unde in prima edit. Lipsii *vindicaturus*) *obtinuerit: desunt scilicet accusatores, qui mihi non verba* (sic transpono. Vulgo, *desunt scilicet mihi accusatores, qui non verba*) *impatientia* (an forte *impotentia*) *caritatis aliquando incauta, sed ea crimina objiciant, quibus nisi à filio mater absolvi non possim.* Sine interrogatione. Nam ironicus sermo est. *Acidalius.* Primum non est hic ponenda interrogatio post vocem *poteram*, quod Lipsio visum. Non enim quærit, sed plane affirmat, potuisse se vivere & quidem tuto: si Britannicus ad imperium venisset, quippe cum nullorum offensas adhuc in se concitasset. Atque obiter ostendit, quod imperium ad Neronem transtulerit, non sibi se, sed Neroni filio præstitisse. At mox pro *judicaturus* rescribam *judicia dictaturus.* Raro judicabant Principes, præsertim de capite. Sed judicantibus aliis dictabant, id est, præscribebant, sententias. Sensus ergo est. Si Rubellius Plautus aut quis alius, nulla me necessitudine contingens, imperium invadat & cum imperio licentiam judicia pro nutu versandi, clarum est non deesse mihi inimicos, qui parati sint objicere mihi non levia quædam, sed vel atrocissima, qualia apud extraneum, ut formidolosa est summa potestas, fidem possunt invenire, apud filium autem de matre non possunt, obstante naturali caritate. Hoc modo artificiose admodum ostendit Agrippina, nihil esse quod magis metuere deberet, quam id quod concupisse arguebatur. Error autem scriptoris natus omissione, ut sæpe literarum similium. *Dictare judicia*, idem est, quod Hist. 4. dicit Eprius. *Non magis sua oratione Thraseam quam judicio senatus afflictum: Sævitiam Neronis per hujusmodi imagines illusisse.* Et forte Agrippina crimen, cujus non nisi à Nerone poterat absolvi, intelligit Claudii mortem. *Grotius.* Corrigo; *Remp. obtinuerit, judicata res est.* Hoc est, si alius veniret ad imperium, facta res esset, sententia contra me pronunciata esset. *Harlans.*

nico potiente rerum poteram: at si Plautus aut quis alius rempublicam judicaturus obtinuerit, desunt scilicet mihi accusatores, qui non verba impatientia caritatis aliquando incauta, sed ea crimina objiciant, quibus nisi a filio mater absolvi non possim. Commotis qui aderant, ultroque spiritus ejus mitigantibus, *colloquium filii* exposcit. Ubi nihil pro innocentia [1] quasi diffideret; nec beneficiis quasi exprobraret, disseruit; sed ultionem in delatores & præmia amicis obtinuit. Præfectura annonæ [2] Fenio Rufo; 22
[3] cura ludorum qui à Cæsare parabantur, Arruntio Stellæ; [4] Ægyptus C. Balbillo permittuntur. [5] Syria P. Anteio destinata; & variis mox artibus elusus, ad postremum in urbe retentus est. At Silana [6] in exsilium acta. Calvisius quoque & Iturius relegantur. De Atimeto supplicium sumptum, validiore apud libidines principis Paride, quam ut pœna afficeretur. Plautus ad præsens silentio transmissus est. De- 23
feruntur dehinc *consensisse Pallas, ac Burrus, ut Cornelius Sulla claritudine generis, & affinitate Claudii*, [7] cui per nuptias Antoniæ, gener erat, *ad imperium vocaretur*. Ejus accusationis auctor exstitit Pætus quidam, [8] exercendis apud ærarium sectionibus famosus,

laus. Nullam in his verbis sententiam inesse dicit Advocatus, *remp. judicaturus obtinueris*: ideo legendum putat, *remp. obtinueris, judicata res est.* Quod est ineptissimum. Ille tamen nobis persuadere vult, sic planam futuram sententiam. Parva mutatione scribi melius est. *At si Plautus aut quis alius remp. vindicaturus obtinuerit.* Pessima fœmina cum se de crimine objecto purgaret, non potuit odium dissimulare in filium, & satis aperte confessa est, vindicaturum eum remp. qui Neronem imperio deturbaret. *Salmasius.* Quid de vexatissimo loco mihi videretur, exposui 1. Observ. 22. *Gronovius.* Interim vox *mater* non exstat in vetustissimo Mediceo, undecunque eam arripuerit Beroaldus. *Jac. Gronovius.*

1 *Quasi diffideret*] Rodolphus adnotavit, *quasi defenderet*. Lipsius.

Ubi nihil pro innocentia quasi diffideret] Lego & distinguo hæc ita: *Ubi* (id est postquam) *nihil pro innocentia quasi defenderet*, (omnino hoc Rodolphi mihi rectius, quam *diffideret*) *nec de beneficiis, quasi exprobraret, disseruit, sed ultionem in delatores & præmia amicis, obtinuit.* Acidalius. Immo *diffideret*, hoc est, paveret, sollicita esset, laboraret, defensionis egere causam suam putaret. Id enim anceps, & apud malignos venit in suspicionem culpæ. Justinus de Alexandro & Philippo medico: *Oculos in vultum legentis intendit. Ut securum conspexit, lætior factus est.* Suetonius Oct. 55. *Etiam sparsos de se in curia libellos nec expavit.* Gronovius.

2 *Senio Rufo*] Fenius illi nomen: atque ita semper infra. *Lipsius.*

Præfectura annonæ Senio Rufo] Lego, *Fenio*, uti libris sequentibus constanter appellatur. *Vertranius.* Male vulgo, *Senio Rufo.* Emendavit Lipsius ex Tacito ipso, qui alibi *Fenium* semper nominat. *Pithœus.*

3 *Cura ludorum Arruntio Stellæ*] Inter dignitates ergo ea res fuit. sic lib. XI. *Sulpicius Rufus ludi procurator.* In lapide prisco Tibure: CURAT. MUNERIS. PUBLICI. GLADIATORI. Apud Sueton. Cal. cap. XXVII. *Curator munerum ac venationum.* Lipsius.

4 *Ægyptus C. Balbillo*] De hoc Seneca l. IV. Nat. Quæst. cap. II. *Balbillus virorum optimus, in omni litterarum genere rarissimus, auctor est cum ipse Præfectus obtineret Ægyptum*, &c. etsi male vulgo, *Babillus.* Corruptum & in Plinio idem nomen, l. XIX. procemio. *Galerius à freto Siciliæ Alexandriam septima die pervenit, Babilius sexta, ambo Præfecti.* scribe, *Balbillus.* In lapidibus nominatur quidam, TI. IVLIVS. BALBILLVS. SACERDOS. SOLIS. *Lipsius.*

5 *Syria P. Antejo*] Inepte vulgo, *Pantello.* errore duplici. Conjectura nostra certo firmatur è Taciti XVI. *Simul annuam pecuniam à P. Antejo ministrari cognoscit; neque nescium habebat Antejum caritate Agrippinæ invisum Neroni.* Idem.

Syria P. Anteje destinata & variis] Commodius foret: *Syria P. Anteje destinata, qui variis.* Gronovius.

6 *In exilium acta*] Vocabulum extremum deest in scripto libro. *Rhenanus.*

7 *Qui per nuptias Antoniæ, gener erat*] Melius scribas, *cui per nup. Ant. gener erat.* Idem.

8 *Exercendis apud ærarium sectionibus famosus*] *Sectio*, inquit Festus, persecutio juris est: eam qui exercet *sector* dicitur, quod spem lucri sui secutus, bona condemnati semel auctionabatur, proque his pecunias pensitabat singulis, quibus reus attineretur, ut ait Asconius, Verrina 3. Indeque planum fit illud Pompeji: *Sectores dicuntur, qui empta sua persequuntur.* Vertranius. Vett. glossis *sector* Βωνης dicitur. Suidas & Hesychius τὰ δημόσια ἀγοράζων, & *sectio* Aristophani δημιοπρατίῳ, sicut Plutarcho in Crasso δημιοπράτης, auctione emptor. Cicero Phil. 2. Antonium *sectorem Pompeji* appellat, quoniam in subhastatione Pompeji bona redemerat: & addit, ex quibus satis patere puto, sectores qui bona damnatorum emebant, male audisse, & pessime habitos

mosus, [1] & tum vanitatis manifestus. [2] Nec tam grata Pallantis innocentia, quam gravis superbia fuit: quippe nominatis libertis ejus quos conscios haberet, respondit; *nihil unquam se domi*, [3] *nisi nutu* [4] *aut manu significasse, vel si plura demonstranda essent scripto usum*, [5] *ne vocem consociaret*. Burrus quamvis reus, inter judices sententiam dixit. Exsiliumque accusatori irrogatum, & tabulæ exustæ sunt, quibus oblitterata ærarii
24 [6] monimenta retrahebat. Fine anni [7] statio cohortis assidere ludis solita, demovetur, quo major species libertatis esset: utque miles theatrali licentiæ non permixtus, incorruptior ageret; [8] & plebes daret experimentum, an amotis custodibus, mode-

habitos à probis viris. Ob id Tacitus Pætum *sectionibus famosum* dixit, quæ vox etsi aliquando in bonam partem accipiatur, in deteriorem tamen frequentius intelligitur; inde *famosa mulier* appellatur, quæ famæ parum integræ & impudica sit. Cic. de Orat. 2. & Salustius *largitionem famosam impudentemque* dixit. Quod vero improbus vir esset Pætus, ostendunt subsequentia de illo Taciti verba hæc: *Exsiliumque accusatori irrogatum, & tabulæ exustæ sunt, quibus oblitterata ærarii monumenta retrahebat.* Sciendum tamen non solum sectionem dici de damnatorum bonorum venditione & emptione facta, sed & de emptione & venditione ex auctione qualibet sub hasta facta. Eutropius lib. 8. Hist. Rom. de Antonino. *Instrumenta regii cultus facta in foro D. Traiani sectione distraxit.* Marcellus Donatus. *Sector* sive quadruplator, criminum delator dicebatur, & Sectio ipsa Confiscatio. Sic Cæsar. lib. 2 Gall. sectionem oppidi vocat. *Lupanus.*

1 *Et tum vanitatibus manifestus*] Castigavimus, *& tum vanitatis manifestus.* Hoc autem sermonis genere sæpe Tacitus utitur. Ut lib. 12. *Interim Zenobiam, id mulieri nomen, placida alluvie, spirantem ac vita manifestam advertere pastores.* Hoc ipso lib. *At criminum manifestos merito ad servitutem retrahi, ut metu coercerentur, quos beneficia non mutassent.* lib. 14. *Supremis testamenti verbis ambitionis manifestus.* lib. 15. *Atque ipse mœstus & magnæ cogitationis manifestus erat.* Et infra, *Non quia conjurationis manifestum compererat.* Et paulo post: *Sed verba sua præpediens, & pavoris manifestus.* Rhenanus.

2 *Nec tam grata Pallantis innocentia*] Sincerior regii codicis lectio, *Nec grata Pallantis innocentia quam gravis superbia fuit*, ut sit ecliptici generis oratio. Subauditur enim adverbium *magis*, aut *tam*. Rhenanus. Puto voculam excidisse: *Nec tamen tam grata Pall.* nimirum etsi vanitatis manifestus erat accusator. quod præcessit. *Acidalius.*

3 *Nisi nutu*] Nutus enim pro verbo est. l. 17. D. de novationibus: *Nutu, ubi fari non potest, delegare debitorem suum quis potest.* Ovidius lib. 1. de arte. *Aurelius.*

4 *Aut manu significasse*] Hoc accommodandum ad illud Petronii: *Trimalcio lautissimus homo digitos concrepuit: ad quod signum matellam spado ludenti supposuit.* Clemens Alexandr. Pædag. lib. 2. Ποππυσμοὶ δὲ καὶ συριγμοὶ καὶ οἱ διὰ τῶν δακτύλων ψόφοι, τῶν οἰκετῶν οἱ προσκλητικοί, ἄλογοι σημασίαι οὖσαι, λογικοῖς ἀνθρώποις ἐκκλιτέοι. Dousa & Wouwerius.

5 *Ne vocem consociaret*] Scripserat haud dubie Tacitus *consauciaret*. Quod si quis alius dixit, de meo disertus fuit. Sic Apulejus lib. 8. de præcone: *rauca voce saucius.* Marcilius. Habeant & qui dixit & qui de alieno disertus fuit; non invidebimus. *Gronovius.* Quod ipsum quoque judicium suum exstare voluit Oct. Ferrarius V. Cl. in Electis lib. 2. cap. 11. *Jac. Gronovius.*

6 *Monimenta retrahebat*] Id est, perscripta debita fisci exigebat, vel jam soluta, iterum petebat. *Aurelius.* Diximus *oblitterata ærarii nomina* legendum videri de Pecunia 4, 3. Zonaras de Romano Argyropulo: ὡς γὰρ τῶν ἀπολωλότων ἰσοτάσια κτήσεται, πράκτας αὐτὸ κρατοῦντος ἐγίνετο καὶ πικρὸς λογιστής, παῖδας πατέρων γεγηρακότων χρέα πραττόμενος, καὶ συγκοινίας ἀνάπτων κατὰ τῶν ὑπηκόων, ἅπερ ὁ χρόνος ἤδη πολὺς πρεσβυτέρας κατέσβεσεν, ἢ τινὲς κατέχωσεν ὑπὸ σποδιᾷ. Ἐντεῦθεν πολλοὶ τῶν πατρῴων οἰκιῶν καὶ ἀγρῶν ἀπηλαύνοντο, καὶ τὴν πρὶν εὐκληρίαν ἐνδεδυσκόμενοι, ἐς πενίαν λαμπρὰν συνηλαύνοντο. Gronovius. Repeto etiamnum me mirari nihil aliud nunc ab Cl. Ryckio annotari, quam sic legi in MSS. libris, quod nemo ignoravit, nemo dubitavit. Sed manca est sententia in verbis quæ vulgo leguntur, & in caussis pecuniariis *monimenta* non sunt aliud, quam tabulæ: unde Paternis appono locum Aurelii Victoris in Aureliano: *consumptis igni tabulis monimentisque hujuscemodi negotiorum.* item Orosii: *Omniaque simul fiscalium negotiorum calumniosa monimenta congesta in foro jussit incendi.* In aliis forsan patet quædam differentia. De pecunia quum hic locus agat; necessario & rectissime accessit Pater ad eam conjecturam. An quod dicitur cap. 28. *Ne multam ab tribunis dictam quæstores ærarii in publicas tabulas ante quatuor menses referrent:* an istæ tabulæ aliud sunt, quam monimenta? Plane ipsa. Unde quod isti conjecturæ obstare possit, video nihil: & *oblitterata nomina* rursus dicet lib. 1. hist. 55. sed alio sensu. Recte igitur hactenus: nisi quod merito credas in tantæ fidei codice non in vacuum scriptas esse tot literas, quas ita corripi parum decet. Unde nescio quomodo multus, immo totus vergo ad credendum, quasi ab Tacito venerit *oblitterata ærarii emolumenta.* Tu decerne. *Jac. Gronovius.*

7 *Statio cohortis*] Non repeto quæ scripsi Epistolic. lib. III. Epistola XVIII. *Lipsius.*

8 *Et plebes daret experimentum*] In Flor. semper scie,

modestiam retineret. Urbem princeps lustravit è responso haruspicum, quod Jovis
ac Minervæ ædes de cælo tactæ erant. [1] Q. Volusio P. Scipione consulibus, otium 25
foris, fœda domi lascivia, qua Nero itinera urbis, & lupanaria, & diverticula,
[2] veste servili in dissimulationem sui compositus pererrabat, comitantibus qui raperent
[3] ad venditionem exposita, & obviis vulnera inferrent; adversus ignaros adeo,
ut [4] ipse quoque exciperet ictus, [5] & ore præferret. Deinde ubi *Cæsarem esse qui grassa-*

fere, *plebes*, more prisco, sicuti etiam in aliis veteribus. *Pichena.*

1 *Q. Volusio, P. Scipione*] Ita mei libri, idque Fasti comprobant. Lapis Neapoli,

Q. VOLVSIO. SATVRN.
P. CORNELIO. SCIP. COSS.
AVGVSTALES
QVI. NERONI. CLAVDIO
CAESARI. AVGVST. ET
AGRIPPINAE. AVGVSTAE
I. O. M. ET. GENIO. COLONIAE
LVDOS. FECERVNT. XIII. ET XII.
K. MART.

Nominat & Phlegon in Admirandis, Q. Volusium P. Scipionem coss. *Lipsius.* Hanc inscriptionem ad hunc annum posuit in fastis Onuphrius Panvinius, unde Lipsius astute mutuatus fuit: recoxitque Pighius ad hunc annum jam excisis multis literis; memoravitque denuo Capaccius lib. 1. Hist. Neapol. pag. 328. qui lib. 2. pag. 464. profert hos consules in alia etiam inscriptione: *Volusio. P. Cornelio. Coss.* VI. *Non. Mart. S. C. Quo. d. Q. Volusius. P. Cornelius. verba. fecerunt. de postulatione. necessarior. Alliatoriae. Celviliae. Q. D. E. R. E. P. D. E. P. I. C.* Jac. Gronovius.

2 *Veste servili in dissimulationem sui compositus*] Ut hic Tacitus vestem *servilem*, sic Ulpianus in tractatu Pandectarum de injuriis, *ancillarem* vocat, atque *meretriciam*, qua servi, ancillæ, meretrices uterentur. Nam quandoque vestes nomen accipiunt ab his, qui eas gestant. Aliquando vero nomen habent à loco, in quo his utimur. Sic Suetonius *domesticam* vestem dixit in Aug. 73. & in Vitell. 8. Seneca, *Placet domestica vestis, & vilis:* à Cicerone quoque dicitur *vestis domestica.* Idem Suetonius *Forensia* quoque plurali numero vocavit vestem, quam in foro, non foris gestabant antiqui, in Aug. 73. & in Calig. 17. Nostrates *vestem cameræ* appellant. Qua loquendi forma usus Cicero 2. de finib. Vestis quoque *cœnatoria* a Capitolino est appellata, à Dione in Hadriano, & Capitolino in Maximinis duobus, quam inter cœnandum portamus. *Pinguem* vestem vocat Suetonius in August. 82. hibernam & arcendo frigori idoneam. Tacitus lib. 18. *Nam valens servili veste apud decurionem equitum tegebatur.* *Togam præsidiariam* vocat Spartianus in Severo, qua præsides utebantur. *Lupanus.*

3 *Ad venditionem exposita*] Satis nude dictum, ut si quid argui placeret, certe nimia in loquendo claritas deberet reprehendi ac tenuitas. Unde quum recte traheretur in suspicionem, tum scias oportet præpositionem *ad* esse unius Beroaldi, quum nulla exstet in MS. Mediceo, ut vidimus & notavimus ipse cum fratre; unde ego credidi plane non venisse ad Tacito, qui alio modo sensum expresserat, sed ab librariis mutatam ipsius manum. Usus enim fuerat voce *venum*, quæ molesta alicui librario producta est, ut fieret *venditionem.* Sic præpositio abest, sed ab nuperis addita, ut Taciti chirographum corrumperetur. Notavit locutionem hanc in Tacito index Freinshemianus, ubi & *veno posita*, & cap. 51. dicit *qua veno exercerent.* Jac. Gronovius.

4 *Ipse quoque acciperet ictus*] Satis diu satisque petulanter sic illusum fuit Tacito, quem miror ita hoc loco ignoratum Ryckio, ut notet (Flor. & Reg. vulgatam repræsentant, nisi quod hic *exciperet*, pro *acciperet.*) Atqui scias oportet, quum Beroaldus & Aldus edidissent *exciperet*, in Rhenani editionem insinuavit τὸ *acciperet*, quod per Lipsii, Gruteri, Pichenæ, Freinshemii, Ryckii editiones adhæsit tanta cum incuria, ut Acidalius sciat testari de Lipsio, quasi *acciperet* pro vera lectione agnosceret, nisi ille verbum hoc temete adsumpserit. Scito igitur, bone lector, prorsus in MS. Mediceo legi *exciperet*, quod reposui. *Idem.*

5 *Et ore præferret*] Vera lectio. Beatus Maurusque frustra adlaborant in scriptura codicis Budensis: quem ex hoc aliisque locis scias fuisse non optimæ notæ. Legunt tamen illi, *& ore se Cæsarem præferret.* Inepte. Hoc noster voluit clare, excepisse eum ab ignaris ictus, & læsa facie prætulisse. Plinius l. XIII. de Thapsia: *Nero Cæsar claritatem ei dedit initio imperii, nocturnis grassationibus converberatam faciem illinens sibi cum thure ceraque, & sequenti die contra famam cutem sinceram circumferens.* Lipsius.

Et ore præferret] Habet Budense volumen, *& fore se Cæsarem præferret.* Lego, *ore se Cæsarem præferret.* Rhenanus. Os apud Virgilium Æneid. 5. 161. *Os humerosque deo similis* pro facie accipitur: quo sensu Neronis facies exceptos ictus indicaverit. Verum chirographus habet, *& fore se Cæsarem præferret:* unde quo Beatum inclinat conjectura, eo te dare si velis, leges & melius, *ore se Cæsarem præferret.* Vertranius. Danesius ex v. c. legebat: *Et ora se Cæsarem ferret.* Ursinus. Lipsius ait veram hanc lectionem: *acciperet ictus, & ore præferret:* & stabilit Plinii loco lib. 13. de Thapsia. At ille locus plane quidem contra eam ipsam lectionem stat. Nonne

grassaretur pernotuit, augebanturque injuriæ adversus viros [1] feminasque insignes, [2] & quidem permissa semel licentia sub nomine Neronis, [3] multi propriis cum globis eadem exercebant, & [4] in modum captivitatis nox agebatur. [5] Julius quidem Montanus senatorii ordinis, [6] sed qui nondum honorem capessisset, congressus forte per tenebras cum principe, [7] quia vi attentantem acriter repulerat, [8] deinde agnitum

ne enim pugnant, ictus læsa facie palam præferre, & cutem sinceram circumferre? Nemo tam talpa est, qui hoc non videat. Itaque vera illa quidem non est Taciti scriptura. Muretus notavit, *acciperet ictus, & ferret.* Sed forte non liceat abjicere reliqua illa prorsus, *ore pra:* scribaturque melius, *ut ipse quoque acciperet ictus ore, & perferret.* Ne quid dissimulem tamen, vocem *ore* etiam ego deleverim, & legerim, *acciperet ictus, & referret.* Acidalius. Non pugnant inter se Tacitus & Plinius. Tacitus narrat id, quod fiebat, quodque fit naturaliter: Plinius, quemadmodum id: quod factum erat, celaretur ac dissimularetur. Sed & plerumque inter existentia mala & inventa remedia temporis aliquid intercedit. *Gronovius.*

1 *Feminasque insignes*] Farn. *illustres.* Lipsius.

2 *Et quidam permissa semel licentia*] Auximus hic, & correximus vulgatum textum, Florentini fide. Antea: *Et quidam simili licentia.* Pichena.

3 *Multi propriis*] Melius, *inulti.* Lipsius.

Multi propriis cum globis] Ex *propriis cum globis*, ni conniveas, videre potes, quid hæc sibi postulent. at Doctiss. vir legit, *inulti propriis.* quam bene ipse viderit. Quidam adscitis comitibus Neronis, (cum quibus solitus erat per urbem lascivire) eadem licentia grassabantur, multi propriis cum globis sine sui dissimulatione urbem raptabant. *Salinerius.* Melius in Flor. *inulti.* Vulgo, *multi.* quod etiam monuerat Lipsius. *Pichena.* Recte Lipsius, *inulti.* Acidalius. In Mediceo scriptum est *exercebant. T. in modum.* Ex hoc charactere vides ab nugatoribus accumalatam fuisse præpositionem, quum videatur sane Tacitus exclamatione fuisse usus post tot infamia exempla enarrata: *In modum captivitatis nox addebatur.* Jac. Gronovius.

4 *In modum captivitatis*] Divino scribend. *In modum capta civitatis.* Ea enim facies potius, quam carceris custodiæve. *Lipsius.*

In modum captivitatis nox agebatur] Delibero adhuc an melius Lipsius, *capta civitatis.* Non satis inter se vincta oratio, quia nimis vincta. Copula aliqua detrahenda est, nec tamen satis clarum, ubi potissimum. Tribus locis videtur posse: Sed ego paulo ante malim, ut scribatur, *augebantur injuria.* Certum mihi nunc, male Lipsium interpretari vocem *Captivitatis.* Non enim hic carcer & custodia, sed capiendi ipse actus notatur. Sic & 16. Ann. *In cladibus exercituum, aut captivitate urbium.* Acidalius. Propius ad hunc locum est, quod exstat 11, 23. *Nisi cœtus alienigenarum velut captivitas inferatur.* Jac. Gronovius.

5 *Julius quidam Montanus*] Si memoria mihi firma, poëta quidam eo nomine apud Senecam patrem laudatur. *Lipsius.*

Julius quidem Montanus] Particula *quidem* in Budensi volumine non legitur. *Rhenanus.* Xiphilinus aliter scribit, hunc uxoris causa commotum, Neroni plagas noctu inflixisse: cui, licet injuriæ acceptæ memor, ne iratus quidem Nero, quousque veniam ille per literas oravit. Quibus lectis ait Cæsar: *Non ergo percussor Neronis se ipsum jam vita privavit?* quo responso factum opinor, ut sibi Montanus mortem consciverit. *Vertranius.*

6 *Sed qui nondum honorem*] Suetonius Laticlavium vocat: tu scito. Ante & sub hoc ævum mos, ut liberi Senatorum, lato clavo induerentur una cum virili toga, Curiæque interessent. Ab Augusto institutum, qui *Liberis Senatorum, quo celerius reip. adsuescerent, protinus virili toga latum clavum inducere, & Curiæ interesse permisit.* A quo more Ovidius.

Liberior fratri sumpta, mihique toga est:
Induiturque humeris cum lato purpura clavo.

Iidem ergo Laticlavii: iidem capessendis honoribus destinati. Noster lib. XIV. *Valerius Fabianus capessendis honoribus destinatus.* Statius III. Silvarum:

Notus adhuc tantum majoris munere clavi.

Alii sunt Tribuni laticlavii, de quibus hæc non capio. Julius ergo Montanus Senatorii quidem loci, sed qui magistratum adhuc nullum cepisset, & tantum laticlavius. *Lipsius.*

7 *Quia vim tentantem acriter repulerat*] Exemplaris scripti lectio, *qui avia temptantem.* Lego. *quia vi attentantem acriter repulerat.* Rhenanus. Danesius ex v. c. legebat: *Quia vi attentantem acriter repulerat;* non ut vulgo, *vim tentantem*, &c. quamvis nec illud displiceat. *Ursinus.* Certe quum & in Mediceo exstet *quia via temtantem*, non dubitavi exhibere, quod literæ scriptæ exigunt. *Jac. Gronovius.*

8 *Deinde agnitum oraverat*] In scripto exemplari scriptum est, *Deinde adagnitum oraverat.* ut possit *adagnosco* cuipiam dictum videri, sicut *adallego* Plinius protulit. Sed arbitror primo fuisse scriptum *adgnitus* more vetusto; quod interpretans aliquis ascripserit *agnitus:* unde postea conflatum *adagnitus.* Rhenanus. Miror hic silere, qui manu exaratorum codicum fuere compotes. Videtur enim scripsisse Tacitus: *deinde & agnitum oraverat.* Huc pertinet illud M. Senecæ: *Nihil est crudelius, quam sic offendere, ut magis sis offensurus, si satisfeceris.* Gronovius.

1 *Nero*

tum oraverat, quasi exprobrasset, mori adactus est. [1] Nero autem metuentior in posterum, milites sibi, & [2] plerosque gladiatorum circumdedit, qui rixarum initia modica, [3] & quasi privata finerent: si à læsis validius ageretur, [4] arma inferrent. Ludicram quoque licentiam, & [5] fautores histrionum velut in prœlia convertit, impunitate & præmiis, atque ipse occultus, & plerumque coram prospectans: donec discordi populo, [6] & gravioris motus terrore, non aliud remedium repertum est, quam ut histriones Italia pellerentur, milesque theatro rursum assideret. Per idem tem- 26
pus actum in senatu *de fraudibus libertorum*, efflagitatumque *ut adversus male meritos* [7] *revocandæ libertatis jus patronis daretur*. Nec deerant qui censerent. Sed consules relationem incipere non ausi ignaro principe, [8] perscripsere tamen consensum senatus:

1 *Nero autem metuentior in posterum*] Malim, *metu intentior*. Ita fere loquitur. Vide quæ olim ad Agricolam notavimus. Sequentia satis ostendunt Neronem non tam metuentiorem, quam metu intentiorem factum fuisse, magisque sibi in posterum cavisse. *Boxhornius.*

2 *Plerosque gladiatorum*] Recte sane, ut 16, 5. *plerosque equitum*. & 5. hist. 35. *Equitum plerique ac senatorum*. sed in MS. Mediceo est *gladiatores*, ut nesciam, unde genitivum petierit Beroaldus, & ab eo reliqui: nonne cap. 27. *plerisque senatoribus*. *&* 3, 5. *plerique militares?* Jac. Gronovius.

3 *Et quasi privata finerent*] Muretus ex conjectura legebat; *& quasi privata ferirent*. Quod mihi falsum videtur. Probabile enim est, milites & gladiatores Principem adsequutos, spatio aliquo interjecto ac dissimulatos. illum vero tanquam solum prægredientem, ac nonnunquam rixas cum transeuntibus quærentem, jussisse, ut dum modice ac sine periculo res ageretur, ipsi abstinerent, nec accurrerent; nam sine urgenti occasione cognosci nolebat. Sed si à læsis validius resisteretur, tunc subsidio adessent, armaque inferrent. *Pichena.* Non recte Muretus, *ferirent*. Relinqui enim vulgatum *finerent* sententia vult. *Acidalius.*

4 *Arma inferrent*] Scripsimus, *inferebant*. Rhenanus. Veneti codicis auctoritate scripsi, *inferrent*. Supra enim dixit, *finerent*. Vulgo, *inferebant*. Pichena. Recte Muretus, *inferrent*. Acidalius.

5 *Fautores histrionum*] Lego, *favores*. Acidalius. Immo eleganter Tacitus idem verbum duabus rebus diversa significatione attribuit. Quo in genere frequentissimus Ovidius, neque infrequens noster. *Licentia ludicra in prælia converti* recte dicitur; paullo audacius, nec minus recte *fautores histrionum*: ut *versus in furorem*, *versus in pœnitentiam*, *in misericordiam naufragi versi* Justino, nostro *diuturnitate in superbiam mutans*. Quin etiam (de eodem, alio modo, ut in formulis erat) verbis in istis, *licentiam ludicram & fautores histrionum* potest intelligi figura quam ἐν διὰ δυοῖν vocant: ut apud Justinum, *Lana usus ac vestium*, quod est, vestium è lana usus, *laboribus & bellis*, pro laboribus belli. Sic *licentiam ludicram & fautores histrionum* est licentiam ludicram fautorum histrionalium. *Gronovius.*

6 *Et gravioris motus terrore*] Nos reposuimus, *ex gravioris motus terrore*. Rhenanus.

7 *Revocandæ libertatis jus*] Non ergo ratum Claudii judicium, qui *ingratos & de quibus patroni quererentur, revocavit in servitutem*: Sueton. cap. xxv. In quo Claudius exemplum Atheniensium secutus videri potest, apud quos *convictus à patrono libertus ingratus, jure libertatis exuitur*, ait Valerius l. II. cap. VI. & Plutarch. in Solone. Judicavit ergo quidem ita Claudius, sed in legibus & more Romano aliud fuit, uti audiemus. *Lipsius.*

8 *Perscripsere tamen consensum*] Puto leg. interpungendumque, *Perscripsere tamen consensum Senatus illi, an auctor constitutionis fieret, ut inter paucos & sententia diversos*. Firmant illa Taciti l. XIV. *At Consules perficere Senatus decretum non ausi, de consensu scripsere Cæsari*. Idem.

Perscripsere tamen consensum] Miror in Exemplari regio esse *in consensum*. & *ille an auctor*. Mox non est, *vine an æquo*, sed tantum, *vi an æquo*. Quod sequitur; *consultarent*, malim ego, *confutarent*, & pro *impulere*, *implere vel pœnam*. Rhenanus. Utscirent an ille auctor constitutionis fieret, utpote quæ à paucis postularetur, & sententiæ plurium adversis. Scribit enim supra, *Nec deerant qui censerent*. tanquam si consensus senatus aliud decerneret. Deinceps quæ sequuntur ita legenda arbitror: *ut ne æquo cum patronis jure agerent, sententiam eorum conculcarent: ac verberibus manus ultro intenderent*. Nam cum major esset injuria quam pœna, satis dissuadebatur verberibus inferendis, & injuria lacessendis patronis. *Quod enim aliud*, inquit, &c. *Ferretus*. Locus maculatus hic est, si quisquam in Cornelianis. Ita vero ex opinione nostra legetur, *ut jam æquo cum patronis jure agerent, sententiam earum conculcare, ac ut verberibus manus ultro intenderent, impellere vel pœnam suam dissuadentes*. Equidem ubi tam Beatus quam Æmilius operam scriptumque luserunt, magnopere me hæsitare confiteor, an aliquid extremæ clausulæ desit. Ut litera se habere potest, qualis qualis sensus hic est: Ex dissentientibus quidam, dum inclamarent per libertatem eo usque irreverentiam crevisse, ut jam omnia liberti, promiscuo jure cum patronis agerent, aliorum sententiam conculcabant: & persuadebant vel pœnam

ſenatus: [1] *ille auctor conſtitutionis fieret*, ut inter paucos & ſententiæ adverſos: quibuſdam coalitam libertate irreverentiam eo prorupiſſe frementibus, [2] *vine an æquo cum patronis*

ſuam diſſuadentibus, ut ſponte manus verberibus intenderent: &, ut Nonius exponit, innecierent & illigarent. *Vertranius.* Mutilus cenſetur locus, & eſt fortaſſis. reſtitui tamen videtur ita poſſe, nihil ut deeſſe appareat. Tentavit Lipſius &c. Sed non placet; nec opus tanta mutatione. Levi particularum binarum trajectione ſic res peragetur: *Perſcripſere t. c. S. i. a. conſtitutionis ut fieret inter p. ſ. diverſos, & quibuſdam* &c *Acidalius.*

1 *Ille an auctor*] Hæc lectio cæteris multum anteit; & ſenſus horum difficilis non eſt, da operam, ſcies. Conſules metu principis abſtinuerunt à relatione, licet major ſenatus pars pœnam decretura videretur. ad eum tamen ſingula perſcripſerunt: ille adhibitis paucis amicorum, dubitavit (ut ſolet in concilio fieri ubi pauci & diſſidentes) an ſibi decernenda eſſet nec ne pœna libertorum. τὸ *an* offert, *hæſitavit.* Solitum enim eſt noſtro pleraque ſilere, quod ultro erumpant. Tac. 15. ann. *non ea imperatoris mandata habere Corbulo*, ſcilicet, dicebat. Terent. Eunuch. *Omnia prius experiri quam armis ſapientem decet.* Subauditur, *uti* Tacit. in Agric. *at Britanni non virtute ſed occaſione, & arte ducis rati*: nempe, ſe victos. Ibid. *Officiis potius non peccaturos.* intelligitur præficere. Nunc verba explicemus. Qui pœnas ſuadebant, ſic in adverſarios invehebantur. eo jam evaſimus impunita irreverentia libertorum, ut pro deſpectis ab iis ſemper habeamur, ſi nobis apud vos fides non eſt, libertos ſaltem interrogate, num patronis præſtent officia debita, an potius eos deſpiciant, & aliquando verberent: quos non pudet pro iis (a quibus ſæpe impulſi & percuſſi) advocatos agere, & pœnas deprecari. Cæterum libertorum impotentia non tunc primum orta, ſed apud antiquiores jam licenter pervagabatur. Plaut. Perſ. 5, 2, 57. *Salinerius.* Hoc Livii verbis lib. 1. explicatur: *decreverunt enim quem populus Regem juſſiſſet, id ſic ratum eſſe, ſi Patres auctores fierent.* Sic occupata à Cæſare rep. auctores fiebant ſenatores, atque ante populo ſciſcente auctorem fieri Senatum oportebat. Apud nos ut conſtitutiones ſanctionum vim habeant, in Curia Pariſienſi ſunt promulgandæ, ut ea auctor fiat, *homologare* noſtrates vocant. *Lupanus.* Hæc ut ſequentia, aut mutila, aut mendoſa ſuſpicor, præſertim cum Flor. habeat: *ille an auctor.* Aliquis tamen ſenſus fortaſſe conſtabit. Conſules ſententiam Senatus perſcripſere Principi, ut, ſi libitum ei eſſet, fieret conſtitutionis auctor. Et eſt frequens Tacito hic abſolutus & conciſus dicendi modus. ut lib. 12. *ſpectaret populus hunc decore imperatorio*, & lib. 16. *de Lepida Cæſar ſtatueret.* Aliquid ſimile lib. 14. *At Conſules perficere Senatus decretum non auſi, de conſenſu ſcripſere Cæſari.* Pichena. Lectionem Lipſii ex parte roborat MS. Pichenæ. Sed hæc non ſatis capio, *ut inter paucos.* quid enim hoc ad rem, ut auctor conſtitutionis fiat? deinde ex toto hoc claret rem non inter paucos actam. Omnino crediderim pro & legendum *et* leviſſima mutatione: *ut inter paucos et ſententia adverſos.* Conſules ſcripſerunt Principi totum fere Senatum huc inclinare, ſe tamen ea de re nolle referre eo inconſulto, putare autem, cum pauci diverſam ſententiam foveant, eum inclinationem Senatus facile ſecuturum, & conſtitutionis auctorem futurum. Simillimum locum notavit Pichena 14, 49. nam & ibi præmiſerat, *pedibus in ſententiam ejus iere, paucis exemptis.* Freinshemius.

2 *Ve an æquo cum patronis*] Occiſus locus, ita vivam & ſentiam ego. Ecce tamen Veſpillones aliquot (non enim medicos) ad hoc funus. Eſt qui legat. *Ut an æquo cum patronis jure agerent, ſententiam eorum conſutarent, ac verberibus ultro manus intenderent, implere vel pœnam ſuam diſſuadentes.* Alius, *ut ne æquo cum p. i. a. ſ. e. conculcarent: ac v. v. m. intenderent, implerentve p. ſ. d.* Parcite boni viri; non vos, non ego reſtituemus ſine libris. à quibus nihil hic juvor. Ludibria tamen mea hæc: *ut jam nec æquo cum patronis jure agerent. Sententia eorum conſultari, an verberibus manus ultro intenderent, impune vel pœnam ſuetam diſſuadentes.* Ad manuum intentionem facit aliquid locus è l. 111. Annal. *Libertique etiam ac ſervi, patrono vel domino, cum voces cum manus intentarint, ultro metuebantur.* Lipſius.

Ut ne an æquo cum patronis jure agerent] Cum hic locus ſit ubique corruptiſſimus, operæ pretium exiſtimavi, totam Flor. codicis lectionem fideliter referre, ut unusquiſque ſuper ea cogitare poſſit. nam ut ipſe aliquid proferam, non eſt mearum virium. Muretus ſic ex ingenio: *ut nec æquo cum patronis jure agerent, ſed jam coram conſultarent, ac verberibus manus ultro intenderent impune, vel pœna ſua gaudentes.* Sed & ille operam ludit, ſine ope librorum. *Pichena.* Ponam primo, ut legendum arbitror. deinde rationes dabo. *frementibus ut jam æquo cum patronis jure agerent, ſententiam eorum conculcarent, manus ultro intenderent, illuderentve pœnam ſuam diſſuadentes.* Verba *æquo cum patronis jure agerent*, ſic capienda, tamquam ſi eodem jure, quo patroni, viverent ſive eſſent. Id enim hic eſt *agere & æquum*, par ſive idem. Deinceps voculas binas delevi, *an verberibus:* quia certum mihi, inſititias eſſe ab imperito nebulone. Et inſerendi quidem τοῦ *an* occaſionem dedit corruptum verbum *conſultarent.* Alterum intruſit, qui intentionem manuum non intelligebat, de qua apud Tacit. crebra mentio. Neſcivit, inquam, quid eſſet *intendere manus:* atque ideo addidit *verberibus.* At *manus intendere* ſine verberibus eſt, tantum initium rixæ & cauſa verberum. De qua re elegantiſſime Lipſius ad 4. Ann. Poſtremo *illuderent* ſcripſi pro un-

patronis jure agerent, sententiam eorum consultarent, ac verberibus manus ultro intenderent, impulere vel pœnam suam dissuadentes. Quid enim aliud [1] *læso patrono concessum, quam ut vicesimum ultra lapidem,* [2] *in oram Campaniæ libertum releget? Ceteras actiones pro-*

impellerent. quia omnino Tacitus hoc, nescio tamen si illo verbo, voluit: insultare libertos patronis, & pœnam, quam statim subdit auctor, spernere, irridere, eamque in ludibrium velut dissuadere aut deprecari. Hæc scripseram, cum respexi primum ad Mureti Eclogas. Illæ referebant in hunc modum, &c. In quibus multa dissentanea sibi, sed multa, ita me dii ament, egregia. Et jam horum ope audeo dicere, eo jam perveni, ut à vero proxime unus absim. Lego itaque: *irreverentiam eo prorupisse frementibus, ut non, tanquam æquo cum patronis jure agerent, sed jam coram insultarent, manus ultra intenderent, impune, vel pœnam suam despicientes,* &c. His sequentia optime hærent. Ne illa verba ejicias, *an verberibus*, possis ita: *Sed jam coram insultarent verbis, ac manus ultro intenderent.* Sed mihi ejici magis placet: causa quam supra dixi. *Acidalius.* Proba est lectio vulgata, si sic modo distinguas. *Vi ne an æquo cum patronis jure agerent, sententiam eorum consultarent. An verberibus manus ultro intenderent, impellerentve pœnam suam dissuadentes.* His frementes alloquuntur paucos illos, & sententiæ, de coercenda libertorum licentia, adversos, dicuntque. Si dubitetis an vi an æquo cum patronis jure, id est, ex præscripto legum agant, atque agere constituerint liberti, ipsos libertos adite, eorum hac de re sententiam rogate: profecto, ex superbis responsis, quid illis in patronos animi sit, satis cognoscetis. Cur ergo necessario remedio interceditis? An non intelligitis vos, dissuadendo tam salutare remedium, & à nobis dissentiendo, augere licentiam libertorum, in verbera, in pœnas & damna vestra, qui & patroni estis, tandem erupturam? postrema illa sic accipienda esse primus & rectissime judicavit Cl. Gronovius. Ipsum adi lib. 1. Observ. 22. Priora, sicut nos ea distinximus & explicavimus, sunt aperta. Illud *æquo jure*, male Lipsius, aliique acceperunt. Ponitur hic ea notione, qua Ann. 11. ubi de audita Romæ valetudine Germanici: *Neque ob aliud interceptos, quam quia populum Romanum æquo jure, reddita libertate, complecti agitaverint.* Boxhornius. Locus difficilis, qui tamen mihi videtur transpositione verborum, quæ medicina sæpe necessaria, sensum posse accipere commodum. *Vi an æquo cum patronis jure agerent, an verberibus manus ultro intenderent impellerentve, sententiam eorum consultarent, pœnam suam dissuadentes.* Subtilitas paucis pervia effecit, ut hæc non recte scriberentur caperenturque. Nonne mirum est, eo audaciæ pervenisse libertos (nempe Principe clam eos fovente, quo vim Senatorum divitumque infringeret.) ut ipsos Senatores, ipsos patronos suos cogerent de eo sententiam dicere, non an reverentiam, officia, obsequia, patrono deberent, sed an æquari ipsis deberent, imo quod est amplius, an liceret libertis, fretis scilicet aulæ gratia, manus intentare patronis (vide locum qui est 3. Ann. argumenti ejusdem) & impellere in ruinam. si forte patroni plus valentium odio labascere cœperint. quid vero iniquius quam ipsos, quorum de justis pœnis consultatur, audiri velut collegas aut tribunos legem dissuadentes? *Grotius.* Corrigo sic: *ut nec jam æquo cum Patronis jure agerent, sententiam eorum consultarent, aut verberibus ultro manus intenderent impune vel pœnam suam dissuadentes:* quasi diceret, non agere ut æquales cum æqualibus. Esse satis impudentes in adversando sententiis illorum; imo & ad intentandas manus feriendi causa. Quandoquidem possent sine metu pœnæ dissuadere pœnas quas eissent meriti. Aut impellerent, ut sit, fulcirent, instigarentque eos, qui faverent illorum impunitati. *Harlæus* Ego quid sentiam de his verbis, quo dictum est loco, videre potes, si libet. *Gronovius.*

1 *Læso patrono concessum*] Quando id aut qua lege, patrono concessum, quærimus. Suspicor esse ab Augusto, qui, ut Dio ait, l. LV. constituit τὰ δικαιώματα οἷς οἵ τε ἄλλοι πρὸς τοὺς ἐλευθερωμένους, καὶ αὐτοὶ οἱ δεσπόται σφῶν γενόμενοι χρῷντο, id est, *jura, quibus erga libertos tum alii, tum ipsi patroni uterentur.* Et relegatio quidem est ab exemplis ævi prisci. Ut enim patres olim filios rus relegabant pœnæ & molestiæ causa, (uti Roscius Amerinus, uti Torquatus à patribus relegati leguntur:) sic patronis relegandi libertos jus nunc tribuit sive quis alius, sive Augustus. Sed in numero num qua ratio? & cur non ultra xx. lapidem? Nihil reperio. Præfectus quidem urbi intra centesimum lapidem cognoscebat: ultra, Præfectus Prætorio: ut notat Ulpianus in fragm. Pythœanis tit. de plagiariis & l. I. De off. Præf. urbis. l. IX. De offic. proconf. Eoque exemplo Severus Imp. Prætorianos milites ultra centesimum lapidem abesse ab urbe jussit, apud Herodianum l. II. Et Prosper Aquitanus de Symmacho: quem, cum Aram Victoriæ restitui postulasset, *iratus Princeps statim à suis aspectibus pulsum in centesimo lapide, rheda non strata impositum, eâ die manere præcepit.* Dio tamen lib. LII. ubi de Præfecto urbis, jurisdictionem ejus angustius terminat, ἔξω τῆς πόλεως μέχρι πεντήκοντα καὶ ἑξακοσίων σταδίων: ea essent milliaria circiter LXXXVII. nisi in Dione rescribendum sit, ἑπτακοσίων; quod puto. Sane ad Præf. urbis pertinuisse, audire patronos querentes de libertis, ex Ulpiano clarum l. I. De off. Præf. urbis. Sed Tacitus patrono ipsi hanc relegationem, ut apparet, tribuit: nec tamen videtur usurpari potuisse, sine auctoritate majori. *Lipsius.*

2 *In oram Campaniæ*] Quid audio, in oram

promiscuas & pares esse. Tribuendum aliquod telum quod sperni nequeat. Nec grave manumissis, per idem obsequium retinendi libertatem, per quos assecuti sint. [1] *At criminum manifestos, merito ad servitutem retrahi; ut metu coërceantur,* [2] *quos beneficia non mutavissent.*
27 Differebatur contra; *Paucorum culpam ipsis exitiosam esse debere: nihil universorum juri derogandum. quippe late fusum id corpus. Hinc plerumque tribus,* [3] *decurias,* [4] *ministeria magistratibus & sacerdotibus,* [5] *cohortes etiam in urbe conscriptas. & plurimis equitum, plerisque senatoribus, non aliunde originem trahi.* [6] *Si separentur libertini; manifestam fore penuriam ingenuorum. non frustra majores cum dignitatem ordinum dividerent, libertatem in communi posuisse. Quin &* [7] *manumittendi duas species institutas,*

ut

Campaniæ relegatos fuisse male meritos libertos omnes? Vix est, ut credam, solam hanc oram Campaniæ delectam fuisse lege, sive Principis constitutione, in quam omnes male meriti liberti à patronis relegarentur; & parum prudens, ut cetera mittam, atque intutum consilium, tot perditos homines, quod sane mores eorum arguebant, eodem convenire. Adde quod pœna vix pœna fuisset, cum Campania tractus fuerit totius terræ Italiæ amœnissimus atque feracissimus. Contra potius interdictum puto libertis, qui ultra vicesimum lapidem relegabantur, hoc tractu & agro. Verum insolens loquendi genus καὶ ἀσύνδετον fecit, ut Taciti locus corrumperetur. Rescribo: *Quid enim aliud læso patrono concessum, quam ut vicesimum ultra lapidem, moram Campaniæ, libertum releget?* Vult libertum ultra vicesimum lapidem relegari, nec tamen in Campania morari. *Petitus. Oram Campaniæ* novi ex lib. 3. histor. *Jam Misenensem classem & pulcherrimam Campaniæ oram descivisse. Moram* autem *Campaniæ* Latine quid hic sit, ignoro *Centesimum ultra lapidem* scribendum vicisse mihi videntur Lipsius & Camillus Peregrinus in opere docto de Capua. Mirum tamen *in oram Campaniæ* libertos relegati. Sed sciendum neminem relegatum proprie in Campaniam; nedum omnes, & nusquam alio. Relegatio fiebat ultra centesimum. At locum ultra centesimum quilibet sibi legebat ipse, qui solum vertebat. Ex his igitur aliquos, præcipue lautiores, Campaniam prætulisse, atque huic invidiæ occasionem dedisse satis est verisimile. In exemplo est Etruscus apud Statium tertio Silvarum, *molles Campani litoris oras. Et Diomedeas concedere jussus in arces.* Itaque isthæc ἐπεξήγησις, ita explicanda est: *centesimum ultra lapidem*, puta *in oram Campaniæ*: quæ pœna quanta sit, ex eo noscas licet, quod profugi delicati in Campania subsidere possunt, & subsederunt quidam. nam & ora Campaniæ ultra centesimum est. *Gronovius.*

1 *At criminum manifestos merito ad servitutem retrahi*] Vulgo, *ac criminum.* Rectius, *at*, ex Flor. & interpretor, *retrahi*, id est retrahi debere. Pichena. Muretus, *At*, Sane posset etiam ita. Sed non necessario. *Acidalius.*

2 *Quos beneficia non commutavissent*] Emendavimus, *mutavissent.* Rhenanus.

3 *Decurias*] Judicumne decurias intellegit, an potius scribarum? Puto, scribarum. Qui ordo late fusus Romæ, & non inhonestus. Liberti autem ordinem cum pretio certo emebant, uti è Cicerone haurias III. l. in Verrem: *Ad vos me scribas revoca: noli hos colligere, qui nummulis corrogatis de nepotum donis ac scenicorum corollariis, cum decuriam emerunt, ex primo ordine explosorum in secundum ordinem civitatis se venisse dicunt.* Et paullo post, de iisdem: *Mirabimur turpes aliquos esse in eo ordine, quo cuivis pretio licet pervenire?* Scribæ ii divisi per decurias. Sueton. in Claudio c. I. *Corpus ejus per municipiorum coloniarumque primores, suscipientibus obviis scribarum decuriis, ad urbem devectum.* Reperiesque sparsim Quæstorios scribas, Ædilitios, Prætorios, item scribas ærarii Prætorii, &c. *Lipsius.*

4 *Ministeria magistratibus*] Lictores, viatores, præcones, calatores, præcias. *Idem.*

5 *Cohortes etiam in urbe*] Cohortes vigilum, quæ scriptæ primo ex milite libertino. Strabo. lib. v. Dio XLVIII. *Idem.*

6 *Si separarentur libertini*] Scripsimus, *si separentur.* Rhenanus.

7 *Manumittendi duas species*] Libertas duplex, Justa, Non Justa. Justa quæ vindicta, censu, testamento data: Non justa, quæ inter amicos, in convivio, per epistolam. Seneca De vita beata, cap. XXIV. *Hominibus prodesse natura jubet, servi liberive sint; ingenui an libertini; justæ libertatis an inter amicos datæ.* Recteque libri veteres aliquot in Suetonii Aug. cap. XL. *Servos non contentus multis difficultatibus à libertate, multoque pluribus à libertate justa removisse.* Justa illa qui manumissi, plane pleneque liberi: qui altera, vinclo adhuc quodam, ut Tacitus ait, attinebantur servitutis. Fragmentum quod JC. veteris à Puteano. *Hi qui domini voluntate in libertate erant, manebant servi: & manumissores audebant in servitute denuo eos per vim ducere. Interveniebat Prætor, & non permittebat manumissum servire.* & addit post: *Sed nunc habent propriam libertatem qui inter amicos manumittuntur, & fiunt Latini Juniani.* Scite ergo ob hunc iteratæ (Hæ sunt iterationes, quarum mentio Justin. Novell. LXXVIII.) servitutis metum Messenio servus apud Plautum, qui inter amicos manumissus subjicit,

Sed meliore est opus auspicio, liber perpetuo ut siem.

Lipsius.

Duas

ut relinqueretur [1] *pœnitentia aut novo beneficio locus. quos vindicta patronus non liberaverit; velut vinculo servitutis attineri. Dispiceret quisque merita, tardeque concederet, quod datum non adimeretur,* Hæc sententia valuit. Scripsitque Cæsar senatui, *privatim expenderent caussam libertorum, quotiens à patronis arguerentur:* [2] *in commune nihil derogent.* Nec multo post, [3] ereptus amitæ libertus Paris, [4] quasi jure civili, non sine infamia

Duas manumittendi species institutas] Tradit Tacitus eos qui vindicta manumissi sint, ex ingratitudine in patronos, in servitutem non revocari. quod ex Constantini Magni constitutione falsum fere convincitur. l. Si manumissus C. de libert. & eorum liber. *Alciatus.* Cicero in Topicis tres species refert, *Censu, Vindicta, Testamento.* Sed ex Cornelio duæ; Una, qua libertatem plenam consequebantur: quæ à Seneca libro de vita beata, *justa libertas* dicitur: Altera, qua non omnino fiebant liberi. Priori specie, hoc est, vindicta manumissos perpetuo esse liberos: sequenti vero manumissi poterant in servitutem revocari, tamquam qui post libertatem vestigia retinerent servitutis. Quæ profecto aliter traduntur in nostris libris civilibus. Erant enim Latini, aut cives Romani, aut Dedititii: de quibus late Cajus in Institutionibus: quæ omnia temporibus in desuetudinem abierunt. *Ferretus.* Vindicta fuit Prætoris virga, qua caput servi ter percutiebat, hæc proferens, *Liberum te esse ajo.* Solebantque circumagi, qui manumittebantur. Persius,

Vindicta postquam meus à prætore recessi,
Cur mihi non liceat, jussit quodcumque voluntas.

Sunt qui dicant, eum, qui vindicta manumittebatur, imposita ejus capiti manu à domino verti solitum. Seneca ad Lucilium; *Philosophiæ servias oportet, ut tibi contingat vera libertas. Non differtur in diem, qui se illi subjecit, statim circumagitur.* Alii volunt vindicta dici manumissos ob Vindicium servum, qui ob patefactam indiciis suis Reip. proditionem hoc genere libertatis donatus est, ut cum libertate Civitatem habuerit. *Lupanus.* Ex fontibus jurisprudentiæ fluunt hæc, de quibus autores diversa pro temporibus prodiderunt. M. Tullius ad Trebatium manumissionis species constituit tres, *Censu, Vindicta, Testamento:* quæ primoribus illis placebant, qui fundavere jus civile. Sed cum census non nisi lustris ageretur, magistratus copia non semper esset, testamentoque data libertas in tempus mortis differretur: aliæ manumissionis species ex nuda solaque dominorum voluntate in usum deductæ sunt; quibus ne libertatis civiles modi desuescerent, jusve receptum aboleretur, lex Junia Norbana succurrit. Ab ea distincta est ætas legitima & Dominium legitimum à naturali: ut majori xxx. annis servo, legitima esset ætas: minori, naturalis: dominiumque ejus qui ex jure Quiritium servum haberet legitimum: ejus vero, qui duntaxat ut rem in bonis mancipium haberet, naturale dominium diceretur. Tum introducti primum inter libertinos *Latini Juniani* & *Dedititii*, cum antea fere *cives Romani* fierent omnes, qui manumitterentur. Itaque duæ manumissionis species discretæ, *Legitima*, & *naturalis*. *Legitima* intervenit aut *Censu*, aut *Vindicta*, aut *Testamento*. *Censu* cum servus, sed domini jussu, liberum caput scripsit, & apud Censores professus est. *Vindicta*, cum servus apud magistratum manu emissus est, sive is Consul, sive Prætor, sive Proconsul, sive ejus Legatus, sive Præses, sive legatus Cæsaris esset. *Testamento*, cum dominus suprema cautione servum, se mortuo, liberum esse jussit. *Naturalis species manumissionis* intervenit *per mensam*, *inter amicos*, & *per epistolam*. *Per mensam* cum libertatis dandæ gratia ad sacra mensæ in convivio dominus servum admisit. *Inter amicos*, cum amicis præsentibus servum dominus è potestate liberavit. *Per epistolam*, cum literis ad servum scriptis, libero vivere dominus illi permisit. *Modo legitimo manumissus* majorem libertatem & justam apiscebatur, *civisque Romanus* fiebat, si omnia legitima forent, ætas scilicet servi, & dominium ejus, qui manumitteret: isque nullo jure poterat retrahi in servitutem. Quod si omnia legitima non intervenirent, *Latinus Junianus* fiebat manumissus. *Naturali*, quoque *modo* libertatem minorem adeptus, nisi alias pœnæ causa vinctus, ob noxam tortus, & confessus, notis compunctus, custodiæ, bestiisque objectus fuisset, qui *Dedititiorum* numero tantum liber haberi potuit, *Latinus libertus* fiebat, auctoribus Cajo, Ulpiano, & Theophilo in Institutionibus. Sane de *Latinis libertis* ait Cornelius relictum pœnitentiæ, aut novo beneficio locum. Siquidem libertate donati quamdiu viverent servi manumissorum morituri, vinculo servitutis attinebantur. Ideoque potuit manumissor, aut manus injectione in servitutem, ex causa vel levissima, revocare: aut novum beneficium conferre: id est, iteratione manumissionis civem Romanum facere. Sic enim scripsit: *Iteratione fit civis Romanus, qui post Latinitatem quam acceperat, major xxx. annorum iterum juste manumissus est ab eo cujus ex jure Quiritium servus fuit.* Hæc ex jure antiquo annotare libuit. *Vertranius.*

1 *Pœnitentiæ, aut novo beneficio*] Pœnitentiæ, ut retraheres in servitutem: beneficio, ut vindicta liberares. Ita apud Plinium l. vii. epist. *Facile deflectet ad te, si voles vindicta liberare, quos proxime inter amicos manumisisti.* Lipsius.

2 *In commune nihil derogent*] Muretus, *derogarent.* Hoc fortasse melius. *Acidalius.* Muretus, *derogarent.* cum ante dixerit, *expenderent.* Sed Tacitus non adeo religiosus. *Pichena.*

3 *Ereptus amitæ libertus*] Zamiam ergo aliquando in nos molitus Ulpianus, cum scripsit L. iii. De

infamia principis, cujus jussu perpetratum ingenuitatis judicium erat. Manebat ni-
28 hilominus quædam imago reipublicæ. Nam inter Vibullium prætorem, & plebei tribunum Antistium ortum certamen, quod immodestos fautores histrionum & à prætore in vincula ductos, tribunus *omitti* jussisset. [1] comprobavere patres, incusata *Antistii licentia*. Simul [2] prohibiti tribuni *jus prætorum & consulum præripere, aut* [3] *vocare ex Italia cum quibus lege agi posset*. Addidit L. Piso designatus consul, [4] *ne quid intra domum pro potestate animadverterent: neve multam ab iis dictam, quæstores ærarii in publicas tabulas ante quattuor menses referrent*; [5] *medio temporis contradicere liceret: deque eo consules statuerent*. Cohibita artius & ædilium potestas, statutumque *quantum curules, quantum plebei pignoris caperent, vel pœnæ irrogarent*. Eo Helvidius Priscus tribunus plebis adversus Obultronium Sabinum ærarii quæstorem contentiones proprias exercuit, *tamquam* [6] *jus hastæ adversus inopes inclementer augeret*. Dein princeps

curam

De condict. cau. data: *Neratius etiam libro Membranarum refert, Paridem Pantomimum à Domitia Neronis filia, decem quæ ei pro libertate dederat, repetisse per judicem.* filiamque eam Neroni fecit, quæ est amita, magna sua librariive culpa. Sed librarium id peccasse, clementius est: scribendumque, *Neronis amita*: aut potius, *Neronis consilio*, quod firmat Tacitus, qui Neronis jussu patratum id ingenuitatis judicium ait. *Lipsius.*

Ereptus amitæ libertus Paris] Id est, assertus in ingenuitatem: & sic ademptum amitæ jus patronatus. *Pichena.*

4 *Quasi jure civili*] Támquam vindicatus in servitutem per jus Civile: cum tamen jussu principis judicium factum fuisset: quo libertus Paris ingenuus pronunciabatur: hoc est, qui natus esset ex parentibus civibus Romanis, & qui statim, ut natus fuisset, liber extitisset. *Ferretus.*

1 *Comprobavere patres*] Videtur legendum, *non probavere*. Contra supra, *ex non mutassent*, factum fuit, *commutavissent*. Ursinus. Quid *comprobavere*? certamen de quo præcessit? Non videtur. ac multo verisimilius legit Muretus, *Non probavere*. Sed ne hoc satisfacit ita nude positum. Mihi diligentius inspicienti, nectendum hoc superioribus videtur, & ita scribendum: *tribunus omitti jussisset, comprobavere patres, incusata Antistii licentia.* Acidalius. Neque hic Mureto assentior legenti, *non probavere Patres.* immo, *comprobavere*, scilicet prætoris factum. *Pichena.*

2 *Prohibiti Tribuni*] Non mirum. Quippe qui nec Romæ vocationem habuerint, auctore Varrone: cujus verba in Agellii Noct. l. XIII. cap. XII. in Italia multo minus, quippe cum potestas eorum urbis dumtaxat finibus terminaretur. Vide Dionys. lib. VIII. *Lipsius.*

3 *Vocare ex Italia, cum quibus lege agi*] Erat enim auxilium extraordinarium: neque licebat ex Italia quenquam ad Tribunum vocari, cum quo lege aliqua institui posset actio. *Ferretus.* Varronis lib. 21. Rerum humanarum, verba sunt, *Tribuni plebis vocationem habent nullam. Antistiusque Labeo Gellianum viatorem tribunorum jussu dicere tribunis vocandi absentem jus eos non habere.* Unde qui ex ipsa urbe non possent, non sine ratione prohibiti sunt tribuni quenquam ex Italia vocare, cum quo lege agi posset. Siquidem fuerunt præfecturæ in Italia, *in quibus jus dicebatur, & nundinæ agebantur, & erat quædam earum respublica: neque tamen magistratus suos habebant: in quas legibus Præfecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent. Quarum duo genera fuere: alterum in quas solebant ire præfecti quatuor Sevirum pro populi suffragio creati*, scilicet *in hæc oppida, Capuam, Cumas, Casilinum, Vulturnum, Liternum, Puteolos, Acerras, Suessulam, Atellam, Calatiam. Alterum, in quas Prætor urbanus quotannis* imperat, qui judicarent ex *legibus, ut Fundos, Formias, Caere, Venafrum, Allifas, Privernum, Anagniam, Frusinonem, Reate, Saturniam, Nursiam, Arpinum aliaque complura*. inquit Festus. Quare cum in præfecturis, sine ulla fori præscriptione, rei ex legibus agi possent, iniquum fuisset illos ad jus in urbem rapi. *Vertranius.*

4 *Ne quid intra domum pro potestate animadverterent*] An ne possent tribunitio jure animadvertere intra privatas civium Romanorum domos? Potius intelligo, Tribunis, cum domi essent, nihil inde jubere licitum, non viatores mittere, neminem vocare, aut in quemquam civem animadvertere, sed ex publico tantum loco. *Pichena.*

5 *Medio tempore contradicerent*] In volumine Budensi est, *Medio temporis.* Sic & lib. 14. *Medio temporis tantum honorum atque opum in me cumulasti.* Itaque & nos scripsimus hic, *Medio temporis.* Mox reposuimus, *Obultronium Sabinum*. Rhenanus. Nam Beroaldus dederat *Obutronium*, quod nomen satis grande sic augetur etiam in MS. Mediceo, ut placet Rhenano. Attamen ex prisca lectione, quæ tergetur ab Lipsio 1. hist. 37. videtur satis patere vetus fuisse *Autronium*. Quam prope huc accedunt, quæ 16, 23. citantur ab Lipsio vel ex Vatic. *Subitorius* vel ex aliis *sibi torius*, unde ab ipso creatur *Ostorius Sabinus*? Jac. Gronovius.

6 *Jus hastæ*] Cum sectio fieret. *Ferretus.*

1 *Varie*

curam tabularum publicarum à quæstoribus ad præfectos transtulit. [1] Varie habita, 29
ac sæpe immutata ejus rei forma. nam Augustus [2] permisit senatui deligere præfectos:
[3] dein ambitu suffragiorum suspecto, forte ducebantur ex numero prætorum qui præessent. neque id diu mansit, quia sors deerrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius quæstores rursum imposuit, iisque ne metu offensionum segnius consulerent, [4] extra ordinem honores promisit. Sed deerat robur ætatis [5] eum primum magistratum capessentibus. [6] igitur Nero prætura perfunctos, & experientia probatos delegit.
Damnatus iisdem consulibus Vipsanius Lænas, *ob Sardiniam provinciam avare habitam.* 30
Absolutus Cestius Proculus repetundarum, cedentibus accusatoribus. Clodius Quirinalis, *quod præfectus remigum qui Ravennæ haberentur, velut infimam nationum, Italiam luxuria sævitiaque afflictavisset*, [7] veneno damnationem antevertit. C. [8] Aminius Rebius ex primoribus peritia legum, & pecuniæ magnitudine, cruciatus ægræ senectæ misso per venas sanguine effugit: haud creditus sufficere ad constantiam sumendæ mor-

1 *Varie habita, ac sæpe immutata*] Quam varietatem hreviter exposui, cum temporum luce, in Excurs. B. Illinc ad variam Taciti, plures locos pete. *Lipsius.*

Sæpe immutata ejus rei forma] Ærarium populi Ro. quæstoribus primum curæ fuit: qui quod pecunias ex hostium damnatorumve bonis quærerent, servarent, exque SC. erogarent, Quæstores urbani, ærarii, ab ærario dicti ab auctoribus epigrammatisque leguntur. Eorum creatio ne vetustiora repetam, C. Julio Cæsare Dictatore IV. intermissa, publicæque pecuniæ ad Ædiles duos administratio translata, à quibus postmodum ad quæstores non rediit, teste Dione lib. 14. vel recuperata ab illis ad prætorios; prætoresve auctore Augusto transiit, ut scribit Tranquillus 36. Nam Augustus permisit senatui deligere præfectos, qui scil. prætoru essent, & ærario populi præficerentur. Tum ipse ærarium militare constituit; cujus curam tribus prætoriis viris, sortito lectis mandavit, inquit Dio lib. 54. Idem autem ob ambitus suspicionem senatui de publico faciendum censuit, & fuere ex numero prætorum sorte ducti, qui præessent: neque id diu mansit, ut hoc loco Tacitus ait. Legitur enim sub Tiberio firmasse & fuisse prætores ærarii, qui ejus largitioni restiterunt, supra lib. 5. & sub eodem prætorem ærarii fuisse reperio, hujusmodi inscriptione: *P. Aquius. Scevae. &. Flaviae. filius. Cons. &. Didiae. nepos. Barbi. &. Duriciae. pronepos. Quaestor. decemviratum. litium. judicandarum. Trib. pleb. AEd. Curul. judex. quaestionis. Praetor. aerarii.* &c. *auctoritate. Cai. Caesaris. & S. C.* Sed Claudius collegio Quæstorum curam ærarii Saturni reddidit, quam medio tempore Prætores, aut utique tunc prætura functi sustinuerant, auctoribus Cornelio nostro & Suetouio Claud. 20. At deerat robur ætatis quæsturam capessentibus, quæ ad honores gradus erat, & ad alios magistratus majores tantum aperiebat viam. Ideoque Nero experientia probatos ærario præposuit non honotibus & muneribus initiatos quæstores, sed prætorios viros, quos Tacitus *prætura perfunctos* scripsit, non *præfectura*: & ita locus emaculandus est. Neque vero putem visum iri, nisi ei, qui plane ridiculus sit, perfunctos præfectura vel civitatum Italiæ, vel Urbis, illi solos muneri delectos esse. *Vertranius.*

2 *Permisit senatui deligere*] At series horum in Mediceo est, *senatui deligere permisit.* Jac. Gronovius.

3 *Dein ambitu*] Flor. *Deinde ambitu.* Pichena.

4 *Extra ordinem honores permisit*] In Florentino legitur, *promisit*, quod fortasse rectum: ut honores, id est, præturas, adipiscerentur, ærarii munere defuncti, quod testatur Dio l. 40. At eadem vis in verbo, *permisit*, ut sit sensus, permissas illas extra ordinem præturas, quas scil. postea adipiscerentur, atque interim tanquam Prætores designati haberentur. Nam si post ærarii munus, privati remansissent, offensionum metu segnius ærario consuluissent. *Idem.*

5 *Eum primum magistratum capessentibus*] Id est magistratum quæsturæ. qui cum tantummodo ad alios magistratus adipiscendos haberetur gradus, ætatis robur in eis minime requirebatur. Quæstoria enim ætas, annus XXV. ut probat Lipsius ad lib. 3. Ann. *Idem.*

6 *Igitur Nero prætura perfunctos*] Consensus interpretum, ac Lipsii præsertim auctoritas me impulit, ut vocem, *prætura*, reponerem. Vulgo, *præfectura.* Idem. Quis enim hoc improbaverit? unde hactenus sequimur; si modo credere licet Tacitum eo etiam usum fuisse. Cujus manum quum vetera exemplaria demonstrent corrupte, ut illi putant, in his *præfectura perfunctos*, videndum an non ostendant *Nero præfectos prætura functos.* Sic enim perpetue loquitur Cornelius, non *perfunctos*, etsi hoc exstet cap. 36. *Jac. Gronovius.*

7 *Veneno damnationem antevertit.*] Habet exemplar scriptum, *anteiit*, quo verbo alibi quoque Tacitus utitur. ut lib. 3. *Postremo suasmet ipse spes anteire parat.* Rhenanus. Flor. *anteiit.* Pichena.

8 *Aminius Rebius*] Libri vett. *C. Aminius.* nescio an, *Caninius Rebilus.* Certè (& doleo) ignotus mi-

 hi,

mortis, ob libidines muliebriter infamis. At [1] L. Volusius egregia fama concessit: cui tres & nonaginta anni spatium vivendi, præcipuæque opes bonis artibus, [2] inoffensa tot imperatorum malitia fuit.
31 Nerone secundum L. Pisone consulibus, pauca memoria digna evenere. nisi cui libeat, laudandis fundamentis & trabibus, quis [3] molem amphitheatri apud Campum Martis [4] Cæsar exstruxerat, volumina implere: cum [5] ex dignitate populi Romani repertum sit, res illustres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare. Ceterum coloniæ Capua atque Nuceria, additis veteranis, firmatæ sunt: plebeique congiarium [6] quadringeni nummi viritim dati, & [7] sestertium quadrin-

hi, quicumque hic laudatus Jurisconsultus. *Lipsius.*

Aminius Rebius] Uterque chirographus dat huic prænomen *Cajus.* Vertranius. Muretus notaverat, *Caninius Rebilius.* Ego nihil amplius scio. *Acidalius.* Addidi ex Florent. prænomen *C. Pichena.*

1 *L. Volusius*] De hujus senio Plinius l. VII. *Nuper L. Volusius Saturninus omnium quos in consulatu sententiam rogaverat superstes fuit.* Præfectum eum urbi fuisse colligas ex altero Plinii loco: *Nuper L. Volusio Saturnino in præfectura urbis exstincto, notum, è Cornelia Scipionum gentis, Volusium* (Intellegit Plin. Q. Volusium, qui cos. ann. DCCCIX.) *Saturninum, qui fuit Consul, genitum post LXII. annum.* Et de divitiis ejus, Tacitus l. XIV. *Et quantum Volusio longa parcimonia quæsivit, tantum in te mea liberalitas explere non potest.* Sed & tota Volusiorum domus dives. Tacitus Annal. III. *Volusio vetus familia, neque tamen Præturam egressa. ipse consulatum intulit, opumque quis domus illa immensum viguit, primus accumulator.* Lipsius.

2 *Inoffensa tot Imperatorum malitia fuit*] Ego vero nihil muto. Rarum in tanta ætate, tantis opibus, effugisse callidam sævitiam Tiberii, furiosum impetum Caji, stolidam vecordiam Claudii: quæ singulorum vitia generali *malitia* vocabulo complexus noster. *Mercerus.* Tria digna animadversione Tacitus narrat de Volusio: spatium vivendi, divitias partas, rationem vitæ, qua vir princeps (quod tunc mirum) tot imperatorum monstra incolumis evasit. Ergo legendum, *malitia*, non *amicitia* cum doctiss. viro, neque *militia* cum Rodolpho. quod verbi significat τὴν κακότητα, scelus, flagitium. Plaut. Rud. *Neque is adeo propter malitiam domo caret, Sed dum alios servat, se impedivit interim. Inoffensa malitia.* Non data sæviendi occasione tot malis imperatoribus. *Salinerius.* Lipsius & Rodolphus non recte. Inserta copula scribendum, *præcipuæque opes & bonis artibus inoffensa tot imperatorum malitia fuit.* Optima & perspicua sententia. Magna certe illius felicitas, qui Taciti illud effatum 1. hist. in se verum non expertus est. *Nobilitas, opes, omissi gestique honores, pro crimine; & ob virtutes certissimum exitium.* Acidalius. Diu est quod veni defensor huic lectioni, nunc lætor partes easdem mecum tueri sagacissimum Pichenam. *Gronovius.*

3 *Molem Amphitheatri*] Quod totum è ligno struxit, Sueton. c. XII. Vide librum nostrum, si placet, De Amphitheatro. *Lipsius.*

4 *Cæsar exstruxerat*] Sustinet notare Ryckius (in vulgatis hactenus Editionibus legebatur *adstruxerat*) An vidit ergo omnes. Habeo sub oculis Plantinianam anni 1581. in Oct. qua pater usus fuit; habeo & minorem Lugduni paratam ab Ant. Gryphio 1584. qua frater usus in conferendo. Utrobique legitur *exstruxerat.* Etiam Aldus cum Rhenano, *exstruxerat*, ut rear esse typorum deerrationem. Miror retinuisse Ryckium *adstruxerat*, quum in nota eadem scribat se prætulisse *exstruxerat.* Beroaldus habet *extruserat.* Jac. Gronovius.

5 *Ex dignitate populi Rom. repertum*] Muretus, *repertum*, delet. Ego dubito. *Acidalius.*

6 *Quadrageni nummi*] Illiberalis liberalitas. Corrigo, *quadringeni*: & do auctorem Suet. cap. X. *Diversis populo viritim quadringenis nummis, Senatorum nobilissimo cuique, &c. Lipsius.*

Quadrigeni nummi] In exemplari scripto, *quadringenis.* Rhenanus. Vulgo, *quadrageni.* Lipsius restituit, *quadringeni*, Florentino ac Veneto fere consentientibus, qui habent *quadrigeni.* Pichena. Altera summa decem Philippos vel ducatones, altera unum facit. *Gronovius.*

7 *Sestertium quadringenties*] Subintelligenda sunt centena millia. Liv. lib. 24. *Cum deessent nautæ, Coss. ex SC. edixerunt, ut qui L. Æmilio & C. Flaminio censoribus millibus æris quinquaginta ipse aut pater ejus census fuisset usque ad C. millia, aut cui postea tanta esset facta, nautam unum cum sex mensium stipendio daret. qui supra centum M. usque ad CCC. millia, tres nautas cum stipendio annuo: qui supra CCC. millia usque ad decies æris, quinque nautas: qui supra decies, septem.* quibus verbis ostenditur, *decies æris*, decies centena millia æris significare: ut hic non parum mirer, quemadmodum oculatissimus vir Budæus prævaricatus sit. *Alciatus.* Quadringenties centena millia nummum, summa quadringenties sestertio eadem est. Et tamen quum dicitur, *Quadringenties sestertium*, non intelliguntur *centena millia*, sed tantummodo *centenum.* Nam in omnibus, quæ per adverbia sic enuntiantur, à *decies* usque in infinitum siletur intelligiturque *centenum.* Vocabulum autem *sestertium* significat pondus mille nummorum; quot scilicet nummi sestertii in argentum sestertium vel libram argenti sestertiam, hoc est, duas & selibram, imputabantur. Igitur *quadringenties sestertium*, & *quadringenties centena sestertia*, & *quadringenties centena millia nummum sestertium*, idem.

dringentics ærario illatum est, [1] ad retinendam populi fidem. [2] Vectigal quoque quintæ & vicesimæ venalium mancipiorum remissum, specie magis quam vi. [3] quia cum venditor pendere juberetur, in partem pretii emptoribus accrescebat. Edixit Cæsar, *ne quis magistratus*, [4] *aut procurator qui provinciam obtineret*, *spectaculum gladiatorum*, *aut ferarum*, *aut quod aliud ludicrum ederet*. Nam ante [5] non minus tali largitione, quam corripiendis pecuniis, subjectos affligebant; [6] dum quæ libidine deliquerant, ambitu propugnant. [7] Factum & senatusconsultum ultioni juxta & se- 32
curitati,

idem. Errat non minus Alciatus cum *decies æris* dici breviter pro decem millibus æris probat ex loco Livii, in quo cum scribitur, *qui supra CCC. millia usque ad decies æris*, ex proximo subaudiendum, quod deest, nemo non videt. Vide Pecuniam Vet. 2, 5. *Gronovius.*

1 *Ad retinendam populi fidem*] Quod vulgo nostri, *Creditum* dicunt. *Ferretius.*

2 *Vectigal quoque quinta & vicesimo*] Ampla populi Rom. vectigalia: nullum, censeo., amplius eo quod è servis, libertisque. Rem eam paullo uberius à capite mihi tractanti, aut gratia, aut venia esto. Antiquissimum vectigal Vicesimæ reperio, quæ ad libertos. Institutum anno urbis CCCXCVII. C. Marcio Cn. Manlio Coss. Livius lib. VII. *Ab altero Consule* (Cn. Manlio) *nihil memorabile gestum, nisi quod legem novo exemplo ad Sutrium in castris tributim, de Vicesima eorum qui manumitterentur, tulit. Patres, quia ea lege haud parvum vectigal inopi ærario additum esset, auctores fuerunt.* Ea Vicesima semper exhinc exercita, ad tempora Principum inferiorum. Itaque non infrequens memoria in libris. Ab hac aurum Vicesimarium derivo, quod in sanctiore ærario: de quo Livius lib. XXVII. *Consulibus aurum Vicesimarium, quod in sanctiore ærario ad ultimos casus servaretur, promi placuit.* Plura ad ad hoc vectigal, in Excurs. C. & quæ ad Tacitum faciunt. Vide. *Lipsius.*

Vectigal quoque quinta & vicesima] Ex mancipiorum emptione unum in singula XXV. solvebatur populo: quod translatum in venditorem, habuit speciem tamquam si remissum esset. Sed cum venditores carius licitarentur, in emptore vectigal consistebat, erat enim pars precii. *Ferretius.*

3 *Quia cum venditor pendere juberetur, in partem emptoris accrescebat*] Si ab emptoribus demptum vectigal, venditoribusque impositum, quomodo *remissum?* potius facta est mutatio personarum, & nihilominus ærarium non minuitur. Ego sic intelligo: mancipiorum vectigal emptores antea pendere solitos fuisse, qui plerumque Cives Romani. Quos Nero sublevare cupiens, vectigali exoneravit, inque venditores id transtulit, qui fere omnes extranei & advenæ. & postquam servos vendidissent, in provincias suas revertebantur: ideoque pro nihilo ducebatur, illud onus eis superaddere. Sed cum hi, ea de causa, carius maucipia venderent, remissio Principis irrita emptoribus fiebat. *Pichena.*

4 *Aut procurator in provincia obtineret*] Restituimus locum, *qui provinciam obtineret*. Rhenanus.

5 *Non minus tali largitione, quam corripiendis pecuniis, subjectos affligebant*] *Largitionem* accipio pro ipsis muneribus, sive spectaculis. quibus Præsides multa, sportularum nomine, largiri solebant. Subjecti autem affligebantur, dum feras, equos, animaliaque inusitata perquirerent, ac vestes aliaque munera conferrent *Pichena.*

6 *Dum qua libidine deliquerant*] Dum furta defendunt largitione spectaculorum. *Ferretius.* Captabant scil. editionibus illis gratiam favoremque subjectorum, ut postquam officio perfuncti essent, legati è provinciis ad senatum decernerentur, qui Præsides eorumque res gestas laudarent. eo igitur favoris & laudis ambitu muniebant se adversus latrocinia & rapinas, quas in Provinciis exercuerant. *Pichena.*

7 *Factum SC.*] Quod Pisonianum dictum, in l. Senatusf. De SC. Silan. & Neronianum à Paullo lib. III. Sentent. Certe conditum vulgatumque est, Nerone II. & Pisone Coss. Latum ea de re & antea sub Augusto, P. Cornelio Dolabella, & C. Silano Coss. unde nomen SC. Silaniani; sed minus plene. Dixerunt plura ante me, Vertranius hoc loco, & J. Cujacius, I. Observ. cap. XVIII. *Lipsius.*

Factum SC. ultioni & securitati] Vocatur id in jure civili, SC. Pisonianum. Cujus Paulus meminit. l. 8. D. de SC. Silaniano. *Alciatus.* Cum aliter nulla domus tuta esse possit, nisi periculo capitis sui custodiam dominis tam ab domesticis, quam ab extraneis præstare servi cogantur, ideo SCta introducta sunt de publica quæstione in familiam domi necatorum habenda. Primumque temporibus Augusti P. Cornelio P. F. Dolabella C. Junio Silano Coss. SCto cautum fuit, ut *Domino occiso de servis, qui sub eodem tecto in eademve regione fuissent, quæstio haberetur, suppliciumque de reis sumeretur, priusquam aperiri tabulæ adirive hæreditas scripto ab hærede posset; alias ut ab indigno ablata publicaretur.* Mox incidit in Patrum cognitionem, ejusne, qui à familia occisus diceretur, testamentum apertum adversus Silanianum SC. & ante vindicatam necati necem dici in posterum semper posset, quinquenniique tempus constitutum est SCto. M. Æmilio Lepido, T. Statilio Tauro Coss. ut Venulejus Saturninus scriptum reliquit. Deinde ut naturaliter evenire solet, juris interpretatio desideravit anctoritatem, cum ambigeretur, an de servis, quibus libertatem testa-

curitati, *ut si quis à suis servis interfectus esset, ii quoque qui testamento manumissi sub eodem tecto mansissent inter servos supplicia penderent.* [1] Redditur ordini Lurius Varius consularis, avaritiæ criminibus olim perculsus. [2] Et Pomponia Græcina insignis femina, Plautio, [3] qui ovans se de Britanniis rettulit, nupta, ac [4] *superstitionis externa* rea, mariti judicio permissa. Isque prisco instituto, propinquis coram, de capite famaque conjugis cognovit, & [5] insontem nuntiavit. Longa huic Pomponiæ ætas, & [6] continua tristitia fuit. Nam [7] post Juliam Drusi filiam dolo Messallinæ interfectam, [8] per quadraginta annos, non cultu nisi lugubri, non animo nisi

mento defunctus scripsisset, idem quod de cæteris juris esset, Nero Claudius II. & L. Piso Consules rem ad Senatum retulerunt, Patresque censuere: *De his quoque servis, qui testamento manumissi essent, perinde atque de servis supplicium sumendum.* Quod Cornelius hoc loco, Ulpianus libris ad Edictum retulit l. 3. §. 16. D. de SC. Silan. & Claud. Cavit autem eodem decreto Senatus, quod à Cornelio prætermissum esse miror, hoc amplius: *ut si servus obnoxius pœnæ venisset, quandocunque in eum animadverti oporteret, venditor pretium præstaret: ne scil. injurius emptori Senatus videatur*, inquit Paulus. Cavit item *ut occisa uxore, etiam de familia viri quæstio habeatur: utque idem juxta familiam uxoris observetur si vir dicatur occisus*, quod ab Aniano in Receptis Sententiis lib. 3. ex Julio Paullo positum, Ulpiano placuerat. Hæc vero eidem SCto à nobis tributa, Paulus adscribit Claudiano, Neroniano, & Pisoniano: quæ diversa vocabula, eadem ipsa re sunt. Fuit enim idem Nero & Claudius gentili adoptivoque nomine, ejusque collegam L. Pisonem diximus. *Vertranius.*

1 *Redditur ordini Lusius Varius*] Placeret, *L. Varius.* Ursinus. Muretus, *L. Varius.* Acidalius. *Lusius Geta* benigne retinetur ab omnibus in lib. 12. quia id exigunt antiqui codices. Hoc autem loco cum in antiquissimo omnium legatur *Lurius*, & sic ex eo inceperit edere Beroaldus, quorum est illa malevola solertia, ut in Tacito substituant *Lusius?* Id tolerandum non putavi. Litera canina etiam spectabatur a me in Oxoniensi, etsi nomen proferret *Lurns.* Ex Pighii Annalibus patet affatim Varios fuisse peregrinos, ex quibus hic prorepsit ad Senatoriam dignitatem utque suffectus aliquando consul fuerit, perinde ut contigit *Viniciis* 6, 15. & *Varius Crispinus* 1. hist. 80. & bene servata memoria poetæ isto nomine etiam per fragmenta. *Jac. Gronovius.*

2 *Pomponia Græcina*] Soror filiave Pomponii Græcini qui consul sub Augusto: & ad quem Elegia Ovidii IV. De Ponto. *Lipsius.*

3 *Qui ovans se de Britanniis retulit*] Indefinitus sermo. Quando enim? Sed idem nec Cornelianus. Omninò credo scriptum fuisse, & legendum, *quem ovasse de Britannis retuli.* Id tamen quo libro, non memini, nec sat scio, an in his qui exstant. In vita Agricolæ meminit quidem Plautii, sed non ovationis. *Consularium primus Aulus Plautius præpositus*, (Britanniæ sc.) *ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius.* Acidalius. Quasi non Virgilius 4. Georg. *fessa multa referunt se nocte minores.* Et 7. Æneid. *Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis Sæva Jovis conjux.* Horatius lib. 1. Sat. 6. *inde domum me Ad porri & ciceris refero laganique catinum.* Gronovius.

4 *Superstitionis externa rea*] Christianismi credo accusatam hanc feminam, sive, ut tunc confundebant, Judaismi. Non ergo superstitionis, sed religionis. Etsi universe fateor, genus hoc ad δεισιδαιμονίαν & inanem externumque cultum, nimis pronum. Strabo l. VII. pulchre & ex Veri adyto: Ἅπαντες γὰρ τῆς δεισιδαιμονίας ἀρχηγοὺς οἴονται τὰς γυναῖκας. Αὗται δὲ καὶ τοὺς ἄνδρας προκαλοῦνται πρὸς τὰς ἐπὶ πλέον θεραπείας τῶν θεῶν, καὶ ἑορτὰς, καὶ ποτνιασμούς. σπάνιον δ' εἴ τις ἀνὴρ καθ' αὑτὸν ζῶν εὑρίσκεται τοιοῦτος. *Superstitionis auctores & duces esse feminas, omnes opinantur. Ea enimvero viros invitant ad supervacuos nimiosque deorum cultus, & dies festos, & venerationes. At raro profecto vir cælebs & sibi vivens invenietur talis.* Lipsius.

Ac superstitionis externa rea] Forte Christianam pietatem intelligit, nam apparet sanctam mulierem fuisse Pomponiam Græcinam. Tacitus loquitur ut ethnicus. *Rhenanus.*

5 *Insontem pronuntiavit*] Ita legendum ut in V. C. non ut vulgo, *nuntiavit.* Ursinus. Cur non *pronuntiavit?* Id repone. Notavit & Muretus. *Acidal.*

6 *Continua tristitia fuit*] Perspicua & indubitata lectio. Mirum tamen, ni Tacitus, *continua tristitia*, scripsit ut lib. 6. *Haud multo post Cocceius Nerva continuus principis*, &c. Sed non minus elegans illud alterum: quomodo etiam lib. 6. eodem est. *Ipsi fluxam senio mentem, & continuo abscessu, velut exsilium objectando.* Acidalius.

7 *Post Juliam Drusi filiam*] Duas enim Julias Claudius sustulit, suasu sive jussu Messallinæ: alteram Drusi, alteram Germanici prolem. Sueton. cap. XXIX. & Dio LX. Seneca in Ludo. *Lipsius.*

8 *Per quadraginta annos*] Luctus hic, ut clarum, ob Juliam interfectam. Ab ejus ergo cæde quadraginta anni? Falsum. Nam ea cæsa paullo ante expeditionem Claudii in Britanniam; uti è Dione liquebit tibi. Scribe fidejubente me, *quatuordecim annos.* Mors enim Juliæ in annum incidit urbis DCCXVI. à quo ad hunc Neronis consulatum justi XIV. anni. *Idem.*

Per

nisi mæsto egit. Idque illi imperitante Claudio impune, mox ad gloriam vertit.
Idem annus plures reos habuit. quorum P. Celerem, accusante Asia, [1] quia absol- 33
vere nequibat Cæsar, traxit senecta donec mortem obiret. nam Celer interfecto, ut
memoravi, Silano proconsule, magnitudine sceleris cetera flagitia obtegebat. [2] Cos-
sutianum Capitonem Cilices detulerant *maculosum fœdumque, & idem jus audaciæ in
provincia ratum, quod in urbe exercuerat.* Sed pervicaci accusatione conflictatus,
postremo defensionem omisit, ac lege repetundarum damnatus est. Pro Eprio Mar-
cello, à quo Lycii res repetebant, eo usque ambitus prævaluit, ut quidam accusa-
torum ejus exsilio multarentur, *tamquam* [3] *insonti periculum fecissent.* Nerone ter- 34
tium consule [4] simul iniit consulatum Valerius Messalla, [5] cujus proavum oratorem
Corvinum, divo Augusto abavo Neronis, collegam in eo magistratu fuisse, pauci
jam senum meminerant. sed nobili familiæ honor auctus est, oblatis [6] in singulos
annos quingenis sestertiis, quibus Messalla paupertatem innoxiam sustentaret. Aurelio
quoque Cottæ & Haterio Antonino annuam pecuniam statuit princeps, quamvis per lu-
xum [7] avitas opes dissipassent. Ejus anni principio, [8] mollibus adhuc initiis prolatatum
inter Parthos Romanosque de obtinenda Armenia bellum, acriter sumitur: quia nec
Vologeses sinebat fratrem Tiridaten dati à se regni expertem esse, aut alienæ id po-
tentiæ

Per quatuordecim annos] Ita Lipsius ex historia correxit. Falso libri omnes, *quadraginta.* Pichena. Probabili admodum conjectura rescribit Criticorum primus, *quatuordecim annos*: Sed cum minime adseveret Tacitus feminam istam diem suum obiisse anno, quo & accusata, & absoluta est; & interim tribuat ipsi longum ævum; nescio an emendationi, huic justa aliqua insit auctoritas. *Gruterus.* Mutat vir doctiss. ut mihi videtur absque causa. Certe omnes quos vidi, libri *quadraginta* retinent, recte. nec enim computari debet ad hunc usque annum, cujus acta hic narrantur, sed ad id tempus, quo Tacitus hæc perscripsit: qui ut apparet, numeravit ad mortem usque Pomponiæ, nam *longam ætatem* feminæ tribuit, & *continuam* (nempe tota illa longa ætate) tristitiam. *Freinshemius.*

1 *Quia absolvere nequibat Cæsar, traxit sententiam donec mortem obiret*] Ita Faernus legebat. Nam illud, *senecta*, quod est in vulgatis, mendosum videtur & sine sensu. *Ursinus.*

2 *Cossutianum Capitonem Cilices*] Hunc aut alium sui ævi intelligi Juvenalis voluit Sat. VIII.

—— *quam fulmine justo*
Et Capito & Tutor ruerint damnante Senatu,
Piratæ Cilicum.

Sed magis certo Fabius lib. VI. *Egregie nobis adolescentibus dixisse accusator Cossutiani Capitonis videbatur, Græce quidem, sed in hunc sensum: Erubescis Cæsarem timere.* Lipsius.

3 *Insonti periculum fecissent*] Latine dici *facere periculum alicui*, pro, adducere in periculum, indicat locus alter lib. 16. *Fregitque annulum, ne mox usui esset ad facienda pericula.* Alioqui maluissem hic legere, *facessissent pericula*, à *facesso* verbo. quemadmodum lib. 1. loquitur de Romano Hispone: *mox clarissimo cuique periculum facessit.* Item lib. 4. Hist. *qui perinde dives ac eloquentia clarus, nulli unquam sub Nerone periculum facessisset.* Quin usurpat *pecuniæ periculum facere*, pro jacturam facere, lib. 14. *Auxitque patrum honorem statuendo, ut qui à privatis ad Senatum provocavissent, ejusdem pecuniæ periculum facerent, cujus ii qui imperatorem appellavere.* Rhenanus.

4 *Simul init consulatum*] Scripsimus, *simul iniit.* Rhenanus.

5 *Cujus proavum oratorem*] Vulgo *auctorem*, pessime. *Lipsius.* Certe Beroaldus non aliter edidit quam *cujus proavum oratorem.* Jac. Gronovius.

6 *In singulos annos quingenis sestertiis*] Hunc ergo Suetonius intellexit cap. X. *Senatorum nobilissimo cuique annua salaria, & quibusdam quingena constituit.* Lipsius.

7 *Avitas opes*] Vulgo, *habitas*, errore tralatitio. *Lipsius.*

Habitas opes] Lib. 11. ann. *tum quicquid habitum Neronibus & Drusis.* Doctiss. vir in utroque loco legit, *avitas* & *avitum.* Me vero haud pœnitet vulgatæ lectionis: quis enim mendacii me coarguat, si dicam majores ejusmodi nepotum Iros fuisse? præterea parta Germanico & Claudio (quod absurdum) non continentur hoc verbo *avitum.* Salinerius. Non exstat in hoc loco iste dativus, ut ideo nec de participio isto cogitari debeat. Etiam Florus 1, 1. *Et cum generis sui avitas opes pro dote sociarent.* 1. hist. 40. *Avito Arsacidarum solio.* Jac. Gronovius.

8 *Mollibus adhuc initiis prolatum*] Restitui *prolatatum.* nam etiam alibi Tacitus hoc utitur verbo lib. 5. *Sed ubi diem ex die prolatabant.* lib. 15. *interim cunctantibus prolatantibusque spem ac metum*, Lib. 2. Hist. *Seu domum extruere seu prolatare agros.* Lib. 3. Hist. *Sed omnem prolatationem ut inimicam victoriæ*

tentiæ donum habere; & Corbulo dignum magnitudine populi Romani rebatur, parta olim à Lucullo Pompeioque recipere. Ad hæc Armenii ambigua fide utraque arma invitabant, situ terrarum, similitudine morum Parthis propiores, connubiisque permixti, ac libertate ignota illuc magis ad servitium inclinantes. Sed Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum, quam contra perfidiam hostium erat. Quippe Syria transmotæ legiones, pace longa segnes, [1] munia Romanorum ægerrime tolerabant. Satis constitit fuisse in eo exercitu veteranos; qui non stationem, non vigilias inissent; vallum fossamque quasi nova & mira viserent; sine galeis, sine loricis, nitidi & quæstuosi, militia per opida expleta. Igitur dimissis [2] quibus senecta aut valetudo adversa erat, supplementum petivit. Et habiti per Galatiam ac Cappadociam delectus. Adjectaque ex Germania legio cum equitibus alariis, & peditatu cohortium: retentusque omnis exercitus sub pellibus, quamvis hieme sæva adeo, ut obducta glacie, nisi effossa humus tentoriis locum non præberet. Ambusti multorum artus vi frigoris, & quidam inter excubias exanimati sunt. Annotatusque miles, qui fascem lignorum gestabat, [3] ita præriguisse manus, ut oneri adhærentes, [4] truncis brachiis deciderent. Ipse cultu levi, capite intecto, in agmine, in laboribus, frequens adesse: laudem strenuis, solatium invalidis, exemplum omnibus ostendere. Dehinc quia duritiam cæli militiæque multi abnuebant, deserebantque, remedium severitate quæsitum est. Nec enim, ut in aliis exercitibus, primum alterumque delictum

suspectabant. Usurp. & Liv. Paulo post. *Ac libertate ignota illic*, malim, *illuc*. Rhen. Forte *illud*. Lipsius.

1 *Munia Romanorum*] Translucet ineptia lectionis hujus, quomodocunque tegatur, præsertim si componas alteram illam, quam auctori restituo, *munia armorum*. nihil clarius. ecce *pacem* modo nominaverat, ei quid opponit quam arma? *pace longa segnes munia armorum ægerrime tolerabant*. Sic *munia belli* Hist. 2, 29. Hist. 3, 59. *militia* 15, 11. Hist. 1, 48. *Freinshemius*. Ita accipio, tanquam hi Romani ita exuissent segni otio & longa pace mores militiæ disciplinamque Romanæ, ut vix Romani esse viderentur. Considera sequentia. Et sic loquuntur elegantissimi auctores. Ita, *ultimi Romanorum*, post quos tamen Romani plurimi superfint, illi vocantur, qui virtutes majorum expressere. Vononem ut externum habent & expellunt Parthi, quia *Romanis artibus* infectus. Annal. II. Italum Arminii fratris filium, eadem de caussa Cherusci. Annal. XI. Si hæc interpretatio adsensum non mereatur, haud dubie verissima est doctissimi amicissimique viri, Joh. Freinshemii, cujus eximias dotes nuper hic nobis propius intueri contigit, & utilissimæ in Tacitum observationes jam publice leguntur, sententia, qui pro *Romanorum*, levi mutatione & Corneliana phrasi, *armorum* reponendum arbitratur. *Boxhornius*. Sed eximius Vir non habuit inde causam expellendi literas priores sive *Rom.* sive *Ro* scriptæ fuerint. Sponte enim apparet vitium ortum ex compendio scribendi *munia Rom. armorum*: quod quisque videt, quemadmodum integrari oportet, ut sæpe antea ista contractio occurrit: etiam quum 2. hist. 29. dicuntur *munia belli*, intelligi debet *Romam*; agitur enim de *tuba sono, quo miles ad belli munia cietur*. Neque enim id ubique obtinuit. *Jac. Gronovius*.

2 *Quibus senecta aut val.*] Quæ hæc ratio agendi? In MS. Mediceo plane exstat *senectus*. An ea tam fœda est, ut Beroaldus negaverit Tacitum fuisse usum? & post hunc omnes editores? Quis credat? Immo an non Annales hos incepit ita, *Postquam provecta jam senectus ægro & corpore fatigabatur?* Sane altera vox perinde bona est, & apud scriptorem nostrum occurrit; sed antiquitatis fides sola in talibus dominans, delenda non est. In eodem mox etiam legitur *Galatiam Cappadociamque del.* Nisi quod insuper fateri cogar prioris regionis nomen ab viris doctis vix satis caute adsumptum videri, quum id scribat liber optimus *Galiciam*. Mirum, ni in ea latere videas *Cilisiam*. Etsi enim videas scribi 15, 6. *Simul Pontica & Galatarum Cappadocumque auxilia*: illa nihil pertinent ad hanc regionum connexionem. *Jac. Gronovius*.

3 *Ita præriguisse manus*] Significat ipsas manus, frigore præmortuas, una cum fasce devolutas vel abjectas Negat aut ridet vir quidam scriptis & genere nobilis, olim mihi serio inter amicos. Atquin & Dio notat in illo tractu vim frigoris esse (lib. XLIX. actis anni DCCXVIII.) & Annales Turcici, *supra Trebizium, Soleimanni milites cum Parthos insequerentur, tanto frigore oppressos, ut plurimi manus pedesque amitterent*. Hoc nostro ævo factum, anno ∞. IↃ. XXXV. neque igitur sic mirandum illud Taciti, aut ridendum. Scio & à gnaris similia aut majora asseri, qui in Septemtrione fuerunt. *Lipsius*.

4 *Truncis brachiis reciderent*] Mutavi, *reciderent* in *deciderent*. Rhen.

1 *Prio-*

deliẜtum venia prosequebatur, sed qui signa reliquerat, statim capite pœnas luebat. Idque usu salubre, & misericordia melius apparuit. quippe pauciores illa castra deseruere, quam ea in quibus ignoscebatur. Interim Corbulo legionibus intra castra ha- 36
bitis, donec ver adolesceret, dispositisque per idoneos locos cohortibus auxiliariis; ne pugnam [1] priores auderent, prædicit. [2] Curam præsidiorum Pactio Orphito primipili honore perfuncto mandat. Is quamquam incautos Barbaros; & bene gerendæ rei casum offerri scripserat, *tenere se munimentis, & majores copias opperiri* jubetur. Sed rupto imperio, postquam paucæ è proximis castellis turmæ advenerant, pugnamque imperitia poscebant, congressus cum hoste funditur. Et damno ejus exterriti qui subsidium ferre debuerant, sua quisque in castra trepida fuga rediere. Quod graviter Corbulo accepit: increpitumque Pactium, & præfectos, militesque [3] *tendere omnes extra vallum* jussit. [4] inque ea contumelia detenti, nec nisi precibus universi excercitus exsoluti sunt. At Tiridates super proprias clientelas, ope Volo- 37
gesi fratris adjutus, non furtim jam, sed palam bello infensare Armeniam, quosque fidos nobis rebatur depopulari; & si copiæ contra ducerentur, eludere, [5] huc quoque & illuc volitans, [6] plura fama quam pugna exterrere. Igitur Corbulo, quæsito diu prœlio, frustra habitus, & exemplo hostium circumferre bellum coactus, dispartit vires, ut legati præfectique diversos locos pariter invaderent. Simul regem [7] Antiochum monet, *proximas sibi præfecturas petere.* Nam Pharasmanes interfecto filio

1 *Priores adirent, prædicit*] Probum quod in Romano libro est, *priores auderent.* Vellem etiam, *edicit.* Lipsius.

Ne pugnam priores auderent] Verbum, *auderent*, reposuit Lipsius ex Vat. Idem annuit Flor. in quo legitur, *audirent.* Male vulgo, *adirent.* Pichena.

2 *Curam præsidiorum Pactio Orphito primipili honore perfuncto mandat*] *Pactius* insolitum Romanis vocabulum. Muretus mutat, *P. Attio Orphito.* & paulo post item, ubi *increpitumque Pactium*, legit, *P. Attium.* Hæreo, & nec hoc admittere, nec vulgatum ferre possum. *Acidalius.* *Paccii* & *Paccia* satis frequentes in vetustis lapidibus. *Gronovius.*

3 *Tendere omnes extra vallum*] Quod pœnæ militaris genus antiquum. Livius l. x. *Cohortes quæ signa amiserant, extra vallum sine tentoriis destituit.* Valerius lib. II. cap. VII. *Neve quis eorum intra castra tenderet, neve locum extra assignatum vallo aut fossa cingeret, neve tentorium ex pellibus haberet.* Vide & Polyb. lib. VI. Sed proprie de hac ipsa re, sic Frontinus IV. Stratagem. *Domitius Corbulo in Armenia duas alas & tres cohortes, quæ ad castellum initio hostibus cesserant, extra vallum jussit tendere.* Lipsius.

4 *Inque ea contumelia detenti*] Credo Tacitum scripsisse, *Diuque ea* (in) *contumelia detenti.* Acidalius.

5 *Huc quoque & illuc volitans*] Lego primum, *hucque & illuc.* deinde, ut in libro opt. *pugna exterrere.* Vera sententia, scriptioque. Nam hoc ait, Tiridatem ostendisse potius arma, quam intulisse; & plura exterruisse adventus sui fama, quam pugna. *Lipsius.*

6 *Plura fama quam pugna exterrere*] Codex Budensis habet, *extrahere*; ut de tempore sit intelligendum. & præcedit, *eludere huc & illuc volitans*, Itaque castigavi locum. *Rhenanus.* Sincera mihi sunt, quæ inter maculosa à doctiss. viro censentur: quid sit *extrahere plura fama quam pugna*, non è tenebris eruendum. Fixum Tiridati sese non dare in casum pugnæ, & vis Romana tamen erat ab Armeniis suarum partium prohibenda: itaque ut sic eos saltem juvaret, usurpat, quod olim factum Jugurthæ. Sallust. *neque prælium facere neque otium pati*: quodque Tacfarinati Tacitus lib. 4. ann. *spargit bellum, ubi instaretur, celeris, ac rursum in terga remeans.* quamobrem dando famæ se prœlio adfuturum, sæpius milites Romanos è castris eduxit, quam accinctis pugnæ copiam fecit. Hæc his firmantur: *igitur Corbulo quæsito diu prælio frustra habitus.* τὸ *plura*, adverbii vice, ut *arguitur pleraque Cajum Cæsarem quasi incesta virilitatis.* Et ut Thucyd. lib. 3. καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ἐβοήθουν ἡμῖν ἐναντία Θηβαίοις. i. illi autem nobis auxiliabantur adversa Thebanis. *adversa* vice adverbii. *Salinerius.* Antea, *extrahere*, quod ex Budensi libro reposuerat Rhenanus. At Flor. & alii antiquiores habent, *exterrere*, ac Lipsio magis probatur. *Pichena.* Optime Lipsius: *hucque & illuc volitans, plura fama quam pugna exterrere.* Sic lib. 15. *arctis itineribus, hucque & illuc flexis.* Nam in illo *extrahere* nihil sani sensus, quicquid conetur Salinerius. *Gronovius.*

7 *Antiochum*] Commagenæ regem, ut supra dictum. *Lipsius.* Sed audaci errore invertuntur voces, quum non legas in Mediceo *Antiochum regem*, ut editur, sed *regem Antiochum*, quod repono. *Jac. Gronovius.*

1 *Pro-*

filio Rhadamisto, *quasi* [1] *proditore sui*; quo fidem in nos testaretur, vetus adversus Armenios odium promptius exercebat. [2] Tuncque primum illecti Insochi gens [3] ante alias socia Romanis, avia Armeniæ incursavit. [4] Ita consilia Tiridati in contrarium vertebant. Mittebatque oratores, qui suo Parthorumque nomine expostularent: *cur datis nuper obsidibus, redintegrataque amicitia, quæ novis quoque beneficiis locum aperiret, vetere Armeniæ possessione depelleretur? Ideo nondum ipsum Vologesen commotum,* [5] *quia caussa, quam vi agere mallent. Sin perstaretur in bello; non defore Arsacidis virtutem fortunamque,* [6] *sæpius jam clade Romana expertam.* Ad ea Corbulo, satis comperto Vologesen defectione Hyrcaniæ attineri, suadet Tiridati, *precibus Cæsarem aggredi; posse illi regnum stabile, & res incruentas contingere, si omissa spe longinqua & sera, præsentem potioremque sequeretur.*

38 Placitum dehinc, *quia commeantibus invicem nuntiis,* [7] *nihil in summa pacis proficiebatur, colloquio ipsorum tempus locumque destinari. Mille equitum præsidium* Tiridates *afore sibi* dicebat; *quantum Corbuloni cujusque generis militum assisteret, non statuere, dum positis loricis & galeis, in faciem pacis veniretur.* Cuicumque mortalium, nedum [8] veteri & provido duci, barbaræ astutiæ patuissent.

Ideo

1 *Proditore suo*] Scribo, *sui.* Lipsius.

Quasi proditore sui] Vox, *sui*, aut *suo*, ut in nonnullis, à Flor. abest. *Pichena.*

2 *Tuncque primum illecti Insechi*] Consentit cum Vat. noster in voce, *Insechi.* Vulgo, *Isichi.* Restitui etiam ex Flor. copulam, *tuncque.* nam in vulgatis interciderat. *Pichena.* Lipsius in prioribus editionibus aliter conceperat notam, quæ sequitur, eique in fine addiderat (At qui hic Isichi, Vaticano sunt *Insechi.*) Inde venit ista notitia ad Pichenam. Quem tamen magnopere miror ita testantem de Florentino, quasi ita consentiret cum Vaticano, quum & ipse & frater viderimus illic *Insochi*, atque ita notaverimus. Quod debuit publice constare, quia videor mihi ex MSS. codicum Pomponii Melæ scriptura satis luculente nomen hujus populi latibulis absurdis inclusum excitavisse, si placuerit inspicere, quæ scripsi ad I, 19, 79. Hinc debui verum reponere. *Jac. Gronovius.*

3 *Ante alias socia*] Nostro scilicet tempore socii & fidi super alios: etsi tunc illecti. Ita possis capere, fateor: nec displicet tamen meum vetus: *gens haud alias.* Lipsius.

Gens ante alias socia Romanis, avia Armeniæ incursavit] Non de nihilo Doctiss. vir emendavit: *gens haud alias socia.* nam qui ante socii, si tum primum in societatem asciti? Verum ne quid inexpertum relinquam, facillime credam hæc eo dicta fuisse, quod Isichi, qui tunc primum allecti in Romanorum societatem, munia sociorum curatius, & promtius præstarent, quam cæteri, qui in eodem tractu Romanam amicitiam colebant. *socia*, quæ serio socios juvabat, ut non vere consul, qui reip. non consulebat, *quasi aut legibus cum Silio ageretur, aut Varro consul aut illud respub. esset.* Salinerius. Lectio hæc, *gens ante alias socia Romanis*, omnium librorum consensu confirmatur. Lipsius mutavit. nam, ait ille, si tunc primum illecti, ergo non socii ante alios. neque ego judicium ejus improbo. Tamen subsistere videtur prisca lectio, si intelligamus, Tacitum loqui de suo sæculo, dum ait, Insechorum gentem fuisse sociam Romanis ante alias: at tunc, scilicet historiæ illius tempore, societatis & amicitiæ principium. Quod confirmare videntur verba, *tuncque primum illecti:* quæ indicant, eos sequentibus etiam temporibus sæpe adfuisse Romanis, atque in eorum societate & amicitia constanter perseveravisse, ante alios illius regionis populos. *Pichena.*

4 *Ita consilia Tiridati in contrarium vertebantur*] Muret. *vertebant.* Acidalius. Idque est in Flor. *Jac. Gronovius.*

5 *Quia causa quam vi agere mallent*] Scripsi, *mallent*, auctore Florentino. nam de duobus, scil. Vologese, ac Tiridate intelligitur. Vulgo, *mallet.* Pichena.

6 *Sepius clade Romana expertam*] Muretus inserit. *Sepius jam clade R. expertam.* Acidalius. Ex Flor. addidi particulam, *jam.* Pichena.

7 *Nihil in summa pacis proficiebatur*] Faernus rectissime, ut opinor, legebat: *Nihil in summam pacis*, &c. Ursinus. Lego, *in summam pacis.* Notavit *in summam* Muretus quoque sed τὸ *pacis* idem delevit. Male. *Acidalius.*

8 *Veteri & provido duci*] Cujus eruditionis etiam & studii in litteris signum, quod Plinius aliquotiens Corbulonem inter auctores laudat, quorum opera usus. uti indice lib. v. & vi. Patrem egregio viro fuisse suspicor Pomponium, aut Orfitum, suadente Plinio lib. vii. cap. v. *Vestilia, C. Herdicii ac postea Pomponii Orfiti* (scribe ex libris, *Pomponii atque Orfiti*) *clarissimorum civium conjux, ex his quattuor partus enixa, Sempronium septimo mense genuit, Suilium Rufum undecimo, Corbulonem septimo, utrumque consulem: postea Cæsoniam Caji Principis conjugem, octavo.* Lipsius.

1 *Majo-*

Ideo artum inde numerum finiri, & hinc [1] majorem afferri, [2] ut dolus pararetur. [3] nam equiti fagittarum ufu exercito, fi detecta corpora objicerentur, nihil profuturam multitudinem. [4] Diffimulato tamen intellectu; *rectius de his quæ in publicum confulerentur, totis exercitibus coram differtaturos* refpondit. Locumque delegit, cujus pars altera colles erant clementer affurgentes, accipiendis peditum ordinibus; pars in planitiem porrigebatur, ad explicandas equitum turmas. Dieque pacto, prior Corbulo focias cohortes & auxilia regum pro cornibus, medio fextam legionem conftituit; cui accita per noctem aliis ex caftris tria millia tertianorum permifcuerat, una cum aquila, quafi eadem legio fpectaretur. Tiridates vergente jam die procul aftitit, unde videri magis quam audiri poffet. Ita fine congreffu dux Romanus abfcedere militem fua quemque in caftra jubet. Rex five fraudem fufpectans, quia plura 39
fimul in loca ibatur, five ut commeatus noftros Pontico mari, & Trapezunte opido adventantes interciperet, propere difcedit. Sed neque commeatibus vim facere potuit, quia per montes ducebantur præfidiis noftris infeffos: & Corbulo, ne irritum bellum traheretur, utque Armenios ad fua defendenda cogeret, exfcindere parat caftella. Sibique quod validiffimum in ea præfectura [5] cognomento *Volandum* fumit; minora Cornelio Flacco legato, & [6] Infteio Capitoni caftrorum præfecto mandat. Tum circumfpectis muniimentis, & quæ expugnationi idonea, provifis; hortatur milites, *ut hoftem vagum, neque paci aut prælio paratum, fed perfidiam & ignaviam fuga confitentem, exuerent fedibus, gloriæque pariter & prædæ confulerent.* Tum quadripartito exercitu, hos in teftudinem conglobatos, fubruendo vallo inducit; alios fcalas mœnibus admovere, multos tormentis faces & haftas incutere jubet. [7] Libritoribus funditoribufque attributus locus, [8] unde eminus glandes torquerent; ne qua pars fubfidium laborantibus ferret, pari undique motu. Tantus inde ardor certantis exercitus fuit, ut intra tertiam diei partem, nudati propugnatoribus muri, obices porta-

1 *Majorem afferri*] Danefius legebat *offerri.* Urfinus Lego, *offerri.* Acidalius. Si me audis fcribe: *& hinc majorem ferri.* hoc eft, permitti, concedi, tolerari. *Gronovius.*

2 *Ut dolus patraretur*] Mihi magis arridet, quod in Codice Budenfi legitur, *ut dolus pararetur.* Rhenanus. Vulgati, *patraretur.* & utrique verbo fenfus. Sed Florentinum fum fecutus. Sic lib. 6. *tanquam dolus pararetur.* lib. 14. *qui fpecie amicitia dolum parabant.* Pichena.

3 *Nam equiti fagittarum ufu exercito*] Non erat hic opus adjicere particulam *nam*, quæ non eft in exemplari fcripto. *Rhenanus.*

4 *Diffimulato tamen intellectu*] Ad Taciti phrafim magis, *intellecta.* Lipfius.

Diffimulato tamen intellectu] Bene & recte Lipfius *intellecta*, uti quoque Muretus. Sed ego fingulari numero malim, *intellectum.* Acidalius. Utuntur verbo *intellectu.* fic & Jurifconfulti l. 8. §. 5. D. de religiof. *etiamfi non ipfe prohibitus fit, fed procurator ejus, quia intellectu aliquo ipfe prohibitus videtur.* l. 60. §. 3. D. Mandati: *Si inter maritum & focerum id actum effet vel tacito intellectu.* Aurelius.

5 *Cognomento vallandum*] In exemplari fcripto legitur *volandum*, tamquam id fit caftelli cognomentum. *Rhenanus.*

6 *Ifteo Capitoni*] Ex lapid. *Infteio.* Mirum ni idem. qui fupra Hoftorius dicitur, ubi de recipiendis obfidibus actum. Certe Vatic. liber eo loci, *Hifteus*, non *Hoftorius* præferebat. Nec moveor, quod ibi centurio dicitur, hic Præfectus caftrorum. Potuit enim honore effe auctus. *Lipfius.*

Ifteo Capitoni caftrorum præfecto mandat] De nomine *Ifteo* Lipfius difputat. Muretus notavit *Atteio.* Acidalius. In Florent. *Infteio Capitoni* fcribitur & Lipfius ait ita appellari in lapidibus. Vulgo, *Ifteo Capitoni.* Pichena.

7 *Libritoribus*] Legis jam: prout dedit Tacitus, me indicante 2, 20. *Jac. Gronovius.*

8 *Unde eminus glandes torquerent*] Libratores ergo glandes torquebant? imo tela, lapidefque. Integer locus, quod mirere, apud Calepinum legitur: *unde eminus lapides & glandes torquerent.* Lipfius. Poffunt illi lapides peti ex 5. hift. 17. *Saxis glandibufque & ceteris miffilibus prælium incipitur*, & unde forfan Calepinus tranftulit. Magis miror, unde Lipfius fic amaverit, & ex ejus æmulatione recentiores omnes *pari und. metu*, quum nulla etiamnum veftigia metus præcefferint. Utique Beroaldus habet *motu*, & plane fic eft in Mediceo, ut hæc fit vera lectio, & prorfus convenientiffima, unde repetendam cenfui. *Jac. Gronovius.*

portarum subversi, capta escensu munimenta, omnesque puberes trucidati sint, nullo milite amisso, paucis admodum vulneratis. & imbelle vulgus sub corona venundatum: reliqua præda victoribus cessit. Pari fortuna legatus ac præfectus usi sunt, tribusque una die castellis expugnatis, cetera terrore, & alia sponte incolarum, in deditionem veniebant, unde orta fiducia [1] caput gentis Artaxata aggrediendi. Nec tamen proximo itinere ductæ legiones, quæ si amnem Araxen, qui mœnia alluit,
40 ponte transgrederentur, sub ictum dabantur: procul & latioribus vadis transiere. At Tiridates pudore & metu, ne si concessisset obsidioni, nihil opis in ipso videretur; si prohiberet, impeditis locis seque & equestres copias illigaret: statuit postremo ostendere aciem, [2] & dato die prœlium incipere, vel simulatione fugæ, locum fraudi parare. Igitur repente agmen Romanum circumfundit, non ignaro duce nostro, qui viæ pariter & pugnæ composuerat exercitum. Latere dextro tertia legio, [3] sinistro sexta incedebat, [4] mediis decumanorum delectis: recepta inter ordines impedimenta, & tergum mille equites tuebantur. quibus jusserat, *ut instantibus comminus resisterent, refugas non sequerentur.* [5] In cornibus pedes sagittarius, & cetera manus equitum ibat, [6] productiore cornuum sinistro per ima collium, ut si hostis intravisset, fronte simul & sinu exciperetur. Assultare ex diverso Tiridates, non usque ad jactum teli, sed tum minitans, tum specie trepidantis, si laxare ordines & [7] diversos consectari posset. Ubi nihil temeritate solutum, nec amplius quam decurio equitum audentius progressus, & sagittis confixus, ceteros ad obsequium exemplo firmaverat,
41 propinquis jam tenebris abscessit. Et Corbulo castra in loco metatus, an expeditis legionibus nocte Artaxata pergeret, [8] obsidioque circumdaret, agitavit, concessisse illuc

1 *Caput gentis Artaxata*] Conditam ab Artaxia rege, suasu Annibalis Pœni. Plutarchum adi in Lucullo. *Lipsius.*

2 *Et dato die*] Id est, primo die dato, cum illuxisset. Ita IV. Annal. *datoque tempore, non reticebo*: id est, oblato. *Lipsius.*

Dato die prœlium incipere] Suspicor legendum, *claro die.* Subintelligendum est enim ante lucem exercitum à Tiridate motum. Sic paulo infra: *propinquis jam tenebris abscessit.* Tamen vulgatam lectionem fero. Ann. lib. 4. *datoque tempore, vel in senatu, vel in concione non reticebo.* Pichena.

3 *Sinistro sexta insedebat*] Castigavi, *incedebat.* Rhenanus.

4 *Mediis decumanorum dilectis*] Miror non vidisse viros tot eruditos nullum his verbis esse sensum. mutatione opus levi: *mediis decumanorum delecti.* Mediis locis scilicet (præcessit enim latere dextro & sinistro) incedebant lectissimi legionis decimæ. *Grotius.* Multo magis mirum τὸ πᾶν non vidisse, *medios* esse, qui mediam aciem tenerent, qui in medio incederent: deinde *mediis decumanorum delectis* dici verbi substantivi participio intellecto: perinde ac si esset: quum medii forent ex decuma legione delecti; quum medios haberent decumanorum delectos. *Gronovius.*

5 *In cornibus pedes sagittarius*] Muretus, *pedes sagittariusque*, &c. Credo verius omnino. *Acidalius.* Muretus legit, *pedes sagittariisque.* Pichena.

6 *Productior cornu in sinistro*]. Expeditior omnino & verior erit lectio: *productiore cornuum sinistro.* E cornibus, inquit, productius erat sinistrum, & caussam addit. *Lipsius.*

Productiore cornu] Scripsi, *productior cornu.* Rhenanus. Emendavit Lipsius, *productiore cornuum sinistro.* Vulgo, *productiore cornu in sinistro.* Nonnihil etiam juvat Florentinus, qui habet: *productiore corn' in sinistro.* Simili fere modo, lib. XI. *ceteras navium, ut quaque habiles, per æstuaria & fossas adegit.* Pichena. Satis detorquent typographi scripturam codicis Medicei apud Pichenam, præsertim in utraque postrema Amstelodamensi: reposui ex Francofurtina. Sed verissimum est, quod Cl. Ryckius ex meo chirographo exhibuit, eaque nota indicat *us*, quasi præferret *cornus*, ut 14, 36. *man*; id est, manus: &, quod mirum satis, quum ultima litera in vocabulo *productiore* inducatur in Mediceo, offendi plane scriptum in Oxoniensi *productior cornus in sinistro.* Quod qualecunque sit, innuere tamen videtur *productiore cornu sinistro*, vel *cornu in sinistro*, non istud Lipsianum. *Jac. Gronovius.*

7 *Diversos consectari posset*] In exemplari scripto scriptum *diversa.* nec magnopere refert, utro modo legas. *Diversum* usurpat pro *diviso.* Sic & alibi. *Rhenanus.*

8 *Obsidioneque circumdaret*] Est imprudentia Beroaldi sic ad nauseam augentis primam vocem, unde ex Mediceo reposui *obsidioque*, ut bene monitum Cl. Ryckio. Nec erat necesse monere, quod

moneo

luc Tiridaten ratus. Dein postquam exploratores attulere *longinquum regis iter*, *&* *Medi an Albani peterentur*, *incertum*, lucem opperitur: præmissaque levis armatura, quæ muros interim ambiret, oppugnationemque eminus inciperet. Sed opidani portis sponte patefactis, se suaque Romanis permisere. quod salutem ipsis tulit; Artaxatis ignis immissus, deletaque & solo æquata sunt. [1] quia nec teneri sine valido præsidio, ob magnitudinem mœnium; nec id nobis virium erat, quod firmando præsidio, & capessendo bello divideretur. Vel si integra & incustodita relinquerentur, nulla in eo utilitas aut gloria quod capta essent. Adjicitur miraculum [2] velut numine oblatum. [3] nam cuncta extra, tectis tenus sole illustria fuere; quod mœnibus cingebatur, ita repente atra nube coopertum, fulguribusque discretum est, ut quasi infensantibus deis exitio tradi crederetur. Ob hæc consalutatus *imperator* Nero, & senatusconsulto *supplicationes* habitæ: *statuaque & arcus*, *& continui consulatus principi*: *utque inter festos referretur dies*, *quo patrata victoria*, *quo nuntiata*, *quo relatum de ea esset*, aliaque in eandem formam decernuntur, adeo modum egressa, ut C. Cassius de ceteris honoribus assensus, *si pro benignitate fortunæ diis grates agerentur*, *ne totum quidem annum supplicationibus sufficere* disseruerit: *eoque oportere dividi sacros & negotiosos dies*, [4] *quis divina colerent*, *& humana non impedirent*. Variis deinde casibus jactatus, 42

&

moneo tamen, illic non scribi *Tiridatem*, ut editur nunc & supra, sed *Tiridaten*, & antea *Vologesen*. Jac. Gronovius.

1 *Quia nec teneri*] Si ita legas, deest verbum aliquod, unde pendeat illud *teneri*. At si *tenere* ponas, poterit id regi à verbo proxime sequenti *erat*, constructione infrequente magis quam ignota. *Grotius.*

2 *Velut numine oblatum*] Farnesiano superadditum, *velut deum numine*. Lipsius. Quæ vox temere petita ex 14, 22. *Jac. Gronovius.*

3 *Cuncta extra tecta hactenus sole illustria fuere*] Puto, *cuncta extra*, *tecta tenus*: sive quod in Florentino esse postea didici, *tectis*. Sententia, Extra urbem, usque ad tecta domusque, omnia sole liquida. *Lipsius.*

Nam cuncta extra tecta hactenus sole illustria fuere] Locus certo corruptus. Sed cui Lipsii medicina nihil subvenit. Ego audacter scribam, *Nam cuncta Artaxatis tenus sole illustria fuere.* Si exemplum meminissem præpositionis *tenus* cum casu accusandi, facilius fieret ex literarum ductu, *Artaxata tenus.* Omnino autem ex interpolato urbis hoc nomine nata illa *extra tecta.* Acidalius. Indicavit lectionem & distinctionem hanc, *Nam cuncta extra*, *tectis hactenus*, *sole illustria fuere*, Florentinus, in quo legitur, *tectis.* Male vulgo, *extra tecta* Pichena. Sapientissimam Bernecceri electionem & Medicei codicis adeo castam fidem de voce *tectis* quod tam rigide carpere voluerit Ryckius, dolui & doleo. Utique Lipsius non debet dici mutasse *tecta* in *tectis*, quippe quod vetustas illa veneranda membranæ Italicæ fecit, docens id tunc probatum & lectum in Tacito fuisse; nec id mirari debuit insequentes editores secutos, quum sit optimum. Certe enim in vulgata eos potuit offendere *cuncta extra tecta hactenus*, quum longe mollius & probabilius ad Taciti genium sit, imo & nitidius describat *cuncta extra*, *tectis tenus.* Sed ecce cavillum. Rogat enim incensus, (an quod non adverterint hactenus esse huc usque ut 2, 34. &c.) Scias oportet mi lector, ex universa copia citationum ne unam esse ipsius, sed descriptas totas quatuor cum *&c.* ex Freinshemii indice. Cæterum quis ignoscat talem interrogationem ponenti, & quidem in tanto viro? an Berneccerus legens vocem *hactenus* non in ea adverterit huc usque? Certe opinor advertisse: advertisse & Lipsium: sed prætulisse *tectis tenus*, quum illuc codex Flor. mentem eorum juste flecteret. Insuper Ryckianæ notæ fulgeant isto creberrimo *vulgatis hactenus*, de tempore scilicet; sed ab Tacito & hactenus perpetue usitatum de modo materiæ, & sæpe adhibitum loquendi genus est *tectis tenus*, non *extra tecta hactenus.* 15, 6. *nomine tenus.* & 40. *solo tenus.* & 45. *ore tenus.* 5. hist. 7. *herba tenus aut flore.* Ex quibus quatuor nihil Freinshemianum; & tamen index alia loca dabit. Florentinus autem non debet dici subjicere *tectis*, sed ille suæ ætatis privilegio posteros nefarie subjecisse nugas, quum formosam vetustatis faciem nequirent tolerare, pro vero subjicientes falsum. *Jac. Gronovius.*

4 *Quis divina colerent*] Reposui, *colerentur.* Item paulo post. *An gravius existimandum.* Rhenanus. Unde potuit viro docto illud prius præplacere, & tot deinde aliis? Duntaxat Pichena sub oculis habeat membranam Mediceam. Non video aliquod momentum in isto passivo. Recte illam publicat Ryckius, cur non in Tacito exhibuerit, ignoro. Omnino plus mihi est in ista membrana, quam in Rhenano. *Colerent* etiam legi in Oxoniensi. Miserum in hac parte Rhenanum satis obtundunt ista

& multorum odia meritus reus, haud tamen sine invidia Senecæ damnatur. Is fuit P. Suilius, imperitante Claudio terribilis ac venalis, & mutatione temporum, non quantum inimici cuperent demissus: quique se nocentem videri, quam supplicem mallet. Ejus opprimendi gratia repetitum credebatur senatusconsultum, pœnaque Cinciæ legis, adversus eos qui pretio caussas oravissent. nec Suilius questu aut exprobratione abstinebat, præter ferociam animi, extrema senecta liber, & Senecam increpans; *infensum amicis Claudii, sub quo justissimum exsilium pertulisset. Simul studiis inertibus & juvenum imperitia suetum, 1 livere iis qui vividam & incorruptam eloquentiam tuendis civibus exercerent. 2 Se quæstorem Germanici; 3 illum domus ejus adulterum fuisse. An gravius existimandum, sponte litigatoris præmium honestæ operæ assequi, quam corrumpere cubicula principum feminarum? Qua sapientia, quibus philosophorum præceptis, intra quadriennium regiæ amicitiæ, 4 ter millies sestertium paravisset? Romæ 5 testamenta & orbos, velut indagine ejus capi. Italiam & provincias, immenso fenore hauriri. At sibi labore quæsitam, & modicam pecuniam esse. Crimen, periculum, omnia potius toleraturum, quam veterem ac 6 diu partam dignationem subitæ 7 felicitati submitteret.*

Macrobii lib. 1. in Somn. Scip. cap. 8. *Primum sui atque inde reipublica rector efficitur, juste ac provide gubernans humana, divina non deserens.* Jac. Gronovius.

1 *Livere iis*] Probavi verbum, *livere*, in Flor. repertum Non male etiam vulgo, *invidere*. Pichena. Editio princeps; *Livida his* &c. ut mihi ambiguum non fiat, quin revocandum sit quod restat in MS. Florentino, *Livere his*, &c. *Livee* idem notat quod *invidee*, idque vocis non semel restitui auctoribus; certe Apulejo alibi & Petronio, item Martiali lib. 10, 12. *Livebitque tuis pallida turba genis.* videantur ibidem notæ nostræ. *Gruterus.*

2 *Se quæstorem Germanici*] Suilius Quæstor, Germanico bello. Annal. IV. *At P. Suilium Quæstorem quondam Germanici.* Adulterum Senecam in Julia Germanici filia fuisse vult. Dixi ante. *Lipsius.*

3 *Illum domus ejus adulterum fuisse*] Suilius exprobrat Senecæ, quod cum Agrippina Germanici filia, matreque Neronis, rem habuerit. qua de re tandem Seneca reus factus est, ait Xiphilinus in Nerone. *Vertranius.*

4 *Ter millies sestertium*] Summa eadem divitiarum Senecæ, expressa à Dione; qui omnes res re lictas habet præut culpet virum inculpatum. Ita adulterium illi objicit cum Agrippina: pullarium eum fuisse ait, idemque vitium ab illo institum Neroni: caussam auctoremque interfectæ matris: aliaque, quæ homo vanus, præter fidem præterque omnium mentem conviciatur velut è plaustro. Quibus odii caussis? aut quo mendacii pretio? Nam Seneca tanto anterior, non injuria, non beneficio cognitus illi Sed credo, judicii quædam morumque perversitas fuit, quæ eumdem illum in Ciceronem exacuit, quæ in Cassium, Brutum, omnesque bonos, Caveat ab his, moneo, juventus: & è campis illis ita antiquitatum & historiæ flores legat, ut non colligat venena. At quod ad divitias elegantiamque Senecæ attinet, vide lector & lege egregium ejus libellum De vita beata: quem scripsit non alia re, quam ut ora obstrueret calumniatoribus illis. præsertim à capite XVII. *Lipsius.*

5 *Testamenta & orbos*] Senec. de benefic. lib. 6. 38. *An tu Arruntium, & Aterium, & ceteros, qui captandorum testamentorum artem professi sunt, non putas eadem habere, quæ designatores & libitinarios, vota?* Vide quæ notavi infra ad libellum de morib. Germ. *Pichena.*

6 *Olim partam*] Ex aliis libris liceat, *diu partam.* Lipsius.

Quam veterem ac olim partam dignationem] Quid si legas. *Quam veterem a deo partam dignationem subitæ felicitati submittere.* Rhenanus. Faernus legebat: *atque olim partam*, &c. & ita est in V. C. *Ursinus.* Vulgati omnes, *veterem & olim partam.* quod omnino corruptum indicant libri antiquiores. Florentinus, *veterem ac dō partam.* alii, *ac deo partam.* Nihil ergo propius fuit, quam *ac diu partam*: ipso etiam Tacito volente, qui idem usurpavit lib. 3. *Atqui ne corporis quidem morbos veteres ac diu auctos, nisi per dura & aspera coerceas.* Nec dissimulabo vulgatæ quoque lectionis exemplum, in Dial. de orat. *Ego enim cum audio antiquos, quosdam veteres & olim natos intelligo.* nec illam rejecissem, nisi Manuscripti improbassent. *Pichena.* Accurate illa quidem omnia, & certe vera de lectione codicis Medicei. In MS. Oxoniensi plane vidi conjecturam Rhenani *adeo*, quam nescio cur non memoret Pichena, quum certe propior sit ad fidem illius codicis, quam utraque illa, quam proponit. Sed certe latet aliud, nempe *veterem ac domi partam.* ut 16, 16. *Tantumque sanguinis domi perditum.* Hoc de urbe, illud de familia. *Jac. Gronovius.*

7 *Felicitati submittere*] Lege, *submitteret.* Lipsius.

teret. Nec deerant qui hæc iisdem verbis, [1] aut versa in deterius Senecæ deferrent. 43
Repertique accusatores, *direptos socios cum Suilius provinciam Asiam regeret, ac publica pecunia peculatum* detulere. Mox quia [2] inquisitionem annuam impetraverant, brevius visum, suburbana crimina incipi, quorum obvii testes erant. *Is acerbitate accusationis* [3] *Q. Pomponium ad necessitatem belli civilis detrusum: Juliam Drusi filiam, Sabinamque Poppæam ad mortem actas: & Valerium Asiaticum, Lusium Saturninum, Cornelium Lupum circumventos: jam equitum Romanorum agmina damnata, omnemque Claudii sævitiam Suilio objectabant.* Ille *nihil ex his sponte susceptum, sed principi paruisse* defendebat, donec eam orationem Cæsar cohibuit, *compertum sibi* referens *ex commentariis patris sui, nullam cujusquam accusationem ab eo coactam.* Tum *jussa Messalinæ* prætendi, & labare defensio. *Cur enim* [4] *neminem alium delectum, qui sævienti impudicæ vocem præberet? Puniendos rerum atrocium ministros, ubi pretia scelerum adepti, scelera ipsa aliis delegent.* Igitur adempta bonorum parte (nam [5] filio & nepti pars concedebatur, eximebanturque etiam quæ testamento matris, [6] aut avi acceperant) in insulas Baleares pellitur: non in ipso discrimine, non post damnationem fractus animo. Ferebaturque copiosa & molli vita, secretum illud toleravisse. Filium ejus Nerulinum aggressis accusatoribus per invidiam patris, & crimina repetundarum, intercessit princeps, tanquam satis expleta ultione. Per idem 44
tempus Octavius Sagitta plebei tribunus, Pontiæ mulieris nuptæ amore vecors, ingentibus donis adulterium, & mox ut omitteret maritum emercatur; suum matrimonium promittens, ac nuptias ejus pactus. Sed ubi mulier vacua fuit, nectere moras, [7] *adversam patris voluntatem* caussari, repertaque spe ditioris conjugis, promissa exuere. [8] Octavius contra modo conqueri, modo minitari, *famam perditam,* pecu-

1 *Aut versa*] Hæ duæ dictiones non sunt in codice Budensi, qui sic habet: *Nec deerant qui hæc iisdem verbis in deterius Senecæ deferrent.* Nec erat opus veterem lectionem hic interpolare. *Rhenanus.*

2 *Inquisitionem annuam impetraverant*] Vulgatis emendatior Florentinus. Illi, *impetraverat.* ut ad reum Suilium referatur. at hic, *impetraverant*, de accusatoribus verius intelligens. qui idoneis testibus adhuc non instructi, impetraverunt annuam inquisitionem, ut in Asiam mitterent. Sed quoniam prolatio nimis longa videbatur iis, qui Suilium pervertere statim cupiebant, suaserunt accusatoribus, ut à suburbanis criminibus inciperent, quorum obvii testes Asiatica differrent. Confirmari videtur hic sensus infra eodem lib. *Silvanum magna vis accusatorum circumsteterat, poscebatque tempus evocandorum testium, reus illico defendi postulabat.* Pichena. Cicero act. I. Verr. *Itaque cum ego diem in Siciliam inquirendi perexiguam postulavissem, invenit iste, qui sibi in Achajam biduo breviorem diem postularet: non ut is idem conficeret diligentia & industria sua, quod ego meo labore & vigiliis consecutus sum. Etenim ille Achaicus inquisitor ne Brundisium quidem pervenit: ego Siciliam totam quinquaginta diebus sic obii, ut omnium populorum privatorumque injurias cognoscerem.* Asconius in Orat. pro Scauro: *Subscripserunt Triario in Scaurum L. Marius L. F. M. & Q. Pacuvii fratres, qui inquisitionem in Sardiniam itemque in Corsicam insulas dies tricenos acceperant.* Plinius lib. 3. Epist. 9. *Addiderunt Baetici, quod simul socios ministrosque Classici detulerunt, nominatimque in eos inquisitionem postulaverunt.* In eadem epist. *Norbanum Licinianum legatum & inquisitorem.* Et mox: *non legati nomen, non inquisitionis officium.* Quæ firmant lectionem Florentinam, indignam, quam silentio Lipsius transmitteret. Aurelius *impetraverat*, interpretatur, annum ad purgandam innocentiam, contra morem & rationem. Et tamen alium sensum id verbi non habet. *Gronovius.*

3 *Q. Pomponium*] Nihil legi. qui sequuntur, ii fere nominati Senecæ in Ludo. *Lipsius.*

4 *Neminem alium electum*] Flor. *delectum.* Pichena. Idque sequor. *Jac. Gronovius.*

5 *Filio & nepti pars concedebatur*] Ablego te ad Cujacium, Obs. VI. cap. XXIII. qui ante me abunde dixit. *Lipsius.*

6 *Aut avi acceperant*] Imo, *acceperas.* Mercerus. An *avia ceperant.* Vide ad 3, 68. *Freinshemius. Avia* legitur in Mediceo. *Jac. Gronovius.*

7 *Adversam patris voluntatem*] Hunc locum illustrat Cl. Pricæus ad Apuleji Milesia lib. 6. p. 304. *Idem.*

8 *Octavius contra modo conqueri*] In codice Budensi tantum est, *Octavius contra conqueri.* Rhenanus.

pecuniam exhaustam obtestans: denique salutem, quæ sola reliqua esset, arbitrio ejus permittens. Ac postquam spernebatur, *noctem unam ad solatium* poscit, *qua delinitus, modum in posterum adhiberet*. Statuitur nox. Et Pontia consciæ ancillæ custodiam cubiculi mandat. Ille uno cum liberto, ferrum veste occultum infert. Tum, ut assolet in amore & ira, jurgia, preces, exprobratio, satisfactio, & pars tenebrarum [1] libidine seposita. [2] Et questu incensus, nihil metuentem ferro transverberat, & accurrentem ancillam vulnere absterret, cubiculoque prorumpit. Postera die manifesta cædes, haud ambiguus percussor. quippe mansitasse una convincebatur. Sed libertus *suum illud facinus* profiteri, *se patroni* [3] *injurias ultum esse*. [4] Commoveratque quosdam magnitudine exempli: donec ancilla ex vulnere refecta, verum aperuit. postulatusque apud consules à patre interfectæ, postquam tribunatu abierat, sententia patrum, & [5] lege de sicariis condemnatur. Non minus insignis eo anno impudicitia, [6] magnorum reipublicæ malorum initium fecit. Erat in civitate Sabina Poppæa, [7] T. Ollio patre genita, sed nomen avi materni sumpserat, illustri memoria Poppæi Sabini consulari & triumphali decore præfulgentis. nam [8] Ollium honoribus nondum functum, amicitia Sejani pervertit. Huic [9] mulieri cuncta alia fuere, præter honestum animum. quippe mater ejus ætatis suæ feminas pulchritudine supergressa, gloriam pariter & formam dederat. opes claritudini generis sufficiebant. sermo comis [10] nec absurdum ingenium. modestiam præferre, & lascivia uti. rarus in publicum egressus, idque [11] velata parte oris, ne [12] satiaret aspectum, vel quia sic decebat.

45 (margin number beside "tia patrum")

1 *Libidine seposita*] Malim *libidini seposita*. Rhenanus. Lego, *libidini*. Acidalius. Imo *libidini seposita*. Agnosces Taciti lectionem tritus in eo lector. *Grotius.*

2 *Et questu incensus*] Hic questus sero venit, quum jam ante dixerit & conquestum esse, & causas ejus declaraverit; medio autem spatio intercesserint tot alia, quæ turbaverint affectus ejus. Et esse fictam hanc lectionem docet codex Mediceus, *& quastim census*, ut noverat etiam Cl. Ryckius, sed nihil expediebat, quum tamen hæc scriptura sponte suggerat *& quasi incensus*, nempe usu hujus libidinis, ut plane se remollitum fateretur, quum intus arderet horrore penuriæ sequentis temporis. *Jac. Gronovius.*

3 *Injurias ultum esse*] Mallem, *ultum isse*. Lipsius.

4 *Commoveratque*] Assuit quisquam, *que*, particulam. Quum in codice Budensi legatur tantum, *commoverat quosdam*. Rhenanus.

5 *Lege Cornelia de sicariis condemnatur*] Scripti codicis lectio; *Lege de sicariis condemnatur*. Arbitror, additam dictionem è margine receptam in contextum. alibi tamen addit. *Rhenanus.* Legis Corneliæ de sicariis & veneficis pœna, insulæ deportatio est & omnium bonorum ademptio: ab ea tamen cum tempore paulatim recesserunt, qui in honore positos in insulam deportare, humiliores capite punire, bestiisve objicere soliti sunt, Modestino & Martiano JCtis auctoribus. *Vertranius.* Fuit hæc Beroaldi intempestiva cupiditas apponendi nominis, quod recte in suspicionem trahit Rhenanus, quo teste quum non extet in exemplari Hungarico, idque ego fateri possim non solum de antiquissimo Mediceo, sed ipso etiam Oxoniensi, merito remisi Beroaldo illud suum *Cornelia*. Facinus enim clarum est. *Jac. Gronovius.*

6 *Magnorum Reip. malorum initium fecit*] Scripsi, *magnorum*, ex Flor. Vulgo, *majorum*. Pichena.

7 *T. Ollio patre*] E Farnes. Lipsius ad marginem notavit *Ellio*. Muretus notaverat suo in libro, *T. Ælio*. Acidalius.

8 *Ollium honoribus nondum functum*] Atqui Quæstorium eum fuisse Suetonius autumat, cap. XXXV. Sed Quæstura fortasse non tam honos, quam aditus ad honorem. Ipse tamen Tacitus lib. XII. Quæsturam inter magistratus recensuit, Agellius, & alii. *Lipsius.*

9 *Mulieri cuncta alia fuere*] Forte *affuere*. Paulo post scripsimus, *potentiam ei adjiceret*. Rhenanus.

10 *Nec absurdum ingenium*] E Sallustio imitatum, qui de Sempronia: *Ingenium ejus haud absurdum versus facere.* Lipsius.

Nec absurdum ingenium, modestiam praferre] Ita aptius distinximus. Conjunctim antea, *nec absurdum ingenium modestiam praferre*. Pichena. Interpunge, *Sermo comis, nec absurdum ingenium; modestiam praferre, & lascivia uti*. Acidalius.

11 *Velata parte oris*] Ad æmulationem credo mulierum Arabiæ, de quibus Tertullianus in libello De virginibus velandis: *Arabia femina non caput, sed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo liberato, contenta sint dimidiam frui lucem quam totam faciem prostituere.* Sed caussa in hoc nobili scorto, & in

illis

decebat. Famæ nunquam pepercit, maritos & adulteros non diſtinguens: neque affectui ſuo, aut alieno obnoxia, unde utilitas oſtenderetur, illuc libidinem transferebat. Igitur agentem eam in matrimonio [1] Rufi Criſpini equitis Romani, ex quo filium genuerat, [2] Otho pellexit juventa ac luxu, & quia flagrantiſſimus in amicitia Neronis habebatur. nec mora, quin adulterio matrimonium jungeretur. [3] Otho, 45
ſive amore incautus, laudare *formam elegantiamque uxoris* apud principem; ſive ut accenderet, ac ſi eadem femina potirentur, id quoque vinculum potentiam ei adjiceret. Sæpe auditus eſt conſurgens e convivio Cæſaris, [4] *ſe ire ad illam*, [5] *ſibi conceſſam dictitans*

illis diſpar. *Lipſius.* Utrumque hunc locum conjungunt auctores Romæ Subterraneæ 4, 37, 31. *Jac. Gronovius.*

12 *Satiaret aſpectum*] Malo, *aſpectu*. Acidalius. Hieronymus ad Marcellam: *Quando in publico quaſi per verecundiam, operit faciem, lupanarium arte id ſolum oſtendit, quod oſtenſum magis placere poteſt.* Aurelius.

1 *Rufi Criſpini equitis*] Alii, *Criſpi*. Sed Criſpinum ei cognomen Plutarchus in Galba, noſter lib. xv. & clariſſime Seneca ſeu quis alius (non enim certe Philoſophus) in Octavia. ubi Poppæa inducitur:

——— venientem intuor
Comitante turba conjugem quondam meum
Gnatumque. properat petere complexus meos
Criſpinus, & intermiſſa libare oſcula.

Rufinus Criſpinus filius ejus à Suetonio nominatur, cap. xxxv. *Lipſius.*

2 *Otho pellexit*] Xiphilinus autor eſt, Sabinam abductam à viro Neronem Othoni in uxorem dediſſe, cum qua utrique res eſſet. *Vertranius.*

3 *Otho, ſive amore incautus, laudare formam elegantiamque uxoris apud Principem*] Vere incautus. & ſimillima vecordia ille Candaules apud Juſtinum lib. 1. *Hic uxorem, quam propter pulchritudinem deperibat, prædicare omnibus ſolebat, non contentus voluptatum ſuarum tacita conſcientia. prorſus, quaſi ſilentium damnum pulchritudinis eſſet.* Vecordia inquam ſimili, ſed & fato. *Lipſius.*

Otho ſive amore incautus, laudare formam elegantiamque uxoris, ſive ut accenderet &c.] Non ſibi conſtat (quod miror fugiſſe virum eruditiſſ.) Cornelius noſter: hic enim plane dicit, Othonem jam potitum, jam maritum Poppææ, ejus formam ſæpius Neroni laudaſſe, quo is eam arderet, indeque amorem eorum, & congreſſus: alibi autem aſſerit, à Nerone prius adamatam, apudque Othonem fuiſſe depoſitam. lib. 1. hiſtor. *Eoque jam Poppæam principale ſcortum, ut apud conſcium libidinum depoſuerat, donec Octaviam uxorem amoliretur.* idque factum matrimonii prætextu, ut clam matrem deliciaretur. Sueton. Oth. 3. *Idem Poppæam Sabinam tunc adhuc amicam ejus, abductam marito demandatamque ſibi, nuptiarum ſpecie recepit.* Clarius omnia Plutarchus in Galba. ἣν ἤρα μὲν ὁ Νέρων Κρισπίνῳ συνοικοῦσαν ἔτι, αἰδούμενος δὲ τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα, καὶ μητέρα φοβούμενος, ὑφῆκε τὸν Ὄθωνα πειρῶντα τὴν Ποππαίαν . . . i. e. *Quam quidem Nero deperibat adhuc agentem in matrimonio Criſpini, ſed reverens uxorem & matrem timens ſubornavit Othonem qui Poppæam illiceret.* Et paucis interjectis: ἀλλὰ τήν γε Ποππαίαν προμοιχεύσας τῷ Νέρωνι, καὶ ἤδη διεφθαρμένης ταῖς ἐς ἐκεῖνον ἐλπίσιν, ἔπεισεν ἀποστῆναι τοῦ ἀνδρὸς &c. Non ſolvo, nec recido hunc nodum. *Salinerius.* Luxata orationis membra plane credo, & ſic reſtituenda trajectione: *Otho, ſive amore incautus ſive ut accenderet, ac ſ. e. f. p. i. q. v. p. e. adjiceret, laudare f. e. uxoris apud principem.* Acidalius.

4 *Se ire ad illam*] In tanta copia inaniſſimarum varietatum, quæ ex codicibus corruptis & indignis proferuntur, doleo tacuiſſe vel Beroaldum vel Pichenam, in pretioſo illo Mediceo legi *ſeque ire ad ill.* Forſan enim medio tempore aliquis acri penſitatione duxiſſet nos ad verum. Quod an tangam, ſicut neſcio, ita libenter in medium confero me legere, *ſe quippe ire ad ill.* Quum enim conſurgeret, credibile eſt aliquos rogaviſſe, quo ſic feſtinaret; ut 1. hiſt. 27. *Otho cauſam digreſſus requirentibus quum emi ſibi prædia finxiſſet.* Jac. Gronovius.

5 *Sibi conceſſam dictitans*] Adhæreſco, Fortean, *ſibi conceſſam à dis jactans nobilitatem, pulchritudinem.* Aut, *ſibi conceſſam dis dignam nobilitatem.* Budenſi ajunt legi, *ubi conceſſam dictitaret.* ex eo divinabam, *ubi congeſtam delibaret.* Lipſius.

Ibi conceſſam dictitans nobilitatem] Volumen Matthiæ Corvini; *Ubi conceſſam dictitaret nobil.* Legerim; *Ubi conceſſam dictitarent nobilitatem atque pulchritudinem.* nam connectentes particulas ſæpe Tacitus omittit. *Rhenanus.* Corvinianus liber, *ubi conceſſ. dictitaret.* Legerim, *ubi condictitarent.* Vertranius. Videtur legendum, *ſibi conceſſam dictitans nobilitatem.* Urſinus. Τὸ *ibi* id eſt, domi, quaſi dicat, illam nunc adeo, & ibi fruor femina, qua nulla nunc pulcrior neque nobilior. Cæterum glaucomam ob oculis ſuſpicor habere, nam videre haud potis ſum, quidnam impulerit eruditiſſ. virum ad hæc emendanda. *Dictitans* enim aptiſſime dicitur de Othone, qui uxorius, eoque frequens erat in uxoris mentione, præſertim ut accenderet animum Neronis. *Nobilitatem, pulchritudinem* κατὰ τὴν αὔξησιν pro femina pulcra & nobili. Curt. lib. 6. *Incidimus in ſuperbiam, nec diis, quibus ſe exæquat, nec hominibus quibus ſe eximit tolerabilem.* De Alexandro ſuperbo. Antiphil. lib. 1. Anthol. Ἄμφω μὲν πηροὶ, καὶ ἀλήμονε, ἀλλ' ὁ μὲν ὄψιν, Ὃς δὲ βάσιν,

ἄλλῳ

ctitans nobilitatem, pulchritudinem, [1] *vota omnium, & gaudia felicium.* His atque talibus irritamentis, non longa cunctatio interponitur. Sed [2] accepto aditu, Poppæa primum per blandimenta & artes valescere, *imparem cupidini se, & forma Neronis captam* simulans: mox acri jam principis amore ad superbiam vertens, si ultra unam alteramque noctem attineretur, *nuptam esse se* dictitans, *nec posse matrimonium amittere, devinctam Othoni per genus vitæ,* [3] *quod nemo adæquaret. Illum animo & cultu magnificum: ibi se* [4] *summa fortuna digna visere. at Neronem pellice ancilla, & assuetudine Actes devinctum,* [5] *nil e contubernio servili, nisi abjectum & sordidum traxisse.* Dejicitur familiaritate

ἄλλῳ δ' ἄλλος ὑπηρετεῖν. i. Ambo læsi, & mendici: hic visus, hic incessus, alter alterius ministerium. Noster lib. 4 ann. *recentem Liviæ conscientiam exagitare, ut superbiam fecunditate subnexam popularibus studiis inhiare dominationi apud Cæsarem argueret.* quam tenuius si dixisset *ut Agrippinam superbam.* Vel *ibi* scil. in *Poppæa.* Liv. lib. 4 *Itaque se dictatorem L. Quintium dicturum, ibi animum parem tantæ potestati esse.* Noster: *illum animo & cultu magnificum, ibi se summa fortuna digno visere.* Salinerius. Corruptum hoc. Lipsius varie tentat. Mihi liquet τὸ *dictitans* è turpi glossemate esse. quo sublato, & quia in Budensi codice non *sibi* vel *ibi*, sed *ubi*, hinc *uni*, rescripto (quæ eadem menda sup. hoc lib.) puto locum persanari. *se ire ad illam: uni concessam nobilitatem, pulchritudinem, vota omnium.* Acidalius. Lipsius mendum hic notat, quod ego non sentio. subintelligitur enim, *concessam* à diis, vel à propitia sorte. *Pichena.* Jocatur opinor vir doctissimus, sicut & Lipsium jocari opinor in utraque conjectura cum istis suis diis nec minus in isto *delibare*. Illa delibatio sæpe iterata quid? manebit semper delibatio? Ita divinat Lipsius contra Latinitatem. Sed nempe vir summus voluit ostendere Mercurium a se fieri posse ligno suppeditato. Porro an Otho is est, qui tali vel tempore vel loco vel materia meminerit Deorum? Potius dixerit quod puella apud Propert. 3, 4. etsi loco debili: *Ille potest qualem nulla dicere habere domo.* Et certe tale quid dixit, quoniam illi dii veniunt ab Lipsio, & addere aliquid tentavit Pichena; at isti luparum Rhamnes aspernantur aut obliviscuntur deos. Sed postquam intellexi deinde procedere *divinitus* Ryckio pronunciante, & legi Animadversiones Historicas circa paginam 173. per tinctoris rebar lasciviam omnia quæ vult, variis coloribus simulare suetum, hæc Corneliana convelli. Quid enim *dictitans* ad *divinitus*, nisi per extremas literas & duas vocales *ii*? An quum scribit Cornelius Nepos, quod multi voluerunt, paucique potuerunt, Thrasybulo soli contigisse, an dico ille etiam meminit vel Deorum vel *divinitus?* At ibi plane habes vota omnium & gaudia felicium. Ita non exprimunt illud excelsum; subintellige quod placuerit; præsertim in Tacito, qui illas concessiones Deorum nequaquam probat. Nihilo certe felicius hanc vocem nunc obtrudi Tacito scisco, quam quum 16, 3. Pricæus sustinet, in antecessum averruncans, si potest, temeritatis culpam, nostro auctori eandem inserere: *consumebantur veteres opes quasi divinitus oblatis, quas multos per annos prodigeret*, idque quia sic etiam loquutus postea fuit Apulejus, perpetuus scilicet Taciti imitator. Quæso, quo vergeret Tacitus, si talibus ille traderetur? Atqui participium *dictitans* abesse nequit; licet enim quod ipsi ad Livium primi ostendimus, participium *dicens* omittatur, tamen in Tacito necessitas quædam id requirit, nempe præeunte illo sæpe & quia in hoc loco illud *sæpe* sic præcedit, ideo sumsit auctor frequentativum, quod notat, solitus dicere. Congrue Cicero pro domo c. 34. *Me dicere solere, esse me Jovem; eundemque dictitare, Minervam esse sororem meam.* Et frequens in ipso Tacito. Sero autem poni id participium nemo dixerit nisi ὀψιμαθής? Aliquid inceperam dicere ad 6, 5. *Jac. Gronovius.*

1 *Vota omnium, gaudia felicium*] Inscriptio vetus apud Gruterum pag. CCXXXVII. *quod. omnes. rogant. sed. felices. impetrant.* Gronovius. Quam inscriptionem iteraverunt in Roma Subterranea 1, 26. sed pejus. & quu deinde Cl. Sponius terminavit Miscellanea curiosæ antiquitatis. *Jac. Gronovius.*

2 *Accepto aditu*] Scribendum est fortasse, ut est in vulgatis, *hac cæpto aditu.* Ursinus. Muretus videtur voluisse (nam scriptura non plane liquet) *Sed hoc cæpto aditu.* Ego malim, *Sed occæpto*, vel simpliciter, *sed cæpto aditu.* Etiam *cæpto aditu* scribi poterat. *Acidalius.*

3 *Quod nemo adæquaret*] Vide qui legeret, *quod Nero non adæquaret.* Ego, *Nero haud æquaret.* Lipsius.

Genus vitæ, quod nemo] Quasi recordaretur de Antonii & Cleopatræ fabulis, quod significat Plutarchus Αὐτοὶ δέ τινα μὲν τὴν Ἀμιμητοβίων ἐκείνην σύνοδον κατέλυσαν, ἑτέραν δὲ συνέταξαν, οὐδέν τι λειπομένην ἁβρότητι καὶ τρυφαῖς καὶ πολυτελείαις, ἣν Συναποθανουμένων ἐκάλουν. Scholiastes vetus Juvenalis ad Sat. 2. vers. 99 *Hunc incomparabilis vitæ bello civili Vitellius vicit apud Bedriacum.* Gronovius.

4 *Summa fortuna dignam visere*] Lego; *summa fortuna digna visere.* Rhenanus. In V. C. est *videri* pro *visere.* Faernus tamen retinebat, verbum, *visere*, & pro *digna*, legebat *dignam.* Ursinus.

5 *Nil è contubernio servili*] Proprie. Non enim nuptiæ cum servis, sed contubernium. *Lipsius.*

1 *Et*

miliaritate sueta, post congressu & comitatu Otho; [1] & postremo, [2] ne in urbe æmu-
latus ageret, provinciæ Lusitaniæ præficitur. Ubi usque ad civilia arma, non ex
priore infamia, sed integre sanćteque egit, procax otii, & [3] potestatis temperan-
tior. Hactenus Nero flagitiis & sceleribus velamenta quæsivit. Suspectabat maxi- 47
me Cornelium Sullam, socors ingenium ejus in contrarium trahens, callidumque &
simulatorem interpretando. Quem metum Graptus ex libertis Cæsaris usu & senecta
[4] à Tiberio usque domum principum edoctus, tali mendacio intendit. Pons Mil-
vius in eo tempore celebris nocturnis illecebris erat: ventitabatque illuc Nero, quo
solutius urbem extra lasciviret. Igitur *regredienti per viam Flaminiam compositas insi-
dias, fatoque evitatas, quoniam diverso itinere Sallustianos in hortos remeaverit, aucto-
remque ejus doli Sullam* ementitur: quia forte redeuntibus ministris principis, qui-
dam [5] per juvenilem licentiam quæ tunc passim exercebatur, inanem metum fece-
rant. Neque servorum quisquam, neque clientium Sullæ agnitus; [6] maximeque
despecta & nullius ausi capax natura ejus, à crimine abhorrebat: perinde tamen quasi
convictus esset, cedere patria, & [7] Massiliensium mœnibus coërceri jubetur. Iis- 48
dem consulibus auditæ Puteolanorum legationes. [8] quas diversas ordo plebsque ad
senatum miserant: illi *vim multitudinis*, hi *magistratuum & primi cujusque avaritiam*
increpantes. Cumque seditio ad saxa & minas ignium progressa, necem & arma
proliceret, C. Cassius adhibendo remedio delectus. quia severitatem ejus non tolera-
bant, precante ipso, ad Scribonios fratres ea cura transfertur, data cohorte præto-
ria; cujus terrore & paucorum supplicio, rediit oppidanis concordia. Non refer- 49
rem

1 *Et postremo*] Id video placuisse viris doctis, quod non placuit Tacito. Nam in MS. Mediceo legitur *& ad postremum*. An vero illud nunc a me productum patet esse vilius isto vulgato? Non dixerim. Etiam sic scriptum in Oxoniensi. Sic sane passim Tacitus, & lib. 1. hist. 39. de eo scribere debuit Rhenanus. *Jac. Gronovius.*

2 *Ne in urbe æmulatus ageret*] Non agnosco hanc locutionem *æmulatus ageret*. Notum epigramma:

Cur Otho mentito sit quæritis exsul honore?
Uxoris mœchus cœperat esse suæ.

Nolebat Nero æmulum, id est, rivalem, in eadem urbe, in conspectu suo vivere. *Grotius.*

3 *Potestatis temperantior*] Liber Pontificalis habet *egestatis temp.* & melius. *Vertranius.*

4 *A Tiberio usque*] Vatic. *Tiberio avousque*, ex quo fecerim, *Tiberio abusque*, deleta priore præpositione. *Lipsius.* Hæc verissima est Lipsii restitutio. Nam licet Cl. Ryckius evulget *Flor. a Tiberio avo usque*: scias illud primum *a* in schedis meis notatum non esse. & omnino tantum legi in isto præstantissimo codice, *Tiberio avo usque*, quam proxime Lipsii acumen, cui gratias ago. Certe præpositionem quoque non habet Oxoniensis. In eodem codice scribitur *pons Mulvius*, tum *ventabatque*. *Jac. Gronovius.*

5 *Per juvenilem licentiam*] Petron. *juvenili impulsi licentia*. Pichena.

6 *Maximeque despecta*] Exciderat in vulgatis copula, *que*. nos ex Florentin. restituimus. *Pichena.*

7 *Massiliensium mœnibus*] Relegandi genus tunc frequens. Sic Julia opido Rheginorum ab Augusto clausa: Silanus à Nerone Bario municipio Apuliæ: Dolabella in coloniam Aquinatem ab Othone sepositus. *Lipsius.*

8 *Quas diversas senatorius ordo*] Vocabulum *senatorius* non est in codice Budensi: Mox, *saxa & minas*. Illic, *ad saxa*, *ad minas*. Rhenanus. A Flor. abest vocabulum *Senatorius*. Judicent alii, an sit delendum. *Pichena.* Certe delendum τὸ *Senatorius*, & obsequendum scriptis id vocabuli non agnoscentibus: quod miror in nos usque judicium esse dilatum. Quemadmodum enim Romæ *ordo amplissimus*, *ordo florentissimus* pro senatu, sic in municipiis *ordo* sæpe pro decurionibus ponitur. Tacitus ipse lib. 2. histor. *Onerabat paventium curas ordo Mutinensis, arma & pecunias offerendo.* Ammianus Marc. lib. 22. *Ordo squalens occurrit & populus nimium quantum antehac florentissimus*, de Nicomediensibus. Idem lib. 25. *Et hoc quidem suppliciter ordo & populus precabatur.* Vide indicem Inscriptionum cap. 9. *Gronovius.* Nec ulterius judicavi vocem Beroaldinam & ex ignorantia progenitam debere conspici inter voces Taciti plenas doctrinæ & sapientiæ, sequutus Ryckium: hunc autem *ordinem* illustravit Capaccius in Histor. Neapol. p. 65. & 82. In historiis ita memoratur *ordo Mutinensis*. Cæterum ab optimo libro etiam abest copulativa *que*, & tantum habet *ordo plebs ad.* sed superscripta est, sicut aliæ editiones tenent, *plebsque*. Ac propterea id præfero, licet 4. 45. dicitur *plebes Senensium*, & 70. *Trevirum*. Jac. Gronovius.

rem vulgatissimum senatusconsultum, quo *civitati Syracusanorum egredi* [1] *numerum edendis gladiatoribus finitum permittebatur*; nisi Pætus Thrasea contradixisset, [2] præbuissetque materiem obtrectatoribus arguendæ sententiæ; *Cur enim si rempublicam egere libertate senatoria crederet, tam levia consectaretur? quin de bello aut pace, de vectigalibus & legibus,* [3] *quibusque aliis Romana continentur,* [4] *suaderet dissuaderetve? Licere patribus, quotiens jus dicendæ sententiæ accepissent, quæ vellent expromere,* [5] *relationemque in ea postulare. An solum emendatione dignum, ne Syracusis spectacula largius ederentur? Cetera per omnes imperii partes perinde egregia,* [6] *quam si non Nero, sed Thrasea regimen eorum teneret?* [7] *Quod si summa dissimulatione transmitterentur, quanto magis inanibus abstinendum?* Thrasea contra, rationem poscentibus amicis, *non præsentium ignarum*, respondebat, *ejusmodi consulta corrigere*; *sed patrum honori dare, ut manifestum fieret, magnarum rerum curam non dissimulaturos, qui animum etiam levissimis adverterent.*

50 Eodem anno crebris populi flagitationibus immodestiam publicanorum arguentis, [8] dubitavit Nero, *an cuncta vectigalia omitti juberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret.* [9] Sed impetum ejus, multum prius laudata *magnitudine animi*, [10] attinuere senatores, *dissolutionem imperii* docendo, *si fructus quibus respublica sustineretur, deminuerentur. quippe* [11] *sublatis portoriis, sequens ut tributorum abolitio expostularetur.* [12] *Plerasque vectigalium societates à consulibus & tribunis plebis constitu-*

1 *Numerum edendis gladiatoribus*] Augustus edixit anno urbis DCCXXXII. Μήθ' ὁπλομαχίας πλεονάκις ἢ δὶς ἐν ἑκάστῳ ἔτει, μήτε πλειόνων εἴκοσι καὶ ἑκατὸν διδόναι ποιεῖν. *neque sæpius quam bis in anno gladiatores dare, neque ultro paria sexaginta.* Dio LIV. Simile edictum antea à Senatu, de quo Sueton. Julii cap. X. *Cum multiplici undique familia comparata inimicos exterruisset, cautum est de numero gladiatorum, quo ne majorem cuiquam habere liceret.* Saturnalia nostra vide. *Lipsius.*

2 *Præbuissetque materiem*] Ita Flor. Vulgo, *materiam.* Pichena.

3 *Quibusque aliis Romana*] Insero vocem, *res Romana continetur.* Sequentia emendavi, distinxi, sublata confusione, quæ in libris. *Lipsius.*

Quibusque aliis Romana continentur] Apparet ex scripto lib. legendum, *continerentur.* Rhenanus.

4 *Suadere dissuadere licere patribus*] Emendavimus: *Suadere dissuaderetve licere patribus.* Rhenanus.

5 *Relationem in ea postulare*] Quæ ad hunc locum acri impetu de relatione accumulavit Vertranius alienissima sunt & patet nihil ab eo intellectum. Ea autem per duas editiones Batavicas satis sunt divulgata, ut nihil sit, cur nunc repeterentur. Hinc ergo chartæ parcens illa induxi. Omnino sensus loci petendus est ex eis, quæ scripsit pater lib. I. Observationum cap. 22. *Jac. Gronovius.*

6 *Quam si non Nero*] Lego, *quasi non Nero.* Ita enim usitatum, etsi *quasi* compositum, ex *quam si.* Acidalius.

7 *Qua si summa dissimulatione transmitterentur*] Legam omnino ut & Muretus, *quod si summa dissimul. Summa inanibus* opponit. ne *summam dissimulationem* accipias. *Idem.* Scias oportet, lector, illud *quod si* plane legi in Mediceo: propterea sprevi quodcunque aliud. *Jac. Gronovius.*

8 *Dubitavit Nero, an cuncta vectigalia omitti juberet*] Non sperno. Sed Taciti magis proprium videretur, *vectigalia remitti.* Sic supra. *vectigal quoque quintæ & vicesimæ venalium mancipiorum remissum.* Infra. *Flagitatum, ut vacationes præstari centurionibus solita remitterentur.* & alibi, *his tributa dimittere*; ubi Lipsius, *remittere*, restituendum putat. *Pichena.*

9 *Sed impetum ejus attinuere Senatores*] Cum ita exstet in MSS. & editis omnib. putarem minime necesse esse *Senatores* permutare voce *seniorum.* nam, non solum quibus grandis ætas, hæc ipsa docere poterat Neronem, sed vel aliquis junior. Auribus tamen blandiretur magis, *attinuit Senatus*, ut mentem suam aperuerit senatui, cum spe futurum, ut approbaret: quod secus fuit. *Gruterus.*

10 *Attinuere senatores*] Fero, sed præfero meum illud, *seniores.* Lipsius.

11 *Sublatis portoriis, sequens ut tributorum abolitio expostularetur*] Muretus vult *sequi.* Acidalius. *Portoria* hic (ut videtur) pro omnibus vectigalibus. Vectigalia enim apud Romanos constabant, vel ex decumis, quæ à publicorum agrorum aratoribus exigebantur, unde *Publicani* exactores dicti: vel ex portoriis, quæ pro mercibus inlatis seu exportatis: vel ex scriptura, scil. pro pascuis locatis. item ex vicesima eorum qui manumittebantur, & ex aliis etiam minoribus rebus. Vectigalia vero differunt à tributis, quod illa agris, mercibus, & aliis hujuscemodi: hæc, in capita, ac pro ratione census. Præter antiquos autores, vide, si placet elegantem Lipsii libellum de magnitudine Romana lib. II. *Pichena.*

12 *Plerasque vectigalium societates*] Malim, *necessitates*

stitutas, [1] *acri etiam populi Romani tum libertate: reliqua mox ita provisa, ut ratio quaestuum & [2] necessitas erogationum inter se congruerent. Temperandas plane publicanorum cupidines, ne per tot annos sine querela tolerata*, [3] *novis acerbitatibus ad invidiam verterent.* Ergo edixit princeps, *ut* [4] *leges cujusque publici occulta ad id tempus, proscri-* 51
berentur

tates. Sic enim lib. 1. legitur: *Quantum civium, sociorum, in armis, quot classes, regna, provincia, tributa aut vectigalia, & necessitates ac largitiones*, Rhenanus. *Socios* vectigalis Ulpianus appellat eos, qui una conduxerunt: *Societates* ergo vectigalium dicuntur de iis, qui vectigal conductum habent, ut *societates publicanorum*, quas κοινωνίας Graeci dixere. Sed Coss. Tribunive pl. non constituerunt eorum ordinem, qui vectigalia publica simul elocarent? ideoque legi hoc loco non potest; *vectigalium societates à cons. & trib. pl. constitutas.* Beatus malit, *vectigalium necessitates*, pro iis quae necessario essent eroganda, quod aptius videtur. *Vertranius.* Muretus mutat, *vectigalium necessitates.* Vere. *Acidalius.* Quae haec conjuratio est? *Socii* & *Societates* pro publicanis toties apud unum Ciceronem commemorantur, ut annotare loca pigeat. Vide epist. 9. lib. 13. famil. Et tamen in his quoque Manutius erravit ad orat. pro Plancio cap. 9. *Vel quod erat pater is, qui est princeps jam diu publicanorum: vel quod is ab sociis unice diligebatur.* Quia, inquit ille, perquam rarum, ut ab Sociis publicani diligantur: ubi enim vectigalia exiguntur, ibi fere contentiones odiaque nascuntur. Quasi *Socii* sint hic provinciales, & hi momentum in comitiis istis fecerint. Immo *ab sociis* est, à publicanis. Sed captant verbum *constituere.* Sed frustra: nam *vectigalium societates*, nihil aliud sunt quam ipsa vectigalia, ipsa publica; nullum enim publicum alicujus ponderis quod non exerceretur à societate. *Gronovius.*

1 *Acri etiam populi Rom. libertate*] Particulam *tum* hic addimus: *acri etiam populi Rom. tum libertate.* Rhenanus. Videtur venustior lectio veteris libri, quae est, *acri etiam tum populi Ro. libertate.* Ursinus. Muretus transponit, *acri etiam tum pop. Ro. libertate.* Vere. *Acidalius.*

2 *Necessitas irregationum*] Correxi locum: *necessitas erogationum*, Rhenanus. Muretus falso legit, *irrogationum.* Idem.

3 *Novis acerbitatibus ad invidiam verterent*] An, ne publicani verterent ad invidiam, tot per annos tolerata? Potius interpretor, *tolerata*, primo casu, ac *verterent*, pro, verterentur, ut mos Tacito frequens. *Pichena.*

4 *Leges cujusque publici*] Publicum hic non civitas aut commune cujusque opidi, uti censent: sed τὸ δημόσιον, τελωνία. Plautus Trucul.

Illa, haud ego, habuit publicum, perverse interpretaris.

Seneca epist. cxx. *Jam ego paraveram fiscos: circumspiciebam in quod me mare negotiaturus immitterem, quod publicum agitarem, quas arcesserem merces.* Suet. Cal. cap. xl. *Additumque ad caput legis, ut teneretur publico, qua meretricium queve lenocinium fecissent.* Seneca iterum epist. ci. *Ille qui & mari & terra pecuniam agitabat, qui ad publica quoque, nullum relinquens inexpertum genus quaestus, accesserat.* ubi male substituunt, *publicanes.* Lipsius.

Ut leges cujusque publici] Hoc est, ut conditiones publicanorum perscriptae legibus cujusque loci publici, quae ad id tempus latuerant, divulgarentur. & qui annum, quo petere ex lege aliquid licebat, omisisset, caderet à jure petendi. *Ferretus.* Intelligit cujusque communis sive civitatis: ejus tamen abusive *publicum* dicitur. Sola enim *puplica* dicta sunt, quae populi Rom. sunt, ait Ulpianus Unde principio, qui vectigal pop. Romani conductum haberet, *publicanus* dictus: quod *publica* appellatio in compluribus causis pop. Romanum respiciat, caeterae civitates loco privatorum habeantur: ex Cajo refertur in Digestis de verb. sig. l. 16. *Vertranius.* Vir alioquin oculatiss. toto (ut ajunt) coelo aberravit. nam *immodestiam publicanorum pop. Rom. arguebat*, ut inquit Tacitus, non provinciae externae, civitatesve sociae, aut vectigales pop. Rom. Quamobrem per *publicum* intelligendum *vectigal*, uti habemus apud Jurisc. l. 34. D. *Ex quibus causis major.* Quin imo vectigalia absolute *publica* vocantur, l. 1. §. 1. de publican. Et, *publicorum conductores*, observamus in l. 33. D. pro soc. Cic. & ipse Ep. 5. ad Q. Fr. ait: *Ut & publicanis satisfacias, praesertim publicis male redemptis.* Idem de provinc. Cons. *An qui frui publico non potuit, hic ligetur ipsa lege censoria?* Addamus Quintilianum decl. 340. *Ego non ea voluntate feci, ut hic liber esset, sed ut publica non solveret.* Et decl. 341. *Ante omnia nulla lege comprehensum est, ut alienam rem non profiteri liceret; alioquin publicum eversum est.* Sueton. Cal. 40. *Additumque ad caput legis, ut teneretur publico, qui meretricium fecisset.* Horatius Epist. 1. *Pars hominum gestit conducere publica.* Hinc vectigalium & publicorum conductores *Publicani* dicti Sueton. Vesp. 1. & passim omnibus. Itaque per *publicum* hoc in loco interpretandum vectigal cujuscunque generis: & erit sensus verborum Taciti, quod quum publicani immoderate vectigalia exigerent, legibus quibusdam jam in desuetudinem profectis innixi, eas in novum usum retrahentes suo commodo & populi Ro. dispendio; Nero cujusque vectigalis leges ad id usque tempus occultas proscribi & aboleri voluit, sicque populi indemnitati consultum, ac illius crebris flagitationibus satisfactum; sanciens ad haec, ne publicani omissas petitiones ultra annum resumerent, hoc est, ne vectigal, quod sibi deberi dicerent, à die praetensae exactionis post annum petere & exigere possent. *Marcellus Donatus.*

 Quid

berentur; omissas petitiones, non ultra annum resumerent: Romæ prætor; per provincias qui pro prætore aut consule essent, jura adversus publicanos extra ordinem redderent: [1] *militibus immunitas servaretur, nisi in iis quæ veno exercerent.* Aliaque admodum æqua, quæ brevi servata dein frustra habita sunt. Manet tamen abolitio [2] quadragesimæ quinquagesimæque, [3] & quæ alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerant. Temperata apud transmarinas provincias [4] frumenti subvectio. [5] Et *ne censibus negotiatiorum naves ascriberentur,*

Qnid apertius? & tamen M. Donatus interpretatur, *abolerentur:* cum debuisset, *publice, unde de plano legi possent, proponerentur.* Consulatur Suetonius Calig. 41. nimirum omnes homines sumus. *Gruterus.* Fallitur etiam Donatus in fraude publicanorum explicanda. Non enim vetera illi renovabant, sed nova inveniebant. Nam cum lex sive formula & capita conductionis non essent invulgara, exigebant quibusdam nominibus, quibus concessum non erat per legem, neque unquam fuerat. Has vocat *novas acerbitates & nomina exactionum illicitarum.* Exemplum est apud Ciceronem lib. 3. in Verrem: *Ex omni pecunia, quam aratoribus solvere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant: primum pro spectatione & collybo, deinde nescio pro quo cerario. Hæc omnia, judices, non rerum certarum, sed furtorum improbissimorum sunt vocabula.* Cæsar lib. 3 de bello civil. 1. *Multa præterea ad avaritiam excogitabantur. In capita singula servorum ac liberorum tributum imponebatur. Columnaria, ostiaria, frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, vectura imperabantur. Cujus rei modo nomen reperiri poterat, hoc satis esse ad cogendas pecunias videbatur.* Sic igitur illi quoque faciebant. Et licebat dolere, non recusare obnoxiis, quod illi se jure suo uti, & nihil nisi ex lege flagitare mentirentur. Hæc illis latebra sublata est legibus cujusque publici proscriptis: unde didicerunt, à quibus exigebatur, quid deberent, quid non deberent. Frustra etiam ex Suetonii Vespasiano probat, quod aliunde satis constat & probari non est necesse. Ibi enim sincerior lectio: *publicum quadragesima in Asia egit.* non *publicanum.* Adde 4. Observat. 23. *Gronovius.*

1 *Militibus immunitas*] Ut militibus immunitas servaretur: qui vectigalibus non tenebantur: nisi de iis rebus, quas venales haberent. *Veno* autem dictum est, ut infra, *posita veno.* Ferrettus.

2 *Quadragesima quinquagesimaque*] Portorium id fuit, explicatum Quinctiliano in parte, Declamat. CCCLIX. *Præter instrumenta itineris, omnes res quadragesimam publicano debeant.* Sed abolitio hæc Neroniana, non firma. certe Symmachi ævo iterum præbita Quadragesima: ut discas è l. v. epist. *Quadragesima portorium non recte poscitur à Senatoribus Candidatis: quia nostri ordinis functiones onerari geminis incommodis non oportet. Quæso igitur ut humanitatem nostri ordinis editoribus impartias, & ursorum transvectionem cupiditati mancipum subtrahas.* Etiam Quinquagesima: de qua idem. *Quæstores ordinis nostri numquam ferarum suarum portorium contulerunt. Nunc à fratre meo Cynegio V. C. Quinquagesima vectigal exigitur, quod solos ursorum negotiatores, utpote quæstui servientes, oportet agnoscere.* De hac Quadragesima capio Suetonium Vespas. cap. 1. *Hujus filius publicum quadragesima in Asia egit, manebantque* (lego, *mantantque*, quia pervenisse eas ad suum ævum subindicat Tranquillus: vel potius, *monebantque*) *imagines sub hoc titulo,* Καλῶς τελωνήσαντι. At in Caligul. cap. XL. alia hercle ab ista; temporaria dumtaxat, & quæ cum impuro illo periit: *Exigebatur pro litibus atque judiciis ubicumque conceptis quadragesima summa de qua litigaretur.* Sed & Quinquagesimam vænalium, de qua supra, dispare ab ista: sicut Quinquagesimas illas Ciceronis III. lib. in Verrem, quæ ad aratores pertinuerunt decumanosque. *Lipsius.*

Quadragesima &c.] Hujus manere abolitionem, quis credat? male à Nerone repetere Tacitum omissa omni Galbæ mentione ausus fuit scribere loquax ille Ezech. Spanhemius differt. 9. pag. 797. idque ideo quia reperiuntur duo nummi Galbæ, eandem rem de isto Cæsare testantes. Sed factum sit ea de re SCtum sub Galba: an ideo sequitur id quoque finisse inter Neronis scita brevi servata? debuerat hoc speciatim probari; nam nec senex ille nec ministri bene rapaces videntur desuetudinem sub Nerone æqui edicti & sibi profuturam rupisse, qui libenter eam toleravissent in suum commodum procedere. Omnino mansit ista abolitio sub Nerone; & nequam ministri illuserunt inde populo, ut nimiam invidiam verentes continuarint abolitionem velut grande in privatos beneficium, quum ipsi inde multum lucrari commode nequirent. Lege Lipsiana, lege Casauboniana ad Suetonium: deprehendes in tota pagina ante & post plena ne unum quidem ab illo Ezechiele produci locum, unde plus discas. Immo an quæ alia videmus jactari in nummis cum effigie Galbæ, possunt dici rebus præstita; Inspice quæso, & videbis in plurimis eorum phaleras ad popellum. *Jac. Gronovius.*

3 *Et quæ alia ex auctionibus illicitis*] Reposuimus *& quæ alia exactionibus illicitis.* Dandi casu. *Rhenanus.* Est hic nempe locus communis ab omni ævo quum ista pestis ac pernicies bonorum civium ubique comprimatur quidem, sed ubique semper vigeat. Collegit talia Grotius ad Evangelium Lucæ 3, 13. *Jac. Gronovius.*

4 *Frumenti subvectio*] Quæ hæc subvectio? illane, quæ Romam? ex Africa & Ægypto puta, aliisque provinciis ad alimenta plebis. An intelli-

git

rentur, *tributumque pro illis penderent*, constitutum. Reos ex provincia Africa, [1] qui 52
proconsulare imperium illic habuerant, [2] Sulpicium Camerinum, & [3] Pomponium Silvanum, absolvit Cæsar. Camerinum adversus privatos & paucos, sævitiæ magis quam captarum pecuniarum crimina objicientes: Silvanum magna vis accusatorum circumsteterat, poscebatque *tempus evocandorum testium*, reus *illico defendi* postulabat. Valuitque pecuniosa orbitate & senecta, quam [4] ultra eorum vitam produxit, [5] quorum ambitu evaserat. Quietæ ad id tempus res in Germania fuerant, ingenio du- 53
cum, qui [6] pervulgatis triumphi insignibus, majus ex eo decus sperant, si pacem continuavissent. Paullinus Pompejus & L. Vetus, ea tempestate exercitui præerant. Ne tamen segnem militem attinerent, ille [7] inchoatum ante tres & sexaginta annos à Druso aggerem coërcendo Rheno, absolvit: Vetus [8] Mosellam atque Ararim, facta inter utrumque fossa connectere parabat, ut copiæ per mare, dein Rhodano & Arare subvectæ, per eam fossam, mox fluvio Mosella [9] in Rhenum, exin Oceanum decur-

git in ipsis provinciis modum positum, quo & quatenus frumenta sua adveherent? Fraudes enim & hic committi solere, & molestias objici provincialibus, è Taciti Agricola disces. *Emere*, inquit, *ultro frumenta, & vendere cogebantur. Devortia itinerum & longinquitas regionum indicebatur, ut civitates à proximis hibernis in remota & avia deferrent: donec quod omnibus in promptu erat, paucis lucrosum fieret.* Lipsius.

5 *Et ne censibus*] Mutuare huic loco lumen à P. Fabro lib. 1. Semest. cap. XXV. *Lipsius.*

1 *Qui proconsulare imperium illic habuerunt*] Scripsi, *habuerant*. Rhenanus.

2 *Sulpicium Camerinum absolvit*] Sed eumdem paullo post cum filio interfecit. Ἐγκαλέσας σφίσιν, ait Xiphilinus, ὅτι Πυθικοὶ ἐκ προγόνων ἐπικαλούμενοι, οὐκ ἐπαύσαντο πρόσρημα τοῦτ' ἔχοντες, ἀλλ' ἐς τὰς τοῦ Νέρωνος νίκας τὰς Πυθικὰς ἐκ τῆς ὁμωνυμίας ἐσίνουν. *objiciens illis, quod Pythici ab antiquo dicti, non abstinerent nunc eo cognomine, sed in Neronis Pythicas victorias ex similitudine nominis injurii essent.* Qui Dionis sive abbreviatoris ejus corruptus locus, scriboque, Ὅτι Ποιτικοὶ ἐκ προγόνων, &c. Sulpicii enimvero non *Pythici*, sed *Pœtici* cognominati, uti liquere potest ex Fastis. Quod cognomen ad injuriam suam trahebat Nero, quia ipse solus victor, solus Pythicus. Notabit ergo philologus similitudinem aliquam inter eas voces, veteri germanaque pronunciatione fuisse. *Lipsius.*

3 *Pomponium Silvanum*] Est cum Pompejum Silvanum in Tacito (lib. II. Histor.) repertas; est cum Poppæum. Librariorum ea varietas sit, an hominum, alibi videbo. *Idem.*

4 *Ultra eorum vitam*] Atqui in Mediceo est *ultra vitam eorum*. Mox etiam ex illo ipso scripsi *Paullinus Pompejus & L. Vetus* restituta copulativa, (non enim nostri juris est imponere asyndeton, ubi auctor probatur vitavisse) & nomine priore per unum *l.* scripto, non duplex ut vulgo, ut nota Ryckii non debeat pertinere ad hoc nomen; quod ille corripit. Etiam in cap. seq. *Paulino.* Jac. Gronovius.

5 *Quorum ambitu evaserat*] Faernus legebat; *quorum impetum evaserat.* Ursinus. Quis putaret aliquem his offendi posse? adeo plana sunt & proclivia: & tamen Faernus legebat, *quorum impetum evaserat.* omnino bene, si de adversariis sermo esset, & non potius de advocatis Silvani. Deridet enim vanitatem rerum humanarum Tacitus, & ait heredipetas istos intercessisse quidem pro reo, & eum servasse, spe adipiscendæ substantiæ ipsius, sed contra evenisse; fato enim ante functos, itaque præda sua misere excidisse. *Gruterus.*

6 *Pervulgatis triumphi insignibus*] Hoc est quæ jam nimium frequentia communiaque esse cœperant. *Rhenanus.*

7 *Inchoatum à Druso aggerem*] Intellegitne fossam Drusianam, Isalæ hodie cognomine insignem? quæ Rhenum imminuit, exhausit, & quasi coërcuit? An potius aliud opus in Gallica ripa, quo tumidum & vagum cum pernicie accolarum amnem reprimeret? Videtur. & refero ad aggerem istum, quæ lib. v. Histor. scripta: *Quin & diruit molem à Druso Germanico factam, Rhenumque prono alveo in Galliam ruentem, disjectis quæ morabantur, effudit.* Vidi qui molem eam vellent esse Drusoburgum ad Isalam nunc situm. Ne illi falluntur. Nam qui potest? In Galliarum ripa ea moles fuisse debuit, non in Germaniæ: uti facto Civilis, Tacitique verbis ratio constet. Refellere quidem igitur aliena possim, firmare adhuc ipse nihil. *Lipsius.*

Ante tres & sexaginta annos] Muretus, *tres & quadraginta.* Acidalius.

8 *Mosellam atque Ararim*] Deus bone, utile, magnum, regium vel Romanum plane opus! Sic Carolus Magnus Danubium & Rhenum statuit; alii alia: sed omnes statuerunt tantum. & nescio quæ vis ab alto fere impedit mutari hæc per Naturam statuta. *Lipsius.*

Mosellamque atque Ararim] Scripsimus *Mosellam atque Ararim.* Mox est illic, *itineris*, pro, *itinerum.* Rhenanus.

9 *In Rhenum, exin Oceanum decurrerent*] Legendum

decurrerent: sublatisque [1] itinerum difficultatibus, navigabilia inter se [2] occidentis septentrionisque litora fierent. Invidit operi [3] Ælius Gracilis Belgicæ legatus, [4] deterrendo Veterem, *ne legiones aliena provincia inferret*, [5] *studiaque Galliarum affectaret. for-*
54 *midolosum id imperatori* dictitans, [6] quo plerumque prohibentur conatus honesti. Ceterum continuo exercituum otio fama incessit, *ereptum jus legatis ducendi in hostem.* Eoque Frisii juventutem saltibus aut paludibus, imbellem ætatem per lacus admovere ripæ, agrosque vacuos, & militum usui sepositos insedere, auctore Verrito & Malorige, qui nationem eam regebant, [7] in quantum Germani regnantur. [8] Jamque fixerant

dum puto, *in Rhenum: & in Oceanum.* Pichena.

1 *Itinerum difficultatibus*] Nescio unde sic dederit Beroaldus. In Mediceo est *itineris*, & Tacitus utroque numero fruitur. Etiam ita habet Oxoniensis. *Jac. Gronovius.*

2 *Occidentis septentrionisque litora*] Hæc cum scriberem, Henricus IV. Francorum Rex Christianissimus, idem in Gallia moliebatur: jamque post ingentia opera decreverat Ararim Mo æ, Ligerim Sequanæ & Matronæ conjungere; ut à Massiliensi & Tyrrheno mari ad Burdigalensem Oceanum iretur, & à Rhodano ad usque Iccium portum & septentrionis ultima litora. Quod imperio validus omnes sui imperii partes adunare vellet & ita conjungere, ut nullo negotio remotissima quæque facile sibi succurrerent & coirent. Quæ emendatio orbis tentata quondam principibus magnis. *Aurelius.*

3 *Ælius Gracilis*] E libris *Ælius Gracchus.* Lipsius. *Helius Gracilis*] In scripto *Gracchus.* Vertranius. Muretus. *A. Gracchus.*

4 *Deterrendo Vetere*] Malim *Veterem.* exemplar scriptum habuit, *Veteres.* Rhenanus. Trajectio etiam hic sine dubio est. Legas, *deterrendo Veterem: formidolosum id imperatori dictitans, ne legiones aliena provincia inferret, studiaque Galliarum affectaret. quomodo plerumque proh. c. honesti.* Acidalius.

5 *In studiaque Galliarum affectares*] Et hic malim legere; *ne legiones aliena provincia inferret, studiaque Galliarum affectares.* nisi quis potius arbitretur scribendum, *incustoditaque Galliarum aff.* Rhenanus. Beatus hinc præpositionem demit, & recte. *Vertranius.*

6 *Quo plerumque prohibentur conatus honesti*] Non sperno, sed suspicor legendum, *quomodo*, nam in vett. libris aliquando scribitur una tantum litera, q°. ut facilis fuerit error. *Pichena.*

7 *In qua tum Germani regnabant*] Florentinus codex, *in quantum Germani:* optime. id est, quatenus Germanis quidem est regnum, qui in semilibertate. *Lipsius.*

In qua tum Germanici regnabant] Legendum forte *nutu Germanici:* aut, *jussu Germanici.* Rhenanus. Alias *Germani.* Ferrettus. Legere *Germanici nutu*, vel *jussu*, quod ille tentavit, non est tutum: siquidem multo post necem Germanici, Frisii transrhenanus populus, pacem exuerant, Junio Silano, Silio Nerva coss. supra lib. 5. Quare magis placet scriptum, *Germani*, quasi diceret, in Frisia non Romani, sed Germani regnabant. *Vertranius.* Majores & minores Frisii erant inter Germanos: cui rei ergo dicitur Germanos fuisse Reges Frisiorum? credo id factum, quod aliud sub Tiberio in usu, tunc enim permittebantur primoribus centurionum. lib 4. ann. *donec Olennius, è primipilaribus regendis Frisiis impositus*, donec Romanorum avaritia coacti & pacem & imperium exuerunt, non tamen sine multa tum strage dominorum. *Clarum inde inter Germanos Frisiorum nomen, dissimulante Tiberio damna.* Nec mihi objicias, Corbulonem ultum esse injurias; remque publicam eorum composuisse. *Ec natio Frisiorum post rebellionem clade L. Apronii cœptam, infensa, aut male fida, datis obsidibus consedit apud agros à Corbulone descriptos: idem senatum, magistratus, leges imposuit.* indigenas enim par est eum præfecisse, è quibus Verritus & Malorix in seditione duces, sive reges. *Salmerius.* Frisiorum gens semper fuit liberrima; nisi quod Romanorum jugo aliquamdiu pressa. Malim igitur sic legere: *qui nationem eam regebant, in qua tum Germani rebellabant*; hoc quippe à Frisiis factum, satis aperte atque clare clamat præsens historia. *Cluverius.* Lipsius tentat, sed majoris vitii suspectum locum habet. Verc. Non sanavit ille ulcus, & majus vitium latet: sed quod nos tamen facile hac emendatione pellimus. *qui in nationem eam tum Germani regnabant.* Reliqua verba, quæ circumcidi, & glossis & deinde ex hæsitatione librariorum nata. Vult omnino eos fratres imperitasse, ei nationi. Frisios dicit lib. XI. *Advenæ in nos regnaverunt.* Acidalius. Corrupte antea: *in qua tum Germani regnabant.* Codici Flor. debemus emendationem: *in quantum Germani regnantur*; quæ optimum sensum habent: Regebant scil. eam nationem, eo more, quo Germani regnari, vel regi soliti, hoc est, juxta libertatem. De morib. Germ. *Trans Lygios Gothones regnantur, paulo jam adductius, quam cætera Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem.* & supra: *exceptis duntaxat iis gentibus, quæ regnantur.* hist. lib. I, *ut in cæteris gentibus quæ regnantur.* Pichena.

8 *Jamque fixerant domos*] Castigavimus indidem: *Jamque finxerant domos.* Sic in lib. de Germanis. *Quia & domos fingunt, & scuta gestant.* Mox est in exemplari scripto; *Atque patrium solum exercebant.* Rhenanus. Immo *fixerant*, id est posuerant. collocaverant. Juvenalis Sat. 3. *Laudo tamen, vacuis*

quod

rant domos, femina arvis intulerant, utque patrium folum exercebant; cum [1] Dubius Avitus accepta à Paullino provincia, minitando *vim Romanam*, [2] *nisi abscederent Frisii veteres in locos, aut novam sedem à Cæsare impetrarent*, perpulit Verritum & Malorigem preces fuscipere. Profectique Romam, dum aliis curis intentum Neronem opperiuntur, inter ea quæ barbaris oftentantur; intravere Pompeii theatrum, quo magnitudinem populi viferent. Illic per otium (neque enim ludicris, ignari, oblectabantur) dum *confessum caveæ, discrimina ordinum, quis eques, ubi fenatus* percunctantur, [3] advertere quofdam cultu externo in fedibus fenatorum: & *quinam forent* rogitantes, poftquam audiverant, *earum gentium legatis id honoris datum, quæ virtute & amicitia Romana præcellerent*; NVLLOS MORTALIVM [4] ARMIS AVT FIDE ANTE GERMANOS ESSE exclamant, [5] degrediunturque & inter patres confidunt. quod comiter à vifentibus exceptum, quafi impetus antiqui, & [6] bona æmulatione. Nero civitate Romana ambos donavit: *Frisios decedere agris* juffit.

quod sedem figere Cumis Destinet. Gronovius.

1 *Dubius Avitus*] Labor ut fcribam, *Vibius Avitus*, inducente me Plinio, qui Neronis temporibus præfediffe Galliæ Germaniæque inferiori, Vibium Avitum fignificat lib. XXXIV. cap. VII. *Statuam Avernorum cum faceret, provinciæ Vibio Avito præsidente.* Antea fufpicabar de Didio: fallebar. *Lipsius.*

Cum Dubius Avitus] Recte à doctis viris emendatum eft, *Vibius Avitus*. nam ita in MS. etiam libro. *Ursinus.* Immo male: nam & apud Plinium lib. 34. 7. optimæ membranæ, *Dubio Avito.* non *Vibio.* Gronovius. Sed quas membranas faftidiens & exofus Harduinus cum omnibus aliis, quas ad manum habuit, tum regiis, tum Colbertinis, ut ne producere quidem fcripturam earum velit, ridet tale nomen *Dubius*, quod Romæ nunquam fuerit ufurpatum. Ita nihil in eo moderatum, nihil leniter doctum. Hand dubie ftatuo in omnibus fcriptis libris exftare *Dubius*: ex quo illud D. an non clariffime indicat prænomen? Videtur enim fuiffe appellatus *D. Vibius Avitus*, hoc eft, Decimus, ut *D. Junius Silanus* lib. 12. & *D. Haterius* lib. 3. *Jac. Gronovius.*

2 *Nisi abscederent Frisii veteres in locos*] Deleo vocem, *Frisii*, quæ gloffema, nulli hic ufui. Per fe enim clarum, de his intelligendum. *Acidalius.*

3 *Advertere quosdam cultu externo*] Armenios & Parthos fedentes in Senatu, uti eleganter Suetonius loquitur. Morem autem eum fuiffe, & hunc honorem bene meritis fociis, didici è Juftino: qui de Maffilienfibus lib. XLIII. *Ob quod meritum & immunitas illis decreta, & locus spectaculorum in Senatu datus.* Item Jofepho, qui Decretum C. Cæfaris & Senatus recitat pro Judæis, lib. XIV. cap. XVII. in hæc verba: *Δίδοσθαι τε Ὑρκανῷ, καὶ παισὶ τοῖς αὐτοῦ, καὶ πρεσβευταῖς τοῖς ὑπ' αὐτοῦ πεμφθεῖσιν, ἔντε πυγμῇ μονομάχων καὶ θηρίων, καθιζομένοις μετὰ τῶν συγκλητικῶν θεωρεῖν: Concedi Hyrcano ejusque filiis, item Legatis qui ab eo missi, gladiatorum & ferarum pugnas spectare, in sedibus Senatorum.* Dio Caffius in Fragm. de Trajano: *Ὅτι ὁ Τραϊανὸς τοὺς πρεσβευτὰς τοὺς παρὰ τῶν βασιλέων ἀφικνουμένους, ἐν τῷ βουλευτικῷ θεάσασθαι ἐποίει: Quod Trajanus legatos à Regibus missos in Orchestrâ spectare jussit.* Etfi vetuerat id ante, fua quadam cauffa, Auguftus: ut in Suetonio leges, cap. XLIV. interdicto tamen non firmo. Sed ait Juftinus ecce, in Senatu: & Suetonius alibi, *in equite spectare.* nec errent ultra, qui apud Suetonium in Claudio, *in Senatoriis*, tentant reponere. Sed quod de legatis his ad Neronis tempora Tacitus rettulit, eximium & antiquæ noftræ fimplicitatis factum: Tranquillo vifum Claudio attribuere, cap. XXV. Errat, me judice, Tranquillus. *Lipsius.*

4 *Armis aut fidei ante Germanos esse*] Repofuimus, *armis aut fide.* Rhenanus.

5 *Degrediunturque, & inter patres considunt*] Ita Flor. Vulgo, *digrediunturque.* Ex altioribus enim gradibus ad inferiores defcendendum erat, ut inter Patres confiderent. *Pichena.*

6 *Bona æmulatio*] Libri aliquot, *æmulatione*: ex quibus junctim tunc fcribam, *quasi impetus antiqui & boni æmulatione*: & fane fic fuit. *Lipsius.*

Et bona æmulatione] Non dubito, quin Tacitus fcripferit, *bonæ æmulatio*, contra librario *ne* fyllabam à proxima dictione *Nero* perperam mutuante; proinde fcripfimus: *Quod comiter à visentibus acceptum; quasi impetus antiqui, & bona æmulatio. Nero civitate Ro.* Rhenanus. Videntur reftituenda verba illa ex ufu fermonis hiftorici: *quasi impetus antiqui, & boni æmulatio*: ut *antiqui* & *boni* fubftantive ponantur. Sic Terentius, *antiquum obtinet.* Juretus. Veteres omnes, *quasi impetus antiqui & bona æmulatione*, fatis idoneo fenfu. Ait enim, libertatem illam Germanorum comiter à vifentibus acceptam, quafi præ fe tuliffet aliquid antiqui impetus, & bona æmulatione factum. Rhenano tamen placuit, *& bona æmulatio.* non male. Sed mihi prifca lectio potior. *Pichena.* *Impetus* eft repentinus animi ex honefto motus. Ut hoc libro: *Sed impetum ejus, multum prius laudata magnitudine animi, attinuere seniores.* *Antiquum*, quod quodammodo excedit modum

sit. Atque illis aspernantibus, auxiliaris eques repente immissus, necessitatem at-
55 tulit, captis cæsisve qui pervicacius restiterant. [1] Eosdem agros Ansibarii occupavere, validior gens, non modo sua copia, sed adjacentium populorum miseratione: quia pulsi à Chaucis & sedis inopes, tutum exsilium orabant. Aderatque iis clarus per illas gentes, & nobis quoque fidus, nomine Bojocalus, *vinctum se rebellione Cherusca, jussu Arminii* referens, *mox Tiberio & Germanico ducibus, stipendia meruisse.* [2] *Quinquaginta annorum obsequio id quoque adjungere, quod gentem suam ditioni nostræ subjiceret.* [3] *Quotam partem campi jacere, in quam pecora & armenta militum aliquando transmitte-*

modum sæculi, & antiquitati laudatæ par est. *Æmulatio* autem *bona*, ut alibi *prava*. Sic igitur accipe: *quasi* quod esset *impetus antiqui & bona æmulatione* fieret. *Gronovius.*

1 *Eosdem agros Ansibarii occupavere*] Marcellinus lib. 20. de Juliano Cæsare: *In limitem Germaniæ secunda est egressus, omnique apparatu, quem flagitabat instans negotium, communitus, Toxandro oppido appropinquabat. Rheno deinde transmisso, regionem subito pervasit Francorum, quos Ansuarios vocant, incertorum hominum, licentius etiam perscrutantium extima Galliarum.* Hactenus ille. Vocat igitur *Ansuarios*, *V.* pro *B.* quos Tacitus *Ansibarios*; ut hinc validum meæ conjecturæ sit argumentum Francos è Chaucis prodisse. nam aperte tradit hoc loco Tacitus, *Ansibarios à Chaucis pulsos.* Igitur generale Francorum nomen, & forte recentius, multas nationes propriis adhuc appellationibus distinctas complectens: sicut & Suevorum plurimis olim commune. *Rhenanus.*

2 *Quinquaginta annorum*] Libri vett. *quadraginta.* A clade certe Variana ad hoc ævum, quadraginta sex circiter anni sunt. *Lipsius.*

Stipendia meruisse, quinquaginta annorum obsequia. Id quoque] Lego, *st. meruisse: quinquaginta annorum obsequio id quoque adjungere.* Acidalius. Addit Flor. *&* *quinquaginta.* Pichena. Pessima distinctio, quæ adhuc magis corrupta in postrema editione Critici summi, ubi præfertur *obsequia.* Interpungendum omnino: *stipendia meruisse. Quinquaginta annorum obsequio id quoque adjungere*; sensu planissimo. *Gruterus.* Verum est, quod notat Pichena de Flor. Sed addere debuerit copulam *&* eo delapsam esse relicta vera sede, quam habuerat inter ista nomina *Tiberio & Germanico*, ubi in Flor. omittitur copula. Miror id non publicatum ab Ryckio, quum in schedis exacte notaverim. An debet inter nomina ducum regnare asyndeton? Et scripsit Tacitus: *mox Tiberio, Germanico ducibus stipendia meruisse: & quinquaginta annorum obsequio id quoque adjungere.* Jac. Gronovius.

3 *Quotam partem campi*] Forte, *Quo tantum*, aut, *quo eam.* Vulgatam etiam tolero, & capio. *Lipsius.*

Quotam partem campi jacere] Nos totum ita rescribimus ad veram sententiam: *Quotam partem campi jacere, è qua non pecora & armenta militum alimentis mitterentur? Saturarent sane receptis gregibus tot hominum* (& forte *interminam*) *famem; modo ne vastitatem & solitudinem m. q. a. populos.* Acidalius. Forte vulgata lectio subsistet, si distinctione juvetur. *Quotam partem campi jacere? in quam pecora & armenta militum aliquando transmittontur.* Id est: exigua pars campi est, quam petimus, ac modo jacet: nullique usui vobis futura, nisi quod in eam armenta & pecora militum quandoque transmittetis. *Pichena.* Faernus & Danesius legebant: *Servarent sane receptos gregibus inter hominum famem.* Ursinus. *Servarent s. receptos gregibus inter hominum famam.* Hæc undequaque pura sunt: agri à Frisiis occupati, prius fuerant militibus attributi: qui minimam eorum partem (reliquo neglecto) pecoribus & armentis destinaverant. hinc Bojocalus ut usurpata retineret, ita contendit. Major agrorum pars unde nos exigitis, nunquam fuit à gregibus depasta: proinde nos iis deturbari, nec æquum est, nec vobis utile: non deprecor tamen, quin eam partem restituamus, in quam homines recordentur ullo unquam tempore pecora militum fuisse transmissa. *receptos*, hoc est exceptos, passim apud JCtos. Plaut. Trinumm. *posticulum hoc recepit quum ædes vendidit.* Gell. 17, 6. *Quando mulier marito dotem dabat, tum quæ ex suis bonis retinebat, neque ad virum transmittebat, ea recipere dicebatur.* Salinerius. Corruptus videtur locus, nec juvant libri vet. tentavi tamen, an defendi posset, hoc sensu; *Servarent Romam campos receptos*, id est sepositos pro gregibus: at servarent etiam *hominum famam*, ne scil. palam fiat meliori conditione esse bestias, quam homines, cum his desit terra in qua vivant, illis vero superstit. Sed non satis mihi facit. *Pichena.* Dubitatum de voce *receptos*, mutaturque in *exceptos*; non necessario nam *recipere* idem notare, quod *excipere* docui pluribus ad Plautum meum in Suspicionibus. ceterum optime *famam* migrabit in *famem*, ut placitum Lipsio. *Gruterus.* Non hic videtur sensus; Exiguam partem campi esse quam petant, quæ modo jaceat nullique usui Romanis sit, nisi quod in eam armenta & pecora militum quandoque transmittant: sed hic potius; Cum ingens agrorum spatium incultum jaceat, quota pars ejus est, in quam armenta atque greges militum, nec semper, sed *aliquando* (nam & hæc vox significanter ponitur) transmittuntur? nec tamen querimur eam partem humanis usibus adimi, quamquam & hoc fortasse querendum esset, tot hominibus fame pressis, qui susti-

transmitterentur? [1] *Servarent sane receptus gregibus inter hominum famam; modo ne vastitatem & solitudinem mallent, quam amicos populos. Chamavorum quondam ea arva, mox Tubantum, & post Usipiorum fuisse.* [2] *Sicut cœlum diis, ita terras generi mortalium datas:* [3] *quæque vacua, eas publicas esse.* [4] Solem inde despiciens, & cetera sidera vocans, quasi coram interrogabat, *vellentne contueri inane solum? potius mare superfunderent adversus terrarum ereptores.* [5] Et commotus his Avitus, [6] *patienda meliorum im-* 56
peria.

sustineri poterant ex his locis, quos tantum gregibus receptui servatis. Sed cur ceteros campos, in quibus nec homines, nec armenta sunt; potius vastitatem & solitudinem esse vultis, quam amicos populos ibi habitare? Ex quibus omnibus patet non exiguos fuisse campos, quos petebant Ansibarii; sed eo præcipue argumento usos, agros istos ob magnitudinem atque vastitatem locorum Romanis non esse usui, cum armenta eorum, quibus solis servire videantur, minima eorum parte contenta sint. Eodem pertinent quæ sequuntur: *vellentne contueri inane solum.* Sed & sequentia sic constituimus: *Servarent sane receptus gregibus inter hominem famem.* Nam *famam* legi non posse Lipsius vidit atque *famem* reposuit: pro *receptus* autem quod habent libri *exceptos* legebat, sed adjuvante sensu socero meo facile probavi *receptus* potiorem lectionem esse. *Receptus* locus semotus, qua quis se recipit, ἀναχώρησις. quod tam de hominibus quam aliis animalibus dici potest, quomodo fere apud Columellam 8, r. de re rust. *aquatilium animalium receptacula.* Freinshemius. Plurimos exercuit hic locus. Lego; *servarent sane receptos gregibus*, scil. agros, *inter homines tamen; modo ne* &c. Modica ac prope nulla mutatione, sententia aperta, phrasi Corneliana. Cl. Gronovius, *inter hominum famam*, legit, & erudite tuetur in Observ. ae *famam hominum*, ipsos homines interpretatur. Judicent docti, quorum arbitrio ista permittuntur. *Boxhornius.* Et nos delectabimur legendo *inter hominum famam*, quod egregie jam declaratum est explicando, præsertim quum non debeat nunc mentio famis fieri, quia populus hic non petit nisi tutum exilium, ut alimentis etiamnum sufficiens sit. Ubi vidit Freinshemius tot homines fame pressos? Non nisi sedis sunt inopes. reliqua ipsi fingunt sane non laudabiliter. *Jac. Gronovius.*

1 *Servarent sane receptus*] Scriberem, *exceptos*, & *famem.* Lipsius.

2 *Sicut cœlum diis*] Flor. *Sicuti.* Plurima nimis levia consequor. cuicunque tamen ea negligere in integro est, tamquam si monita non fuissent. *Pichena.*

3 *Quæ sunt vacua*] Emendavimus, *quæque vacua sint.* Rhenanus. Addunt vulgati: *sint.* Sed id verbum abstulimus Florent. auctoritate, nec necessarium, nec Taciti more. *Pichena.* Suspicor edidisse Tacitum: *quasque vacuas, eas publicas esse:* & hoc exemplum addendum iis, quæ notavimus 2. Observ. 14. *Gronovius.*

4 *Solem inde respiciens*] In exemplari scripto legitur: *Solem deinde despiciens.* Legerim; *Solem deinde aspiciens.* Infra est, *quam se paterentur.* Rhenanus. Cum turbent manu exarati codd in *respiciens*, fere est, ut eam voculam pronunciem, una cum altera *vocans*, suppositam à glossarchis. *Gruterus.* Non turbant codices vere antiqui, sed illi, qui ex medio quodam genere petiti melius spernuntur, quam ad consulendum inspiciuntur. Omnino verum est, quod legitur in egregio Mediceo: *Solem inde despiciens;* quod quia noluit edere Beroaldus, hinc illæ tricæ. Vir ille bonus non intelligebat hominem posse despicere solem, qui semper imminebat ejus vertici. Sed oportet supponere eum sic loqui, radios solis terris immissos vere despicientem. Unde sic edidi. Alio statim gestu usus fuit in sequentibus, unde variat loquendo *& cetera sidera vocans*, quod non percipiens Gruterus, potuit stolidum quid cogitare de optimo participio. Sidera cetera designari & distingui non poterant despiciendo, nec eorum ulla in terris vestigia. Illa igitur vocat sursum spectando: at solem notare potuit etiam despiciendo. Habes in Sophoclis Trachiniis. ἐν μῆτον' ἐγὼ προσεῖδον ὁ τάλας Ὤφελον ὄντως, τόδ' ἀνάλατοι Μανίας ἄνθος καταδέχθῆναι. Beroaldus 4. hist. 55. sustinuit edere, *despectarat Gallias:* ubi vide etiam Cl. Ryckium. *Jac. Gronovius.*

5 *Et commotus his Avitus*] Turbata & trunca forsitan. Lego tamen: *Nec commotus his Avitus, patienda m. imperia ait. Dis quos, &c.* Lipsius.

Commotus his Avitus] Nonnunquam deprecantium miseremur, quos tamen nequimus facere compotes voti. Sic Avitus erat in clementiam pronus, & (absque imperatore foret) tam justis miserorum precibus indulgeret: at Nero ejusmodi agrorum possessionem jam Frisiis denegaverat. *Frisios decedere agris jussit.* Quid igitur Avito restabat, nisi ut Ansibarios a se dimitteret mitioribus verbis? *patienda meliorum imperia.* τὸ *commotus* eodem sensu lib. 11. ann. *ingressusque defensionem commotus majorem in modum Claudio, Messallina quoque lacrimas excivit.* Ad ultimum inter Bojocali preces, quam consona Sacris literis hæc: *Sicut cœlum diis, ita terras generi mortalium datas.* illæ enim *cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Salinerius.

6 *Patienda meliorum imperia*] Sana omnino omnia, si distinctionem mutes, *patienda meliorum imperia, id Dis* &c. Et subintelligas *respondit*, quod hic non statim auctor addidit, sed paullo post subjecit. *Hæc in publicum Ansibariis respondit*, Acidalius.

peria. Id diis quos implorarent placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret quid darent quid adimerent; [1] *neque alios judices, quam se ipsos paterentur.* Hæc in publicum Ansibariis respondit; ipsi Bojocalo, *ob memoriam amicitiæ daturum agros.* quod ille, ut proditionis pretium, aspernatus addidit; [2] *Deesse nobis terra, in qua vivamus; in qua moriamur, non potest.* atque ita infensis utrimque animis discessum. Illi Bructeros, Tencteros, ulteriores etiam nationes socias bello vocabant. Avitus scripto ad [3] Curtilium Manciam superioris exercitus legatum, *ut Rhenum transgressus, arma à tergo ostenderet*; ipse legiones in agrum Tencterum induxit, *excidium* minitans, [4] *nisi caussam suam dissociarent.* [5] Igitur absistentibus his, [6] pari metu exterriti Bructeri. [7] & ceteris quoque aliena pericula deserentibus, sola Ansibariorum gens retro ad Usipios &

1 *Neque alios judices quam se ipsos paterentur*] Nec male deleveris τὸ *se*, ut τὸ *ipsos* referatur ad *deos*. Lib. 15. *quoniam dii, quamvis potentium populorum arbitri, possessionem Parthis non sine ignominia Romana tradidissent.* Horatius: *Regum timendorum in proprios greges; Reges in ipsos imperium est Jovis.* Gronovius.

2 *Deesse nobis terra viva, in qua moriamur*] Hunc locum non solum in vulgatis editionibus, verum etiam in MS. volumine depravatum ac mutilum, sic audacter restitui meum secutus judicium: *Deesse nobis terra, in qua vivamus; in qua moriamur, non potest.* id verbum, in priori parte etiam subauditur. *Rhenanus.* Prorsus similis locutio supra, fine lib. 12. *Agrippina, quæ filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat.* Nam & ibi deesse videtur, *quibat.* Itaque nihil mutaverim. Simile est 1. hist. *Et pacis artibus, belli inexpertus.* Mercerus. Eruditiss. vir hanc lectionem fovet. Verum si Phalereum consuluisset, non bis τὸ *potest* hic desiderasset. Σὺ δ' αὐτὸν καὶ ζῶντα ἔλεγες κακῶς, καὶ νῦν θανόντα γράφεις κακῶς. i. *Tu de illo vivo dicebas male, & nunc de mortuo scribis male.* Verba sunt alicujus scriptoris, ad quæ sic ille. χρῆσις δ' τῶν τοιούτων κώλων ἐπισφαλής, οὔτε γὰρ δεινῶς λέγοντι ἐπιτήδεια· ἐκλύει γὰρ τὴν δεινότητα ἡ περὶ αὐτὰ τρυφὴ καὶ φροντίς. h. e. *usus horum membrorum lubricus est: non enim aptus est acriter dicenti, nam nimia circa ejusmodi cura, dissolvit gravitatem.* Salmerius. Rhenanus emendavit, sed conjectura. nam libri omnes depravati. Florent. *Deesse nobis terram vivam, in qua moriamur non potest.* Venet. *terra viva.* Forte: *Deesse nobis terra vivis.* Armati, inquit, terram occupabimus, ibique pugnando moriemus. *Pithena.* Nihil frequentius tali locutione, *deesse nobis terra in qua vivamus, in qua moriamur, non potest.* Sup. 12. 64. Agrippina *filio dare imperium; tolerare imperitantem nequibat.* Et 1. hist. 17. *Militum favorem, ut largitione & ambitu male adquiri, ita per bonas artes haud spernendum.* & ejusdem libro c. 8. *Et pacis artibus, belli inexpertus.* Gruterus. Placet Pichenæ *vivis*: de reliquo vide, quæ notavimus 4. Observ. 2. *Gronovius.* Incredibile dictu est, quemadmodum viri docti non attente cogitent, cum quo illis res sit. Qui quum sit Tacitus, isque passim soleat mutare stylum, scire cupierim, unde didicerint eum scripturum, *in qua vivamus, in qua moriamur.* Et profecto indicium corruptissimi codicis, in quo tale quid deprehenditur. Jam vero quum codex ille, in quo uno sunt omnia, Mediceum dico, habeat *vivam*, inde cum Pichena conjicere *vivis*, est potius nolle ad Tacitum redire, & dare insequentibus occasionem molestiæ; præsertim quum manus auctoris sit tam prompta, tam prodeundi cupida, immo clara in illo, inquam, codice Mediceo, unde scribere solitus sum; *deesse nobis terra in vitam; in qua moriamur, non potest.* Enimvero res & veritas patent & utraque perfectissima. Citavit jam hunc locum Pater ad 1. annal. 15. Sed morem sic corripiendæ loquutionis notum est illustratum optime esse ab eruditissimo Mercero ad Dictyn Cretensem lib. 1. pag. 11. *Jac. Gronovius.*

3 *Curtilium Manciam*] Phlegon De admirandis: *Curtilius Mancias legatus in Germania exercitum duxit Q. Volusio & P. Scipione coss.* Lipsius.

4 *Nisi caussam suam*] In Mediceo tantum est *ni causam s.* Jac. Gronovius.

5 *Igitur assistentibus his*] Correximus; *Igitur absistentibus his*, scil. Tencteris. nam *absistendi* verbum alibi Tac. usurpat; ut lib. 2. Ann. *aut ille absistit.* Lib. 3. Hist. *Stantem pro gradibus palatii Vitellium, & preces parantem, pervicere, ut absisteret.* Lib. 4. Hist. *Missus tum mandatis Montanus ad Civilem, ut absisteret bello.* Rhenanus. In Med. clare *assistentibus.* Jac. Gronovius.

6 *Pari metu exterriti Bructeri. & ceteris*] Aptior hæc Flor. lectio, quam vulgata, *exterritis Bructeris, & ceteris.* Pichena.

7 *Et ceteris quoque aliena pericula deserentibus*] *Quoque* conjunctio non est in libro regio. nam & hic pro etiam exponendum. Quod tamen illic *defendentibus* legitur, stare non potest, nisi quis *periculo* scribat. *Rhenanus.* Cognovit ergo Rhenanus illud *defendentibus* & sustinuit publicare, & quidem ita, ut significaret simul, non ab se excogitatum, sed ex MSto depromptum, idque pro fœdo rejectum esse & ideo suppressum ab viris doctis, qui ante ipsum Tacito se admoverant. Certe enim sic egisse in ea re Beroaldum deprehendimus, immo & postea Pichenam sic durum & pervicacem, ut quam-

& Tubantes concessit. quorum terris exacti, cum Cattos, dein Cheruscos petissent;
errore longo, hospites, egeni, hostes, in alieno, quod juventutis erat, cæduntur,
imbellis ætas in prædam divisa est. Eadem æstate inter Hermunduros Cattosque cer- 57
tatum magno prœlio, [1] dum flumen gignendo sale fecundum, & conterminum, vi
trahunt; [2] super libidinem cuncta armis agendi, religione insita, *eos maxime locos pro-
pinquare cælo, precesque mortalium à deis nusquam propius audire. inde indulgentia nu-
minum illo in amne, illisque silvis* [3] *salem provenire, non ut alias apud gentes* [4] *eluvie
maris* [5] *arescente unda, sed super ardentem arborum struem fusa;* [6] *ex contrariis inter se
elementis, igne atque aquis concretum.* Sed bellum Hermunduris prosperum, [7] Cattis
exitio-

quamvis id ipsum quoque cernerent in vetustissimo Mediceo, tamen contemnendum judicaverint; imo & Ryckium, licet viderer in schedis meis ex illo MS. bene notatum, omnino repulisse ita ut ne verbo quidem dignaretur. Idque sustinent facere illi heroes universa cohorte editorum Taciti consciscente, ut nemo unus ab eis discedat; quum interim Melchior Freinshemius in indicem retulerit *defendere*, pro arcere incendium 15,38. Quod monstri hoc genus est? Immo rectissimum est *defendentibus aliena pericula*, impedientibus ne ad ipsos venirent; arcentibus, ne in suas terras ad communionem deciderent. *Jac. Gronovius.*

1 *Dum flumen gignendo sale*] Non abhorret certe à fide, ut hoc flumen, Sala fuerit? argumento vel nominis ipso. Flumen nobile, mihi carum: domicilii olim caussa, & Andreæ Ellingeri medici primarii; cujus fides & doctrina, magna mihi dum vivam. *Lipsius.*

2 *Super libidine*] Emendavimus, *super libidinem*, i. e. præter libidinem. quod sermonis genus Tacito familiare. *Rhenanus.*

3 *Salem provenire*] Pro prima voce in Mediceo exemplari habetur *Ite3* Jac. Gronovius.

4 *Eluvie maris arescente unda, sed*] Muretus, *arescente, sed unda.* At ipsa de re Plin. lib. xxxi. *Gallia Germaniaque ardentibus lignis aquam salsam infundunt.* Varro de re Rustica 1. *In Gallia Transalpina intus ad Rhenum, cum exercitum ducerem aliquos regiones accessi, ubi salem nec fossicium nec maritimum haberent, sed ex quibusdam lignis combustis, carbonibus salsis pro eo uterentur.* Ubi lego, *intus Rhenum*, particula addititia rejecta. *Lipsius.*

Eluvie maris] Rutilius Numatianus lib. 1. Itinerarii: *Subjectas villæ vacat aspectare salinas: Namque hoc censetur nomine salsa palus. Qua mare terrenis declive canalibus intrat, Multifidosque lacus parvula fossa rigat. Ast ubi flagrantes admovit Sirius æstus, Cum pallent herbæ, cum sitit omnis ager; Tum cataractarum claustris excluditur æquor, Ut fixos latices horrida duret humus.* Aurelius. Isidorus Orig. 16, 2. *nam aquis maris sponte gignitur, spuma in extremis litoribus vel scopulis derelicta, & sole decocta.* Gronovius.

5 *Arescente unda, sed super ardentem* &c *concreta*] Recte *concretum*. quod & Muret. notavit. Sed levis trajectio etiam hic. *eluvie maris arescente, sed unda super ard.* &c. Ita Lipsius quoque prima editione indicavit: nec caussa erat cur reprobaret. Vidit hoc quoque Muretus, sed repetit vocem *maris, sed unda maris super ard.* Acidalius. Muretus non male quidem. Sed & vulgata lectio proba, eodem manente sensu. Ait enim: Non colligitur ibi sal ex undis, quæ post maris eluviem in terra arescunt, ut alibi: sed ea ardentibus lignis, super quibus aqua illius amnis infunditur. *Pichena.* Non inter Hermunduros tantum & Cattos illa conficiendi salis ratio recepta, sed etiam Zelandos nostros, forte Cattorum istorum posteros. qui, ut &, eorum beneficio, reliqui omnes Belgæ, ante duo vix dum secula, non alio sale utebantur. Levin. Lemnium, Zirizeum, Zelandum hic audiamus: lib. 3. c. 9. de Occultis Nat. mirac. *Majores nostri olim salem confecerunt, uberrimo sane quæstu, non ex aqua marina, solis ardore in salem concreta atque indurata, quale ex Hispaniis & Galliis ad nos perfertur; sed ex marinis glebis exustis atque in cinerem redactis, quem infusa aqua minutatim, in salem reducebant splendidum ac nitentem. Zel ofs Zilfont, populares atque indigenæ appellant, à glebis salsugine imbutis, unde illa eliciunt. Nec alio salis genere tota Belgica ad nostram usque memoriam usa est. Qui conficiendi salis modus, inducto externo, exolevit.* Ego autem cum superioribus annis Zirizeam excurrerem, multa ibi tum comitate ab Adr. Hoffero, Regalium Zelandiæ, quæ ad Orientem Scaldis est, supremo Quæstori, viro insuper doctiss. & antiquitatis imprimis studioso, exceptus, tabulam apud eum inspexi, in qua omnis illa conficiendi ac colligendi ejusmodi salis ratio accuratissime depicta habebatur. *Boxhornius.*

6 *Ex contrariis inter se elementis*] Delevimus præpositionem *ex.* Rhenanus. Auctore Flor. addidi præpositionem, *ex.* Probavi verbum *Concretum*, suadente Lipsio, ut ad salem referatur. absurdum enim esset undam igne, atque aquis concretam. *Pichena.* Ceterum in eodem Mediceo non exstat *elementis*, sed *alimentis.* Vide an vulgatum non sit ultra notitiam vel captum istarum tunc gentium. *Jac. Gronovius.*

7 *Cattis exitio fuit*] Non dissimulo alucinationem & *κακόζηλον* viri docti nostratis, qui ab hac pugna initia derivat Batavæ genti. Censet enim victos pulsosque eo prœlio Cattos, devenisse maritimos locos ubi nunc Batavia est, & originem de-

exitiosius fuit, quia *victores diversam aciem Marti ac Mercurio* sacravere, quo voto equi, viri, [1] cuncta victa occidioni dantur. Et minæ quidem hostiles [2] in ipsos vertebant. Sed [3] civitas Juhonum socia nobis, malo improviso afflicta est. nam ignes

disse inter Belgas nobilissimæ genti. Cæcitatem! Batavi noti celebresque diu ante hanc ævo Neronis pugnam: & Cattorum migratio, de qua Tacitus in libello De Germania, non dubie antiquior. *Batavi*, inquit, *non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam populus, & seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperii fierent.* Lipsius.

Cattis exitio fuit] Restitui ex Flor. *exitiosius*. Sequitur enim caussa, cur graviorem illis perniciem bellum attulerit, nempe, aciei consecratio. *Pichena.*

1 *Cum ita victa occidioni*] Placet Danesii conjectura, *cuncta viva.* Lipsius.

Cuncta viva occidioni dantur] Ita Faernus legebat; non, *victa*, ut est in libris vulgatis. *Ursinus.* Firmavi lectionem hanc, *cuncta victa occidioni*, ad Florum 4, 2. ex Historia Miscella, cui nunc addo locum Cæsaris 6. Gall. 17. *Marti, quum prælio dimicare constituerunt, ea quæ bello ceperunt, plerumque devovent. quæ superaverint, animalia capta immolant* (rectius distinguas atque legas: *devovent quæ superaverint. animalia* &c.) *reliquas res in unum locum conferunt.* Ubi notatum etiam *de reliquis rebus* inanimatis nempe, devotis. Hauserunt ritum cruentum isti Barbari ex inconsulta imitatione populi Israelitici, qui aliquando Dei jussu omnia victa pessumdedit. Ergo *occidioni dare cuncta victa* nihil aliud est quam חרם Hebræorum, quod non occidere tantum significat, nec ad viva tantum refertur, sed perdere, ut inanimata etiam complectatur, sicut 1 Sam. 15, 3. Samuel Sauli cum suis contra Amalec in bellum exeunti sic ait? *Occidioni dabitis omnia, quæ ipsius sunt.* ubi ex versu 9. cum subjicitur pepercisse Saulem etiam *vestibus*, intellectu haud difficile eas etiam perdi debuisse. Similia legas in libro Josuæ cap. 6. & 7. *Freinshemius.* Nec *victa* placet nec *viva*. Forte, *cuncta victi.* i. quæ antea victus possedit. *Gronovius.*

2 *In ipsos vertebantur*] Quid si Tacitus scripsit, *in ipsos vertebant.* absolute, non *vertebantur.* Rhenanus. Non dubito, quin causam hujus notandi acceperit Rhenanus ex inspectione codicis. Neque enim ultro venimus ad talem dubitationem. Plane autem notavi in MS. Mediceo legi *vertebant*, & scripturæ veteri ab recente manu superscriptum esse *ur*. Est itaque verissimum Taciti, cui suum nunc asserui, plane ut 2, 20. *Astusque hostium in perniciem ipsis vertebat.* Infra 54, 43. *Non quia dubitarem super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum, & quæ converterentur in deterius mutari.* Notavi in schedis voculam *in* abesse ab Flor. Noluit Beroaldus aut Pichena codicem ipsum in consilium adhibere; noluit Ryckius ab schedis meis admoneri. Atqui an non tanta fidei vetustas persuadet auctorem scripsisse *& quæ converterent, in deterius mutari?* Tu vide; & duo exempla præbebit Freinshemii index in hoc composito. *Jac. Gronovius.*

3 *Civitas Juhonum*] De hoc igne nimia mira Pighius amicus noster censebat, *Hujonum* scrib. quoniam in agro cognomine, hodie lapis multus sub terra fossilis, idoneus concipere ignem. Sed ego ambigo ne ea gens in Germania ipsa alibi fuerit, non in Belgica: & quidam libri, *Vibonum.* Lipsius.

Civitas Juhonum] Hujus fit mentio supra lib. 1. *Reductus inde Juhona miles lætus animi quod adversa maris, expeditione prospera pensavisset*, quamquam illic in edit. Romana perperam legitur divisis syllabis *in Hiona* pro *Juhona.* Arbitror Frisiis & mari Germanico proximam fuisse eam civitatem. *Rhenanus.* Pedem ne referas, tutum est iter: frustraque scrupulos hic timemus: quis enim aptius τὰς μυιαζούσας faceret? *& minæ quidem hostiles in ipsos vertebantur.* sc. in Cattos ex voto Hermundurorum. *Sed civitas Juhonum socia nobis malo improviso afflicta est.* Institutum quod iterasse noster veritus non est. Lib. 16. Ann. *Agitur in exilium, tamquam quæ viderat pertuleratque, proprio odio. At Numisium Thermum prætura functum Tigellini simultatibus dedit.* Lib. 2. Hist. adde: *per socordiam præfecti, quem nota pariter & occulta fallebant. Sed tum è libertis Onomastum futuro sceleri præficit.* Ejusmodi autem voti susceptio, vel Gallis perquam familiaris fuit: adi ad doctissimum Imperatorum, lib. 6. *Salinerius.* Florent. *Civitas Vibonum.* Pichena. Qui isti populi, aut ubi terrarum? in Florent. *Vibonum.* Proxime, ni fallor, veram scripturam. Corrigendum enim videtur, *civitas Chaibonum* sive *Cavionum.* de quibus populis peculiariter dixi ad Tacit. Germaniam. *Colerus.* Rectius Lipsius in Germania ipsa hanc fuisse *Juhonum* civitatem suspicatur. Id quippe conjunctio historiarum, quas de Chattorum excidio & de *Juhonum* calamitate auctor refert: item quod & ipsa socia Romanorum fuit, quemadmodum & Martiacorum civitas. Unde liquido colligi potest, *Juhones* ab una parte Chattis fuisse conterminos, ab altera Rheno & Agrippinensibus. Igni autem concipiendo apta sunt juga montium per Bergensem ducatum, Coloniæ Agrippinensium opposita. Terminos igitur *Juhonum* civitati statuo, ab ortu hyberno eosdem quos Mattiacis ab occasu æstivo: ab occasu æquinoctiali amni Rhenum, quo ab Ubiis submovebantur: ab septentrionibus eodem limite ab Tencteris dirimebantur, quo antea Ubii, à Sicambris: ab ortu item eodem, quo Ubii à Chattis inter oppidum Medebach & Adranam flumen,

ignes terra editi, villas, arva, vicos passim corripiebant, ferebanturque in ipsa conditæ nuper Coloniæ mœnia. neque extingui poterant, non si imbres caderent, non si fluvialibus aquis, aut quo alio [1] humore niterentur: donec inopia remedii, & ira cladis agrestes quidam eminus saxa jacere, dein residentibus flammis propius suggressi, ictu fustium, aliisque verberibus, ut feras absterrebant: postremo tegmina corpori direpta injiciunt, quanto magis [2] profana & usu polluta, [3] tanto magis oppressura ignes. Eodem anno Ruminalem arborem in comitio [4] quæ super octingentos & qua- 58
draginta ante annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus & arescente trunco deminutam, prodigii loco habitum est, donec in novos fetus [5] revirescceret.

men. Comprehenduntur hoc terrarum spatio nunc regiones istæ: ducatus Bergensis dimidia fere pars australina: & regio, cui vulgare vocabulum Westerwald. *Cluverius.*

1 *Humore niterentur*] Ajunt corruptum hoc verbi, *niterentur*: aut potius Florentini codicis exemplo delendum. Dissentio, & promptum est, *niterentur exstinguere*, ordinari. *Lipsius.*

Humore niterentur] Forte, *renitterentur*. Rhenanus. Deest Syllaba, *re*, ubi oportuit, *reniterentur*. Vertranius. Danesius legebat *reniterentur*. Ursinus. Verbum, *niterentur*, aut corruptum, aut perperam additum censeo: nam à Florent. abest. Libenter igitur tollerem, ac legerem: *non fluvialibus aquis, aut quo alio humore, donec* &c. *Pichena.* Egregie quod ad verbum *niterentur*; est enim solummodo donum Beroaldi, sic supplentis stolide, quod ex Taciti more debebat linqui liberum ut in utrisque vel homines vel ipse fluvius possit intelligi, quippe qui videtur exundans etiam immisisse fluviales aquas super humanam operam, nec tamen restinxisse; sed nec alius humor quocunque modo adspersus aut infusus. Cur Pichena se adeo armaverit adversus voculam *si*, non intelligo, quum ratio Latinismi bene toleret; nec bene adsequor, cur conspicuum hunc locum Cl. Ryckius ad 12, 37. prætermiserit. *Jac. Gronovius.*

2 *Profana, & usu polluta*] Adde vocem è prisca editione, *& usu viliori polluta.* Vestes vult sanguinis aut seminis notis sordentes. *Lipsius.*

3 *Quanto magis profana & usu viliori polluta*] Habet codex Budensis tantum, *& usu polluta.* Rhenanus. Lipsius è prisca edit. recte inserit *viliori*. Scribe & dele *magis*: *quanto profana & u. v. polluta*, &c. ex perpetua Taciti & peculiari consuetudine. *Acidalius.*

4 *Ruminalem arborem*] De ficu Ruminali & Navia digna lectu Scaliger in Festum, illustrissimum ingenium nostri ævi. *Lipsius.*

5 *Quæ super octingentos & quadraginta ante annos*] Damno numerum. Nam hic annus urbis conditæ DCCCXI. Romulus autem Remusque XVIII. dumtaxat annos nati, cum facta Roma est. Non ergo plures ab infantia eorum ad hunc diem annis triginta. Facilis putatio ex Dionysio, Livio, & aliis. Ita ergo hic emendem, & *Octingentos & triginta* scribam, ne Tacitus manifesta sit in culpa. *Lipsius.*

Quæ super octingentos & quadraginta ante annos Remi] Exemplar MS. habet, *quæ supra octingentos & quadraginta ante per annos Remi.* Quid si legas, *quæ supra octing. & quadraginta annos perennans, Remi Romulique*, &c. *Perennans.* h. e. continue edurans. *Rhenanus.* Superfuit *ante.* Vertranius. Proba & liquida Lipsii putatio de annis non *quadraginta*, sed *triginta.* Addam ego, unde *quadraginta* natum, & hanc lineam velut expoliam. Vera Taciti scriptura fuit, *arborem in comitio super octingentos, & quæ triginta ante annos Remi*, &c. *Quæ* illud additum voci *triginta*, fecit *quatraginta.* Ea particula post quia orationi necessaria videbatur, superius inculcata, ubi male hæret, & sensum intricat. Quid enim verbi aptes ad illa, *quæ super octingentos?* non puto profecto *texerat.* Sed in hac lectione, *arborem in comitio super octingentos*, omnia plana. & facillimum cuique videre, quid verbi subintelligatur. *Acidalius.* Lipsius ex chronologia restituit *& triginta.* Videturque juvari emendatio ista literarum etiam similitudine si pro *& quadraginta* legas *atque triginta.* & sane inter dictandum facile alterum pro altero exaudiri potuit à scriba. *Freinshemius.*

6 *Revirescceret*] Ita Flor. vulgo, *reviviscceret.* Pichena.

C. CORNELII TACITI
AB
EXCESSU DIVI AUGUSTI
ANNALIUM
LIBER QUARTUS-DECIMUS.

Breviarium Libri.

Nero matrem suam fastidit, denique interficit. Excusat id factum apud Senatum: & is non ignoscit solum, sed laudat. Inde ad deterrima quæque prorupit. currus agitavit. in scena cantavit. Quinquennale ludicrum Romæ institutum, vario sermone vulgi. Rubellius Plautus amovetur. At Corbulo in Armenia strenuè rem gerit: Tigranocerta capit: Tigranem regem iis imponit. Contra in Britannia clades accepta, dum Suetonius Paullinus Monam insulam intrasset. & tota pæne provincia amissa: quam tamen mira constantia & unius prœlii successu Suetonius idem retinuit. Præfectus urbis domi suæ interfectus. supplicium de familia sumptum. Lex Majestatis revocata. Burrhus obiit. Seneca à pessimis in invidiam vocatur: ideoque commeatum à Principe petit, nec accipit. Tigellinus unus omnia potest: is Plautum & Sullam interfici curat. Nero Octaviam dimittit: Poppææ jungitur. Seditionem super ea re populus movet: quæ caussa maturandi Octaviæ exitii. Ea interfecta in Pandateria insula. Gesta hæc annis circiter quattuor.

C. Vipstano. Aproniano. L. Fonteio Capitone. }
Imp. Nerone. IV. Cosso Cornelio Lentvlo. } Coss.
C. Cæsonio Pæto. C. Petronio Tvrpiliano. }
P. Mario Celso. L. Asinio Gallo. }

1 Cajo Vipstano, Fontejo consulibus diu meditatum scelus non ultra Nero distulit, vetusta-

Commentarius.

1 Cajo Vipsanio] Vulgati, *Vipsano*. Viri docti, Vipstanum eum nominant. Vide Fulvii numos, in Apronia gente. *Lipsius.*

C. Vipsano] Legendum, *C. Vipstano*, ex fragmentis inscriptionum fratrum Arvalium, in quibus est. *Adsuerunt. A. Vitellius. M. Aponius. Saturninus. L. Salvius. Otho. Titianus. Sulpicius. Camerinus. C. Vipstanus. Apronianus.* Item: *Adstantibus*

vetustate imperii coalita audacia, & [1] flagrantior in dies amore Poppææ, quæ sibi matrimonium, & [2] discidium Octaviæ incolumi Agrippina haud sperans, crebris criminationibus, aliquando, [3] per facetias incusare principem, & *pupillum* vocare, *qui jussis alienis obnoxius non modo imperii, sed libertatis etiam indigeret. Cur enim differri nuptias suas? formam scilicet displicere, & [4] triumphales avos? [5] An fecunditatem, & verum*

tibus. Sulpicio. Camerino. Magistro. L. Salvio. Othone. Titiano. C. Vipstano. Aproniano. Ursinus. Quum alteri consulum nullum prænomen addatur; id autem fuerit non aliud quam quod præscribebat collega, suspicor Tacitum scripsisse: *Cajis.* De gente *Vipstana* vide Ruperti & Reinesii alternas Epist. 48. & 54. *Gronovius.* Videtur hoc ipsum cogitasse etiam Pighius, dum ad annum 811. scribit (Tacitus Cajos Vipsanium Fontejumque suggerit lib. 14. principio) sed hic cauto opus est. Neque enim etsi percommodus videatur iste pluralis, tamen locum habere potest in tali nominum conjunctione, ut 1. hist. 15. *Pompeii & M. Crassi subolem.* Deinde isto plurali non delectari patet Tacitum, qui & initio libri primi maluit in duobus Sextis prænomen repetere, & 3, 2. & 12, 64. *in Marcis*, & 4, 1. *in Cajis*, quam semel id præfigere utrique in numero plurali. Et huic simile par nominatur 6, 5. *Cn. Domitius & Camillus Scribonianus.* Ut placeat nihil hic movere. Cæterum scribit Ryckius in eo errare Pighium, idque jam aliis monitum, quod hunc Vipstanum à quodam Apronio adoptatum velint atque inde Apronianum dictum: hanc enim terminationem potius prodere Apronio eum patre satum & ab Vipstano adoptatum. Prorsus hæc mira; quum Pighius citato loco scribat *C. Vipsanius ex Apronia gente adoptatus videtur* &c. An potuit vel melius vel clarius vel veracius? Cæterum ut aperte id profitear, tot sunt in Tacito illa cognomina in *janus* desinentia, ut non opiner illa esse signa adoptionis eo tempore. Fatue id quis cogitet; forsan & nunc in boc ipso. Quid statuisse illum credimus de fratre Othonis *Titiano* passim celebrato? quid de *Apronio Cæsiano* 3, ann. 21. Porro in his, quæ cœpimus aggredi, præbet aliquid simile auctor 2, 49. *Lucio & Marco Publiciis.* Sed hæc non ipse concipit, verum ex vetere titulo excerpsit. Alioquin singularis est & notabilis Tacitus, ut patebit ex quibusdam appositis exemplis. ut 13, 53. *Paulinus Pompejus & L. Vetus.* Hoc lib. cap. 19. *Domitii Afri & M. Servilii.* 15, 18. *L. Pisonem, Ducennium Geminum, Pompejum Paulinum.* 12, 60. *C. Oppius & Cornelius Balbus.* Et talia infinita, in quibus uni tantum datur prænomen. Sed quod animadverti oportet, alteri adnectit cognomen. Id ipsum est, quod crediderim nunc quoque factum esse ab Tacito, sed excidisse nomen *Capitone:* nempe *Cajo Vipstano Fontejo Capitone consulibus.* Hic legitimus ordo auctoris est in jungendis duobus, sed a quo potuit interdum etiam discedere. Cæterum *C. Vipstani Aproniani* nomen ad memoriam produxit eximie præclarus ille Jacobus Sponius in libro Gallice scripto Recherches Curieuse d'Antiquité dissert. 4. ubi profert alteram inscriptionem per fratres Arvales factam, ubi ter occurrit, in primo capite sic cum collegis nominatus: *in collegio. adfuerunt. Q. Veratius. Quadratus. C. Padius. Meflianus. Q. Tellius. Gassius L. Maecius. Postumus. L. Julius. Quadratus. C. Vipstanus. Aproniauus.* In secundo: *IN. COLLEGIO. FVERVNT. L. VERATIVS. QVADRATVS. C. VIPSTANVS. APRONIANVS. L. MAECIVS. POSTVMVS. C. IVNIVS. PADIVS. MEFLIANVS. A. IVLIVS. QVADRATVS.* In tertio: *in. collegio. adfuerunt. L. Veratius. Quadratus. C. Vipstanus. Apronianus. L. Maecius. Postumus. C. Salvius. Liberalis. Nonius. Bassus.* tanquam per annos adscenderit in istorum fratrum consessu. *Jac. Gronovius.*

5 *Flagrantior in dies amore Poppæa*] Recte sane *flagrantior.* Malim tamen ego *flagrantiore.* Acidalius.

2 *Dissidium Octaviæ*] Ut sæpe supra, *discidium.* Gronovius. Male mutavit Beroaldus, quum litera illa tertia clare appareat in Mediceo, non autem repetita ista sibilans. *Jac. Gronovius.*

3 *Per facetias incusaret principem*] Nisi in omnibus prorsus fallor, hoc loco transposita Cornelii verba sunt ab iis, qui jam olim autographum exscripsere. sic itaque prius positum, & posthac legendum reor, *crebris criminationibus incusaret principem, & aliquando per facetias pupillum vocaret.* Vertranius. Flor. *incusaret principem, & pupillum vocaret.* Pichena. Hanc terminationem exhibuit Beroaldus. *Jac. Gronovius.*

4 *Triumphales avos*] Unum tantum, Poppæum Sabinum. *Lipsius.*

5 *An fecunditatem & verum animum*] Distinguo, *Verum animum? Timeri ne uxor.* Nam quod V. C. Erricus Memmius legebat, *uterum annuum*, acutius quam verius censeo. *Idem.*

Fecunditatem & verum animum timeri] Jampridem Faernus emendavit: *fœcunditatem & uterum annuum*, &c. quæ lectio eo mihi magis placet, quod eam video probari doctis etiam aliis viris, quibus sic emendare in mentem venit. Danesius vero, pro eo, quod est in vulgatis, *aperiat*, legendum putabat, *operiatur.* Ursinus. Lipsius sua distinctione putat locum juvari, acutiusque quam verius Erricum Memmium conjecisse, *uterum annuum.* Quod quidem hercle & ego. Quomodo annuam fecunditatem suam jactare Poppæa possit, quæ unicam ex Crispino prolem genuerit, ex Othone nullam. Auctores Tacitus lib. 13. & auctor Octaviæ. Sed quid est *verum animum?* Ferri hoc profecto

animum? timeri, ne uxor saltem injurias patrum, iram populi adversus superbiam avaritiamque matris aperiat. Quod si nurum Agrippina non nisi filio infestam ferre [1] *posset, reddatur ipsa Othonis conjugio. ituram quoquo terrarum, ubi audiret potius contumelias imperatoris, quam viseret periculis ejus immixta.* Hæc atque talia lacrymis & arte adulteræ penetrantia, nemo prohibebat; cupientibus cunctis infringi matris potentiam, &
2 credente nullo, usque ad cædem ejus duratura filii odia. Tradit Cluvius *ardore retinendæ Agrippinam potentiæ eo usque provectam, ut* [2] *medio diei, cum id temporis Nero per vinum & epulas incalesceret, offerret se sæpius temulento comptam & incesto paratam. Jamque* [3] *lasciva oscula, & prænuntias flagitii blanditias, annotantibus proximis, Senecam contra muliebres illecebras subsidium a femina petivisse: immissamque Acten libertam, quæ simul suo periculo, & infamia Neronis anxia, deferret, pervulgatum esse incestum gloriante matre, nec toleraturos milites profani principis imperium.* Fabius Rusticus *non Agrippinæ, sed Neroni cupitum id* memorat, *ejusdemque libertæ astu disjectum.* Sed quæ Cluvius, eadem ceteri quoque auctores prodidere, & fama huc inclinat, [4] seu conceperit animo tantum immanitatis Agrippina, seu credibilior novæ libidinis meditatio in ea visa est, quæ puellaribus annis [5] stuprum cum Lepido spe dominationis admisce-

fecto non potest. Deinde male per interrogationem oratio effertur, quæ debet per *ἀποφατικῶς*. Itaque etiam illud *an* non integrum vocis reliquum fragmentum. Ego si meo modo liceat, sic restituam: *Formam scil. displicere & triumphales avos: ambiguam fecunditatem, & verum matrimonium. Timeri ne.* Pulcherrimo & aptissimo sensu. ambigi de fecunditate & vero matrimonio: quod quale & quodnam sit, intelligunt omnes, qui vel etymon matrimonii. Sententia quidem ergo accommodata: Sed an & vestigiis literarum respondet? Optime. Retrahe capitale *m.* a fine prioris vocis, & ex *mani* facillime habes *matri:* ex *mum* quid proclivius quam *monium?* Conjicere alias etiam liceat, *avos, aut fecunditatem. Verum enim vero timeri*, &c. Quid si legas? *An fecunditatem & uterum ambiguum? Uterum* eo modo, quo lib. 15. *Jam Senatus uterum Poppææ commendaverat Diis, votaque publice susceperat.* Et lib. 1. Ann. *Arminium super insitam violentiam, rapta uxor, subjectus servitio uxoris uterus, vecordem agebant.* Vellejus lib. 2. *Juliam* vocat *feminam neque sibi neque Reip. felicis uteri. Fecunditatem & uterum* i. e. fecunditatem uteri. Talia sunt, quæ Douza F. notat ad Propert. cap. 14. Propert. *Ante phrygem Æneam collis & herba fuit.* Virg. XI. Æneid. *Volat igneus æquore Tarchon Arma virumque ferens.* Georg. II. *Pateris libamus & auro.* Acid. Plin. lib. 8. Epist. 6. *Scio quam sit tibi verus & ingenuus animus.* i. à simulatione & dissimulatione remotus. Sic quoque locutus Tacitus: quem *verum animum* frustra mutes in *virilem* aut adeo *uterum annuum.* Gruterus. Nihil dubitem de emendatione Errici Memmii. nam hic non alia de re quam de fecunditate sermo est: *verus* autem *animus*, quid sit hoc loco, aut quomodo ejus aut Tacito aut Poppææ in mentem hic venerit, haud intelligo. *Freinshemius.* Quot sunt, qui de Tacito bene mereri studuerunt, tot exstant in hunc locum hariolationes. Sane corruptissimus est, Sunt qui probant quod Errico Memmio placebat. At illius locutionis exempla desidero. Sed parcent vano labori, quibus nostra hæc, vestigii vulgatis proxime insistens, conjectura probabitur; *An fecunditatem, & Neronem aliam*, scil. displicere? Certum enim est, hic agi de fecunditate. Neque minus notum est illud Didonis, apud Virgil. cujus Tacitus perpetuus imitator est; *Utinam mihi parvulus aula luderet Æneas.* Et suppetunt plurima alia ejusdem elegantiæ exempla. *Boxhornius.*

1 *Posset, reddatur ipsa Othonis conjugio*] Legas vel *possis*, vel *redderetur.* Acidalius.

2 *Medio diei, cum id temporis*] Romani ergo epulabantur die medio? Non vulgo quidem: non item viri serii, sobrii, sicci. Sed describit Tacitus Neronis convivium adolescentis madidi, vere Tempestivum. De quo, itemque de Intempestivo, vide utilities notata in Excurs. A *Lipsius.*

3 *Lascivia oscula*] Scripsimus. *Lasciva oscula.* Rhenanus.

· *Oscula, & prænuntias flagitii blanditias*] Copulam, *&*, addidi ex Flor. cum in editis excidisset. non enim oscula tantum, blanditias vocat, sed & lascivas voces, lascivas contrectationes, & similia. *Pichena.*

4 *Seu conceperit animo*] In Mediceo legitur *concepit*, nec solet in illis ambiguis, attamen proximis vero & valde probabilibus, alio quam indicativo modo uti, prout repetit in fine capitis quarti. 1, 10. 12, 38. *Jac. Gronovius.*

5 *Stuprum cum Lepido*] Qui Lepidus antea maritus Drusillæ, convictus postea conjurationis in Cajum. Suet. Cal. cap. XXIV. Dio LIX. itemque stupri in Agrippinam & Livillam. Rutilius in Itinerario, de Lepidis:

Haud

admiserat, pari cupidine usque ad libita Pallantis provoluta, & [1] exercita ad omne flagitium patrui nuptiis. Igitur Nero vitare secretos ejus congressus: abscedentem; in hortos, aut Tusculanum vel Antiatem in agrum, laudare *quod otium lacesseret.* Postremo ubicumque haberetur, prægravem ratus, interficere constituit; hactenus consultans, *veneno, an ferro, vel qua alia vi.* placuitque primo venenum. Sed inter epulas principis si daretur, referri ad casum non poterat, tali jam Britannici exitio; & ministros tentare arduum videbatur, mulieris usu scelerum adversus insidias intentæ: atque ipsa præsumendo remedia munierat corpus. Ferrum & cædes quonam modo occultaretur, nemo reperiebat; & ne quis illi tanto facinori delectus [2] jussa sperneret, metuebat. Obtulit ingenium Anicetus libertus, [3] classis apud Misenum præfectus, & pueritiæ Neronis educator, ac mutuis odiis Agrippinæ invisus. Ergo [4] *navem posse componi* docet, *cujus pars ipso in mari per artem soluta effunderet ignaram. nihil tam capax fortuitorum quam mare, & si naufragio intercepta sit, quem adeo iniquum, ut sceleri assignet, quod venti & fluctus deliquerint? Additurum principem defunctæ templum, & aras, & [5] cetera ostentandæ pietati.* Placuit sollertia, [6] tempore etiam juta, quando [7] Quinquatruum festos dies apud Bajas frequentabat. Illuc matrem

Haud procul hinc petitur signatus ab Hercule portus;
Vergentem sequitur mollior aura diem.
Inter castrorum vestigia ferme retexit
Sardoam, Lepido præcipitante, fugam.
Litore namque Cosæ cognatos depulit hostes,
Virtutem Catuli Roma secuta ducis.
Ille tamen Lepidus pejor, civilibus armis
Qui gessit sociis impia bella tribus.
Insidias paci moliri tertius ausus,
Tristibus excepit congrua fata reis.
Quartus Cæsareo dum vult irrepere regno,
Incesti pœnam solvit adulterii?

Primum mali fati Lepidum intellegit, qui cum Q. Catulo dissensit post obitum Sullæ, & in Sardinia periit. Alterum, qui triumvir. Tertium, qui conspiravit in Augustum, illius filium. Quartum, de quo hic. Sed cur Poëta ait, incestum ejus adulterium cum Agrippina & Livia, Ideo quia maritus Drusillæ Lepidus: & cum Agrippina etiam sanguine junctus. Credo enim hunc Lepidum natum ex Æmilio Paullo & Julia nepte Augusti. At Julia soror Agrippinæ, quæ mater Caji, & sororum. Hinc clarum cur Cajus successorem illum imperii destinaverit, & quinquennio maturius quam per leges magistratum capere voluerit: quod Dio tradidit lib. LIX. Erat enim sanguinis gentisque Augustæ, pari cum Caligula gradu. Præter rem hæc dixi, ad Suetonii historiæque lucem. *Lipsius.*

1 *Exercita ad omne flagitium*] Jo. Pricæus huc quoque confert symbolam suam, ut malit *exercitata* ad Apulej. lib. 9. pag. 563. Sed nullam ob justam causam, quum licet alii id frequentativum ad pejus flectant, Tacitus eo non utatur, nisi ad laudabile: quum contra occurrat in eo *exercere discordias, licentiam* &c. & mox cap. 23. *Mardi latrociniis exerciti.* Jac. Gronovius.

2 *Jussa sperneret, metuebat*] Malim *metuebant*, vel *metuebatur*, ut illud non de solo Nerone capias: quia & præcessit *nemo reperiebat.* nisi ibi rescribas etiam *non reperiebat*, aut *nemo* sic exandias, ut *nullus* solet, ac *non* interpreteris. de quo memini aliquid dixisse ad Apulejum lib. 1. Metamorph. c. 9. *Acidalius.*

3 *Classis ap. Mis. præfectus*] Quum multa specimina Index Freinshemianus annotet in v. *præfectus*, hoc ipsum non attigit, & quum *classis præfectus* sæpe in Tacito legatur, tamen hoc exemplum nescio an tolerari debeat. Utique sunt manifesta etiam loca 1. hist. 58. *Julium Burdonem Germanicæ classis præfectum.* 3. hist. 12. *Lucilius Bassus classis Ravennatis præfectus.* Et 47. *Regiæ quondam classis præfectum.* Et 77. *In quis præfectus classis Apollinaris.* Attamen, ut dixi, in hoc loco MS. Mediceus habet *classi*, quod non debuit temere mutari, licet 13, 30. dicatur *præfectus remigum*, quum pateat Tacitus ex cap. 62. *Materna necis patrator Anicetus, classi apud Misenum, ut memoravi, præfectus.* Non aliter ac si Historias scribens assidue secundum in ea locutione casum meditatus esset; per Annalium annos dativum. *Jac. Gronovius.*

4 *Navem posse componi docet*] Dio non ex Aniceti consilio hanc navem fabricatam narrat lib. 61. sed in theatro cum vidisset Nero navim ita per se dissolvi & emissis bestiis rursum firmari, similem jussisse ædificari. *Aurelius.*

5 *Cetera ostentandæ pietatis*] Flor. *pietati.* utrumque Tacito usitatum. Vide notata lib. 3, 9. *Pichena.* Et dativum exhibuit Beroaldus, ut is non debuerit mutari. *Jac. Gronovius.*

6 *Tempore etiam juta*] Ita libri manuss. *Lipsius.*

7 *Quinquatruum festos dies*] Sueton. solemnia Quinquatruum vocat. Horatius item Quinquatrus festas.

trem elicit, *ferendas parentum iracundias, & placandum animum* dictitans, quo rumorem reconciliationis efficeret, [1] acciperetque Agrippina, facili feminarum credulitate ad gaudia. Venientem dehinc [2] obvius in litora (nam Antio adventabat) excipit manu & complexu, [3] ducitque Baulos: id villæ nomen est, quæ promontorium Misenum inter & Bajanum lacum flexo mari alluitur. [4] Stabat inter alias navis ornatior, tamquam [5] id quoque honori matris daretur: quippe sueverat triremi, & classiariorum remigio vehi. aut tum invitata ad epulas erat, coccultando facinori nox adhibere-

festas. Caussa, quia ii diis Minervæ, læti pueris, virique. De pueris, Horatius:

—— puer ut festis Quinquatribus olim,
Exiguo gratoque fruaris tempore raptim.

Et Symmachus lib. v. *Nempe Minerva tibi sollenne de scholis notum est; ut fere memores sumus etiam procedente ætate puerilium feriarum. Ad eum diem convivium tibi paramus.* Feriæ ergo pueris: at viris etiam ludi, & spectacula gladiatorum. Ovidius, de quinque his diebus:

Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro.
Caussa, quod est illa nata Minerva die.
Altera, tresque super rasa celebrantur arena,
Ensibus exsertis bellica læta dea est.

Hinc disce, secundum Quinquatruum diem, natalem ejusce Poetæ fuisse. Lib. IV. De Tristib.

Lucifer amborum natalibus adfuit idem.
Una celebrata est per duo liba dies.
Hæc est armifera de festis quinque Minerva.
Quæ fieri pugna prima cruenta solet.

Natus ergo, sexto post Martias Idus. Sed & moris ut ii dies jucunde hilariterque traducerentur. Augustus ad Tiberium: *Nos, mi Tiberi, quinquatrus satis jucunde egimus. Lusimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus.* Lipsius.

Quinquatruum festos dies] Quinquatrua Varro lib. 2. de Ling. Lat. dicta ait, quod erant post diem quintum Idus Martii. Idem à Festo dicitur. Ovidius in Fastis ait quinquatrua fuisse dies festos quinque Palladi dedicatos. Fiebant alia quinquatrua mense Julio. *Lupanus.*

1 *Acciperetque Agrippinam*] Assentior Pichenæ, *deciperetque* scribenti: nisi placet, *alliceretque.* Lipsius.

Dictitans: quo rumorem reconciliationis efficeret, acciperetque Agrippinam, &c.] Legam: *dictitans, quo r. r. efficeret, acceperatque* (Scil. rumorem) *Agrippina, facili fem. credulitate ad gaudia. Venientem dehinc* &c. Possis & sic, *efficeret acciperetque Agrippina,* &c. Acidalius. Suspicor legendum, *deciperetque Agrippinam.* Pichena. *Acciperetque Agrippina facili f. cred. ad gaudia. Venientem,* &c. Ita favente judicio restituisse locum hunc videbar socero meo, ut non dubitaret in textum recipere. Igitur emendationis etiam ratio reddenda est. Nam viri Clariss. ita putaverant sanari posse locum, si legeretur *deciperetque* (vel *alliceretque*) *f. c. f. ad gaudia venientem. Dehinc,* &c. Sed orta haud dubie est corruptio, ex neglectu distinctionis, quod in libris priorib. vox *venientem* præcedentibus cohæreret, quod etiam Agrippinæ fraudi fuit, ut rectus ejus casus *Agrippina* in obliquum *Agrippinam* mutaretur: Sententia autem jam & optima est, & clarissima. Nero ista fecerat, ut rumorem reconciliati animi efficeret, quo eum rumorem? ut acciperet illum Agrippina, h. e. audiret. quomodo autem eam vult accipere? *facili credulitate.* quod eandem loquendi formam facit; qua & alias utitur, ut lib. 2. Ann. 72. *Ea Germanico haud minus ira, quam per metum accepta.* 1, 59. *Fama dediti Segestis spe vel dolore accipitur.* Id autem ita futurum rebatur, quod feminæ proniores sint ad credendum, & *quod fere libenter homines quod volunt, credunt.* Ut loquitur Cæsar 3. Gall. 18. Quod & in Dario notavit Arrianus 2, 2. καὶ αὐτός τε ὁ τιμὴ ἥδιστον ἦν δοξασθῆν ἐς τοῦτο ἐκ ἀκουσίων ἐπήχθη. Noster 1. Histor. 34. Thucydid. 3, 5. Certe hic quoque statim exemplum muliebris facilitatis præbet Acerronia c. 5. *pœnitentiam filii, & reciperatam matris gratiam per gaudium memorando.* Contraria sententia notata 1. Histor. 9. quam adscribimus propter significationem vocis *accipiendi*, ei loco atque huic commune: *facili civitate ad accipienda, credendaque omnia cum tristia sunt.* Vox autem *venientem* male olim, prioribus adnexa pendet à sequenti *excipit.* Freinshemius.

2 *Obvius in litora*] Non sum ausus mutare: malim tamen, *in litore.* Pichena.

3 *Ducitque Baulos*] Antea Hortensii villa: tunc in Principum bonis. De ea non ineleganter Symmachus, ejus possessor:

Huc deus Alcides stabulanda armenta coegit
Eruta Geryonis de lare tergemini.
Inde recens ætas corrupta Boaulia Baulos
Nuncupat, occulto nominis indicio.
Ab Divo, ad proceres dominos fortuna cucurrit,
Fama loci obscuros ne pateretur heros.
Hanc celebravit, opum felix Hortensius, aulam:
Contra Arpinatem qui fleuit eloquio.

Fuit etiam Antoniæ Drusi, uti è Plinio disces lib. IX. cap. LV. *Lipsius.*

4 *Stabat inter alias navis*] Nescio quid alterius ordinis sententia requirit. Deliberandum censeo. *Acidalius.*

5 *Id quoque honori matris daretur*] Non turbo hanc lectionem, si modo sit Taciti, quum præter hoc tria insuper exempla colligat Freinshemii index, & recurrat cap. 14. Sed unicus ille Mediceus legit *matri*, quasi inversum innueret *id quoque honoria*

hiberetur. Satis constitit exstitisse proditorem, & Agrippinam, auditis insidiis, an crederet ambiguam, [1] gestamine sellæ [2] Bajas pervectam. Ibi [3] blandimentum sublevavit metum, comiter excepta, [4] superque ipsum collocata. Nam pluribus sermonibus modo familiaritate juvenili Nero, [5] & rursus adductus quasi seria consociaret, tracto in longum convictu, prosequitur abeuntem, [6] artius oculis & pectori hærens, sive explenda simulatione, seu perituræ matris supremus aspectus, quamvis ferum animum retinebat. Noctem sideribus illustrem, & placido mari quietam, quasi convincendum ad scelus, dii præbuere. Nec multum erat progressa navis, duobus è numero familiarium Agrippinam comitantibus: [7] ex quis Crepereius Gallus haud procul gubernaculis adstabat, Aceronia [8] super pedes cubitantis reclinis, *pœnitentiam filii*, & [9] *reciperatam matris gratiam* per gaudium memorabat. cum dato signo, ruere tectum loci multo plumbo grave, pressusque Crepereius, [10] & statim exanimatus est. Agrip-

ris matri daretur. Id honoris, ut mavult dicere *id ætatis* & similia in Indice Freinshemii collecta. *Jac. Gronovius.*

1 *Gestamine sellæ*] Priscis libris abest vox *sellæ* Atque ita sane XI. libro locutus, *In eodem gestaminis sedem poscit, sumitque.* De Gestatoria sella, in Electis. Libri iidem, *Baulos*, non *Bajas.* Male. ex Sueton. cap. XXXIV. Nam Dio hæc parum clare: & olim mihi imposuit. *Lipsius.*

2 *Bajas pervectam*] Muretus *provectam.* ut sit quasi porro vectam. Nec tamen opus. *Pervectam* subindicat quasi ad destinatum locum. *Acidalius* Hæc duarum villarum nomina aliquid obscuritatis pariunt, præsertim cum in Flor. & aliis veteribus legatur, *Baulos.* quod falsum colligitur, tum ex Sueton. cap. 34. tum ex Tacito ipso, qui supra dixit, Agrippinam *Bajas*, non *Baulos*, ad Quinquatruum solennia celebranda, evocatam. Ut autem clarior narratio reddatur, iter illud repetamus. Antio Agrippina Liburnica vecta, Baulos venit. Ibi à Nerone in litore obvio excepta, in eam villam ducta est. cumque inde Bajas aut terra, aut mari, profecturi essent: Agrippina, insidiis forte auditis, sella vehi maluit. Tandem Baulos reversura, blandimentis victa, navem fallacem conscendit. *Pichena.*

3 *Blandimentum sublevavit metum, comiter excepta*] Muret. *blandimentis.* Non adsentior. Et turbatiorem locum; quam vulgo opinantur, sic totum repono: *Ibi blandimentis sublevavit metum Nam comiter excepta, superque ipsum collocata, pluribusque sermonibus, modo familiaritate juvenili Nero,* &c. *Acidalius.* Suspicabar: *Ibi blandimenta sublevavere metum comiter excepta, superque ipsum collocata.* Gronovius.

4 *Superque ipsum collocata*] Ergo is locus in convivio honestior, quotiens duo accumberent. idque recte, (dissentiant licet) scio monuisse olim. Non refellit me alter Taciti locus, lib. II. *In convivio Germanici cum super eum Piso discumberet, infectos ei bos manibus ejus arguentes.* Scito enim tres discubuisse, mediumque inter eos Germanicum. *Lipsius.*

5 *Et rursus adductus*] Id est, severus, compositus, gravis. In Historiis super hac voce *Idem.*

6 *Artius oculis & pectori hærens, sive explenda simulatione*] Forte, *osculis*, pro *oculis.* Lipsius in prima edit. conjiciebat; *sive explenda simulationi*, ubi vulgo, *explenda simulatione.* Muretus notaverat, *explenda simulatione.* Acidalius. Forte melius: *explenda simulationi.* ut paulo sup. *occultando facinori.* lib. 2. *augenda dominationi.* lib. 3. *Firmandæ valetudini.* Pichena. Corrigo: *convictu & artius pectori hærens prosequitur abeuntem oculis.* nam sine dubio verba sunt transposita: & hæc bona gradatio. Interdum eam oblectabat juvenilibus jocis, interdum compositus in serium quasi res graves cum illa communicaret; atque ita tracto in serum convivio, amplexus arcte, prosequitur oculis discedentem. *Harleus.* Sic accipio; cum surrexisset Agrippina & abitum pararet, prosequutus est eam ac deduxit comes ad littus; in ipso autem digressu oculos & ubera ejus dissuaviatus est ultra modum veræ affectionis. Suetonius. *atque in digressu papillas quoque exosculatus.* Gronovius.

7 *Ex quis Creper.*] Sequor id quod ipse ex Mediceo deprompsi, & probavit jam Ryckius, pro vulgato *quibus.* Jac Gronovius.

8 *Super pedes cubitantis recl.*] Explicat Cl. Ryckius, (in eodem grabato, in quo cubabat Agrippina ad ejus pedes in transversum jacebat) an hæc igitur decuerunt aut Agrippinam nunc filio quasi reconciliatam, aut navem ornatiorem! Certe ut navis extrinsecus apparuit ornatior in honorem matris, sic interior hæc diæta credi debet similiter habuisse omnia commodiora, quoniam duæ hanc ingressæ omnia meliora pergunt de Nerone cogitare: & quum ex Suetonii *camara* colligi debeat aliquid fornicatum amœnius, certe indecenter huc infertur mentio grabati. Et certe *super pedes* ac *ad pedes* non sunt eadem. *Jac. Gronovius.*

9 *Reciperatam matris gratiam*] Magis placeret, ut Faernus legebat: *Recuperatam matris gratiam.* Ursinus.

10 *Et statim exanimatus*] Additur in Flor. ac Ven. verbum, *exanimatus est.* Sed quoniam Taciti phrasim minus olet, potius legerem, *exanimatus. At Agrippina.* Pichena.

Agrippina & Aceronia [1] eminentibus tecti parietibus, ac forte [2] validioribus, quamvis oneri cederent, protectæ sunt: nec dissolutio navigii sequebatur turbatis omnibus, & quod plerique [3] ignari etiam conscios impediebant. [4] Visum dehinc remigibus,

unum

1 *Eminentibus tecti parietibus, ac forte validioribus, quamvis oneri cederent*] Video esse qui legant, *quam ut oneri.* haud ab re. At mihi etiam vox *parietibus*, non firma: & quid si, *arietibus?* Sane in Cæsare, ubi pontem in Rheno struit, *Sublica oblique, pro ariete adiguntur.* Et videntur fabri metaphora sic appellasse ligna sustentantia, & modice inclinata instar Arietis subsilientis, aut Capræ: unde & *Capreoli* vulgo. *Lipsius.*

Eminentibus tecti parietibus] Nullum plane his sensum adesse causatur Ryckius, nec parietes convenire tecto, minime vero parietes eminenter. Et certe sic se gerunt ab Lipsio viri quidam docti circa hanc Descriptionem, ut merito dicas sine sensu legisse. Sed quum ipse Ryckius lectum definiverit grabatum, an est, ut in illo lecto concipiantur & parietes & tigna & plutei, & ille ad caput altior? Atqui res clara est, & lectus hic probat interpolatissimum istum codicem fuisse. Primum ipsæ in Euxino camaræ *in modum tecti* claudi scribuntur ab nostro 3. hist. 47. Immo sub tecto fornicato & quidem ad speciem ut solet in istis cubiculatis fieri, positum erat aliquid æquale, in quo cubitare homo poterat, ut nunc fecit Agrippina, ad pedes assidente Aceronia, ita ut reclinis super eor foret. Quod primum fieri nequivit, si lectus illic fuerit munitus pariete. Hinc tectum vel fornix ornatior, vel lacunar, (ut vocat Suetonius, quod male negat Ryckius ab Tacito agnosci, intelligente hæc omnia in appellatione *tecti*;) ruinam certo modo per plumbum impulsam fecit: quod sive rotundum seu quadratum habuit undiquaque parietes, quibus more solito incubuit, sic nunc fabricandos, ut simul cum tecto collabentes eliderent intus sitos homines: sed in illis error admissus est, & sic fuerunt fabricati, ut cum fornice imposito non laberentur, quod prospici debuerat, ut omnino simul laberentur: inque ista parte deliravit faber. Sic enim contigit, ut vel tectum in medio distraheretur, nec tangeret Agrippinam, vel ab una parte delapsum, quum ab altera in summo hæreret, relinqueret Agrippinæ vacuum spatium, ut illæsa opperiretur futurum. *Jac. Gronovius.*

2 *Validioribus, quamvis oneri cederent*] Recte, qui legunt, *quam ut oneri cederent.* Ego etiam vocem *parietibus* parum Lipsio firmam, muto, *partibus.* Acidalius. Cum in Flor. addita sit particula *ac*, nimirum *ac forte valid. quam ut oneri cederent*; facilis fuit emendatio. Sic lib. 13. *validiore apud libidines principis Paride, quam ut pœna afficeretur.* Pichena. Suo periculo id faciunt Pichena & alii. Magnum momentum mihi est in codicis Medicei cassa antiquitate. Erant enim isti parietes validiores, sed non ut possent coercere & impedire ruinam tecti: debuerunt cedere & cesserunt, ac tectum ruit & ruptus oppressusve Creperejus. Cæterum quia vel summitas parietum vel retrorsum flexio eminebat, ut hinc vel longiores justo essent aut paterentur vergere extrorsum, atque etiam valentiores eos fecerat imprudentia fabri, cesserunt quidem ruenti oneri, sed non pariter ruebant, quod necessario procurandum fuerat. Quis igitur neget jam, recte in MSS. legi *quamvis oneri ced.* & intolerabile facinus infligi scripto Taciti per istud *quam ut?* Jac. Gronovius.

3 *Ignari, etiam conscios impediebant*] Adjecimus, *etiam*, ex Flor. *Pichena.*

4 *Visum dehinc*] Imo, *jussum*, ut libri aliquot, à navarchis & fraudis auctoribus vel actoribus. Sane remiges id à se non excogitarunt: & additur, nec jussos omnes statim consensisse. *Lipsius.*

Jussum dehinc remigibus] Reposui, *Visum dehinc remig.* Rhenanus. Muretus *jussum.* Nondum assentior. *Acidalius.* Quamvis Flor. ac recentiores editi habent, *Visum dehinc*; mihi tamen magis probatur, *jussum*, juxta alios veteres. Nam sequentia verba, *in rem subitam*, perspicue videntur testari, rem jussam. neque credendum est, ipsos remiges, conjurationis ignaros, submergere voluisse navem, in qua Principis mater vehebatur. *Pichena.* Mihi probatur MS. aliorumque librorum lectio *visum dehinc.* nec obstat quod opponunt remiges ignaros fuisse consilii, nam eorum aliquos conscios fuisse auctor innuit dum ait: *plerique ignari conscios impediebant.* Ergo istud *visum* de consciis istis interpretor; si enim jussi fuissent, omnes certe pariter aut consensissent, aut contra fuissent nisi. Ergo hæc etiam animorum & motuum diversitas arguit, remigum etiam nonnullos conscios fuisse, eosque voluisse navem mergere: aliis quod caussam ejus rei ignorarent, contra nitentibus. quod non fecissent, si causam scivissent, atque adeo hoc agere jussi fuissent. Deinde & hoc vix credibile est ignaros in re subita potius liberti jussis parituros fuisse in mandato tam atroci, quam Agrippinæ, quæ certe, qua fuit animi firmitudine, sibi non defuisset, quin ob oculos iis posuisset facti istius immanitatem, atque periculum, quod illis immineret, si scelestis mandatis paruissent. Deinde nemo videtur in navi fuisse, cui auctoritas aliqua ista jubendi fuerit. *Freinshemius.* Omnino illud *visum* pro purissimo admitto, ut quod vidi Florentiæ in optimo exemplari MS. Etiam ratiocinatio Freinshemii bene cedit, si remiges & illos alios bene spectavisset. Nec enim Tacitus agnoscit remigum nonnullos etiam conscios fuisse, alios causam ejus rei ignoravisse ideoque contra fuisse nisos. Immo Tacitus ostendit omnes remiges conscios artificiosæ

fabri-

unum in latus inclinare, atque ita navem submergere. Sed neque ipsis promptus in rem
subitam consensus, & alii contra nitentes [1] dedere facultatem lenioris in mare jactus.
[2] Verum Aceronia imprudens, dum *se Agrippinam esse*, & *ut subveniretur matri prin-
cipis* clamitat, contis & remis, [3] & quæ fors obtulerat, navalibus telis conficitur.
Agrippina silens, eoque minus agnita, unum tamen vulnus humero excepit. [4] Nan-
do, deinde occursu lenunculorum [5] Lucrinum in lacum vecta, villæ suæ infertur.
Illic reputans ideo se [6] fallacibus litteris accitam, & honore præcipuo habitam; quod- 6
que litus juxta non ventis acta, non saxis impulsa navis, summa sui parte, veluti
terrestre machinamentum concidisset; observans etiam Aceroniæ necem, simul suum
vulnus aspiciens, [7] solum insidiarum remedium esse, si non intelligerentur: [8] misit
libertum

fabricæ hujus navis fuisse, etiam ad quam rem; hinc *eemigibus visum* ita agere, quod & egerunt, quantum potnerunt consentire in rem nimis subitam, & celerrima mutatione illuc incumbere ut inde rursus veniat vitium: sed præterea alii in ista navi seu militares seu socii navales, non bene formati de hoc scelere, & ideo contra nitentes fecerunt hactenus converti navem in latus, ut lenior esset jactus corporum in mare, respectu seu strepitus, seu tractus in delabendo, quod utrumque fuisset mulieribus perniciosum. Sic 3. hist. 79. *Neque omnis eques concors* &c. *Jac. Gronovius.*

1 *Dedere facultatem lenioris in mare jactus*] An de iis, qui in navi erant, loquitur? qui scil. se in mare jacere lenius potnerunt, quam si navis subito submersa fuisset? Constat enim ipsam quoque Agrippinam se jecisse in mare: nam deinde ait eam nando sibi salutem quæsivisse. Tamen potius censeo, de ipsa nave intelligendum: quæ propter alios contra nitentes, non adeo in præceps ruerit. *Pichena.*

2 *Verum Aceronia imprudens*] Flor. habet, *imprudentia.* Pichena. Ex hac testatione Pichenæ etiam Ryckius hoc ipsum in notis prodit, non ex meis schedis, in quibus nihil tale notavi; sed neque frater meus ullam mutationem deprehendit, ut vel *παρόραμα* Pichenæ esse debeat, vel nostra defetiscens lassitudo. Cæterum id vidimus & notavimus in optimo isto exemplari scriptum *se Agrippinam esse utque subveniretur*, non *& ut.* quod quibus ita placuit? *Jac. Gronovius.*

3 *Et qua fors obtulerat*] Ita Flor. Vulgo, *& qua fors.* Pichena.

4 *Nando deinde occursu lenunculorum*] Mirum obsequium lenunculorum, qui nanti Agrippinæ nantes occurrerint. præsciebant ergo casum. Mendosa dictio est *lenunculorum*, reposui, *occursu lembunculorum*, hoc est navicularum, nam diminutiva vox est à *lembo.* Rhenanus. Licet, *lembunculorum*, bona lectio sit, *lenunculorum* tamen reperiri in vet. codicibus, eamque lectionem confirmari testimonio veterum aliquot inscriptionum diximus in notis ad Salustium & Cæsarem. *Ursinus.* *Lembunculus*, sive *lenunculus*, sive *lembus*, navis est brevis piscatoria. Sallustius: *incidit forte per noctem in lenunculo piscantis.* Amm. Marcellinus, lib. 14. *Et dum piscatorios quærunt lenunculos.* Cæsar lib. 2. Civ. *Pauci lenunculi ad officium imperiumque conveniebant.* Lupanus. Eosdem hos componit Etymologicon Vossii, eosdem Paralipomena Rosini ad libri, caput 321. eosdem Lindenbrogius ad Ammianum Marcell. 14, 2. *Lenunculus* plane exstat in Notis Tyronis pag. 59. *Jac. Gronovius.*

5 *Lucrinum in lacum vecta, villa sua infertur*] Hæc Florentini lectio. at vulgata. *Lucrinum in lacum vectam villa sua inferunt.* Pichena.

6 *Fallacibus literis accitam*] Magis meo animo convenerit hic antiqua vox, *pellacibus literis.* Tales enim re vera erant, & ob id Suetonius *jucundissimas* vocat. *Acidalius.*

7 *Solum insidiarum remedium esse, si non intelligerentur*] Videatur excidisse participium *rata*, aut quid simile. Tamen & absque illo Tacitum sat capio. *Idem.*

8 *Misit libertum Ag.*] Atqui Beroaldus edebat *misitque.* Id vidit Pichena legi in optimo Mediceo, nec tamen voluit uti. Id ego & frater notavimus ex eodem MS. ut viderit sciveritque etiam Ryckius: attamen sprevit. Quod quidem monstro simile, quum contextui inferret verbum *putavit*, *n. remedium esse putavit*, idque ex suo MS. quem vel per istud specimen probat interpolationibus fuisse fœdissimum. Quid? an Tacitus dixit *illic reputans..... putavit?* Nempe hæc est dictionis gemma per eum reperta. Quid quod ille, qui verbum *putavit* his interponit, restituere vetus *misitque* prorsus debebat, connexione tunc multo gratiore. quam si omittatur copulativa, idque patet vel ex versione vernacula posteriore: *vondt zy geen' anderen raads teegens de laagen, als die ongemerkt te laten: en zondt*, &c. Ista enim studiosius adfixit se verbis & scripto Taciti, quam altera quondam Delphis edita. Quin tu id age, ut decidas, an non jungi debeant superiora, *villa sua infertur, illic reputans* &c. tunc scilicet faciens, quod ante fieri oportuerat: sed tamen statim id faciens, simulatque villæ suæ illata est, ideo continenter subjungente Tacito has junctim cumulatos cogitationes, ut innuat sine ullo interposito tempore illam sic reputavisse: quæ quidem cogitationes ita locatæ sunt, ut illud *reputans* in primo positum, rursus ad postrema ista *solum*

libertum Agerinum, qui nuntiaret filio, *benignitate deum, & fortuna ejus evasisse gravem casum. orare, ut quamvis periculo matris exterritus, visendi curam differret. sibi ad præsens quiete opus.* Atque interim securitate simulata, medicamina vulneri, & fomenta corpori adhibet. *Testamentum Acerroniæ requiri, bonaque obsignari* jubet. id tantum non per simulationem. 7 At Neroni nuntios patrati facinoris opperienti, affertur *evasisse ictu levi sauciam, &* [1] *hactenus adito discrimine ne auctor dubitaretur.* Tum pavore exanimis, & *jam jamque adfore* obtestans *vindictæ properam, sive servitia armaret, vel militem accenderet, sive ad senatum & populum pervaderet, naufragium & vulnus & interfectos amicos objiciendo;* [2] *quod contra subsidium sibi?* [3] *nisi quid Burrus & Seneca expergiscerentur.* quos statim acciverat, [4] incertum an & ante ignaros. Igitur longum

insidiarum remedium esse omnino debeat quasi duplicatum & altera vice positum intelligi. Sic hæc omnia cohærent, ut pateant causæ, cur procedat narrans *misitque*, ut 16, 2. quod vide. *Jac. Gronovius.*

1 *Hactenus addito discrimine*] Correximus, *hactenus adito discr.* Rhenanus.

2 *Quod contra subsidium sibi?*] Romana editio, *suffragium sibi?* Nec damno. Sane *suffragari*, adjuvare & opem ferre est: ut *refragari*, obsistere. Inde & *refragium*, quod Græcis [illegible]. Hegesippus lib. v. cap. XXXVII. *Gubernator aliquas velorum sinus, & sine refragio scinditur fretum*, eaque voce & alii usi. *Lipsius.*

Quod contra subsidium sibi] Lectio in speciem vera: nam adulterium quid subrepsisse, arguit Romana edit. vetus, in qua *quod contra suffragium sibi?* recte. idemque vocis diu est quod reddidi Senecæ. ubi enim hodie est lib. 1. de Ira. c. 11. *Quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum provisa sunt, non suffugia adversus perpetuum cœli rigorem*, &c. Legendum cum membranis autographis, *non suffragia*, neque enim *suffragia* vocis tantum, sed & rei, ut ostendi abunde in Suspicionibus. *Gruterus.* Malim una vocula transposita: *Quod contra subsidium sibi. Quod,* (nempe subsidium consiliumque reliquum) *nisi Burrhus & Seneca expergiscerentur?* Est enim huc etiam ponenda interrogationis nota. *Boxhornius.*

3 *Nisi quid Burrus & Seneca expergiscerentur*] Codex regis Corvini hic habet, *expurgent*, sed crasa priori scriptura. *Rhenanus.* Interpunge, *amicos objiciendo. quod contra*, &c. *Nisi quid.* ad Plaut. dixi Mostell. cap. 4. *Acidalius.* Florentinus corrupte, *expurgent.* Sunt qui substituunt, *expedirent*, quod nec probo, nec improbo. *Pichena.* Clara confessio incerti & titubantis, quo nihil infaustius. quum deberet improbare ut nimis remotum ab antiquo. Beroaldo qui tale portentum tanta cauda porrectum in mentem venerit aut placuerit, non assequor. Certe hæc narratio est loquentis, non historici referentis rem gestam; & clare præmittitur *obtestans.* Loquitur itaque inter suos Nero, & iis criminibus se oneratum iri a matre metuit, ut de se actum esse dicat, *nisi quid Burrus & Seneca expurgent*, quo nihil propinquius ad veterem scripturam fingi potest, & satis quoque commodum negotio præsenti, prout Thrasea 16, 24. dicitur *requirens objecta & expurgaturum adseverans.* Nisi accuratius his inhærens dicas postrema ejus verbi, quæ ad formam participii videntur in MS. Mediceo signata, manifestam suggerere secundam personam pluralem, converso nimirum sermone jam ab reliquis ad hos duos, ut fuerit *expurgetis.* Equidem quum Budensis plene ita efferat, Mediceus per præcipua appropinquet, non modo maceror tale verbum repelli, sed par aut præstantius eo per Ryckium supponi interpolatum ab inopi ingenio *expromerent*, satis commune, sed hic non adhibitum ab auctore. Quamquam quum verbum *expergere* probatum sit ex Virgiliano lib. 3. *Æn. expersa*, pro madefacta, quid vetat Neroni ex adsuetacto poeticis ore excidisse verbum hoc *expergetis*, quod Tacitus retinere hic voluit ut publice tunc notum, quasi æstum anxietatis meæ limpido solatio invento levetis. *Jac. Gronovius.*

4 *Incertum an & ante ignaros*] Fides tibi, Corneli, magis curæ, quam Dioni: qui Senecam auctorem impulsoremque unicum Neroni ejus criminis facit idque à fide dignis multis traditum esse.

Ἀλλ' ἐμοὶ οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθε.

Lipsius.

Incertum an & ante ignaros] Scil. irriti cœpti, & tentamenta Aniceti frustra cessisse. Neque enim aliter sibi Cornelius constabit. qui lib. 13. retulit Burrum Neroni *necem Agrippinæ promisisse:* minusque conveniat alia interpretatio Senecæ, qui Annalis hujus initio, *Acten libertam ad Neronem in Agrippinam* immisit, & ut apud Cassium a compluribus, fideque dignis dictum est, Neronem ad id facinus necandæ matris incitavit. *Vertranius.* Hoc Tacitus addit, ut aliquid daret invido rumori, qui utrumque hujus culpæ alligavit, quod Tacitus affirmare noluit. Et sine dubio intelligit *ignaros* insidiarum in Agrippinam, non hujus tantum irriti cœpti. Neque obstant argumenta Vertranii. Quid enim? Burrhus *promisit Agrippinæ mortem, si facinoris coargueretur:* ergo & conscius fuit, cum sine crimine, sine accusatione, interficeretur? Dein, Seneca Acten immisit, ut præveniret incestum, ergo

longum utriusque silentium, ne irriti dissuaderent; [1] an eo descensum credebant, ut nisi præveniretur Agrippina, pereundum Neroni esset. Post Seneca hactenus promptior, respicere Burrum, [2] ac si sciscitaretur, *an militi imperanda cædes esset?* Ille *prætorianos toti Cæsarum domui obstrictos*, [3] *memoresque Germanici*, *nihil adversus progeniem ejus atrox ausuros* respondit: *perpetraret Anicetus promissa*. Qui nihil cunctatus, [4] poscit summam sceleris. [5] Ad eam vocem Nero, [6] *illo sibi die dari imperium*, *auctoremque tanti muneris libertum* profitetur; *iret propere*, *duceretque promptissimos ad jussa*. Ipse audito, *venisse missu Agrippinæ nuntium Agerinum*, scenam ultro criminis parat: gladiumque dum mandata perfert, abjicit inter pedes ejus. tum quasi deprehenso, *vincla injici* jubet; ut *exitium principis molitam matrem*, *& pudore deprehensi sceleris sponte mortem sumpsisse* confingeret. Interim vulgato Agrippinæ periculo, quasi casus evenisset, ut quisque acceperat, decurrere ad litus. [7] Hi molium objectus, hi proximas scaphas scandere: alii quantum corpus sinebat, vadere in mare, quidam manus protendere: questibus, votis, clamore, [8] diversa rogitantium, aut incerta respondentium, omnis ora compleri: affluere ingens multitudo cum luminibus, atque ubi incolumem esse pernotuit, ut ad gratandum sese expedire, donec aspectu armati & minitantis agminis disjecti sunt. Anicetus villam statione circumdat, refractaque janua,

ergo parricidium probavit. Immo tum nemo credebat *ad cædem* matris *filii odia duratura*. Denique Dio cum compluribus suis hac in re nulla fide dignus est, optimorum è Romanis obtrectator. *Gronovius.*

1 *Et eo descensum credebant*] In codice regis Corvini apparet fuisse scriptum, *an eo descensum credebant*. Legerim, *jam eo descensum cred.* Rhenanus Ex Flor. restitui particulam, *an*. Vulgo, *& eo descensum*. Pichena.

2 *Ac si scitaretur*] Blanditur prima fronte hæc lectio, sed certe si penitius introspicias, sensum non habet commodum. Vult enim respexisse tantum Burrhum quasi interrogaturus esset, an militi cædes imperaretur: nullam autem vocem edidisse. quod mihi non videtur verisimile. modo enim longum utriusque silentium cum notasset, subjicit. *Post Seneca hactenus promptior.* at quomodo *promptior* si pergit silere? Deinde non est credibile Burrhum aut statim ex obtutu illius intellexisse, quid vellet, aut si maxime intellexisset, responsurum fuisse, hominem negotiorum & aulæ peritissimum, cum adhuc liceret dissimulare, præsertim cum talis esset interrogatio, ut vel summa cum invidia summoque scelere affirmaturus videretur; vel summo cum periculo negaturus. Ergo subjuncta quoque ea vox est, *respondit*. nempe interrogatus, quapropter scribendum arbitror: *respicere Burrhum, ac sciscitari.* Facile potuit scribi *sciscitari*, quam vocem cum pro duabus haberet audaculus emendator, putavit propter istam particulam *si* sequens etiam verbum reformandum esse: quomodo in nota ad 14, 4. ostendimus vocem *Agrippinam* fuisse corruptam, propter vocem *Venientem*. Freinshemius.

3 *Et memores Germ.*] MS. Mediceus *memoresque*, quo quum nihil sit antiquius expressi: dicant alii causam, cur sic mutarint ac dissecuerint. Ita mox recepi *ad eam vocem*, non *illam*, ut vulgo. *Jac. Gronovius.*

4 *Poscit summam sceleris*] Id est, peragere cupit quod cœpit agere, & extremam velut manum sceleri imponere. *Lipsius.*

5 *Ad illam vocem*] Flor. *ad eam vocem.* Pichena.

6 *Illos invidia dari imperium*] Sic castigator quispiam semiliteratus, *illo sivi die*, quod scriba Hispanus opinor scripserat, restituendum putavit, quum *sivi* in *sibi* mutandum fuerit. *Rhenanus.*

7 *Hi molium objectus scandere*] De his molibus ad Bajas, Cassiodorus Variar. IX. *Quantis ibi molibus termini decenter invasi sunt? quantis spatiis in visceribus æquoris terra promota est?* Strabo lib. V. Ἡ δὲ πόλις ἐμπορεῖον γεγένηται μέγιστον, χειροποιήτους ἔχουσα ὅρμους, διὰ τὴν εὐφυΐαν τῆς ἄμμου. Διόπερ τῇ χάλικι καταμίξαντες τὴν ἀμμοκονίαν, προβάλλουσι χώματα εἰς τὴν θάλατταν. Virgilius.

Qualis in Euboico Bajarum litore quondam
Saxea pila cadit.

Ausonium in ea re corrigo:

Vel quæ Baianis pendent fluitantia pilis.

Male enim hactenus, *palis*. Enimvero pilæ illæ è saxo, ut Virgilius: in eademque voce Livius corrig. lib. I. *Modo intra illam pilam, & spolia hostium.* male vulgo *illa pila*. intellegit columellam, quam Dionysius στήλην dixit, spoliis Curiatiorum insignem. *Horatia pilla*, apud Propert. tela ipsa sunt: ne quis eo me refutet. At de pilis his ad Bajas, etiam Seneca epist. LXXVII. *Omnis in pilis Puteolorum turba consistit.* Lipsius.

8 *Diversa rogantium*] Scribendum, *rogitantium*. Rhenanus. Danesius ex v. c. legebat, *rogitantium*. Ursinus. Flor. *rogitantium*, Pichena.

1 *Aliam*

nua, obvios servorum arripit, donec ad fores cubiculi veniret; cui pauci adstabant;
ceteris terrore irrumpentium exterritis. Cubiculo modicum lumen inerat, & ancil-
larum una: magis ac magis anxia Agrippina, quod nemo à filio, ac ne Agerinus
quidem. [1] aliam fere litore faciem nunc, solitudinem ac repentinos strepitus, & ex-
tremi mali indicia. Abeunte dehinc ancilla, *Tu quoque me deseris*, prolocuta, respi-
cit Anicetum [2] trierarcho Herculeo & Oloarito centurione classiario comitatum. Ac
*si ad visendum venisset, refotam nuntiaret: sin facinus patraturus, nihil se de filio cre-
dere; non imperatum parricidium.* Circumsistunt lectum percussores, & prior trier-
archus fusti caput ejus afflixit. [3] Nam in mortem centurioni ferrum destringen-
9 ti, protendens uterum, *Ventrem feri*, exclamavit: [4] multisque vulneribus confecta
est. [5] Hæc consensu produntur. Aspexeritne matrem exanimem Nero, & formam
corporis ejus laudaverit, [6] sunt qui tradiderint, sunt qui abnuant. • Cremata est nocte
eadem, [7] convivali lecto, & exsequiis vilibus: [8] neque dum Nero rerum potiebatur
[9] congesta aut clausa humus. mox domesticorum cura, levem tumulum accepit, viam
Miseni propter, & villam Cæsaris dictatoris, [10] quæ subjectos sinus editissima pro-
spectat.

1 *Aliam fore litore faciem nunc, solitudinem ac repentinos strepitus*] Lego: *Aliam fere litore faciem: nunc solitudinem & repentino strepitus.* Acidalius. Quæ olim divinavi, nunc prorsus negligo, tantum moneo, in Flor. corrupte legi: *aliam fore lateret.* emendationem acutioribus relinquo. *Pichena.*

2 *Trierarcho Herculeo*] Trierarchus dicitur qui triremibus præest, qua voce utitur Cicero, & Jabolenus JCtus. Alibi quoque Claudius quidam *trierarchus Liburnicarum* à Tacito appellatur. *Lupanus.*

3 *Jam in mortem centurioni ferrum distringenti*] Sic Faernus legebat: non, ut in vulgatis, *Nam in mortem*, &c. *Ursinus.* Ineptum *Nam.* Sed egregie emendo: *Trierarchus caput ejus afflixit non in mortem. Centurioni ferrum*, &c. Phrasi Tacitis *afflixit in mortem.* Lib. 4. Ann. *Is pratorem provinciæ L. Pisonem pace incuriosum ex improvisa in itinere adortus, uno vulnere in mortem adfecit.* Et eodem lib. *quos principium stragis in mortem adflixerat.* Acidalius.

4 *Multisque vulneribus confecta est*] Sustuli insigne glossema aliquot versuum, qui huc transcripti è Senecæ Octavia verbatim. Eaque omnia jure desunt Vaticano. Non visum id ante me, ne ab eo quidem qui codices Vaticanos inspexisse jactat, miror & indignor. Hæc Agrippinæ mors. At Philostratus lib. IV. de Vita Apollonii, adfirmavit naufragio periisse Agrippinam solutili illa nave. Adeo ille & genere & partibus scriptionis suæ nugator est. *Lipsius.*

5 *Hæc consensu traduntur*] Optimus MS. *produntur.* Cui id displicuerit, nescio: certe nunc revocavi, quod ipsa varietatis amœnitas adigebat, ut 13, 20. *Nos consensum auctorum sequuturi, quæ diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus.* Jac. Gronovius.

6 *Sunt qui tradiderint, sunt qui abnuant*] Æqualis Taciti C. Tranquillus Ner. 34. sic scriptum reliquit, narrata Agrippinæ cæde: *Adduntur his atrociora, nec incertis autoribus, ad visendum interfecta cadaver accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, alia laudasse, sitique interim oborta, bibisse.* Dio quoque Neronis infanda verba refert, corpore matris nudato: *Nesciebam*, inquit, *me tam pulchram matrem habere.* Vertranius. Boëthius lib. 2. car. 6. *Fratre qui quondam ferus interempto, Matris effuso maduit cruore: Corpus & visu gelidum pererrans Ora non tinxit lacrimis, sed esse Censor extincti potuit decoris.* Gronovius.

7 *Convivali lecto*] Non funebri, & legitime parato. *Lipsius.*

Convivali lecto] Ubi cœnans accubare solita erat. *Ferrettus.* Mos fuit in exequiarum celebritate, funebrique pompa, post faces collucentes, in lectulis, quos funebres, exstructos funeris causa, dicebant, fumosas majorum imagines, ipsiusque cui funeraretur, è cera effictum simulachrum anteferri cadaveri, quod in lecto strato cum linteis politum, sequebatur. Liv. 48. Appian. Civ. 2. & Servio ad 5. & 6. Æneidos, conjecturam suadentibus. At solitus honor pro familiæ nobilitate defunctis amplissime conferri, à filio matri datus minime fuit: exequiæ tantum viles nulliusque pretii: & in quo Agrippina cibum sumptura accubabat, eo ipso lectulo delata est. *Vertranius.*

8 *Neque dum Nero, rerum potiebatur*] Non congesta nec clausa humo donec Nero regnavit: post domesticorum cura levi tumulo contecta. *Ferrettus.*

9 *Congesta aut clausa humus*] Vulgati, *humo:* At scripsi, *humus*, Flor. indicante. quamvis literæ *us*, deletæ sint, ac supra repositum O, à recentiori manu. *Pichena.*

10 *Quæ subjectos sinus*] Apte ad hunc locum Seneca epist. LII. *C. Marius, & Cn. Pompejus, & Cæsar exstruxerunt quidem villas in regione Baiana, sed illas imposuerunt summis jugis montium. Videbatur hoc magis militare, ex edito speculari longe lateque subjecta.* Lipsius.

1 *Liber-*

spectat. Accenso rogo [1] libertus ejus, cognomento Mnester, [2] ipse ferro se transegit; incertum caritate in patronam, an metu exitii. Hunc sui finem multos ante annos crediderat Agrippina, contempseratque. Nam consulenti super Nerone, responderunt Chaldæi, *fore ut imperaret, matremque occideret:* atque illa, *Occidat*, inquit, *dum imperet.* Sed à Cæsare [3] perfecto demum scelere, magnitudo ejus intellecta est. [4] reliquo noctis, modo per silentium defixus, sæpius pavore exurgens, & mentis inops lucem opperiebatur, [5] tamquam exitium allaturam. Atque eum auctore Burro, prima centurionum tribunorumque adulatio ad spem firmavit, [6] prehensantium manum, gratantiumque, *quod discrimen improvisum, & matris facinus evasisset.* Amici dehinc adire templa: & cœpto exemplo, proxima Campaniæ municipia victimis & legationibus lætitiam testari. Ipse [7] diversa simulatione, mæstus, & quasi incolumitati suæ infensus, ac [8] morti parentis illacrymans; quia tamen non ut hominum vultus, ita locorum facies mutantur, [9] obversabaturque maris illius & litorum

1 *Libertus ejus cognomento Mnester*] Ann. XI. admonui Dionis & Xiphilini vitiatos esse libros, qui Μνεστῆρα pro *M. Nestore* Pantomimo scriptum haberent. An igitur & hic *M. Nestor* reponendus erit? Quod non puto: auctorum siquidem consensu Pantomimus ille sub Claudio occisus legitur. Hic ergo libertus Agrippinæ alter ab illo videri debet, qui Græco nomine *Mnester*, id est, *procus*, & *petitor* dictus est. *Vertranius.*

2 *Ipse ferro se transfigit*] Quam latenter Tacito insidiati sunt certi homines, ut eum corrumperent mendaci colore oblito, ut vix advertere quisquam potuerit? Sic hoc loco impostores transtulerunt locutionem sæpe alibi etiam apud antiquos occurrentem, & in scriptore nostro 6, 18. 14, 30. & cum varietate cap. 37. *se ipsum gladio transegit.* At MS. Mediceus tantum habet *ipse ferro transegit*, omisso τῷ *se.* Id Ryckius forsan retulerit ad notata 12, 62, 3. Ipse non ita obiter pronuntiare potui, sed diu inhærere mihi passus sui ad cogitandum, unde forsan propius monstrabo Tacitum. Ille enim videtur scripsisse *libertus ejus, cognomento Mnesteris, se ferro transegit.* Utrumque enim casum ibi amavit auctor. Infra cap. 15. *Conscripti sunt equites Romani cognomento Augustanorum*, quum potuisset *Augustani.* 12, 55. *Agrestium Cilicum nationes, quibus Clitarum cognomentum.* Poterat sufficere *Clitæ.* 2. Hist. 43. *Una & vicesima cui cognomen Rapaci.* An vero prætuleris *cognomento Mnester, is se ferro tr.* ut sit simile illis, quæ ad Livium collegerunt notæ paternæ? *Jac. Gronovius.*

3 *Perfecto demum scelere*] Ita fit. currimus ad scelus præcipites, quod sedente impetu, veris mox pretiis æstimamus. Aurea gnome, sumptane à Menandro? certe ab illo antea sic elata, apud Stobæum:

Οὐδεὶς ξύνοιδεν ἐξαμαρτάνων, πόνον
Ἀμαρτάνει τὸ μέγεθος, ὕστερον δ' ὁρᾷ.
At nemo peccans, criminis sui modum
Peccando novit, re peracta respicit.

Lipsius.

4 *Reliquum noctis*] Emendavimus, *reliquo noctis.* Rhenanus.

5 *Tamquam exitium allaturam*] Similius fortasse vero sit *ablaturam.* Quasi metum omnem & discrimen dies eximeret, noctem mutari desiderat. Hæc sententia videtur esse Taciti, quam tamen servata scriptura veteri rite elicio, modo *exitium* cum Festo & ἀρχαϊκῶς capiatur pro fine & exitu cujusque rei. *Pontanus.* Manifesta corruptio vocis *exitium*, quod minime, sed contra solatium collatura lux pessimo principum invocabatur. Quis unquam lucem opperitur & expectat cupidus quæ sit illi exitium allatura? *Exitum* ergo scribendum in Tacito, id est, finem mæroris quod solent spectare mæsti, secundum Papinium: *& seros mærentibus ortus.* Barthius. Quasi non tam tristium expectatio torqueat & cruciet, quam lætorum delectat. Petronius: *Dii deæque, quam male est extra legem viventibus! quicquid meruerunt, semper expectant.* Seneca Epist. 150. *Dat pœnas, quisquis expectat; quisquis autem meruit, expectat.* Gronovius.

6 *Prehensantium manus*] Flor. ac Veneto autoribus reposui *manum.* Vulgati enim recte, *manu.* Pichena. Sed in eodem Flor. legitur *pressantium.* Jac. Gronovius.

7 *Diversa simulatione*] Illi lætabantur palam: ipse vero contraria simulatione mæstitiam præ se ferebat, quia tamen, &c. *Ferretus.*

8 *Morti parentis illacrimans*] Florentinus & Venetus *morte*, sed nihil mutavi, nam Cicero de nat. deor. lib. 3. *Quid dicam de Socrate? cujus morti illacrimare soleo, Platonem legens.* Pichena.

9 *Obversabaturque maris illius, & litorum gravis aspectus*] Restitui copulam, *que*, ex Flor. *Pichena.* Parum cohærens oratio: & aut hæc simul parenthesi includenda, aut potius abjecta parenthesi, & inserta vocula *igitur* quæ perire perfacile potuit, sic reponendum: *obversabatur maris i. & l. g. aspectus. & erant, qui crederent, son. e. collibus circum editis planctusque tumulo audiri. Igitur Neapolim concessit.* Acidalius.

rum gravis aſpectus (& erant qui crederent, ſonitum tubæ collibus circum editis, planctuſque tumulo matris audiri) Neapolim conceſſit, litteraſque ad ſenatum miſit,
11 quarum ſumma erat; *Repertum cum ferro percuſſorem Agerinum ex intimis Agrippinæ libertis*, [1] *& luiſſe eam pœnam conſcientia, qua ſcelus paraviſſet*. Adjiciebat crimina longius repetita; *quod conſortium imperii, juraturaſque in feminæ verba prætorias cohortes, idemque dedecus ſenatus & populi ſperaviſſet: ac* [2] *poſteaquam fruſtra optata ſint, infenſa militibus patribuſque & plebi, diſſuaſiſſet donativum & congiarium, periculaque viris illuſtribus inſtruxiſſe. Quanto ſuo labore perpetratum, ne irrumperet curiam, ne gentibus externis reſponſa daret?* Temporum quoque Claudianorum [3] obliqua inſectatione, cuncta ejus dominationis flagitia in matrem tranſtulit, [4] *publica fortuna extinctam* referens. [5] namque

1 *Et luiſſe eam pœnam conſcientia*] Addidimus pronomen, *ea*, *Et luiſſe eam pœnam ea conſcientia*. Rhenanus. Hæc non mihi ſana: neque etiam Mureto, qui notavit, *luiſſe eam pœnam conſciam, quod ſcelus paraviſſet*. Recte ad ſententiam: ſed mihi cum verbis mitius agendum videtur & certa credo conjectura eſt, *luiſſe eam pœnam conſcientia, quia ſcelus paraviſſet*. i. e. quia ſceleris parati ſibi conſcia fuiſſet. Ita enim ſcenam hanc omnem criminis ſupra compoſuerat Anicetus: *Gladiumque dum mandata perfert, abjicit inter pedes ejus. tum quaſi deprehenſo, vincula injici jubet; ut exitium principis molitam matrem, & pudore deprehenſi ſceleris ſponte mortem ſumſiſſe confingeret*. Non minus πιθανῶς poſſit legi, *luiſſe eam pœnam ea conſcientia, qua ſcelus paraviſſet*. Acidalius. Vulgati addebant, *ea conſcientia* quam vocem minime neceſſariam, Flor. autoritate ſuſtuli. *Pichena*

2 *Poſteaquam fruſtra oblata*] Perſpicuum mendum. Farneſ. *ablata*. Forte interciſæ voces explendæ; *fruſtra ab illa tentata ſint*. Aut potius adhæreamus Romanæ lectioni, *optata ſint*. Interpretor, poſteaquam fruſtra ea voluerit voveritque Agrippina. *Lipſius*.

Poſteaquam fruſtra oblata ſint] Forte *fruſtrata ſit*. Offertor tamen ſtuprum & vitium. *Rhenanus*. Daneſius legebat: *poſteaquam fruſtrata, ut infenſa*, &c. *Urſinus*. τὸ *oblata*, depromptum eſt è prima antiquitate. Cæcil. Plot. apud Gell. 2, 23. *ita plorando, orando, inſtando, atque objurgando me obtulit uti eam veniam darem*. Agrippina rebus novis inhiaverat (delator ait) & omnium ſtudia ad eam rem ſperaverat: verum tentando, & eos ad facinus impellendo, fruſtra fuit. Cæterum Thucydides etiam habitus eſt captator veterum verborum: cujus inſtituti Salluſtium ſcimus non pœnituiſſe. Halicarnaſſ. ad Amm. *Salmerius*. Bona ſane Romani cod. lectio, *optata*: melior mea, *captata*. Muretus voluiſſe videtur, *hunc poſtquam fruſtra habita ſit*. Videtur inquam: nam ſcriptura mihi non liquebat, in voculis *hunc* pro qua dubie legebam & *hanc*, & *ſit* pro qua *ſint*. Acidalius. An ſubintelligendum, illas ſpes cogitationeſque fruſtra Agrippinæ oblatas? Potius Lipſio aſſenſerim juxta Rom. edit. legenti, *optata*. reſpondet enim ſuperiori verbo, *ſperaviſſet*. Pichena. Secuti ſumus judicium Virorum Acutiſſ. Lipſii atque Pichenæ, qui Rom. editionem probaverunt. in aliis legitur *oblata*, contrario ſenſu. *Freinshemius*. Conjiciebam *at poſteaquam fruſtra tentaſſet*. nempe quæ dixit ſperaviſſe. *Gronovius*. Locus egregius, ſed unde nudatur debilitas vulgata conjectandi. Numerus enim hic ſatis magnus eſt. Nam & Ryckius ſe his addit, in eo palam deceptus quod ex Flor. notet *ablata ſint*, quum ſcripſerim *ſit*, jocoſam addens explicationem & ignoratam nulli. Florentinus codex perſpicue ſatis indicat auctorem dediſſe *poſteaquam fruſtra captata ſint*. Non enim optaviſſe aut ſperaviſſe tantum dicit, ut nihil prorſus moveret, ſed latenter & ſubrependo aliquid huc pertinens excogitaſſe & quacunque occaſione prompſiſſe oſtendit, ut ſic ſperaverit & captaverit. Mox egregie in optimo Mediceo *militi patribuſque & plebi*, non *militibus*. Jac. Gronovius.

3 *Obliqua inſectatione*] Vulgo, & libris ſcriptis, *oblita*, Ferrettus, *obita*. Noſtra emendatio certa videtur, ex ratione priſca ſcribendi, *oblica*. Lipſius.

Oblita inſectatione] Alias, *obita inſectatione*; i. e. inſectando ea, quæ facta erant Claudianis temporibus. *Ferrettus*. Faernus legebat, *addita inſectatione*, ſive, *abdita inſectatus*, ut ex veteris libri veſtigiis etiam legi poteſt. *Urſinus*. Non oblique, immo aperte mihi ſordet *obliqua* in comparationem *oblita*: quum non circuitatione, ſed palam Nero Claudium carperet. Suet. 33. *certe omnibus rebus verborumque contumeliis mortuum inſectatus eſt, modo ſtultitia, modo ſævitia arguens*. Oblitus ergo Nero quam multus olim fuerit in patris inſectatione, omnia flagitia quæ ipſi jam vitio dederat, nunc matri impudenter affingit. *Salmerius*.

4 *Publica Fortuna exſtinctam*] Et imprimis ipſius privata. Hinc illud, jure laudatum Quinctiliano, Africani Oratoris ad Neronem ſuper hac morte: *Rogant te Cæſar Galliæ tuæ, ut felicitatem tuam fortiter ferat*. Lipſius.

5 *Namque & naufragium narrabat*] Doctiſſ. Vir mallet *jamque*, qua de cauſa ipſe ſcit. verum hæc de ſuperioribus pendent. *publica fortuna exſtinctam referens, namque & naufragium narrabat*. Nero quo

que & naufragium narrabat. [1] Quod fortuitum fuisse, quis adeo hebes inveniretur, ut crederet? aut à muliere naufraga missum cum telo unum, qui cohortes, & classes imperatoris perfringeret? Ergo non jam Nero, cujus immanitas omnium questus anteibat, sed adverso rumore Seneca erat, *quod* [2] *oratione tali confessionem scripsisset.* Miro tamen certamine procerum decernuntur [3] *supplicationes apud omnia pulvi-* 12
naria, utque [4] *Quinquatrus, quibus apertæ essent insidiæ, ludis annuis celebrarentur. aureum Minervæ simulacrum in curia,* [5] *& juxta principis imago statueretur. dies natalis Agrippinæ inter nefastos esset.* Thrasea Pætus silentio vel brevi assensu priores adulationes transmittere solitus, [6] exiit tum senatu; ac sibi caussam periculi fecit, ceteris libertatis initium non præbuit. Prodigia quoque crebra & irrita intercessere. anguem enixa mulier; & alia in concubitu mariti fulmine exanimata: jam sol repente obscuratus, & tactæ de cælo quattuordecim urbis regiones, quæ adeo [7] sine cura deum eveniebant, ut multos post annos Nero imperium & scelera continuaverit. Ceterum quo gravaret invidiam matris, eaque demota auctam lenitatem suam testificaretur, feminas illustres [8] Juniam & Calpurniam, [9] præfectura functos Valerium Capitonem

quo persuaderet matrem casu extinctam, qui in rem omnium esset, naufragium ut fortuitum narrabat. *Salinerius.* Alii *jamque*, sed me dissentiente. cum particula, *nam*, referatur ad id quod dixerat, Agrippinam publica fortuna extinctam. deinde adjicit, ipsam eadem publica fortuna antea in mare prope submersam. ideo sequitur, fortuito illud evenisse, minime credendum. *Pichena.*

1 *Quod fortuitum fuisset*] Scripsi, *quod fortuitum fuisse.* Rhenanus.

2 *Oratione tali*] Quinctilianus. l. VIII. de hac oratione: *Facit quasdam sententias sola geminatio: qualis est Seneca in eo scripto quod Nero ad Senatum misit occisa matre, cum se periclitatum videri vellet. Salvum me esse adhuc nec credo, nec gaudeo.* Lipsius.

3 *Supplicationes ad omnia pulvinaria*] Fiebant olim supplicationes urbe tota circa omnia fana, & pulvinaria, in quibus honos diis dabatur. Erant vero pulvinaria, apparati deorum lecti, in quibus deorum simulachra juxta aras sublimia erant, quibus fasciculi verbenarum addebantur. Hoc ex T. Livio notius est, quam ut scribi debeat. *Lupanus.*

4 *Quinquatrus ludis annuis*] Nonne jam ante celebrabantur? Dixi enim de gladiatoribus. Sed puto hic intelligi scenicos ludos annuos, aut Circenses. *Lipsius.*

5 *Et juxta Principis imago*] Nihil moveo, quum ex more antiquo bene intelligam. Sed MS. Mediceus tamen habet *justa*, ut vox illa ponatur ad proceritatem imaginis definiendam, quæ fuerit iconica prorsus; eam vero juxta positum iri sponte satis intelligitur. Et certe talis confusio in hac litera exstitit 4. hist. 22. inter *mixta*, *justa* & *juxta*. Etiam MS. *aperta insidia essent.* Jac. Gronovius.

6 *Exitium senatui, ac sibi*] Locus qui mutilus videatur, & non est. Nihil enim narratur in quo Thrafeas offenderit. At scribe mecum fidenter: *exiit tum Senatu.* Hoc enim solo sibi discrimen peperit magnus ille vir, quod Senatu egressus est, cum de Agrippina referretur. Xiphilinus: Ὁ Πέταλος δὲ Θρασέας Παῖτος ἦλθε μὲν ἐς τὸ συνέδριον, καὶ τῆς ἐπιστολῆς ἠκούσεν, ἀναγνωσθείσης δὲ αὐτῆς ἐξανέστη τε εὐθὺς πρὶν καὶ ὅτι οὖν ἀποφήνασθαι, καὶ ἐξῆλθε, διότι ἃ μὲν ἤθελεν εἰπεῖν οὐκ ἠδύνατο, ἃ δὲ ἠδύνατο οὐκ ἤθελε. Tacit. XVI. hunc ipsum locum respiciens: *Olim utrisque infensus, & accedentibus caussis in Thraseam, quod Senatu egressus est, cum de Agrippina referretur, ut memoravi.* Lipsius.

Exiit tum Senatu] Egregia Lipsii emendatio, ac digna, quæ recipiatur. ipsum vide. Male vulgo, *exitium Senatui.* Pichena.

7 *Sine cura deum eveniebant*] Ἐπικουρίζει & hic & alibi noster. *Lipsius.*

8 *Juniam*] Calvinam, de qua lib. XII. De Calpurnia, eodem etiam lib. Statim, *Pratura functos,* lego. *Idem.*

9 *Pratura functos Val. Capitonem & Lic. Gabolum*] Exules Nero restituit Juniam & Calpurniam, pulsas Italia sub Claudii principatu. Supra lib. 12. Sed quod Valerium & Licinium restituisse dicitur, non probabit ingeniosus, & Cornelii diligentiam requiret, nusquam enim eorum cum in exilium pellerentur, mentionem habuit. Nisi forte Val. Capito, Cossutianus ille sit, quem dixit lib. 13 damnatum in exilium, cum Ciliees repetundarum detulissent: de quo infra eodem ait, *Exin à Cossutiano Capitone, qui nuper senatorium ordinem precibus Tigellini soceri sui receperat.* At Licinius Gabolus nusquam præterquam hoc loco memoratur. Ambos vero *præfectura functos*, Cornelius refert, sive illa urbis, sive annonæ, sive ærarii, sive castrorum, sive equitum, sive militum, sive fabrum, sive remigum fuerit: quod si tentes legere, ut alibi suasi, *pratura functos*, nihilo mihi notiores erunt. *Vertranius.* Nihil temere sollicitaverim. Veniebat tamen aliquando in mentem, excidisse auctori vocem syllaba breviorem, *pratura.* Nempe plane *præfe-ctura*

tonem & Licinium Gabolum, sedibus patriis reddidit, ab Agrippina olim pulsos. Etiam Lolliæ Paullinæ cineres reportari, sepulcrumque exstrui permisit: quosque ipse nuper relegaverat, [1] Iturium & Calvisium pœna exsolvit. Nam Silana fato functa erat, longinquo ab exsilio Tarentum regressa, labante jam Agrippina, cujus
13 inimicitiis conciderat, vel tum mitigata. Cunctanti in opidis Campaniæ, *quonam modo urbem ingrederetur*, [2] *an obsequium senatus*, *an studia plebis* [3] *repperiret* anxio, contra deterrimus quisque [4] quorum non alia regia fecundior exstitit, *invisum Agrippinæ nomen*, *& morte ejus accensum populi favorem* disserunt: *iret intrepidus*, *& venerationem sui coram experiretur.* Simul [5] *pragredi* exposcunt, & promptiora quam promiserant inveniunt, obvias tribus, festo cultu senatum: conjugum ac liberorum agmina per sexum & ætatem disposita: exstructos [6] qua incederet spectaculorum gradus, quo modo triumphi visuntur. Hinc superbus ac publici servitii victor, Capitolium adiit, grates exsolvit: seque in omnes libidines effudit, quas male coërcitas qualiscumque
14 matris reverentia tardaverat. [7] Vetus illi copia erat, [8] curriculo quadrigarum insistere, nec minus fœdum studium [9] cithara ludicrum in modum canere, cum cœnaret;

Cura sine adjuncto, incertos reddit, quod munus sustinuerint, militarene an civile, an aliud. *Gruterus.*

1 *Iturium & Calvisium*] *Titurium* habet V. C. *Ursinus.*

2 *An obsequium senatus*, *an studia plebis reperiret anxio*] Budense exemplar habet, *repeteret.* ut intelligas dubitasse Neronem, ad Senatumne confugeret. an potius ad plebem, & utris magis fidendum. itaque sic locum emendavimus. *Rhenanus.* Corrupte antea, *repeteret.* Nos Flor. & aliorum veterum auctoritate correximus. Nero enim, si urbem ingrederetur, anxius erat, an in Senatu obsequium, an in plebe studia erga se, reperturus esset. Quod clarius apparet ex sequentibus familiarium verbis, suadentium nihil timeret, au lacter pergeret, cum de populi favore, morte Agrippinæ aucto, non esset dubitandum. *Pichena.*

3 *Repeteret anxio*] Libri quidem, *reperiret:* quod merito Pichena probat. Dubitabat scilicet & angebatur, an Senatum obsequentem, plebem faventem reperiret. *Lipsius.*

4 *Quorum non alia regio fæcundior*] Scripsimus, *regia*; h. e. aula. Quod de deterrimis apud Neronem scribit, posset hodie de doctissimis apud Henricum VIII. Angliæ regem dici, quorum non alia regia fæcundior exiat. *Rhenanus.*

5 *Progredi exposcunt*] Flor. habet, *pragredi.* Pichena. Imo *pragredi.* Rogant ipsi Romani mittantur, cuncta exploraturi. *Grotius.*

6 *Qua incederet*] Muretus *quaqua.* Parum opus. *Acidalius.*

7 *Vetus illi copia erat*] Ita libri prisci. substituerunt, *cura:* ad sententiam non male. Nescio an, *copido*, sive *cupido.* Lipsius.

Vetus illi cura erat] In Budensi cod. legitur; *Vetus illi copia erat.* Rhenanus. Lipsius mallet, *cupido*; & Mureto probatur. Ideo in margine notavimus. Inferius etiam constat, adeo hæc Neronem concupisse, ut jam sisti non posset; propterea Senecæ ac Burrho visum, ne utraque pervinceret, alterum concedere. Sic lib. 15. *acriore in dies cupidine adigebatur Nero*, promiscuas scenas frequentandi. *Pichena.*

8 *Curriculo quadrigarum*] Ideo ejus numisma cusum est, cujus postera pars quadrigam habet cum his literis ΕΥΤΥΜΙΥΣ, quod intrepidus agitator auriga peritissimus esset, quamobrem in numismatis illius habitu aurigæ indutum aspicias, quasi permistum plebi lib. seq. refert. *Vertranius.*

9 *Cithara ludicrum in modum*] Non etiam displiceat, *ludiorum.* Nummos certe cusit illa bellua, in quibus ipse citharœdico habitu, in tunica oblonga, citharam percutiens. Describit eum habitum graphice Apulejus II. Florido, in persona Bathylli: *Atque prorsus citharœdicus status, deam conspiciens canenti similis. tunicam picturis variegatam deorsus, ad pedes dejectus ipse, Gracanico cingulo, chlamyda velat utrumque brachium ad usque articulos palmarum. Cetera decoris instrumentis dependent. Cithara baltheo cælato apta, strictim sustinetur; manus ejus tenera, procerula, læva distantibus digitis nervos molitur, dextra psallentis gestu suo sabulum cithara admovet, ceu parata percutere.* Ita enim locum eum legimus, distinguimus. Et quod ait de chlamyda deque cingulo, etiam illa apparent in Neronianis nummis; excipio quod non brachia velat, sed ab humeris dependet chlamys. *Lipsius.*

Cithara ludicrum in modum canere] Nam, ut ait hoc loco Tacitus, cani solebat cithara in conviviis, ut ex Virgil. patet lib. Æn.

Cithara crinitus Jopas
Personat aurata, docuit qua maximus Atlas
Hic canit errantem lunam, solisque labores, &c.

Lupanus. Nero nomen suum in albo citharœdorum profitentium jussit adscribi sorticulaque in urnam cum cæteris demissa, intravit ordine suo, simulque præfecti prætorii citharam sustinentes, ut ait

ret; [1] quod *regibus & antiquis ducibus factitatum* memorabat: *idque vatum laudibus celebre, & deorum honori datum. Enimvero cantus Apollini sacros, talique ornatu astare, non modo Græcis in urbibus, sed Romana apud templa, numen præcipuum, & præscium.* Nec jam sisti poterat, cum Senecæ ac Burro visum, [2] ne utraque pervinceret, alterum concedere. clausumque [3] valle Vaticana spatium, in quo equos regeret, haud promiscuo spectaculo. mox ultro vocari populus Romanus, [4] laudibusque extollere, ut est vulgus cupiens voluptatum; [5] & si eodem princeps trahat, lætum. Ceterum [6] evulgatus pudor non satietatem, ut rebantur, sed incitamentum attulit. [7] Ratusque dedecus amoliri, si plures fœdasset, nobilium familiarum posteros, egestate venales in scenam deduxit: quos fato perfunctos, ne nominatim tradam; [8] majoribus corum

ait Sueton. 21. Idemque princeps statuas suas citharœdico habitu posuit, & ea nota nummum percussit, in quo effigies ejus manu citharam gerentis exprimitur. In eo autem teges externos & duces Græcos, ut ex Homero acceperat, sequi se prætexebat, ut quod exemplo faceret, honeste facere videretur. *Vertranius.*

1 *Quod Regibus & antiquis ducibus*] Ita in Panegyrico illo ad Pisonem, qui hoc ævo scriptus, inserta eadem defensio:

Nec pudeat pepulisse lyram, cum pace serena
Publica securis exultent otia terris.
Ipse fidem movisse ferox narratur Achilles.

Quem Ovidio ablatum, viri docti tribuunt Lucano. Neutri ego. Ab Ovidio ætas abjudicat: ab Lucano, conditio scribentis. Nam ille quicumque poëta, ignotus fuit, obscura domo, fortuna tenui: & humilius blanditur Pisoni, quam ut decuerit Lucanum. Ait ecce.

——— tu Piso latentem
Exere: nos humilis domus, at sincera parentum,
Sed tenuis Fortuna sua caligine celat.

At Lucanus certe notus, celebet: per se, perque uxorem prædives. Adde Senecam patruum in aula: qui huic humili & tenui protendere manum potuisset, præ Pisone. Sed & decimo nono ætatis anno scriptum hoc carmen. nam ait:

Quamvis nunc juvenile decus mihi pingere malas
Cœperit, & nondum vicesima venerit æstas.

Quod non convenit in ætatem Lucani, præsertim cum scriptum sit diu post consulatum Pisonis, & paullo ante detectam, ni fallor, conjurationem. Certe post consulatum diu: quoniam & eloquentiæ ejus specimen Neapoli præbitum celebrat. quod scimus contigisse nos quinquennali certamine, cum Nero in eadem urbe Græcanica copiam fecit suæ vocis, annis aliquot post Pisonis consulatum, quem iniit anno urbis DCCCX. Sed nec Statius hujus carminis mentionem facit: cum omnia minima scripta ejus recenseat. 11. Silv. *Lipsius.*

Quod regibus & antiquis d. f. mem.] Quam obscura inventio auctoris apud Lipsium, qui carmen scripsit ad Pisonem, tam incerta est hæc lectio, cui miror sic indormire editores. Certe MS. Mediceus profert *qs regium... memorat.* Non aliter ac si scripsisset auctor *quasi regium & antiquis duc. factitatum memorans.* Jac. Gronovius.

2 *Ne utroque pervinceret*] Putarem, *ne utrumque:* id est, ne duo illa extorqueret, alterum indulgere, ut in eo acquiesceret. *Lipsius.*

Ne utraque pervinceret] Non damno vulgatam lectionem, *utroque.* alteram tamen ex Flor. magis probavi. *utraque* enim intelligit illa duo, quæ ipse cupiebat. *Pichena.*

3 *Valle Vaticana spatium*] Credo id à Plinio denotari lib. XXXVI. *Tertius obeliscus Romæ in Vaticano, Caji ac Neronis principum Circo.* Lipsius.

4 *Laudibusque extollere*] Adjecimus copulam *que.* ex Flor. *Pichena.*

5 *Et si eodem princeps trahat*] Illinc repofuimus, *Et si eo princeps,* &c. *Rhenanus.* Flor. *& si eodem Princeps trahat.* at Vulgati, *& si eo princeps.* Pichena.

6 *Vulgatus pudor*] Castigavimus, *evulgatus pudor.* Rhenanus. Muretus, *vulgatus.* quod ego etiam malim. *Acidalius.*

7 *Ratusque dedecus amoliri*] Romana editio, *dedecus molliri.* quod ego præfero. *Lipsius.*

Ratusque dedecus amoliri] Flor. *Molliri.* Sed nihil muto. *Pichena.* Eadem editio Romana, quin & MS. Pichenæ, *molliri.* quod & Lipsius probat, & ego veram lectionem esse credam. *Freinshemius.* Et hoc ipsum velut explicabat Justinus 12, 10. *ut communi facto crimen regis levaretur.* Jac. Gronovius.

8 *Majoribus eorum tribuendum*] Imo vero iis qui ita à perenni contestataque majorum virtute degeneraffent, ut fœdissima servitute & scenicis artibus vitam & mores infamarent, ignominia, infamiaque perpetua inurenda fuit. Quod perinde in illos censeo, qui se invitos, ac in eos, qui se volentes fœdaverunt, cum deesset utrisque animus vere Romanus: & ab iis mortis honestissimæ, quæ turpitudini & servituti anteponenda semper fuit, pulcherrima & justissima prætermitteretur occasio. Quare mihi Dio Cassius prudentius fecisse, quam hic noster Cornelius videtur, cum eorum nomini non pepercit, qui famæ suæ non pepercerunt, familiisque clarissimis æternas maculas impresserunt. Sic igitur ex illo Xiphilinus inquit: *Visa sunt eo tempore*

eorum tribuendum puto. nam & ejus flagitium est, qui pecuniam ob delicta potius dedit, quam ne delinquerent. Notos quoque equites Romanos operas arenæ promittere [1] subegit, donis ingentibus: nisi quod merces ab eo qui jubere potest, vim necessitatis affert. Ne tamen adhuc publico theatro dehonestaretur, [2] instituit ludos *Juvenalium* vocabulo, in quos passim nomina data: non nobilitas cuiquam, non ætas aut acti honores impedimento quo minus Græci Latinive histrionis artem exercerent, usque ad gestus modosque haud viriles. Quin & feminæ illustres deformia meditari. exstructaque apud nemus, quod [3] navali stagno circumposuit Augustus, conventicula & cauponæ, [4] & posita væno [5] irritamenta luxus. [6] dabanturque stipes, quas boni neces-

pore veteres & illustres familiæ Furii, Fabii, Portii, Valerii, cæterique omnes, quorum tropæa atque templa conspiciebantur, ea de inferiore loco facere, quæ ne ab aliis quidem hominibus fieri unquam visa fuerant. Itaque vicissim digito commonstrabantur. Dicebant enim Macedones, Hic est nepos Pauli: Græci autem, Ille Mummii: tum Siculi ajobant, Videte Claudium: mox Epirotæ, Vos vero Appium videte: Asiatici Lucium ostendebant, Hispani Publium, Carthaginienses Africanum; Romani vero omnes. Vertranius.

1 *Subegit donis ingentibus*] Effecit, & tamquam impulit donis ingentibus. *Ferretus.*

2 *Instituit ludos Juvenalium*] Qui privati, & per domum celebrati aut in hortis. Tacitus lib. xv. *Acriore in dies cupidine Nero agitabatur promiscuas scenas frequentandi: nam adhuc per domum aut hortos cecinerat Juvenalibus ludis.* Mansit nomen ludorum posteriori ævo, & imperatores, quos in palatio ludos dabant Kalendis novi anni (de quibus è Juliano monui ad librum iv.) Juvenalia videntur appellasse: ab exemplo hoc Neronis Sidonius:

Janus forte suas bifrons Kalendas
Sumendas referebat ad curules.
Mos est Cæsaribus die bis uno
(Privatos vocitant) parare ludos.
Tunc cœtus juvenum sed aulicorum
Elei simulacra torva campi
Exercet spatiantibus quadrigis.

Et addit post descriptionem curulium ludorum;

Jam vero Juvenalibus peractis.

Ut videantur ii ludi, tunc quidem, scenicum nihil habuisse. Atque ita distinguit etiam, nisi fallor, Capitolinus in Gordianis: *Cordus dicit in omnibus civitatibus Campaniæ, Piceni, Umbriæ, de proprio illum per quatriduum ludos scenicos & Juvenalia edidisse.* Quod notari volo. Neronis tamen ævo & instituto, scenici: ex Tacito hic, & Plinio, qui ad hos ludos respiciens aut *Neronem peculiari theatro in hortis primum cantasse, & Pompejano prælusisse.* Non prætereo notam Xiphilini, qui hos ludos institutos vult per caussam positæ à Nerone primæ barbæ. Et hercle ea nominis caussa. Juvenalia enim dicta, quia ut Tirocinii die pueros exuebant: sic barba rasa juventutem; transibantque tunc in viros. Unde illud Domitiæ amitæ blandientis Neroni votum: *Simul hanc excepero, mori volo*, Sueton. cap. xxxiv. itaque is dies Romanis pariter festus. De Octaviano, Dio, lib. xlviii. Ἀμέλει τὸν πώγωνα ὁ Καῖσαρ τότε πρῶτον ξυράμενος, αὐτός τε μεγάλως ἑώρτασε, καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι δημοτελῆ ἑορτὴν παρέσχε. Καὶ ὁ μὲν καὶ ἔπειτα ἐπελειοῦτο τὸ γένειον, ὥσπερ οἱ ἄλλοι. id est: *Cæsar tum primum barbam radens, & ipse diem eum plane festum habuit, & aliis publicam festivitatem indixit, atque ex eo etiam ipse genas suas leves habuit, ad exemplum reliquorum.* Alia huic ritui in Excurs. B. *Lipsius.*

Instituit ludos Juvenalium] Philippus Beroaldus vir doctiss. in comm. ad Sueton. putat ludos Juvenales pro salute juvenum institutos. Verum, ut ait Dion, celebrabantur propter barbam, quam tum raserat, pilis in auream sphæram conjectis & Jovi Capitolino dicatis. Huic adstipulatur Joh. Xiphilinus. *Juvenalium* quoque ludorum meminit Capitolinus in Gordiano & Tacit. lib. 15. & pluribus locis. *Pichena.*

3 *Navali stagno circumposuit Augustus*] Ad Tiberim. deque eo stagno supra: *Augustus structo cis Tiberim stagno.* Et Suetonius. At nemus illud est, quod Cæsarum nemus appellatum. Vide & hic Xiphilinum. *Lipsius.*

4 *Et posita vero*] Emendavi. *& posita veno*, hoc est, ut venum darentur. *Rhenanus.*

3 *Irritamenta luxus*] In Vaticani libris melius est *luxuria.* ut non male sup. lib. i. dixisse videar legendum, non *luxus*, sed *Vedii Pollionis luxuria.* Vertranius.

6 *Dabanturque stipes*] Cui rei datæ stipes? ad ludosne? Ita olim sane Appollinaribus ludis factum reperio. *Prætor edixit*, ait Livius lib. xxv. *ut populus per eos ludos stipem Apollini, quantum commodum esset, conferret.* Plinius lib. xxxiii. *Populus Romanus stipem spargere cœpit, Sp. Postumio, Q. Marcio coss. Tanta abundantia pecuniæ erat, ut eam conferret L. Scipioni, ex qua is ludos fecit.* Quæ verba ne te fallant. Nam stipes de qua Livius, multis annis prior notatione Pliniana. Sed voluntariam, credo, Plinius intellexit. illa fuit ex edicto. Sed & Augustus stipem Prætoribus dari ad ludos voluit, innuente Dione liv. initio: Τοῖς μὲν στρατηγοῖς τὰς πανηγύρεις πάσας ἐπέταξεν, ἔκ τε τοῦ δήμου δίδοσθαί τι αὐτοῖς κελεύσας. nisi tamen τὸ δημόσιον intelligi voluit potius, quam δῆμον. Stipes alias usitate dabantur diis, & ad res sacras. Seneca de Benef. vii. *Omnia deorum sunt: tamen diis posuimus domum, & stipem jecimus.* Et Ep. cxvi. *Colitur autem non taurorum opi-*

necessitate; intemperantes gloria consumerent. Inde gliscere flagitia & infamia; nec ulla moribus [1] corruptis olim plus libidinum circumdedit, quam illa colluvies. Vix artibus honestis pudor retinetur; nedum inter certamina vitiorum pudicitia, aut modestia, aut quidquam probi moris reservaretur. Postremo [2] ipse scenam inscendit, multa cura tentans citharam & præmeditans, [3] assistentibus familiaribus. [4] accesserat cohors

opimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoque suspenso, nec in thesauros stipe infusa, sed pia & recta voluntate. Varro de L. L. *Diis cum thesauris assem dans, stipem dicunt.* Ita in capita fontium, quæ sacra, stipem jaciebant. Plinius lib. VII. Epistol. de Clitumno: *Fons purus & vitreus, ut numerare jactas stipes, & relucentes calculos possis.* Seneca lib. IV. Quæst. Natural. de Nili venis: *In hac ora stipem sacerdotes, & aurea dona Præfecti, cum sollenne venit sacrum, jaciunt.* Lipsius.

Dabanturque stipes] Molta hic alii de stipibus ad ludos conlatis, deque eis quæ Diis ponebantur, sed nihil ad mentem Taciti; qui vult certam pecuniam distributam à Nerone inter suos, impendendam in continenti, in scorta & ganeas. Sic apud Tranquillum Aug. 98. *Quare admodum exhilaratus, quadragenos aureos comitibus divisit, jusque jurandum & cautionem exegit à singulis, non alio datam summam, quam in emptionem Alexandrinarum mercium absumpturos.* Exemplum præbuit Neroni Caligula, sed non etiam æquavit eum liberalitate; Iste enim *misit circum fora ac basilicas nomenclatores ad invitandos in libidinem juvenes senesque præbita adventantibus pecunia sene fenebri.* ut loquitur Suetonius. *Gruterus.*

1 *Corruptis olim*] In MS. Mediceo est *olim corruptis*, prout editum ab Beroaldo. *Jac. Gronovius.*

2 *Ipse scenam inscendit*] Restitui ex libris. Vulgo, *ipse scenas incedit.* Lipsius.

Postremo ipse scenas ascendit] Scribendum, *incedit.* nam & hoc verbum Tacitus cum accusativo copulat. ut infra: *Græci amictus, quos per eos dies plerique incesserant.* Et mox: *Quia fontem aquæ Martiæ ad urbem deductæ, nando incesserat.* Sic lib. 2. *Incedunt mœstos locos, visuque ac memoria deformes.* Rhenanus. Dubito an vere Lipsius restituerit. Movet ipsa locutio, *scenam inscendere.* Nam quorsum hic inscensio? Ferri vulgata scriptura possit: *Postremo ipse scenas* (vel potius *scenam* ut in Vaticano) *incedit.* Inusitatior hæc, sed Tacito etiam alias usitata locotio. Nam lib. 1. *Incedunt mæstos locos.* Et infra hoc lib. *Quia fontem aquæ Martiæ ad urbem adductæ nando incesserat.* quod tamen rectius ab *incessendo* ducas. *Acidal.*

3 *Assistentibus familiaribus*] Falso. Nam Vatic. *absistentibus facies.* Farnes. *assistentibus facies.* Similisque lectio Budensis: quod facile odoreris è Rhenano conjectante, *absistentium facie.* Utrumne, *assistentibus facibus?* Certe noctu ad lumen etiam hi lodi exerciti. sequiturque: *Hi dies ac noctes plausibus personare.* & ait, postremum in scenam venisse Neronem. Ergo ad lumen. Infra etiam, *Noctes quoque dedecori adjectas.* Sed & Sueton. Calig. cap. XVIII. *Quondam etiam & nocturnas ludos prebuit accensis facibus.* Noster iterum infra. *Lætitia magis, quam lascivia dari paucas totius quinquennii noctes, quibus tanta luce ignium nihil illicitum occultari queat.* Vos divini conferte operam; si mihi Phœbus hic non favit. *Lipsius.*

Assistentibus familiarib. abstesserat] Legerim, *absistentium facie abscesserat cohors.* De verbo *absisto*, monuimus ante. *Rhenanus.* In verbis *assistentibus familiaribus* magna dubitatio. Falsa Lipsius vult: & quia in Vaticano, Farnesiano, item Budensi fortasse, *facies*, supponit *facibus.* Firmat, sed locis parum firmis. quæ ne ego refutem, ipsa iterum phrasis lectionem istam refutet. Quis enim ita de facibus loquatur, *eas assistere.* Ac videtur ipse de restitutione dubitasse, cum alios divinos invocat, ad operam conferendam. Inter quos nescio si Muretus est, in cujus eclogis notatum reperi, *assistentibus fonascis*, sive *phonascis.* Valde quidem id acute, & attemperate. Sed mihi vulgatum retinere magis libeat, & defendere Suetonii illo rejecto loco: *Sorticulaque in urnam cum ceteris demissa intravit ordine suo, simulque præfecti prætorii citharam sustinentes, post Tribuni militum, juxtaque amicorum intimi.* Etsi de publico theatro Suetonius: quid tamen impedit, quin idem hic fuerit, ut alia pleraque in utriusque descriptione, quamquam diversa, conveniunt. Postremo inter verba, *accesserat cohors*, velim cum Mureto voculam immittere, *accesserat & cohors:* quæ necessaria ad nexum orationis. *Acidalius.* Recte sensit vir doctiss. diversa spectacula Suetonio & Tacito scribi: res docet: unum enim celebratum est præfecto prætorii Burro, cui nunquam collega. *Civitati grande desiderium ejus mansit per memoriam virtutis, & successorum alterius segnem innocentiam, alterius flagrantissima flagitia, & adulteria: quippe Cæsar duos prætoriis cohortibus imposuerat.* alterum vero post ejus mortem sub Fenio, & Tigellino Sueton. t. *simulque præfecti prætorio citharam sustinentes.* De emendatione non oppido laboro. De sensu Cornelii hæc dicam. Imperator, milites, tribunos, ipsumque Burrum præfectum ajo ablegabat, familiaribus tantum facta copia assistendi, idque ut majore specie libertatis, homines in Juvenalibus lascivirent: mox seditione forsan perterritus, scenas (nisi milite septus) non ingrediebatur: quod Sueton. recenset, nostro non reclamante lib. 16. *ac sæpe à militibus verberaretur, qui per cuneos stabant.* Salinerius. Desolatus hic mire auctor, quia literæ jam olim quædam exciderunt. Quum vero in Mediceo sit *assistentibus facies*, posteriori voci superpositum est *homines.* Hinc nimis crasse isti familiares effecti sunt.

Mihi

cohors militum, centuriones, tribunique: & [1] mærens Burrus, ac laudans. Tuncque primum conscripti sunt equites Romani, [2] cognomento *Augustanorum*, ætate ac robore conspicui, [3] & pars ingenio procaces, alii in spe potentiæ. [4] Hi dies ac noctes plausibus personare. Formam principis vocemque deum vocabulis appellan-
16 tes, quasi per virtutem clari honoratique agere. Ne tamen ludicræ tantum imperatoris artes notescerent, [5] carminum quoque studium affectavit, contractis quibus aliqua pangendi facultas. [6] Nec dum insignis ætatis nati, considere simul, [1] &

Mihi in mentem venit *assistenti histrionum aciei accesserat* &c. Vides causam & seriem literarum, & Tacitum præ indignitate vix sibi constantem quomodo appellaret, fecisse tandem eos similes illis militibus, qui satellitii operam tali Imperatori darent, ut aciem ejus vocaret. Nonne satis id persuadet locus ille primarius ex 2. hist. 71. *Tanto corruptius iter Vitellii, immixtis histrionibus & spadonum gregibus, & cetero Neroniana aulæ ingenio* Rursus cap. 87. *Aggregabantur e plebe, flagitiosa per obsequia Vitellio cogniti scurræ, histriones, aurigæ* &c. *Adsistere* autem istud eximie commendat idem lib. 2. hist. 80. *Egressum cubiculo Vespasianum pauci milites solito adsistentes ordine.* Jac. Gronovius.

4 *Accesserat cohors militum*] Ita legend. non quia Suetonius cap. XXII. ita narrare videatur, sed quia res poscit. Nam Suetonius de alio ibi & publico theatro. *Lipsius.*

1 *Mærens Burrhus, ac laudans*] Unus ergo hic tantum Præfectus Prætorio. nec pugnat Suetonius qui duos nominat, quia Tacitus de Juvenali ludicro adhuc loquitur; de publico theatro Suetonius, capite dicto. *Lipsius.*

2 *Cognomento Augustanorum*] Iidem Cassio *αὐγούστειοι*, quasi *Augustei* dicti sunt: quos Xiphilinus ad quinque millia delectos refert. Suetonius paulo aliter narravit, *adscriptos adolescentia equestris ordinis, & quinque amplius millia robustissima juventutis, quorum duces quadragena millia HS. merebant.* Vertranius.

3 *Et pars ingenio procaces, alii in spe potentia*] Muretus *in* delet. Assentiar, vel *spem.* reponam. *Acidalius.*

4 *Hi dies ac noctes*] Pronomen *hi* non est in regio libro; ut sit continua lectio, *Et pars ingenio procaces, alii in spe potentes, dies ac noctes.* Rhenanus Delere videtur voluisse Muretus voculam *Hi.* sine qua inconcinna tamen oratio, Nisi, quod mihi placeat continuanda hæc cum superioribus. *Tuncque* (vel *tunc quoque*) *primum conscripti sunt eq. Ro. cogn. Aug. ætate ac robore conspicui. Hi pars ingenio procaces, alii spe* (vel *in spem*) *potentia dies ac noctes plausibus personare, &c.* Acidalius.

5 *Carminum quoque studium*] Plinius lib. XXXVII. *Domitius Nero in ceteris vita sua portentis, capillos quoque conjugis sua Poppææ in hoc nomen adoptaverat, quodam etiam carmine Succina appellando.* Intellexit & Seneca hunc poëtam lib. 1. Quæst. Natur. *Ut ait Nero Cæsar disertissime, Colla Cytheriacæ splendent agitata columbæ.* Laudat eum Martialis lib. VIII.

Carmina qui docti nota Neronis habet.

& lib. IX.

Ipse tuas etiam veritus Nero dicitur aures,
Lascivum juveni cum tibi lusit opus.

Lipsius.

6 *Nec dum insignis ætatis*] Forte leg. *quibus aliqua pangendi facultas, necdum insignis. Ii alternatim considere simul.* M Antonius Muretus, cui scriptor hic noster in amoribus (& jure) corrigit: *quibus aliqua pangendi facultas, necdum insignis erat. Ii considere simul; & natos ibidem versus connectere, atque ipsius verba quoquo modo prolata supplere.* Non damno: germana tamen esse non credo. Ceterum ab hoc Cornelii judicio Tranquillus dissentit, cap. LII. quem vide. *Lipsius.*

Nec dum insignis ætatis nati considere] Faernus pro vulgatis illis legebat; *nedum* &c. Sed Danesius ita totum locum restituebat; *Contractis quibus aliqua pangendi facultas, nedum insignis ætatis vatibus considere.* Ursinus. Quod Lipsius de Mureti conjectura, idem ego de Lipsii. non damno: nec veram tamen esse credo. Mihi è veterum librorum lectione, quam Muretus hanc proponit, *Nec dum insignis ætatis nati considere simul & natos vel repertos ibidem versus connectere*, ut minimum à vestigiis abeatur, sic placet: *contractis quibus aliqua pangendi facultas, nec dum insignis erat: ii varii considere simul & natos repente ibidem versus connectere; atque ipsius verba quoquomodo prolata supplere quod species ipsa carminum docet, non impetu & instinctu, (an indistincte) nec ore uno fluens.* In quibus postremis possis etiam scribere, *nec temere uno fluens.* Sed ego non mutem. *Acidalius.* Leviter hic mihi placeo, sed ab instituto temere non est discedendum. Nero coævos adolescentes (nam ad id temporis inter eos erat) apud se cogebat, qui versibus ejus suos, vel contra, concinnarent. *Nati insignem ætatem, ἀντὶ τοῦ*, ut 5. ann. *nihil abnuentem, dum dominationis apisceretur.* Notat vir eruditiss. discordiam inter Suetonium & nostrum, nec obviam it: mihi Cornelius suæ opinioni prætendit potiora: quod auctor è stylo præcipue deprehendatur, lituræ vero, & supplementa parum valent ad scriptorem conjiciendum. *Salmerius.* Repono: *nec dum insignis æternitati. Hi consulere simul* Hoc Tacitus dicit non admissos à Nerone in sodalitium illud Poëtas insignes æternitati, sive ad æternitatem, sive Poëtas, qui jam scriptis suis noti, ne notesceret in vulgus

[1] & allatos vel ibidem repertos versus connectere, atque ipsius verba [2] quoquo modo prolata supplere. quod species ipsa carminum docet, non impetu & instinctu, nec ore uno fluens. Etiam sapientiæ doctoribus tempus impartiebat post epulas, [3] utque contraria asseverantium discordiæ eruebantur. nec deerant, [4] qui voce vultuque tristi

gus minus ille compositus, & Nero laudem Poëticam in se ab aliis transferens. *Marcilius.* Non ita, sed *nedum insigniores ætatis. Adunati considere simul.* Aurelius. Muretus lib. 15. Variar. 11. hunc locum sic emendare tentavit: *contractis quibus aliqua pangendi facultas, nec dum insignis erat. Ii considere simul* &c. Ingressus est viam, sed non pergit. Nam cum ex voce, *ætatis*, restituat, *erat*, *ii*: bene ille quidem. quod autem vocem, *nati*, ut supervacuam rejicit, ego potius leviter immutarem, ac rescriberem, *jussi*. Modus dicendi Tacito usitatus lib. 15. *jussi id accusatores objicere.* 3. histor. *jussa armari legiones.* Itaque sic legendum arbitror: *contractis quibus aliqua pangendi facultas, nec dum insignis erat. ii jussi considere simul* &c. Vitiosa tamen hæc omnia suspicor. *Pichena.* Pro *nati* quod ferri non posse viderunt & alii, repouam *noti*, id est amici, familiares, *nec dum insignis ætatis*, id est adolescentes. *Ætas insignis* est ætas senatoria. infra lib. 15. & 4. histor. *Grotius.* Meo judicio rem acu tetigit hactenus Muretus: post quem, quæ alii tentarunt quum considero, miror quemquam hiscere ausum: adeo nihil est, quod cum ejus conjectura putem comparandum. Quod si elidi τὸ *nati* ferre nequeunt, faciamus: *nec dum insignis erat ad famam:* vel *insignis erat. hi acciti considere simul.* Tales enim quæsivit, qui callerent versuum faciendorum studio, sed nihil dum edidissent, aut eo nomine celebres essent. *Insignis ad famam* ut Ciceroni lib. 3. de legib. *insignis ad deformitatem puer.* Quod autem Tacitum & Suetonium committunt; utrumque verum, sed in diversis opusculis, existimo tradidisse. Neque enim dubito, quin & potuerit scribere versibus Nero & quædam scripserit sine cujusquam auxilio. Et in hujusmodi tabulas incidit Suetonius. Sed & quum repentinus hic impetus ei venisset, dum festinat omnis moræ impatiens, & gestit eloquentiæ auctoribus accenseri, atque illam laudem rapere potius quam mereri; non tantum sumpsisse temporis & otii & secessus, quantum justa cura requirit; ideoque hos adjutores adhibuisse, facile credo Tacito, & id tyranni juvenis, lascivientis & luxuriantis, indoli valde conveniens mihi videtur. Licet & suspicari factum id in opere, quod parabat ad instantem commissionem. *Gronovius.* Itaque ut propius literas in MS. Mediceo incedatur, judicavi me sat sfecisse legendo: *quibus aliqua pangendi facultas, necdum insignis erat laus, ii considere* &c. Fuit tantum confusio literarum *isna.* Jac. Gronovius.

1 *Et allatos*] Nihil sincere ex Flor. eruitur. In eo enim legitur, *& ablatos*, forte, *& oblatos*. Pichena. Ego vero haudquaquam hoc sollicitandum censeo. *Allatos* est domi meditatos. Quod ad primum quidem congressum non congruit; sed postquam semel studia junxere, vix est ut unquam discesserint, quin præcepissent animis proximi conventus materiam, & ad eam aliquid domi per habentes carmina somnos natum possent afferre. Sed & ad illos, quos subito ad jussum principis effuderant, emendandos aliquid domi potuit subnasci & inde allatum in regia repertis addi. *Gronovius.*

2 *Quoque modo prolata*] Vulgo, *quoque modo.* de eodem errore monui lib. 6. *Pichena.*

3 *Utque contraria asseverantium discordia eruebantur*] MS. exemplar habet, *merentur.* Forte, *ut contr. asseverantium disc. quærerentur.* Rhenanus. Non cuivis patent: post epulas adhibebantur Philosophi diversarum partium: qui non eo committebantur, ut ex eorum altercationibus princeps imbiberet aliquid serium, aut faciens ad virtutem; sed contra ex nimiis eorum contentionibus lusus ei risusque intendebatur. *Nec deerant qui voce vultuque tristi inter oblectamenta regia spectari cuperent.* Τὸ *utque* similitudinis est nota. *Salinerius.* Legam, *rituque contraria asseverantium, discord. er. &c.* Acidalius. Venetum cod. sequutus sum scribendo, *eruerentur:* nam & eo videtur inclinare Flor. qui corrupte habet; *utque contraria asseverant tum discordia rueret?* Sensus est: Neronem post epulas Philosophorum disputationibus operam dedisse, ut inde discordiæ eruerentur: quod ipsi oblectamento & deridiculo esset. *Pichena.* Lectionem MS. quam exhibet Pichena, rectam esse puto si leviter distinguantur connexæ perperam literulæ, & in hodiernum scribendi morem formentur. Nam supra quoque alibi diai, nullum fere in membranis usum esse diphthongi *æ*. apparet ergo sic scribendum, *ut*, *quæ contraria asseverantium discordia, erueret.* dividenda inquam diphthongus est *discordiæ*, atque ita clarum illud *e* literam principem esse vocis *erueret*. Sensus audisse disputationes, ut erueret quænam esset discordia contraria asseverantium. ut nempe in quibus, & quomodo dissiderent, cognosceret. *Freinshemius.* Malim nihil hic mutari: nam illud, *utque eruebantur*, habet quandam ἔμφασιν, quam in nulla earum, quas subjiciunt, lectione reperio. Illæ namque significant modo, quid fieret: hoc etiam vanum, simulatum, fucatum fuisse, quod fiebat. Perinde namque est, quasi dixisset: *& quasi eruebantur:* & volebat videri se id agere, ut variæ & diversæ sectarum opiniones cognoscerentur & excuterentur. Nam τὸ *Ut* similitudinis est, ut bene Salinerius animadvertit. *Gronovius.*

4 *Qui voce vultuque tristi*] Nec male fortasse in Florent. *qui ore vultuque.* Pichena.

17 tristi inter oblectamenta regia spectari cuperent. Sub idem tempus, [1] levi contentione atrox cædes orta inter colonos Nucerinos Pompejanosque, gladiatorio spectaculo, quod Livinejus Regulus, quem motum senatu retuli, edebat. quippe oppidana lascivia [2] invicem incessentes, probra, deinde saxa, postremo ferrum sumpsere, validiore Pompejanorum plebe, apud quos spectaculum edebatur. Ergo reportati sunt in urbem multi è Nucerinis trunco per vulnera corpore, ac plerique [3] *liberorum aut parentum mortes* deflebant. Cujus rei judicium princeps senatui, senatus consulibus permisit. Et [4] rursus re ad patres delata, prohibiti publice in decem annos ejusmodi cœtu Pompejani, [5] collegiaque quæ contra leges instituerant, dissoluta.
18 Livinejus, & qui alii seditionem conciverant, exsilio multati sunt. Motus senatu & Pedius Blæsus, accusantibus Cyrenensibus, *violatum ab eo thesaurum Æsculapii, delectumque militarem pretio & ambitione corruptum.* Iidem Cyrenenses reum agebant Acilium Strabonem, prætoria potestate usum, & missum disceptatorem à Claudio agrorum, quos regis [6] Apionis quondam habitos, & populo Romano cum regno relictos, proximus quisque possessor invaserant, diutinaque licentia & injuria, quasi jure & æquo nitebantur. Igitur [7] abjudicatis agris, orta adversus judicem invidia: & senatus *ignota sibi esse mandata Claudii, & consulendum principem* respondit. [8] Nero probata Strabonis sententia, *se nihilominus subvenire sociis, & usurpata con-*
19 *cedere* scripsit. Sequuntur virorum illustrium mortes, Domitii Afri, & M. Servilii, qui summis honoribus, & multa eloquentia viguerant. Ille orando caussas, Servilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris, [9] & elegantia vitæ, quam clariorem

1 *Levi contentione*] Sed ista sancta annosi Medicei codicis puritas legit *levi intentione*, quod mireris neminem dignatum fuisse annotare, quum & alibi ea voce utatur. *Jac. Gronovius.*

2 *Invicem incessente*] Lege, *incessentes.* Lipsius.

3 *Liberorum aut parentum*] Ita ex Flor. Vulgo, *ac parentum.* Pichena

4 *Rursus re ad patres delata*] Hicquoque MS Mediceus habet *relata*, ut videatur Tacitus respexisse ad factum consulare in curia, quo secunda vice ad senatum referebatur. Nonne habemus in prorsus simili casu 3, 63. *Ut perspecto jure rem integram rursum ad senatum referrent.* Et quomodo usurpavisset Tacitus infame istud verbum, ubi *referre* jam est perpetuum, ut nunquam aliter loquantur? *Jac. Gronovius.*

5 *Collegia quæ contra leges*] Legem Solonis intelligit, cujus verba Cajus refert in tractatu de Colleg. Illicit. ἐὰν δὲ δῆμος, ἢ φράτορες, ἢ ἱερῶν ὀργίων, ἢ ναῦται, ἢ σύσσιτοι, ἢ ὁμοτάφιοι, ἢ θιασῶται, ἢ ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι, ἢ εἰς ἐμπορίαν ὅ τι ἂν τούτων διαθῶνται πρὸς ἀλλήλους κύριον εἶναι, ἐὰν μὴ ἀπαγορεύσῃ δημόσια γράμματα. Alciatus.

6 *Apionis quondam habitos*] Lego, *regi Apioni.* Rufus hac de re: *Cyrenas cum ceteris civitatibus Libyæ Pentapolis Ptolemæi antiquioris liberalitate suscepimus. Libyam supremo regis Apionis arbitrio sumus assecuti.* Item Eutropius: *Quo tempore Libya quoque Romano imperio, per testamentum Apionis, qui rex ejus fuerat, accessit. in qua inclyta civitates erant, Berenice, Ptolemais, & Cyrene.* Appianus in extremo Mithridatico: Τοῖς Ῥωμαίοις Κυρήνην Ἀπίων βασιλεὺς τῶν Λαγιδῶν γένους νόθος ἐκ διαθήκης ἀπέλιπεν. Factum hoc anno urbis DCLX. C. Cœlio L. Domitio Coss. Sed ut moneam, in verbis Rufi vereor ut menda sit, licet occultior. Quis ille Ptolemæus antiquior? Plerique omnes Ægyptii reges Ptolemæi, & parum proba aut recepta discriminis hæc nota. Ausim rescribere, *Ptolemæi Apionis.* Nam hic sane rex, Ptolemæus fuit, sed cognomento Apion. Appianus 1. Civil. *Sequenti anno, populus Romanus duabus provinciis ex testamentis regum est auctus, Bithyniam Nicomede relinquente, Cyrenen Ptolemæo ex Lagidis, cui Apioni cognomentum fuit.* Lipsius.

7 *Agris abjudicatis*] Id est Attilii Strabonis sententia a Cyrenensibus agris ablatis, & Po. Ro. adjudicatis. Est vero *Abjudicare rem*, de qua controversia est, judicando eripere. Unde *Abjudicatus ager* Livio, quem Romani iniquo judicio eripuerunt Ardeatibus. *Lupanus.*

8 *Nero probata Strabonis sententia*] Vulgati, *Principe probata.* Florent. *Ne probata.* scripsi ergo, *Nero probata.* Pichena. Quod ite vere prodit Pichena ex Flor. id Ryckius 12, 63. retulit inter specimina, quibus syllabas integras in MS. isto omissas sibi videbatur deprehendere. Probabiliter quidem, ut 4 hist. 56. *Hæc dicta pariter probataque.* Verum χαιρέτω. Nam clare patet auctorem scripsisse *Nero rata Strabonis sent.* 2. hist. 62. *Rata fuere eorum, qui acie Oth. ceciderant, testamenta.* Et c. 99. *Rata apud Vespasianum fore pacta transitionis.* Jac. Gronovius.

9 *Et elegantia vitæ, quam clariorem*] Trajecerim,

riorem effecit, ut par ingenio, ita morum diversus. [1] Nerone quartum Cornelio 20
Cosso consulibus, [2] quinquennale ludicrum Romæ institutum est, ad morem Græci certaminis. varia fama, ut cuncta ferme nova. Quippe erant qui *Cn. quoque* [3] *Pompejum*

rim, *& quem elegantia vitæ clariorem effecit.* Lipsius.

Et elegantia vitæ, quam clariorem effecit] Transponit Lipsius. Ego nihil mutarem. Clanculum in Servilio notat luxum, ac nimis lautam vitam, tanquam Romano Senatori parum decentem. is enim hic videtur *elegantiæ* sensus, sicuti lib. 16. de C. Petronio, qui fuit, *erudito luxu*, ac Neroni, *elegantiæ arbiter*. Servilius itaque illam elegantem vitam clariorem notabilioremque effecit, quia eximiis virtutibus, nobilique ingenio præditus, mores tamen diversos induerat. *Pichena.*

Quam clariorem effecit] Forte, *qua clariorem effecit*. Rhenanus. Danesius emendabat, *quæ clariorem effecit*, non ut in vulgatis, *quam*. Ursinus. Trajicit Lipsius: Sed quis non videt inconcinnitatem structuræ sequi? Male enim hærent, *elegantia clariorem effecit; par ingenio, morum diversus.* Trajiciam & ego, sed alia: hæc enim ipsa ejicio. Nam quid aliud iis faciam, non video. Nihil huc quidem pertinent; ut clarum ex hac nostra restitutione: *Ille orando causas, & elegantia vitæ, Servilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris, ut par ingenio, ita morum diversus.* Servilium cum Domitio comparat, & id more suo rotunda brevique oratione, quæ syrma illud rejectorum verborum respuit. Tamen possis & illa leviter mutata retinere: *mox tradendis rebus Ro. celebris, quas clariores effecit.* Sed inepta talis additio, & quam Tacitus nunquam, me judice, usurpavit. *Acidalius.* Contenditur hic Servilius cum Domitio: ille doctrinæ & probitatis notæ, hic eruditus, sed impurus; Domitius (supra animum postulationibus devotum) avidus erat. 4. ann. *quoque facinore clarescere*, illumque miratur nemo *quod diu egens & parto nuper præmio male usus, plura ad flagitia accingeretur.* Servilius autem totus ab eo discedebat *diversus morum.* nec dissimilis à Terentiano Micione in Adelph. *Clemens, placidus, nulli lædere os, arridere omnibus. Elegantia vitæ μεταφορικῶς*, quæ vitiis intacta, & à bonis electa fit. Quam ob rem genus vitæ Servilii per se clarum, clarius evadebat ex deterrima Domitii comparatione. Sic Cæsarem cum Alexandro si compares (militiæ alioquin pares) unius clementia per alterius sævitiam illustrior habetur. *Salinerius.* Alii heic emendationes subjiciunt, alii interpretationes, non ad meum gustum. Puto auctorem significare Servilium parem fuisse, quod ad ingenium quidem attinet, Domitio Afro; sed moribus diversum: ideoque tanto clariorem factum Domitio, quanto melius audiret homo, vitæ integræ & elegantis; præ diro ac damnandis reis exercito. Sic sup. l. 4. *At Messalinus Cotta haud minus claris majoribus, sed animo diversus.* Gruterus.

Elegantiam accipio in optimam partem, & prorsus, ut de Pomponio Secundo lib. 5. *At Pomponius multa morum elegantia & ingenio illustri.* Ille autem, *ut par ingenio, ita morum diversus*, non Servilius est, sed Domitius. Quam, inquit, elegantiam vitæ Servilii effecit clariorem Domitius, ut par ingenio, ita morum diversus. Fecisse dicitur Domitius, quod ut homines facerent, occasionem dedit. In contrarium Cicero lib. 9. famil. 12. *Tu velim animo sapienti fortique sis, ut tua moderatio & gravitas aliorum infamet injuriam.* Gronovius.

1 *Nerone* IV. *Corn. Cosso coss.*] Quorum mentio in lapide Romæ:

I. O. M. ET. GENIO
VENALIC
P. ACILIVS. CERDO
VOTVM. SOLVIT
NERONE. CÆSARE
AVG. IIII.
COSSO. LENTVLO. COSS.
F. COS.

Lipsius.

2 *Quinquennale ludicrum*] Est hoc ipsum, quod noster l. XVI. *lustrale certamen* appellat. Quod longo intervallo post reduxit & firmavit Gordianus Junior Imperator. de quo apposite Victor: *Eoque anno lustri certamine, quod Nero Romam invexerat, aucto firmatoque, in Persas profectus est.* Exemplum autem, credo, Nero sumsit à Neapolitis, de queis Strabo lib. v. Νυνὶ δὲ πεντετηρικὸς ἱερὸς ἀγὼν συντελεῖται παρ' αὐτοῖς, μουσικός τε καὶ γυμνικὸς ἐπὶ πλείους ἡμέρας, ἐνάμιλλος τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα. id est: *Nunc autem quinquennale sacrum certamen apud eos celebratur, Musicum & gymnicum in plures dies: quod æmulum esse potest illustrissimis Græcorum ludis.* Nota quod ait, νυνὶ δέ. Institutum enim id certamen ejus ævo, in honorem Augusti. Suetonius clare, Aug. cap. LXXXXVIII. & in Claudii cap. XI. Herodes etiam Judææ rex theatrum & certamen quinquennale condidit, ad honorem gratiamque Augusti, uti Josephus narrat lib. XV. Sunt & nummi Neroniani, in quibus mensa cum corona & lebete, inscripti: CERTA. QVINQ. ROM. CO. SC. id est, *Certamen Quinquennale Romæ constituit.* Lipsius.

Quinquennale ludicrum] Sic Augustus morbo variante quinquennale certamen gymnicum honori suo institutum Neapoli perspectavit. Scribit vero Strabo lib. 5. solitos Neapolitanos quinquennalem agonem celebrare, qui erat musicus & gymnicus, illisque agonibus æmulus, qui per Græciam maxima celebritate agebantur. *Lupanus.*

3 *Pompejum incusatum, quod*] Perpetuum sane theatrum Pompejus condidit primus, anno urbis

pejum incusatum à senioribus ferrent, *quod mansuram theatri sedem posuisset. nam* [1] *antea subitariis gradibus, & scena in tempus structa, ludos edi solitos: vel si vetustiora repetas,* [2] *stantem populum spectavisse: ne* [3] *si consideret, theatro dies totos ignavia continuaret. Spectaculorum quidem antiquitas servaretur,* [4] *quotiens Prætores ederent, nulla cuiquam civium*

DCLXXXIX. Antea subitaria erant, & Censorum jussu plerumque disjecta. Tertullianus libello de spectaculis: *Sæpe Censores renascentia theatra destruebant moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lascivia providebant. Itaque Pompejus Magnus solo theatro suo minor, cum illam arcem omnium turpidinum extruxisset, veritus quandoque memoria suæ censoriam animadversionem, Veneris ædem superposuit.* Donec præcipitantibus moribus, extruxerunt ipsi Censores. Valerius lib. II. cap. IV. *Theatra inchoata quidem sunt à Messalla & Cassio Censoribus, ceterum auctore Scipione Nasica, omnem apparatum operis eorum subjectum hasta venire placuit.* Appianus Civil. 1. Τῷ δ' αὐτῷ χρόνῳ Σκιπίων ὕπατος καθεῖλε τὸ θέατρον ὃ Λεύκιος Κάσσιος ἤρχετο, καὶ ἤδη τέλος ἐλάμβανε, ὡς καὶ τόδε στάσεων ἄρξον ἑτέρων, ἢ οὐ χρήσιμον ὅλως Ἑλληνικαῖς ἡδυπαθείαις Ῥωμαίους ἐθίζεσθαι. Eamque in rem SC. interpositum, quod legis nomine Tertullianus intellexit in Apolog. *Quonam illæ leges abierunt, quæ theatra stuprandis moribus orientia, statim destruebant?* Velleji locus addatur, qui corruptus vulgo: *Cassius Censor à Lupercali in Palatium versus, theatrum facere instituit: cui in demoliendo eximia civitatis severitas, & consul Cæpio restitere.* Scribe, *in emoliendo*, & *Scipio*. Lipsius.

1 *Antea subitariis gradibus*] Ausonius:

Ædilis olim scenam tabulatam dabat
Subito excitatam, nulla mole saxea.

Idem.

2 *Stantem populum spectavisse*] Valerius ait, *Sc. tantum, ne quis in urbe, propiusve passus mille, subsellia posuisse, sedensve ludos spectare vellet.* Sessionem tamen adstruere Livius & Dionysius videntur lib. I. sub Tarquinio rege: *Loca divisa patribus equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent, fori appellati. Spectavere furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes.* Sed tantum in Circo. *Idem.*

3 *Si consideret*] Danesius addebat dictionem, *ne*, legebatque. *Ne si consideret.* Ursinus. Notaverat Muretus. *Ne theatro dies* &c. ratus forte eam particulam desiderari, & omissam inde, quia paulo post repetita. *Ne spectaculorum quidem.* At ego ajo indidem eam ipsam retrahendam; atqne eo loco ponendam: *ne si consideret, th. d. t. ignavia continuaret.* Sequentia sic plane scribenda & distinguenda: ut vera sententia enitescat: *spectaculorum quidem antiquitas servaretur, quoties prætores ederent,* (ita recte Lipsius pariter & Muretus) *nulla cuiquam necessitate certandi* (al. *spectandi* quod defendere possis loco lib. 16. *Quippe gravior inerant metus, si spectaculo defuissent*) *ceterum abolitos paullatim patrios mores funditus everti per accitam lasciviam* &c. Ac cave in his postremis verbum *everti* vel deleas, quod recte posse censuerunt Lipsius & Muretus, vel mutes, & *verti*, quod permisit etiam Lipsius. Credo ego Tacitum *verti*, non *everti* hic scripsisse, quia simplex ubique magis amat. lib. 11. *Ut versa Cæsarum sobole imperium adeptus est.* Lib. 15. *Sed provisum quonam modo pœnas versa Reip. daret.* Et Taciti hæc mens hoc in loco: patrios mores, qui paullatim antea aboliti sint, nunc funditus everti hac lascivia. quomodo paullo superius in eandem formam: *Nec ulla moribus corruptis olim plus libidinum circumdedit, quam illa colluvies.* Mores, inquit, qui jam olim corrupti, tum libidinibus in omne flagitium exarserunt. *Acidalius.* Mallet Muretus, *ne si consideret.* cui non assentior sunt enim incusantium verba. qui postquam dixissent, vetustis temporibus populum stantem spectavisse ludos, sequuntur: nam si consideret, ignavia populi dies totos in theatro continuaret. atque accipio vocem, *ignavia*, primo casu, non sexto, ut in postrema editione notatur. *Pichena.* Vox una excidit, qua reposita implebitur hians sensus: *stantem spectasse populum, ne, si consideret theatro, dies totos ignavia continuaret.* Grotius.

4 *Quoties P. R. sederet*] Libri scripti, *Prætor sederet.* Facile & vere emendes, *Prætores ederent.* Enimvero editionem ludorum magistratibus incubuisse, præsertim Prætori, notum iis qui in vestibulo versantur antiquitatis. Facit huic parti illa responsio: *Nec proinde magistratus rem familiarem exhausturos,* &c. *Lipsius.*

Quoties P. R. sederet] Faernus, legebat *Quoties P. R. ludos ederet.* Ursinus. Hæc dicuntur, ut nec prætextu antiquitatis Nero uti valeat: quasi dicant. quid ad ista Nero? num se defendet quod sedens olim populus spectaverit? esto: sed nobis obsecro respondeat, an antiquitus (quod nunc fit) homines spectare cogerentur. Potes igitur præterire castigationes. Verum qui novum Romæ hujusmodi certamen? *Varia fama ut cuncta ferme nova.* Vel quo pacto Nero id primis celebravit? *Instituit & quinquennale certamen primus omnium Romæ more Græco, triplex, musicum, gymnicum, equestre.* Pompejus certe in dedicatione sui theatri, edidit musicum, gymnicum, & equestre certamen. Dio l. 39. καὶ ἐν τῇ ἐκείνου θέᾳ καὶ μουσικῆς, καὶ ἀγὼν γυμνικὸς, κἀν τῷ ἱπποδρόμῳ καὶ ἵππων ἅμιλλαι. i. *& in eodem spectaculo musica, & certaminis gymnici, & in hippodromo equorum certamen exhibuit.* Nero primus sanxit ut quolibet quinquennio celebraretur. *Salinerius.* Lipsius vere correxit. Corrupte antea, *quoties P. R. sederet.* Pichena.

I Ne-

civium [1] *necessitate certandi. Ceterum abolitos paulatim patrios mores,* [2] *funditus everti* [3] *per accitam lasciviam, ut quod usquam corrumpi & corrumpere queat, in urbe visatur, degeneretque studiis externis juventus, gymnasia & otia, & turpes amores exercendo, principe & senatu auctoribus: qui non modo licentiam vitiis permiserint, sed vim adhibeant. Proceres Romani* [4] *specie orationum & carminum, scena polluantur. quid superesse, nisi ut corpora quoque nudent, &* [5] *castus assumant, easque pugnas pro militia & armis meditentur?* [6] *An justitiam augurii, & decurias equitum, egregium judicandi munus expleturos,*

1 *Necessitate certandi*] Secutus sum manuscriptos. Vulgata scriptio tamen recta adæque, *spectandi*. Utrumque enim factitatum sub his comœdis principibus, ut viri illustres & ad certandum cogerentur & ad spectandum. Nec displiceat geminari, *necessitate spectandi aut certandi*. Lipsius.

2 *Funditus everti*] Libris meis abest τὸ, *eversi*. & omiseris recte. Scribi etiam possit, *& verti*. Idem.

3 *Per accitam lasciviam*] Accitam undecunque, sed præcipue ex Græcia. Sic paulo infra: *efflagitandi Græca certamina*. Pichena.

4 *Specie orationum & carminum*] Ad Musicum certamen referto. *Lipsius.*

Proceres R. specie orationum & carminum scena polluantur] Verba non bonæ nec expeditæ sententiæ. Neque enim concessio esse potest. Censeo particulam *ut* excidisse: qua reposita nectantur superioribus: *Principe & Senatu auctoribus: qui non modo licentiam vitiis permiserint, sed vim adhibeant, ut Proceres Romani* &c. Aut mutandum: *Proceres Romanos sp. or.* &c. *scena pollui*. Acidalius.

5 *Cestus assumant*] Servius in 5. Æn. ait. *Castum* per diphthongum, pugillum arma significare, de Cæstu plura lib. 16. *Lupanus.*

6 *An justitiam augurii*] Vitium: cui medendo impar ego. *Lipsius.*

Justitiam augurii] Faernus me hujus mendi admonuit: lego igitur, *jus augurum*. Vertranius. Faernus reponebat: *An jus augeri, & decurias equitum* &c. *Ursinus.* Corruptissimus locus: cui medendo se imparem Lipsius simpliciter fatetur, qui in prima edit. conjecit. *justitiam augeri*. Ego sanare posse videor, sed audaci medicina. Omnino quidem hæc trahenda ad equites illos, quos conscriptos supra memoravit ad celebrandos in scena plausus Nerone cantante. Ii *Augustani* vocati. quod nomen hic librariorum ignorantia an oscitantia interpolatum prius hoc modo, *An justitiam*, pro quo mox deinde hæsitantes alii scripserunt, *auguri*, donec receptum in textum utrumque. Nam mihi non dubium, quin vera scriptura sit *Augustanos*. Sed totus locus etiam porro sic emendandus: *Augustanos* (ironia est, sine interrogatione) *& decurias eq. egregie judicandi munus expleturos, si fractos sonos & dulcedinem vocum perite edidissent.* De his supra: *Tuncque primum conscripti sunt equites Ro. cogn. Augustanorum*. Sueton. de hisdem, sed paullo aliter, Ner. 20. *Acidalius.* Securus corruptionis hæc attrecto. Res Romana stabat legibus & armis. Virg. 6. Æn. *pacique imponere morem Parcere subjectis & debellare superbos.* Hinc spectaculis detrahentes dicunt, his utraque pessum ire de armis: *nisi ut corpora quoque nudent, & castus assumant, easque pugnas pro militia & armis meditentur.* de legibus: *an justitiam auguris, & decurias eq. egregium judicandi munus expleturos?* leges enim divina humanaque complectuntur. Chrysipp. de legib. ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς θείων καὶ τε ἀνθρωπίνων πραγμάτων. i. *Lex est omnium divinarum humanarumque rerum regina.* Recensent vero patricios ac equites, quod hos Nero præcipue scena dehonestavit, quodque hi tunc temporis humani divinique juris judices erant. Cæterum *justitia* pro *jure*. προτίθεται ἀντὶ τοῦ πυραγωγοῦ. Ulp. lib. 1. Dig. de just. & jur. *Juri operam daturum prius nosse oportet, unde nomen juris descendat: est autem à justitia appellatum.* idque noster fecit Thycydidis auctoritate lib. 1. καὶ ἐλθόντων τῶν πρεσβειῶν ἀπὸ τῆς συμμαχίας. ubi Scholiastes, ἀντὶ τοῦ ἀπὸ τῶν συμμάχων. Nostri eadem *ignaviam, & vana ingenia*. Adde si placet. *ibi concessam dictitans nobilitatem.* Sed nihil opus circuitione, audi Virgil. unde noster sibi sumpsit Lib. 1. Æn. *O Regina novam cui condere Jupiter urbem, Justitiaque dedit gentes frenare superbas.* Hæc Æneas, quo vidente ipsa *Jura dabat legesque viris.* Optime *frenare* quia jura vinculum, ne in flagitia ruamus. Consentaneum est igitur eos sic dixisse: an proceres id est patricios, curatius executuros, quæ pertinent ad augurii jus, an equites quæ ad munus judicandi. *Salinerius.* Vere vitiosus locus. atque ego vereor, ne temeritatis arguar, qui desperatis manum adhibere audeam. tamen quid super eo divinaverim, non reticebo. Paulo supra dixit conscripsisse Neronem Romanos equites, cogn. Augustanorum Ad hos derisionis causa fortasse alludit his verbis, quæ mihi sic corrigenda videntur: *An institutos Augustanes, & decurias equitum* &c. certe non longe à vitiosæ scripturæ vestigiis. *Pichena.* Corrigo: *an peritiam auguris*, aut, *jus totum augurii*. Quasi diceret: num juventus Romana, postquam aures imbuerit peritia judicandi de modis numerisque cantus & de dulcedine vocum, melius tractabit scientiam auguralem, munia militaria, officium judicum? *Harlæus. Fracti soni* non significant aliquid ad artem pertinens, sed id, quod Seneca dicit *non virile*, cum in Hercule Furente canit: *Ad non virilem tympani movit sonum.* *Decuria* autem *equitum* ut nihil

 respi-

ros, si fractos sonos & dulcedinem vocum [1] *perite audissent? Noctes quoque dedecori adjectas, ne quod tempus pudori relinquatur, sed cœtu promiscuo quod perditissimus quisque*
21 [2] *per diem concupiverit, per tenebras audeat.* Pluribus ipsa licentia placebat, ac tamen honesta nomina prætendebant; *Majores quoque non abhorruisse* [3] *spectaculorum oblectamentis, pro fortuna quæ tum erat; eoque* [4] *à Thuscis accitos histriones.* [5] *à Thuriis equorum certamina, & possessa Achaja Asiaque* [6] *ludos curatius editos. nec quemquam Romæ honesto loco ortum, ad theatrales artes degeneravisse,* [7] *ducentis jam annis à L. Mummii triumpho,* [8] *qui primus id genus spectaculi in urbe præbuerit. Sed & consultum parcimonia,*

respiciunt militarium muniorum, ita nec augurali ullus hic est locus disciplinæ. Tamen est etiam, qui sensui servisse ait sese absque cura verborum, quæ Lipsius corrupta credat: Hoc autem velle Tacitum vaticinatur: ubi posthac inventum iri severitatem judicis & sanctimoniam sacerdotis inter homines gnaros mollium sonorum & numerorum Musicorum? Id elici satis commode putat ex infra scriptis, quæ positis hic respondent: *nec cuiquam judici grave aures studiis honestis & voluptatibus concessis impartire.* Ubi etiam sine cura, opinor, verborum, interpretatur judicem nihil perdere gravitatis. Interim hoc posteriore in loco, quid est, quod confirmet illam castimoniam sacerdotis? De solis judicibus excusat, quia de solis judicibus mota erat invidia. Desinamus nugari & audiamus solum Pichenam. Posset legi: *An institutos Augustanos è decuriis equitum:* sed non est necesse. Nam *institutos Augustanos & decurias equitum* per ἓν διὰ δυοῖν dicitur de iisdem, prorsus ut lib 13, 25. *ludicram licentiam & fautores histrionum:* eodemque cap. 46. *Pollice ancilla & assuetudine Actes.* Num, inquit, adulescentulos secundi ordinis (qui conscripti sint cognomento Augustanorum; aliquando in decurias judicum allegendi) paratius & religiosius causas audituros, si molliter & dulce canenti Cæsari artificiose plaudere & docte atque ingeniose acclamare didicissent? Nam hoc est *perite audire* (ut apud Suetonium cap. 22. *solos scire audire Græcos*) *plausibus personare formamque principis & vocem deum vocabulis appellare*, quemadmodum interpretatus ipse Tacitus cap. 55. Quod quia fiebat assidue *dies & noctes*, ideo justior hæc invidia in tam male perdentes tempus, quod collocare deberent in sanctissimo judicum officio discendo, cui destinabantur. *Gronovius.*

1 *Perite audissent*] Alii, *edidissent.* Malc. nam infra ait: *nec cuiquam judici grave, aures studiis honestis, & voluptatibus concessis impartire*, quæ verba ad hæc referuntur. *Pichena.*

2 *Per diem concupiverit*] Legam *conceperit.* Acidalius.

3 *Spectaculorum oblectamentis*] Farnes. *oblectamenta*, vere. *Lipsius.*

4 *A Thuscis accitos histriones*] Nisi Tacitum sui oblitum velis, aut hic *ab Oscis* legendum est, aut supra 4, 14. *Thuscum quondam ludicrum.* Sed potius inclinem, ut hunc locum corruptum dicam, cum histriones aliis quoque auctoribus Oscum spectaculum dicamus, ut Ciceroni epist. fam. 7, 1. *Non enim te puto Græcos aut Oscos ludos desiderasse:* Strabo lib. 5. Osco sermone mimos agitatos fuisse scribit, cum gens ipsa defecisset. Hinc Atellanæ etiam fabellæ dictæ sunt, quod genus ludorum ab Oscis inventum prodit Livius 7, 2. & Valerius Max. 2, 4, 6. qui tamen turbat, dum histriones Etruria accitos diserte affirmat. Sed videndum, num ita possit conciliari reliquis, ut dicamus non primum initium ludorum eorum respexisse, sed instaurationem. Nam, ut narrat Cluvius Rufus apud Plutarch. in Quæst. Rom. 107. C. Sulpicio & L. Stolone Coss. pestem Romæ grassatam omnes ad unum scenæ ministros extinxisse. itaque alios requirentibus advenisse ex Etruria multos bonosque ejus rei artifices. Unde apparet id ludicrum ante etiam Romæ fuisse, quamquam nomine histrionum nondum recepto, cujus diversam originem iidem scriptores citatis locis adnotarunt, & Livius indicato capite qui tamen iis Coss. rem eam novam fuisse tradit, ut ita satis hæc obscura sint. *Freinshemius.*

5 *A Thuriis equorum certamina*] Atqui Livius lib. 1. etiam equos à Thuscis derivat. *Ludicrum fuit, equi pugilesque, ex Etruria maxime acciti.* Et cum equorum certamina antiquissima Romæ sint, vix videntur ea petiisse tam longinque. Magna Græcia certe & illa ora, in qua Thurii, non tam pernota tunc Romanis. Quæ tamen frons mea à Tacito dissentientis? Thurii vicini Tarentinis ab iisque eversi, ut Strabo narrat: quorum olim Sybaris opidum celebre deliciis. Ab Augusto colonia illuc deducta, Copiæ. *Lipsius.*

6 *Ludos curatius editos*] Germana Cornelii vox, non, *accuratius*, ex libris. *Idem.*

7 *Ducentis jam annis*] Et paullo pluribus, quoniam triumphavit de Achæis & Corinthiis Mummius anno urbis DCVIII. *Idem.*

8 *Qui primus id genus*] Quod genus? gymnicosne? inclinabam, sed primus athletas dedisse legitur in ædilitate Æmilius Scaurus, multis post annis. Potes igitur capere ludos Græcos. Nam antea noti tantum Osci & Latini. Cicero ad Marium lib. VII. *Non enim puto te Græcos aut Oscos ludos desiderasse: præsertim cum Oscos vel in Senatu spectare possis, Græcos vero ita non ames ut ne ad villam tuam via Græca ire soleas.* Hos triplices ludos Tranquillus in Julio intellegit, cap. XXXIX. *Ludos regionatim urbe tota dedit,*

nia, quod perpetua sedes theatro locata sit, potius quam immenso sumptu, singulos per annos consurgeret ac strueretur. Nec perinde magistratus rem familiarem exhausturos, aut populo [1] *efflagitandi Græca certamina à magistratibus caussam fore, cum eo sumptu respublica fungatur. oratorum ac vatum victorias incitamentum ingeniis allaturas: nec cuiquam judici grave, aures studiis honestis, & voluptatibus concessis impartire. lætitiæ magis quam lasciviæ dari paucas* [2] *totius quinquennii noctes, quibus, tanta luce ignium, nihil inlicitum occultari queat.* Sane nullo insigni dehonestamento id spectaculum transiit. [3] Ac ne modica quidem studia plebis exarsere, quia redditi quamquam scenæ [4] Pantomimi, certaminibus sacris prohibebantur. [5] Eloquentiæ primas nemo tulit, sed *victorem esse Cæsarem* pronuntiatum. [6] Græci amictus, quos per eos dies plerique incesserant, tum

dedit, & quidem per omnium linguarum histriones. Et Aug. cap XLIII. *Ludos fecit nonnunquam vicatim, ac pluribus scenis, per omnium linguarum histriones.* Idem.

1 *Efflagitandi Græca certamina*] Certaminis vox ad gymnasium spectare potius videtur, quam ad scenam. Sed & in scena ipsa certamen quoddam victoriæ. *Idem.*

Efflagitandi Græca certamina] Nihil, ut opinor, prohibet, quo minus *Græci certaminis* appellatione gymnicos æque ut musicos ludos designatos esse interpretemur, præsertim cum ante Neronis tempora, vigente adhuc republica, datos sæpius athletas constet, non quidem quotannis, sed velut extra ordinem, in urbe Roma Quin & apud Ciceronem ad Marium *Græcorum ludorum* nomine propius est, ut non musici, sed gymnici exponi debeant, quicquid eruditissimus Lipsius in contrarium sentiat. *P. Faber.*

2 *Totius quinquennii*] Ita scripserim, non, *potius.* Lipsius.

3 *Ac ne modica quidem*] *Immodica* legendum videtur: quæ videlicet excitari solebant Pantomimorum certamine. Supra 1, 77. & 13, 25. *Gronovius.*

4 *Pantomimi. certaminibus sacris*] Certamina sacra, sive ἱεροὺς ἀγῶνας, ὧν τὰ ἆθλα ἐν στεφάνῳ μόνῳ, definit Pollux, lib. III. Tale hoc Neapolitanum, quod & ἱερὸς ἀγὼν à Strabone dicitur. *Lipsius.*

5 *Eloquentiæ primas partes*] Farnesiano abest, *partes* recte. *Idem*

Eloquentiæ primas nemo tulit] Additum perperam fuerat in editis, *primas partes*, quam vocem abstulimus, cum à Flor. absit; & aliis, Lipsio teste. *Pichena.*

6 *Græci amictus*] Libri leviter aberrant. Nam Farnes. *Cirauam iactam que.* Vatican. *Graciam jactus ta quo* Dix aberrant. nam vera lectio hæc: *Græci etiam amictus, quis per eos dies p. incesserant.* vel, *quos p. e. d. p. ingesserant.* Græcanicum scilicet hoc certamen fuit, & ideo amiciebantur plerique ad morem Græcum, palliati crepidatique. Hæsi olim, sed expedivit me plane Dio lib. LX de hoc ipso spectaculo, Neapoli: Ἐπεὶ δὲ γε τῇ Νεαπόλει καὶ κατεσκεύαστο ἰδιωτικῶς ἔζη. Τά τε γὰρ ἄλλα Ἑλληνικῶς καὶ αὐτὸς καὶ οἱ συνόντες οἱ διῃτῶντο, καὶ ἐν μὲν ταῖς τῆς μουσικῆς θεωρίαις ἱμάτιον καὶ κρηπῖδας, ἐν δὲ τῷ γυμνικῷ ἀγῶνι πορφυρίδα καὶ στέφανον χρυσοῦν ἐλάμβανεν. id est: *Deinde & Neapoli plane privatum se gessit Nam cum in aliis, & ipse & qui cum eo erant, Græcorum ritu vixerunt, tum etiam in Musico spectaculo pallium & soleas induit, & in Gymnico agone vestem purpuream & auream coronam accepit.* Et simile quod in Commodo tradit, quotiens theatrum ingrederetur, solitum sumere χλαμύδα ὁλοπόρφυρον τὸν Ἑλληνικὸν τρόπον, καὶ στέφανον ἔκ τε λίθων Ἰνδικῶν καὶ ἐκ χρυσοῦ πεποιημένον. Ex his facile intelligo restituoque Suetonii locum Domitiani cap. IV. *Certabant etiam & prosa oratione Græce Latineque, ac præter citharœdos chorocitharistæ quoque & psilocitharistæ. In stadio vero cursu etiam virginum certamini præsedit crepidatus purpureaque amictus toga Græcanica, capite gestans coronam auream.* Corrigo & distinguo: *& psilocitharistæ: in stadio vero cursu etiam virgines. Certamini præsedit*, &c. Vera lectio, vera mens: Certasse præter citharœdos, etiam chorocitharistas, & in stadio, certamine cursus, etiam virgines. At certamini toti quinquennali præsedisse Domitianum ritu Græco, purpurea toga, & corona ornatum. Dixit enim Togam: mallem chlamydem, uti idem scriptor Neronis cap. XXV. reditum in urbem describens habitu Græcanico: *in veste purpurea, distinctaque stellis aureis chlamyde.* ubi, *veste*, glossematium puto, deleoque. Item Dio supra. & Capitolinus in Pertinace: *Purpureasque chlamydes Græcanicas.* Lipsius.

Græci amictus, quos per eos dies plerique incesserant] Ne admitte particulam *etiam*, quam Lipsius inserit, *Græci etiam amictus* Orditur novam narratiunculam auctor, quæ nihil superioribus hæret. Porro pro *quos*, *queis* lege cum eodem; non quod probari etiam posse credidit, *quos per eos dies plerique ingesserant.* Acidalius. Declino vestigia corrigentis. *Quos plerique incesserant*; conviciis scilicet; hæc ea de causa dicuntur, quod sub Nerone Græci habitus usurpatio: desuetudine vitio dabatur, postquam scil. Pompejus Græcos ludos Græcorum (ut reor) apparatu celebravit. Dio lib. 39. *Salinerius* Florentinus, *q° per eos dies:* unde, *quomodo*, legendum suspicor. quod alibi in eodem libro observavi. *Pichena.*

22 tum exoleverant. Inter quæ & sidus cometes effulsit, de quo vulgi opinio est, tamquam mutationem regis portendat. Igitur quasi jam depulso Nerone, quisnam deligeretur [1] anquirebant. & omnium ore [2] Rubellius Plautus celebratus, cui nobilitas per matrem ex Julia familia. Ipse placita majorum colebat, habitu severo, casta & secreta domo, quantoque metu occultior, tanto plus famæ adeptus. Auxit rumorem pari vanitate orta interpretatio fulguris. Nam quia discumbentis Neronis [3] apud Simbruina stagna, * cui [4] *Sublaqueum* nomen est, ictæ dapes, mensaque disjecta erat, idque finibus Tiburtum acciderat, unde paterna Plauto origo; [5] hunc illum numine deûm destinari credebant. fovebantque multi, quibus nova & ancipitia præcolere avida & plerumque fallax ambitio est. Ergo permotus iis Nero componit ad Plautum litteras, [6] *consuleret quieti urbis, seque prave diffamantibus subtraheret. esse illi* per

chena. Scribo, *incessirant.* qnos, inquit, per eos dies toga posita gestatos plerique arguebant, jam vulgares tum erant, & sero reprehendebantur. *Gronovius.*

1 *Inquirebat*] Sane Ryckius evulgat prior, quod ex MS. Mediceo promptum in schedis meis viderat, n. *anquirebat*, non ut inde Tacitum adjuvaret, neque etiam ut saltem probabile laudaret; apponit enim velut æqualem interpolationem recentissimi sui codicis. Displicet hoc; sed ne multa, quis non debet lectionem codicis optimi ut solam probam venerari, qui modo conferat 13, 6. ubi prorsus similis narratio, & compositi hujus usurpatio? unde nunc reposui. *Jac. Gronovius.*

2 *Rubellius Plautus celebratur*] Lego cum Mureto *celebrabatur.* Acidalius. Vulgo, *celebratur.* Sententia vero exigit, ut Mureto assentiar legenti, *celebrabatur.* Pichena. Quid potest dici certius, quam ab scriptura codicis præstantissimi suggeri & ostentari *celebratus!* quod propterea revocavi. *Jac. Gronovius.*

3 *Apud Simbruina stagna, * cui sublaqueum nomen est*] Omnes Taciti codices hic depravati sunt. Interim nihil mihi deesse videtur. Tolle asteriscum & lege, *quibus*, sive ut in MSS. legitur, *cujus Sublaqueum nomen est.* Postremam syllabam τῶ *cui* invenire est in prima sequentis vocis, *Sublaqueum.* Sententia est; discubuisse Neronem ad Simbruina stagna, ubi illis Sublaquei factum est cognomentum, ob tres lacus, quos amænitate nobiles Anio defert in Tiberim. Auctor est Plinius l. 3. *Boxhornius.* Suspicor à Tacito fuisse: *discumbentis Neronis apud Simbruina stagna (loco Sublaqueum nomen est) icta dapes.* ut lib. 4. histor. *nec ausi ad hostem pergere (loco Gelduba nomen est) castra fecere.* Sic & restituendum apud Florum libro 3, 3. *Prioresque Theutoneos sub ipsis Alpium radicibus assequutus (locum Aquas Sextias vocant) quo (fidem numinum?) prælio oppressit?* Gronovius. Et cur non additur ex lib. 1. cap. 45? *Sexagesimum apud lapidem (loco Vetera nomen est) hibernantium.* Sed inde non coercetur libertas Cornelianæ manus. Immo variat illa, & aliter loquitur Tacitus 4. hist. 84. *Templum exstructum loco, cui nomen Rhacotis.* Iterum aliter 1. hist. 66. *Ut Luco (municipium id Vocontiorum est) faces admoveris.* Sed & aliter 15, 10. *Conjunx ac filius castello, cui Arsamosata nomen est, abdui.* Hinc perquam probabile foret id quod supplere voluit Lipsius, sequuto Cluverio in Italia antiqua pag. 962. præsertim quum sic noster plane 4, 59. *Vescebantur in villa, cui vocabulum Spelunca.* Sed id ipsum non videtur nunc expressisse Tacitus & maluisse subintelligere, quum forsan etsi Frontinus ita appellet, tamen Tacitus non judicaverit villam appellandam, aut vere fuisse. Immo quidni recte subintelligas *stagno*, aut quasi interpositum foret *ad id stagnum*, vel *apud istud ex Simbruinis stagnis*, ut stagna nominibus fuerint distincta, prout hoc *Sublaqueum* unum ex illis, quibus potuerint adstructa fuisse diverticula, quo captandæ amœnitatis vel salubritatis causa se interdum conferebant. *Jac. Gronovius.*

4 *Sublaqueum nomen est*] Plinius lib. III. *Anio lacus tres amœnitate nobiles, qui nomen dedere Sublaceo* (ita enim potius scribend. quia à lacu) *defert in Tiberim.* Addubito num vox Tacito desit, legendumque: *villa cui Sublaqueum nomen.* Certe Neronis villa Sublacensis Frontino de Aquæduct. cognita. Æmoinus lib. II. cap. XVI. *Benedictus pater in loco qui Sublacum dicitur, qui ab urbe Roma XL. millibus abest, effulsit.* Philostratus lib. IV. De vita Apollonii ad hanc rem addit, calicem Neronis, quem jam ori admoverat, fulmine excussum. *Lipsius.*

5 *Hunc illum numine Deum destinari credebant*] Malim, *hinc illum.* Rhenanus. Imo *hinc*, respondet ea vox voci *quia* quæ præcessit. *Grotius.* Quasi non alterum multo sit elegantius. Virgilius in quarto: *Hoc illud germana fuit? me fraude petebas.* Petronius: *hic est Cyclops ille & archipirata, cui vecturam debemus*, Gronovius.

6 *Consuleret sibi & turbis*] Volebam, *sibi & urbi:* sed notat in Flor. legi *consuleret* q. *& urbis:* ex quo apposite Pichena, *quieti urbis.* Sed sic tamen prius illud deest *sibi:* nec abeo à mea conjectura. *Lipsius.*

Consuleret quieti urbis] Vulgati, *consuleret sibi & turbis.* Vitium indicavit mihi Flor. in quo corrupte, *consuleret q.eturbis.* unde facilis fuit emendatio. *Pichena.* Repugnat Lipsius passus ἀνθρώπινόν τι. Neque

per Asiam avitos agros, in quibus tuta & inturbida juventa frueretur. Ita illuc cum conjuge Antiftia & paucis familiarium conceffit. Iifdem diebus nimia luxus cupido infamiam & periculum Neroni tulit, quia fontem [1] aquæ Marciæ ad urbem deductæ nando inceffcrat: videbaturque potus facros & cærimoniam loci [2] corpore toto polluiffe. fecutaque anceps valetudo, iram deum affirmavit. At Corbulo poft deleta 23
Artaxata, utendum recenti terrore ratus [3] ad occupanda Tigranocerta; quibus excifis, metum hoftium intenderet, vel fi pepercifſet, clementiæ famam adipifceretur: illuc pergit, non infenfo exercitu, ne fpem veniæ auferret: neque tamen remiffa cura, gnarus facilem mutatu gentem, ut fegnem ad pericula, ita infidam ad occafiones. Barbari pro ingenio quifque, alii preces offerre, quidam deferere vicos, & in avia digredi, ac fuere qui fe fpeluncis, & cariffima fecum abderent. Igitur dux Romanus diverfis artibus, mifericordia adverfus fupplices, celeritate adverfus profugos, immitis iis qui latebras infederant, ora & exitus fpecuum farmentis virgultifque completos, igni exurit. Atque illum [4] fines fuos prætergredientem incurfavere Mardi, latrociniis exerciti, contraque inrumpentem montibus defenfi. quos Corbulo immiffis Hiberis vaftavit, hoftilemque audaciam externo fanguine ultus eft.
Ipfe exercitufque, ut nullis ex prœlio damnis, ita per inopiam & labores fatifce- 24
bant, [5] carne pecudum propulfare famem adacti. Ad hæc penuria aquæ, fervida æftas, longinqua itinera, fola ducis patientia mitigabantur, eodem plura quam gregario milite tolerante. Ventum dehinc in locos cultos: demeffæque fegetes, & ex duobus caftellis, in quæ confugerant Armenii, [6] alterum impetu captum; qui primam

que enim *τὸ fibi* vel Neronis vel Taciti oratio neceffario requirit, ut fi abfit illud, manca vel vitiofa debeat putari. Poffet id tenere locum, fi conftatent cætera. *Sibi & turbis* tolerari nequit: & arguitur ab antiqua manu, ex qua corrector indoctior fabricavit vulgatum, cum faciendum haberet, quod Pichena. Tum *confuleret urbi* quam laxum: At *confuleret quieti urbis* tale nihil ut poffit expreffius aut definitius. *Gronovius.*

1 *Aqua Marcia*] Vera lectio. fruftra turbant libri, qui partim, *aqua margina*, partim, *morgio*, referunt. *Lipfius.*

Fontem aquæ Marciæ] Non injucundum forte ftudiofis rerum Romanarum fuerit paucis de aqua Marcia differere, quam clariffimam omnium aquarum Plinius ille lib. 31. appellat. Primus eam in urbem aufpicatus Ancus Marcius Rex, poftea Q. Marcius in urbem deduxit, rurfufque reftituit M. Agrippa. Frontinus fcribit eam à Trajano in Aventinum deductam. *Lupanus.*

2 *Corpore toto polluiffe*] Imo, *corpore loto.* Fontes & capita aquarum prifcis facra: in iifque natare nefas. Plinius lib. VIII. de Clitumno: *Pons terminus facri profanique: in fuperiori parte navigare tantum, infra etiam natare conceffum.* Imo in quibufdam aquis navigare etiam vetitum. Idem libro eodem, de lacu Vadimonis: *Nulla in hoc navis (facer enim eft) fed innatant infulæ*, &c. Seneca epift. XLI. de his cæremoniis: *Magnorum fluminum capita veneramur; fubita ex abdito vafti amnis eruptio aras habet: coluntur aquarum calentium fontes, & ftagna quædam vel opacitas vel immenfa altitudo facravit.* Lipfius.

Corpore toto polluiffet] Eruditiff. vir *loto:* fed primum *ἐμφατικώτερον*: quippe quod Nero membris omnibus impurus effet. Sueton. 29. *Suam quidem pudicitiam ufque adeo proftituit, ut contaminatis pene omnibus membris.* Et inde cæteros fuo modulo metiretur. *Ex nonnullis comperi perfuafiffimum habuiffe eum, neminem hominem pudicum, aut ulla corporis parte purum effe.* Salmerius.

3 *Ad occupandum Tigranocerta*] Scripfimus *ad occupanda Tigranocerta.* Rhenanus.

4 *Fines fuos prætergredientem*] Prætergrediuntur etiam omnes, ac fi Tacitum non noffent. At in Mediceo exemplari manifefte fcribitur *p̄gredientem* eadem notæ forma, qua ufus fuit cap. 13. & ubi Pichena protulit *prægredi:* ita nunc indicatur ab ipfo fcriptum *prægredientem.* Quid? an non fimiliter 2. hift. 2. reftituit idem Pichena *prævectus* pro vulgato *prætervectus?* ut 4. hift. 71. *Dum miffilia hoftium prævehuntur.* Jac. Gronovius.

5 *Carne pecudum propulfare*] Addo, *carne paucarum pecudum.* Non enim ad ultimam neceffitatem redactus videri poteft exercitus, qui ovilla fe fuftentat, fed qui ovillæ exigua. Modus exiguus debilitabit eum inter graves labores. *Harlæus.* Ut Tacitus, fic & Cæfar lib. 7. de Gallico: *ufque eo, ut complures dies milites frumento caruerint, & pecore, è longinquioribus vicis adacto, extremam famem fuftentarent.* Nempe carere frumento militi Romano extrema fames eft. *Gronovius.*

mam vim depulerant, obsidione coguntur. Unde in regionem [1] Tauraunitium transgressus, [2] improvisum periculum vitavit. Nam haud procul tentorio ejus, [3] non ignobilis barbarus cum telo repertus, *ordinem insidiarum, seque auctorem & socios per tormenta edidit.* convictique & puniti sunt, qui specie amicitiæ dolum parabant. Nec multo post legati Tigranocerta missi, *patere mœnia* afferunt, *intentos popularis ad jussa.* Simul hospitale donum, coronam auream tradebant. Accepitque cum honore, nec

25 quidquam urbi detractum, quo promptius obsequium integri retinerent. [4] At præsidium regium, [5] quod ferox juventus clauserat, non sine certamine expugnatum est. nam & prœlium pro muris ausi erant, & pulsi intra munimenta aggeris, [6] demum & inrumpentium armis cessere. quæ facilius proveniebant, quia Parthi Hyrcano bello distinebantur. Miserantque Hyrcani ad principem Romanum societatem oratum, *attineri à se Vologesen pro pignore amicitiæ* ostentantes. eos regredientes Corbulo, ne Euphraten transgressi hostium custodiis circumvenirentur, dato præsidio [7] ad litora maris rubri deduxit. unde vitatis Parthorum finibus, patrias in sedes remeavere.

26 Quin & Tiridaten per Medos extrema Armeniæ intrantem, præmisso cum auxiliis Verulano legato, atque ipse legionibus citis, abire procul ac [8] spem belli amittere subegit: [9] quosque nobis ob regem aversos animi cognoverat, cædibus

6 *Alterum impetu captum*] Vox addita, auctore Vatic. *Lipsius.*

1 *Tauraunitium*] Reposui proximum illi, quod exhibuerat in principe editione Beroaldus, nempe *Taurauntium*, quod posteriores mutarunt in *Taurantium*, ut hodie passim legitur, temere videlicet ac nulla præbita causa. Ita autem plane legitur in Mediceo, ut ipse & Frater notavimus, nisi quod *c* illic habeatur loco literæ *t*, pro quo vitiose editum ab Ryckio *Tauranncium.* Fuerit populus *Tauraunites.* Jac. Gronovius.

2 *Improvisum periculum vitavit*] Inserenda mihi particula videatur, *vix vitavit.* Acidalius.

3 *Non ignobilis barbarus*] Unus Magistanum. estque ille ipse, de quo Frontinus sic narrat: *Domitius Corbulo, cum Tigranocertam obsideret, in quemdam ex Megistanis, quos ceperat, animadvertit, caputque ejus ballista excussum, intra munimenta hostium misit. Id forte decidit in medium concilium, quod tum cum maxime habebant Barbari. ad cujus conspectum velut ostento consternati ad deditionem festinaverunt.* Lipsius.

4 *At præsidium regium*] Volumen regium habet, *At præsidium legerat.* Forte, *At præsidium alterum.* Rhenanus.

5 *Quod ferox juventus clauserat*] Muret. notavit; *clausa erat.* Accipio. sed addo, præpositionem etiam addendam, *in quod ferox juventus clausa erat.* Acidalius. Muretus legit, *quo f. i. clausa erat.* Alii, *quo f. i. se clauserat.* Sed fortasse communis lectio se recte habebit, si accipiamus, *præsidium*, pro ipsis regiis castris, quæ clausa essent, id est munita ac firmata à feroci juventute. *Pichena.*

6 *Demum irrumpentium armis cessere*] Addunt Flor. & Ven. *demum & irrumpentium.* Pichena. Ita jam edidit Beroaldus, & nunc repono. *Jac. Gronovius.*

7 *Ad litora maris Rubri deduxit*] Valde equidem hic nunc hæreo, olim & in primis editionibus transitum aut neglectum. Ad quod *mare rubrum* Hyrcanos (de iis sermo) deduxit? Illud Ægyptium, quod vulgo sic appellant? ingens via sit, & nec sic in fines suos, nisi per Parthorum, intrarint. An alterum illud magnum & Indicum? ita solent veteres, fateor: sed nec hic ei locus, aut omnis Chorographia me fallit. Sunt enim Hyrcani ad mare Caspium ipsum siti, procul ab omni Indico: & pone vel flexu magno isse, tamen Parthorum fines omnia illa maritima fere tangebant. Plinius: *Persæ rubrum mare semper accoluere*; atque aliæ sub Parthis gentes. Considera, & inspice (oculorum tes est) abeunt à patria millibus millium; & in discrimina ipsa veniunt, quæ vitabant. Quod dicam non habeo, nisi si scripsit Tacitus, *ad litora maris sui.* Nam Tacitum ut imperitiæ accusem, durum improbumque sit: & mea ista lectio haud ab re sit, ex Armenia cum præsidio, brevi flexu, deductos ad mare, juxta quod habitabant. Supra Euphratem igitur iverint, per montana & finitima Iberiæ ad suum mare. *Lipsius.*

8 *Spem belli amittere coegit*] Melius, *mittere.* Acidalius.

9 *Quosque nobis ob regem aversos animi cogn.*] Quantopere hæc suppositio prorsus adulterata discedat ab indiciis superstitibus antiquæ lectionis, patet ex Ryckio, qui & sui codicis & Florentini scripturam publicavit, etsi de hoc agat non satis caute: nam legitur quidem in eo *quosque nobis ab rege animis cogn.* sed ita, ut illa *ge* sint superscripta, & versus ita procedat, *quosque nobis ab re animis.* Hinc patet illud *ob regem* esse nullius pretii, & subjectum ab editoribus, quod etiam plane omittitur in ipsius codice, ubi pro illo ponitur *alienos*, unoquoque scili-

bus & incendiis perpopulatus, possessionem Armeniæ usurpabat: cum advenit Tigranes, à Nerone ad capessendum imperium delectus, Cappadocum ex nobilitate, regis Archelai nepos, sed quod diu obses apud urbem fuerat, usque ad servilem patientiam demissus. Nec consensu acceptus, durante apud quosdam favore Arsacidarum. at plerique superbiam Parthorum perosi, datum à Romanis regem malebant. ¹ Additum & præsidium, mille legionarii, tres sociorum cohortes, duæque equitum alæ. ² & quo facilius novum regnum tueretur, pars Armeniæ ut cuique finitima, ³ pars * Nipolique & Aristobulo atque Antiocho parere jussæ sunt. Corbulo

¹ in

scilicet dominante ex lubitu, ubi alii immiserunt *aversos.* Sed vis talis verbi ab Tacito posita videtur fuisse in literis, quas Medicea membrana servavit, etsi forsan correptas *ab re.* Id nihil aliud videtur fuisse quam *abhorrere: quosque nobis abhorrere animis cognoveras.* Jac. Gronovius.

1 *Additum & præsidium*] Sic Flor. & magis ex more Taciti: Vulgo, *additum etiam præsidium.* Pichena.

2 *Et quo facilius novum regnum tueretur, pars*] Hæc quoque distinctione potissimum laborare contendo, non enim pars Armeniæ aliis regibus tradita, ut Tigranes novum regnum facilius tueretur, nec etiam ideo profecerit, sed in præmium navatæ operæ. relata autem verba ad superiora pertinent, hoc ordine atque scriptura: *Additum & præsidium* &c. *duæque equitum alæ quo facilius novum regnum tueretur. Pars* &c. Ita se res habet ad continendum regnum novum atque turbidum adhuc, copiis & viribus opus. Vide locum parallelum 25, 15. quem ideo notavi: & infra 15, 4. 3, & 5. *Freinshemius.* Immo quo nihil circa Tigranem foret tam validum, ut ab eo metuere deberet aut repente opprimi posset, omnia vicina in quatuor partes distracta sunt, tales scilicet, ut nulla aliquid cum bona spe contra eum auderet aggredi. Sic certe patet Armeniæ partem avulsam, divisamque rursus eam & aliis regibus traditam, ut Tigranes facilius tueretur novum regnum: patet etiam id sine dubio profecturum. Ratiocinatio Freinshemii sine ratione est, & violentia adversus Taciti manum intoleranda; etsi postremæ fateatur se adsentiri Ryckius. Sunt hæ regiones longinquæ, & in quas expeditionem sumere identidem Romanis erat molestum, ut etiam milites alere, ut nova ratione securitatem sui Tigranis firmandam putaverint ex sapientissimo Corbulonis consilio imbellibus regulis per tractus vicinos positis. *Jac. Gronovius.*

3 *Pars Nipolique*] Latet in corruptione nomen alicujus regis. Forte, *Thrascypolique.* qui dynasta alibi in finitimis Armeniæ locis. *Lipsius.*

Pars Nipolique & Aristobulo] In volumine regio tantum est, *Nipuli & Arist.* Quid si legas, *pars populi Aristobulo atque Antiocho parere jussæ sunt.* Rhenanus. Lips. prim. edit. conjicit. *Ut cuique finitima Arsinoe, Polemonique & Aristobolo.* Sed latet omnino nomen alicujus regis, sed non in sola voce *Nipolique*, verum hanc præcedente etiam *pars:* quæ per se nihil orationi confert, imo etiam turbat, nisi ex hac simul & sequenti nomen consletur ignoti regis: quod esse *Thrascypolique* Lipsius censuit, nec me judice à vero abhorret. Nam mutilum locum nequaquam esse puto. Perfectus enim ita sensus: Armeniæ pars Thrascypoli, Aristobolo, & Antiocho, ut quæ cuique finitima, data: reliqua tota nimirum Tigrani permissa. *Acidalius.* Multa regum nomina apud omnes perierunt: quædam uni alterive tantum dicuntur, ita ut forte *Nipolis* iste soli Tacito memoratus est: quapropter non dicam maculas hic irrupisse: immo μεταξυλογίᾳ (quam etiam parenthesim dicunt) vulgata sic juvem. *Pars Armeniæ ut cuique finitima (pars Nipolique & Aristobolo atque Antiocho) parere jussæ.* To *jussæ* ex mera significatione rei: nam in plures partes Armenia tunc divisa: Thucyd. ὁ δῆμος ἐν πολλῷ πρὸς ἀλλήλους ἔριδι ἦσαν. i. *populus autem Syracusanorum multum invicem contendebant.* Ad quæ Halicarnasseus. προθεὶς γὰρ ἑνικὸν ὄνομα τὸν δῆμον, ἀπέστρεψε ἀπὸ τούτου τὸν λόγον ἐπὶ τὸ σημαινόμενον πρᾶγμα. i. *præposito enim singulari nomine populum, convertit orationem ad rem significatam.* Eadem poëta: *Pars Scythiam, & rapidum Cretæ veniemus Oaxem.* Verum non parum turbat illa prima conjunctio *Nipolique.* Tu tamen haud ignoras conjunctiones magnum quid facere in compositione. Phaler. οἱ μὲν σύνδεσμοι τὴν σύνθεσιν μεγαλοπρεπῆ ποιοῦσι. i. *conjunctiones autem structuram magnificam reddunt.* scisque τὴν μεγαλοπρέπειαν nostro in deliciis esse: cujus Thucydides ejusmodi commodavit. ἀφικομένων τῶν τελευταίων πρέσβεων ἐκ Λακεδαίμονος, Ῥαμφίου τε, καὶ Μελησίππου καὶ Ἀγησάνδρου. Sed quid moror externa? Terent. Adelph. *quod mihique, heraque, filiæque herili est.* Tac. lib. 1. ann. *Dum Augustus ætate validus, seque & domum & pacem sustentavit.* Salinerius. Bene videntur à Lipsio restituta *pars Armeniæ ut cuique finitima, Trascypolique,* &c. *Freinshemius.* At ego divinabam: *Pars Armeniæ, ut cuique finitima, Pharasmani Polemonique & Aristobulo atque Antiocho parere jussæ sunt.* Iberus est Pharasmanes jamdudum per filium Rhadamistum insidiatus fratris Mithridatis regno, Armeniæ: unde cum absterreretur à Romanis, partim ut horum gratiam mereretur, partim proprio metu filium interfecit, & ex eo adversus Tiridatem Corbuloni militavit. Vide nostrum lib. 12, 44. &c. Item lib. 13, 37. ubi & mentio de Antiocho, quemadmodum sæpius alibi. Po-

Ffff 2 lemo

271 in Syriam abscessit, morte Umidii legati vacuam, ac sibi permissam. Eodem anno ex illustribus Asiæ urbibus, Laodicea tremore terræ prolapsa, nullo à nobis remedio, propriis opibus revaluit. At in Italia vetus opidum, [2] Puteoli, jus Coloniæ,

lemo notissimus rex Ponti, Josepho *Κιλικίας*, lib. ant. 2, 56. & 3. hist. 47. commemoratur. Aristobulus lib. 13. 7. Josephus lib. 20, 5. *Τὴν Μικρᾶς Ἀρμενίας προσηγορίαν Ἀριστόβουλος, Ἡρώδου τῆς Χαλκίδος βασιλέως παῖς, ὑπὸ Νέρωνος ἐγχειρίζεται.* Gronovius.

1 *In Syriam abscessit*] Ita emendavit Lipsius. Male antea, *accessit*. Pichena.

2 *Puteoli jus coloniæ*] Puteoli, ais, adipiscuntur jus coloniæ? Ego vero advocationem peto, ut deliberem. Nonne enim jampridem id opidum eo jure? Liquet ex Livio, Vellejoque, qui coloniam Puteolis deductam volunt anno urbis DLX. P. Scipione Africano II. Ti. Sempronio Coss. Sed & lapides testantur hodie: AB COLONIA. DEDVCTA. ANNO. XC. *&*, ÆDILIS. COLON. PVTEOLANORVM. *&*, GENIO. COLONIÆ. PVTEOLANORVM. An colonis eorumque posteris intermortuis, colonia esse desiit? an tempore interjecto transiit ad municipale jus? Ciceronis certe ævo municipium fuit, non colonia. Oratione pro M. Cælio: *Nam quod est objectum municipibus adolescentem non esse probatum suis, nemini umquam præsenti Puteolani majorem honorem habuerunt*, &c. Concutit me tamen iterum Frontinus in Catalogo coloniarum, cujus verba è manuscripto, *Puteoli, colonia Augusta. Augustus deduxit. ex uno latere iter populo debetur ped. xxx. Ager ejus in jugeribus veteranis & Tribunis legionariis est adsignatus.* Colonia ergo adhuc recenti ævo. Recreat Agellius lib. XVI. cap. XIII. qui ostendit sæpe commutari solere colonias in municipia, & contra. Nisi tamen Cornelii verbis ea vis, ut velit universum opidum incolasque (plures autem inquilini ejus loci, ob commercia & mare) præter eos qui restabant ex colonis Augustæis, colonico jure donatos. Et sane duplex hoc genus hominum in coloniis fuisse, è Cicerone clarum, pro Sulla: ubi dissidia etiam inter Pompejanos (ii erant cives veteres) colonosque recenset. Quem vide. Alterum horum nisi sit, tu videris: mea in his salebris hæret navis.

ADD. Placet eruditissimo nostro Pighio truncum locum esse, ob caussas quas in Commentario dixi. Itaque supplet voce addita, *Puteoli novum jus coloniæ.* (In Herc. Prodic.) Ipsum vide. Nam nos sententia nostra non demovemur, quam in extrema Nota posuimus, de toto opido in coloniæ jus nunc translato. *Lipsius.*

Puteoli jus coloniæ & cognomentum à Nerone adipiscuntur] In fragmentis Julii Frontini ita legitur: *Puteolis colonia Augusta. Augustus Nero deduxit*, &c. Cognomentum igitur Augustæ acceperat Puteolorum colonia, à Nerone. *Alciatus.* Primo dicta fuit Dicæarchia, deinde Puteoli, postremo à Nerone impetravit jus & cognomentum Coloniæ. Aliud est autem, habere *jus Coloniæ*, aliud *esse Coloniam.* Vicus enim Paravicensium à divo Severo jus Coloniæ impetravit (autor Ulpianus) hoc est, ut immunitatem haberet Coloniæ, etiam milite colonove non deducto. Sed Colonias eas cognominabant, quæ deducebantur: illisque interdum concedebatur, ut juris Italici essent, interdum minime. Puteolis ergo dedit Nero, ut Colonia cognominaretur, nulla deductione facta: & immunitatem jusque haberet Coloniæ. Quod si cognomentum ad Neronem referas, *Neronia colonia* dicta fuisset, quemadmodum post incendium Romam nuncupare decrevit *Neropolim*, & Aprilem mensem *Neronium*, auctoribus Cornelio & Tranquillo: cum tamen *Neronium* cognomentum ejus oppidi nusquam legatur. Idem supra de Londino, *Cognomento quidem Coloniæ non insigne:* h. e. ut Colonia diceretur. Præterea apud hunc non legimus deductionem militum, aut aliquid præterea simile: cum tradat, veteranos adscriptos Tarentum & Antium. *Ferretus.* In Italiæ regione Campania, Cumæorum emporium Dicæarchia, sic ab justo imperio dicta fuit, ubi deinde Puteoli colonia: de qua Livius lib 34. Facit ex marmore Puteolano sic exscriptum, *ab colonia, deducta anno.* xc. *N. Fufidio. N. F. M. Fullio. duo vir. P. Rutilio. Cn. Mallio. Coss.* à quibus retroducta ratio cum Livio aptissime convenit: adeo ut nulla jam occasio dubitandi apud Vellejum superesse videatur, ubi de M. Fulvii Nobilioris, Cn. Manlii Volsonis consulatu tractans, priore lib. sic habet: *Eodem temporum tractu, quamquam apud quosdam ambigitur, Puteolos Salernumque & Buxentum missi coloni.* Fuerat autem Puteolos ante quinquennium colonia deducta, quam Fulvius & Manlius gererent una consulatum. Sane si Romana colonia Puteoli, uti profecto est, non satis scio, quid causæ sit, cur jus coloniæ & cognomentum à Nerone adipisci voluerit? Cum præsertim id ademptum Puteolanis minime constet. Verum liber de Coloniis: *Puteoli colonia Augusta, Augustus deduxit*, &c. Quæ ita quoque scripta legit Volaterranus Geographiæ lib. 6. at Alciatus sic retulit, *Puteolis col. Augusta. Augustus Nero deduxit.* Ego ex Lud. Miræi chirographo produxi, quæ mihi sunt: & verendum ne quisquis auctor illius libelli fuerit, *Augusti* vocabulo potius Octavium intellexerit, quam Neronem; illum enim idem ita sæpe, hunc *Neronem* vel *Claudium* vel *Cæsarem* frequenter nominat. Quo magis putem Alciatum hujus nomen addidisse de suo. Quod si Cæsarianis militibus Puteolanus ager assignatus est, ne possessoribus ademptus dicatur, infrequentiæ locorum subventurum novis legibus novam coloniam deduxisse Augustum probabile est; cum è veteribus colo-

niæ, & cognomentum à Nerone [1] apiſcuntur. [2] Veterani Tarentum & Antium adſcripti, non tamen infrequentiæ locorum ſubvenere, dilapſis pluribus in provincias, in quibus ſtipendia expleverant: [3] neque conjugiis ſuſcipiendis, neque alendis liberis ſueti, orbas ſine poſteris domos relinquebant. [4] Non enim, ut olim, univerſæ legiones deducebantur cum tribunis & centurionibus, & ſuis cujuſque ordinis militibus, ut conſenſu & caritate rempublicam efficerent; ſed ignoti inter ſe, diverſis manipulis, ſine rectore, ſine affectibus mutuis, quaſi ex alio genere mortalium repente in unum collecti, numerus magis quam colonia. Comitia prætorum arbitrio 28
ſenatus haberi ſolita, quod acriore ambitu exarſerant, princeps compoſuit, tris qui ſupra numerum petebant, legioni præficiendo. [5] Auxitque patrum honorem, ſtatuen-

colonis nemo ſuperſtes foret. qui jus Rom. civitatis ex lege coloniæ veteris habuiſſet. Sed ſi res ita ſe habet, Puteolis colonia Auguſtalis eſt, quid igitur ſibi voluit, eum jus coloniæ & eognomentum a Nerone poſtulavit? circa dubitationem hane tollendam deficit ingenium. Potuit enim eoloniæ jus petere vicus, municipium: colonia non debuit: niſi ejuſmodi eſſet, quæ ot ait Ulpian. 1. de Cenſibus, *nihil præter colonia nudum nomen haberet.* At vix eſt ut in Italia fuerit colonia, quæ jus, ne dicam eoloniæ, Italieum non habuerit. Subtiliores viderint; neque enim me pudet in re præſertim non protrita illud neſcire confiteri. De cognomine tentari poteſt, fueritne *ut colonia Agrippina*, ſie *colonia Neroniana:* qualiter Veronæ inſcriptum legimus, *Colonia. Auguſta. Verona. Nova. Galliana. Valeriano.* II. *& Lucillio Coſſ.* Vertranius.

1 *Apiſcuntur*] Ita diſerte habet codex Mediceus, non *adipiſcuntur*, ut editiones, & corrupti manuſcripti. Mira tamen illis ſcribis adſuit inconſtantia, quum cap. 36. teneant *adipiſcerentur*. Jac. Gronovius.

2 *Veterani Tarentum & Antium adſcripti*] Lectio codicis veteris, *Veterani Tarentum aſſcripti.* Rhenanus. Corvinianus liber *Antii* non meminit: ſed vulgaris lectio Tranquillum fautorem habet, ubi de Nerone inquit: *Antium coloniam deduxit, adſcriptis veteranis è prætorio, additiſque per domicilii tranſlationem ditiſſimis primipilarium, ubi & portum operis ſumptuoſiſſimi fecit.* Vertranius.

3 *Neque conjugiis ſuſcipiendis*] Milites itaque olim ſine uxore ut apparet. nec ritu, ſed lege id vetitum ait Dio lib. LX. *Τοῖς στρατευομένοις ἐπειδὴ γυναῖκας οὐκ ἐδύναντο ἔκ γε τῶν νόμων ἔχειν, τὰ τῶν γεγαμηκότων δικαιώματα ἔδωκε.* id eſt: *Militibus quoniam ex legibus uxorem habere non poterant, jura indulſit maritorum.* Reſolviſſe hoc jus Severus Imp. videtur, ſi recte capio Herodianum lib. III. *Τοῖς στρατιώταις*, inquit, *πολλὰ συνεχώρησεν, ἃ μὴ πρότερον εἶχον. Καὶ δακτυλίοις χρυσοῖς χρῆσθαι ἐπέτρεψε, γυναιξί τε συνοικεῖν.* Certè enim de conjugio legitimo capiendum videtur. quia contubernii militibus, opinor, ſemper jus. A Junone arcebant eos, non a Venere Romanæ leges. Teſtis Livius lib XLIII. qui quattuor millia hominum à Senatu petiiſſe opidum ubi habitarent, ait: qui nati in Hiſpaniis ex militibus Romanis, & mulieribus Hiſpanis, cum quibus nullum connubii jus. Imò peregrini milites. id eſt, non cives, non amieas modo habuiſſe videntur. ſed uxores. niſi me inducunt fruſtra tabulæ Veſpaſiani & Domitiani ævo: quibus inſculptum *civitatem datam militibus è claſſe Ravennate & cohortis* III. *Alpinorum itemque connubium cum uxoribus, quas tunc habuiſſent, cum eſt civitas eis data, aut quas poſtea duxiſſent.* Tamen pugnat in eam ſententiam Tertullianus, qui ſuo etiam ævo cælibes fuiſſe milites oſtendit. Ævum autem ejus, ſub Severi. ait in exhortatione ad Caſtitatem: *Scilicet ſolis maritorum domibus bene eſt? Perierunt cælibum familiæ, ſpadonum, militum, aut peregrinantium ſine uxoribus? Non enim & nos milites ſumus?* Severi ergo permiſſus aut ad Prætorianos tantum pertinuit: aut verba arte capienda, ut tantum permiſerit *συνοικεῖν γυναιξί*, cohabitare feminis, ſub eodem tecto agere. & contubernales habere, non legitimas uxores. Sed non repugnat, inquies, toti huic ſententiæ Livius, qui diſertè uxores militibus attribuit? Ut ecce lib. XXI. in Scipionis exhortatione ad milites: *Unuſquiſque ſe non corpus ſuum, ſed conjugem ac liberos armis protegere putet.* Et alibi. Reſpondeo. Temporaneam tunc (bello Punico ſecundo) militiam fuiſſe, nec legibus ſuis, ut poſtea, devinctam. Capiebantur, mittebanturque milites, non pro ſtipendiorum tempore, ſed bellorum. At perpetua & firma XXV. annorum militia inſtituta, hoc quoque inductum de cælibatu. Sane etiam Juriſconſulti hac cauſſa, cauſſam ſolvendi matrimonii militiam numerant. L. LX. *Bona gratia diſſolvi matrimonium illud dicitur, quod propter ſacerdotium, ſterilitatem, valetudinem, militiam, retineri non poteſt.* Lipſius.

4 *Non enim, ut olim, univerſæ legiones*] Exprimit deductionem veterem Hyginus: *Multis legionibus contigit bellum feliciter tranſigere, & ad laborioſam agricolturæ requiem primo tirocinii gradu pervenire. Nam cum ſignis & aquila & primis ordinibus ac tribunis deducebantur.* Idem.

5 *Auxitque patrum honorem*] Notabilis locus hic eſt, de pœna temere appellantium, pragmaticis ſæpius cognita quam vellent. Sed non ſolum quo Tacitus ait, verum & alio modo patrum hono-

tuendo *ut qui* [1] *à privatis judicibus ad senatum provocavissent, ejusdem pecuniæ periculum facerent, cujus ii qui imperatorem appellavere.* nam antea vacuum id, solutumque pœna fuerat. Fine anni Vibius Secundus eques Romanus, accusantibus Mauris repetundarum damnatur, atque Italia exigitur; [2] ne graviore pœna afficeretur, [3] Vibii
29 Crispi fratris opibus enixus. [4] Cæsonio Pæto Petronio Turpiliano consulibus, gravis clades in Britannia accepta. In qua neque [5] Avitus legatus, ut memoravi, nisi parta retinuerat, & [6] successor Veranius, modicis excursibus [7] Siluras populatus, quin ultra

rem auctum à Nerone, Sueton. auctor est, ubi cautum scribit, *ut omnes appellationes à judicibus ad Senatum fierent.* Vertranius.

1 *A privatis judicibus ad Senatum*] Lucis caussa, rem appellationum a capite deduxi ad hoc Neronis ævum, in Excvrs. C. atque illinc lucem istis pete. *Lipsius.*

2 *Ne graviore pœna afficeretur*] An ergo in crimine repetundarum pœna gravior, quam relegatio? Attente legas. quia nec relegatio quidem. Olim sane exsilium fuit, & æstimatio, uti Asconius notat in Verrem, & Cicero subindicat non semel: sed secuta lex Julia immutavit. Ex ea pœnam fuisse adfirmo, Amissionem ordinis, & æstimationem: nihil ultra. id est, qui damnatus eo crimine esset, Senatu moveretur, & judices acciperet ad æstimandam litem. Docet Suetonius in Julio, cap. XLIII. *Repetundarum convictos, etiam ordine Senatorio movit.* Sed & hauries ex Tacito infra: *Exin à Cossutio Capitone, qui nuper Senatorium ordinem precibus Tigellini soceri sui receperaverat.* Is autem repetundarum lege damnatus, lib. XIII. Et I. Hist. *Redditus Cadio Rufo, Pedio Blæso senatorius locus, qui repetundarum criminibus sub Claudio aut Nerone ceciderant.* Apertius ex Plinio lib. II. Epist. ubi Marius Priscus, accusantibus Afris, sponte Senatu abiit, & judices petiit, omissa defensione: scilicet quasi ea ratione satisfactum legi. & lib. IV. cum Bassum Bæbius Macer lege repetundarum teneri censuisset; mitigans Cæpio, salva dignitate judices dandos pronuntiavit, id est; uti in Senatu remaneret, facta saltem æstimatione. Vide Epistolas ipsas, & volens favebis sententiæ huic. Ad hac re Suetonianis verbis lumen, Othonis cap. II. *Tantum potentia*, inquit, *valuit, ut damnatum repetundis consularem virum, priusquam plane restitutionem ei impetrasset, non dubitarit in Senatum ad agendas gratias introducere.* Motus enim ille quicumque Senatu erat; sed Otho quasi plane restitutum in Senatum introduxit. Hæc ergo ordinaria pœna: sed gravius & plerumque extra ordinem in id crimen animadversum, pro delicti modo. Atque ea Macri mens leg. VII. Ad leg. Jul. repet. *Hodie ex lege repetundarum extra ordinem puniuntur. & plerumque vel exsilio, vel etiam durius, prout admiserint. quid enim si ob hominem necandum pecuniam acceperint? vel interfecerint innocentem?* Eademque ratione Plinius scripsit, *excessisse Priscum immanitate & sævitia crimina, quibus dari judices possent, cum ob innocentes condemnandos, interficiendos etiam, pecunias accepisset.* lib. II. Epist. XI. Nec aliter capies, quod hic Vibius relegatus est: exsilii etiam pœnam meritus, nisi frater intercessisset. sicut & lib. III. Annal. C. Silano proconsuli Asiæ repetundarum damnato, aqua atque igni interdictum, ob insignem scilicet sævitiam. *Lipsius.*

3 *Favore enixus*] Quidam libri, *opibus enixus.* Idem.

Vibii Crispi fratris opibus enixus] In vet. cod. legitur, *fratris soreribus enixus.* Lego, *Vibii Crispi fratris honoribus enixus.* Rhenanus. Vulgo, *fratris favore enixus.* Flor. mihi viam ad emendationem aperuit. In eo enim corrupte, *frisoribus.* unde restitui, *fratris opibus.* idque clare scriptum reperi in alio recentiori MS. quem deinde contuli, & est phrasis Tacito usitata. ut supra lib. 2. *pulsus haud multo post Hermundurorum opibus.* & alibi pluries. Sic Liv. lib. 5. dixit, duos tribunos pl. creatos, *haud dubie patriciorum opibus.* Imo Tacitus ipse lib. 2. hist. de ejusdem Vibii Crispi opibus. *Vibius Crispus pecunia, potentia, ingenio, inter claros magis quam inter bonos.* Pichena.

4 *Cæsonio Pæto*] Hic infra 15, 6. *Cæsennius Pætus* dicitur. quomodo in eodem nomine qui Floro 4, 2. *Cesennius est*, Dioni lib. 34. & Ciceroni Philipp. 12, 9. *Cesennius* vocatur. quod ideo moneo ne quis ex uno homine duos faciat, ob nominis varietatem, quæ res cum usu creberrime veniat, magnas sæpe tenebras affundit historiis. *Freinshemius.*

5 *Avitus legatus, ut memoravi*] Atqui A. Didium eum vocavit l. XII. & Didium Gallum in Agricolæ vita. Ut ambigere possis num rescribend. *A. Didius.* Plura tamen cognomina habere potuit, more sui sæcli. *Lipsius.* Vide 13. 54.

6 *Successor Veranius*] Ita in libello de vita Agric. Male vulgo, *Verannius.* Pichena.

7 *Silvas populatus*] Emendo, *Siluras populatus.* cum ea enim Britanniæ gente tunc maxime bellum. Consule Tacitum. lib. XII. *Lipsius.*

Silvas populatus] Meo periculo repudia *Siluras.* το enim *populari Silvas* nil aliud est, quam Britannos populari, qui Silvas incolebant. Tacit. in Agric. *Veniunt à lateribus suis extrusi.* Et, *nam ut superasse tantum itineris, Silvas evasisse.* hæc de Agricola, qui (ut Veranius) morte prohibitus non est, quin bellum ulterius proferret. immo cæsis fortissimis in silvis, cæterisque tandem profligatis, aperuit Caledoniam. *Quomodo Silvas* (alloquitur milites, & simillima comparatione in hostes accendit) *saltasque penetrantibus fortissimum quodque animal robore,*

ultra bellum proferret, morte prohibitus est: magna dum vixit severitatis fama, 1 supremis testamenti verbis ambitionis manifestus. quippe multa in Neronem adulatione, addidit, 2 *subjecturum ei provinciam fuisse, si biennio proximo vixisset.* Sed tum Paullinus Suetonius obtinebat Britannos, scientia militiæ, & rumore populi, qui neminem sine æmulo sinit, Corbulonis concertator: receptæque Armeniæ decus æquare 3 domitis perduellibus cupiens. 4 Igitur Monam insulam incolis validam, & receptaculum perfugarum aggredi parat, navesque fabricatur plano alveo, adversus 5 breve litus & incertum. 6 Sic pedes. equites vado secuti, aut altiores inter undas, adnantes equis transmisere. Stabat pro litore diversa acies, densa armis virisque, intercursantibus feminis: in modum Furiarum, veste ferali, 7 crinibus dejectis, faces præ-

re, pavida, & inertia ipso agminis sono pelluntur, sic acerrimi Britannorum jam pridem ceciderunt, reliquus est numerus ignavorum, & metuentium. Cæsar lib. 5. *Cum Silvas impeditas, vallo atque fossa munierunt.* Strab. lib. 4. πόλεις δ' αὐτῶν εἰσὶν οἱ δρυμοί, περιφράξαντες γὰρ δένδρεσι καταβεβλημένοις εὐρυχωρῆ κύκλον, καὶ αὐτοὶ ἐνταῦθα καλυβοποιοῦνται. i. *Eorum autem civitates silva sunt: circumsepientes enim arboribus dejectis latum ambitum, & ipsi tuguria sibi ponunt.* Salinerius. Emendavit Lipsius ex Tacito ipso. Corrupte vulgo, *Siluas.* Pichena. Loquutio vulgata est apud Florum 2, 2. *More ignis, qui obvias populatus incendio silvas* &c. *Jac. Gronovius.*

1 *Supremis testamenti verbis*] Glossematium est τὸ, *verbis.* & statim, *subjecturum ei provinciam fuisse*, lego. capioque Britanniam ipsam quæ nondum perdomita. *Lipsius.*

Supremis testamensi verbis ambitionis manifestus] Lipsius τὸ *verbis* delet: ego cum Mureto etiam *testamenti.* Leg. *Supremis ambitionis manifestus.* Id est, fine vitæ. Lib. 12. *Ne admotus supremis Claudius, & dolo intellecto, ad amorem filii rediret.* Acidalius.

2 *Subjecturum ei provinciam fuisse*] Vulgo, *provincias*, tralatitio errore, de quo supra alias. Vere correxit Lipsius, *provinciam.* nam de Britannia tantum sermo, quæ provinciæ nomine appellabatur. diversæ vero Britannorum nationes, non provinciæ, sed civitates aut populi. *Pichena.*

3 *Domitis perduellibus*] Domitis hostibus: nam *perduelles* veteribus hostes significabant: testes Cicero & JCti. Inde, *Crimen perduellionis*, de cæde; quia cum cive judicio & verbis, cum hoste armis & manu rem gerimus. Ex quo accusatus fuit Horatius perduellionis, quia civem & sororem interfecisset, auctore Livio; & C. Rabirius similiter de cæde: de quo extat oratio Ciceronis pro C. Rabirio, *perduellionis reo.* Mansit autem id nomen in nostris libris in eo capite majestatis, quo tenentur, *qui hostili animo sunt in remp. & Principem:* hoc est, qui cædem principi molitus est: & qui exitium instruxit reip. de quo diffuse scripsi lib. 2. Opinionum. *Ferretus.*

4 *Igitur Monam insulam*] Credo hunc locum esse, quem aspexit Jornandes in Gothicis: *In extrema Britannia parte Memma, quam Cornelius Annalium scriptor narrat.* Corrigo enim, *Mona.* Lipsius.

5 *Breve litus*] Non profundum. *Ferretus.* Delenda plane vox *litus*, Mureti etiam judicio. quam Lipsius prim. edit. abfuisse testatur à suis libris, & quidni, ait. *Breve.* sic dicamus, ut *brevia maris?* Mirum cur hoc postea spreverit. *Brevia* enim hic omnino Tacitus intelligit. *Acidalius.* Et cogor fateri illud substantivum ignorari ab MS. Mediceo. Utique quum lib. 11. dixerit *incerta oceani*, videtur & hoc loco non aliud intellexisse. Etiam lib. 5. hist. 6. *incerta unda superjacta.* Litus illud modo est, modo non est. Et videntur hanc vocem ex vicinis verbis arripuisse *stabat pro litore diversa.* Optime subintelligas *mare.* Jac. Gronovius.

6 *Sic pedites. equites vado secuti*] Ita melius interpunxi. Ait enim, pedites in navibus transvectos: equites vado secuti. *Pichena.* Videtur Tacitus scripsisse *Vada.* pergentes qua vada ducebant. *Gronovius.* Sed mira Pichenæ, qui tam ex propinquo hunc locum tractavit & inspexit, conniventia & aliorum omnium, etiam ipsius Ryckii amara tristitia in supprimenda varietate loquendi, proprio Taciti oblectamento. Nam præclarus ille Mediceus legit *sic pedes; equites* &c. quod certe tam lætum est, ut auctori reddiderim pro vulgato *sic pedites.* Insuper in eodem libro exstat *tramisere*, non *transmisere*, quod & ipsum Taciti est. Quod ad *vada* attinet, ea potuit viro docto Ryckius sine noxa donare; quum ut *vada sequi* nunc ille cupit legere, sic cap. 51. scribat Tacitus *impudicitiam in eo secutus*, etsi id ubique non debeat quæri. Sed & *vado transire* ille æque bene noverat ac Ryckius, si non ex Cæsare, utique ex suo Livio 8, 24. *Incerto vado transiret agmen.* Sed cogitare debuit Ryckius aliam esse aquæ intra terras rationem, aliam maris aut oceani. Rem decidit ipse Tacitus 6. annal. 33. *Cum alios incessus hostis clausisset, unum reliquum, mare inter & extremos Albanorum montes, æstas impediret, quia flatibus etesiarum implentur vada* &c. Ubi statim quoque sequuntur *brevia litorum.* Et *hæsisse in vadis pugnam* circa eundem oceanum scribit Florus 3, 10. *Jac. Gronovius.*

7 *Crinibus dejectis*] Forsan melius *disjectis* vel *rejectis*, Acidalius.

1 *Drui-*

præferebant. [1] Druidæque circum, preces diras ſublatis ad cælum manibus fundentes, novitate aſpectus [2] perculere milites, ut quaſi hærentibus membris, immobile corpus vulneribus præberent. Dein cohortationibus ducis, & ſe ipſi ſtimulantes, ne muliebre & fanaticum agmen paveſcerent, inferunt ſigna, ſternuntque obvios, & igni ſuo involvunt. [3] Præſidium poſthac impoſitum victis, exciſique luci, ſævis ſuperſtitionibus ſacri. nam [4] cruore captivo adolere aras, & hominum fibris conſulere deos fas habebant. Hæc agenti Suetonio, *repentina defectio provinciæ* nuntiatur.

31 Rex Icenorum Praſutagus, [5] longa opulentia clarus, Cæſarem heredem duaſque filias ſcripſerat,

1 *Druidæque circum*] Qui apud Gallos Britannoſque eſſent *Druidæ*, inter cæteros Cæſar lib. 6. Gall. & Amm. Marcellinus lib. 10. tradidere. Plin. 16. c. poſtremo. & 29. 3. & 30. c. 1. Ex his, qui fuerint olim Druidæ, facile colligimus. At in his plures difficultates inſurgunt, præſertim ſi dictis Taciti hoc in loco ea comparemus. Siquidem Tacitus ait, inſtructa acie Britannorum ad pugnandum cum Romanis, Monæ inſulæ incolas Druidas circum adfuiſſe, preces diras ſublatis ad cælum manibus fundentes, & novitate aſpectus militem percellentes; Cæſar contra eos à militia penitus immunes tradit, & à bello abeſſe conſueviſſe. Conciliare poſſumus dicentes. Druidas alioquin à militia vacantes, in extremo tamen ſuorum & patriæ diſcrimine, quum de ſumma rerum ageretur, futuræ pugnæ adfuiſſe, precibus ſuis ſuppetias ferentes, & ad ſtrenue prœliandum animantes; non tamen ipſos armis concurſuros. Alia quoque inſurgit difficultas. Namque Plinius ſcribit Tiberii principatu, *Gallorum Druidas ſublatos.* Contra Sueton. in Claud. 25. tradit, *Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantum civibus ſub Auguſto interdictam, à Claudio penitus abolitam.* Diluitur difficultas vel nullo negotio. Nam dici poteſt, ſub Tiberio quidem magos, inter quos Druidas, connumerari haud dubium eſt, Italia SCto pulſos, quod præter Plinium docuit Tac. 2. Ann. At eos poſtea repullulaſſe Claudio imperante, qui licet eos aboleverit, teſte Suet. nihilominus & poſtea reſurrexiſſe, conſtat ex eodem. Tac. lib. 4. Hiſt. Imperante Veſpaſiano, *poſſeſſionem rerum humanarum Tranſalpinis gentibus portendi ſuperſtitione vana Druidæ canebant.* Quinimo & ſub poſterioribus Imperatoribus eoſdem viguiſſe, manifeſtum eſt, ſcribente Vopiſco in Aureliano. *Dicebat enim, quodam tempore Aurelianum conſuluiſſe Druidas, ſciſcitantem, utrum apud poſteros Imperium permaneret; tum illos reſpondiſſe, dixit: Nullius clarius in rep. nomen, quam Claudii poſterorum futurum.* Idem in Numeriano ſcribit Diocletiano à muliere Druide imperium prædictum. Lampridius in Alex. ita ſcriptum reliquit. *Mulier Druias eunti exclamavit Gallico ſermone, Vadas, nec victoriam ſperes, nec militi tuo credas.* Quod vero Tacitus ſubdit, Britannis Monæ inſulæ debellatis, *exciſos lucos ſævis ſuperſtitionibus ſacros*, Polydori Virgilii Urbinatis de rebus Anglicis ſcribentis, detegit errorem. Nam ipſe Monam antiquorum, de qua Tacitus hoc loco, & Cæſar lib. 6. Gall. Dion Caſſius & Plinius, verba fecere, vocis ſimilitudine deceptus quam *Monariam*, ſeu, ut alii, *Monarinam*, aut *Monaidam*, Ptolomæus appellavit, hodie *Man* vulgo dicunt Angli, eſſe exiſtimavit, quum tamen hæc diſtet à continenti per viginti quinque milliaria. Mona vero, quæ hodiernis temporibus *Anglesey* vocatur, per milliare tantum; quod convenit Taciti dictis, hoc in loco, ex quo Polydori error innoteſcit, præſertim quum in Angleſey, vera, inquam, Mona, trunci innumerabiles & arborum radices paſſim terra obruti inveniantur, quæ reliquiæ ſunt luci exciſi à Paulino Suetonio, cujus rei facit fidem Humfredus Lhuyd. in Epiſt. ad Abrah. Ortelium. De Druidis plura qui ſcire cupiet, adeat Diodorum Siculum lib. 5. Strabonem lib. 4. & 14 & Laertium in proœmio. *Marcellus Donatus.* Qui *Druidas ſublatos* & *Druidarum religionem abolitam tradunt*, non volunt omnem eam diſciplinam extinctam, homines aut exauguratos aut vita privatos, ſed quæ dira & immania erant in illa ſuperſtitione, ut *ἀνθρωποθυσίας*, coercita, ut poterant, & gravibus ſub pœnis vetita eſſe. Atque eo effectum, ut publice dumtaxat & ſine metu judicis ſævis & nefandis cærimoniis uti non liceret. Alios innoxios ritus, quantumvis ſuperſtitioſos, (quin & clam furtimque illa crudelia) retinuiſſe Druidas etiam ſub imperio Romano, & Druidas Galliam, donec Chriſtianiſmus prævaluit, dubitandum non videtur. *Grenovius.*

2 *Perculere milites*] Ita Flor. nam ſequitur, *præberent.* Vulgo, *militem.* Pichena.

3 *Præſidium poſt hac impoſitum victis*] Repoſuimus, *vicis.* Rhenanus. Concordant Flor. & Ven. in voce *victis.* Vulgo, *vicis.* Pichena. Rectius *vicis.* Sic appellat, quæ habebant pro captu gentis oppida. *Vici* Marſorum lib. 1. ann. 50. Adde quæ ſcripſimus 2. Obſervat. 20. *Grenovius.*

4 *Cruore captivo adolere aras*] De hac Britannis, Gallis, Germanis, communi immanitate, dicam ad libellum De moribus Germaniæ. *Lipſius.*

5 *Longa opulentia clarus*] Scribo, *longe.* ut ſit, longe notum clarumque fuiſſe, propter opes. Iceni autem in libris ſcriptis, Tigeni ſunt. *Idem.*

Longa opulentia clarus] Lipſius *longe.* At fortaſſe non abſurde dicitur, *opulentia longa*, id eſt diuturna, ſeu veteri & antiqua, ad differentiam recentis & novæ. infra eodem libro, *Simul longa ſenecta,*

ſimul

scripserat, tali obsequio ratus [1] regnum & domum suam procul injuria fore: quod contra vertit; adeo ut regnum per centuriones, domus per servos, velut capta vastarentur. Jam primum uxor ejus [2] Boudicea verberibus affecta, & filiæ stupro violatæ sunt. Præcipui quique Icenorum, quasi cunctam regionem muneri accepissent, avitis bonis exuuntur, & propinqui regis inter mancipia habebantur. Qua contumelia & metu graviorum (quando in formam provinciæ cesserant) rapiunt arma, [3] commotis ad rebellationem Trinobantibus, & qui alii nondum [4] servitio facti, resumere libertatem occultis conjurationibus pepigerant, acerrimo in veteranos odio. quippe in coloniam Camulodunum recens deducti, pellebant domibus, exturbabant agris, captivos, servos appellando: foventibus impotentiam veteranorum militibus, similitudine vitæ, & spe ejusdem licentiæ. Ad hæc [5] templum divo Claudio constitutum, [6] quasi arx æternæ dominationis aspiciebatur; [7] delectique sacerdotes specie religionis omnes fortunas effundebant. Nec arduum videbatur, exscindere coloniam nullis munimentis septam: quod ducibus nostris parum provisum erat, dum amœnitati prius quam usui consulitur. Inter quæ nulla palam caussa delapsum Ca- 32
mulo-

simul orbitate & pecunia insidiis obnoxius, & in fine: *quod immensam pecuniam longa senecta detineret.* De Augusto dixit lib. 1. *principem longa potentia.* De Tiberio. *principem longa experientia.* Pichena. Nihil opus refingere vocem *longa.* Ita enim vocat opes multo tempore coacervatas. Sic supra 12, 29. *Vis innumera Lygii aliaeque gentes adventabant, fama ditis regni, quod Vannius triginta per annos prædationibus & vectigalibus auxerat.* Gruterus.

1 *Regnum & domum suam*] Quanto gravius & Tacito convenientius in Mediceo? *regnumque & domum suam.* Non dissimile fuit 6, 33. *Jac. Gronovius.*

2 *Boodicia*] Dioni, *Βουδουίκα* est: Tacito infra, *Boudicea*; in vita Agricolæ, *Voadica*, scriptum. Est illa, quam perplexe Gildas, *Leænam dolosam*, appellat, *quæ rectores sibi relictos trucidavit.* Lipsius.

Uxor Boodicia] Mox proprium hujus nomen erit, *Boudicea*, quæ Dioni & Xiphilino *Baudaica*, & Cornelio in Agricola *Voadica*: adeo in nomine barbaro jure Latii donando, non auctores inter se dissimiles tantum, sed ipse Tacitus sui dissimillimus est. *Vertranius.* Addidi vocem, *ejus*, licet non necessariam, quia in Flor. extat. *uxor ejus Boudicea.* Pichena.

3 *Commotis ad rebellationem Trinobantibus*] Sic Flor. vulgo, *ad rebellionem.* proba enim vox *rebellatio*, & à Valerio Maximo non semel usurpata. *Idem.*

4 *Servitio assuefacti*] Scripta veraque lectio, *servitio facti.* Lipsius.

Nondum servitia facti] A Flor. etiam confirmatur verbum, *facti.* Vulgo. *assuefacti.* Sic Cicer. Off. lib. 1. *Neque enim ita generati à natura sumus, ut ad ludum & jocum facti esse videamur.* Livius lib. 1. *factus ad imitationem stultitiæ.* Tacitus etiam infra eodem lib. *factus natura & consuetudine exercitus.* Pichena.

5 *Templum divo Claudio*] De eo Seneca in Menippæa. *Parum est quod templum in Britannia habet, quod nunc* (lego, *hunc*) *barbari colunt & ut deum orant.* Quod in Tacito est, *ara dominationis*; libenter scripserim, *arra.* quasi id templum pignus & arrabo æternæ servitutis. Quamquam & Aras sane habuisse Claudium in Britannia fateor: Poëta ejus ævi ad ipsum:

Oceanusque tuas ultra se respicit aras.
Qui finis mundo est, non erit imperio.

Nec tamen hic in Tacito, Templum ideo dixeris Aram. *Lipsius.*

6 *Quasi ara alterna dominationis aspiciebatur*] Lipsius, *arra.* quid si *arx?* Nam & Romæ templum Capitolinum dictum nomine *Arcis*: & Athenis *ἀκρόπολις*, templum Minervæ. *Acidalius.* Hic etiam conjecturam meam Socer meus præferendam credidit vulgatæ lectioni; *quasi ara.* cujus vitium & Lipsius odoratus, *arram* scribere maluit. Sed revera *arx* fuit: quod tam ex affinitate scripturæ, quam rationibus clarum; nam *arx* dicitur cujusque vel rei, vel negotii, omne id, in quo maximum ejus rei negotiive munimentum consistit. Sic infra H. 3, 13. *classem arcem commeatuum* vocat. H. 3, 70. *palatium ipsam imperii arcem.* Sic igitur templum illud *arcem dominationis* putaverunt Britanni: præsertim cum ipsa quoque externa species accederet. nam ut patet ex seq. cap. etiam munitum quodammodo fuit. Cum etiam alias solitum sit appellari *arces*, domus quascunque speciosiores, in loco celebri aut excesso sitas, quomodo infra 15, 69. Nero Vestino iratus *jubet occupari velut arcem ejus, quia Vestinus imminentes foro ædes habebat.* Sic apud Liv. 2, 7. Cum Valerius in summa Velia ædificaret, quidam in invidiam ejus jactant: *ibi alto atque munito loco arcem inexpugnabilem facere.* Pertinet etiam huc locus infra in vita Agricolæ 16, 11. Nam ut hic templum *arx servitutis*, sic ibi coloniæ *sedes servitutis* appellantur. *Freinshemius.*

7 *Delectique sacerdotes*] Legebantur enim Pontifices Flaminesque Claudio, ex provincialibus ipsis:

Gggg qui-

muloduni simulacrum Victoriæ, ac retro conversum, quasi cederet hostibus. Et [1] feminæ in furore turbatæ *adesse exitium* canebant. [2] Externosque fremitus in curia eorum auditos, consonuisse ululatibus theatrum; [3] visamque speciem in æstuario Tamesæ [4] subversæ coloniæ; jam Oceanum cruento aspectu; dilabente æstu, humanorum corporum effigies relictas, ut Britanni ad spem, ita veterani ad metum trahebant. Sed quia procul Suetonius aberat, petivere à Cato Deciano procuratore auxilium. Ille haud amplius quam ducentos [5] sine justis armis misit: & inerat modica militum [6] manus,

tutela

quibus in sacra victimasque ejus divi multi faciendi sumptus. Vide Arriani verba, quæ adduxi lib. 5. *Lipsius.*

1 *Femina in furore turbata*] Faernus legebat: *femina in furorem turbata.* Ursinus. Miror tam vana & prorsus incongrua eleganti calamo, unde formamur. Et aliud simile potes scitari ex codice Ryckii. Sed docte prorsus *femine in furore* dicuntur, ut *miles in hasta*, & 4. hist. 3. *Servus patibulo affixus in iisdem annulis.* Quodammodo accedit 14, 55. *Nec mihi tela & manus tua defuissent in armis agenti.* Denique idem est 16, 28. *Qui Thraseam desciscentem, qui generum ejus Helvidium Priscum in iisdem furoribus eludere impune sinerent.* *Turbare* autem nunc sumitur, ut 4, 22. *Turbata mente respondit* &c. *Jac. Gronovius.*

2 *Externosque fremitus in curia eorum auditos, consonuisse ululatibus theatrum*] Prodigia eadem recenset Dio: Ἔκ τε τοῦ βουλευτηρίου θροῦς νυκτὸς βαρβαρικὸς μετὰ γέλωτος, καὶ ἐκ τοῦ θεάτρου θόρυβος μετ' οἰμωγῆς ἐξῄκουε: *E curia fremitus barbaricus nocte cum risu auditus, & è theatro tumultus cum ululatu.* Lipsius.

Externosque fremitus] Legerim, *externos quippe fremitus.* Acidalius.

3 *Visamque speciem in æstuario*] Quam speciem? aliquid deest, aut latet. In Dione hoc editur, statim post illa dicta: Οἰκίαι τέ τινες ἐν τῷ Ταμέσᾳ ποταμῷ ἔφυδροι ἑωρῶντο: *Domus etiam aliquæ in Tamesi sub aquis erant visa.* Ergo legebam: *visamque ædium speciem.* Sed enimvero Pichena in Florentino esse asserit: *in æstuario tam esa subversa colonia.* Itaque nihil verius, quam quod sentit, *Tamesa* scribendum. Nimirum species subversæ coloniæ, quæ apparuerat, signum erat evertendæ: & hæ sunt istæ Dionis ædes, sed subversæ, dirutæ, incensæ. *Lipsius.*

4 *Notam esse subversa colonia*] Vitio non assignem τὸ *subvertenda* doctissimi viri castigationem: verum vulgata non deleo, nisi cum jam fuerit conclamatum. *Subversa* pro *subvertenda* ut ἀπωλόμην loco ἀπόλλυμαι, quia ἐναργέστερον αὐτῇ τῇ συντελείᾳ ἐστί. i. *quia evidentius est propter ipsam perfectionem.* ut ait Phalereus. Plaut. Pœn. *jam hercle tu peristi, nisi illam mihi tam tranquillam facis, Quam mare est olim cum ibi alcedo pullos educit suos.* Noster de Messalina adhuc viva: *suadebat ne percussorem opperiretur, transisse vita.* Vel malus ille dæmon, simius (pro viribus) prophetarum, usurpat eosdem dicendi modos. Ille enim, *filia Babylonis vastata* Psal. 138. de Babylone à Dario Medo & à Cyro Persa vastanda. Ad hanc faciem quoque fœmina illa sapiens verba facit cum Joab Davidis duce: *ecce caput ejus projectum ad te,* 2 Reg. 20. Loquitur de Seba, qui nondum fuerat capite truncatus. *Salinerius.* Muretus mutaverat, *visamque speciem mæstam subversa colonia.* At Lipsius ex Dione, *visamque ædium speciem in æstuario notam esse subvertenda colonia.* Ex eisdem Dionis verbis liceat & mihi nulla insigni mutatione proxime ad vestigia vulgatæ lectionis rescribere: *visamque speciem in æstuario nomine Tamesa, submersa colonia.* quod etsi plane cum Dione non consentit, Tacitum tamen sic scripsisse ego non dubito. *Acidalius.* Correxi: *visamque speciem in æstuario Tamesa subversa colonia.* Facem mihi ad correctionem hanc, prætulit Flor. qui habet, *in æstuario tam esa.* Notus enim Tamesis fluvius, apud Britannos hodie quoque inclitus. atque ab ejus ore sive æstuario, non longe aberat colonia Camalodunum. Recte ergo ait, visam fuisse speciem subversæ coloniæ, quam prodigium subvertendæ. *Pichena.* Quod in capite 6. ostendi me facere posse, ut sub variis antecedentibus aliquid ad gratiam sequentium intelligam, id nunc quoque usu veniet, siquidem Tacitum legere placuerit. Omnino tale quid necessarium esse ad integritatem huic loco reddendam concedes opinor, ubi intellexeris in MS. Mediceo legi non *oceanum*, sed *oceanus*; non *relictas*, sed *relicta*; non *trahebant*, sed *trahebantur.* Credo similiter legi in quibuscunque aliis libris, ut certe duas posteriores habet liber Oxoniensis. Itaque locum divine in Geographia restitutum ab Pichena sic lego. *canebant; externosque fremitus in curia eorum auditos, consonuisse ululatibus theatrum, visamque speciem in æstuario Tamesa subversa colonia* (nempe vel ipsæ illæ feminæ vel alii vates interpretabantur in pejus) *Jam oceanus cruento aspectu; dilabente æstu humanorum corporum effigies relicta, ut Britannis ad spem, ita veteranis ad metum trahebantur.* Jac. Gronovius.

5 *Sine justis armis*] Non plane armatos: erant enim alia alarum, alia legionum arma. *Ferretius.*

6 *Manus, tutela templi freti. Et impedientibus*] Apparet ex hac distinctione, sensum auctoris hactenus assequutos non esse editores, alias enim sic interpunxissent: *manus. Tutela templi freti & impedientibus* &c. nimirum duæ caussæ proponuntur negligentiæ & incuriæ veteranorum istorum, quarum singulæ singulis effectibus respondent; *neque*

fossam

tutela templi freti. Et impedientibus [1] qui occulti rebellionis conscii consilia turba-
bant, neque [2] fossam aut vallum præduxerunt, [3] neque motis senibus & feminis ju-
ventus sola [4] restitit: quasi media pace incauti, multitudine barbarorum circumve-
niuntur. Et cetera quidem impetu direpta, aut incensa sunt. templum in quo se
miles conglobaverat, biduo obsessum, expugnatumque. Et victor Britannus [5] Pe-
tilio Ceriali legato legionis nonæ in subsidium adventanti obvius, fudit legionem, &
quod peditum interfecit. Cerialis cum equitibus evasit in castra, & munimentis de-
fensus est. Qua clade & odiis provinciæ, quam avaritia in bellum egerat, trepidus
procurator Catus in Galliam transiit. At Suetonius mira constantia [6] medios inter 33
hostes [7] Londinium perrexit, cognomento quidem coloniæ non insigne, sed [8] copia
negotiatorum & commeatuum maxime celebre. ibi ambiguus an illam sedem bello
deligeret, circumspecta infrequentia militis, satisque magnis documentis temeritatem
Petilii coërcitam, unius oppidi damno servare universa statuit. Neque fletu & lacrymis
auxilium ejus orantium flexus est, [9] quin daret profectionis signum, & comitantes in
partem agminis acciperet. Si quos imbellis sexus, aut fessa ætas, vel loci dulcedo atti-
nuerat, ab hoste oppressi sunt. [10] Eadem clades municipio Verulamio fuit, quia
barbari [11] omissis castellis præsidiisque militarium, [12] quod uberrimum spolianti,
&

fossam aut vallum præduxerant, nempe, *tutela templi freti. neque motis senibus* &c. nempe *impedientibus qui occulti rebellionis conscii consilia turbabant.* Freinshemius. *Tutela* (video enim non omnes capere, ut oportebat) hic septum est & aliqua non magni operis munitio. Sic Varro lib. 1. de re rust. 14. *Nunc de septis, quæ tuendi causa fundi aut partis fiant dicam. Earum tutelarum genera quatuor.* Gronovius. Rectissime: sed quod patet melius ex Græca voce περίβολος, quæ ex origine sua declarat istam tutelam, qualis fuerit. Habes lege 39. §. 1. de Religiosis. *Munimentum sepulchri uti leges.* Jac. Gronovius.

1 *Qui occultè rebellionis conscii consilia turbabant*] Sic Florent. Male vulgo, *occulta rebellionis.* nam rebellio non jam occulta erat, ut ex superioribus patet, sed conscii. *Pichena.*

2 *Fossam aut vallum produxerunt*] Scripsimus, *præduxerunt.* Item paulo post, *in Galliam transiit.* Rhenanus.

3 *Neque motis senibus*] Faernus restituebat legebatque, *Neque amotis senibus.* Ursinus.

4 *Restitit: quasi media pace incauti*] Puto inserendum: *restitit. Ita quasi media pace incauti.* Acidalius.

5 *Paeo Ceriali*] Scribe, *Petilio.* Ita enim statim dicitur: estque ille qui bellum Germanicum sub Vespasiano administravit. *Lipsius.*

Petilio Ceriali legato legionis nonæ] Ita reposui, monente Lipsio, & historia ipsa. vulgo, *Paeo Ceriali.* nam & paulo infra ait, *temeritatem Petilii coercitam.* Pichena.

6 *Medius inter hostes*] Emendavimus, *medios inter hostes.* Rhenanus.

7 *Londinium copia negotiatorum*] Etiam hodie, eoque nomine Princeps Britanniæ urbs. Commeatum proprie accipit, uti Suetonius, Neronis cap. xx. *Alexandrini qui de novo commeatu Neapolim confluxerat:* Græcis κατάπλους. Ammianus lib. xxvii. de hac urbe: *Londinum vetus opidum, quod Augustam posteritas appellavit.* Lipsius.

8 *Copia negotiatorum, & commeatuum maxime celebre*] Ex Florent. ita restitui. Vulgo, *commeatu.* Pichena.

9 *Quin daret profectionis signum, & comitantes in partem agminis acciperet*] Et sententia, & orationis structura melior erit, si cum sequentibus ita hæc nectuntur: *quin d. p. signum. Et comitantes in partem agminis acceperat.* Acidalius.

10 *Eadem clades municipio Verulamio fuit,* &c] Sensus est, Barbari municipiis, quæ nullo milite defenderentur, imminebant. at castella præsidiaque Romanorum omittebant. Expone, *& aliorum*, hoc est. *etiam aliorum*, scil. municipiorum insignes prædas petebant. *Rhenanus.*

11 *Omissis castellis præsidiisque militarium*] Corrigit Muretus, *militum.* ego mallem *militaribus.* forte scriptum erat *militaribus*, unde facilis error. *Pichena.*

12 *Quod uberrimum spolianti*] Corruptum locum esse & fatentur viri docti, & multa arguunt; maxime, quod *spolianti* præsenti dixit, mox alio tempore *petebant.* Manuduxit me ad veram lectionem monitio Lipsii, qui, *defendentibus intutum*, ex libris retulit. Itaque rescribo; *quod uberrimum spolianti, & defendentibus intutum, læti præda, aliorum segnes, petebant.* Alacres nimirum ad prædam, segnes ad cetera: eo castellis ac præsidiis militarium omissis, eunt ad municipia vacua defensoribus, spoliis uberrima. *Mercerus.* Reponit Lipsius scriptam lectionem, *& defendentibus intutum.* Recte. at sequentia per me, inquit, in mendo manent. Etiam præcedentia, ô bone. Nos totum locum sic per-

¹ & defendentibus intutum, læti præda, ² & aliorum segnes petebant. Ad ³ septuaginta millia civium & sociorum, iis quæ memoravi locis, ⁴ cecidisse constitit. neque enim capere aut venundare, aliudve quod belli commercium, sed cædes, ⁵ patibula, ignes, cruces, ⁶ tanquam redditurі supplicium, ac prærepta interim ul-
34 tione, festinabant. Jam Suetonio ⁷ quartadecima legio cum vexillariis vicesimanis, &

sanamus, *quod uberrimum spoliantibus, & defendentibus intutum, læti præda, & aliorum segnes, petebant.* Clarissima elegantissimaque sententia. Vox *segnis* eodem usurpatur modo lib. 16. *Inquies animo, & occasionum haud segnis.* Acidalius.

1 *Et deferentes in tutum*] Repone lectionem scriptam, *& defendentibus intutum*, quæ in prima recensione, mea culpa me fugit. Cetera etiam Mercerus ingeniose sic concinnat: *quod uberrimum spolianti, & defendentibus intutum, læti præda & aliorum segnes, petebant.* Alacres ad prædam, segnes ad cetera. Mihi tamen probaretur, *& laborum segnes.* Lipsius.

Et deferentes in tutum, læti præda, & aliorum insignes petebant] Possumus absque castigationibus hæc interpretari. Barbari Verulamium populantur præsidiis non firmatum, spoliisque depositis in loca tutiora, sese accingunt ad municipia ejus generis diripienda læti copia prædæ & clarissimi Britannorum ob tot felices eventus. Sic inter Germanos Frisii post cædem Romanorum lib. 4. ann. *Clarum inde inter Germanos Frisiorum nomen dissimulante Tiberio damna, ne cui bellum permitteret.* At positivum pro superlativo accipiendum est, ut contra fit. Plutarch in Hom. ποτὲ δὲ τὸ ὑπερθετικὸν ἀντὶ τοῦ ἁπλοῦ, ὡς τὸ δικαιότατος κενταύρων. i. *aliquando superlativum pro simplici ut istud, justissimus centaurorum.* Sane Plautus id usurpat vice comparativi. Mostell. *speculo claras clarorem merum.* Vel *insignes aliorum* pro *insignes aliis*, nempe gloria famaque fusæ legionis, totque successuum. Tertull. de pall. *Physconem & Sardanapalum tacendum qui nisi insignes libidinum alias reges nemo nosset.* quæ Tertulliana mutuavi à doctiss. viro. Ad ultimum adtexere libet τὸ μεγαλοπρεπὲς hic à Tacito neglectum non fuisse *spolians*, deinde *petebant*. Exemplo Thucydides sit lib. 3. qui dicto λιποψυχήσαντα. i. *animi defectu captus est.* Non addit καὶ ἔπεσεν. i. *cecidit.* Sed καὶ πεσόντος αὐτοῦ. i. *eo cadente*, quod (ait Demetrius) πολὺ μεγαλειότερον, ἢ εἴπερ τῆς αὐτῆς πίπτοντος ἔφη, ὅτι ἔπεσεν. i. *multo magnificentius, quam si eodem casu dixisset quod cecidit.* Salinerius. Locus varie habitus & emendatus. Ergo nihil aliud nisi puram Flor. cod. lectionem reposui. *quod uberrimum spolianti & defendentibus intutum*, sublata, quæ in libris editis irrepseraut. Mercerus acute & vere. *Pichena.* Dominaris ergo vehementer, oui non aperis, quemadmodum conveniant *spolianti & defendentibus*, ut recte hoc Mercerinum vituperatum est ab Acidalio. Sed neque Florentina conveniunt *spolians & petebant*, nisi quod clara inde corrigendi recte ansa. Ista enim Salineriana semper claudicant & aliena sunt. Lege igitur simplicissime: *quod uberrimum spolianti, & defendentibus intutum l. p. & al. seg. petebant.* Jac. Gronovius.

2 *Et aliorum segnes*] Hæc est correctio Merceri Lipsio pariter atque Pichenæ laudata: quanquam Lipsius mallet; *& laborum segnes.* Alii vitiose *& aliorum insignes.* Freinshemius.

3 *Septuaginta millia civium*] At Dio in pleraque hac historia Taciti velut interpres, periisse ait, μυριάδας ὀκτὼ τῶν τε Ῥωμαίων καὶ τῶν συμμάχων αὐτῶν. ut hic LXXX. fortasse verior scriptura sit. *Lipsius.*

4 *Occidisse constitit*] Flor. *cecidisse.* Pichena.

5 *Patibula, ignes, cruces*] Diversa hæc igitur, Patibula & Cruces? quodam sensu. Patibulum enim proprie, in quo suffixus homo expanditur, transverso tamen ligno. Crux vero etiam, cum is erecto simplicique stipiti adfigitur, sive infigitur: diximus abunde in libellis *De Cruce.* Lipsius.

6 *Tanquam redditurі supplicium*] Potius, *redditaris.* Lipsius.

Tanquam redditurі] A doctissimo viro habemus *reddituris.* Sed à vulgatis non divellor: *dare* enim *supplicium* alicui est pænas luere. Terent. Eun. *& te ultro accusabis & ei dabis ultro supplicium.* Haut. *Interea usque illi de me supplicium dabo.* Quis igitur erit impedimento, ne accipiamus *redditurі* dandi significatione? Id vel JC. fecere; quibus est cordi proprietas verborum. *Heres meus damnas esto L. Titio Stichum servum meum reddere. Cascellius ait deberi: neque id Labeo improbat, quia qui reddere jubetur, simul & dare jubetur.* Quam Plauto quoque præcipue debemus. Trinum. *Non ego illi argentum redderem? M. non redderet.* Cæterum ex illis verbis *damnas esto.* disce, quam proprie & signanter Virgilius locutus sit, *damnabis tu quoque votis.* Salinerius. Assentior Lipsio legenti *reddituris.* Mureto non possum, qui aliquo item sensu, sed à Taciti, ut opinor, diverso notaverat: *tamquam redemturis supplicium, ac prærepta interim ultione fest.* Lipsius prima edit. conjiciebat etiam *redemturi.* Acidalius. Mihi, *redditurі*, magis probatur, ut idem sit, *reddere*, quod persolvere. Nam etsi *reddere supplicium*, vel *pænas*, plerumque accipi solet pro punire; tamen non video, cur non possit etiam sensus converti, secundum propositam narrationem. & cum recte dicatur, *dependere* vel *persolvere pœnas*, cur non idem, *reddere pœnas*? sicuti *persolvere æs alienum*, & *reddere æs alienum*? Idem etiam *reddere*, quod vicissim dare, sicuti apud auctores sæpe usurpatur, *resolvere*, pro solvere. Plaut. Asin. *etquis pro vectura olivi resolvit?* Pichena.

7 *Quartadecima legio cum vexillariis vicesimariis*] Vexil-

& è proximis auxiliares, decem ferme millia armatorum erant; cum omittere cunctationem, & congredi acie parat. deligitque locum artis faucibus, & à tergo silva clausum, satis cognito, nihil hostium nisi in fronte, & apertam planitiem esse sine metu insidiarum. Igitur legionarius frequens ordinibus, [1] levis circum armatura, conglobatus pro cornibus eques astitit. At Britannorum copiæ passim per catervas & turmas exsultabant, quanta non alias multitudo, & animo adeo fero, ut conjuges quoque testes victoriæ secum traherent, plaustrisque imponerent, quæ super extremum ambitum campi posuerant. Boudicea curru filias præ se vehens, ut quamque 35
nationem accesserat; *Solitum quidem Britannis feminarum ductu bellare testabatur*; [2] *sed tunc non ut tantis majoribus ortam regnum & opes, verum ut unam è vulgo, libertatem amissam*, [3] *confectum verberibus corpus, contrectatam filiarum pudicitiam ulcisci. eo provectas Romanorum cupidines, ut non corpora, nec senectam quidem, aut virginitatem impollutam relinquant. Adesse tamen deos justæ vindictæ. cecidisse legionem, quæ prælium ausa sit: ceteros castris occultari, aut fugam circumspicere. Ne strepitum quidem & clamorem* [4] *tot millium, nedum impetus & manus perlaturos. Si copias armatorum, si caussas belli secum expenderent, vincendum illa acie, vel cadendum esse. Id mulieri destinatum: viverent viri, & servirent.* [5] Ne Suetonius quidem in tanto discrimine 36
silebat. [6] qui quamquam confideret virtuti, tamen exhortationes & preces miscebat; *Ut* [7] *spernerent sonores Barbarorum, & inanes minas. plus illic feminarum, quam juventutis aspici. imbelles, inermes, cessuros statim, ubi ferrum virtutemque vincentium, totiens fusi agnovissent. etiam in multis legionibus, paucos esse qui prœlia profligarent, gloriæque eorum*

Vexillariis vicesimanis. Acidalius. Ut c. 37. *quartadecimanorum vicesimanorumque.* Sed *vicesimariis* in hoc loco factum est, ut *sabulariis* olim cap. 40, ut lib. 1. hist. *Tesseranum* ex quo exemplo putavi jus mihi datum esse etiam mutandi nunc, perinde & ibi. Nec enim reor id ab Tacito positum, ut infra *subitarii gradus.* Jac. Gronovius.

1 *Levi circum armatura conglobatus, pro* &c.] Notavi hoc accurate Florentiæ, ut non solum ex Mediceo exemplari ducerem *levis*, sed etiam post vocem *armatura* distinctionem esse cernerem; quod quidem tunc mihi videbatur necessarium. Itaque prior publicavit Rycquius, & sequor. *Jac. Gronovius.*

2 *Sed tunc non ut tantis majoribus ortam*] Videndum an legi debeat: *Se tunc non ut*, &c. nam fieri potest, ut illud *set*, quod ita scribebant antiqui pro *sed*, ex primæ literæ sequentis verbi *tunc*, factum sit. *Ursinus.* Muretus inserit, *sed se tunc.* Recte. Estque tum alius denuo versus, *Sed se tunc non ut tantis majoribus ortam.* Acidalius. Hæc ut sana transeunt: nec movent quidquam aut mutant eruditi. At locus palam mendosus est. Quid enim sibi hic vult *sed tunc*? Omnino legendum est: *Se nunc, non ut tantis majoribus ortam*, &c. Hoc vult: Non esse novum Britannis sub fæminarum ductu bellare, cum Britanni sexum in imperiis non discernant: non tamen se nunc in bello præire aliis ac præesse. tam ut reginam, tantis ortam majoribus, & pro regno pugnaturam. quam ut unam è vulgo, plebejo homini non ferendis contumeliis ac injuriis affectam à Romanis. Quæ oratio inprimis facit ad augendam invidiam in Romanos, & plus habet gravitatis. *Boxhornius.* Nodum in scirpo. *Gronovius.*

3 *Confectum vulneribus corpus*] Ut *confectum peditem spatiis itinerum* recte dixerit lib. 15. ita ad quævis membra verbum istud non bene contulerit. Beroaldus certe Aldus & Rhenanus ediderunt *confectum*, quod in Oxoniensi etiam legi tunc notabam. Ex Mediceo nihil notavi. *Confectum* tamen ad verbera & flagella maxime congruit, unde reposui. *Jac. Gronovius.*

4 *Tot millium*] Fuisse enim in acie hostili *δώδεκα μυριάδας*, id est, *centum viginti millia hominum* Dio annotavit. Noster omisit, ut pleraque alia, in hac narratione: non incuria aut culpa sua, sed, quod facilè odorere, librariorum exscriptorumve; qui hos libros pessime admutilarunt. *Lipsius.*

5 *Ne Suetonius quidem*] Paulini Suetonii Bundaciæque reginæ orationes ad milites extant apud Xiphilinum ex Dionis Nerone. *Vertranius.*

6 *Qui quamquam confideret virt.*] In Mediceo aberant septem priores literæ, & sola ista vidi *quam confideret virt.* Mire tacent omnes. Nihilominus videtur scripsisse auctor *Quum confideret virt.* Jac. Gro-

7 *Spernerent sonoras Barbarorum*] Vatic. *sonores.* atque ita scripsisse Tacitum pertendo. Alibi: *sonorem alterius prælii non audirent.* Lipsius.

Ut spernerent sonores barbarorum] Ex Vat. restituit Lipsius priscam vocem, *sonoras*, & Florentinus consentit. *Pichena.*

rum accessurum, [1] *quod medica manu, universi exercitus famam adipiscerentur. Conferti tantum & pilis emissis, post umbonibus & gladiis stragem cædemque continuarent; prædæ immemores: parta victoria, cuncta ipsis cessura.* Is ardor verba ducis sequebatur, ita se ad intorquenda pila expedierat vetus miles & multa prœliorum experientia, [2] ut cer-
37 tus eventus Suetonius, daret pugnæ signum. Ac primum legio gradu immota, & angustias loci pro munimento retinens; postquam [3] propius suggressus hostis certo jactu tela exhauserat, [4] velut cuneo erupit. Idem auxiliarium impetus: & eques protentis hastis, perfringit quod obvium & validum erat. Ceteri terga præbuere, difficili effugio, quia circumjecta vehicula sepserant abitus. Et miles ne mulierum quidem neci temperabat: confixaque telis etiam jumenta, corporum cumulum auxerant. Clara & antiquis victoriis par ea die laus parta. quippe sunt qui paulo minus quam octoginta millia Britannorum cecidisse tradant, militum quadringentis ferme interfectis, nec multo amplius vulneratis. Boudicea [5] vitam veneno finivit. Et Pœnius Postumus præfectus castrorum secundæ legionis, cognitis quartadecimanorum vicesimanorumque prosperis rebus, quia pari gloria legionem suam fraudaverat,
38 abnueratque contra ritum militiæ jussa ducis, se ipsum gladio transfegit. Contractus deinde omnis exercitus, sub pellibus habitus est, ad reliqua belli perpetranda. Auxitque copias Cæsar, missis è Germania duobus legionariorum millibus, octo [6] auxiliarium cohortibus, ac mille equitibus: quorum adventu, nonani legionario milite suppleti sunt; [7] cohortes alæque novis hibernaculis locatæ, quodque nationum ambiguum aut adversum fuerat, igni atque ferro vastatur. Sed nihil æque quam fames affligebat serendis frugibus [8] incuriosos, & omni ætate ad bellum versa, dum nostros commeatus

1 *Quod medica manu, universi exercitus famam adipiscerentur*] Prorsus mihi persuasi Tacitum scripsisse, *quod medica manus universi exerc. f. adipiscerentur*. Acidalius. Sane hanc conjecturam firmat codex Mediceus, ex quo notavi, ut monitum ad 13, 40. sed & Oxoniensis non aliter. *Jac. Gronovius.*

2 *Ut certus eventus*] Quod alibi, *eventi*, legimus. *Ferretus.*

3 *Propius suggressus hostis*] Certitudo hæc jactuum non videtur ad hostes referenda (paucissimi enim è Romanis cecidere, ut addit) sed ad ipsos Romanos: ideoque legam, *suggressis hostibus:* atque ea veritas. *Lipsius.*

Propius suggressus hostis certo jactu tela exhauserat] An, *certo.* id est constituto? Potius dubito, num sit legendum. *incerto jactu.* Mens enim Taciti est ostendere, barbarorum tela frustra exhausta, atque omnia fere in irritum jacta. Idque vel ex eventu prœlii discas, cum circiter octoginta millia Brittannorum in ea acie ceciderint, Romanorum vero ferme quadringenti. *Pichena.* Non videtur percepisse mentem autoris Vir Eruditus, qui *incerta* substituit, atque hæc ita exponit, quasi de hostium telis intelligenda essent; quod ne ista quidem sinant; *propius suggressus hostis.* Sensus ergo est legionem non statim ad adventum hostis tela conjecisse, aut procucurrisse; sed exspectasse, donec hoste succedente, certo ictu ipsum petere possent: tum emisisse tela, iisque demum exhaustis (*hostis suggressus exhauserat*, hoc est, caussam dederat, ut exhaurirentur) erupisse, atque manum cominus conseruisse. Monitum de non jaciendis in vanum telis, bonis ducibus usitatissimum semper fuit, & perinde notissimum. Quomodo & Virum fortissimum Obentrautium suos hortari solitum Zincgresius narrat, ne sclopeta explodant, priusquam ita prope ad hostem successerint, ut in oculis ejus album à nigro possint destinguere. *Freinshemius.*

4 *Velut cuneo erupit*] Fecimus, *ut cuneus erupit.* Rhenanus. Vocem, *cuneo*, reposui, veterum librorum consensu, præsertim Vat. & Florentini. Vulgo, *cuneus.* Pichena.

5 *Vitam veneno finivit*] Dio morbo. *ἀποθανούσης*, ait, *ἐν τούτῳ τῆς Βουδουίκης νόσῳ.* Lipsius.

6 *Auxiliariorum coh.*] MS. Mediceus *auxiliarium*, perinde ut paulo ante. Atqui nullus præcedentium id voluit advertere: quod adeo non laudo, ut ex septem syllabis deleverim duas literas pro jure meo. *Jac. Gronovius.*

7 *Cohortes alæque*] In prioribus edit. hæc dirimebantur à præcedentibus, non sine damno sententiæ, cui hac distinctione lucem addidi. pendent enim hæc omnia ab illis verbis *quorum adventu.* quæ ideo à prioribus puncto majori divelli cupiam. *Freinshemius.*

8 *Incuriosos, & omni ætate ad bellum versa*] Casuum varietas hæc adduxit in maculæ suspicionem; Sed quam bene Thucydides dicat lib. 3. *τουτὶ χωρίον τὸ δυσέμβατον ἡμέτερον νομίζω, ὃ μενόντων ἡμῶν σύμμαχον γίγνεται, ὑποχωρήσασι δὲ καὶ χαλεπὸν ὂν εὔπορον* ἔσται

meatus sibi destinant; [1] gentesque præferoces tardius ad pacem inclinant; quia Julius Classicianus successor Cato missus, & Suetonio discors, bonum publicum privatis simultatibus impediebat, disperseratque *novum legatum opperiendum esse, sine hostili ira & superbia victoris clementer deditis consulturum.* [2] Simul in urbem mandabat, [3] *nullum prœlio finem exspectarent, nisi succederetur Suetonio:* [4] cujus adversa, pravitati ipsius; [5] prospera, ad fortunam reipublicæ referebat. Igitur ad spectandum Britan- 39
niæ statum missus est ex libertis Polycletus, magna Neronis spe, posse auctoritate ejus, non modo inter legatum procuratoremque concordiam gigni; sed & rebelles Barbarorum animos pace componi. Nec defuit Polycletus, quo minus ingenti agmine Italiæ Galliæque gravis, postquam Oceanum transmiserat, militibus quoque nostris terribilis incederet. Sed hostibus irrisui fuit, apud quos flagrante etiam tum libertate, nondum [6] cognita libertorum potentia erat. mirabanturque, quod dux & exercitus tanti belli confector servitiis obedirent. Cuncta tamen ad imperatorem in mol-

ἔσαι μενδιὸς πολέμου. i. *asperitas autem loci est in rem nostram: nam ea nobis resistentibus pro nobis militabit, cedentibus vero (licet difficilis) facilis erit nemine prohibente.* Latine eadem casuum diversitas discerni non potest: at à secundo ad tertium transitur, *μενόντων, ὑποχωρούντων.* Erit autem sensus. Britanni laborabant inopia commeatuum, quod erant suopte ingenio alieni ab agricultura & ea tempestate omnes arma induerant, unde serendi neglectus. *Omni ætate ad bellum versa* Græci dixissent *πανδημεὶ.* Non temere igitur *incuriosos & omni ætate ad bellum versa.* Salinerius. *Serendis frugibus incuriose hoste*, ea indubie vera lectio. *Acidalius.*

1 *Gentesque præferoces tardius ad pacem inclinant: quia*] Hæc aliter scribe & distingue: *sibi destinant: gentesque p. t. ad p. inclinabant, quia* &c. *Acidalius.*

2 *Simul in urbe mandabat*] Correximus, *Simul in urbem mandabat.* Rhenanus.

3 *Nullum prœlio finem*] Ἀκύρως. legerem, *bello:* aut certe, *prœliorum.* Lipsius.

Nullum prœlio finem expectarent] Non ἀκύρως *prœlio*, verum pro ea pugna, qua *octoginta millia Britannorum cecidisse tradunt.* Tot enim occidione sublatis, quid restabat nisi ut cæteri se suaque Romanis permitterent? quæ res finis prælii bellique penitus fuisset. quapropter Julius Classicianus Suetonio discors, adversus eum scribebat: deditionem minime futuram, propter sævitiam & superbiam legati: proinde si eam desiderent, Suetonio à se esse succedendum, qui mollibus consultis hostes alliceret. *disperseratque novum legatum opperiendum esse, sine hostili ira, & superbia victoris, clementer deditis consulturum.* Vel *prœlio* usurpative pro *bello*, ut *bellum* pro *prœlio.* Noster, *quibus tam anceps belli fortuna quamvis prospero sine equites afflictaverat.* Dicuntur de pugna inter Flavianos, postquam bellum inter eos non est exstinctum. Homer. Iliad. l. 3. Ἤλυθες ἐκ πολέμου, ὡς ὤφελες αὐτόθ' ὀλέσθαι Ἀνδρὶ δαμεὶς κρατερῷ. i. *Venisti è bello, utinam illic periisses à viro domitus forti.* Helena increpat Alexandrum, quod singulari pugna ignaviter cum Menelao certavisset. *Salinerius.* Scio quidem uno alteroque loco irrepsisse in Tacitum *prœlium* pro *bello*; sed & id exturbatum statim, ceu minus legitimum, etiam scio. quare heic faciendum, aut rescribendum, *nullum prœliorum finem.* Sane *prœlium* auctori aliud à *bello*, aliquoties ipsemet indicat; ut cap. 30. de morib. Germ. *Alios ad prœlium ire videas, Cattos ad bellum*, & alibi. *Gruterus.*

4 *Cujus adversa pravitati ipsius*] Iniquam conditionem ducum! Ab hac injusta imputatione Carthaginienses non abhorruere: at Pericles ab ejusmodi barbaria remotus esse voluit Athenienses: ita enim dicit ad invidiam declinandam ob morbum divinitus immissum: Immerito ea de re vobis odio sum, Thucyd. l. 2. εἰ μὴ καὶ ὅταν παρὰ λόγον εὐπράξητε, ἐμοὶ ἀναθήσετε. i. *nisi etiam quando res inopinato succedunt, id mihi acceptum fertis.* Felicitatis vos me auctorem vestræ non facitis, qui itaque mihi mala vestra imputare libet? *Salinerius.*

5 *Prospera, ad fortunam Reip.*] In Rom. edit, legas, *prospera fortuna.* At sententia tota sumpta a Sallustio: cujus Fragmentum in similes calumniatores: *Ad hac, rumoribus, adversa in pravitatem; secunda, in casum, fortunam in temeritatem declinando, corrumpebant.* Lipsius.

Ad fortunam Reip.] Budensis codex: *Ad fortunam ipsius referebat.* Rhenanus. Quorsum hic addi opus vocem *Reip?* Ego sane quia in Romana edit. *prospera fortuna*, nec satis concinna lectio, *referre fortuna* vel *pravitati*; scribendum conjicio. *prospera fortuna accepta referebat*, Modius Epist. 5 Novantiq. *Pravitati ipsius, prospera fortuna Reip. referebat.* Acidalius. In Mediceo MS. patet quoque scrupulus, dum exhibet *fortunam ipsius*, sic iterata voce posteriore, sed in qua videas plane corruptam extare vocem *imperii.* Cogita modo transfixam fuisse literam ꝑ, quæ notat *per.* Jac. Gronovius.

6 *Cognita libertorum potentia*] In Budensi codice est, *libertinorum.* Rhenanus.

1 *De-*

mollius relata. [1] Detentusque rebus gerundis Suetonius, [2] qui post paucas naves in litore, remigiumque in iis amiserat, tamquam durante bello *tradere exercitum Petronio Turpiliano*, qui jam consulatu abierat, jubetur. Is non irritato hoste, neque lacessitus, honestum pacis nomen segni otio imposuit. Eodem anno Romæ insignia scelera, [3] alterum senatoria, servili alterum audacia, admissa sunt. Domitius Balbus erat prætorius, simul longa senecta, simul orbitate & pecunia insidiis obnoxius. [4] ei propinquus Valerius Fabianus capessendis honoribus destinatus, subdidit testamentum, ascitis [5] Vicio Rufino, & Terentio Lentino equitibus Romanis. Illi [6] Antonium Primum, & Asinium Marcellum sociaverant. Antonius audacia promptus; Marcellus Asinio Pollione proavo clarus, neque morum spernendus habebatur, nisi quod paupertatem præcipuum malorum credebat. Igitur [7] Fabianus tabulas iis quos memoravi, & aliis minus illustribus, obsignat. quod apud patres convictum: & Fabianus Antoniusque cum Rufino & Terentio [8] lege Cornelia damnantur. Marcellum memoria majorum, & preces Cæsaris, pœnæ magis quam infamiæ exemere.

[1] Per-

1 *Detentusque rebus gerundis Suetonius*] Faernus legebat; *Demotusque rebus gerundis*. Ursinus.

2 *Qui post paucas naves in littore, remigiumque in iis amiserat*] In volumine regis Corvini, non est pro nomen *qui*, & pro *post paucas* legitur, *perpaucas*. Proinde locum sic restituimus: *Detentusque rebus gerundis Suetonius, qui perpaucas in littore naves remigiumque in iis amiserat, tamquam durante bello* &c. *Rhenanus*. Muretus *quamquam*. Recte. Sed me etiam *post* illud torquet, cujus nullum usum hic video. vereorque ne paucula quædam alia eo loci desint. Tale forte quid, *quod hostium prædatu paucas* &c. vel *quod tempestate paucas* &c. Certum quid non video in tota ista parte. Etiam de quo litore loquitur? quomodo si naves amisit, remigium in iisdem amisisse dicitur. *Acidalius*. Muretus, *quamquam durante bello*. Sed me dissentiente. Nam bellum vere desierat, cohibitis hostibus victoria à Suetonio adepta. Nero tamen, cum Suetonius paucas naves postea amisisset, hinc occasionem sumpsit, Petronium ei successorem mittendi, tanquam ad bellum perficiendum. fortasse ea etiam mente, ut ipse Petronius prætextu belli honorificentius proficisceretur, quam ad pacem provinciæ conservandam. *Pichena*. Scribe: *Suetonius, postquam paucas*. Gronovius.

3 *Alterum senatoria*] Tam in Oxon. quam in Medic. legi *senatoris*, idque Tacito vindicat continuus ardor varietatis, quam affectat. Mox etiam hic posterior habet *& propinquus*, unde recte docti viri conjecerunt *ei*, quod adscivi, quoniam certe & id est Taciti, sed varie construentis. ut *illudere* nunc cum dativo, nunc cum quarto casu. *Jac. Gronovius*.

4 *Ejus propinquus*] In volumine regis Corvini est, *& propinquus*. forte, *ei*. Rhenanus. Legi cum Mureto, *Ei*. Acidalius.

5 *Vicio Rufino*] Vett. *Vincio*. Lipsius.

Vicio Rufino] Exemplar Manuscriptum, *Vincio Rufino*. forte, *Vinicio*. Rhenanus. Scribe, *Vinicio*. Mercerus. Faernus legebat, *Vinicio Rufino*. Non, *Vicio Rufino*. Ursinus. Ut cap. 51. ex Scholiaste Juvenalis *Vinicius* ab Lipsio restituitur pro *Bincio*, ut legebatur. Alioqui fuerunt & Vincii, prout istud nomen hoc loco firmat codex Mediceus cum Oxoniensi. *Jac. Gronovius*.

6 *Antonium Primum*] Illum qui postea acerrima fax Vespasiano ad civile bellum: cujus multa in Histor. libris mentio. *Lipsius*.

7 *Fabianus tabulas iis*] Manuduxit me ad veram hanc lectionem Vaticanus, qui *Tabulasiis*, refert. Reliqui omnes, *Tabulariis*. Quantillus error, quantas tenebras? Nam JCti nostri misere torquentur in Tabulariis istis eruendis. Alciatus eos putat, quos nunc Tabelliones vocamus: contra Ferretus obsignatores & scriptores testamenti. Vertranius postremo, tanquam cornicum oculos, rescribendum censet: *Fabianus tabularius iis*. Lipsius.

Tabulariis quos memoravi] Emendavit Lipsius ex Vat. cum antea corrupte legeretur, *tabulariis quos memoravi*. Idem videtur à Flor. confirmari, in quo apparet scriptum fuisse, *tabulasiis*; sed recentiori manu erasa litera *s*, & repositum *tabulariis*. Pichena.

8 *Lege Cornelia damnantur*] Id est, ordine Senatorio moventur. Nam quamvis legis Corneliæ ordinaria pœna Deportatio fit. & bonorum publicatio: tamen in honestioribus submotio etiam ordinis admissa est, Tacitus lib. 11. Histor. *Primus Antonius legibus nocens, & tempore Neronis falsi damnatus, inter alia belli mala senatorium ordinem reciperaverat*. Paullus lib. v. Sentent. *Hi qui falsum vel alia testimonia dixerunt, aut in exsilium aguntur, aut in insulam relegantur, aut curia submoventur*. Lipsius.

Lege Cornelia damnantur] Testamentariam intellige, ex qua falsi pœna deportatio est, bonis confiscatis, auctore Marciano, 1. vide L. Corneliam de Falsis. *Vertranius*.

1 *Per-*

¹ Perculit is dies Pompejum quoque Ælianum juvenem quæſtorium, tamquam fla- 41
gitiorum Fabiani gnarum: eique Italia & Hiſpania, in qua ortus erat, interdictum
eſt. Pari ignominia Valerius Ponticus afficitur, quod reos, ne apud præfectum urbis
arguerentur, ² ad prætorem detuliſſet, ³ interim ſpecie legum, mox prævaricando
ultionem eluſurus. ⁴ Additur ſenatuſconſulto; *Qui talem operam emptitaſſet,
⁵ vendidiſſetve, ⁶ perinde pœna teneretur, ac ſi publico ⁷ judicio calumniæ condemnatus.*
Haud multo poſt, præfectum urbis Pedanium Secundum ſervus ipſius interfecit: ſeu 42
negata libertate, ⁸ cui pretium pepigerat; ⁹ ſive amore exoleti inſenſus, & dominum

1 *Perculit is dies Pompejum quoque Ælianum*] Sic veteres quos vidi, & ratio ipſa. Male vulgo, *Pompejanum*. Pichena.

2 *Ad prætorem detuliſſet*] Quem Prætorem? urbanumne? Non opinor. nec enim ejus in crimine cognitio. Olim ſane proprius peculiariſque Prætor, qui conſtitutis Quæſtionibus perpetuis cognoſceret de Falſo. Eum hic intellegi credo. Etſi enim pleraque judicia in Senatu aut apud Præf. urbis, & Prætorum poteſtas imminuta: manſit tamen, opinor, veteris ritus imago quædam & umbra, quam Ponticus hic pro re amplexus, non ſine ſua fraude. At Præfectum urbis omnia crimina omnino ſibi vindicaſſe ab Ulpiano traditum eſt, L. I. de Offic. Præfect. urbis; non quidem ab Auguſto, (falluntur qui id cenſent; & Auguſtus jus tantum ei dedit in ſervos; & quod civium audacia turbidum niſi vim metuat) ſed creſcente paullatim, conceſſu Principum ut ſolet, nova poteſtate. *Lipſius.*

3 *Interim ſpecie legum*] Non ſatis ſcio cur *ſpecie legum* Valerius Ponticus ad prætorem & non ad præfectum urbi reos falſi dicitur detuliſſe: eſt enim perſuadens conjectura ex Ulpiani ſcripto de officio præfecti urbis, ab ipſa inſtitutione Auguſti, omnia crimina intra urbem admiſſa, ad curam præfecti urbis pertinere: ejus igitur notio de falſi crimine fuit. *Vertranius.*

4 *Additur Senatuſconſulto*] Id mireris licet ab Pichena & viris doctis ita fœde prætermiſſum, ut quaſi ex MS. Mediceo edant *Senatuſconſultum*, quaſi Senatuſconſultum non intelligatur ſub illis verbis, quæ antecedunt, *eique Italia interdictum eſt*, cui SCto ſimile factum eſt adverſus Valer. Ponticum, eique SCto ſic ad Ponticum pertinenti aliquid generale in publicum nunc addi dicitur, ut infinitis locis occurrit in ſcriptoribus rerum Romanarum. Ipſe noſter Tacitus 4. hiſt. 45. *Et cognita cauſa in convictos vindicatum. Additumque Senatuſconſulto* &c. *Jac. Gronovius.*

5 *Vendidiſſetve*] In exemplari manuſcripto tantum, *vendidiſſet*. Sed tamen apparebat raſura. Melius autem placet, *Senatuſconſultum*, quam quod illic legitur, *Senatuſconſulto*. Rhenanus. Contra clariſſimum & notiſſimum Taciti guſtum, qui aſſidua varietate gaudet, apparat hunc locum Ryckius, quum ex ſuo codice, quem hinc quoque apparet fuiſſe interpolatiſſimum, jactat *venditaſſetve*, quum tanta antiquitas alterum defendat. Accedit, quod hæc materia ſit, in qua verbum *venditare* non ita commodum eſt, ut in muneribus aut ſtativis. *Jac. Gronovius.*

6 *Perinde pœnâ teneretur, ac ſi publico judicio*] Faernus delebat particulam *ſi*, legebatque: *Ut perinde pœna teneretur, ac publico judicio* &c. *Urſinus.* Additum in vulgatis fuerat, *ut perinde.* Nos illud, *ut*, expunximus, in Flor. vacans, & omnino ſuperfluum. Sunt enim obliqua verba ipſius Senatuſconſulti. *Pichena.*

7 *Judicio calumniæ condemnatus*] Eum qui prævaricatus ſit, quive prævaricatorem emerit, fecerit: punit hoc SC. calumniæ pœna. Ea eſt talio, & infamia, uti colligas ex L. penult. & L. IV. de Prævaricat. *Lipſius.*

8 *Cui pretium pepigerat*] Moribus receptum uti ſervus interdum cum domino quaſi paciſceretur in certum pretium: quod ſi exſolviſſet, liber eſſet. Id pretium è peculio ſervi, vel adventicio lucro. Seneca in Epiſtolis: *Mancipia quoque conditionis extremæ & in his ſordibus nata omni modo exuere conantur ſervitutem; peculium ſuum, quod comparaverunt ventre fraudato, pro capite numerant.* Virgilius eo reſpiciens.

Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculi.

Et vetus ſane ille mos, cujus veſtigia plura in Plauto. ut Aſinaria, Strobilus reperto theſauro.

Quin ego illi inveniſſe me hanc prædam dico, atque eloquor?
Igitur orabo ut manu me mittat, ibo atque eloquar.

Cripus ſervus, Rudente:

—— ad herum veniam docte atque aſtute,
Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, ut ſim liber.

Et clarius in Caſina:

Quid iſta tu me libertate territas?
Vobis invitis atque amborum ingratiis,
Una libella liber poſſum ego fieri.

Quod non aliter intelligendum, quam ut cum hero jam ante pactus fuerit in libram. Et in hanc ſententiam ſcripſit Hermogenianus adverſus dominum conſiſtere ſervis licere, *ſi qui ſuis nummis redemptos ſe, & non manumiſſos contra placiti fidem adſeverent.* L. 53. de Judiciis. Item Ulpianus, *Qui ſe dicit ſuis nummis redemptum, ſi hoc probaverit, exinde liber erit ex quo redemptus eſt.* Interdum vero imagina-

num æmulum non tolerans. Ceterum [1] cum vetere ex more familiam omnem, quæ sub eodem tecto mansitaverat, ad supplicium agi oporteret, concursu plebis, quæ tot innoxios protegebat, usque ad seditionem ventum est: [2] senatuque in ipso erant studia nimiam severitatem aspernantium, [3] pluribus nihil mutandum censentibus.
43[4] Ex quis C. Cassius sententiæ loco in hunc modum disseruit. *Sæpenumero, Patres Conscripti, in hoc ordine interfui, cum contra instituta & leges majorum nova senatus decreta postularentur: neque sum adversatus. non quia dubitarem super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum, & quæ converterentur [5] in deterius mutari; sed ne nimio amore antiqui moris studium meum extollere viderer. [6] Simul quidquid hoc in nobis auctoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non existimabam, ut maneret integrum, si quando respublica consiliis eguisset. [7] quod hodie venit, consulari viro domi suæ interfecto, per insidias serviles, quas nemo prohibuit, aut prodidit, quamvis nondum concusso senatusconsulto, quod supplicium toti familiæ minitabatur. Decernite hercule impunitatem. [8] At quem dignitas sua defendet, cum præfectus urbis non profuerit? quem numerus servorum tuebitur, cum Pedanium Secundum quadringenti non protexerint? cui familia opem feret, quæ ne in metu quidem pericula nostra [9] advertit? An, ut quidam fingere*

ginaria quædam emptio, interposita persona tertia, adhibebatur. de qua L. 4. de Manumiss. Quod si dominus non servaret fidem, querela servo Romæ apud Præf. urbi, apud Præsidem in provinciis ex constitutione Divorum fratrum fuit L. 5. de Manumission. *Idem.*

9 *Sive amori exoleti infensus*] Emendavimus, *sive amore exoleti infensus.* Rhenanus. Suspicor legendum, *incensus.* nam verba quæ sequuntur, *& dominum æmulum non tolerans*, idem significant, quod servum domino infensum propter æmulationem. *Pichena. Exoletus* diccbatur adultior cinædus, & qui passiva libidine prostitueretur. Exoletos in animo habuit vetare Alexander Imperator. Hoc verbum frequens est Suetonio. *Lupanus.*

1 *Cum vetere ex more*] Bene, veteri ex more. Nam etiam libera rep. id obtinuit, ex epistola Servii Sulpicii de cæde Marcelli: *Ego tamen ad tabernaculum ejus perrexi: inveni duos libertos & pauculos servos: reliquos ajebant profugisse metu perterritos, quod dominus eorum ante tabernaculum interfectus esset.* Hunc priscæ severitatis ritum firmavit postea SC. Silanianum sub Augusto, itemque nunc Neronianum: de quibus Cujacium vide Observat. lib. I. cap. XVIII. & lib. X. cap. XXXIII. Addo ne feminas quidem immunes exceptasque fuisse: suasus Taciti infra verbis, *Numerum, ætatem, aut sexum miserantium.* item rescriptio Hadriani L. I. de SC. Silaniano. *Lipsius.*

2 *Senatusque, in quo*] Expeditior sententia, *Senatuque in ipso.* Idem.

Senatus in quo ipso erant studia] Scripsimus, *senatusque.* & sic distinximus verba, *senatusque in quo ipso erant studia nimiam severitatem aspernantium) pluribus nihil mutandum censentibus.* Expone, *pluribus senatus*, hoc est, pluribus è senatu nihil mutandum censentibus. *Rhenanus.* Optima, verum sic distincta. *Senatusque (in quo ipso erant studia nimiam severitatem aspernantium) pluribus n. m. censentibus.* priora de seditione plebis, posteriora de discordia patrum: alterum per hæc. *Sed obtemperari non poterat conglobata multitudine, saxa ac faces minitante.* Alterum his clarum fit. *Sententia Cassii ut nemo unus contruire ausus est: ita dissonæ voces* &c. *Salinerius.* Lipsius legendum conjecit, *senatuque in ipso*, cum ederetur, *senatusque in quo:* quam lectionem suspectam reddunt etiam vet. edd. in quibus: *Senatus in quo ipso.* ut ita non immerito dubiæ scripturæ certam emendationem Lipsii prætulisse videamur. *Freinshemius.*

3 *Pluribus nihil mutandum censentibus*] Hic Florentinum codicem non audio, in quo legitur *nihil multandum.* falso: cum dicat, Cassium inter illos fuisse, qui nihil mutandum censebant, id est, legis executionem suadebant. *Pichena.*

4 *Ex quibus C. Cassius*] Flor. *ex quis C. Cassius.* Pichena.

5 *In deterius mutari*] Sic omnes, quum tamen præpositio absit ab optimo isto Mediceo, quum abesse nequeat, ut 4, 6. Secundum igitur est, ut statuamus ita liquidum præberi indicium manus Cornelianæ, quæ scripserit *& quæ converterent in deterius mutari*, prout *vertere* toties instar neutrius auctor usurpavit, ita nunc etiam compositum. c. 61. *Mutataque quæ per seditionem verterant.* Jac. Gronov.

6 *Simul quicquid hoc in nobis auctoritatis est*] Non de toto Senatu loquitur. Sed, *in nobis*, i. e. in me. *Pichena.*

7 *Quod hodie venit*] Scribendum videtur, *quod hodie evenit.* Rhenanus.

8 *At quem dignitas sua defendet*] Volumen Budense: *ut quem.* Posset etiam legi, *ecquem dignitas sua defendet.* Rhenanus.

9 *Avertit*] In volumine Budensi est, *advertit.*

Lege-

gere non erubescunt, injurias suas ultus est interfector? [1] *quia de paterna pecunia transegerat, aut avitum mancipium detrahebatur? Pronuntiemus ultro, dominum jure casum videri.* [2] *Libet argumenta conquirere in eo, quod sapientioribus* [3] *deliberatum est?* [4] *Sed* 44
& si nunc primum statuendum haberemus, creditisne servum interficiendi domini animum insumpsisse, ut non vox minax excideret? nihil per temeritatem proloqueretur? [5] *Sane consilium occuluit,* [6] *telum inter ignaros paravit:* [7] *num excubias transiret, cubiculi fores recluderet, lumen inferret, cædem patraret, omnibus nesciis?* [8] *Multa sceleris indicia præ-*

Legerim, *qua ne in metu quidem*, sive *motu*, *pericula nostra advertit*. Cum dativo construit hoc verbum l. 3: *Ne princeps, antiqua parcimonia durius adverteret.* Alibi usurpat *advertere*, pro *in se vertere*, sive *commovere*. Ut l. 4. *Atque illic eadem actitando recentia veteraque odia advertit.* Lib. 5. *Ut vulgum miseratione adverteret.* Rhenanus. Quicquid codices manuscripti contineant, *qua ne in morte.* non autem *in metu*, aut *in motu* legendum esse contendo. *Vertranius.* Faërnus legebat deleta, *in* præpositione, *Qua ne metu quidem.* Ursinus. Scilicet *in metu* Senatusconsulti, quod nondum concussum esse dixit. *Pichena.* Suspicor Tacitum scripsisse: *quam ne in metu quidem pericula nostra advertunt.* Sic habes verbum exquisito illo usu, quo esse solet interdum apud nostrum & Livium. *Gronovius.*

1 *Quia de paterna pecunia*] Abite sinistræ manus: nihil mutandum. Ἐρωνικῶς ista & ἐξ ἀντιφάσεως capienda sunt. *Lipsius.*

Quia de paterna pecunia transegerat] Hæc ironice, quæ ad hunc sensum dirigas: Ille quidem de paterna pecunia transigere non potuit, quia nulla erat, tanquam servo; neque avitum illi mancipium detrahebatur, quippe non suum, sed secum pariter servus. ergo nulla ei à domino injuria fieri potuit. *Pichena.*

2 *Libet argumenta conquirere*] Negationem addendam scio, *Non libet.* Quod sequitur *sed &*; forte legendum, *sed ut*, id est, tanquam. *Acidalius.* Id est, volo in discrimen & in consultationem revocare id quod à majoribus deliberatum est, rationesque & argumenta ad idem adserre. quæ statim subdit: *ut non vox minax excideret, nihil per temeritatem proloqueretur?* & quæ sequuntur. *Pichena.* Vir eruditus hæc ita explicat, quasi affirmet Cassius se argumenta prompturum &c. Sed absque dubio majori efficacia, & magis secundum mentem auctoris hæc sonabunt, si, ut fecimus, interrogatione animentur. quasi diceret. Quid? ergone argumenta adhuc conquirenda erunt, quasi in re dubia &c. cum tamen jam non necesse sit dubitare, quando *sapientioribus deliberatum est.* Et volunt hoc sequentia *sed etsi* &c. *Freinshemius.*

3 *Deliberatum est*] Videndum an addenda sit interrogationis nota ad verba illa. *deliberatum est?* Illud autem, *jure casum videri*, ex antiqua judiciorum formula Tacitus sumpsit. *Ursinus.*

4 *Sed & si nunc primum statuendum haberemus*] Liber regius, *sed si.* Conjicio leg. *deliberatum est, ac si nunc primum stat. h. creditisne servum interficiendi domini animum sumpsisse.* Sic enim scripsimus pro *insumpsisse.* Rhenanus. Hoc posterius quidem plenum imperitiæ & violentiæ est, quum in MS. Mediceo pariter & Oxoniensi legatur compositum *insumpsisse*, quamvis Pichena in hoc etiam errare maluerit, & causam reddere nequiverit, cur ita egerit, utique justam: unde Cl. Ryckius bene tuetur compositum. *Jac. Gronovius.*

5 *Sane consilium occuluit*] Florent. habet, *consilium occultavit.* Pichena.

6 *Telum inter ignaros paravit*] Hoc interrogatione efferri placeat: *telum inter ignaros paravit?* Atque etiam repeti hoc verbum, eadem concessionis figura: *paravit: num excubias transiret: cubiculi fores recluderet* &c. *Acidalius.*

7 *Num excubias transiret*] Nocturnas ergo ad limen excubias servorum habuerunt domini potentiores. Quod tu mihi Philologe observa. Quinctilianus Declamat. 1. pro Cæco: *Dicitur cæcus sine rectore, sine duce, per inane longum, per tot offensa limina, per excubantes servulos errasse cum ferro: cubiculum deinde patris intrasse.* Idem Declamat. 11. pro Cæco: *Tu sentis quando senem vicerit lassitudo curarum. Scis pariter, an una quiescentium fores vallaverit cura servorum.* Apulejus lib. 1. *Pueros ablegat arbitrio nocturni gannitus:* qui alioqui de more procubabant. Silius lib. 1. ad hunc ritum de Annibale:

Sæpe etiam famuli turbato ad limina somno
Expavere trucem per vasta silentia vocem.

Vide & Appianum in Catonis morte, & Tacitum in Othonis. *Lipsius.*

8 *Multa sceleris indicia præveniunt, quæ si servi* &c.] Ita Danesius legebat. nam in vulgatis deest illud, *quæ.* Ursinus. Muretus distinxit. *præveniunt. servi si prodant, possumus singuli inter plures* &c. Vere. Sed nec dum veram sententiam assequere, ni etiam scribas: *Multa scelus indicia præveniunt.* Acidalius. Qualis hic sensus, servine aut quisquam mortalis sceleris concepti præveniat indicia? & si possit, hoc ex utilitate dominorum sit? immo hercle horum interest, ut ea indicia prodantur. Itidem hic, ut alias sæpissime, distinctio sententiam corrupit. scribe: *cædem patraret, omnibus nesciis? multa sceleris indicia præveniunt servi si prodant* &c. Hoc ait non potuisse parari cædem domini, nec in futurum posse, quin multa sceleris indicia ipsum scelus præveniant, & ante sceleris executionem erumpant. ea si prodant servi, dominorum salu-

præveniunt servi. Si prodant, possumus singuli inter plures, tuti inter anxios; postremo si pereundum sit, [1] *non multi inter nocentes, agere. Suspecta majoribus nostris fuere ingenia servorum, etiam cum in agris aut* [2] *domibus iisdem nascerentur caritatemque dominorum statim acciperent. Postquam vero nationes in familiis habemus, quibus diversi ritus, externa sacra aut nulla sunt, colluviem istam non nisi metu coërcueris. At quidam insontes peribunt.* [3] *Nam & ex fuso exercitu, cum decimus quisque fusti feritur,* [4] *etiam strenui sortiuntur. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos, utili-*
45 *tate publica rependitur.* Sententiæ Cassii, ut nemo unus contraire ausus est, ita dissonæ voces respondebant, *numerum, aut ætatem, aut sexum, ac plurimorum indubiam innocentiam* miserantium. Prævaluit tamen pars quæ supplicium decernebat. sed obtemperari non poterat, conglobata multitudine, [5] *saxa ac faces* minitante. Tum Cæsar populum edicto increpuit; atque omne iter quo damnati ad pœnam ducebantur, militaribus præsidiis sepsit. Censuerat Cingonius Varro, ut liberti quoque, qui sub eodem tecto fuissent, Italia deportarentur. Id à principe prohibitum est, *ne mos an-*
46 *tiquus, quem misericordia non minuerat,* [6] *per sævitiam intenderetur.* Damnatus iisdem con-

tem fore in integro &c. *Freinshemius.* Retineo veterem interpunctionem: & *præveniunt* non accipio, ut sit præcedunt, ante scelus existunt; sed ut sit occupant, præcipiunt, deprehendunt, antequam scelus eventum habeat. Sic alibi noster *præventam gratiam*, id est, occupatam. Hæc illi *si prodant*, extra periculum sumus: si dissimulant & succumbimus sceleri, manente SC. Silaniano *non multi* peribimus. *Gronovius.*

1 *Non multi inter nocentes agere*] Videtur delendum illud, *non.* Ursinus. Haud exputo cur optimus Ursinus abesse cupierit negativam *non*; cum, meo quidem judicio, in ea, veluti in cardine, versetur totius argumentationis salus. Si, inquit, servorum cohors in nos omnino conjuraverit: hoc erit tamen mortis nostræ solatium, quod severe vindicabimur, ipsis nobis, morte sua parentantibus. *Gruterus.*

2 *Domibus iisdem*] In Mediceo perspicue patet *iidem* aut *idem*, ut certe litera sibilans absit, nec in ablativo casu, sed primo intelligatur illa vox. Videlicet describit vernas; at hi non utique nascebantur in agris aut domibus iisdem, in quibus erant domini; satis erat in quacunque possessione nasci, & in cujuscujus domini villa id contigerat, ejus quilibet erat verna. *Jac. Gronovius.*

3 *Num & ex fuso exercitu*] Castigavi, *Nam & ex fuso exercitu.* Rhenanus. Videatur & hic negatio reponenda cum hac lectione: *Non & ex fuso exercitu*, &c. Sed non est. Eadem ratio objiciendi & respondendi, quæ infra hoc libro. *Bello & periculis meruerant. In his enim juventa Augusti versata est.* Acidalius. Placuit reponere lectionem Veneti Codicis, cum nota interrogandi. & ex Flor. *fusti*, pro *fuste. Nam & ex fuso exercitu, cum decimus quisque fusti feritur, etiam strenui non sortiuntur:* Vulgati sic: *Nam & ex fuso e. c. d. quisque fuste feritur, etiam strenui sortiuntur.* Pichena.

4 *Etiam strenui non sortiuntur*] Negativam particulam *non*, abstulimus. Quippe recte habet sententia: *Nam & ex fuso exercitu, quum decimus quisque fuste feritur, etiam strenui sortiuntur.* Usurpat autem hic, *sortiuntur* passive. *Rhenanus. Sortiuntur* passive quod perrarum inventu est. *Ferretius.* Neque interrogationis notam admiserim, nec negandi particulam, quam fatetur satis Pichena in Florentino non apparuisse, quum ex Veneto arcessit. Est autem oratio brevis, continens rationem ejus, quod non ponitur, sed intelligitur ex præcedenti. Quasi foret: *At quidam insontes peribunt.* Pereant sane; neque id hoc solum casu contingit. *nam & ex fuso exercitu* &c. *etiam strenui sortiuntur.* id est, sortem trahunt inter decimandos, & sæpe accipiunt iniquiorem, pereuntque insontes. Neque enim *sortiuntur* κατ' εὐχήν, ut volunt. Cicero 2. in Verrem 29. *Dic, inquit, illi adesse non possunt. Nam hercle, inquit Minucius, me quoque Petilius, ut sibi in consilio essem, rogavit: & simul à subselliis abire cœpit.* Intelligitur, immo & ego, inquit Minucius, adesse non possum: *nam hercle me* &c. Pluribus alibi hoc in sermone compendium illustramus. *Gronovius.* Vere collegisse Patrem ex silentio Pichenæ jam potuit patere ex indicio Cl. Ryckii; plane enim vidi nullam istic esse negativam, ut merito Tacitum suo fulgori restituerimus. *Jac. Gronovius.*

5 *Et saxa ac faces*] Particulam, &, induximus. *Rhenanus.* Non jure. nam exstat scripta in codice Mediceo; & debet addi, quum diversum ab præcedente jam tradatur. Conglobata multitudo supponitur strepere; & murmurando movere terrorem, quum nihil etiam singulare exprimat: pergit deinde ad particulares horrores. *Jac. Gronovius.*

Saxa ac faces minitante] Flor. ac Venetus habent; *minante.* Pichena.

6 *Per sævitiam incenderetur*] Malim, *intenderetur.* Rhenanus. Scribe, *intenderetur*, quod Tacito & huic sæculo perpetuum, pro augeretur. Nam quod *incen-*

consulibus Tarquitius Priscus repetundarum, Bithynis interrogantibus, magno pa-
trum gaudio, quia [1] accusatum ab eo Statilium Taurum proconsule ipsius memi-
nerant. Census per Gallias à Q. Volusio, & [2] Sextio Africano, Trebellioque Maxi-
mo acti sunt, æmulis inter se per nobilitatem Volusio atque Africano; Trebellium
dum uterque dedignatur, supra tulere. Eo anno mortem obiit Memmius Regulus, 47
auctoritate, constantia, fama, in quantum præumbrante imperatoris fastigio datur,
clarus. adeo ut Nero æger valetudine, & adulantibus circum qui *finem imperio adesse*
dicebant, *si quid fato pateretur*; responderit *habere subsidium rempublicam*. Roganti-
bus dehinc, *in quo potissimum*? addiderit, *in Memmio Regulo*. Vixit tamen post hæc
Regulus, quiete defensus; & quia nova generis claritudine, neque invidiosis opibus
erat. Gymnasium eo anno dedicatum à Nerone [3] præbitumque oleum equiti ac se-
natui [4] Græca facilitate. [5] P. Mario L. Asinio consulibus Antistius prætor, [6] quem 48
in tribunatu plebis licenter egisse memoravi, probrosa adversus principem carmina
factitavit: vulgavitque celebri convivio, dum apud Ostorium Scapulam epulatur.
Exin à Cossutiano Capitone, qui nuper senatorium ordinem precibus Tigellini so-
ceri sui receperat, majestatis delatus est. Tum primum [7] revocata ea lex: crede-
batur-

incendi annona dicitur, nihil ad vulgatum. *Mercerus*. Credo omnino *intenderetur* hic ab auctore scriptum, quo verbo frequenter usus alias: etsi illud eodem sensu. *Acidalius*. Vulgo, *incenderetur*, ego Rhenani ac Merceri judicium secutus, reposui, *intenderetur*. Pichena.

1 *Accusatum ab eo Statilium Taurum*] Supra lib. XII. *Lipsius*.

Statilium Taurum proconsulem ipsius] Florent. habet, *proconsule*, ut sæpe alias. *Pichena*.

2 *Sextio Africano*] Sic placuit edere, ut eædem literæ, quæ in Mediceo MS. exstant, etiam totidem per typos exhiberentur, nec in priore nomine dissecando aliqua ambiguitas vexationi foret: in quo sapienter antecessit Ryckius. *Jac. Gronovius*.

3 *Præbitumque oleum*] Si oleum populo tantum præbitum, nihil novum aut Græcanicum: præbuit ante P. Scipio, quem Ædilem dedisse congium olei in vicos singulos Livio credo lib. XXV. Dedit & C. Cæsar post victoriam Africanam. Τόν τε δῆμον, inquit Dio, λαμπρῶς εἱστίασε, καὶ σῖτον ἔξω τῶν τεταγμένων καὶ ἔλαιον προσέδωκε. Etiam M. Agrippa in Ædilitate oleum & salem, ut auctor idem Dio XLIX. Sed nemo eorum ad gymnasium, quod hic Nero. Plinius: *Usum olei ad luxuriam vertere Græci, in gymnasiis publicando*. Adde Sueton. cap. XII. *Lipsius*.

4 *Græca facilitate*] Jam diximus Neronem quinquennale ludicrum instituisse ad modum Græci certaminis. Itaque athletæ nudi exercebantur, & ceromate, id est, oleo cerato & pulvere perfundebantur, ut corpora sudore, & ceromate lubrica, mutuas luctantium prehensiones admitterent. Ovidius 9. Met. *Ille cavis hausto spargit me pulvere palmis*. Virgilius, *Exercent patrias oleo labente palæstras Nudati socii*. Plinius scribit Græcos omnium vitiorum genitores oleo in gymnasiis usos. & Quinctilianus palæstricos damnat, quibus pars vitæ in oleo, pars in vino consumitur. Itaque ait Tacitus præbitum oleum Equitibus, & Senatoribus, ut palæstra exercerentur. *Lupanus*. Romanos Græcorum mores aspernatos, constat ex Livio lib. 36. utpote qui levissimum hominum genus essent: quos & *vanos* dixit Plinius 28, 8 & *Græcam vanitatem* appellavit 2, 109. Græciamque *omnibus libidinum illecebris repletam*, tradidit Livius lib. 34. Græcos luxui quam maxime studuisse, docet Firmicus Maternus Astronomicon libro c. 1. & confirmat Servius in 6. Æn. ad vers. 724. Unde Horatius 2. Serm. sat. 3. *Vel si Romana fatiget Militia assuetum græcari*. De Græcorum luxuria & levitate abundat Cicero in orat. pro Flacco. Plinius 15, 4. de oleo verba faciens, inquit; *Usum ejus ad luxuriam vertere Græci, vitiorum omnium genitores, in gymnasiis publicando*. Itaque quum Nero gymnasium dedicasset, in quo non solum ipse, sed & Equites & Senatores publice se exercebant, quod antea minime fieri solebat, præbuit & oleum, quo corpora inungerent, *Græca facilitate*, id est, ut ego interpretor, indulgentia, licentia & luxu Græco, contraque bonos Romanos mores. Ita scribit Tacitus ipse lib. 15. Neronem indies magis ac magis in vitia prolabentem, *minime ausum Romæ incipere scenas, sed Neapolim quasi Græcam urbem delegisse*. Marcellus Donatus.

5 *P. Mario, L. Asinio coss.*] Nomen hujus primi consulis corrupte legas in vetusta Persii vita nuper cum Juvenalis Scholiaste edita; *Decessit Persius VIII. Kalend. Decembr. Rubrio Mario, Asinio Gallo COSS.* Scribe, *Publio Mario*. cui cognomen fuit, Celsus. *Lipsius*.

6 *Quem in Tribunatu licenter egisse memoravi*] Lib. XIII. *Idem*.

7 *Revocata ea lex credebatur, quæ haud perinde*] Pugnat

baturque haud perinde exitium Antiſtio, quam imperatori gloriam quæri, [1] uti condemnatus à ſenatu, [2] interceſſione tribunicia morti eximeretur. Et cum Oſtorius *nihil audiviſſe* pro teſtimonio dixiſſet, adverſis teſtibus creditum. Cenſuitque [3] Junius Marullus conſul deſignatus, *adimendam reo præturam, necandumque more majorum.* Ceteris inde aſſentientibus, Pætus Thraſea multo cum honore Cæſaris, & acer-

Pugnat ſequens narratio, ſuadetque reſcribendum *qua.* non enim lex quæſivit gloriam principi: ſed Capito eo conſilio legem revocabat, non exitio Antiſtii, ſed ut damnatus à Senatu beneficio Principis faceret locum. Sceleſtum hominis conſilium ſubverſum Thraſeæ ſententia & Senatus adſenſus. *Mercerus.* Nero admiſit delationem Coſſutiani, non ut Antiſtium perverteret, ſed ut damnatum ſua interceſſione liberaret, indeque ſibi clementiæ gloriam conciliaret, *qua* ſcil. revocatio majeſtatis ob carmen famoſum *quæſivit.* Sed id fruſtra cecidit, prævaluit enim ſententia Thraſeæ, qua exſilium, non mors, irrogabatur. *Interceſſione tribunica.* Nimirum Neronis, qui eo modo tribunus, quo Auguſtus. Tac. lib. 1. ann. *Et ad tuendam plebem tribunicio jure contentum.* Nec falſus eſt animi Coſſutianus, qui conjecit ea revocatione Neronem clementiæ decus affectaſſe, *Cæterum ſe qui ſeveritatem decernentium impediturus fuerit.* Poſtremum quid nos urget ut cum ingenioſiſſimo Mercero legamus, *qua?* Et faciamus Capitonem gnarum hujus Neronianæ calliditatis? An is ubique (ut in nequitiis) apertus. *Revocata ea lex credebatur, qua,* ut Salluſtius Cat. *ſed antea item conjuravere pauci contra remp. in quibus Catilina fuit, de quo quam veriſſime potero dicam.* Salnerius. Æſtuat hic Lipſius, nec cuneum reperit huic nodo, quem ſola particula *qua* nectit. Expedit tamen Joſias Mercerus, *qua haud perinde* &c. ut ad accuſatorem referatur, non ad legem. Bene profecto: ſed eandem in ſententiam ut de lege quoque ipſa acciperetur, voluerat Muretus, notaveratque legendum, *quæreret.* Mihi alterum horum ſatisfaceret, niſi locutio iſta diſſuaderet: *Tunc primum revocata ea lex credebatur.* Quid *credebatur?* inepte quaſi id non certum. Revocata tunc primum lex Majeſtatis fuit, quæ tam diu ſub Nerone acquieverat. Removendum igitur hinc illud *credebatur*, & cum ſequentibus jungendum: quomodo eorum expeditiſſima ſententia, veriſſima Taciti ſcriptura conſiet: *Tum primum revocata ea lex: credebaturque haud perinde exitium Antiſtio, quam Imperatori gloriam quæſiſſe.* quamquam hoc poſtremum variam admittit mutationem: necdum ſatis conſtitui, quid potiſſimum recipiendum. Poſſit, *gloriam quæri; gloria quæri:* denique & *gloriam quærere.* Acidalius. Quam levi mutatione Mercerus hunc locum optime ſanavit: Legit ſane (ut ſciant quibus ipſius notæ non ſunt ad manum) *qua haud perinde* &c. Senſus eſt, Capitonem non ea mente Antiſtium accuſaviſſe, ut illum perverteret: ſed ut à ſenatu condemnaretur, quo Principi occaſio gloriæ ac beneficii pateſieret, illum morti eximendo.

Ea igitur majeſtatis lege Capito *quæſivit*, id eſt, quærere volebat, gloriam Principi, ut condemnatus, ſcil. poſtquam condemnatus fuiſſet Antiſtius à Senatu, Princeps jure tribunitiæ poteſtatis intercedendo, illum morti eximeret. *Pichena.* Hoc quoque vitium debemus neglectæ diſtinctioni. Lege: *revocata ea lex: credebaturque haud perinde exitium Antiſtio, quam imperatori gloria quæſita:* quæ poſtremæ duæ voculæ corruptæ fuerunt in gratiam illius *qua*, quod non habebant pro particula præcedenti verbo *credebatur* annexa, ſed pro pronomine. Falſum ergo ſenſum effecerunt; *revocata ea lex credebatur.* cum Tacitus hoc ipſum affirmet, tum revocatam fuiſſe legem iſtam, tamquam rem haud dubiam. Ineptum enim fuiſſet dicere *tum revocata credebatur lex.* line credebant, qui ſi ita fuiſſet, neſcire non potuiſſent? Deinde & alter ſenſus hac lectione corrumpitur; *qua imperatori gloriam quæſivit.* quid enim lex iſta gloriam quæſivit imperatori, quæ diu ante ipſum natum exercita fuerat? Non illa hercle, ſed Capitonis propoſitum, qui hoc præcipue agebat, ut reo tam inſigni poſtulato, occaſionem daret principi oſtentandæ clementiæ, cum non ignoraret id ipſi pergratum eſſe: quod patet vel ex 13, 11. ubi *Plautium Lateranum ob adulterium Meſſalinæ ordine remotum tradidit ſenatui: clementiam ſuam obſtringens crebris orationibus.* Freinshemius. Egregii hic conatus doctiſſimorum hominum. Utinam inſuper ſciviſſent particulam *ut* ante participium *condemnatus* nullam eſſe in optimo Mediceo? Sic enim magis valuiſſent, & clare illis conſtitiſſet rectiſſime ſic corrigi. *credebaturque haud perinde exitium Antiſtio, quam imperatori gloriam quæri, uti condemnatus* &c. Freinshemii namque audax illud nequit ab ſapiente probari *gloria quæſita.* Vulgatum vero tam futile undecunque apparet, ut fuerim compulſus expellere. *Jac. Gronovius.*

1 *Ne condemnatus à ſenatu*] Scripſimus, *ut condemnatus à ſenatu.* Rhenanus.

2 *Interceſſione tribunicia*] Interceſſione ipſius Cæſaris: qui ita elementiæ gloriam pararet. *Lipſius.*

3 *Junius Marullus conſul deſignatus*] Inter ſuffectos non dubie Conſules. Sed in hunc ipſum annum, Annæum Senecam & Trebellium Maximum coſſ. referunt viri docti in opere Faſtorum, & loca ſunt, quæ annuunt. Auſonius tamen in Panegyrico, Senecæ conſulatum aperte detrahit: *Dives Seneca, nec tamen conſul, arguetur rectius quam prædicabitur non erudiiſſe indolem Neronis, ſed armaſſe ſævitiam.* quo loco video eſſe qui negationem ſubtrahant, legantque: *Dives Seneca, tamen Conſul.* Idem.

1 Ob-

acerrime increpito Antistio: *Non quidquid nocens reus pati mereretur, id egregio sub*
principe, & nulla necessitate [1] *obstricto senatu, statuendum* disseruit. [2] *carnificem & la-*
queum pridem abolita: & esse pœnas legibus constitutas, quibus sine judicum sævitia & tem-
porum infamia, supplicia decernerentur. [3] *Quin in insula publicatis bonis, quo longius*
sontem vitam traxisset, [4] *eo privatim miserior, &* [5] *publica clementia maximum exem-*
plum futurum. [6] Libertas Thraseæ [7] servitium aliorum rupit. & postquam discessio- 49
nem consul permiserat, pedibus in sententiam ejus iere, [8] paucis exemptis: in qui-
bus adulatione promptissimus fuit A. Vitellius, optimum quemque jurgio lacessens,
& respondenti reticens, ut pavida ingenia solent. At consules perficere senatus de-
cretum non ausi, de consensu scripsere Cæsari. Ille inter pudorem & iram cun-
ctatus, postremo rescripsit, *nulla injuria provocatum Antistium gravissimas in prin-*
cipem contumelias dixisse: earum ultionem à patribus postulatam. Et pro magnitudi-
ne delicti pœnam statui par fuisse; ceterum se qui severitatem decernentium impediturus
fuerit, moderationem non prohibere. statuerent ut vellent. [9] *datam & absolvendi licen-*
tiam. His atque talibus recitatis, & offensione manifesta, non ideo aut consules
mutavere relationem; aut Thrasea decessit sententia; ceterive, quæ probave-
rant deseruere: pars ne principem objecisse invidiæ viderentur, [10] plures numero
tuti, Thrasea sueta firmitudine animi, & ne gloria intercideret. Haud dispari 50
cri-

1 *Obstricto senatui*] Castigavi, *senatu.* Rhenanus.

2 *Carnificem & laqueum*] Respondent illi decreto, *more majorum necandum.* Ex quo clare discis, quid *punire* Tacito *more majorum.* Lipsius.

3 *Quin in insulam*] Emendavimus. *Quin insula.* nam Tacitus frequenter omittit præpositiones, *in*, *de*, *ex*, *à*, vel *ab.* Rhenanus. Legendum, *Quin in insula.* Vertranius. Muretus optime ut & Lipsius prima edit. *in insula.* & paulo post *miseriorem.* Acidalius. Aliquid hic deesse videtur. nam si attendas, Thraseæ sententia integra non est. nec juvant libri. Vulgati, *quin insulá.* Venetus, *quin in insula.* quæ lectio à me reposita, convenit propius cum Florent. qui habet, *qui in insula.* Muretus pro, *miserior*, legit *miseriorem.* Sed nihil ad rem. *Pichena.*

4 *Eo privatim miserior*] Lego: *eo privatim miseriorem*: & sermonis textus ita postulat. *Lipsius.*

5 *Publica clementia maximum exemplum futurum*] Faernus legebat, *futurus* pro *futurum.* quod magis placet. *Ursinus.*

6 *Libertas Thrasea servitium aliorum rupit*] Depravatum hic vocabulum est *servitium.* Correximus, *silentium aliorum rupit.* Rhenanus. Vulgata lectio suffragio exemplaris non destituitur, sed contrariis oppositis illustrior erit, si sic ex fide libri Palatini legas, *Libertas Thrasea servitium aliorum rupit.* Similis est phrasis lib. 15. *Qui fapius libertatem Seneca quam servitium expertus esset.* Vertranius. Confirmatur hæc lectio, omnium fere librorum consensu. & tamen Rhenanus reposuit, *silentium aliorum.* an recte, alii judicent. ego certe, *servitium*, malui: qua voce ostenditur, Senatores adeo servilem animum induisse, ut fere loqui non auderent. *Pichena*

7 *Silentium aliorum*] Vett. *servitium.* At velim consideres satin' sana hæc tota narratio sit. Antea prædixit, *Tum primum revocata ea lex credebatur, qua haud perinde exitium Antistio, quam Imperatori gloriam quæsivit, ut condemnatus à Senatu, intercessione Tribunicia morti eximeretur.* Quid? condemnatusne Antistius à Senatu? Contra video. In insulam seponitur. Idem intercessione Cæsaris morti eximitur? Falsum. nec quidquam in tota re quod Neroni Clementiæ gloriam; sævitiæ potius invidiam parere possit. Ego sane æstuo: nec cuneum reperio huic nodo. Nisi placet cum Josia Mercero elegantissimo juvenum legi, *qua haud perinde.* ut ad accusatorem referas non ad legem. qui non tam exitium eo facto quærebat, quam gloriam Principi. Sed hominis consilium Thraseæ sententia subvertit. *Lipsius.*

8 *Paucis exemtis*] Flor. habet, *exeptis.* Forte, *exceptis.* Pichena.

9 *Data etiam absolvendi*] Melius è priscis, *datam etiam abs. licentiam.* Lipsius.

Datam & absolvendi licentiam] Reposuimus, *data etiam absolvendi licentia.* Ubi *licentiam* vides in bonam quoque partem accipi. Sic lib. 1. *Cur venisset, neque augendis militum stipendiis, neque adlevandis laboribus, denique nulla bene faciendi licentia.* Rhenanus. At mihi magis probatur lectio, quam restitui ex Flor. Ven. aliisque autoribus, *datam & absolvendi licentiam.* aptius enim exprimere videtur principis indignationem, ac responsum cum stomacho redditum. quin, inquit, etiam potestas, eum penitus absolvendi, vobis fuit. Ideo statim: *& offensione manifesta.* Pichena. Id verum est, & nunc sequi placuit ut solum Taciti. *Jac. Gronovius.*

10 *Plures numero tuti*] Hist. lib. 2. *nemo privatim expedito consilio, inter multos societate culpa tutior.* Pichena.

1 *Fa-*

crimine [1] Fabricius Vejento conflictatus est, [2] *quod multa & probrosa in patres & sacerdotes composuisset*, [3] *iis libris quibus* [4] *nomen* Codicillorum *dederat*. [5] Adjiciebat Talius Geminus accusator; [6] *venditata ab eo munera principis & adipiscendorum honorum jus*. quæ caussa Neroni fuit suscipiendi judicii. convictumque Vejentonem Italia depulit, & libros exuri jussit, conquisitos lectitatosque donec cum periculo para-
51 bantur: mox licentia habendi, oblivionem attulit. Sed gravescentibus in dies publicis malis, subsidia minuebantur. concessitque vita Burrus, incertum valetudine an veneno. Valetudo ex eo conjectabatur, [7] quod in se tumescentibus paulatim faucibus, & impedito meatu, spiritum finiebat. plures jussu Neronis, quasi remedium adhiberetur, [8] illitum palatum ejus noxio medicamine asseverabant: & Burrum intellecto scelere, [9] cum ad visendum eum princeps venisset, [10] aspectum ejus aversatum, sciscitantique hactenus respondisse, *Ego me bene habeo*. Civitati grande desiderium

1 *Fabricius Vejento*] Puto illum esse, qui A. Fabricius Dioni dicitur: quique Prætor, canes Circensibus ad currus adjunxit pro equis. *Lipsius.*

2 *Quod multa & probrosa*] Ita scripsi si ex Flor. Vulgo, *qui multa*. Pichena. Legendum *quia*, vel *quod*, quorum hoc Muretus notaverat. *Acidal.*

3 *Iis libris quibus nomen codicillorum dederas*] Illic, *iis libris codicillorum quibus nomen dederat*. nec refert, si recte distinguas. *Rhenanus.*

4 *Nomen Codicillorum dederat*] Noto fuisse morem, uti in testamentis convicia quædam & probra liberius scriberent: quæ ante Augustum inobservata & permissa. Scilicet quia supremis illis tabulis & voci, danda videbatur aliqua libertas. Frenum injicere Senatus voluerat; sed ille idem princeps, ut Suetonius ait, *de inhibenda testamentorum licentia ne Senatus quidquam constitueret, intercessit*. Ea enim germana lectio, germana mens ejus loci: non ut vir doctus substituit, *scommatorum*. Exempla in Tacito passim, de iis qui supremis tabulis multa atrocia in Macronem, in Tiberium, aliosque potentes composuerint. Hoc exemplo ergo maledicentiæ suæ cavens Vejento, inscripsit opicos & oscos eos libros, Codicillos. *Lipsius.*

5 *Adjiciebat Talius Geminus accusator*] Mur. *T. Allius*. Habet & Lips. prim. edit, Postea sprevit & forte merito. *Acidalius.*

6 *Venditata ab eo munere principis*] Exemplar regium, *vendicata ab eo munere principis*. Paulo post videtur ex scriptura regii codicis potius legendum, *incertum valetudine an veneno*. Rhenanus.

7 *Quod in se tumescentibus*] Muretus, *quod intumescentibus*. Ego vulgatum non mutem. *Acidalius.*

8 *Illitum palatum ejus noxio med.*] Genitivus *ejus* non est in Budensi volumine. *Rhenanus.* Addidi vocem, *ejus*, ex Florent. ac Ven. quamvis non necessariam. *Pichena.*

9 *Cum ad visendum eum princeps venisset*] Accusativus *eum* non est in Budensi volumine. *Rhenanus.* Et hic idem libri auctiores. nam vox, *eum*, à vulgatis abest. *Idem.*

10 *Aspectum ejus aversatum, sciscitantique hactenus respondisse, Ego me bene habeo*] Hæc sane sunt inepta, Quid enim in hoc responso Burrhi, id est, spiritus est generosi? Quomodo eo Nero perstringitur? quod tamen non obscure indicat Tacitus. Et quid sibi vult illud, *hactenus respondisse*? Non est nisi erecti ingenii, quid tantus vir dixerit, quidve voluerit, observare. Itaque ad incomparabilem Heinsium rursus nobis eundum est. Scribit ille, ac distinguit: *sciscitantique, Hactenus, respondisse, ego me bene habeo*. Verba, inquam, Burrhi sunt, *Hactenus ego me bene habeo*, hoc est, donec accessisti tu, à quo petitus veneno sum. Acute profecto ac libere. Quod non mirabitur, qui apud Xiphilinum leget in Nerone, eumdem, cum bis idem Nero rogaret, ore liberrimo dixisse, ποῖ ἂν ὡς ἅπαξ τι εἴπω, μηκέτι μὴ αὖθις πύθῃ. De quibus semel dixero, iterum interrogare me noli. *Boxhornius.* Acute: & illud *Hactenus*. ut Burrhi, non Taciti etiam præfert Aurelii lectio, verba ista, *Hactenus ego me bene habeo*, alio charactere formata exhibens. Commode tamen, *Hactenus respondisse*, potest exponi, hoc tantum. Vide Observ. in Eccles. cap. 22. In eo autem responso quæ vis sit, dicet Seneca Epist. 24. *sicut illum Cn. Pompeji socerum Scipionem, qui contrario in Africam vento relatus, cum teneri navem suam videret ab hostibus, ferro se transverberaverit, & quærentibus, ubi imperator esset, imperator, inquit, bene se habet. Vox hæc illum parem majoribus fecit & fatalem Scipionibus in Africa gloriam non est interrumpi passa*, &c. *Gronovius.* Porro scire interest in MS. Mediceo non legi *sciscitantique*, sed istam copulativam esse accessionem posterioris temporis, at tunc solummodo fuisse *sciscitanti*, ut satis commode omnia possunt cohærere; immo etiam ita legi debet ad expellendum istud interpretationis ambiguum, quod in nota producitur; ille *aversatus conspectum ejus*, contra quam in aula fieri solebat, *sciscitanti hactenus respondit, ego me bene habeo*, scilicet quamvis te non aspiciam, quum tamen infra appareat, quam solo Principis aspectu & vultu omnia faveantur. *Jac. Gronovius.*

1 Al.

derium ejus mansit per memoriam virtutis, & successorum alterius segnem innocentiam, [1] alterius flagrantissima flagitia & adulteria. quippe Cæsar duos prætoriis cohortibus imposuerat: Fenium Rufum ex vulgi favore, quia rem frumentariam [2] sine quæstu tractabat: [3] Sofonium Tigellinum, veterem impudicitiam [4] atque infamiam in eo secutus. [5] Atque illi pro cognitis moribus fuere. validior Tigellinus in animo prin-

1 *Alterius flagrantissima flagitia & adulteria*] Notatum in Mureti excerptis, *& ad ultimum.* quod supponi voluerit pro illis, *& adulteria*, an interseri, *flagitia, & ad ultimum adulteria*, nescio. Neutrum quidem mihi probabile. Illud non potest omnino; hoc possit; sed nulla necessitate, aut levi saltem caussa. *Acidalius.* Si exemplaris Medicei fidem adhibeas, Tacitus fuit usus asyndeto *flagitia, adulteria*, ut sæpe antea. *Jac. Gronovius.*

2 *Sine quæstu tractabat*] Posset etiam legi, *tractaverat.* Rhenanus.

3 *Sofonium Tigellinum*] Tigellinum libri appellant, & Græci, quibus semper Τιγελλῖνος. Sophronium corrupte epitoma Dionis: Ofonium Tacit. 1. Histor. Quod ait de vetere infamia, intellegit credo stuprum ejus cum Agrippina matre Neronis: qua caussa à Cajo in exsilium pulsus. Dio, ἐν τούτοις ἦν τότε φεύγοντες, καὶ ὁ Τιγελλῖνος ὁ Σωφόνιος ὡς καὶ Ἀγριππίνῃ μεμοιχευκὼς ἐξέπεσεν. Mentio clara hominis, imo brevis vitæ descriptio, in Scholiaste veteri Juvenalis, ad versum, *Pone Tigellinum. C. Fulcinius* (corrigendum, *C. Ofonius*) *Tigellinus, patre Agrigentino. Scylaceum relegatus juvenis, egens, verum admodum pulcher, in contubernium à Bincio & Lucio Domitiæ maritis Agrippinæ & Fulviæ sororum Cæsaris, atque in utriusque uxoribus suspectus, ob hoc urbe summotus.* Plura illic vide, sed hæc corrige: *à Vinicio & Lucio.* itemque: *Agrippina & Livia, sororum C. Cæsaris.* Nihil certius. Nam M. Vinicius Liviam Germanici filiam uxorem habuit, & L. Domitius Agrippinam. Tacitus lib. VI. Idem Tigellini nomen corruptum odoror in Egesippi lib. IV. cap. XX. ubi de Nerone. *Et ideo*, inquit, *nequissimis se Nymphidio & Gemellino præcipue credendum putavit. Gemellinum* hunc nusquam reperias, & suppone fidenter *Tigellino.* Adprobat, quod ipse subdit desertum Neronem ab utroque: quod historiæ, & nominatim de Tigellino Tacitus, prodiderunt. *Lipsius.*

Ofonium Tigillinum] Xiphilinus vocet Σωφρόνιον, ubi fortasse debuit Σωφόνιον scripsisse: ceterum hic & lib. Hist. 1. *Sofonium* legendum esse contendo. *Vertranius.*

4 *Atque infamiam secutus*] Nero amabat eos, qui flagitia Venerea dissimulabant: eaque de causa iis cætera scelera plerunque missa fecit, ut patet ex Suet. c. 9. Tigellinus itaque apertæ & perditissimæ luxuriæ vir, ea de re præfectura donatus est. *Salmerius.*

5 *Ac quæ illi pro cognatis moribus*] Non displicet Farnesiana scriptura. *Atque illi precognitis moribus fuere.* id est, præscitum antea, qui mores utrinsque. Vatic. refert, *progenitis moribus.* tentabam, *pro gentis majoribus.* quasi commendatione vitiorum pro natalibus usus. Humilitatem quidem generis ejus notat idem Tacitus 1. Historiar. *Sophonius Tigellinus obscuris parentibus, fœda pueritia.* Forte & sic leg. *ut qui illi pro geminis moribus faveret.* Geminum, simile. Emeritus ergo Tigellinus favorem Neronis similitudine morum vitiorumque. Sed ne dissimulem, Farnesiana lectio firmari omnino à Victore videtur, phrasim hanc æmulante, imo sumente a Tacito, in Othone: *Qui potentia dies fere quinque & octoginta, præcognitis moribus, potitus, postquam à Vitellio pulsus est, mortem sibi conscivit.* Atque ita Victor: tamen ingeniosus Mercerus divisim illa Farnesiani codicis legebat: *illi pro cognitis:* tales, quales jam ante noti. *Lipsius.*

Et quæ illi pro genitis morib. fuere] In exemplari regio legitur, *atque illi.* Legerim, *ac quæ illi.* pro, *genitis*, vero *cognatis.* Igitur emendavimus, *pro cognatis moribus fuere.* Rhenanus. Faernus legebat, *quæ illi pro gente & majoribus fuere*, pro illis, *Ac quæ illis pro cognatis moribus fuere.* Ursinus. Nihil certius est scriptura Farnesiani codicis, si eam distinctione juves: *Atque illi pro cognitis moribus fuere; validior Tigellinus*, &c. Dixerat causas quibus evecti ad præfecturam Fenius & Tigellinus: subdit utrumque fuisse *pro moribus cognitis*, id est, ita apud principem valuisse, ut ratio vitæ prioris & morum pristinorum ferebat. Nam adscitus per libidines Tigellinus, per easdem vim retinuit apud Neronem. Fenius favore vulgi & commendatione innocentiæ lectus, gratiam populi retinuit, non principis. *Mercerus.* Multum defero μεταξυλογίᾳ & Hermogenes suadet καὶ τῷ σχήματι χρῆσθαι τῷ κατ' ἐπεμβολήν. i. e. *uti etiam figura, quæ interjectio vocatur.* Scribo igitur: *Sofonium Tigellinum, veterem impudicitiam, atque infamiam secutus, ac quæ illi (pro cognatis moribus) fuere.* Hæc *pro cognatis moribus*, id est propter similes mores, ad impudicitiam referenda sunt, & ad alia vitia Tigellini, ut caussa præcipua, qua ei Nero sic indulserit: ambo enim crudeles & impudici: de Nerone tonsoribus notum est. Tigellinum hic habes impudicum, crudelem lib. 1. hist. *crudelitatem mox, deinde avaritiam, & virilia scelera exercuit.* Dixi, *pro cognatis moribus.* dictum vice, propter similes mores, affirmo. Terent. Eun. *Ego pol te pro istis dictis & factis, scelus, ulciscar.* In culpa autem Cornelius non est, si nonnunquam metaphoras usurpat. Demetr. αὗται γὰρ μάλιστα καὶ ἡδονὴν συμβάλλονται τοῖς λόγοις, καὶ μέγε-

principis, [1] & intimis libidinibus assumptus: prospera populi & militum fama Ru-
52 fus, [2] quod apud Neronem adversum experiebatur. Mors Burri infregit Senecæ potentiam, quia nec bonis artibus idem virium erat, altero velut duce amoto, & Nero ad deteriores inclinabat. Hi variis criminationibus Senecam adoriuntur, *tanquam ingentes [3] & privatum modum evectas opes adhuc augeret: quodque studia civium in se verteret: hortorum quoque amœnitate & villarum magnificentia quasi principem supergrederetur. Objiciebant etiam eloquentiæ laudem uni sibi asciscere, & [4] carmina crebrius factitare, postquam Neroni amor eorum venisset. Nam oblectamentis principis palam iniquum, detrectare vim ejus equos regentis; [5] illudere voces quotiens caneret. Quem ad finem nihil in republica clarum fore, quod non ab illo reperiri credatur. Certe finitam Neronis*

-ϑῶ. i. e. *ipsa enim orationem impertiunt magnificentia & voluptate.* Nec nimis remota metaphora is usus est: quando *Germani* sic appellati sunt propter morum similitudinem cum Gallis. Strabo lib. 6. *διὸ δικαιά μοι δοκῦσι Ρωμαῖοι τῦτο ἀυτοῖς θέσθαι τὄνομα.* i. e. *quæ de re merito mihi videntur hoc nomine à Romanis nuncupati.* Salinerius. Torquent se viri docti in hoc loco. *Lipsius.* è Vat. tentat: *pro gentis moribus.* Mureto notatum, *pro gente & moribus.* Lipsius iterum: *ut qui illi pro geminis moribus faveret.* Sed labitur denique idem, ut veram Farnesiani libri putet scripturam, *Atque illi procognitis moribus fuere:* ductus eo potissimum, quod P. Victor velut à Tacito mutuatus, eadem phrasi in Othone usus sit, *præcognitis moribus.* quod mihi leve adeo videtur, ut nihil supra. Amplector & ego in parte Farnesianam lectionem: sed jungenda hæc moneo cum sequentibus, à superioribus avulsa. & legendum denique post tot errores: *ac infamiam in eo secutus. Atque illi pro cognatis moribus fuere;* &c. De utroque Tacitus lib. 15, 50. Malim tamen nunc: *infamiam in eo secutus, ac quia illi pro cognatis faveret.* id est propter morum cognationem, similitudinem, congruentiam, ut Suetonius de Othone in re simili 2. Illud *ex intimis libidinibus assumptus*, possis mutare *Et intimis lib. assumptus.* Acidalius. Varii hic codices. Farnesianus *pro cognitis morib.* Vat. *pro genitis moribus.* Inde Lipsius. *qua illi pro gentilib. morib.* Mirum ni ex vulgari lectione, tantum ejecta glossa, legendum: *qua illi pro majoribus fuere.* Nam ad vocem *majoribus* aliquis interpretationem illam *pro cognatis* adscripserat, quæ postea in textu quasi Taciti verba valuere. Fuerat Tigellinus obscurus, patre Agrigentino egentissimo. Proinde ait Tacitus impudicitiam atque infamiam ipsi pro majorib. fuisse. Illis enim egregiis artibus, quasi præclaris majorum meritis alii solent, ad id honorum fastigium adscenderat. *Colerus.* Alter Manuscriptus proxime ab optimo Flor. distans, hanc lectionem, nempe *atque illi pro cognitis mor. f.* comprobat, quam Mercerus, ex Farnesiano amplectitur. Sensus: Fenium ac Tigellinum minime ab opinione hominum degeneravisse, talesque in eo munere se præstitisse, quales pridem cogniti fuerant. Vulgo, *ac qua illi pro cognatis morib. fuere.* Pichena. In tam multiplici viarum errore ubi tandem quies? Nam & postea Ryckius probat omisso *at* vel *&*, *qua illi pro cognitis mor. fu.* ubi nescio τὸ *illi* utrum sit dativus singularis an nominativus pluralis: neutrum constructio admittit. Et interim arripit indecenter explicationem Paternam; nam Pater eam sic dictavit auditoribus in collegio, & margini exemplaris sui adscripsit; quia præferebat lectionem ab Pichena ostentatam ex Florentino MS. secundo. quum nesciret quid esset in codice vetustissimo, ubi profecto veracissime scriptum est *atque illi pro cognatis moribus fuere*, nempe eosdem mores, quos per juventutem privati exhibuerant, tanquam congenitos & infixos & insitos servaverunt per temporis sequentis dignitatem, neque pudor præfecturæ eos emendavit. aut adigere potuit ad abstinendum aut illos deponendos, ut quidem ratio exigebat. *Jac. Gronovius.*

1 *Ex intimis libidinibus*] Vatic. *in intimis*, esset, ad intimas libidines electus. *Lipsius.*

Ex intimis libidinibus assumptus] Scripsimus, *& intimis* &c. *Rhenanus.* Non aliter legitur in optimo Mediceo, unde prætuli intelligens eum describi, qui jam penitus insinuavisset in animum principis, plane illic dominans; cui gratiæ occasionem dederant libidines ejusdem, quibus instruendis & novandis ille jamdiu placuerat, quum hinc occasio ei extitisset veniendi in aulam. *Jac. Gronovius.*

2 *Quamquam nec Neronem adversum experiebatur*] Sic hæc emendanda, pro quibus vulgo nulla sententia, *quod apud Neronem.* Vitii origo, quod pro *quamquam* primo sumptum *quodquod*, quorum alterum postea mutatum in *apud* & *nec* facile omissum propter *Ner.* Acidalius. Apud Domitianum etiam, maxime. Tac. in vita Agric. *militaris gloria cupido, ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama quam ex mala.* Pichena.

3 *Et privatim supra modum evectas opes*] Mutavimus *privatim* in *privatum.* Rhenanus.

4 *Carmina crebrius factitare*] Tragœdiasne, quæ ejus nomine feruntur? Non opinor, & alibi videro. *Lipsius.*

5 *Illudere voces*] Magis placeret, *vocem.* Ursinus. Muret. *vocem*, melius. Nisi fuerit *Vocei*, id est, *Voci.* Acidalius.

1 *Ata-*

*ronis pueritiam, & robur juventæ adesse. exueret magistrum, satis amplis doctoribus instru-
ctus, majoribus suis.* At Seneca criminantium non ignarus, prodentibus iis quibus 53
aliqua honesti cura, & familiaritatem ejus magis aspernante Cæsare, tempus sermo-
ni orat: & accepto, ita incipit; *Quartusdecimus annus est, Cæsar, ex quo spei tuæ ad-
motus sum; octavus ut imperium obtines: medio temporis tantum honorum atque opum in
me cumulasti, ut nihil felicitati meæ desit, nisi moderatio ejus. Utar magnis exemplis,
nec meæ fortunæ, sed tuæ.* [1] *Atavus tuus Augustus, M. Agrippæ Mitylenense secretum,
C. Mæcenati urbe in ipsa, velut peregrinum otium permisit: quorum alter bellorum socius,
alter Romæ pluribus laboribus jactatus, ampla quidem, sed pro ingentibus meritis præ-
mia acceperant. Ego quid aliud munificentiæ adhibere potui quam* [2] *studia, ut sic dixe-
rim, in umbra educata? & quibus claritudo venit, quod juventæ tuæ rudimentis affuisse
videor, grande hujus rei pretium. at tu gratiam immensam,* [3] *innumeram pecuniam cir-
cumdedisti. adeo ut plerumque* [4] *intra me ipse volvam: Egone equestri & provinciali loco
ortus, proceribus civitatis annumerer? Inter nobiles &* [5] *longa decora præferentes, novitas
mea emicuit? Ubi est animus ille modicis contentus? Tales* [6] *hortos instruit & per hæc sub-
urbana*

1 *Atavus tuus Augustus*] Imo *abavus*. Lipsius.

2 *Studia, ut sic dixerim, in umbra educata? è quibus claritudo venit*] Legam, *in umbra educata? & quibus*. Acidalius. Per *umbram* scholam declamatorum intelligit. Petron. Arb. *nondum umbraticus doctor ingenia deleverat*. id est, scholasticus. Seneca in prooemio Contr. lib. 3. *istos declamatores produc è Senatu in forum, cum loco mutabuntur, velut in assueta classe, & delecta umbra corpora sub dio stare non possunt, non imbrem ferre, non solem sciunt, vix se inveniunt.* Item in prooemio lib. 9. *usque eo ingenia in scholasticis exercitationibus delicata enutriuntur, ut clamorem, silentium, risum, cœlum denique pati nesciant.* & paulo infra: *itaque velut ex umbroso & obscuro prodeuntes loco, clara lucis fulgor obcæcat, sic istos à scholis in forum transeuntes, omnia tanquam nova & insolita turbant.* Plin. Ep. 2. lib. 9 *volumus scholasticas tibi, atque, ut ita dicam, umbraticas litteras, mittere.* Pichena. Non credam, quod hic Vir eruditus, Senecam per hæc intelligere scholam declamatorum. Non certe hæc studia intelligit Seneca, quæ plerumque ut plena vecordiæ, ita inania & fluxa sunt, sed Philosophiam, cui præcipuam semper navavit operam. *umbram* autem hoc loco pro quiete ponit, quod ea studia tractasset velut in secessu, nondum publicis negotiis atque curis appositus. *Freinshemius*. Sed etiam in Mediceo legitur *& quibus*, non *e quibus*. omnino recte. Nam illis studiis, antehac abditis & incognitis addita est claritudo ab isto tempore, quo Neroni adfuit; non autem sibi claritudinem ex studiis venisse jactat: non is est Seneca. Unde sic reposui. Hæc voluit quoque Acidalius. *Jac. Gronovius*.

3 *Innumeram pecuniam dedisti*] Codex Budensis, *circumdedisti*. Subauditur hic & particula, *gratiam immensam & innumeram pecuniam circumdedisti*, scil. *mihi*. Rhenanus. Faernus legebat. *innumeram pecuniam circumdedisti*, &c. nam in vulgatis deest illud, *circum*. Ursinus. Restitui ex Flor. *At tu gratiam immensam, innumeram pecuniam circumdedisti*. Vulgo, *innumeram pecuniam dedisti*. Hist. lib. 2. *circumdares principi ministeria*. lib. 4 *pecuniam aut carissima sibimet ipsi circumdare*. Pichena.

4 *Intra me ipsum volvam*] Quasi hæc flecti debuissent ad cap. 37. *se ipsum gladio transegit*. aut 2. hist. 33. *Summæ rerum se ipsum reservaret*. aut 4. 70. *Legiones se ipsas in verba Vespasiani adigunt*. Hinc inta m s illa taciturnitas, quam prior rupi stimulante me libro Oxoniensi, summopere gaudens, quum postea clare in Mediceo similiter reperirem *intra me ipse*, quod restitui, & bene aperuit Cl. Ryckius. Sed ego tunc annotavi id esse ex Taciti consuetudine, atque ita corrigendum me censere Histor. 1. 54. *ac ni sibi ipsi consulerent*, ubi alii *ac nisi ipsi cons.* ut habet MS. vel *ac ni sibi cons.* Et lib. 4. 11. *Cohortium præfectus se ipse interficit*; ut clare habet MS. vulgo *se ipsum*. Vide quid istis locis attulerit novissimus. certe nihil in his boni adfert ipsius codex. Nunc vero scias decet Beroaldum esse, qui sancte ediderit *intra me ipse volvam*. Jac. Gronovius.

5 *Longa decora*] Sermo satis purgatus & publicus & congruus; utinam modo ab Tacito compositus? Quod etsi credunt omnes, (nec injuria, quum sic dicat 1. hist. 15. *Sulpicia ac Lutatia decora nobilitati tuæ adjecisse*,) ubi hæc ipsa revocat Freinshemius tamen suspicionem injicit optimus ille Mediceus, in quo tantum est *longa cura*, quam postremam vocem sic mutare & ampliare placuit posteris. Nec improbabiliter; quum procul dubio & hinc Ryckius vindicaverit suam syllabæ omissionem in MS. Mediceo: sed tamen Tacitus videtur dedisse *longa iura*, quorum prosapiæ id contigit, ut multi deinceps majores eminuerint variis publicis decretis, quibus ornati fuerunt. 2. hist. 92. *Reversis ab exilio jura libertorum concessisset*. Jac. Gronovius.

6 *Hortos instruis*] Vides hic opes Senecæ in villis, agris, pecunia. Sed quid est, *instruit?* referri ad statuas, tabulas, aliumque ornatum potest:

urbana incedit, & tantis agrorum spatiis, tam lato fenore exuberat? Una defensio occur-
54 *rit, quod muneribus tuis obniti non debui. Sed uterque mensuram implevimus,* [1] *& tu*
quantum princeps tribuere amico posset, & ego quantum amicus à principe accipere. [2] *Cetera*
invidiam augent. quæ quidem, ut omnia mortalia, infra tuam magnitudinem jacet; sed mihi
incumbit: mihi subveniendum est. [3] *quomodo in militia aut via fessus adminiculum orarem;*
ita in hoc itinere vitæ, senex, & levissimis quoque curis impar, cum opes meas ultra susti-
nere non possim, præsidium peto. Jube eas per procuratores tuos administrari, in tuam for-
tunam recipi. Nec me in paupertatem ipse detrudam, sed traditis quorum fulgore perstrin-
gor, quod temporis hortorum aut villarum curæ seponitur, in animum revocabo. Superest
tibi robur, [4] *& tot per annos nixum fastigii regimen:* [5] *possumus seniores amici, quiete re-*
spondere. Hoc quoque in tuam gloriam cedet, eos ad summa vexisse, [6] *qui & modica to-*
55 *lerarent.* Ad quæ Nero sic ferme respondit; *Quod meditatæ orationi tuæ statim occur-*
ram, id primum tui muneris habeo, qui me non tantum prævisa, sed subita expedire do-
cuisti.

etsi Flor. codex, *exstruit:* quod ad ædificia ibi superba & nova. *Lipsius.*

Tales hortos instruit] Flor. *extruit.* Sed non mutavi. *Pichena.* Immo quum id ita sit, quid glande vescimur? Infima tribus vulgarium MSStorum habet aliter: an illi inconditæ turbæ cedere jubemus id, quod per singulas paginas nos cogit stupere? Omnes norunt usum verbi *instruere.* Sed & alterum compositum *exstruere* habet aliquid, quod ad hortos commode pertinet. Id etsi aut scire aut cogitare nullus velit, tamen elegit Tacitus plane non vulgati palati scriptor, idem nimirum ille, qui in principio libri undecimi dixit *extollere hortos.* Abeat igitur, ut illud plebejum & juti usitatum non mutemus meliore. *Jac. Gronovius*

1 *Et tu quantum princeps*] Vox secunda non apparet in Mediceo. Nam cur in vulgato contextu non dixit *posset?* Consideres oportet. *Jac. Gronovius.*

2 *Catera invidiam augent*] Verum est, quod ex schedis meis notavit Ryckius, post ineptissimam codicis sui interpolationem relatam, in Mediceo exstare *agent*, forsan ut cap. 53. *agebantur* pro *augebantur:* cui postea pravus interpres superscripsit *facient*, quasi illud rarum tueretur per illud commune. At Ryckius dicit vulgatam tueri editiones antiquas. At quid istæ tueri possunt contra exemplar, a quo fidelissimo & vetustissimo hæ per fraudem & dolum abiverunt, nullam habentes auctoritatem? Atqui codex ille optimus indicat Tacitum scripsisse *invidiam alent.* Res ipsa clamat. Sic Libanus *amnem Jordanem alit* 5. hist. 6. *Jac. Gronovius.*

3 *Quomodo in militia*] Intellegit Optiones, quia adjutores Centurionibus dati. Festum corrigo, *Optio qui nunc dicitur, antea appellabatur accensus. Is adjutor dabatur centurioni à Tribuno militum, qui ex eo tempore, quem velint, centurionibus permissum est optare, & nomen ex facto sortitus est.* legoque, *à Tribuno, militemque ex eo tempore.* Lipsius.

4 *Et tot per annos nixum fastigii regimen*] Putem rectius *enixum fastigio.* id autem est ad fastigium. *Grotius.*

5 *Possumus seniores amici*] Non usquequaque placet. Vatic. *quietem,* præfert. Fortean, *possumus seniores amici quietem jure spondere.* Fuit cum inculcatam vocem è sequenti linea putarem, legeremque rejecta, *poscimus seniores amici quietem.* Quid si, *quietem respondere?* Apulejus phraseos hujus approbator Apol. II. *Hascine gratias bonus filius matri respondes?* Lipsius.

Possumus seniores amici, quiete respondere] Conjicio legendum, *poscimus seniores amici quietem respondere.* nam volumen regium habet, *quietem.* Rhenanus. Beatus legit *poscimus,* & ex Corviniano *quietem* reponit: ego malim, *possimus seniores animum quieti per se spondere.* Vertranius. Intricata verba, è quibus sententia tamen utcunque elucet. Varii varie mutarunt. Muretus nihil hic juvat: qui *poscimus* saltem adnotaverat. Nos persanabimus etiam hunc locum, post tot præstantium virorum irritos conatus. Lego & distinguo: *& tot per annos nixum fastigii regimen possumus seniores amici reponere,* vel *deponere.* Quod verum probant, quæ subsequuntur: *Hoc quoque in tuam gloriam cedet, eos ad summa vexisse, qui & modica tolerarent.* Sed referebat mihi Dn. Pinellus, Joannem Petrum Maphæum, virum doctissimum, qui nunc Romæ ageret, & in Tacito, Livio aliisque auctoribus multa observasset, hunc locum sic interpretari, ut nihil mutetur. Esse enim metaphoram ab agricultura. ut terra respondet agricolarum votis, si aliquando quiescat: ita amicos seniores Neronis satisfacturos ei etiam in ista ætate, si otium sibi concedatur. Quod præcedit, *Nixum fastigii regimen,* sic capiebat Pinellus: Superesse Neroni robur & per tot annos jam sustinuisse imperii onus, ut & sciret & solus sufficeret. *Acidalius.* Lege, *quieti nos spondere,* vel *quieti respondere.* Aurelius. At tu vide, si lubet, Observ. lib. 2. cap. 4. *Gronovius.*

6 *Qui & modica tolerarunt*] Castigavimus. *qui & modica tolerarent.* Rhenanus.

1 *Avus*

cuisti. [1] *Avus meus Augustus Agrippæ & Mæcenati usurpare otium post labores concessit;* [2] *sed in ea ipsa ætate, cujus auctoritas tueretur, quidquid illud & qualecumque tribuisset.* [3] *attamen neutrum datis a se præmiis exuit.* [4] *Bello & periculis meruerant, In his enim juventa Augusti versata est. Nec mihi tela & manus tuæ defuissent, in armis agenti. Sed quod præsens conditio poscebat, ratione, consilio, præceptis pueritiam, dein juventam meam fovisti. Et tua quidem erga me munera, dum vita suppetet, æterna erunt: quæ a me habes, horti, & fenus, & villæ, casibus obnoxia sunt; ac licet multa videantur, plerique haudquaquam artibus tuis pares, plura tenuerunt.* [5] *Pudet referre libertinos, qui ditiores spectantur. Unde etiam rubori mihi est, quod præcipuus caritate, nondum omnes fortuna antecellis. Verum & tibi valida ætas, rebusque* [6] *& fructus rerum sufficiens,* 56
& nos prima imperii spatia ingredimur: [7] *nisi forte aut te Vitellio ter consuli, aut me*

[1] *Clau-*

1 *Avus meus Augustus*] Legam ut supra, *abavus*. Lipsius.

Avus meus Augustus] Atavum significat, itaque proxime appellavit. Atavus autem quinto gradu distat, quoto Nero aberat ab Augusto: qui ex Tiberio nepotem Germanicum adoptaverat; ex Germanico vero nata est Agrippina mater Neronis. *Ferretus.*

2 *Sed in ea ipsa ætate, cujus auctoritas*, &c.] Totus hic locus ita legi commodius posset; *Sed in ea ipsa ætate, cujus auctoritas tueretur quicquid illi*, vel (ut Faernus) *illis, & qualecunque tribuisset, ac tamen neutrum datis à se præmiis exuit*, &c. *Ursinus.*

3 *Attamen neutrum datis à se præmiis exuit*] Malim, *Ac tamen.* quod & Muretus. *Acidalius.* Flor. *ac tamen.* Pichena.

4 *Bellis & periculis meruerant*] Scripsi, *Bello & periculis meruerant.* Rhenanus. Præponi velim *at*, ut objectio clarior & robustior sit: *At bello & periculis meruerant. In his enim juventa Augusti versata est.* Acidalius.

5 *Pudet referre libertinos, qui te ditiores sunt*] Ita Danesius legebat, addito, *te*, quod in vulgatis deest. *Ursinus*

6 *Et fructui rerum sufficiens*] Quid illud monstri est? sane scripserat *functui?* id est. fungendis rebus. *Heraldus.* Immo *fructui* est fruitioni, aut fruendi facultati. Validam Senecæ ætatem suppetere dicit non solum ad res suas administrandas, sed etiam ad fruendas. Juvenes enim magis frui possunt opibus suis quam senes, iidemque iis sustinendis magis sufficiunt quam qui senio infirmiores sunt. Terentius Heaut. *Quem pariter his uti decuit, aut etiam amplius, Quod illa ætas magis ad hæc utenda idonea est.* Cicero de senectute: *Quod si ipsis voluptatibus bona ætas fruitur libentius, primum parvulis fruitur rebus.* Salmasius.

7 *Nisi forte aut te Vitellio*] Vitellius ter consul, malis artibus plurimum potuit apud Claudium: à quo, cum illi pudendum in modum adularetur, honores opesque maximas assequutus est. Sed cum inquit, *me Claudio præponis:* malim, *mihi Claudium præponis:* alioqui nullus bonus elici potest sensus. Nisi ergo, inquit, aut te plus adeptum esse putas quam Vitellium, ter consulem, summis hominem opibus, & alterum fere imperatorem; aut mihi Claudium præfers, addictum mulieribus, & libertis, & vix mentis compotem. *Ferretus.* Faernus legebat, *aut me Claudio postponis*, &c. non, ut in vulgatis, *præponis* Ursinus. Senecæ verba fuerunt. *Sed uterque mensuram implevimus, & tu quantum princeps tribuere amico posset, & ego quantum amicus à principe accipere.* Quæ Nero studens impugnare, his innititur: tu (quæ tua modestia) dicis me tibi ea donasse, quæ princeps in amicum conferre valuit; ego vero conscius mihi sum, idem vero procul esse, quia nonnullos libertinorum te video multo ditiores: sed quod à me nondum factum est, fiet utique, nec in longum ducetur. An fulgore magistratuum te putas Vitellium anteire? erras si id credis Seneca: ille enim tertium consul: an me Claudio beneficentiorem? at is majora contulit in amicum. Proinde verum non est utrosque nos mensuram implevisse, nam Claudius plura donavit, & plura Vitellius accepit. De Vitellii potentia sub Claudio imperatore, Sueton. hæc: *Mox cum Claudio principe duos insuper ordinarios consulatus censuramque gessit: curam quoque imperii sustinuit absente eo.* In his multus fui, quod obscura visa sunt doctissimo viro. *Salinerius.* Muretus voluerat, *aut mihi Claudium præponis.* Recte, sed in parte. Rectius Lipsius *postponis*, vel addita negatione, *non præponis.* quorum illud ego malim. Sed & sequentia, *Sed quantum Volusio longa parcimonia quæsivit, tantum in te mea liberalitas explere non potest*, leviter mutanda, & cum antecedentibus nectenda hoc modo. *Nisi forte aut te Vitellio ter Consuli, aut me Claudio postponis: & quantum V. L. p. quæsivit, t. in te m. l. e. non potest.* Acidalius. Negatio, quam Lipsius hic inserere vellet, locum habere non videtur. nam de liberalitate tantum loquitur Nero, non de ceteris virtutibus. Tua ætas, inquit, est adhuc præmiis sufficiens, & ego sum in ipsis initiis imperii ac liberalitatis: nisi forte existimas, te majora præmia ampliorésque dignitates à me accepisse, quam à Claudio Vitellius ter Consul; aut me liberaliorem fuisse erga te, quam Claudius erga illum. Ita sentit etiam Salinerius. *Pichena.* Sed mi-

rum

[1] *Claudio præponis. Sed quantum* [2] *Volusio longa parcimonia quæsivit, tantum in te mea li-*
beralitas explere non potest. Quin si qua in parte lubricum adolescentiæ nostræ declinat,
revocas; [3] *ornatumque robur subsidio impensius regis. Non tua moderatio, si reddideris*
pecuniam; nec quies, si reliqueris principem; sed mea avaritia, mea crudelitatis metus in
ore omnium versabitur. Quod si maxime continentia tua laudetur; non tamen sapienti viro
decorum fuerit, [4] *unde amico infamiam paret; inde gloriam sibi recipere.* His adjicit
complexum & oscula, [5] factus natura & consuetudine exercitus velare odium fallaci-
bus blanditiis. [6] Seneca (qui finis omnium [7] cum dominante sermonum) grates agit:
sed instituta prioris potentiæ commutat; prohibet cœtus salutantium: vitat comitan-
tes: rarus per urbem, quasi valetudine infensa, aut sapientiæ studiis, domi attinere-
57 tur. Perculso Seneca, promptum fuit Rufum Fenium imminuere, *Agrippinæ ami-*
citiam in eo criminantibus. Validiorque in dies Tigellinus, & malas artes, quibus
solis pollebat, gratiores ratus si principem societate scelerum obstringeret, metus ejus
rimatur. Compertoque Plautum & Sullam maxime timeri, Plautum in Asiam, Sul-
lam in Galliam Narbonensem nuper amotos; *nobilitatem eorum, & propinquos huic*
Orientis, illi Germaniæ exercitus commemorat. *Non se, ut Burrum, diversas spes, sed*
solam incolumitatem Neronis spectare. cui caveri utcumque ab urbanis insidiis [8] *præsentia;*
longin-

rum silentium de exemplari Mediceo, in quo prima syllaba verbi, quod edunt *præponis*, per notam coucepta est talem *p̄*, quæ certe indicat *post*. Quid volunt amplius garrire? Sed & in eodem scribebatur, *tantum in me mea libertas explere*. Non aliter ac si ratioues redituum imperii teneant eum constrictum, ut quum cuperet in eum plurima effundere, non ausit constrictus & nou ad arbitrium suum liber, ut certe verum est, si modo observare voluisset. Hujus ironiæ non dissimile est acumen Othonis in ridendo Galba, a quo supponit postulatam esse suam ac prætoriarum cohortium pœnam, pergitque; *Et cujus lenitatis est Galba, jam fortasse promisit*. Ad hanc enim pertinet facilitas paterna in indulgendo, quod petunt liberi; quod mihi videtur ex schedis meis recte elegisse & restituisse Cl. Ryekius, sane illum ipse quoque secuturus. *Jac. Gronovius.*

1 *Claudio præponis*] Si quid video, aut negatione insita scribend. *non præponis:* aut mutandum in *postponis*. Certe & Nero judicio ante Claudium: & Seneca omni re aute Vitellium. *Lipsius.*

2 *Volusio longa parcimonia*] Dixi supra: addo hoe nomen in Vatic. constanter semper scribi, *Volusino*. Porro de divitiis Volusiorum Silii egregius locus est, huc alludentis lib. v.

Occumbis generose Volux. nec clausa repostis
Pondera thesauris, patrio nec regia quondam
Præfulgens ebore & possessa mapalia soli
Profuerint. Lipsius.

3 *Inornatumque robur*] Inornati vox displicet, cum sequantur verba parum illi congrua. Malim, *inordinatumque*. Id est, incompositum ætatis hujus robur. Nec displieet sane Faerni, *innatumque robur*. Idem.

Innatumque robur] Ita Faernus legebat, non ut vulgo legitur, *inornatumque* &c. *Ursinus.* Non placet & mihi *inornatum:* sed magis utique quam aut *inordinatum* Lipsii aut *innatum* Mureti. *Acidalius.* Lucianus Icaromen. πρὸς τὰς κανόνας ἀπευθύναντας τὰ ξύλα. Amussitato ligno coutrarium *robur inornatum*. Ut si diceret: superest mihi robur, sed *inornatum* sive indirectum, sive uon amussitatum. Quin tu illud digeris, amussitas, exascias, oruas. *Marcilius.* Vide quot vulnera veteres correctores intuleriut. Nam hic locus recte quidem legebatur in Flor. Sed à recenti quodam interpolatore sensum non percipiente, ante verbum, *ornatumque*, additum fuit, *i*, ut fieret *inornatumque*, quomodo scriptum erat in omnibus vulgatis. Sed non fefellit, qui recentem mauum agnoscerem, ideoque textum suæ integritati restitui. Ait enim: postquam robur ætatis meæ præceptis tuis ornasti, nunc tuo subsidio impensius regis. *Pichena.*

4 *Unde amico infamiam parit*] Reposuimus, *parat*. Rhenanus. Sed in Mediceo reperiens *parat*, omnino id præferebam, ut etiamnum illud reponendum censui, præeuute etiam Cl. Ryckio. *Jac. Gronovius.*

5 *Factus natura*] Libri ita. Vulgo, *facetus*. Lipsius.

6 *Seneca, qui finis omnium cum dominante sermonum, grates agit*] Non video cur vox, *sermonum*, ex omnibus recentioribus libris sublata fuerit, cum & Flor. & Ven. & alii Manuscripti, quos viderim, eam constanter habeant. Itaque restitui: & optima est sententia: omuium sermonum, qui cum Principe habentur, finem esse, gratias agere. Hist. lib. I. *Finis sermonis in eo, ut quina millia nummum singulis militibus numerarentur.* Pichena.

7 *Cum dominante sermonum*] Quibusdam abest vox, *sermonum:* nee ego requiram. *Lipsius.*

8 *Præsentia; longinquos*] Florentino est, *præsentiora:*

longinquos motus quonam modo comprimi posse? Erectas Gallias ad nomen dictatorium, [1] *nec minus suspectos Asiæ populos, claritudine avi Drusi.* [2] *Sullam inopem, unde præcipuam audaciam:* & [3] *simulatorem segnitiæ, dum temeritati locum reperiret. Plautum magnis opibus, ne fingere quidem cupidinem otii; sed veterum Romanorum imitamenta præferre: assumpta etiam Stoicorum arrogantia, sectaque,* [4] *quæ turbidos, & negotiorum appetentes faciat.* Nec ultra mora. Sulla sexto die pervectis Massiliam percussoribus, ante metum & rumorem interficitur, cum epulandi caussa discumberet. [5] Relatum caput ejus illusit Nero, tamquam præmatura canitie deforme. Plauto parari necem, 58 non perinde occultum fuit, [6] quia pluribus salus ejus curabatur, & spatium itineris ac maris tempusque interjectum moverat famam; vulgoque fingebant, *petitum ab eo Corbulonem,* [7] magnis tum exercitibus præsidentem, si clari atque insontes interficerentur, præcipuum ad pericula. *quin & Asiam favere juvenis arma cepisse, nec milites ad scelus missos, aut numero validos, aut animo promptos, postquam jussa efficere nequiverint, ad spes novas transisse una.* [8] Hæc more famæ, credentium otio augebantur. Ceterum libertus Plauti celeritate ventorum prævenit centurionem, & mandata L. Antistii

tiora: ex quo alii, *præsentiore;* ego, *præsenti opera* vellem, si tamen vulgata mutanda. *Idem.*

Præsentia] Flor. corrupte, *præsentiora.* Pichena. Suspectam sua sponte lectionem, magis etiam falsi ream arguit MS. Florentinus, in quo ajunt reperiri *præsentiora,* unde alii excudunt, *præsenti opera:* alii *præsenti ore:* mihi verum videtur *præsenti cura.* Freinshemius. At eadem præsens cura vel opera, vel os, tot provinciales motus compressit, ut si Tigellinus eo modo loquutus fuerit, ipse ultro subjiciat, quomodo responderi debeat & objectio ejus irrita fieri. Attamen hoc supplemento etiam Cl. Ryckium consolatur codex ejus, quippe qui talium fuit plenus. Si viri docti novissent formam literarum, quibus ille pervetustus Mediceus scriptus est, ut nunc in Mabillonio videre licet, scissent literam vel vocalem primam *a* & literam *r* præbuisse eosdem ductus, unde exstitit illud *ort*, post quas literas videtur adjecta fuisse nota, quæ interiit. Ita corrigi deberet *cui caveri utcumque ab urbanis insidiis præsenti,* (& in his est sensus perfectissimus) *ortos longinquos motus qu. m. c. posse?* Jac. Gronovius.

1 *Nec minus suspectos*] Scribo, *suspensos.* Lipsius.

Nec minus suspectos Asiæ populos] Lipsius corrigit, *suspensos.* Sed mihi *suspicionis* verbum, aptius ad Taciti mentem videtur. intelligit enim, Asiæ populos, haud minus quam Gallos, suspectos, ne Plauto præbeant aures, si forte eos ad rebellionem solicitet, præcipue ob memoriam avi Drusi. *Pichena.*

2 *Sullam, simulatorem segnitiæ*] Sæpe sic evenit: ut qui maxime ambitiosi, occultent. Pulchre & ad Taciti lucem Seneca in Oedipo:

Certissima est regnare cupienti via,
Laudare modica, & otium ac somnum loqui.
Ab inquieto sæpe laudatur quies.

Ejusdem sententiæ illud Nostri est: *cujus disparem mitioremque naturam contra interpretabatur.* lib. IV Histor. in extremo. *Lipsius.*

3 *Simulatorem segnitiæ*] Notat in hanc sententiam hic loca aliquot Lipsius: nollem omissum de hoc ipso Sulla istum lib. 13. *Suspectabat maxime Cornelium Sullam, socors ingenium ejus in contrarium trahens, callidumque & simulatorem interpretando.* Acidalius.

4 *Quæ turbidos, & negotiorum appetentes faciat*] Faernus legebat: *facit.* Ursinus.

5 *Relatum caput ejus*] Flor. habet; *prælatum caput ejus.* Forte, *perlatum.* Sic infra, *Perlatum, & paludamento opertum.* Tamen paulo infra ait; *Caput interfecti relatum.* Pichena.

6 *Quia à pluribus salus ejus curabatur*] Præpositionem *a* delevimus. *Rhenanus.*

7 *Magnis tum exercitibus præsidentem*] Talium transpositionum amator est Tacitus. Vulgo, *tum magnis exercitibus,* contra veteres libros. *Pichena.*

8 *Hæc in ore famæ*] Modius noster in Novo-antiquis legit, *more famæ.* &, *augebantur.* acute. Ita IV. Hist. *More famæ in majus innotuere.* Lipsius.

Hæc in ore famæ, credentium otio agebantur] Sane acute Modius, *more famæ credentium otio augebantur.* Muretus non minus, *Hæc more famæ præsentium odio augebantur.* Sed utrumvis accipias, *in ore famæ* nolim mutari, quæ elegans dictio. Plin. Panegyr. ex Lipsii emendatione, *Sunt in ore hominum, & in ore famæ magna nomina,* &c. Tacit. lib. 2. Histor. *Erat tamen in ore famaque Vespasianus,* id est, in ore famæ. Curtius, nescio quo libro, *Rumorem dixit otiosi militis vitium;* & alibi, *Otium alendis vel ferendis rumoribus natum.* Acidalius. Quod Lipsius ait, à Modio legi, *more famæ,* à Flor. confirmatur, & à Tacito l. 4. Hist. *veraque & falsa more famæ, in majus innotuere.* Locum ergo correximus. vulgo, *in ore famæ.* scripsimus etiam, *augebantur* pro *agebantur* eodem Modio autore, ac sententia suadente. *Pichena.* Non placet mihi illud *una,* sub finem periodi contra Taciti morem, & numeros plerumque

tiſtii ſoceri attulit, [1] *effugeret ſegnem mortem*, [2] *otium, ſuffugium, & magni nominis miſerationem. reperturum bonos, conſociaturum audaces. nullum interim ſubſidium aſpernandum. ſi ſexaginta milites* [3] *(tot enim adveniebant) propuliſſet; dum refertur nuntius Neroni, dum manus alia permeat, multa ſecutura,* [4] *quæ ad uſque bellum evaleſcerent. denique aut ſalutem tali conſilio quæri, aut nihil gravius audenti quam ignavo patiendum eſſe.*

59 Sed Plautum ea non movere. ſive nullam opem providebat inermis atque exſul; ſeu tædio ambiguæ ſpei; an amore conjugis & liberorum, quibus placabiliorem fore principem rebatur nulla ſollicitudine turbatum. Sunt qui *alios à ſocero nuntios veniſſe* ferant, *tamquam nihil atrox immineret; doctoreſque ſapientiæ* [5] *Cœranum Græci, Muſonium Thuſci generis,* [6] *conſtantiam opperiendæ mortis, pro incerta & trepida vita ſuaſiſſe.* Repertus eſt certe per medium diei nudus, exercitando corpori. Talem eum centurio

que ab eo obſervatos. Itaque reſcribo, *vana*, & eum ſequentibus conjungo. *Ad ſpes novas tranſiſſe. Vana hæc, more famæ, credentium otio augebantur.* Erant enim hæc revera falſa & vana, ſicut ex toto contextu liquet. *Boxhornius.* Vix eſt, ut non ſcripſerit Tacitus *odio*. Sic lib. I. hiſtor. *Sed plurima ad fingendum credendumque materies in ipſis caſtris odio, metu, &, ubi vires ſuas reſpexerant, ſecuritate.* Gronovius.

1 *Effugeret ſegnem mortem, otium, ſuffugium, & magni nominis miſerationem*] Melius ſit legere, *& magni nominis miſeratione reperturum bonos.* id eſt ob miſerationem. *Rhenanus.* Suſpecta Lipſio, *otium, ſuffugium.* quæ Muretus mutabat, *effugeret ſegnem mortem hoſtium ſuffugio.* Sed parum convenienter. Mihi, ſi hæc deleantur, recte habitura reliqua videntur. *Acidalius.* Video hæc etiam magno Lipſio ſuſpecta. neque id injuria. nam quid opus monere Plautum, ut otium effugeret? à quo ille certe alienus, ut patet ex ſuperioribus, *ne fingere quidem cupidinem otii.* præterea quid ſibi vult, *effugere ſuffugium?* immo contra Antiſtii mens eſt, eum hortari, ad quælibet ſuffugia tentanda, potius quam mortem expectaret. ac ſequentia verba, *reperturum bonos, conſociaturum audaces, nullum interim ſubſidium aſpernandum*, nihil aliud quam ſuffugia ſunt, quæ illi ſocer oſtendit. Suſpiciones & abſurda notavimus. correctio non noſtræ opis. *Pichena.* Hæc omnibus merito ſuſpecta. Tentem ſic ordinare: *effugeret ſegnem mortem: otium* (ſubaudi *eſſe*, quod uſitatiſſimum) *ſuffugiis & magni nominis miſeratione reperturum.* hoc eſt, ſpatium & tempus ſuffugii ſupereſſe; intereaque poſſe eum clari generis commiſeratione multos ad propulſandam injuriam allicere, &c. *Freinshemius.* Illa, *otium, ſuffugium*, merito Lipſio, aliiſque ſunt ſuſpecta. At certiſſimum eſt, quod reponit Heinſii illa feliciſſima manus: *odii ſuffugium.* Effugeret ſegnem mortem, qua nihil aliud, quam odium hoſtium effugeret, & magni nominis miſerationem pararet. *Boxhornius.*

2 *Otium, ſuffugium*] Suſpecta. *Lipſius.*

3 *Tot enim veniebant*] Scripſimus, *tot enim adveniebant.* Rhenanus.

4 *Quæ ad uſque bellum evaleſcerent*] Quid ſi quis legat, *quoad uſque bellum evaleſceret.* Rhenanus. Speciem habet; ſed nec omnis illa varietas ſcribentium, nec acrimonia ingeniorum tanti debent eſſe, ut ideo ſanctitatem codicis Medicei vel ſcripto vel cogitatione inquinemus. Dedi antea aliquid exemplari Oxonienſi; ſed plane nunc non diſcedo ab altero, quem honoris cauſa nominavi priorem. *Jac. Gronovius.*

5 *Cœranum Græci, Muſonium Thuſci*] Cœranus mihi irrepertus, niſi quod Plinius Indice lib. II. inter auctores quos delibavit, recenſet *Ceranum.* In Senecæ Epiſtola LXVI. valde celebratur hujus ævi *Claranus* quidam Philoſophus. numquid ibi *Cœranus?* aut magis, in Tacito *Claranus?* Sed Muſonius notior, qui Vulſiniis in Etruria natus, *equeſtris ordinis, ſtudium philoſophiæ & placita Stoicorum æmulatus eſt*, ait noſter lib. III. Hiſt. Nomina illi, C. Muſonius Rufus, uti ex Tacito & Plinio colliges lib. III. epiſtolar. Supervixit ad imperium Veſpaſiani, ut jure culpes Suidam, interfectum eum à Nerone, bis adfirmantem. Vide eum in voce, Μουσώνιος, & Κοράνος. Melius veriuſque Philoſtratus lib. VII. qui Muſonium Tyrrhenum in Gyaron inſulam projectum à Nerone ſcripſit. Unde rediit, cum ille abiiſſet. *Lipſius.*

Cœtarum Græci] Nos, *Cæranum.* Rhenanus. Vix Cornelii ſcriptum indicat moriendone an docendo, ſapientiæ doctores conſtantiam obeundæ mortis ſuaſerint. Cæranus aliis mihique ignotus eſt: ſed uterque tamen inter diſputandum potius quam morte ipſa ſuaſiſſe videri debet. Siquidem apud Xiphilinum non necatus, ſed in exſilium miſſus eſt Rufus Muſonius Philoſophus, qui ut libro ſeq. Cornelius ait, ſtudia juvenum præceptis ſapientiæ cum foviſſet, poſt mortem Neronis reſtitutus, adeo charus Veſpaſiano fuit, ut cum omnes urbe Philoſophos idem Imperator expelleret, unum exceperit Muſonium. Quæ Dio Caſſius prodidit, aliter quam Suidas: hic enim ſcriptum reliquit. *Muſonius Babylonius Philoſophus Stoicus ac dialecticus tempore Neronis, familiaris Apollonii Tyanei à Nerone deinde ob linguæ licentiam interfectus eſt.* Vertranius.

6 *Conſtantiam opperiendæ mortis*] Imo, *oppetendæ mortis.* Ita legendum me monet idem Heinſius; quo

turio trucidavit, coram Pelagone spadone, quem Nero [1] centurioni & manipulo quasi satellitibus ministrum regium præposuerat. [2] Caput interfecti relatum. [3] cujus aspectu, ipsa principis verba referam: *Quin*, inquit, *Nero & posito metu nuptias Poppææ ob ejusmodi terrores dilatas* [4] *maturare parat, Octaviamque conjugem amoliri*, [5] *quamvis modeste agat*, [6] *& nomine patris, & studiis populi gravem?* [7] Sed ad senatum litteras misit, [8] de cæde Sullæ Plautique haud confessus. verum *utriusque turbidum ingenium esse, & sibi incolumitatem reipublicæ magna cura haberi.* Decretæ eo nomine *supplicationes, utque Sulla & Plautus senatu moverentur*, [9] gravioribus tamen ludibriis quam malis. Igitur accepto patrum consulto, [10] postquam cuncta scelerum suorum pro 60
egregiis accipi videt, exturbat Octaviam, *sterilem* dictitans. Exin Poppææ conjungitur. Ea diu pellex, & adulteri Neronis, mox mariti potens, quendam ex ministris Octa-

quo nemo genium Taciti altius inspexit. *Boxhornius.*

1 *Centurioni & manipulo*] Manipulus constat sexaginta militibus. *Ferretus.*

2 *Caput interfecti relatum*] Non ergo idem hic ille Plautus, cujus necem Suetonius rettulit cap. xxxv. Non hercle idem, multa obstant. Primum ille inter pueros, aut certe ætate inferior quam Nero: (stupro enim ante mortem illi cognitus.) At iste grandior. Ille Romæ fuisse debuit, cum cæsus est, in Asia ille. Ille viva Agrippina; hic mortua pridem interfectus. Itaque illum cum libris aliquot verius est, A. Plautium vocari, filium fortasse ejus qui de Britannis triumphavit. Cum nostro isto si confundis (quod faciunt plures:) quomodo vel hac parte Tacitum cum Suetonio junges, qui diversissima Neronis verba depromunt? Dio an de hoc Plauto locutus sit nescio. Τόν γε ὧν Πλᾶτον (scribo Πλαῦτον) ἀποκτείνας, ἔπειτα τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ προσενεχθεῖσαν οἱ ἰδὼν, Οὐκ ᾔδειν, ἔφη, ὅτι μεγάλην ῥῖνα εἶχε. Nam & ea verba diversa ab illis. Quis tamen neget, quin & hæc potuerit adjungere? *Lipsius.*

3 *Cujus aspectu, ipsa principis verba referam*] Parentheti hæc aptius includantur: *cujus aspectu (ipsa pr. v. referam) quin, inquit, Nero deposito metu nuptias Poppea ob ejusmodi terrores dilatas maturare parat.* Melius secunda persona fuerit, ut hæc ad se ipsum, *paras.* quod & Mureto visum. *Acidalius.*

4 *Maturare parat*] Muretus, *paras*, ut fint verba Neronis sibi ipsi loquentis. Sed & vulgata lectio recte se habet. Nam etsi Nero de se ipso loquitur, fingit tamen alium aliquem ea verba oblique dicentem. *Pichena.*

5 *Quamvis modeste agat*] Flor. *ageret.* Pichena. Sed ita ut proximum & fit isti verbo imperfecti temporis inclusum. Ita enim habet *ageret nomine.* Hinc decerne. Major molestia est in antecedentibus; quam cur celat Pichena? Habet enim optimus liber, *Cur, inquit, Nero & posito metu.* Ex quibus illud posterius nequit auferri vel negari Tacito, ut monstrat index adeo continuum ejus usum, ut jam confirmatum ab optimo codice debeat adsumi. Inde igitur progrediens, quis non videt Neronem dixisse & Tacitum scripsisse? *Curre, inquit, Nero, & posito metu nuptias Poppææ ob ejusmodi terrores dilatas maturare para, Oct.* Solent alias præmittere imperativum verbi *Eo*, & Tacitus aliquoties *ire propere*, ut scias eundem esse, qui similem sensum fovet, diversis quanquam locutionibus. *Jac. Gronovius.*

6 *Et nomine patris, & studiis populi gravem*] Patris nomine gravis Octavia, quia etiam silens exprobare assidue videbatur, patrem Claudium veneno necatum. *Pichena.* Quia scil. ipsa verus Claudiorum sanguis, cum Nero insititius esset, nec enim recte cepisse mihi videtur hoc Vir eruditus, qui aliter explicat. *Freinshemius.*

7 *Et ad senatum literas misit*] Ita Faernus legebat, non, *sed ad senatum.* Ursinus. Muretus. *Sed & ad Senatum.* Acidalius.

8 *De cædibus Sullæ Plautique*] Scripsimus, *de cæde Sullæ Plautique.* nec erat hic opus vocabulo plurativi numeri. *Rhenanus.*

9 *Gravioribus tamen ludibriis quam malis*] Putabam scripsisse Tacitum *gravioribus jam ludibriis.* ut dicat; quamquam mala essent gravissima, tamen ipsa ludibria graviora adhuc fuisse visa. quod fere inter omnes constat, ut leviores videantur miseriæ, quibus non illuditur. Hoc sensu infra 14, 63. dicit, *crimen omni exitio gravius.* Nec ad Plautum atque Sullam ea referri debent, sed ad remp. quæ per damnationes tot illustrium virorum gravia quidem mala perpetiebatur, sed ista ludibria, istas contumelias (jam cæsos damnari demum, quasi non de libertate tantum populi Rom. triumpharet princeps, sed etiam tam absurdis actionibus, stuporem ipsi exprobraret) ægrius quam ipsas calamitates ferebat. Scil. istud Senecæ de clement. 1, 10. non ad solos principes pertinet: *Contumelia acerbiores solent esse quam injuriæ.* Freinshemius. Vulgatam sic interpretabar: quæ severa tamen adulatio non tam aggravabat augebatque mala, indignas nimirum cædes Sullæ Plautique, quam mimica, vana, ludicra mala veris addebat. *Gronovius.*

10 *Postquam cuncta scelerum suorum*] Vocem, *suorum*, video abesse, salva sententia, potuisse, neque erat in vulgatis. ex Flor. tamen reposui. *Pichena.*

1 *Eu-*

Octaviæ impulit, *servilem ei amorem* objicere. destinaturque reus cognomento [1] *Eucerus*, natione Alexandrinus, [2] canere tibiis doctus. Actæ ob id de ancillis quæstiones, & vi tormentorum victis quibusdam, [3] ut falsa annuerent, plures perstitere sanctitatem dominæ tueri. [4] Ex quibus una instanti Tigellino, *castiora esse muliebria Octaviæ* respondit, *quam os ejus*. Movetur tamen primo [5] civilis discidii specie [6] domumque Burri, & prædia Plauti, infausta dona accipit. mox in Campaniam pulsa est, addita militari custodia. Inde crebri questus, nec occulti per vulgum, cui minor sapientia, & ex mediocritate fortunæ, pauciora pericula sunt. [7] His, haud quaquam

1 *Eucerus natione Alexandrinus*] Idem mox tibicen Ægyptius dicitur: ancilla vero quæ Octaviæ sanctitatem defendit, Pythias, apud Xiphilinum. *Vertranius*. Flor. Ven. & alii, *natione Alexandrina*. Pichena. Quod supra dixi diphthongos non in usu fuisse librariis, qui MSS. nobis reliquerunt, id etiam suspicionem hoc loco movet, ut corruptum hoc nomen videatur, & scribendum *Eucarus: Eukairos Opportunus*. quod nomen Latinum etiam non memini fuisse mihi lectum. *Freinshemius*. Tanquam in illis jocosis, quæ servulis designandis quilibet fingebat, nequiverit aliquis per aliam literam efferre, quod in Inscriptionibus occurrit *Eucarus*. Ut quum Græcis sit notus Βοῦς Εὔκαιρος, inde lepor Latini alicujus nunquam aliquid traxisset ad nomen servuli, & plura forsan. Ridiculum plane illud strictum *Eucarus*, quod Freinshemio reliqui. Quod deinde olim testatus sui de codice Oxoniensi, nempe in eo legi *natione Alexandrina*, id ipsum vides, ut confirmet ex aliis Pichena. Ryckius silere nunc maluit pretium sui codicis. Addidi conjecturam de modo intelligendi, quæ tamen nunc videtur nimis arcessita, quum non tam ex ratione Latini sermonis ita loquatur Tacitus, quam ex Ægyptia consuetudine, ut sit hæc loquutio vilitatem ejus tibicinis clare magis exprimens, qui ne dignus quidem esset more solito appellari ab patria, sed ortus foret ex classe aut tribu illic sustentata sordide, cujus portiones hoc genus placendi per tibias edoctæ inde deducerentur venderenturque in omnes regiones, ut tibicinis munere fungerentur, qualis hic fuit. Innuit fuisse in ea urbe aliquid residuum vetusti moris Ægyptiorum, quo legontur illi distincti fuisse per functiones aut opificia ab parentibus sueta propagari in posteros. *Jac. Gronovius*.

2 *Canere tibiis doctus*] Flor. *canere per tibias*. An forte, *canere pares tibias?* Lipsius.

Canere tibiis doctus] Flor. *per tibias*. Pichena. 15, 63. *Vita per virtutem acta*. Jac. Gronovius.

3 *Ut falsa annuerent*] Mediceus *si falsa ann.* Idem.

4 *Ex quibus una*] Nomen liberrimæ ancillæ, Pythias, ex Dione. *Lipsius*.

5 *Civilis dissidii specie*] Id est, divortii. *Idem*.

Amovetur tamen primo] Ita Faernus legebat, non, *movetur*, ut in vulgatis. *Ursinus*. Malim, *Amovetur tamen, primo civilis dissidii specie*. Acidalius. Forte aptius, *amovetur*. Pichena.

Movetur tamen civilis dissidii specie] Non dubie legendum: *discidii*, id est, divortii. Loquitur enim de Octavia, quam Nero amoverat, & Poppæam substituerat. Sic Ann. 11, 28. *Dedecus quidem illatum, sed excidium procul absuisse*. nugatoria lectio propagatur hactenus. Quis enim non videt corrigendum esse, *sed discidium procul absuisse*: quippe cum & in Florentino exaratum fuerit: *sed & scidium*. Tacitus alibi. *An discidium tuum nosti?* Martialis lib. 10. de divortio Proculejæ: *Dissidium non est hoc Proculeja, lucrum est*. Male, pro *discidium*. Glossarium vetus *discidium*, διαχωρισμός, χωρισμός. Apud Sueton. quoque in Domit. 3. Lege: *Impatiens discidii*. Colerus.

6 *Domumque Burri & prædia Plauti*] In MS. Mediceo non extat illud &, ut innuat asyndeti venustatem nobis ignoratam, & aliquoties antea notatam. *Jac. Gronovius*.

7 *His haud quaquam Nero*] Mutila, fracta: & in quibus restituendis, sine libris frustra allaborem. In eadem noxa, sequentia. In Agricolæ tamen codice notatum. *His motus Nero, an pœnitentia flagitii*. sed ingenio, ut opinor, duce. *Lipsius*.

His, haudquaquam Nero pœnitentia flagitii] In regio volumine legitur. *His tamquam pœnitentia flagitii*. Malim, *His Nero tamquam pœnitentia flagitii*. Rhenanus. Aldus & Puteolanus ita distinxere, *His, (haudquaquam Nero pœnitentia flagitii) conjugem Octaviam revocavit*, quod potius est emendationibus è regio codice deductis. mens est, Nero abhorrens ab Octavia, & perditus amore Poppææ, ea instigante uxorem amolitur, & in Campaniam pellit: postea revocat, non quod facti pœnitet (erant enim etiamdum integræ caussæ expulsionis) sed populum verens cui talia non probabantur. *inde crebri questus, nec occulti, per vulgus cui minor sapientia, & ex mediocritate fortunæ pauciora pericula*. Non ergo sua sponte revocavit, sed timore populi, nam si ultro, sententiam mutasset, quod exigit τὸ *pœnitentia flagitii*. Gell. 17, 1. *pœnitere tum dicere solemus, cum quod ipsi facimus, aut quæ de nostra voluntate nostroque consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere, sententiamque in iis demutamus*. Salinerius. Locum mutilum & fractum clamat Lipsius, & in quo frustra sine libris allaboretur. Forte est ita: & sane frustra Agricola: *His motus Nero, an pœnitentia flagitii*, Frustra & Muretus, qui transponit tantum; *His*;

quam Nero pœnitentia flagitii, conjugem revocavit Octaviam. Exin læti Capito- 61
lium scandunt, [1] deosque tandem venerantur. Effigies Poppææ proruunt. Octaviæ
imagines gestant humeris, [2] spargunt floribus, foroque ac templis statuunt. Itur
etiam in principis laudes. [3] repetitum venerantium. Jamque & palatium multitudi-
ne

His, haudquaquam pœnitentia flagitii Nero conjugem &c. Requiritur enim verbum omnino ad voculam *His*. Nos tamen, ut spero, feliciter & vere sic: *His auditis, tanquam pœnitentia flagitii, Nero conjugem revocavit Octaviam.* Ita est: simulabat Nero pœnitentiam. Verbum *auditis*, truncatum, ut multa in his libris alia. Ex *quaquam* nihil facilius, quam *tanquam* rescribi. Nomen Neronis sive trajicias, sive deleas prorsus, perinde est. *Acidalius*. His scil. vulgi questibus motus, non pœnitentia flagitii. Sic lib. xi. *His atque talibus, magnas copias coëgere.* nam & ibi subintelligitur, *his moti*. Pichena. Rectissime Pichena adhærens vulgatæ lectioni, explicatione eam illustrat hactenus omnino satis integræ & longe meliori, quam est illud, quod profertur ex codice Agricolæ. An fieri potest, ut Tacitus dubitet in tam diro Nerone, an in eum venerit pœnitentia flagitii, qui jam tantopere silicem se ostenderat & adeo impenetrabilem ulli bonæ virtuti, ut jam fratri, jam matri, jam defensori, jam cognatis infando more necem attulerit, præceptori & uxori destinaverit; in quarum postrema male tractanda quid potuit spectari vel sperari pœnitentiæ, quum sciret Tacitus eum obsessum esse ab Poppæa? Inter quæ cui bono vocabulum *motus?* Mihi quidem nihil futilius est ista dubitatione, an pœnitentia flagitii motus sit Nero. Non potuit illa cogitatio ingredi in Tacitum. Quum igitur in MS. Mediceo legatur *His, quanquam Nero pœnitentia flagitii, conjugem* &c. possum illud habere pro verissimo. Nempe nefarius dissimulator identidem sibi excidere passus est, quo ostenderet se pœnitere, immo discidium hoc vocavit flagitium, scilicet ut rumor ista deferret ad Octaviam & misera inciperet credere, perinde ut in matre egisse scribitur cap. 4. Sic lusit iste flagitiosus conjux, & res docet satis concinne ab Tacito descriptas esse sceleratas artes ejus. Inde sic edidi *His*, ut 15, 25. *Talibus literis*. Jac. Gronovius.

1 *Deosque tandem venerantur*] Valla negat *tandem* ornatus caussa apud veteres inveniri. idque adversus auctoritatem Quintiliani. Ego litem meam non facio. Doctiss. vir ei favet dum in notis ad annales ait se nescire quo *tandem* pertineat: mihi vero pertinere videtur ad intentum populi desiderium, ut Octavia revocaretur; cujus tandem compotes diis gratias egerunt. *Salinerius*. Non fero hic *tandem*. Lego, *Deosque adveneranstur*. Damnavit hoc *tandem* etiam Lipsius prim. edit. sed nihil extricavit. *Acidalius*.

2 *Spargunt floribus*] Sparsio illa florum recepta in eos, quos honore honestos volebant, quosque benevolentia prosequebantur. Liv. lib. xxxiii. *Omnes tendere ad Imperatorem Romanum, ut ruente turba in unum, adire, contingere dextram cupientium, coronas lemniscosque jacientium, haud procul periculo fuerit.* Capitolinus in M. Antonino: *In Saliatu omen accepit imperii, coronis omnibus in pulvinar ex more jacentibus, alia aliis locis hæserunt, hujus velut manu capiti Martis aptata est.* ubi recte scripseris, *coronas*, &, *jacientibus*. Ovidius de Germanico triumphante:

> *Quaque ibis manibus circumplaudere tuorum:*
> *Undique jactato flore tegente vias.*

Herodianus lib. 1. de Commodi adventu in urbem: Τοῦτον δὲ θεασάμενοι τὸν Βασιλέα οἱ Ῥωμαῖοι εὐφημίαις τε παντοδαπαῖς καὶ στεφάνοις καὶ ἄνθεσι βολαῖς ὑπεδέχοντο. Virgilius:

> *Purpureos spargam flores, animamque nepotis*
> *His saltem accumulem donis.*

Lipsius.

3 *Repetitum venerantur*] Emendavimus, *repetitum venerantium*. Rhenanus. Iterant honores acclamationibus: quod genus venerationis describitur ab Ælio Lampridio. *Acclamatum, Auguste innocens, Dii te servent: Alexander Imperator, Dii te servent: Dii te nobis dederunt, Dii conservent*; & cætera in eamdem sententiam. *Ferretius*. Per appositionem. τὸ *repetitum*, ut lib. 1. *& libertatis improspera repetita*. At ea repetitio fiebat (reor) ad hunc modum: *Auguste Claudi dii te nobis præstent, dictum sexagies: Claudi Auguste, principem te, aut qualis tu es, semper optavimus: dictum quadragies.* Vel, si id mavis, dicta sunt per Synecdochen. Quidam συνεκδοχὴν *vocant cum & in contextu sermonis quod tacetur accipimus. ut carmen* sive quid simile suppressum sit. Sic Ælian. 12. Var. 3. ἱεράθη κωμίαν, non addito πληγῶν. Ejusdem generis sunt. Hom. 6. Iliad. πολλὰ δ' ἐν ἀφνειοῦ i. *multa in divitis*. ubi desideramus, *domo*. Similia sunt Thucyd. lib. 3. ἐσηκόντιζον ἐς τὰ γυμνά. ubi scholiastes μέρη δηλονότι. Salinerius. Corrigendum puto; *repetitur veneratio*. deorum scilicet, ut in re læta. Præcesserat enim *deosque tandem venerantur*. Grotius. Emendo, *repetita veneratione*. Tum nimirum, cum populus dejiceret Poppææ statuas, & Octaviæ restitueret. *Harlæus*. Sic quum incassum fategissent Viri docti, id supererat, ut cunctis vetustissimis monimentis spretis Tacitus nancisceretur aliquid se dignum ex libro tam interpolato, qualis fuit ille Cl Ryckii, unde promitur *expetitur venerantibus*. Utinam Ryckius sic addidisset explicationem aliquam suam, sicut potest facillime publicare explicationes Patris mei? Et quando princeps non expetitur? Si viri docti hoc egissent & simpliciter verba ut posita sunt, considerassent, nec cum Lipsio chimæras sibi finxissent,

ne & clamoribus complebant, cum emissi militum globi verberibus & intento ferro turbatos disjecere: mutataque quæ per seditionem verterant, [1] & Poppææ honos repositus est. [2] Quæ semper odio, tum & metu atrox, ne aut vulgi acrior vis ingrueret, aut Nero inclinatione populi mutaretur, provoluta genibus ejus; *Non eo loci res suas agi, ut de matrimonio certet (quamquam id sibi vita potius) sed vitam ipsam in extremum adductam à clientelis & servitiis Octaviæ, quæ plebis sibi nomen indiderint, [3] ea in pace ausi quæ vix bello evenirent. Arma illa adversus principem sumpta. ducem tantum defuisse, [4] qui motis rebus facile reperiretur. Omitteret modo Campaniam & in urbem ipsam pergeret, ad cujus nutum absentis tumultus cierentur. Quod alioquin suum delictum? quam cujusquam offensionem? An quia veram progeniem penatibus Cæsarum datura sit, malle populum Romanum [5] tibicinis Ægyptii subolem imperatorio fastigio induci? Denique si id rebus conducat, libens quam coactus acciret dominam, vel consuleret securitati justa ultione. Et modicis remediis, primos motus consedisse. [6] at si desperent uxorem*
62 *Neronis fore Octaviam, illi maritum daturos.* Varius sermo, & ad metum atque iram accommodatus, terruit simul audientem & accendit. Sed parum valebat suspicio [7] in servo, & [8] quæstionibus ancillarum eluserat. Ergo confessionem alicujus quæri placet, cui rerum quoque novarum crimen affingeretur. Et visus idoneus maternæ necis patrator Anicetus, classi apud Misenum, ut memoravi, præfectus, levi post

facile vidissent auctorem scripsisse *laudes repetitu venerantium*, h. e. iteratione plausuum exclamationumque, quam conjecerant in Octaviam. nunc quoque transferentium in Cæsarem, & sicut cantaverunt *optima Octavia*, nunc quoque dicentium *optimus Nero*, ut ita hanc reconciliationem utrique gratularentur ex æquo & ad publicam lætitiam plurimum conferre ostenderent. Supinum istud paulo ante sic etiam restitui c. 33. *Jac. Gronovius.*

1 *Et Poppææ honos repositus est*] Addidi ex Florent. *&*, quod in vulgatis exciderat. *Pichena.*

2 *Quæ semper odio tumens, metu atrox*] Reposuimus ex Budensi: *quæ semper odio, tum & metu atrox.* Rhenanus.

3 *Ea in pace ausi*] Nemo titulum hujus lectionis vindicat, ut hinc auctorem illius ignorem, quem valde juvit concinnitas constructionis. At Beroaldus tamen exhibuit *ausi*, nec aliter scriptum est in ipso Mediceo, unde jure credas id Taciti esse, qui non tam respexerit ad *τὰ clientelis & servitiis*, quam ad propinquiora *quæ indiderint*, interim genus mutans, quoniam agitur de viris. Unde non dissimiles his sunt *pessimi servitiorum*, quos dicit 4. hist. 1. Unde id restitui. *Jac. Gronovius.*

4 *Qui motis rebus facile reperiretur. Omitteret modo*] Distinctione ista pleniore, obnubilatur prorsus auctoris sensus. Interpungendum erat, *reperiretur; omitteret modo.* Dux, inquit, non deerit, modo Octavia propius accesserit relicta Campania. *Gruterus.*

5 *Tibicinis Ægyptii*] Euceri, de quo supra. *Ferretus.*

6 *At si desperent*] Aut mihi non odora vis, aut hic nil subolet corruptionem. Callide Poppæa perniciem Octaviæ molitur, quam quo efficacius instruat, metum sollicitat Neronis, eo (inquit) res tuæ Nero evasere, ut Octaviæ, aut tibi cadendum sit: nec te lactet, quod facile sedasti priorem plebis motum: id enim contigit, quia nondum populus desperaverat de vestra reconciliatione: nunc defraudatus spe concepta, Octaviæ profecto maritum dabit, unde tibi exitium manifestum. Vera nobile scortum dicebat: nam (ut missum faciamus, quid sequatur, si quis studiis populi ducat filiam imperatoris) non credebatur civilia sapere, cui conjunx esset de Cæsarum domo: quamobrem Tiberius nuptum minime locat Agrippinam, quæ secundas nuptias postulabat. lib. 4. ann. *Sed Cæsar non ignarus quantum ex rep. peteretur, ne tamen offensionis, aut metus manifestus foret, sine responso quanquam instantem reliquit.* Idem per eadem implacabilis erat Asinio Gallo lib. 1. ann. *Non ideo iram ejus lenivit, primum invisus tanquam ducta in matrimonium Vipsania M. Agrippæ filia, quæ quondam Tiberii uxor fuerat; plusquam civilia agitaret.* Quæ nec fefellere præpotentes Claudii libertos lib. 11. ann. *nec enim occultum quod post tale matrimonium superasset.* Quid Corneli? mors Claudii, & rerum mutatio. *Salinerius.* Dubitat, an integra. *Lipsius.* Idem legit, *An si desperent!* Unde sententiam nullam expedio. Mihi integra sunt, levissima mutatione, *ac* pro *at* scribenti. Facile, inquit, motus illi componentur, & in se consident. Atque ubi de Neronis nuptiis desperatum erat, alium Octaviæ maritum quærent. *Acidalius.*

7 *In servitio*] Scripsimus, *servo.* Rhenanus.

8 *Quæstionibus ancillarum eluserat*] Jacobo Lectio erudito juveni adsentior scribenti; *elusa erat.* Lipsius.

Quæstionibus ancillarum illuserat] Reposuimus, *elu-*

post admissum scelus gratia, dein graviore odio: quia [1] malorum facinorum ministri quasi exprobrantes aspiciuntur. Igitur accitum eum Cæsar *operæ prioris* admonet; *Solum incolumitati principis adversus insidiantem matrem subvenisse: locum haud minoris gratiæ instare, si conjugem infensam depelleret. nec manu aut telo opus. Fateretur Octaviæ adulterium. Occulta quidem ad præsens, sed magna ei præmia, & secessus amœnos* promittit; *vel si negavisset, necem* intentat. Ille insita vecordia, & facilitate priorum flagitiorum, [2] plura etiam quam jussum erat, fingit, fateturque apud amicos, quos velut consilio adhibuerat princeps. Tum in Sardiniam pellitur, ubi non inops exsilium toleravit, & fato obiit. At Nero [3] *præfectum in spem sociandæ classis corruptum*, 63
& incusatæ paulo ante *sterilitatis* oblitus, *abactos partus conscientia libidinum, eaque sibi comperta*, [4] edicto memorat. [5] Insulaque Pandateria Octaviam claudit. Non alia exsul visentium oculos majore misericordia affecit. Meminerant adhuc quidam Agrippinæ, à Tiberio, recentior Juliæ memoria obversabatur, à Claudio pulsæ. Sed illis robur ætatis affuerat. Læta aliqua viderant, & præsentem sævitiam [6] melioris olim fortunæ recordatione allevabant. [7] Huic primus nuptiarum dies loco funeris fuit, deductæ in domum, in qua nihil nisi luctuosum haberet, erepto per venenum patre, & statim fratre. Tum ancilla domina validior. Et [8] Poppæa non nisi in perniciem uxoris nupta. Postremo crimen omni exitio gravius. [9] Ac puella vicesimo 64
ætatis anno, inter centuriones & milites, præsagio malorum jam [10] vita exempta, nondum

eluserat. Rhenanus. Faernus legebat: *elusa erat* &c. Nisi magis placeat, *illusum erat*. Ursinus. Placet & mihi, Lipsio placita Lectii conjectura, *elusa erat*, magis quidem quam Mureti, *illusum erat*. Acidalius. Probat Lipsius, *elusa erat*, id est, suspicio in servo. Vulgo, *eluserat*. Pichena. Viris doctissimis videbatur rescribendum, *elusa erat*: sed certe nihil mutandum putavimus, cum hoc usitatissimum sit auctori, verbis activis, ut vocantur, ad neutrorum formam uti, sic *vertere, mutare* &c. pro *verti, mutari*, frequenter hic reperias. *Freinshemius*.

1 *Graviorum facinorum ministri*] Flor. *malorum facinorum*. Sed nihil muto, nam vox, *graviorum*, quodammodo respondet præcedentibus verbis, *graviore odio*. Pichena. Omnia sana videntur. Cum tamen extet in chirographo Bibliothecæ Medicææ. *quia malorum*; videri poterat prius fuisse, *majorum facinorum*, sed idem sensus resultat ex illo *graviorum*, quapropter nihil temere mutabimua, nisi consentiant & alii codices plutearii. *Gruterus*. Itane tam obtusæ cuiquam aures, ut non offendantur illa fatua repetitione vocis: *graviore odio, quia graviorum*. Nos vero sine dubitatione recipimus scripturam Florentinam. Plautus Menæchm. 5, 7. *O facinus indignum & malum*. Tibullus 2, 4. *Illa malum facinus suadet*. Noster lib. 12. *At Agrippina ne malis tantum facinoribus notesceret*. Gronovius.

2 *Plura etiam quam jussum erat, fingit*] Malim, *jussus*. Acidalius.

3 *Præfectum in spem sociandæ classis corruptum*] Sic melius Flor. quam vulgo, *spe sociandæ*. Pichena.

4 *Dicto memoras*] Legendum hic, *edicto memorat*, idem Lectius, quem nominavi, docuit me vere. Nam principes per edicta populum adfabantur, ut notum. *Lipsius*.

Edicto memorat] Lipsio assensi, qui, *edicto*, reposuit. Vulgo, *dicto*. Omnia enim fere per edicta fiebant à principe. lib. seq. *edicto testificatus*. hist. lib. 1. *laudatus per edictum*. Pichena.

5 *Insulaque Pandataria*] Quid ergo in mentem illi poetæ ignobili venit (non enim Senecæ: cum certis argumentis post mortem ejus scripta ea Tragœdia sit) qui relegare Octaviam in Ægyptum videtur:

—— date vela fretis
Ventisque, petat puppis rector
Tandem Pharia litera terra.

Nisi si hoc vult, Alexandrina dumtaxat navi avectam Octaviam. Id enim contentiosus aliquis possit parum εὐλόγως dicere. alias reposuerim ego, *Pandataria litera terra*. Lipsius.

6 *Melioris olim fortunæ recordatione ne allevabant*] Emendavimus, *elevabant*, id est, minuebant, quæ elegantissima verbi hujus significatio satis nota est. *Rhenanus*. Flor. & Ven. *allevabant*. Pichena.

7 *Huic primum nuptiarum dies*] Cave mutes, *primus*. Illud verum. *Acidalius*. Correxi, *primus*, monente Lipsio, vulgo, *primum*. Pichena.

8 *Poppæa non nisi in perniciem uxoris nupta*] *Duodecimo die post divortium ab Octavia Nero in matrimonium Poppæam accepit, & eam dilexit unice*, inquit Sueton. Ner. 35. *Vertranius*.

9 *At puella vicesimo ætatis anno*] Scripsimus, *Ac puella*. Rhenanus. Mur. *At*. Vulgatum *ac* retineo. *Acidalius*.

10 *A vita exemta*] Lege, *è vivis*. Apulejus 1. Miles. *Ipse mihi supervivens*. Pricæus. Sed ista quidem vis est, licet in Agric. cap. 3. dicat *exemptis e media vita*

nondum tamen morte acquiescebat. Paucis dehinc interjectis diebus, mori jubetur: cum jam *viduam se & tantum sororem* testaretur, [1] communesque *Germanicos* & postremo *Agrippinæ* nomen cieret. *qua incolumi infelix quedem matrimonium, sed sine exitio pertulisset.* Restringitur vinculis, venæque ejus per omnes artus exsolvuntur: & quia pressus pavore sanguis tardius labebatur, præfervidi balnei vapore enecatur. [2] Additurque atrocior sævitia, quod caput amputatum latumque in urbem Poppæa vidit. dona ob hæc templis decreta. [3] Quod ad eum finem memoravimus, ut quicumque casus temporum illorum nobis vel aliis auctoribus noscent, præsumptum habeant, quotiens fugas & cædes jussit princeps, totiens grates deis actas, quæque rerum secundarum olim, tum publicæ cladis insignia fuisse. Neque tamen silebimus,
65 si quod senatusconsultum adulatione novum, aut patientia postremum fuit. Eodem anno

vita tot annis, pro quibus Ovidius scribit *annos Exemptos vita dato tempora fama.* Itaque ut illic dicit *exemptis annis*, ita nunc dicit *vita exempta*, quum jam vita nulla ei adesset. Et si ita licet agere, cur non repetunt phrasin ex cap. 48. *Condemnatus a senatu morti eximeretur?* Nihil restabat, quam ut ex Medicei codicis scriptura *jam victa exempta* emendata locum hunc restituerem, abolita præpositione. *Jac. Gronovius.*

1 *Communesque Germanici*] Accipere possis, appellasse Octaviam patris nomen, qui Germanicus dictus, ut & Nero. Commune igitur utrique. Tamen cum in priscis libris sit, *Communesque*; nata mihi lectio, *cum manesque Germani.* Ut fratrem appellaverit sublatum, & deinde matrem. *Lipsius.*

Communesque Germanicos] Restituimus locum: *communeque Germanici, & postremo Agrippina nomen cieret.* Rhenanus. Faernus legebat: *Cumque Germanici, & postremo Agrippina nomen cieret*, &c. non, ut in vulgatis, *Communeque Germanici.* Ursinus. Cave mutes, *Communeque Germanici.* Commune Octaviæ cum Nerone nomen Germanici, qui Neroni avus, Octaviæ patruus; commune item Agrippinæ, quæ Neroni mater, Octaviæ patruelis, & propter Claudii matrimonium matris loco. *Mercerus.* Octavia nuntio mortis accepto, ut aliqua sese illinc redimeret, ait, se spem matrimonii cum Nerone penitus abjecisse, nec unquam postea uxoris, sed solum sororis, nomen usurpaturam: hæc jaciebat, sed apud surdas aures: inde in desperationem versa, Germanicum invocabat; solent enim miseri inter extrema dejecti eos desiderare, per quos (si viverent) certa spes evadendi. Sen. in Troad. *Servire Græco pateris Andromachen jugo Crudelis Hector?* Nec finem in Germanici nomine faciebat, sed Agrippinam quoque appellabat. Viveres utinam, ô Germanice, columen familiæ nostræ, vel tu saltem ô Agrippina, qua viva si non omnino felix fui, mihi tamen exitium non imminebat. Plus igitur (ut vides) sibi pollicetur de Germanico, quam de Agrippina, ille undique pius, hæc noverca: nec amens Octavia, (lib. 13. ann. *Quæ quamvis rudibus annis, dolorum, caritatem, omnes affectus abscondere didicerat,*) ut fictæ Agrippinæ caritati fidem haberet. *At matris ira nulla munificentia leniri, sed amplecti Octaviam, crebra cum amicis secreta habere.* Salinerius. Muretus. *communesque Germanicos*; Lipsius, *cum manesque germani.* Neutrum placet præ vulgato, cujus sententia, quam Lipsius idem tetigit, optima. *Acidalius.* Flor. ac Ven. *communesque Germanicos.* Mercerus nihil mutat, atque interpretatur. *Pichena.* Vulgo, *communeque Germanici.* Sed Florentini MS. veterisque editionis Venetæ lectio est, quam restituimus; *Communesque Germanicos*; quod haud dubie proba sit. Nec enim unus tantum fuit Germanicus, sed Drusus qui primus id cognomen peperit, tam sibi quam filiis id quæsivit. Clare Dio princip. lib. 55. *Γερμανικός τε μετὰ τῶν παίδων ἐπονομασθείς.* Ille ergo Drusus tam Octaviæ quam Neroni vere atque proprie communis, cum illius avus esset; hujus abavus. Claudius etiam utrique communis, illi natura; huic adoptione pater. quin & C. Cæsar quem proprie Germanicum vocaverunt, illius patruus; hujus avus. Quæ vero sequuntur de Agrippinæ nomine, non ita accipienda sunt, quasi & illud ambobus commune vel Octavia, vel Tacitus voluerint: quamvis ita potuissent, non quidem quod Agrippina Octaviæ noverca fuerit, quæ enim hæc conjunctio? sed quod consobrina. Sed ita gradatim ad ultimas obtestationes delabitur, ut primo Neronem commonefaciat arctissimæ consanguinitatis quæ inter illos esset: deinde vel Agrippinam testatur, oratque Neronem, ut saltem illius institutum tueretur, cui & ipsi invisa quidem fuerit, sed absque exitio: se contentam fore deinceps ista conditione si liceat vivere, qua vivente Agrippina, misere quidem & infeliciter, sed tamen vixisset. *Fremshemius.*

2 *Additurque atrocior sævitia*] Malebam *atrocius sævitia*, hoc est, gravius ludibrium crudelitate. Sic libro sequenti: *Adjecisse Deos dignum Arsacidarum. Dignum, atrocius*, res digna, res atrocior. *Gronovius.*

3 *Quod ad eum fin.*] Pro priore voce est in Mediceo q;. ea nota est vocis *quæ.* Jac. Gronovius.

1 Ve-

anno libertorum potissimos [1] veneno interfecisse creditum est, [2] Doryphorum quasi adversatum nuptiis Poppææ, Pallantem quod immensam pecuniam longa senecta detineret. Romanus secretis criminationibus incusaverat Senecam ut C. Pisonis socium, sed validius à Seneca eodem crimine perculsus est. Unde Pisoni timor & orta insidiarum in Neronem magna moles, sed improspera.

1 *Veneno interfecisse creditum est*] Vel, *creditus est*. Vide Sueton. Nerone cap. xxxv. *Lipsius*.

Creditus est] Ita me notavisse ex Medic. indicavit Ryckius, quem sequor, non ut vulgo, *creditum*. Est utique illud Taciti, ut 6, 50. *Septimodecimo Kal. Aprilis interclusa anima creditus est mortalitatem explevisse*: 1. hist. 78. *Creditus est etiam de celebranda Neronis memoria agitavisse*. 4, 67. *Villam cremavit, illic voluntaria morte periisse creditus*. ut contra 13, 30. *Haud creditus sufficere ad constantiam sumenda mortis*. Jac. Gronovius.

2 *Doryphorum*] Est nomen sive cognomen liberti proprium. Fortasse & in hoc Xiphilini loco, in Nerone: *Δορυφόρῳ τῷ τὰ τῆς ἀρχῆς βιβλία διάγοντι, πεντήκοντα ἅμα καὶ διακοσίας μυριάδας δοθῆναι ἐκέλευσε*: *Doryphoro, qui à libellis erat, jussit dari ducentas quinquaginta Drachmarum myriadas*. Ita ego verterim, & munus nostri Doryphori eruerim: at interpres, *Prætoriano cuidam militi* fecit: qui non solent profecto à libellis aut talibus officiis esse. *Lipsius*.

C. COR.

C. CORNELII TACITI
AB
EXCESSU DIVI AUGUSTI
ANNALIUM
LIBER QUINTUS-DECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Vologeses Parthorum Rex Armeniam invadit. quem Corbulo cautè & tamen fortiter repressit. Sed Cæsonius Pætus missu Neronis mox supervenit, proprius Armeniæ tuendæ dux. Is imperitia & temeritate rem perdidit: turpi fœdere cum hoste depactus. Corbulo ei tamen sed serò succurrit. Neroni filia ex Poppæa nascitur, non vitalis. Legati Parthorum Romam venere, super Armenia retinenda. irriti remittuntur: & bellum Corbuloni permissum. Is Armeniam iterum invadit, & metu Parthis injecto, ad colloquium ventum. Placuit arma poni, & Tiridatem diadema statuæ Neronis submittere, nec nisi sponte ejus resumere. Nero Neapoli cantat in publico: Romæ luxu & libidine omnia polluit. Ipsa urbs ardet casu, sive Principis dolo. qui in ruinis ejus ingentem sibi domum exstruxit. Christiani ab eo exagitati & necati, falso crimine incendii. Conjuratio in Neronem inita & detecta, capite ejus C. Pisone. Multi interfecti inlustrium, interque eos Seneca. Grates tamen diis actæ, & dona decreta templis, ut rebus lætis. Gesta hæc annis paullo amplius tribus,

C. MEMMIO REGVLO. VERGINIO RVFO
C. LECANIO BASSO. M. LICINIO CRASSO } Coss.
P. SILIO NERVA. C. JVLIO ATTICO VESTINO

In-

Interea Rex Parthorum Vologeses, cognitis Corbulonis rebus, regemque alienigenam Tigranen Armeniæ impositum; simul, fratre Tiridate pulso, spretum Arsacidarum fastigium ire ultum volens; magnitudine rursum Romana, & continui fœderis reverentia, diversas ad curas trahebatur: cunctator ingenio, & [1] defectione Hyrcanorum gentis validæ, multisque ex eo bellis illigatus. Atque illum ambiguum novus insuper nuntius contumeliæ exstimulat: quippe egressus Armenia Tigranes, Adiabenos conterminam nationem latius ac diutius quam per latrocinia vastaverat. Idque primores gentium ægre tolerabant, *eo contemptionis descensum, ut ne duce quidem Romano incursarentur, sed temeritate obsidis, tot per annos inter mancipia habiti.* Accendebat dolorem eorum Monobazus, quem penes Adiabenum regimen, *quod præsidium, aut unde peteret,* rogitans. *Jam de Armenia concessum,* [2] *proxima trahi: & nisi defendant Parthi, levius servitium apud Romanos deditis, quam captis esse.* Tiridates quoque regni profugus, [3] per silentium haud modice querendo, gravior erat. *Non enim ignavia magna imperia contineri: virorum armorumque faciendum certamen. Id in summa fortuna æquius, quod validius. Et sua retinere, privatæ domus; de alienis certare, regiam laudem esse.* Igitur commotus his Vologeses concilium vocat, & proximum sibi Tiridaten constituit, I

atque

COMMENTARIUS.

1 *Defectione Hyrcanorum*] Scripsimus, *dissensione Hyrcan.* Rhenanus. Faernus legebat, *deditione.* Ursinus.

2 *Proxima trahi: & nisi* &c.] Transpositione copulæ sententia explicanda: *proxima trahi, nisi defendant Parthi: & levius servitium.* Acidalius.

3 *Per silentium haud modice querendo*] Cuivis mendum hic suboleat. Quomodo enim per silentium, & nec modice, querebatur? Nec tamen hoc adverterunt viri magni: nisi Muretus ante nos, cum quo vere scribimus *per silentium, aut modice querendo.* Acidalius. Si *immodice* querebatur, quomodo *per silentium?* An cum aspiceretur, quamvis silens, ignaviam exprobrare videbatur, ideoque gravius silentium ipsius, quam Monobazi voces? Ita videtur. ac sequentia verba, *non enim ignavia* &c. repetita intelligo à primoribus illis gentium. quæ cum ad aures Vologesi pervenissent, commotus est, conciliumque advocavit. *Pichena.* Interdum enim & silentium omni voce loquacius est. Sic & hic Tiridates quamquam queri nollet, tamen ipso silentio & quod exsul obversaretur, regis oculis, exprobrabat ipsi, quod periclitanti non subvenisset, aut ejectum non restitueret. quomodo fere *malorum facinorum ministri quasi exprobrantes aspiciuntur,* sup. 14, 62. Seneca ad Helv. 16. *nunquam te fecunditatis tuæ, quasi exprobraret ætatem, pœnituit.* Plinius epist 1. *Mala emptio exprobrare stultitiam domino videtur.* Tacitus 15, 16. *non eam speciem insignium & armorum prætulit, ut diversitatem exprobraret.* & 16, 22. *rigidi & tristes, quo tibi lasciviam exprobrent.* & 16, 10. *tanquam vivendo exprobrarent interfectum esse Rubellium.* Expressit tale quid Martialis lib. 1. epigram. 69. *Si taces, hanc loquitur.* Male alii in Tacito rescribendum putarunt; *aut modice querendo:* subjicitur enim querela, haud modica tamen. *Freinshemius.* Nihil hic est mutandum. Silentis orationem & questus exponi ac subjici, non est novum apud elegantissimos auctores. Nam silentio non minor vis inest indicandi interiores animi motus ac cogitationes, quam sermoni. Itaque haud sine ratione ex eo orationem colligunt, & proponunt Scriptores. Cauti inprimis & callidi, qualis Tacitus. Neque aliter Lucanus l. 5. *Gelidos pavor alligat artus, Et tacito mutos volvunt sub pectore questus.* Plane eodem modo, quo hic Tacitus. Vide etiam quæ ad hunc locum notat Cl. Freinshemius. *Boxhornius.* Exemplum vivum est apud Cæsarem lib. 1. Gall. 32. in Sequanis. *Gronovius.* Attamen Mureto & *aut modice querendo* pergit adhærere Ryckius, quia verba, quæ hoc silentio quasi prolata videri vult, non referantur ex persona Taciti, aut hominum ita hoc silentium interpretantium, sed ipsius Tiridatis. An credimus? An Vologeses fratrem Tiridatem erat toleraturus magistrum continentiæ magni imperii? aut aliarum sententiarum, quæ ibi sequuntur? Certe nec Tiridaten, ita vanum regni Armeniæ defensorem, ea decent: nec credo si auderet proferre, toleraturum fuisse Parthicum dominum, quem alterius generis novimus. Sunt autem illa, quæ recensentur, jactata publice ab proceribus Parthicis ad conspectum Tiridatis pariter ac Monobazi. Certe id dicit Tacitus, sicut 4. hist. 72. *Vocem precesque adhibere non ausi, lacrimis ac silentio veniam poscebant.* Et 15. an. 10. *Vetus*

atque ita orditur; *Hunc ego eodem mecum patre genitum, cum mihi per ætatem summo nomine
concessisset, in possessionem Armeniæ deduxi, qui tertius potentiæ gradus habetur. nam Me-
dos Pacorus anteceperat. videbarque contra vetera fratrum odia* [1] *& certamina, familiæ
nostræ penates rite composuisse. prohibent Romani, & pacem ipsis numquam prospere laces-
sitam, nunc quoque in exitium suum abrumpunt. Non ibo inficias, æquitate quam sangui-
ne, caussa quam armis retinere parta majoribus malueram. si cunctatione deliqui, virtute
corrigam. Vestra quidem vis & gloria in integro est, addita modestiæ fama; quæ neque
summis mortalium spernenda est,* [2] *& à diis æstimatur.* Simul diademate caput Tiri-
datis evinxit, promptam equitum manum, [3] quæ regem ex more sectatur, Monesi
nobili viro tradidit, adjectis Adiabenorum auxiliis: mandavitque *Tigranen Armenia
exturbari,* [4] *dum ipse positis adversus Hyrcanos discordiis, vires intimas, molemque belli
3 ciet,* provinciis Romanis minitans. Quæ ubi Corbuloni certis nuntiis audita sunt, le-
giones duas cum Verulano Severo, & [5] Vettio Bolano, subsidium Tigrani mittit,
occulto præcepto, *compositius cuncta, quam* [6] *festinantius agerent.* quippe bellum ha-
bere, quam gerere malebat. Scripseratque Cæsari, *proprio duce opus esse, qui Arme-
niam defenderet: Syriam ingruente Vologese acriore in discrimine esse.* Atque interim
reliquas legiones pro ripa Euphratis locat: tumultuariam provincialium manum
4 armat; hostiles ingressus præsidiis intercipit. [7] Et quia egena aquarum regio est,
castella fontibus imposita: quosdam rivos [8] congestu arenæ abdidit. Ea dum à Cor-
bulone tuendæ Syriæ parantur, acto raptim agmine Moneses ut famam sui præiret,
non

& socrus cum filia invisi erant principi, tanquam vivendo exprobrarent interfectum esse Rubellium; ita Tiridaten, dum est regni profugus, per silentium haud modice querendo, etsi nihil increparet desidem fratrem, tamen ipso conspectu gravissimum fratri fuisse. *Jac. Gronovius.*

1 *Et certamen*] Emendavi, *contra veterum fratrum odia & certamina.* Rhenanus.

2 *Et à Diis æstimatur*] Non satis capio quid sibi velit iste Parthus hac sententia. Putabam olim legendum: *& ab imis æstimatur.* Crebro hæc componuntur apud auctores, *summa & ima.* Freinshemius. Ab hoc etiam loco mutando abstinendæ sunt manus. Plena quippe ejus & pulcherrima est sententia. Referenda ista sunt ad eam modestiæ virtutem, ejusque amplissimum continent elogium, qua, æquitate quam sanguine, caussa quam armis, parta à majoribus retinere, & sua recuperare conantur: quaque inviti, & cunctanter, & non, nisi post alia omnia nequidquam tentata, in arma Principes prorumpunt. Ista virtus non spernenda est summis mortalium, primoque in fastigio positis, & à Diis ipsis æstimatur: eaque ante bellum virtute ulis favent. Nam Dii favent justum bellum gerentibus. Ad justitiam autem bellorum facit, non tantum caussa, sed etiam necessitas inevitabilis, qualis est cum aliis consiliis, cunctando, tolerando, modestia, ut hic loquitur, arma declinari non potuere. *Boxhornius.*

3 *Quæ regem ex more sectabatur*] Jam diu detrectaverunt viri docti dare Tacito, quod erat ipsius. Ita enim, ut citavi, habet jam Beroaldus, & ne una quidem editio ab ea discedit; quum tamen in MS. Mediceo legatur *sectatur.* Quod quia tunc in concilio non fiebat, ideo imperfectum huc immitti debuit. Immo *sectatur* est sectari solet, ut adeo offerat ei spectatissimos & validissimos. Cap. 33. *Quique Cæsarem per honorem aut varios usus sectantur.* Jac. Gronovius.

4 *Dum ipse positis adversus Hyrcanos discordiis*] Reposuimus, *Dum ipse compositis.* &c. *Rhenanus.*

5 *Vettio Bolano*] Scribe, *Vettio*, ex lapide: C. CALPVRNIO. PISONE. M. VETTIO BOLANO. COS. De hujus Bolani bellica gloria, Statius lib. v. Silvar. ad filium ejus Crispinum:

> —— *rigidi summam Mavortis agebat*
> *Corbulo, sed comitem belli sociumque laboris*
> *Ille quoque egregiis multum miratus in armis*
> *Bolanum, atque illi curarum asperrima suetus*
> *Credere.*

Lipsius. In Mediceo plane legitur *Vettio*, unde sic putavi reponendum, quippe quam scripturam firmant non tantum inscriptiones bene cognitæ, sed quoque nummi, ex quibus hodie ille notior est, quam fuit tempore Lipsii. *Jac. Gronovius.*

6 *Festinatius agerent*] Nos, *festinantius.* Rhenanus.

7 *Et quia egena*] Non videtur hoc factum, quod jam olim esset, sed ut posthac esset. Forte Tacitus: *Et quo egena aquarum regio esset, castella fontibus imposita.* Gronovius.

8 *Congestu terræ obdidit*] Scripsimus, *abdidit.* Rhenanus. In v. c. est, *congestu arenæ obdidit*, non, *abdidit.* Ursinus.

1 Qui

non ideo nescium aut incautum Tigranen offendit: [1] qui occupaverat Tigranocerta,
urbem copia defensorum & [2] magnitudine mœnium validam. Ad hæc Nicephorius
amnis haud spernenda latitudine partem murorum ambit: & ducta ingens fossa, qua
fluvio diffidebatur. [3] Inerantque milites, & provisi ante commeatus. quorum sub-
vectu pauci avidius progressi, & repentinis hostibus circumventi, ira magis quam
metu ceteros accenderant. Sed Partho ad exsequendas obsidiones nulla comminus
audacia: raris sagittis, neque clausos exterret; & semet frustratur. Adiabeni cum
promovere scalas & machinamenta inciperent, facile detrusi, mox erumpentibus no-
stris cæduntur. Corbulo tamen, quamvis secundis rebus suis, moderandum fortu- 5
næ ratus, misit ad Vologesen, qui expostularent *vim provinciæ illatam: socium ami-
cumque regem cohortes Romanas circumsidere.* [4] *omitteret potius obsidionem, aut se quoque
in agro hostili castra positurum.* [5] Casperius centurio in eam legationem delectus, apud
oppidum Nisibin septem & triginta millibus passuum à Tigranocerta distantem adit
regem, & mandata ferociter edidit. Vologesi vetus & penitus infixum erat, arma
Romana vitandi: nec præsentia prospere fluebant. irritum obsidium, tutus manu &
copiis Tigranes, fugati qui expugnationem sumpserant, missæ in Armeniam legio-
nes: & aliæ pro Syria, paratæ ultro irrumpere. sibi [6] imbecillum equitem pabuli
inopia. nam [7] exorta vis locustarum ambederat, quidquid herbidum aut frondosum.
Igitur metu abstruso mitiora obtendens, *missurum ad imperatorem Romanum legatos su-
per petenda Armenia & firmanda pace* respondet. Monesen *omittere Tigranocerta* jubet;
ipse

1 *Qui occupaverat Tigranocerta*] Est nobile specimen genii, qui aliquamdiu eruditos editores agitavit ad connectendas concinne & venuste magis partes narrationum, quam fecerunt ipsi scriptores. Tanta eos obsedit propriæ facultatis jactantia certe miseros. Hoc enim loco illud *qui* non agnoscitur ab MS. Mediceo. An non satis hoc est? Unde ergo venit in editionem Beroaldi, & inde tam consensu recepta in omnes? Pravitas est judicii. Sed ne intelligeretur de Monese, putarunt *τὸ qui* interponendum, ut proximum Tigranen respiceret. Sed dele voculam, & habebis idem.... *Tigranen offendit. Occupaverat Tigranocerta* &c. Hujus notæ supplementum est, quod amicus Ryckio tradidit ad 2, 9, 3. ut dubites, uter inertior, qui indicavit, an qui publice venditavit: adeo Tacitum fœde inquinat & nullum ejus pretium est. Adde hoc lib. cap. 44. Item cap 74. videbis ab Acidalio offerri *quod*, ab Freinshemio *id*, ubi neutrum debet admitti. Sed videre potes simillimam Taciti caussam in lib. 1. Hist. cap. 58. in fine. *Tigranen* scribit ille optimus codex, non *Tigranem*. Sic & antea *Tiridaten* perinde ac *Tigranen*. Hoc satis est ad omnia illa sic formanda. *Jac. Gronovius.*

2 *Magnitudine mœnium validam*] Adeo, ut Appianus producat mœnia Tigranocertæ in altitudine ad quinquaginta cubitos: quæ in imo adaptata equorum stabulis. Vide eum in Mithridatico. *Lipsius.*

3 *Inerantque milites, & provisi ante commeatus*] Copulam, *que*, ex Flor. reposui: nam à vulgatis abest. *Pichena.*

4 *Omitteret potius*] Lego, *ocius*, non, *potius*. Lipsius.

Omitteret potius obsidionem] Faernus legebat: *Omitteret ocius* &c. *Ursinus.* Lipsius mallet, *ocius.* Sed &, *potius*, recte se habet, ut ostendat utilius id Vologesi esse. *Pichena.* Lege, *Omitteret protinus obsidionem.* Boxhornius.

5 *Casperius centurio*] Muretus, *C. Asperius.* Acidal.

6 *Imbecillum equitem pabuli inopia*] Si modo hæc jungi debent. Experiebatur enim imbecillum equitem, quod nihil proficeret in Armenia ad urbem Tigranocerta. Inopia pabuli utique ex aliis regionibus reficere poterat: sed ea circa Syriam illi sane erat incommoda. MS. Oxoniensis habet *imbecillum equitem, pabuli inopiam.* Mox miror in Mediceo legi, *nam exorta vi locustarum aberat*, quod posterius tantopere vulgo dilatant. *Jac. Gronovius.*

7 *Exorta vis locustarum*] Locustæ numerantur partim inter aves, partim inter insecta animalia, maximeque Ægyptum, & Cyrenaicam infestant, & segetes aut rodunt, aut contactu adurunt. Vide Plinium 11, 29. Ideoque ajunt imperatores C. de locato, minuendam esse pensionem colono, cum segetes à locustis excisæ fuerint. Vide Psalm. 105. Exod. cap. 10. Joëlis cap. 2. Locustæ necari jubentur militari imperio in Syria, auctore Plinio. In Cyrenaica lex fuit (nam locustis quoque ea regio abundat) ut pœna desertoris teneretur, qui ingentem vim locustarum, aut earum fœtus non debellasset. Locusta quoque piscis est ex genere crustaceorum, de quo plura Aristoteles lib. de Animalibus. *Lupanus.*

6 ipse retro concedit. Hæc plures ut *formidine regis, & Corbulonis minis* [1] *patrata & magnifica* extollebant. Alii *occulte pepigisse* interpretabantur; *ut omisso utrimque bello, & abeunte Vologese, Tigranes quoque Armenia abscederet. Cur enim* [2] *exercitum Romanum à Tigranocertis deductum? cur deserta per otium, quæ bello defenderant? An melius hibernavisse in extrema Cappadocia, raptim erectis tuguriis, quam in sede regni modo retenti? Dilata prorsus arma, ut Vologeses cum alio quam cum Corbulone certaret: Corbulo meritæ tot per annos gloriæ non ultra periculum faceret.* Nam, ut retuli, proprium ducem tuendæ Armeniæ poposcerat, & adventare [3] Cesennius Pætus audiebatur: jamque aderat, copiis ita divisis, ut quarta & duodecima legiones, addita quinta, quæ recens è Mœsis excita erat, simul Pontica, & Galatarum Cappadocumque auxilia Pæto obedirent: tertia & sexta & decima legiones, priorque Syriæ miles apud Corbulonem manerent. Cetera ex rerum usu sociarent, partirenturve. Sed neque Corbulo æmuli patiens; & Pætus, cui satis ad gloriam erat si proximus haberetur, despiciebat gesta, *nihil cædis aut prædæ, usurpatas nomine tenus urbium expugnationes* di-
7 ctitans: *Se tributa ac leges, & pro umbra regis, Romanum jus victis impositurum.* Sub idem tempus legati Vologesis; quos ad principem missos memoravi, revertere irriti: bellumque propalam sumptum à Parthis. nec Pætus detrectavit, sed duabus legionibus, quarum quartam [4] Famisulanus Vectonianus eo in tempore, duodecimam [5] Calavius Sabinus regebant, Armeniam intrat, tristi omine. Nam [6] in transgressu Euphratis, quem ponte transmittebat, nulla palam caussa, [7] turbatus equus, qui consularia insignia gestabat, retro evasit: hostiaque quæ muniebantur hibernaculis assistens, semifacta opera fuga perrupit, seque vallo extulit: & pila militum arsere, magis

1 *Patrata magnifice extollebant*] Repofuimus, *ac magnifica extollebant.* Rhenanus. Muret. *Patrata magnifice extollebant.* Assentiar, nec tamen vulgatum damnem; *Patrata & magnifica* &c. *Acidalius.*

2 *Exercitum Rom. à Tigranocertis deductum*] Editio decrepita non agnoscit præpositionem, *a*, neque requiritur. *Gruterus.*

3 *Cesennius Pætus*] Qui male in Dionis eclogis, quas nuper Fulvius Ursinus dedit, Σίνιος scribitur. Enimvero Κοίντος Πῖτος etiam in Josepho scribitur, diciturque lib. II. Excidii. cap. XXI. An hic ipse, qui sub Nerone præfuerat, etsi parum bona fama? ætas haud neget. *Lipsius.*

Cesennius Pætus] Vide supra notam ad 14, 29. *Freinshemius.*

4 *Famisulanus Vectonianus*] Codex Budensis, *Fimisulanus Vectonianus.* Rhenanus. *Funisulanus Vettonianus* in Mediceo, ut vulgavit jam Ryckius. *Jac. Gronovius.*

5 *Calavius Sabinus regebat*] Nos, *regebant.* Placeret, *Flavius Sabinus.* Ursinus. Vide supra notam ad 6, 9. *Freinshemius.*

6 *In transgressu Euphratis, quem p. transmittebat*] Edant licet sic omnes curiosi admodum in bis audienda pronunciatione *trans*: scire tamen oportet in MS. Mediceo legi *tramittebat*, quod ipsum quum jam libro præcedente etiam deprehenderim, nullus dubito, quin sit ab manu auctoris. Itaque in hac parte non valde amo Beroaldum, qui in notis post libros Taciti in Germania repertos scribens se nolle quenquam mirari, si quasdam dictiones inveniet ab usu cotidiano paulum remotiores sed tamen antiquitatem redolentes, quas invertere & secus quam erant in vetusto codice publicare non modo temerarii, sed plane indocti viri fuisset, ponit inter tales *tramissus pro transmissus*, non tamen constanter hos modos obtinuerit. *Jac. Gronovius.*

7 *Turbatus equus qui*] Mos infrequens, & inobservatus, de hoc equo. Geminum tamen locum habes in Plutarchi Crasso, qui inter prodigia pariter futuræ cladis sic narrat: Ἵππος δὲ τῶν στρατηγικῶν ἐπιφανῶς κεκοσμημένος, βίᾳ συνεπισπάσας τὸν ἡνίοχον εἰς τὸ ῥεῖθρον, ὑποβρύχιος ἠφανίσθη. id est: *Equus vero ex Imperatoriis insigniter ornatus, tracto per vim rectore in flumen, submersus disparuit.* Item Obsequens inter ea quæ Pansæ Consuli haud læta evenerunt: *Equus phaleratus in ipsius conspectu festinans concidit.* Dionys. lib. x. Antiq. Rom. qua parte de L. Quinctio agit Dictatore jam electo: Ὡς δ' ἐγγὺς ἦν, ἵππους τε αὐτῷ φαλάροις κεκοσμημένους εὐπρεπεῖς προσῆγον, καὶ πελέκεις ἅμα ταῖς ῥάβδοις, ἐσθῆτάς τε ἁλουργὰς καὶ τὰ ἄλλα παράσημα οἷς πρότερον ἡ τῶν βασιλέων ἐκεκόσμητο ἀρχὴ, προσήνεγκαν. id est: *Ut paullo propior jam erat, equos ei phaleris decore ornatos adduxerunt, & secures cum fascibus, vestesque purpureas, & alia insignia, quibus olim regium imperium decoratum erat, obtulerunt.* Ut appareat equum unum pluresve cum ornatu imperatorio, & consulari (si eum magistratum dux gessisset) è publico datos: non aliud,

magis insigni prodigio, quia Parthus hostis missilibus telis decertat. Ceterum 8
Pætus spretis ominibus, nec dum satis firmatis hibernaculis, nullo rei frumenta-
riæ provisu, rapit exercitum trans montem Taurum, *reciperandis*, ut ferebat, *Ti-
granocertis*, *vastandisque regionibus*, *quas Corbulo integras omisisset*. Et capta quæ-
dam castella, gloriæque & prædæ nonnihil partum, si aut gloriam cum modo,
aut prædam cum cura habuisset. Longinquis itineribus percursando quæ obtine-
ri nequibant, corrupto qui captus erat commeatu, & instante jam hieme, re-
duxit exercitum compositque ad Cæsarem litteras, quasi confecto bello, verbis
magnificis, rerum vacuas. Interim Corbulo nunquam neglectam Euphratis ri- 9
pam crebrioribus præsidiis insedit: & ne ponti injiciendo impedimentum hostiles
turmæ afferrent, (jam enim subjectis campis, magna specie volitabant) naves magni-
tudine præstantes, & connexas trabibus, ac turribus auctas, agit per amnem, cata-
pultisque & balistis proturbat Barbaros. in quos saxa & hastæ longius permeabant,
quam ut contrario sagittarum jactu adæquarentur. Dein pons continuatus; colles-
que adversi per socias cohortes, post legionum castris occupantur; tanta celeritate
& ostentatione virium, ut Parthi omisso paratu invadendæ Syriæ, spem omnem in
Armeniam verterent. Ibi Pætus imminentium nescius, quintam legionem procul in 10
Ponto habebat; reliquas [1] promiscuis militum commeatibus infirmaverat; donec ad-
ventare Vologesen magno & infenso agmine auditum. Accitur legio duodecima, &
unde [2] famam aucti exercitus sperat, prodita infrequentia: qua tamen retineri castra,
& eludi Parthus tractu belli poterat, [3] si Pæto aut in suis, aut in alienis consiliis con-
stantia fuisset. Verum [4] ubi à viris militaribus adversus urgentes casus firmatus erat,
rursus ne alienæ sententiæ indigens videretur, in diversa ac deteriora transibat. Et
tunc relictis hibernis, *non fossam neque vallum sibi*, *sed corpora & arma in hostem data*
clamitans, duxit legiones quasi prœlio certaturus. Deinde amisso centurione & pau-
cis militibus, quos visendis hostium copiis præmiserat, trepidus remeavit. Et quia
minus acriter Vologeses institerat, vana rursus fiducia, [5] tria millia delecti peditis
proximo Tauri jugo [6] imposuit, quo transitum regis arcerent. Alares quoque Pan-
no-

aliud, quam specimen & notam dignitatis. Tacitus hic consularia insignia ait: quia Cæsennius Pætus ille ipse est qui ante annum Consul cum Petronio Turpiliano fuerat. *Lipsius.*

1 *Promiscuis militum commeatibus infirmaverat*] Pro facultate recedendi à militia. quod est contra Laur. Vallæ opinionem, qui *commeatum* ea significatione tantum in singulari numero dici affirmat. Sed monuisse satis est. *Lupanus.*

2 *Famam aucti exercitus sperat*] Unde hoc, quod video in citerioribus editis proferri? sed Beroaldus dedit *speraverat*, idque exstat in MS. Mediceo. Sed oportet fateri etiam illic legi *fama*. Hinc vides in turbido esse totum hunc locum. Qui vero ausi sunt scribere *sperat*, cur non eodem flatu ediderunt quoque *proditur*? De his si attente consulueris, tandem clarissime colliges videri auctorem scripsisse: *& unde fama aucti exercitus sperata erat*, *prodita* &c. Certe hoc convenit optime sequentibus duabus vocibus. Periodus simillima occurrit cap. 28. quam inspice, & cernes ibi jungi trina repetitione *erant*, *essent*, *est*; sed MS. Med. habet tantum *delectus est ob mem. let. s. rei Corbulo si vitatus*, unde scribi oportuit; *locus. tum a barbaris delectus est*, *ob memoriam letioris sibi rei Corbuloni non vitatus*. Jac. Gronovius.

3 *Si Pæto aut in suis*, *aut in alienis consiliis constantia fuisset*] Deesse vocem credo post *in suis*. Neque *constantia* accommodari illuc videtur posse, si sequentia ista spectentur: *Verum ubi à viris* &c. Forte verum, *Si Pæto aut in suis vis*, *aut in alienis consiliis constantia fuisset*. Acidalius.

4 *Ubi à viris militaribus adversus urgentes casus firmatus erat*] Vox prima & ultima, si non sunt ab aliena manu, haud tamen multum habent, quod heic agant; hoc est, sede ista ejici poterant. *Gruterus.*

5 *Tria millia delecti peditis*, *proximo Tauri jugo*] Placuit hæc lectio à Flor. indicata. in quo, *tria millia delecti peditis*. Vulgo, *delectorum peditum*. Sed & in peditibus, & in equitibus, Tacitus plerunque singularem numerum amat. *Pichena.* Prave id traditur ab Pichena de vulgo, ubi *τὸ peditum* deleri debet. *Jac. Gronovius.*

6 *Imposuit*, *quo transitum regis arcerent*] Mur-
ma-

nonios, robur equitatus, in parte campi locat. Conjunx ac filius [1] castello, cui
Arsamosata nomen est, abditi, data in præsidium cohorte, ac disperso milite, [2] qui
in uno habitus, vagum hostem promptius sustentavisset. [3] & ægre compulsum fe-
runt, [4] ut instantem Corbuloni fateretur. nec à Corbulone properatum, quo gliscen-
tibus periculis etiam subsidii laus augeretur. *Expediri* tamen *itineri singula millia ex*
11 *tribus legionibus*, [5] *& alarios octingentos, parem numerum è cohortibus* jussit. At Volo-
geses quamvis *obsessa à Pæto itinera* [6] *hinc peditatu, inde equite* accepisset, [7] nihil mu-
tato consilio, sed vi ac minis alares exterruit, legionarios obtrivit, uno tantum cen-
turione Tarquitio Crescente turrim, in qua præsidium agitabat, defendere auso,
[8] factaque sæpius eruptione, & cæsis qui Barbarorum propius suggrediebantur; do-
nec ignium jactu circumveniretur. Peditum si quis integer, [9] longinqua & avia;
vulnerati, castra repetivere: *virtutem regis, sævitiam & copias gentium*, cuncta metu
extollentes, facili credulitate eorum qui eadem pavebant. Ne dux quidem obniti
adversis, sed cuncta militiæ munia deseruerat, [10] missis iterum ad Corbulonem pre-
cibus, *veniret propere, signa & aquilas, & nomen reliquum infelicis exercitus tueretur:*
12 [11] *se fidem interim, donec vita suppeditet, retenturos.* Ille interritus, & parte copia-
rum apud Syriam relicta, ut munimenta Euphrati imposita retinerentur; qua proxi-
mum & commeatibus non egenum, [12] regionem Commagenam, exin Cappadociam,
inde Armenios petivit. [13] Comitabantur exercitum, [14] præter alia sueta bello, ma-
gna vis camelorum [15] onusta frumento, ut simul hostem famemque depelleret. Pri-
mum è perculsis [16] Pactium primipili centurionem obvium habuit, dein plerosque
militum:

maluit, *qua*. Mihi utrumque eodem loco. *Acidalius*. Ego *qui* mallem. *Gronovius*.

1 *Castello cui Asamesata nomen est*] Correximus, *Arsamosata*. Rhenanus.

2 *Qui in uno habitus*] Ita Flor. Vulgo, *in unum*. Pichena.

3 *Et ægre compulsum ferunt*] Sustulimus particulam *&*. non autem hæc sola supererat, sed mox item particulam, *ut*, *Ægre compulsum ferunt, instantem Corbuloni fateretur*, subauditur autem *ut*. Rhenanus. Ex libris veteribus, præsertim ex Flor. addidi illud, *&*. Verbum autem, *instantem*, refertur ad superiora, *vagum hostem*. Pichena.

4 *Ut instantem Corbuloni fateretur.*] Vel hostem, vel metum ex hoste. *Ferretius*.

5 *Et alarios octingentos*] Vel *ex alariis octingentos*. Sed dubito an eadem sententia. *Acidalius*.

6 *Hinc peditatu, inde equite*] Codex Budensis, *Hinc peditatu, hinc equite*. Rhenanus.

7 *Nihil mutato consilio, vi ac minis alares exterruit*] Ita Faernus legebat, delebatque particulam, *sed*. Ursinus.

8 *Facta sæpius eruptione*] Et hic excidit, aut sublata fuit copula: quam ex Flor. repone: *factaque sæpius eruptione*. Pichena.

9 *Per longinqua & avia*] Præpositionem *per* expunximus, sic distinguendo sententiam: *peditum si quis integer, longinqua & avia: vulnerati castra repetivere*. Subauditur ante, *petiit*. Rhenanus.

10 *Missis item ad Corbulonem precibus*] Scripsimus, *Missis iterum ad Corb. pr.* Rhenanus. Florentinus & Venetus, *item*, si conjecturæ locus esset, facerem, *identidem*, hoc est, crebro subinde; quod quidem sensus velit. *Freinshemius*. Videtur Freinshemium decepisse editio Beroaldi, In qua legitur *item*, quam ille traditur concinnavisse ad codices Mediceos; quod verum hactenus, ut & ipse voluerit sæpe esse sui arbitrii, interdum quoque vitiosa fuerint adspersa. Hinc & Rhenanus ita citat, & corrigit. Hoc debuit addidisse Ryckius miratus ita agere Freinshemium. Certe in Florentino esse *iterum* vidi ipse, vidit & Frater. Sed in Oxoniensi erat *item*. Jac. Gronovius.

11 *Se fidem interim, donec vita suppeditaret, retenturos*] In vulgatis, *retenturum*. at magis placuit, *retenturos*, ex Flor. ac Ven. nam ad ipsum ducem, & ad exercitum refertur. *Pichena*.

12 *Regionem Comagenam*] Syria dividitur in plures partes, cujus una pars Comagena, quæ ad Amanum, & Taurum montes extenditur. *Lupanus*.

13 *Comitabantur exercitum*] Mur. *Comitabatur*. Ad quid vero? *Acidalius*.

14 *Præter alia assueta bello*] Flor. *sueta*. Pichena.

15 *Onusta frumento*] Ita cap. 43. *onustæ rudere naves*. Et 4. hist. 27. *Forte navem, haud procul castris, frumento gravem* &c. Et 52. *Celerrimas navium frumento onustas*. Attamen tunc quum scribebatur codex Mediceus, legebant hic *frumenti*, ut illic exstat. Immo jam olim sic edidit Beroaldus, servaruntque nonnullæ editiones Lipsii. Id non oportebat lectorem ignorare. *Jac. Gronovius*.

16 *Pactium primspili centurionem*] At supra lib. XIII.
per-

militum: quos diversas fugæ caussas obtendentes, *redire ad signa*, & *clementiam Pæti experiri* monebat, [1] *se nisi victoribus immitem esse*. Simul suas legiones adire, hortari, *priorum* admonere, *novam gloriam* ostendere; *non vicos aut oppida Armeniorum, sed castra Romana, duasque in iis legiones pretium laboris peti*. [2] *Si singulis manipularibus præcipua servati civis corona, imperatoria manu tribueretur; quod illud & quantum decus, ubi par eorum* [3] *numerus apisceretur, qui attulissent salutem, & qui accepissent?* His atque talibus in commune alacres, (& erant quos pericula fratrum, aut propinquorum propriis stimulis incenderent) continuum [4] die noctuque iter properabant. Eoque 13
intentius Vologeses premere obsessos, modo vallum legionum, [5] modo castellum, quo imbellis ætas defendebatur, adpugnare, propius incedens quam mos Parthis, si ea temeritate hostem in prœlium eliceret. At illi vix contuberniis extracti, [6] nec aliud quam munimenta propugnabant: pars jussu ducis, & alii propria ignavia, [7] aut metu Corbulonem opperientes, ac si vis ingrueret, provisis exemplis Caudinæ ac Nu-

perfunctum eo honore ait: *Curam præsidiorum Pactio Orfito primipili honore perfuncto mandat*. Lipsius.

1 *Se nisi victoribus immitem esse*] Corbulo primipilarem hortatus, & ceteros milites, qui Pætum in bello deseruissent, ut illius potius misericordiam experirentur, quam ut à se deprehensi in eodem perfugium haberent, dixit, se disciplinæ militaris diligentissimum exactorem, qua deserentibus nisi à victoria militibus non parceret, ut supra lib. 13. Suadebat autem Corbulo militibus *clementiam Pæti experiri*: licet enim qui in bello deseruit, capite puniri soleret, potuit tamen se offerens ex edicto Germanici Cæsari desertionis pœnam evitare, & ex prima desertione militiæ restitui, Arrio Menandro in Militaribus auctore. *Vertranius*. Milites, qui ducem Corbulonem cum Pæto mutaverant, falsis nominibus utebantur: Corbulo sævus dicebatur, quia veram militiam revocabat: Pætus, mitis, quod legiones *promiscuis militum commeatibus infirmaverat*. Hæc omnia Corbulo nunc ulciscitur. redite (ait amara irrisione) ad vestrum elementissimum ducem: quid rei vobis est cum me sævo, qui solis victoribus æquus, victos angue pejus semper odi? *Salinerius*. Frustra excercet acumen suum homo optimus, quum obscuri nihil sit. Non enim si lib. 13. *Pactius Orphitus primipilaris* jussu Corbulonis præsidio præpositus commemoratur, & hic *Pactius centurio primipili* à Pæto venire dicitur, ideo & omnes milites hic obvios Corbuloni ducem eum cum Pæto mutasse necesse est. Lib. 13, 40. sunt cum Corbulone tertia & sexta legio & decuma: easdem obtinet hoc lib. c. 6. Pætus quartam & quintam & duodecimam. Nec *diversas fugæ caussas obtendere* est falsis nominibus uti Corbulonis sævi, Pæti mitis. Eoque nec ulciscitur hic Corbulo quicquam privati doloris, neque amara irrisione ludis: sed voce plena gravitatis & disciplinæ profugos redire ad signa & duci, cui à Cæsare attributi essent, causam probare jubet, si forte veniam det ille; se nullam fugæ excusationem accipere, nec desertoribus ignoscere. *Gronovius*.

2 *Si singulis manipularibus*] Ita Plinius lib. 22. cap. 4. *Si civica honor uno aliquo ac vel humillimo cive servato præclarus sacerque habetur, qui tandem æstimari debet unius virtute servatus universus exercitus*. Aurelius.

3 *Numerus adipisceretur*] Maln, *adspiceretur*. etsi non ignorem Plautum, & Tacitum ipsum alibi adipiscendi verbum παθητικῶς esse usos. *Lipsius*.

Ubi par eorum numerus aspiceretur] Ita emendavit Lipsius: male vulgo, *adipisceretur*. facilis enim fuit lapsus, præsertim cum in veteribus legatur, *apisceretur*. Pichena. Etiamnum proba mihi Lipsii correctio, quam & Pichena amplexus est; *adspiceretur*. Freinshemius. Videlicet quia fidem codicis Medicei æstimare aut nequit aut non vult, quales plurimos vixisse Tacitus expertus est. Quum enim certus modus huic gloriosæ solennitati fuerit impositus, certe is perinde impletur sive antiquum & verum *apisceretur* legas, sive novum istud & ex ingeniis paratum *adspiceretur*. Vide Cl. Ryckium. *Jac. Gronovius*.

4 *Diu noctuque*] An istam quoque vocem Tacito inferunt, qui toties illud *diu* usurpavit, nuspiam hoc sensu, quo oppositam haberet noctem? Atqui Beroaldus jam exhiberat *die*. Credamus igitur id ab eo factum ex fide antiqui libri, licet prætermiserimus annotare, præsertim quum lib. 5. hist. 5. idem retineat *noctu dieque*, ubi sufficere puto testimonium libri Oxoniensis, ex quo illic notavi *die* at 3. hist. 76 *Noctu dieque fluxi*. Neque enim in his gratia varietatis, quæ Tacito adscribi aut placere potuerit, sed puerilis negligentiæ culpa; nec sustinuerim nunc cogitare de *interdiu*, quod est Livianum, ut colligunt notæ Paternæ 29, 14. *Idem*.

5 *Modo castellum, quo imbellis ætas defendebatur, adpugnare*] Restitui ex Flor. *adpugnare*. In vulgatis, *oppugnare*. Pichena.

6 *Ne aliud quam munimenta propugnabant*] Emendavimus, *nec aliud q. m. pr.* Rhenanus.

7 *Aut metu*] Ablativum, *metu*, delevimus, & pro

Numantinæ cladis. *neque eandem vim Samnitibus Italico populo*, [1] *aut Pœnis Romani imperii æmulis. Validam quoque & laudatam antiquitatem, quotiens fortuna* [2] *contra daret, saluti consuluisse.* Qua desperatione exercitus dux subactus, primas tamen litteras ad Vologesen, non supplices, sed in modum querentis composuit, [3] *quod pro Armeniis semper Romanæ ditionis, aut subjectis regi quem imperator delegisset, hostilia faceret.* [4] *pacem ex æquo utilem. nec præsentia tantum spectaret. ipsum adversus duas legiones, totis regni viribus advenisse; at Romanis orbem terrarum reliquum, quo bellum juva-*
14 *rent.* Ad ea Vologeses, nihil pro caussâ, sed *opperiendos sibi fratres Pacorum ac Tiridaten* rescripsit; [5] *illum locum tempusque consilio destinatum quid de Armenia cernerent.*

[1] *ad-*

pro *aut* scripsimus, *ut*, hoc modo, *& alii propria ignavia, ut Corbulonem opperientes.* Siquidem in Manuscripto libro tantum est *Ut* pro *Aut*; librarius ultimam præcedentis vocabuli quod est *ignavia* literam, cum *ut* conjunxit, ut fieret *aut.* deinde quispiam ablativum adjecit *metu.* Rhenanus. In v. c. est. *Et alii propria ignavia, aut metu Corbulonem opperientes.* nam in vulgatis desunt illa, *aut metu.* Ursinus. Flor. ac plerique veteres habent, *aut Corbulonem.* ut sit sensus: Corbulonem opperientes, non ignavia se intra munimenta continuisse: sed fortasse prudenti consilio, cum se hostibus impares viderent. Tamen vulgatam lectionem præfero. Venetus, & nonnulli alii addunt, *aut metu Corbulonem opperientes.* Pichena. Editio Veneta, *propria ignavia, aut metu*, aliæque veteres probo sensu, quem aliæ pervertunt; *propria ignavia, ut Corbulonem* &c. nec minus illi, inter quos & MSc. Pichenæ qui legunt, *propria ignavia, aut Corbulonem* &c. Freinshemius. De lectione hujus loci optime Rhenanus. Ex, *ignavia ut* litera male repetita, *ignavia aut*, factum. Suppleverunt *metu*, qui nesciebant *ignaviam* hic nihil aliud esse quam metum. Sæpe veteres has voces, *ignavus, segnis, ignavia, segnities*, usurpant in illis, quibus abest virtus aut viro digna audacia, quos *poltrons* dicimus. Illis, inquit, abunde magnum erat munimenta defendere: nonnullis, quia edixerat dux, ne quis castris exiret; aliis non aliter facturis, si signa ferri jussisset (ita erant perculsi) præferentes se tanquam in stativis Corbulonem exspectare. *Ut opperientes*, quemadmodum præcedenti libro, *utque eruebantur.* Illud *provisis exemplis* pari lepore Ovid. 9. met. ubi Byblis: *At non Æolide thalamos timuere sororum. Unde sed hos novi? cur hæc exempla paravi?* Gronovius.

1 *Aut Pœnis Rom. imperii æmulis*] Mirum omnes editiones ita conspirare in hanc lectionem, cum palam vitiosa sit. Nullæ enim hic Pœnorum partes. præcessit de cladibus Caudina ac Numantina. Nunc ergo comparant eas cum ignominia, quæ sibi immineat à Parthis, & hanc elevant, usi argumento à potentia Parthorum. Cum enim excusatius sit hosti valido succumbere, patrocinium hoc amplectuntur, & quando progenitoribus suis licuerit Samnitibus & Numantinis, modicis populis cedere, quem sibi crimini daturum, quod non suf-tineant Parthos *Rom. imperii æmulos?* hoc enim epitheton haud dubie ad Parthos pertinet, quod cum & Pœnis olim tributum fuerit, hujus loci corrumpendi occasionem præbuit. Sensus igitur hic est, quo de non dubito: verba sic restituam: *nec eandem vim Samnitibus Italico populo, aut Hispanis, ut Rom. imperii æmulis*, nempe Parthis. *Freinshemius.* Recte ille. sed non satis. Lege: *Nec eandem vim Samnitibus Italico populo aut Hispanis quam Parthis Romani imperii æmulis.* Gronovius. Attamen duos illos denuo sic jungit in Germania cap. 37. *Tam diu Germania vincitur, Medio tam longi ævi spatio multa invicem damna. Non Samnis, non Pœni, non Hispania, Galliæve, ne Parthi quidem sæpius admonuere.* Jac. Gronovius.

2 *Contra daret*] Hoc mihi magis probatur quam quod verbum in regio volumine est scriptum, nempe *contradiceret.* Sic lib. 1. Hist. *Si fortuna contra daret, iratis ne relinquerentur.* Rhenanus.

3 *Quod pro Armeniis semper Romanæ ditionis*] Videtur legendum omissa, *pro*, dictione: *Quod Armeniis semper Romanæ ditionis.* Ursinus.

4 *Pacem ex æquo utilem, nec præsentia spectaret*] Non est inepta Budensis exemplaris lectio, *Pace ex æquo utili, ne præs. t. sp.* Rhenanus.

5 *Illum locum, tempusque consilio destinatum*] Deinde, *quid de Armenia cernerent adjecisse Deos:* ubi etiam clauditur, qui sequitur, sensus. Postremo, quando à Diis decretum fuit, quid futurum de Armenia sit, quam in manu Parthorum posuere, cedentibus legionibus Romanis, dignum esse Arsacidarum vel memoria fœderum vel commiseratione fortunæ, ut etiam de legionibus Rom. statuerent. Perinde est itaque ut si scripsent, exspectare sibi esse in animo fratres, & in id tempus consilium & locum rejicere: Deos adjecisse tamen quid cernerent de Armenia: dignumque esse Familiæ nominisque sui, statuere una de legionibus Romanis. *Ferretus.* Sed & hic locus rapi debuit ab illis impotentibus scrutatoribus verbi *cernere*, ut nunc velut mancum suppleant, deliberationi ejus negotii, quid de Armenia faciendum censerent judicarentque. Quod mihi fatuum videtur, quum ipsa deliberatio sit negotium, ex quo peracto patebit eorum sententia. Quid de aliquo faciendum censeat quis, non est negotium; sed quum id deliberatum & exactum transjicit in factum, sic erit negotium.

Sed

1 *adjecisse deos dignum Arsacidarum, simul & de legionibus Romanis statuerent.* Missi post à Pæto nuntii, & *regis colloquium* petitum, qui 2 *Vasacen præfectum equitatus ire* jussit. Tum Pætus, *Lucullos, Pompejos,* 3 *& si qua Cæsares obtinenda donandave Armenia*

Sed istæ ellipses tanquam teredines eos adederunt. *Jac. Gronovius.*

1 *Adjecisse deos dignum*] Locus de quo tria verba non possum hiscere. *Lipsius.*

Adjecisse deos dignum Arsacidarum simul & de legionibus Rom. statuerent] Scribendum apparet, *Adjecisset eos, dignum Arsacidarum,* &c. Sensus est, rescripsit Vologeses se adhibuisse fratres suos in consilium, Pacorum ac Tiridatem, ut digne Arsacidis simul & Romanis statuerent. Cur enim non possim docendi gratia sic loqui, quum Cicero dixerit, *convenienter naturæ vivere.* Arbitror autem *dignum Arsacidarum* imitatione Græca protulisse ἀξίως τῶν Ἀρσακιδῶν. nisi quis malit, *dignum Arsacidarum* pro *dignitatem Arsacidarum:* hoc est, pro dignitate Arsacidarum simul & de legionibus Rom statuerent. *Rhenanus.* Si quis me audiet, ita leget, *Adjecisse eos, dignum Arsacidarum, simul ut de legionibus Rom. statuerent.* hoc sensu, adhibuisse fratres in consilium, dignum esse Arsacidis, ut una de legionibus Rom. deliberarent quid fieri oporteret. *Vertranius.* Videtur ex v. c. ita legendus hic locus: *Quo de Armenia decernerent. Adjecisse deos dignum Arsacidarum, simul ut de legionibus Rom. statuerent.* Ursinus. Morbis desperatis quale quale remedium non dedecet adhibere: illudque inde mihi petam, unde toties suggestum est: scil. à parenthesi: *Quid de Armenia cernerent (adjecisse deos dignum Arsacidarum) simul & de Romanis legionibus statuerent.* Fratres (inquit) expecto. etenim inter nos jam convenit, ut hic omnes de rebus Armeniæ decernamus, (cujus possessionem dii ut rem dignam Arsacidarum, iis tradiderunt) simulque statuamus de legionibus Romanis. Subobscure quidem hoc in loco Vologeses apertius alibi. *Se priora, & toties jactata super obtinenda Armenia nunc omittere, quoniam dii quamvis potentium populorum arbitri possessionem Parthis non sine ignominia Romana tradidissent.* τὸ *adjicere* sive *addere.* pro *dare.* Terent. Eun. *Quam inique comparatum est, ii qui minus habent Ut semper aliquid addant divitioribus.* Salinerius. Desperatus Lipsio locus, qui tria de eo verba hiscere non potest. Ego aliquid, imo multum possum, sed certi tamen nihil. Visum est primo transponere: *Illum locum tempusque consilio destinatum, quid de Armenia, regno Arsacidarum, cernerent: adjecisse deos simul ut de legionibus Rom. statuerent.* Postea fine transpositione legebam saltem, *Adjecisse deos fastigio Arsacidarum, simul & de leg. R. statuerent.* Fastigium Arsacidarum, initio etiam hujus libri dixit: *Spretum Arsacidarum fastigium ire ultum volens.* Possit etiam: *Adjecisse deos, de regno Arsacidarum simul & de leg. R. statuerent.* Quid si legatur? *Illorum* (fratrum scil;) *consilio locum tempusque designandum, quo de Armenia cernerent. Adjecisse deos Arsacidarum fastigio dignum, simul ut de leg. R. statuerent.* Acidalius. Trajectione & mutatione haud multa sensum Vologesis epistolæ congruentem sic eruo: *Allegisse deos illum locum, tempusque dignum Arsacidarum Consilio destinatum, quid de Armenia cernerent, simul & de leg. R. statuerent.* Grotius. Ausim sponsionem facere ita recte locum habere, *qui de Armenia cernerent:* &, *simul de legionibus. Qui* pro *Quo* sive *Ut* positum. *Cernere* hic certare est. *Dignum Arsacidarum,* recte, æque ac si esset, dignum Arsacidis. *Statuerent,* pro, *ut statuerent.* quamvis ἀπὸ κοινοῦ subaudiatur τὸ *Qui.* Zinzerlingus. Vulnus turpe, cui medeor: *Adjecit sese, & eos, de genere regum Arsacidarum.* Aurelius. Scribe: *Adjecit esse regnum Arsacidarum, de eo simul & de legionibus R. st.* Barthius. Ego vero locum hunc sanum integrumque, & tantum explicandum contendo. Sensus: ut brevissime dicam: Tum temporis hoc ipso in loco fore opportunum consultare, quid decernerent de Armeniæ possessione simul, & (quam dii rem dederint dignam Arsacidarum majestate) quid statuerent de legionibus Romanis, quam illis legem pacis darent. *Consilio quid cernerent,* breviter est, quo tractatur quid decernerent, quem finem controversiæ de Armenia imponerent. Ut lib. 13. *Arbitrium quid darent, quid adimerent. Adjecisse deos.* Deum benignitate accessisse materiam deliberandi multo ampliorem & vix speratam, sed dignissimam magnitudine Parthica, nimirum, quid placeat fieri de legionibus Romanis: adeo eas in potestatem esse. Vel, deos fecisse, ut ipse adjicere superiori orationi sequentia verba posset. Seneca 1. de benef. 10. *Cæterum idem semper de nobis pronuntiare debemus, malos esse nos, malos fuisse (invitus adjiciam) & futuros esse.* Hæserunt in hoc verbo & apud Livium lib. 10, 7. *Gronovius.* Quum Tacitus in exprimenda Parthici tyranni insultatione sermonem formet, perinde ut Horatius lib. 2. Serm. 6. ubi dicit *Auctius atque di melius fecere,* quod credo vidisse omnes, etsi nemo indicet; & hinc dixisse *dignum Arsacidarum,* omisso substantivo, tanquam non satis excelsum subeat memoriam ejus, unde maluit omittere; atque adeo ita arrogantiam suam cumulet Vologeses, ut nunquam superbius; miror sic adesse promptum cum illo interpolatissimo libro Ryckium, & quia toties *fastigium Arsacidarum* memoretur in Tacito, propterea nunc quoque ab recenti ingenio assumam notissimam vocem velle huc infercire, quum neque in toto illo nexu ulla appareat venustas. Et istud *fastigium,* & majestas vel magnitudo in paraphrasi Paterna prorsus non implent arrogantiæ Parthicæ infamiam. *Jac. Gronovius.*

2 *Vasacem præfectum*] Et mox, *Vasates.* Scripsimus, *Vasacem* & *Vasaces.* Rhenanus.

3 *Et si qui duces obtinenda donandave Armenia egerant*]

menia egerant. Vasaces [1] *imaginem retinendi largiendive penes nos, vim penes Parthos* memoravit. Et multum invicem disceptato, Monobazus Adiabenus in diem posterum testis iis quæ pepigissent, adhibetur. Placuitque *liberari obsidio legiones, & decedere omnem militem finibus Armeniorum, castellaque & commeatus Parthis tradi. quibus perpetratis copia Vologesi fieret mittendi ad Neronem legatos.* Interim [2] flumini Arsaniæ (etenim is castra præfluebat) pontem imposuit, [3] specie sibi illud iter experientis. Sed Parthi quasi documentum victoriæ jusserant. [4] namque iis usui fuit: nostri

rant] In Flor. legitur: *& si qua ces obtinenda* &c. unde suspicor restituendum, *& si qua Cæsares.* id est, quæcunque gesserint Cæsares, super obtinenda, donandave Armenia, refert. *Pichena.* Egregie locum restituit Pichena ex Florentino MSC. in quo; *& si qua ces.* unde alii fecerunt; *& si qua duces.* Sed revera *Cæsares* legendum. percurrit enim auctor omnes Pop. Rom. Impp. quibus cum Armenia res fuit, & à Lucullo, qui primus eo Rom. signa intulit, per Pompejum ad Cæsares devenit. qui aliquot reges Armeniis dederunt, ut superioribus libris indicatum est. Duces enim post Lucullum, Pompejumque nihil poterant in donandis regnis, sed Cæsares. *Freinshemius.*

1 *Imaginem retinendi donandive penes nos*] In Flor. legitur, *retinendi largiendive* Pichena. Quod quum denique adoptaverit Ryckius, censui etiam huic editioni prodesse debere. *Jac. Gronovius.*

2 *Fluvio Arsameti*] Non alibi lectus nobis hic Arsametes: & omnino arbitramur falsum. Magis, quia in Dionis fragmentis (edidit haud ita pridem Fulvius Ursinus) hic ipse fluvius *Arsanias* dicitur. Verba Dionis: Ἀφῆκεν αὐτὸν προδιομολογησάμενος, ἵνα τὸν ποταμὸν αὐτοῦ Ἀρσανίαν ζεύξωσι: *Parthus dimisit Pætum, prius cum eo pactus ut ponte sibi jungerent fluvium Arsaniam.* Nominat & ante, Ῥανδείαν τὴν πρὸς Ἀρσανίᾳ ποταμῷ οὖσαν. *Randeiam* (opidum, sive vicum ubi Pætus obsessus) *ad Arsaniam fluvium sitam.* Plinius quoque Arsaniam agnoscit, & in Euphratem labi facit, lib. v. cap. xxiv. Sed & Plutarchus in Lucullo. Ita corrigi prorsus velim in Tacito. *Fluvio Arsania (etenim is castra præf.)* litteris postremis in aliam voculam reformatis. Emendabis iterum, infra. *Lipsius.*

Interim fluvio Arsameti (is castra præfluebat) pontem imposuit, &c.] Feliciter è Dione Lipsius sententiam veram loco reddidit: ego tamen, ne oratio Taciti languidiuscula sit, paullo aliter ita malim. *Interim fluvio Arsania (is castra præfluit) pontem imposuit, specie sibi illud iter expedientis* (ita Muretus, & in aliis credo Lipsii editionibus ad marginem, in editione certe prima ita conjecit idem) *sed Parthi, quasi documentum victoriæ jusserant. nam neque iis usui fuit, & nostri per diversum iere.* Acidalius. Ex historia à Lipsio nomen fluminis emendatum. *Interim flumini Arsania,* &c. Vulgo, *Arsameti, is castra,* &c. Idem & paulo infra correximus. *Pichena.*

Is castra perfluebat] Malim, *præfluebat.* Rhenanus. Pronomen hoc *is* ita placuit Lipsio, ut inde scripserit *fluvio*, non *flumini*: nec aliter in citando agit Acidalius. Reliqui abeunt ad vocem *flumini*, & tamen retinent *is*; credo quo Arsaniam cogitari ab se innuant, prout in citando etiam consulit Ryckius ad 12, 63. Opinor literas in MS. Mediceo *Arsanieis.* *Is* ita spectari debere, ut istæ *&* venerint ea diphthongo, quum non satis liquide scriberetur, & hinc restitui: *Interim flumini Arsania (cis castra præfluebat) pont.* Oportuit enim patere, qua parte præflueret. 3. hist. 23. *Tela hostium citra cadebant.* Jac. Gronovius.

3 *Specie sibi illud iter experientis*] Imo *expedientis.* Sic *expedire copias, arma, tela,* alibi sæpe. *Experiendi* hic nec tempus nec locus. *Grotius.*

4 *Namque iis usui fuit*] Ex Taciti consequa narratione judices legendum, *Neque iis usui fuit.* Et firmat certe Dio, qui in hac re (ut sæpe) velut interpres Taciti: Ἵνα τὸν ποταμὸν Ἀρσανίαν ζεύξωσι. Οὐχ ὅτι γεφύρας ἐδεῖτο (πεζῇ γὰρ αὐτὸν διελελύθει) ἀλλ' ἵνα ἐνδείξηται σφίσιν, ὅτι κρείττων αὐτῶν ἦν. *Lipsius.*

Namque iis usui fuit] Quamvis pontem pauci fortasse Parthorum transierint, tamen aliqui. at ex Romanis nullus. Non ergo falso dictum, Parthis usui fuisse. Nihilominus malim cum Lipsio, *neque iis.* Pichena. Non male isthæc mutantur ab aliis, verum cum varia oriatur corruptio, nisi à vocabulo minus usitato, suspicari libet, fuisse, *namque iis inusus fuit;* quæ dictio frequentata Sallustio, à cujus imitatione minime abhorret noster. *Gruterus.* Non videntur optime conjecisse viri Doctiss. qui *neque*, legendum putaverunt. nam omnino sensus receptam lectionem mordicus tenet. Apparet id ex tota oratione. Romanus pontem struxit tanquam sibi; revera pro Parthis, qui id jusserant; quare? quod ipsis usui futurus erat. Deinde & sequentia hoc volunt; opponit enim hæc, *nostri per diversa iere.* quasi diceret, nam illis usui fuit, nostris vero non fuit, qui alio itinere usi sunt. Nec obest, quod mox narratur Parthos vado transisse. nec enim sequitur eainde, pontem ipsis usui non fuisse. Præterquam enim quod sic quoque mentio fit de parte copiarum, qui ponte transierunt, facile intellectu est, eum magno fuisse usui ad quotidianos transitus, & commeatus, aliaque bello necessaria transvehenda. Nec enim credibile est, eos de flumine semel tantum transmittendo cogitasse; eo transmisso omnium, quæ in altera ripa erant, oblivione captos esse, quasi non Arsaniam,

ſtri per diverſum iere. [1] Addidit rumor, [2] *ſub jugum miſſas legiones*, & alia ex rebus
infauſtis: quorum ſimulacrum ab Armeniis uſurpatum eſt. [3] Namque & munimen-
ta ingreſſi ſunt, [4] antequam agmen Romanum excederet, & circumſtetere vias, ca-
ptiva olim mancipia, aut jumenta agnoſcentes, abſtrahenteſque. Raptæ etiam ve-
ſtes, retenta arma, pavido milite & concedente, ne qua prœlii cauſſa exſiſteret. Vo-
logeſes armis & corporibus cæſorum aggregatis, quo cladem noſtram teſtaretur, vi-
ſu fugientium legionum abſtinuit. Fama moderationis quærebatur, poſtquam ſu-
perbiam expleverat. Flumen Arſaniam elephanto inſidens, [5] proximus quiſque [6] re-
gem vi equorum perrupere, quia rumor inceſſerat, *pontem ceſſurum oneri, dolo fabri-
cantium.* ſed qui ingredi auſi ſunt, [7] validum & fidum intellexere. Ceterum obſeſſis 16
adeo ſuppeditaviſſe rem frumentariam conſtitit, ut horreis ignem injicerent: [8] con-
traque prodiderit Corbulo; *Parthos inopes copiarum, & pabulo attrito, relicturos op-
pugnationem*, [9] *neque ſe plus tridui itinere abfuiſſe.* Adjecit, *jurejurando Pæti* [10] *cautum
apud ſigna, aſtantibus iis, quos teſtificando rex miſiſſet, neminem Romanum Armeniam
in-*

niam, ſed Lethen tranſiviſſent. *Freinshemius.*

1 *Addidit rumor*] Cui rumori Suetonius etiam fidem habet, cap. XXXIX. *Lipſius.*

2 *Sub jugum miſſas legiones*] Jugum ex duabus haſtis fixis, & tertia tranſverſe ſuperpoſita fiebat, ſub quod devictæ gentes abibant, ut ſæpe legitur apud Livium. Quod autem additum rumore Cornelius ait, Tranquillus Ner. 39. pro vero ſcriptum reliquit. *Vertranius.*

3 *Nam & munimenta ingreſſi ſunt*] Flor. ac Venetus, *Namque & munimenta.* Pichena.

4 *Antequam agmen Romanum excederet*] Emendavimus, *decederet.* Quod illic ſequitur, *aut jumenta ad naſcentes*, in vulgata editione eſt *agnoſcentes*, nec refert. *Rhenanus.* Muretus, *excederet.* Aptius paullo. *Acidalius.* Flor. ac Venetus, *excederet.* Pichena.

5 *Proximus quiſque regi vi equorum*] Suſpicor de loci defectu. Nonne plerique Parthorum in equis (talis illorum militia) non ſolum proximi regis? certe. Adde quod Dio diſertim narrat, *regem quidem elephanto, alios ſine uſu ullo pontis, ut prius, tranſiſſe.* Αὐτὸς μὲν (ὁ Βασιλεὺς) ἐπ' ἐλέφαντος, οἱ δὲ ἄλλοι, ὥσπερ καὶ πρότερον, διεχώρησαν. Itaque fidenter, fortaſſe & feliciter, expleo: *& proximus quiſque regi, alii vi equorum perr.* Hac mente rex quidem in elephanto, & in ſimili bellua ejus exemplo primores tranſmiſere, aliud vulgus in equis. *Lipſius.*

6 *Regi vi equorum perrumpere*] De mendo ſuſpicatur Lipſius. nec Florent. variat, niſi quod habet; *& proximus quiſque regem.* Pichena. Aliter editio prima; *inſidens proximus quiſque regem vi* &c. non male, dummodo interpungamus, *inſidens; proximus quiſque regem, vi,* &c. Vocem *proximus*, accuſativum regere, ſatis notum. *Gruterus.* Vir doctiſſimus, *proximus quiſque regi, alii vi equorum*, quod quidem Tacito non volente mutaſſe, argumento ſunt ſequentia: *ſed qui ingredi auſi ſunt.* Ut ſit ſenſus: regem, & qui circa erant; vado tranſiiſſe, quod *pontem dolo fabricantium ceſſurum oneri* putabant: aliam multitudinem tentaſſe illud iter, & fidum reperiſſe. quamquam enim Dio ſcribat Parthos ponte iſto non uſos, non proinde neceſſe eſt, ut idem etiam noſter. Quin & conciliari poſſint, ſi dicas Dionem ſenſiſſe de Rege & qui proximi regi erant, nullo reſpectu promiſcuæ multitudinis habito. Tacitum autem accurate diſtinxiſſe, & qua cuique iter fuerit explicaſſe. *Freinshemius.* Plane exhibui, quod ſancit optimus Mediceus, tot conjecturis non neceſſariis fatigatum, ut certamen ſupponas ludicrum, ſed in quo omnia diſpliceant; nam & novas habet Ryckius. Unde Lipſius potuit ſibi placere non tantum aucto hoc loco per conjunctionem *&*, ſed vocem quoque *alii* interpoſitas? Simpliciſſimum profecto eſt optimum; nempe *flumen Arſaniam elephanto inſidens* ipſe Vologeſes, *proximus quiſque regem* (quem accuſativum miror ab Ryckio non adſcitum, quum commendaverit jam Gruterus, & ipſe bene ſciret, quid contigiſſet Livio 8, 32.) *vi equorum perrupere.* Quid volunt amplius? *Jac. Gronovius.*

7 *Validum & firmum intellexere*] Repoſui, *Validum & fidum intellexere.* Rhenanus.

8 *Contraque prodiderit Corbulo*] In commentariis, opinor, aut hiſtoria harum rerum. Plinius certe Corbulonem inter ſcriptores cenſuit, Indice lib. V. & VI. *Lipſius.*

9 *Neque ſe plus tridui itineri abfuiſſe*] Nos, *itinere.* Rhenanus.

10 *Cautum apud ſigna*] Specta juvenis. juramenta Romanorum apud ſigna: id eſt, uti ego interpretor, apud principia. Illic enim ſigna. & pleroſque caſtrorum ſollennes actus apud principia notabis celebratos. Dabo exempla. & labore meo levabo tuum. Jus in principiis dictum. Livius l. XXVIII. *Tribunos tamen jura reddere in principiis ſinebant.* Edicta ibi propoſita. Vulcatius in Avidio Caſſio: *Nam ſta-*

ingressurum, [1] *donec referrentur litteræ Neronis, an paci annueret.* [2] Quæ ut augendæ infamiæ composita, sic reliqua non in obscuro habentur; una die quadraginta millium spatium emensum esse Pætum, desertis passim sauciis, neque minus deformem illam fugientium trepidationem, quam si terga in acie vertissent. Corbulo cum suis copiis apud ripam Euphratis obvius, [3] non eam speciem insignium & armorum prætulit, ut diversitatem exprobraret. mæsti manipuli, ac vicem commilitonum miserantes, [4] ne lacrymis quidem temperare. [5] vix præ fletu usurpata consalutatio. Decesserat certamen virtutis, & ambitio gloriæ, felicium hominum affectus.
17 sola misericordia valebat, & apud minores magis. Ducum inter se brevis sermo secutus est, [6] hoc conquerente *irritum laborem, potuisse bellum fuga Parthorum finiri.* Ille *integra utrique cuncta* respondit, *converterent aquilas, & junctæ invaderent Armeniam, abscessu Vologesis infirmatam. Non ea imperatoris habere mandata*, Corbulo; *periculo legionum commotum, è provincia egressum. quando in incerto habeantur Parthorum conatus, Syriam repetiturum. Sic quoque optimam Fortunam orandam, ut pedes confectus spatiis itinerum, alacrem & facilitate camporum prævenientem equitem assequeretur.* Exin Pætus

statim & ad signa edici jussit, & programma in parietibus fixit, ut si quis cinctus inveniretur in Daphne discinctus rediret. Litteræ lectæ, & habitæ allocutiones. Spartianus in Pescennio: *Itaque misi litteras recitandas ad signa, quibus*, &c. Tacitus: *Contractos in principia milites jussit cum silentio audire.* Castigatio & interdum animadversio ibi. Suetonius Othone, cap. 5. *Ausus est milites quosdam capite punire, & quidem ante principia, se coram.* Frontinus lib. IV. Stratag. *M. Cato memoriæ tradidit in furto comprehensis dextras esse præcisas, aut si lenius animadvertere voluissent, in principiis sanguinem missum.* Signum etiam pugnæ propositum. Isidorus: *Russata pridie quam dimicandum esset, solebat ante principia poni, quasi admonitio & indicium futuræ pugnæ.* Lipsius.

1 *Donec referrentur litteræ Neronis*] Sic Flor. & Ven. Vulgo, *referantur*. Pichena.

2 *Quæ ut augenda infamia composita, sic reliqua*] Non puto affirmare hic Tacitum, quæ modo narraverat à Corbulone ficta fuisse, sed hoc velle, etiamsi fides forte iis derogaretur, non ambigua esse alia haud minus fœda. Quæ mens hanc potius scriptionem desideret: *Quæ ut augendæ infamiæ composita sint, reliqua*, &c. *Freinshemius.*

3 *Non eam speciem insignium & armorum prætulit*] Liber manu descriptus, *Non eam speciem insignium armorum p.* Rhenanus.

4 *Ne lachrymis quidem temperare*] Scripsimus, *temperavere*. Rhenanus. Flor. ac Ven. *temperare*. Pichena. Jucundior sonus emergit ex scriptura vetustiss. *temperare*. Gruterus.

5 *Vix præ fletu usurpata consalutatio*] Sic l. 4. Hist. *Nulla inter coeuntes exercitus consalutatio.* Quamquam hoc loco codex Budensis habet *consolatio*. Rhenanus.

6 *Hæc conquerentium : irritum*] Reddere sententiam possis, nescio an verba, si legas. *Hic conqueri, cantum irritum laborem* :. vel *Hoc conquerente.* Brevis sermo ducum, inquit. Corbulo querebatur, frustra se properasse & laborem eum sumpsisse, cum ille auxilium non expectasset. Pætus contra integra omnia, &c. Palmerius noster malebat, *hujus conquerentis irritum laborem, illius integra utique omnia.* Lipsius.

Hoc conquerentium] Castigavimus, *Hæc conquerentium.* Rhenanus. Faernus legebat: *hoc conquerente.* Ursinus. Scil. *irritum laborem.* Corbulo se ita composuerat, ut Pæto insultare non videretur. Et Pætus inter adversa dedidicerat æmulatus. Quapropter (aliis missis) ambo lamentantur injuriam fortunæ, quod temporius eo non potuerit perveniri, certissimaque victoria defraudati sint. Addit Pætus ut res ceciderint, esse in eorum manu omnia integra, si conjunctis legionibus Armeniam aggrederentur. Ea Corbulo non probat, ejusmodi mandata prætexens ab imperatore non habuisse. Hæc mallem quam tot emendationes. Verum nonnihil me sollicitat *respondebat*. Quid si usurpative pro *loqui* ut Plautus? Merc. *Instare factum simia, atque hoc denique respondes.* Et forsan Hebræorum exemplo, qui verbo *Ngana* credunt utrumque significarum: unde in *N. T.* habemus Marc. 12. Καὶ ὁ Ἰησοῦς ἰδὼν αὐτὸν ὅτι νουνεχῶς ἀπεκρίθη. Nec mirum tibi videantur, si gentes imitati sunt Hebræos. Homerus enim non aliunde doctus est, cum facit nuncios iis ipsis verbis agere, quibus ad aliquem legantur. Is etiam inde sumpsit εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν. Præcesserat enim sacer ille Moyses: *Et dixit Dominus ad cor suum.* Quid Herodotus? δοκέοντες ἢ ἤκειν ἐν τῷ Καυκάσῳ μέγιστον μέγιστον. Judæos æmulatur quibus frequens verba duplicare ad aliquid augendum. Psalm. 87. *Numquid Sion dicetur, homo, & homo natus in ea?* Lamentat. *Et multiplicavit in filia Sion dolorem, & dolorem.* Ad ultimum noster lib. 16. ann. *ejusdem animæ est Poppæam divam non credere.* illi Levitic. 2. *quando anima obtulerit.* Salinerius. Liquida sententia in turbatis verbis, quæ varii

tus per Cappadociam hibernavit. At Vologesis ad Corbulonem missi nuntii, *detra-*
heret castella trans Euphraten, [1] *amnemque ut olim medium faceret*; ille *Armeniam quo-*
que diversis præsidiis vacuam fieri expostulabat. Et postremo concessit rex. [2] Diru-
taque quæ Euphraten ultra communierat Corbulo; & Armenii [3] sine arbitro relicti
sunt. At Romæ tropæa de Parthis, arcusque medio Capitolini montis sistebantur: 18
decreta ab senatu integro adhuc bello; neque tum omissa, dum aspectui consulitur,
spreta conscientia. Quin & dissimulandis rerum externarum curis Nero [4] frumentum
plebis vetustate corruptum, in Tiberim jecit, quo [5] securitatem annonæ sustentaret.
cujus pretio nihil additum est, quamvis ducentas ferme naves portu in ipso violentia
tempestatis, & centum alias Tiberi subvectas [6] fortuitus ignis absumpsisset. Tris
dein consulares, L. Pisonem, [7] Ducennium Geminum, Pompejum Paullinum vecti-
galibus publicis præposuit, cum insectatione priorum principum, *qui gravitate sum-*
tuum justos reditus anteissent: se annuum sexcenties sestertium reipublicæ largiri. Percre- 19
buerat ea tempestate [8] pravissimus mos, cum propinquis comitiis, aut forte provin-
ciarum,

varii varie interpolant, nimia hercule licentia. Scribe servatis proxime vestigiis: *Ducum inter se brevis sermo secutus est. hoc conquerente irritum laborem*, &c. *Acidalius.* Florentin. & alii veteres, *hoc conquerentium.* Suspicor legendum, *hoc conquerente, suum irritum laborem.* hoc scil. Corbulone. nam deinde sequitur. *Ille*, id est Pætus. quæ Mureti etiam fortasse sententia est. *Pichena.*

1 *Amnemque ut olim medium faceret*] Scribendum, *Amnemque ut omnium medium faceret.* Item *Diruptaque quæ ultra Euphratem communierat Corbulo.* Rhenanus. Expulit Rhenanus adverbium, *olim*, reposuitque, *ut omnium*, contra veterum librorum auctoritatem. Nos Florentinum præcipue secuti, locum restituimus. *Pichena.*

2 *Diruptaque quæ Euphratem ultra communierat Corbulo*] Aptius mihi verbum, *diruta*, ex Flor. aliisque veteribus, quam, *dirupta*, ut in vulgatis. *Pichena.* Sic etiam assidue citat Ryckius; sed scias in Mediceo ita bis legi hunc fluvium, ut desinat in *en*, vel *Euphraten* vel *Eufraten*, quod revoco. *Jac. Gronovius.*

3 *Suo arbitrio relicti*] Id credo maluissent præ omnibus. Sed quis hoc credat duobus corvis hinc inde ad insidias & rapinam adsidentibus, qui ut multa præsidia deseruerunt, retinent tamen necessaria ad ingressus & commoditatem undique invadendi. Falsissimum itaque hoc est, & unice verum, quod in MS. Mediceo reperi, *sine arbitro*, id quod mirari cogor a me primo inde annotatum; nec minus miror ita publicari ab Ryckio, quasi discrimen inter illa duo non caperet, quum sit apertissimum; nempe ait Armeniæ possessionem indecisam mansisse, ut nec Parthus nec Romanus sibi eam velut per arbitri decretum vindicaverit, sed ad tempus uterque suspensam habuerit. Unde hoc expressi, quum in altero sit mendacium. Est ipsum Taciti 1. ann. 26. *An præmia sub dominis, pœnas sine arbitro esse?* Etiam sic deprimunt Civilem Romani 4. hist. 21. his verbis: *perfuga Batavus arbitrum rerum Romanarum ne ageret.* Sed & Oxoniensis, *sine arbitrio.* Hinc illa mors sine arbitrio, de qua agitur 16, 11. *Jac. Gronovius.*

4 *Frumentum plebis*] Fortasse legendum, *frumentum publicum.* nam in V. C. est, *frumentum publicum.* sed corrupte. *Ursinus.* Frumentum plebis non alibi memini me legisse. Itaque assentior Mureto legenti, *frumentum publicum.* Acidalius.

5 *Securitatem annonæ sistentaret*] Ita scripsi, nec pœnitet. Libri omnes, *sustentaret*: P. Faber, *ostentaret.* Suspicor antiquis usurpatum *Sistentare* pro Ostentare; argumento etiam Plautini versus:

——— *tu vero clarinum petit*
Advenisti huc sistentatum cum exornatis ossibus:

Sic enim duo manuscripti in Vatican. tertius, *Sustentatum.* Et in eodem poeta alibi, *Extentatum*, reperio. Si quis tamen *sustentaret* servat, possis interpretari, sustentatam servatamque ea ratione ipsam opinionem copiæ frumentariæ, cum & in Tiberim abjiceret leviter corruptum. *Lipsius.*

Annonæ sustentaret] Injicit scrupulum doctissimus vir, dum dicit. Nero jacto in Tiberim frumento minuit potius, quam sustentat annonæ securitatem: sed id ejusmodi non fuit, ut opprimeret in articulo ipso. Populus tali jactu conjicit habere imperatorem, unde largius aleret civitatem: quis enim alias abjiceret eam frumenti vim, quamvis corruptam? Hinc ortum est Romanorum stratagema Frontin. lib. 3. stratag. c. 15. *Romani cum à Gallis Capitolium obsideretur, in extrema jam fame panem in hostem jactaverunt, consecuti ut abundare commeatibus viderentur.* Hinc obsidentium vota morantur obsessi. Cæs. lib. 3. *vulgo in eos jaciebant ut spem eorum minuerent.* Salmerius. Scribe: *sic ostentaret.* nam *sustentare*, quicquid Junius cantet, alienum; *sistentare* verbum nihili. *Gronovius.*

6 *Fortuitus ignis assumpsisset*] Emendavi, *absumpsisset.* Rhenanus.

7 *Ducennium Geminum*] Qui sub Galba Præfectus urbi, lib. 1. Histor. *Lipsius.* In MS. Mediceo scribitur *Ducenium.* Jac. Gronovius.

8 *Pravissimus mos*] Adhibui diligentiam in con-

ciarum, plerique [1] orbi fictis adoptionibus adsciscerent filios, præturasque & provincias inter patres sortiti, statim emitterent manu quos adoptaverant. [2] Qui magna cum invidia senatum [3] adeunt, *jus naturæ labores educandi*, *adversus fraudem & artes & brevitatem adoptionis* enumerant; *Satis pretii esse orbis*, *quod multa securitate*, *nullis oneribus*, *gratiam*, *honores*, *cuncta prompta & obvia haberent*. *Sibi promissa legum diu exspectata*, *in ludibrium verti*, *quando quis sine solicitudine parenti*, *sine luctu orbus*, *longa patrum vota repente adæquaret*. [4] Factum ex eo senatusconsultum, *ne simulata adoptio in ulla parte muneris publici juvaret*, *ac* [5] *ne usurpandis quidem hereditatibus prodesset*.

20 Exin Claudius Timarchus Cretensis reus agitur, [6] ceteris criminibus, ut solent prævalidi provincialium, & opibus nimiis ad injurias minorum elati: una vox ejus usque ad contumeliam senatus penetraverat, [7] quod dictitasset, *in sua potestate situm*, *an* pro-

ferendo MS. exemplari quantam potui accuratissimam. Itaque huc quum progrederer, tanto me putavi debere esse attentiorem, quanto magis alii tacite prætermitterent, non excusabili Pichenæ silentio. In illo enim codice est *pravissimos cum*, ita ut *pravissi* sit finis versiculi & *mos cum* faciant initium sequentis. Sed ipse scriba quum errorem suum videret, secundum *i* quod erat in exitu versiculi, obelo transverso ita fixit ☩ & prius *s* cum primo *i* in infima parte connectens voluit inde literam *u* facere, ut foret *pravus mos*, prout nempe exstabat (sic credo, quia causa hinc corrigendi) in antigrapho, & quantum advertere potui, idem erat scriba, eadem manus, idem atramentum, quo tota illa pagina scripta est. Hæc videns in schedis meis Ryckius, in tantum contracta publicat, & quia codex ipsius retinet superlativum notat similes superlativos observare passim licere. Portenta certe audio. Nam quid ad hunc locum similes superlativos adducit? An ipsum *pravissimus* illi fuit ignotum, ut id non nisi per similes formas potuerit tueri. Quæso, an non *hominis pravissimi* mentionem facit Vellejus 2, 80? Nonne usurpavit Varro in fragmento servato ab Nonio Marcello in v. Rictum? Id ipsum quum constet, frustratui sunt alia quæcunque, & nihil est ambigui in illo superlativo. Sed id agitur, quid probabiliter venerit ab Tacito. In qua causa adest fides tantæ vetustatis, ut quum illa manus potuisset facile superscribere in vocis *pravissi* fine literas *mus*, iis omissis censuerit reformanda illa in vocem *pravus*. Quin neque hic pravissimus mos dici potest, & quam felix fuisset Roma, si hic mos extrema pravitate censeretur. *Jac Gronovius.*

1 *Orbi fictis adoptionibus*] Quæ fraus olim etiam usurpata, & reprehensa à Scipione his verbis: *In alia tribu patrem, in alia filium suffragium ferre. Filium adoptivum tam procedere, quam si se natum habeat.* Quamquam censeo Scipionem non aliud intellexisse, quam notionem Censoriam. & cum ii inquiterent, qui uxores quique liberos haberent; malo quodam more, eos qui adoptassent non habuisse pro improbibus. Adde ad Taciti lucem l. 11. De vacat. muner. *Lipsius.*

2 *Qui magna cum invidia Senatum adeunt*] Observa relativum, *qui*, non ad proximiores referri, scil. ad emancipatos. sed ad vocem, *patres*, id est veros patres, qui legitimos filios habebant. Notavi etiam lib. 1. in verbis. *Qui formam vitæ iniit.* Pichena. Sed idem iste Pichena novit optime illud relativum non exstare in optimo MS. Med. & melius abesse, quum quetela ipsa & materia ejus satis discriminet querentes. Vide ad caput quartum hujus libri. *Jac. Gronovius.*

3 *Adeunt, ibi natura munus, labores educandi*] Exemplar Matt. Corvini habet; *Adeuntib. natura.* proinde lego. *Qui magna cum invidia senatum adeunt, jus naturæ, labores educandi, adversus fraudem, & artes, & brevitatis adoptionem enumerant.* Dele ergo vocabulum *munus* quod castigatores insulserunt, *ibi* pro *jus* scribentes. Hic locus feliciter, ut puto, restitutus est, atque in contextu mutatus. *Rhenanus.*

4 *Factum ex eo SC. ne simulata adoptio*] Veteris juris rationem, ut alia multa, id SC. renovavit. Sic enim habet Gellius 5. 19. *Animadvertimus in oratione P. Scipionis, quam Censor habuit ad populum de moribus, inter ea, quæ reprehendebat, quod contra majorum instituta fierent, id etiam eum culpavisse, quod filius adoptivus patri adoptatori inter præmia patrum prodesset.* de quo plurib. egi commentario de jure liberorum c. 43. *Vertranius.*

5 *Ne usurpandis quidem*] Ne ad solidi capacitatem. argumento l. 51. De Legatis 11. Vide quæ notavi ad legem Papiam, lib. 111. *Lipsius.*

Ac ne usurpandis quidem hereditatibus prodesset] Particula, *quidem*, in Matt. Corvini exemplari non est, & potest abesse. *Rhenanus.* Cælibes enim ex testamento nihil capere poterant, nisi è proxime junctorum. Orbi vero dimidium. Vide quæ notavit Lipsius ad lib. 3. super verbis, *de moderanda Papia Poppæa.* Pichena.

6 *Ceteris criminibus*] Malim, *certis.* Ferrettus.

7 *Quod dictitasset, in sua potestate situm*] Quemadmodum, si qui consules, aut prætores, seu proconsules & proprætores provinciis præfecti, in illis administrandis quid deliquissent; peculatus, repetundarum, vel alterius criminis à provincialibus per-

proconsulibus qui Cretam obtinuissent, grates agerentur. Quam occasionem Pætus Thrasea ad bonum publicum vertens, postquam de reo censuerat, *provincia Creta depellendum*, hæc addidit; *Usu probatum est, Patres Conscripti, leges egregias, exempla honesta, apud bonos ex delictis aliorum gigni. Sic oratorum licentia,* [1] *Cinciam rogationem; candidatorum ambitus, Julias leges: magistratuum avaritia, Calpurnia scita, pepererunt.* [2] *Nam culpa quam pœna tempore prior, emendari quam peccare posterius est.* [3] *Ergo adversus novam provincialium superbiam dignum fide constantiaque Romana capiamus consilium, quo tutela sociorum nihil derogetur, nobis opinio decedat,* [4] *qualis quisque habeatur, alibi quam in civium judicio esse. Olim quidem non modo prætor aut consul, sed privati* 21 *etiam mittebantur, qui provincias viserent, & quid de cujusque obsequio videretur, referrent. trepidabantque gentes de æstimatione singulorum. At nunc colimus externos, & adulamur, & quomodo ad nutum alicujus grates, ita promptius accusatio decernitur:* [5] *de-*

cerna-

peracta administratione Romæ postulabantur: ita si eisdem satisfecissent, in discessu illis in concilio provincialium gratiæ agebantur, quod & Romæ in rei bene actæ testimonium per literas vel legatos significabant. Accusatorum exempla passim habemus apud Tacitum & Livium, aliosque Rom. historiæ scriptores. Quod vero his qui bene se gessissent, grates agerentur, ex hoc loco patet, nec non ex Livii verbis lib. 33. *Placentini Cremonensesque addiderunt favorem, Consuli gratias agentes, commemorantesque obsidione se esse ab eo liberatos*, &c. *Marc. Donatus.*

1 *Cinciam rogationem*] Quænam fuerit lex Cincia, jam à nobis dictum est lib. 13. qua cavebatur, ne quis ob causam orandam pecuniam, donumve acciperet. Ambitus olim duplex fuit. Unus vetitus, unde leges de ambitu latæ, cum per divisores tribubus pecuniæ destribuebantur, quam *letalem urbi* Lucanus appellat. Ambitusque erat affectati honoris crimen, quod multos falsos fieri coëgit, auctore Sallustio. Inde lex Calpurnia de ambitu, quam tulit Calpurnius Piso, in qua præter alias fuit adjecta pecuniaria pœna, cujus meminit Asconius. Has de ambitu pœnas cessare ait Modestinus ad leg. Jul. de ambitu, quia ad Principem pertinet creatio Magistratuum, non ad populum. Alter ambitus non prohibitus erat olim, qui sine largitione fiebat. A Cajo Petilio Tribuno pl. primum de ambitu ad populum latum est, ut ait Livius in L. 7. ab urbe cond. Fuit lex Julia de ambitu, quam Octavius Augustus tulit, & ambitum coercuit. Suet. in Aug. 34. *Lupanus.*

2 *Nam culpa quam pœna*] Similis gnome in Tertulliano. *Nemo post futura reprehendit, quæ ignorat futura: emendatio culpam non antecedit.* Lipsius.

3 *Ergo adversus novam provinciarum superbiam*] Faernus legebat, *provincialium* pro *provinciarum.* Ursinus. Vulgo, *provinciarum.* ego ex Flor. *provincialium.* Sic paulo supra, *ut solent prævalidi provincialium.* & infra, *maneat provincialibus, potentiam suam tali modo ostentandi.* Pichena.

4 *Qualis quisque habeatur, alibi*] Quis unquam ita loquutus est, *alibi quam in civium judicio:* cum *alibi* locum demonstret. Malim igitur, *haud quaquam*, ut ita legamus: *Qualis quisque habeatur alibi, haud quaquam in civium judicio esse.* Ferrettus. Id est, ut Proconsulum nostrorum merita æstimari debeant à civibus Rom. non à provincialibus. *Pichena.*

5 *Decernaturque, & maneat*] Si non fractus locus, scribo sententia ducente, *decernatur ne maneat.* Nisi per ironiam hæc dicta capies, & simulata quadam concessione. Quo sensu nihil mutem. *Lipsius.*

Et maneat] Neque fractus hic, ut suspicari videtur Lipsius, neque legendus ut censuit idem, *decernatur ne maneat:* sed ut idem postremo dubitanter ponit, simulata quadam concessione capiendus; quod ut eluceat magis, distinctio illa adhibeatur; *promtius accusatio decernitur; decernaturque; & maneat provincialibus*, &c. Decernantur sane & accusatio & grates ad eorum nutum, & relinquamus illis potentiam suam provincialib. tali modo ostentare: falsa tantum & precibus exambita laus cohibeatur. Phrasis *maneat ostentandi*, Taciti est; & de ea nos ad Val. Max. 4, 3. *Acidalius.* Corrigit Lipsius. Mihi autem vulgata lectio facile defendi posse videtur, imo aliquam majorem vim habere, cum sit invidiosa quædam concessio; hoc est; Decernatur accusatio ad provincialium nutum, & maneat illis usus & auctoritas, potentiam suam tali modo ostentandi. Quasi dicat, hoc nihil refert, & utcumque tolerari potest. Sed laus falsa, & precibus expressa cohibeatur. Idem postea visus est sentire Lipsius in novissimis suis Notis. *Pichena.* Frustra hæc mutata voluit Vir Doctiss. *decernatur ne maneat.* nam quæ mox sequuntur *sed laus falsa*, &c. aperte volunt hanc postremam consuetudinem aboleri, priorem, de decernenda accusatione, relinqui, non per simulationem facta concessione, sed serio, ut eo modo cohibeantur libidines provincias regentium. Porro ista phrasis *maneat provincialibus potentiam ostentandi* facta est ad eandem formam, qua supra 5, 5. *Vologesi vetus & penitus infixum erat arma Rom. vitandi*, Freinshemius.

cernaturque, & maneat provincialibus [1] *potentiam suam tali modo ostentandi: sed* [2] *laus falsa & precibus expressa, perinde cohibeantur, quam malitia, quam crudelitas. Plura sæpe peccantur, dum demeremur, quam dum offendimus. Quædam imo* [3] *virtutes odio sunt, severitas obstinata, invictus adversum gratiam animus. Inde initia magistratuum nostrorum meliora ferme, & finis inclinat, dum in modum candidatorum suffragia conquirimus. quæ si arceantur, æqualius atque constantius provinciæ regentur. nam ut metu repe-*
22 *tundarum infracta avaritia est, ita vetita gratiarum actione* [4] *ambitio cohibetur.* Magno assensu celebrata sententia, non tamen senatusconsultum perfici potuit, [5] abnuentibus consulibus *ea de re relatum.* Mox auctore principe [6] sanxere, *ne quis ad concilium sociorum referret,* [7] *agendas apud senatum proprætoribus proveconsulibus grates, neu quis ea legatione fungeretur.* Iisdem consulibus gymnasium ictu fulminis conflagravit, effigiesque in eo Neronis ad informe æs liquefacta. Et [8] motu terræ, celebre Campaniæ

1 *Potentiam suam tali modo*] Non est in exemplari Matt. Corvini, *suam.* Rhenanus.

2 *Laus falsa & precibus expressa perinde cohibeatur*] Sic lego, non *cohibeantur.* Acidalius.

3 *Virtutes odio sunt*] Vulgo, qui eas gravatur. *Lipsius.*

Quædam immo virtutes odio sunt] An Magistratibus? qui nihil aliud præcipue student, nisi ut populis placeant, quo vicissim à populis laudentur? Potius interpretor, quasdam virtutes subjectis odio esse, quæ à magistratibus, ne populis displicerent, non exercebantur. *Pichena.* Bene Pichena: modo deleas *τὰ ne populis displicerent.* Immo optimi quique sciebant multis eas displicere, quas tamen fidei, religionis, existimationis & dignitatis ergo exercebant. *Gronovius.*

4 *Ambitio cohibetur*] Legerem, *cohibebitur.* Lipsius.

5 *Abnuentibus consulibus ea de re relatum*] Atqui, *licere patribus, quoties jus dicendæ sententiæ accepissent, quæ vellent expromere, relationemque in ea postulare,* supra lib. 13. scripsit Tacitus. similique sententia lib. 11. lego, *A majoribus concessum egredi aliquando relationem, & quod in commune conducat, loco sententiæ promere.* Licuisset ergo consulibus referre ea de re ad patres: sed iis aliter visum. Jus relationis autem solis consulibus: nec sine relatione perfici potuit ullum Sc. Ideo Vespasiano concessum, VTI. EI. SENATVM. HABERE. RELATIONEM. FACERE. REMITTERE. LICERET. Ideo sequentibus principibus honoris causa datum Jus tertiæ, quartæ, quintæ relationis: id est, me interprete, quoties consules ipsi non essent, tres nihilominus, quatuor aut quinque relationes facere possent, qua de re cumque iis visum. Sollennia relationum verba è Suetonii Calig. cap. XV. hæc didici: *Quod bonum felixque sit C. Cæsari, de N. Patres conscripti, quid fieri placet?* Lipsius.

Consulibus ea de re relatum] Ad ea accuratiss. Lipsius: Jus relationis solis Consulibus, nec sine relatione perfici potuit ullum Senatusconsultum. Scribe ergo cum Heinsio: *Non tamen Senatusconsultum perfici potuit. Nec, abnuentibus Consulibus, ea de re relatum.* i. e. nec, quod Consules abnuerent, ea de re relatum. Non dubito quin hanc ejus de hoc loco sententiam magno adsensu celebraturi sint eruditi. Et utinam ei nunc fuissent ad manum, quæ plurima alia eaque pulcherrima notasse olim ad Tacitum scimus, iis præsertim in locis, in quibus aliorum ingenium aut eruditio hactenus defecit? Quæ ut aliquando in lucem ipse producat, tanti scriptoris, totiusque eruditi ordinis nomine, identidem privatim, nunc etiam publice rogamus. *Boxhornius.*

6 *Sanxere, ne quis*] Reperio jam ante sanxisse id Augustum. de quo Dionis verba ista lib. 56. *Τῷ ὑπηκόῳ προσπαρήγγειλε μηδενὶ τῶν προστασσομένων αὐτοῖς ἀρχόντων μήτε τῆς ἀρχῆς χρόνῳ, μήτε ἐντὸς ἑξήκοντα ἡμερῶν μετὰ τὸ ἀπαλλαγῆναι σφᾶς, τιμήν τινα δίδοσθαι, ὅτι τινὲς μαρτυρίας παρ' αὐτῶν καὶ ἐπαίνους προπαρασκευαζόμενοι, πολλὰ διὰ τούτου ἐκακούργουν.* id est: *Provincialibus interdixit, ne cui Præsidum quamdiu in provincia esset, neque intra sexagesimum à discessu ejus diem, ullum honorem haberent: quoniam nonnulli testimonia sibi & laudationes à provincialibus comparantes, multa ea occasione peccabant.* Sed diversum tamen hoc Neronianum consultum: quoniam illud Augusti post diem permittit laudationes: hoc plane & plene tollit. *Lipsius.*

7 *Agendas apud Senatum proprætoribus proveconsulibus grates*] De hac gratiarum actione, jejuna quædam, hoc loco Marcellus Donatus; at meliora multo poterat ex supellectili Latinorum Græcorumque auctorum; imo vel ex nudis Inscriptionibus. Sane qui Epigraphas illas veteres negligit, eum vix censendum inter solide doctos, solide ingenuos, juxta censeo cum Scaligero, cum Velleto; quicquid oggrunniant è terra nati fucsne; an scarabæi; stercora tantum vorare dociles. *Gruterus.*

8 *Motu terræ*] Dissentit Seneca, qui ad sequentes Coss. refert hunc terræ motum expressim: *Pompejos celebrem Campaniæ urbem desedisse terræ motu, Lucili virorum optime, audivimus: & quidem diebus hibernis, quos vacare à tali periculo majores nostri solebant promittere.* (Observa. Ergo statim consulibus novis,

niæ oppidum Pompeji, magna ex parte proruit. Defunctaque virgo Vestalis Lælia, in cujus locum Cornelia ex familia Cossorum capta est. [1] Memmio Regulo, 23
& Verginio Rufo consulibus, natam sibi ex Poppæa filiam Nero ultra mortale gaudium accepit, appellavitque *Augustam*, dato & Poppææ eodem cognomento. [2] Locus puerperio colonia Antium fuit, ubi ipse generatus erat. [3] Jam senatus *uterum Poppaæ* commendaverat diis, votaque publice susceperat. quæ multiplicata, exsolutaque. Et additæ *supplicationes*; *templumque Fecunditati*, & *certamen* [4] *ad exemplar Atticæ*

novis, ut anni totius necessario in alterutro error sit.) *Nonis Februarii fuit hic motus, Regulo & Verginio Coss.* Et hercle tam adseverat id distincte, ut credam vitium esse non Taciti (non id coovenit in fidei & diligentiæ unicæ scriptorem) sed Ægysthi alicujus; cujus adulteria, & trajectiones complures agnosco io hac regia vere sponsa. *Lipsius.*

Et motu terræ celebre] Dixi ad lib. 1, 68. (ubi *prorupere* non *prorumpere* volui in verbis Curtii,) apud bene Latinos semper προϊνῶς pooi τὸ *proruere*. Auctor quidem Ætnæ vulgo, vers. 308. *rupes aliquas penitusque cavernas Proruere.* Sed cum Scaliger ibi testetur vett. lib. habere *Provehere*, censeo scribendum, *Procidere*. Quemadmodum & apud Valerium Flaccum lib. 7, 600. *In caput inque humeros ipsa vi molis & ira Procidit*: ubi editur *Proruit*. Tale vitium & hic oblatum Tacito, qui scripserat. *Et motus terræ.* Ut Livius lib. 22. *Eum terræ motum, qui multarum urbium Italiæ magnas partes prostravit, montes lapsu ingenti proruit.* Senec. nat. q. 6, 1. *hic motus Campaniam magna strage vexavit.* Gronovius.

1 *Memmio Regulo & Verginio Rufo Coss.*] Restitue iis prænomina vera ex lapide, præter mentem Onufrii Fastorum scriptoris:

VOTVM. SOLVERVNT. L. M.
L. VERGINIO. RVFO.
C. MEMMIO. REGVLO.
COSS.

Lipsius. Sed biennio superiore, ut lib. 14. relatum est, Memmius Regulus mortem obiit: quare illius hic vel filius, vel alter ab illo videri debet. *Vertranius.*

2 *Locus puerperio colonia Antium fuit*] Abest io Matt. Corvini exemplari verbum *fuit*, quod nos quoque dispunximus. *Rhenanus.* Verbum *fuit*, ex Flor. ac Ven. addidimus. *Pichena.*

3 *Jam senatus interim uterum Poppaæ*] Adverbium *interim* sustulimus. *Rhenanus.*

4 *Ad exemplar Atticæ religionis*] Panathenæa Atheniensium intellegi volunt, de quibus apud Græcos obvii loci. Dubito. nam Panathenæis respondebant Romanæ Quinquatrus, oescio an hoc certamen novum. In libris etiam vacillare scripturam video. quorum Vaticanus optimus, *atticaque* præfert, Farnesianus, *anciata*. An fuit, *Actiacæ religionis*, sive potius *regionis*? Nec enim major hic, quam in aliis ludis, religio. Enimvero in Suetonio lego, Augusti cap. XVIII. ab eo Principe institutos *Nicopoli apud Actium ludos quinquennales, quo celebratior ejus victoriæ memoria in posterum esset.* Et durasse eos ad inferiora tempora, Mamertinus in Panegyrico docet: *Urbs Nicopolis conciderat, & certamen ludicrum, lustris omnibus solitum frequentari, intermiserat temporis mæsti deforme justitium.* Foit autem certamen triplex, Gymnicum, Musicum, & Equestre, ut Dio tradit lib. 51. quem vide. Hæc mea olim mens, sed ut multa in hac ἀρχαιολογίᾳ incerta, nec omquam eruenda, hic etiam dissentiunt, & vir pereruditus tuetur vulgatam lectionem, & explicat in Agonistici sui lib. III. quem licet adire. *Lipsius.*

Atticæ religionis] Celebre certamen Athenis Minervæ sacrum, Panathenæorum est, quæ unde sic dicta sint, studiose exquisivit Pausanias Arcadicis. Eorum festivitas, ut Suidas ait, & quinquennalis, & anniversaria fuit. Sed cum Nerone IV. Cornelio Cosso consulib. ludicrum qoinquennale Romæ institutum fuerit testimonio Taciti libro superiore, factum illud ad instar magnorum Panathenæorum existimo, quæ singulis lustris fiebant. Hoc vero certamen pro cujus exemplari Atticam religionem habuit Nero, ex anniversariis & minoribus Panathenæis, agonem gymnicum fuisse reor. Quæ sequuntur de circensibus, obvia sunt in auctoribus, & à quolibet sciri possunt. *Vertranius.* Ludorum quorumlibet publicorum aliquam *religionem* fuisse satis comprobatum est: sed & Valerius Maximus *ludorum religionem* dixit lib. 6, 1. Curules aotem ludos à priocipe suis suorumque natalicis datos quin existimemos, nihil prohibet, quales Panathenæis exhibiti: de quibos ita loqoitur Suidas, ut primum quidem ab Erichthonio Vulcani & Minervæ filio instituta, tum à Theseo restituta fuerint, ipsa duplicia lustralia scilicet, quæ magna dicta, quinquenniis singulis celebrari solita, alia vero quotannis, utraque apud Athenas ipsas. *P. Faber.* Ludi ad exemplum Atticæ religionis sunt, Panathenæa, in quibus pueri puellæque forma conspicui, manibus, amplexi, per diversos flexus Pyrrhicham saltabant. *Gutherius.* Lipsio aliorum commenta hic non placent, mihi nec ipsius. Non probare possum, quia & res & locutio vetant. Scil. Tacitus *Actiacam regionem* diceret, cum vellet ludos Actiacos intelligi. Et quis ita loquatur, *ad exemplar regionis.* Deinde quæ ratio similitudinis inter causas hujus, & illius ab Augusto certaminis? Nullam ego certe video. Sed melius ad hunc locum affer-

Attica religionis decretum: *utque Fortunarum effigies aureæ in solio Capitolini Jovis locarentur: ludicrum Circense, ut* [1] *Juliæ genti apud Bovillas, ita Claudiæ Domitiæque apud Antium, ederetur.* quæ fluxa fuere, quartum intra mensem defuncta infante. Rursusque exortæ [2] adulationes, censentium *honorem divæ, & pulvinar, ædemque & sacerdotem.* Atque ipse ut lætitiæ, ita mæroris immodicus egit. [3] Adnotatum est, omni senatu Antium sub recentem partum effuso, Thraseam prohibitum, immoto animo prænuntiam imminentis cædis contumeliam excepisse. Secutam dehinc vocem Cæsaris ferunt, qua *reconciliatum se Thraseæ* apud Senecam jactaverit, ac Senecam Cæsa-
24 ri gratulatum. [4] Unde gloria egregiis viris, & pericula gliscebant. [5] Inter quæ veris principio, legati Parthorum mandata regis Vologesis, litterasque in eandem formam attulere; *Se priora & totiens jactata super obtinenda Armenia nunc omittere, quoniam dii quamvis potentium populorum arbitri, possessionem Parthis non sine ignominia Romana tradidissent. Nuper clausum Tigranen; post Pætum legionesque cum opprimere posset, incolumes dimisisse. Satis approbatam vim; datum & lenitatis experimentum. Nec recusaturum Tiridaten accipiendo diademati in urbem venire, nisi* [6] *sacerdotii religione atti-*

re nihil ipse possum, nisi quod Muretum notasse memini: *Antilana religionis.* quod quia non capio, nec firmo, nec refello. *Acidalius.* Muretus *Antiana religionis*, ut vox ab Antio colonia dicta sit. Ego nihil: sed moneo in Flor. corrupte legi, *actierca religionis.* Pichena. Frustra nos in Græciam trahunt viri eruditi. Farnesianus codex habet *Anciata.* Legendum haud dubie *Antiatis.* Fortuna Antii maxima religione colebatur, ut notum ex Horatio & aliunde. Eam imitati Romani, nempe quia Poppæa, ut jamjam dixerat Tacitus, pepererat Antii. *Grotius.* Ecce farraginem variæ lectionis, quia unusquisque recentium codicum scriptor elaborabat aliquid supponere, quod putaret facilius ad intelligendum. Hinc tantopere ab antiquitate codicis Medicei deviare posteriores contigit. Hinc Ryckius se confert, nullam gratiam referens Mureto priori huc converso, ad Grotium offerentem *Antiatis*, vel quod hic nuper addidit *Antiatina*, quum sequentia nihil indicent de hujus periodi lectione, ubi alienum aliquid scribitur. Florentiæ autem dum scribitur sic *Accierce*, ita ut vix decernas sitne *ci* an *ti*, ut adfirmat Pichena, inde veræ medicinæ spes deduci debet. Hoc enim solum est antiquum: & cur viri docti non omni ratione captaverunt ejus vocis viciniam? Certe potest teneri, quum bene cognita sit apud Græcos Ἀξίερος. Hæc in sacris Samothracicis, & sic utique celebratissimis, dicebatur Ceres. Hæc dea habuit filiam Proserpinam, in illa religione nominatam Ἀξιόκερσαν. His Poppæa & filiola ejus comparantur. Hujus *Axieri* notionem plenissime servavit Apollonii Rhodii Scholiastes ad lib. 1, 917. Ἀξίερος Ἀξιόκερσος: ecce penitissime monstrata codicis Medicei vetustissima scriptura, *Accierca religio*, haud dubie electa convenientissime, vel ad ordinem fabulæ, vel quod credere licet istud certamen præsertim musica constitisse ac cantu, quoniam alia genera ludicrorum nihil oportunum ad musicæ Neronianæ magnificentiam conferebant. Hinc ea primaria electa. Porro non debuerat tacere Pichena in MS. Mediceo legi *locarentur*, non *collocarentur*, quod bene monuit Ryckius, non tamen uti ausus, quum sit veritas liquidissima, ut debuerim falsum evictum expellere. *Jac. Gronovius.*

1 *Juliæ genti apud Bovillas*] Lib. 11. Annal. *Sacrarium genti Juliæ, effigiesque divo Augusto apud Bovillas dicantur.* Lipsius.

2 *Adulationes censentium honorem Divæ*] Id est, quidam adulatione magis, quam vero judicio Augustam Poppæam Neronis filiam mortuam inter divos referendam censebant, ut solebant Imperatores, eique ædem sacram constitui debere, & sacerdotes. *Lupanus.*

3 *Adnotandum est*] Scripsimus, *Adnotatum est.* Rhenanus.

4 *Unde gloria egregiis viris & pericula gliscebant*] Nescio si delendum *Et*: capiendumque, pericula gliscebant viris gloriæ egregiis: non, gloriæ & pericula gliscebant egregiis viris. Quid si? *Unde gloria egregiis viris*, (scil. gliscere vel provenire solent) *pericula gliscebant.* Unde pericula tum provenisse. *Acidalius.* In vulgatis, *gloria*, numero plurium. Nos, *gloria*, scripsimus, Flor. ac Ven. auctoribus. *Pichena.*

5 *Inter quæ veris principio legati Parthorum*] Sic Flor. ac Ven. Vulgo, *interim.* Idem.

6 *Sacerdotii religione*] Ad explicationem hujus loci unice facit Plinius 30, 2. *Magus ad eum Tiridates venerat, Armeniacum de se triumphum afferens, & ideo provinciis gravis, navigare noluerat, quoniam exspuere in maria, aliisque mortalium necessitatibus violare naturam eam fas non putant.* Hæc igitur ea religio, hoc sacerdotium, quod Tacitus innuit. Ceterum in Plinii verbis cave interpreteris ideo provinciis gravem fuisse Tiridatem, quod Armeniacum triumphum afferebat, sed quod magus erat: ea enim res in caussa fuit, cur non navigaret, sed per

attineretur. 'Iterum ad ſigna & effigies principis, ubi legionibus coram, regnum auſpica-
retur. Talibus Vologeſis litteris, quia Pætus diverſa tamquam rebus integris ſcribe- 25
bat, interrogatus centurio qui cum legatis advenerat, *quo in ſtatu Armenia eſſet?*
omnes inde Romanos exceſſiſſe reſpondit. Tum intellecto Barbarorum irriſu, qui pe-
terent quod eripuerant, conſuluit inter primores civitatis Nero, *bellum anceps* [1] *an*
pax inhoneſta placeret. nec dubitatum de bello. Et Corbulo tot per annos militum at-
que hoſtium gnarus, gerendæ rei præficitur, ne cujus alterius inſcitia rurſum pec-
caretur, quia Pæti piguerat. Igitur irriti remittuntur, cum donis tamen, unde ſpes
fieret, non fruſtra eadem oraturum Tiridaten, ſi preces ipſe attuliſſet. [2] Syriæque
exſecutio Cincio; copiæ militares Corbuloni permiſſæ, & quintadecima legio, du-
cente Mario Celſo, è Pannonia adjecta eſt. [3] Scribitur tetrarchis ac regibus præ-
fectiſque & procuratoribus, & qui prætorum finitimas provincias regebant, *juſſis*
Corbulonis obſequi. in tantum ferme modum aucta poteſtate, [4] quem populus Ro-
manus Cn. Pompejo bellum Piraticum geſturo dederat. Regreſſum Pætum cum gra-
viora metueret, facetiis inſectari ſatis habuit Cæſar, his ferme verbis; *Ignoſcere ſe*
ſtatim, ne tam promptus in pavorem longiore ſolicitudine ægreſceret. At Corbulo quarta 26
& duodecima legionibus, quæ fortiſſimo quoque amiſſo, & ceteris exterritis, pa-
rum habiles prœlio videbantur, in Syriam tranſlatis, ſextam inde ac tertiam legio-
nes, integrum militem & crebris ac proſperis laboribus exercitum in Armeniam du-
cit. Addiditque legionem quintam, quæ per Pontum agens expers cladis fuerat. Si-
mul quintadecimanos recens adductos, & vexilla delectorum ex Illyrico & Ægypto,
quodque alarum cohortiumque, & auxilia regum in unum conducta [5] apud Melite-
nen,

---

per longa terrarum ſpatia, cum onere provinciarum (illis enim Nero præceperat, ut ſplendide exciperent & haberent) ingrederetur. *Freinshemius.*

[1] *An pax in hoſte*] Fortaſſe rectius, *an pax inhoneſta placeret.* Lipſius.

Bellum anceps an pax in hoſte] Ut *honeſtum* dignitatis plenum, ita contra *inhoneſtum* dedecoris ac turpitudinis. Apud Tacitum duobus locis hæc vox eſſe debuit: ubi enim in impreſſis lib. 15. *An pax in hoſte placeret*, in antiquiſſimo libro *inhoſta*: quare *inhoneſta* arbitror legendum. Item lib. 2. hiſt. 31. Ubi in excuſis *ventre & gula ſibi ipſe hoſtis*, in eodem *ſibi inhoſtus*, ego *inhoneſtus* lego. Et ut plenius intellegatur negligentia librarii, qui imminutas voces ſcribebat, has maculas exortas, lib. 4. hiſt. 62. pro *innexa ſigna* legi debet *inhonora*: in illo enim *in hora.* ad Catonem *P. Victorius.* Magis omnino placeat Lipſii conjectura. Alias Taciti phraſis & ſenſus ſuadebat mihi ſcribere *pax in hoſtem.* Acidalius. Recte, opinor, emendavit Lipſius: nam in Flor. legitur, *an pax in hoſta.* Pichena. Vox Latina *hoſtus*, unde *hoſterium*, quo modius æquatur & cumulus deruitur. & verbum *hoſtire*, quod eſt æquare, & *hoſtimentum* ἀμοιβὴ. unde & *redhoſtire* par pari referre. *Hoſtus* igitur æquum vel æquatum ſignificat. inde *inhoſtus* pro iniquo & injuſto, quam vocem Arnobio ex ſcriptis alibi reſtituimus. etiam uſus Tacitus lib. 2. hiſtor. & lib. 15. annal. *Hoſtus* χωρὶς. Salmaſius. Sæpe hæc verſavi animo; ſed nondum ſatisfaciens cogor præterire, quoniam nihil mihi placere fateor. Interim doctus lector conſulat ſibi, & hoc utique ſciat mox in MS. Mediceo ſeriem vocum hanc eſſe, *Corbulo militum atque hoſtium tot per annos gnarus.* Quis hanc mutavit? *Jac. Gronovius.*

[2] *Syriaque exſecutio*] Exſecutionem pro adminiſtratione uſurpat fortaſſe, uti alibi, *Negotii ejus exſecutionem libens ſuſcepit.* Seneca: *Differam hæc in præſenti. Deſiderant enim longam & propriam exſecutionem.* Addubito tamen num leg. *Syriaque Sex. Cincio.* Lipſius. Certe eſſe hic aliquid ſuſpectum docet lectio codicis Medicei, quæ eſt *executio Cicio*, ut & vulgavit partim Ryckius. *Jac. Gronovius.*

[3] *Scribitur Tetrarchis*] *Tetrarchæ* dicebantur, qui quartam regni partem detinebant. Cicero in Philipp. *Idem ſi ceteri reges, tetrarchæ, dynaſtæque feciſſent.* Auguſtus Herodis majoris regnum diviſit in tetrarchias. Joſephus *toparchias*, ſive *ethnarchias* appellat. *Lupanus.*

[4] *Quam populus Rom.*] Caſtigavi, *quem.* ſubaudi *modum.* Rhenanus. Amplector lectionem Venetam. *quam pop. Rom.* ſimillimo Curtii loco perſuaſus. ſic enim ille 6, 5. *Artabazum deinde geminato honore, quam Darius habuerat ei, remittit domum*, quamquam & hunc locum in recentioribus editionibus corrumpi videam. *Freinshemius.* Neutrius auctoris his in verbis particulæ commodum eſſe locum cenſeo. *Gronovius.*

[5] *Apud Melitenen*] Ptolemæo, Μελιτηνὴ, Suſianæ pars. *Lipſius.*

nen, [1] qua transmittere Euphraten parabat. Tum lustratum rite exercitum ad concionem vocat, orditurque magnifica *de auspiciis imperatoriis, rebusque à se gestis*, [2] adversa *in inscitiam Pæti* declinans: multa auctoritate, quæ viro militari pro facundia
27 erat. Mox [3] iter L. Lucullo quondam penetratum, apertis quæ vetustas obsæperat, pergit. Et venientes Tiridatis Vologesisque de pace legatos haud aspernatus, adjungit iis centuriones cum mandatis non immitibus: [4] *Nec enim adhuc eo ventum, ut certamine extremo opus esset. Multa Romanis secunda, quædam Parthis evenisse, documento adversus superbiam; proinde & Tiridati conducere, intactum vastationibus regnum dono accipere; & Vologesen melius societate Romana, quam damnis mutuis, genti Parthorum consulturum.* [5] *Scire quantum intus discordiarum, quamque indomitas & præferoces nationes regeret. Contra imperatori suo immotam ubique pacem: & unum id bellum esse.* [6] Simul consilio terrorem adjicere, & Megistanas Armenios qui primi à nobis defecerant, pellit sedibus, castella eorum excindit, plana, edita, validos, in-
28 validosque, pari metu complet. Non infensum, nedum hostili odio Corbulonis nomen etiam Barbaris habebatur, eoque consilium ejus fidum credebant. [7] ergo Vologeses neque atrox in summam, & quibusdam præfecturis inducias petit. Tiridates locum diemque colloquio poscit. Tempus propinquum; locus in quo nuper obsessæ

1 *Qua transmittere*] Mediceus, *tramittere*: si non pro assiduo Taciti more, certe pro denso & crebro. Prave autem quædam editiones habent, *quia transmisit*. Vide cap. 7. *Jac. Gronovius.*

2 *Adversa in inscitiam Pæti declinans*] Ita legendum vidi, cum alii haberent, *adversam inscitiam*. Corbulo ad confirmandos militum animos magnifica loquitur, de auspiciis imperatoriis, & fortuna principis Rom. cui omnia cederent. deinde de rebus à se gestis, deque sua & providentia, & rei militaris peritia: ut ita milites & imperatoris fortuna & ducis vigilantia scientiaque freti ampliores animos caperent, cum jam nulla amplius adversa metuenda haberent, ut quæ per inscitiam prioris ducis ipsis obtigissent. Sic igitur adversa declinat in inscitiam Pæti, quomodo fere supra 14, 38. *Classicianus adversa Suetonii pravitati ipsius, prospera ad fortunam Reip. referebat.* Alio consilio usus est Cæcina supra 1, 67. *reticuit de adversis*: ne scil. militem adhuc perculsum memoria istorum casuum formidolosiorem hostium faceret, præsertim cum non haberet, in quem adversorum illorum culpam conferret. Hæc ergo mens est auctoris, quam ex sensu potius quam verbis vulgatis assequutus est interpres Germanus & Italus; qui ambo Pætum à Corbulone reprehensum agnoscunt. At non hoc exprimas ex illis verbis *adversam inscitiam declinans*: sed id potius quod Gallus reddidit: *se donnant garde de parler de la miserable ignorance de Pætus.* & optimus Hisppanus: *sin tocar en el mal govierno de Peto.* quæ tamen sententia falsa est. nec enim pepercisse infamiæ Pæti Corbulonem satis apparet ex pluribus Taciti locis ut 15, 16. & 15. 28. *Freinshemius.*

3 *Iter L. Lucullo*] Plutarchum lege. *Lipsius.*

4 *Non enim adhuc eo ventum*] Flor. *nec enim ad huc*. Pichena.

5 *Scire quantum*] Sententiam adjuveris, si scribas: *Sciret* Lipsius.

Scire quantum] Vir doctiss. velit *sciret*, me non adsentiente. nam de Corbulone hæc interpretor, quasi dicat, interna Parthorum vulnera regem non posse tegere, quin aliis etiam, atque sibi quoque ipsi innotuerint. Si tamen mutari quid placeat, malim scribere *Sciri*. Freinshemius.

6 *Simul consilio*] Comptiora hæc omnia sint, si sic legas: *simul, ut consilio terrorem adjiceret, Magistanas* &c. *Freinshemius.*

7 *Ergo Vologeses neque atrox in summam*] Doctiss. vir stellula nobis ostendit defectum sive corruptionem loci. Quid si *atrox* ab A privativo & τρεῖν *tremere*. Plaut. Capt. *Nisi reperio atrocem mihi aliquam astutiam.* Vologeses amplectitur consilium Corbulonis ut fidum, & quia timens prævidebat, (nisi à bello desisteretur) non de Armenia tantum certamen fore cum Romanis, sed de summa suarum rerum, quod semper caverat. *Vologesi vetus & infixum erat arma Romana vitandi.* *To in summam* eodem significatu lib. 2. histor. *Sed Corsicam prope afflixit Decimi Pacarii procuratoris temeritas, tanta belli mole nihil in summam profutura.* Salinerius. Vitii manifestus locus nec quisquam dum subvenit. Lego *neque atrox in summam, & quibusdam præfractior.* Vera & clarissima emendatione: Id est, neque omnino atrox, & in parte præfractior. *Acidalius.* Sic hæc constituam: *Ergo Vologeses neque atrox, in summam, aut quibusdam præfecturis inducias petit.* Corbulo non habebatur infensus Parthis, ergo neque Vologeses atrox, aut nimis accensus in bellum erat, eoque ut de pace melius conveniret, inducias petit vel universales, hoc est, in summam; vel, si id non possit, pro quibusdam præfecturis. Præfecturæ sunt Satrapiæ, provinciæ prætoribus regum,

obsessæ cum Pæto legiones erant, cum à Barbaris delectus esset, ob memoriam lætioris sibi rei, non est à Corbulone vitatus, ut dissimilitudo fortunæ gloriam augeret. [1] Neque infamia Pæti angebatur: quod eo maxime patuit, quia filio ejus tribuno ducere manipulos, atque [2] operire reliquias malæ pugnæ imperavit. Die pacta [3] Tiberius Alexander illustris eques Romanus [4] minister bello datus, & [5] Vivianus Annius gener Corbulonis, [6] nondum senatoria ætate, sed pro legato quintæ legioni impositus, in castra Tiridatis venere, [7] honore ejus, ac ne metueret insidias tali pignore. Viceni dehinc equites assumpti. Et viso Corbulone, rex prior equo desiluit: nec cunctatus Corbulo. Sed pedes uterque [8] dextras miscuere. Exin Ro- 29
manus laudat juvenem, [9] *omissis præcipitibus tuta & salutaria capessentem.* Ille *de nobilitate generis* multum præfatus, cetera temperanter adjungit; *Iturum quippe Romam, laturumque novum Cæsari decus, non adversis Parthorum rebus supplicem Arsaciden.* Tum placuit Tiridaten [10] ponere apud effigiem Cæsaris insigne regium, nec nisi manu Neronis resumere. & colloquium osculo finitum. Dein paucis diebus interjectis magna utrimque specie, inde eques compositus per turmas, & insignibus patriis; hinc agmina legionum stetere fulgentibus aquilis, [11] signisque, [12] & simulacris

regum, sive satrapis, aut præfectis subditæ. *Freinshemius.*

1 *Neque infamia Pæti augebatur*] Correximus, *angebatur.* Rhenanus.

2 *Operiri reliquias malæ pugnæ imperavit*] Imo *operire*, id est, terra tegere insepulta suorum corpora. *Grotius.* Non aliter habet Beroaldus & multæ ex posterioribus. *Jac. Gronovius.*

3 *Tiberius Alexander*] Qui Procurator Judææ post Cuspium Fadum: Idem antea Alexandriæ Alabarches. Josephus lib. xx. *Lipsius.*

4 *Minister bello datus*] Suspicor legendum, *minister bello clarus*, ut idem fuerit error, quem supra notavimus ad lib. 13. *& dato die.* Sic histor. lib. 3 *quod illic secunda legioni à Claudio præpositus, & bello clarus egerat.* in vita Agric. *clari bello, ac sua quisque decora gestantes.* Similiter lib 2. histor. dixit, *militia clarus.* Tamen vulgatam lectionem non sperno. *Pichena.* Vide 2. Observat. 20. *Gronovius.*

5 *Vivianus*] Mediceus. *Vinianus:* ut jam prodidit Ryckius, sed indignum observatu judicans & ideo prætermittens, qui in notis ad principium lib. 14. tam acriter tetigerat *Vipstanum Apronianum*, quasi *Apronianus* diceretur excedendo per adoptionem ex gente Apronia. An igitur talis & hic Annius? Certe Cl. vir non ducit illum ex gente Vinia, sed Vinicia. Credas aut pontificem aut magistratum fuisse. Rectissime MS. Mediceus. *Jac. Gronovius.*

6 *Nondum Senatoria ætate*] Quæ, est annus vigesimus quintus, ut alibi monui. *Lipsius.*

Nondum senatoria ætate] Plutarchus in Pompejo scribit minoribus quinque & viginti annis non licuisse in Senatum venire. *Lupanus.* Anni vicesimi quinti initium tam in urbe quam in provinciis, ætas legitima fuit, per quam in curiam ingredi licuit. *Vertranius.*

7 *Honori ejus*] Sic emendavit Lipsius. Vulgo, *honore.* Pichena. Atqui lib. 1. histor, 44. *non honore* *Galba.* Adde 4. Observ. 16. *Gronovius.*

8 *Dextras miscuere*] Quod apud Persas sanctissimi fœderis. Josephus: Ὁ δὲ Ἀρτάβανος τούς τε πατρῴους θεοὺς ἐπώμνυτο, μηδὲν κακὸν δράσειν αὐτούς, καὶ τὴν δεξιὰν ἐδίδου, ὅπερ μέγιστον παρὰ πᾶσι τοῖς ἐκείνῃ βαρβάροις παράδειγμα τοῦ θαρσεῖν γίνεται τοῖς ὁμιλοῦσιν. Οὐ γὰρ ἂν ψεύσαιτό τις δεξιῶν ὑπ' αὐτῶν δόντας γενομένας, οὐδ' ἂν πιστεύσειεν ἐνδοιάσειεν ἐν τοιᾷδε ἀσφαλείας δόσει γένοιτο, παρὰ τῶν ἐν ὑποψίᾳ ἀδικεῖν καθεστηκότων. Firmat Gemistus Plethon lib. 11. De rebus Græcorum: *Persarum rex Mentorem, quod dextram dedisset, (maxima enim hæc apud Persas fides) conservavit.* Lipsius.

9 *Omissis præcipitibus tuta & salutaria capessentem*] Præcipitium locus præruptus, è quo facile quis præcipitari potest: hic vero translatitie sumitur, quod omisso bello, quo privari à Nerone Tiridates regno poterat, paci & suorum quieti consuleret. *Lupanus.*

10 *Ponere apud effigiem Cæsaris insigne regium*] *Ponere* pro deponere. *Rhenanus.*

11 *Signisque & simulacris deum*] Videnda, si lubet, quæ de Signis in Militia scripsi. Multa & varia fuerunt, & clypeis imaginibusque ornata: & ideo sic disposita & erecta comparat cum *deum templo.* Ita enim distinguendum videtor: quia simulacra etsi Deorum ibi fortasse, pleraque tamen Principum erant, & qui rerum tunc potiebantur. Nisi quis censet, ad ornatum, in sollenni illa velut pompa, etiam statuas deorum adhibitas & dispositas: quod in aliorum arbitrio & opinatione relinquo. *Lipsius.*

12 *Et simulacris deum in modum templi*] Nulla hic ex Flor. lux, nisi quod in eo legitur, *& simulacris dm.* Ac si ea vox aliter interpretari non possit, quam, *deum*, fortasse absurdum minime videbitur, cum solemnis illa cærimonia in castris celebranda esset, aliqua etiam simulacra deorum cir-

cris deum in modum templi. Medio tribunal sedem curulem, & [1] sedes effigiem Neronis, sustinebat. Ad quam progressus Tiridates, [2] cæsis ex more victimis, sublatum capite diadema imagini subjecit. magnis apud cunctos animorum motibus, quos augebat insita adhuc oculis exercituum Romanorum cædes, aut obsidio. *at nunc versos casus: iturum Tiridaten ostentui gentibus, quanto minus quam captivum?* Addidit gloriæ Corbulo comitatem, epulasque. [3] & rogitante rege caussas, quotiens novum aliquid adverterat: ut initia vigiliarum [4] per centurionem nuntiari, [5] convivium buccina

cumposita fuisse, ad majorem ornatum ac venerationem. non quidem in signis, sed circum tribunal Imperatoris, in modum templi. nam ut aræ in castris, ita etiam deorum imagines fuisse credendum est. Godeschalchus ad Vegetium lib. 2, 6, hæc *deorum simulacra* interpretatur, mortuorum Imperatorum imagines, qui scil. inter deos relati essent. *Pichena.*

1 *Sedes effigiem Neronis*] De ea re Dio in Eclogis nuper publicatis: Ἀλλὰ καὶ βῆμα ὑψηλὸν ἠγέρθη. Καὶ ἐπ' αὐτοῦ εἰκόνες τοῦ Νέρωνος ἐστάθησαν. Similis Sedes sive suggestus etiam Romæ in castris Prætoriis. Tacitus 1 Histor. *In suggestu, in quo paullo ante aurea Galbæ statua fuerat, medium inter signa Othonem collocant.* Ergo statua hæc, ut apparet, in sede: exemplo scilicet deorum, qui sic plerumque ficti. Plinius Panegyrico: *Jamdudum illi radiatum caput, & media inter deos sedes, auro staret aut ebore.* Lipsius.

2 *Cæsis ex more victimis*] Eum morem suggerunt Claudianus lib. 1. De laudibus Stilic.

——— penetralibus ignem
Sacratum rapuere adytis, ritusque juventes
Chaldæi stravere Magi. rex ipse micantem
Inclinat dextra pateram, secretaque Beli
Et vaga testatur volventem sidera Mithram.

Et Sidonius Panegyrico Leonis:

——— Magis juratur ab illis
Ignis & unda deus. nec non rata pacta futura
Hic divos testatur aves. Chaldæus in extis
Pontificum de more senex arcana peregit
Murmura. ———

Strabo etiam aliquid de ritu victimas immolandi: Μερίσαντος δὲ τοῦ μάγου τὰ κρέα τοῦ ὑφηγουμένου τὴν ἱερουργίαν ἀπίασι διελόμενοι, τοῖς θεοῖς οὐδὲν ἀπονείμαντες μέρος. Τῆς γὰρ ψυχῆς φασι τοῦ ἱερείου δεῖσθαι τὸν θεὸν, ἄλλου δ' οὐδενός. Ὅμως δὲ τοῦ ἐπίπλου τι μικρὸν τιθέασιν, ὡς λέγουσί τινες, ἐπὶ τὸ πῦρ. id est: *Ubi autem magus qui sacrum peragit, carnes in partes tribuit, sua quisque accepta abeunt, diis nihil impartientes. Animam enim solam hostiæ deum velle ajunt, nihil præterea. tamen omenti partem aliquam exiguam flammæ imponunt, ut quidam tradunt.* Docte ergo de omento Catullus inseruit,

Gnatus ut accepto veneretur carmine divos,
Omentum in flamma pingue liquefaciens.

ut ante me vulgavit magnus filiarum Mnemosynes antistes, *Lipsius.*

3 *Et rogitante rege caussas*] Videtur edidisse Tacitus, *rogitantem regem.* Id enim requirunt his respondentia, *admiratione prisci moris adficit.* Gronovius.

4 *Per centurionem nuntiari*] Qui vigilias ordine obibant. Tacitus l. 11. Histor. *Varus, deflagrante paullatim seditione, addit consilium, vetitis obire vigilias centurionibus, emisso tubæ sono, quo miles ad belli munia cietur.* Obibat ergo centurio, & rediens nunciabat Duci recte habere. Polybium vide lib. VI. *Lipsius.*

Per centurionem enunciari] Scripsimus, *nunciari.* Rhenanus.

5 *Convivium buccina dimitti*] Circuivi olim hunc ritum, non tetigi. At nunc in manum mihi dat Polybius, lib. XIV. *Est ea Romanis consuetudo, ut tempore convivandi, cuncti tubicines ac buccinatores ad tentorium ducis personent, ad hoc, ut nocturnas custodias suis locis per id temporis constituant.* O locum opportunum, & huic rei unicum? è quo etiam Livio lux, qui morem hunc, sed obscurius, tangit lib. XXX. *Tribunis edicit, ut ubi prætorio dimisso, signa concinuissent; extemplo educerent e castris legiones. Ita, ut imperaverat, signa sub occasum solis efferri cœpta.* Scribit uterque de Scipionis astu, quo castra Syphacis clàm invasit. Germanorum Principum mos nescio an originem trahat illinc. Certè receptum dynastis etiam hodie, ut convivium ineant ad sonum tubæ. Quod ipsum Alexandrum Macetam fecisse observo, ex Athenæo lib. XII. Ἐγίνετο δὲ τὰ δεῖπνα πρὸς σάλπιγγα, τότε μὲν ἐν τοῖς γάμοις, καὶ ἄλλως δ' αἰεὶ ὅτε τύχοι, σπονδοποιούμενος, ὥστε πᾶν εἰδέναι τὸ στρατόπεδον. At enim, quia hic de fine, & de Buccina tantum, videsis me in Militia Rom. lib. V. Dial. IX. propius certiusque hæc explicantem. *Lipsius.*

Buccina dimitti] Firmavit Lipsius in Notis, hoc intelligi de Classico, quod tempore convivandi, cuncti tibicines ac buccinatores ad tentorium ducis canebant, ut ait Polybius lib. 14. At quoniam de buccina tantum Tacitus loquitur, & de convivii fine scrupulus mihi erat de hujus loci sententia. Quem tandem sustulit idem Lipsius de militia Romana lib. 5. dial. 9. interpretans, classicum illud omnium signorum, cecinisse ante cœnam, buccinam vero post cœnam. *Pichena.* Athenæus lib. IV. ἕως ἐσάλπισεν τὸ εἰωθὸς τοῦ τελευταίου δείπνου σημεῖον. Τοῦτο γὰρ τὸ Μακεδονικὸν εἰωθὸς ἦν ἐν ταῖς πολυανθρώποις εὐωχίαις γινόμενον. Gronovius.

1 *Structa*

buccina dimitti; & [1] structam ante Augurale aram subdita face accendi: [2] cuncta in majus extollens, admiratione prisci moris affecit. [3] postero die *spatium* oravit, *quo tantum itineris aditurus, fratres ante, matremque viseret*; obsidem interea filiam tradit, litterasque supplices ad Neronem. Et digressus Pacorum apud Medos, Vologesen; 1 Ecbatanis repperit non incuriosum fratris: quippe & propriis nuntiis à Corbulone petierat, *ne quam imaginem servitii Tiridates perferret*; [4] *neu ferrum traderet*; [5] *aut com-*

1 *Structa ante Auguralem*] Hæsi & in hoc loco olim: quem nunc quidem perambulo levi pede. Lego: *structam ante Augurale aram.* Non enim vult structum aliquid accensumve ante aram fuisse (non ille mos) sed in ipsa, quam collocat ante Augurale, locum in dextra Prætorii parte, ut docuimus ex Hygini verbis, lib. II. Sed quis ille ritus? nisi fallor, ille ipse qui in privatorum etiam conviviis, carpendi aliquid è dapibus & libandi in honorem deorum. hoc tamen discrimine, quod vulgo in focum libamenta ea illata, sedem scilicet Larium: hic in Aram, paullo augustius, & pro splendore Imperatoris. Et de libatione quidem varii testes: propriè ad hunc morem isti, Homerus in Achillis convivio, libro IX.

——— Θεοῖσι δὲ θῦσαι ἀνώγει
Πάτροκλον ὃν ἑταῖρον. Ὁ δ' ἐν πυρὶ βάλλε θυηλάς.
——— *dis jussit sacrificare*

Patroclum socium. hic libamina jecit in ignem. Dionysius l. IV. Antiq. Ἀπὸ τῆς ἑστίας τῶν βασιλέων, ἐφ' ἧς ἄλλας τε συντελοῦσι Ῥωμαῖοι ἱερουργίας, τὰς ἀπὸ τῶν δείπνων ἀπαρχὰς ἁγίζουσι. *E foco regio, in quo cum alia sacra Romani facere solent, tum & cœnarum libare primitias.* Plutarchus de Fort Rom. facit Ocrisiam ἀπάργματα καὶ λοιβὰς λαμβάνουσαν ἀπὸ βασιλικῆς τραπέζης, καὶ ὥσπερ εἰώθει, τῷ πυρὶ ἐπιβάλλουσαν: *primitias & libamenta capientem è mensa regia, &, ut solet, in ignem conjicientem.* Silius pulcherrimè lib. VII.

Distinxit dulces epulas, nulloque cruore
Polluta castus mensa cerealia dona
Attulit, ac primum Vestæ detersit honorem
Undique, & in mediam jecit libamina flammam.

Persius in patella poni & deferri solere ostendit:

——— *cultrixque foci secura patella.*

Ubi vetus interpres: *Quia delibantia* (puto, *delibata*) *dapes in ea posita ad focum feruntur.* Inde *Patellarii dii*, Plauto: inde Varroni scriptum: *Deos colere, & dare in patellam μικρὸν κρέας.* Tibullus huc aspexit, Lares compellans:

Adsitis divi. nec vos è paupere mensa
Dona, nec è parvis spernite fictilibus.

Etiam Livius lib. XXXIX. *Inter pocula atque epulas, ubi libare diis dapes, & bene precari mos esset.* Denique Horatius:

——— *vernasque procaces,*
Pasco libatis dapibus.

satyrice & ambiguo sensu. sive quia non pasceret vernas, nisi prius libatis dapibus: sive quia è libatis dapibus. Et hoc postremum, ut religio poetæ fuit, magis censeam ex ejus mente. Non enim semper comburi libamenta ea mos, sæpè apponi tantum, & mox edi. Artemidorus hoc clare notat de sacrificulis eo cibo se sustentantibus, lib. III. cap. 3. *Lipsius.*

Ante auguralem aram subdita face accendi] Castigavimus, *& structa*, hoc est, struem lignorum exstructam) *ante auguralem aram subdita face accendi.* subauditur, *ligna*, vel simile quippiam. *Rhenanus.* Legendum; *Structam ante auguralem aram*, &c. non, *structa*, quod mendosum est. De *augurali* autem *porta* mentio est supra, ubi scriptum est, *augurali egressus.* Ursinus. Nihil certius Lipsii correctione. nam præter historiæ fidem, à Flor. etiam fere confirmatur, in quo legitur, *& structam.* Male vulgati: *& structa ante auguralem aram.* Pichena.

2 *Cuncta in majus extollens*] Florent. ac Ven. *attollens.* Pichena.

3 *Postremo die*] Forte, *postero.* Nam noctem eam mansit, uti apparet ex vigiliis nunciatis. *Lipsius.*

Postero die spatium oravit] Emendavi, *postremo die.* Quamquam si quis de biduo ultimo tantum intelligat, rectè scripserit *postero die*; id quod secutus est castigator hujus loci. Quod si quis totum tempus respiciat, quo semel atque iterum congressi sunt, præsertim quum præcedat, *Dein paucis diebus interjectis*: non absurda lectio erit *postremo die*, quam nos Budensi codici debemus, cui cætera ferme omnia. *Rhenanus.* Lipsii correctionem Florent. confirmat. Vulgo, *postremo die.* Pichena.

4 *Neu ferrum traderet*] Persæ enim & Parthi omnes semper de more cincti. Ammianus lib. XXIII. *Omnes promiscue vel inter epulas festosque dies gladiis cincti cernuntur. quem Græcorum veterum morem primos abjecisse Athenienses Thucydides est auctor.* At de ritu ponendi apud Magistratus ferri, in Electis mihi dictum cap. de Lictoribus. *Lipsius.*

Neu ferrum traderet] Intelligendum, ipse Tiridates Corbuloni. *Rhenanus.*

5 *Aut complexu*] Duplex ritus. Priorem illustro è Spartiani Severo, de quo Legato Africæ: *In ea legatione, cum eum quidam municipum suorum Leptitanus, præcedentibus fascibus, ut antiquum contubernalem ipse plebejus amplexus esset; fustibus eum sub elogio præconis cecidit. Legatum populi Rom. homo plebejus temere amplecti noli.* Interdicti ergo provinciales complexu. Sed nec in fores statim illis aditus; uti eleganter Salvianus lib. III. de Gubernat. *Intra januas non modo illustrium potestatum, sed etiam Præsidum*

complexu provincias obtinentium arceretur; foribusve eorum assisteret: [1] *tantusque ei Romæ, quantus consulibus, honor esset.* Scilicet externæ superbiæ sueto, [2] non inerat noti-
32 tia nostri: [3] apud quos vis imperii valet, inania transmittuntur. Eodem anno [4] Cæsar nationes Alpium maritimarum [5] in jus Latii transtulit. [6] Equitum Romanorum locos

fidum aut Præpositerum, non omnes passim intrare præsumunt, nisi quos aut judex vocaverit, aut negotium traxerit, aut ipsa honoris proprii dignitas intreire permiserit: ita ut si quispiam fuerit insolenter ingressus, aut cædatur, aut propellatur, aut aliqua verecundiæ atque existimationis suæ labe multetur. Quod augendæ dignitati usurpatum à Præsidibus; uti privatim à quibusdam per superbiam Romæ. *Lipsius.*

1 *Tantusque ei Romæ, quantus Consulibus, honor esset*] Addidi istud, *ei*, ex Florentino. *Pichena.*

2 *Non erat notitia nostri*] Flor. habet: *non inerat.* Pichena.

3 *Apud quos jus imperii valet, inania transmittuntur*] Leviter dubito, num, *vis imperii*, legendum sit. *Vis* enim magis proprie opponitur ad *inania*, quam jus. quasi dicat: illi inania sectabantur, nos rerum substantiæ insistimus. lib. 2 *favorabili in speciem oratione, vim imperii tenuit.* lib. 3. *Sed Tiberius vim principatus sibi firmans, imaginem antiquitatis Senatui præbebat.* lib. 15. *Ad vim dominationis conversus.* Pichena. Sed præterea in eodem MS. Med. in quo legitur *vis imperii*, etiam legebatur *transmittuntur*, ut supra aliquoties. *Jac. Gronovius.*

4 *Cæsar nationes Alpium maritimarum*] Locus hic admonet, ut varia Alpium nomina attingam, quando eorum, qui de his scripsere etiam ex recentioribus, diligentiam non satis probem. Igitur *Alpes Pænas* esse opinor, per quas ex Druentia flumine recta in Italiam tenditur Brigantionem versus & Ferietam, quæ via nostro quoque tèmpore est frequens. *Grajas* quæ & *maritima*, quod per eas Hercules iverit, ubi etiam Monæci portus illi sacer, ut auctor est Ammianus lib. 15. *Cottias*, qua à Segusio oppido per Centronas itur: tametsi recentiores, ut Paulus Diaconus & Ge. Merula *Cottias* esse existiment, in quibus Bobium urbs est. quod antiquis auctoribus non est probabile. Cottias appellatas quandoque etiam *Julias* non fallo fortasse aliqui tradunt, quod in eas per Tricassinos eatur. Bellovesum autem per Tricassinos in Julias Alpes venisse, Livius est auctor. Sed & non male *Julias* Tacitus appellat Alpes, quæ versus Carnos sunt, unde & *Julium Carnicum*, & *Forum Julii*, qua ex Venetia in Noricum itur. cui sententiæ ex recentioribus adstipulatur Sabellicus in Aquilejen. historia. Sunt & *Rhætica Alpes*, quibus in Rhætos vadimus, quos vulgo *Grisones* vocant: incipiunt ab Adya monte (Straboni corrupte legitur nunc *Adula*, nunc *Advela*) id est inaccesso. Vernacula simplicitas *montem Bralium* nuncupat, in Volturena, seu ut imperiti, in valle Telina, & in Venetiam protenduntur, donec Ocræ subeant. *Lepontia* adhuc servant nomen. sunt in Suitensibus, qua Claronam ex Bilitionis castro recta tendimus. In Alpibus, quas Cæsar in commentariis *Summas* appellat, cum cæteris convenio. Sunt inter Sedunos & Veragros, ubi & Octodorus est pagus, quem Sancti Mauritii vocant. Cæterum quamvis hæc nostra sententia videatur plurimis auctoribus congruere, non arbitror omittendum, esse etiam, qui refragentur, quando Ptolemæus inter Adulam & Ocram *Pœnas Alpes* collocet, quo in loco esse Rhætica juga ipse prodidi. Verum ex Plinio illius sententia confutatur: qui de Grajis & Pœninis in Salassos descendi tradit: ut fortasse *Pœninæ Alpes* illic incipiant & desinant in maritimas, si Ammianum sequimur. Est & adhuc Suitensibus, qui vulgo eorum sermone Alpes *Grey* dicatur mons, qua Friburgum tendimus. Ipse inter veteres non omnino constitisse harum nomenclaturam existimo. Nam & Plinius in Lepuntiis dissidere visus est, qui cum *Cottiana juga* Centronibus vicina tradidisset, Grajis Alpibus aut easdem aut certe contiguas Lepuntias mavult: quod non probo, cum longe gravior sit auctor Cæsar, unde nostra sententia fulcitur; & Plinius non affirmet, sed aliorum relatione ex etymo innuere videtur. *Alciatus.*

5 *In jus Latii transtulit*] Suet. in Aug 47. *Merita erga Po. Rom. allegantes Latinitate, vel civitate donavit.* Latinitate, id est jure Latii veteris. Inde apud Plinium lib. 3. legitur quædam oppida fuisse civium Rom. *alia Latinorum veterum.* Cic. ad Att. lib. 14. *Multa Siculis Cæsar, neque me invito, etsi Latinitas erat non ferenda.* *Latium* quoque *dare* dixit Spartianus in Hadriano. Tac. lib. 19. *Fœdera sociis, Latium externis dilargiri.* Lupanus. *Alpes maritimæ* sunt, quas mare Ligusticum & Gallicum abluit, scil. à portu Herculis ad usque Tauroentum portum Massiliensium. Earum incolæ ex nostris gentes Transalpinæ fuerunt, Deceates, Oxybii & Salyes; ex Cisalpinis, (si Romam spectes) Montani Ligures, à Macra, ut ait Cato, in Nicæam effusi: inter quos memorati, Intemelii, Ingaunique, Italiæ regione nona, juxta descriptionem Augusti. Sed licet Alpinis maritimis Oxybios, Deceates & Salyes annumerarim, secutus scriptores, & inscriptionem, quam hic subdere, & inde argumentari volui: non existimo Neronianum edictum quicquam ad nostros attinuisse. Aliunde igitur jus Latii Antipolis oppidum habuit, quod Plinius Latinum scripsit, de quo alias pluribus. Est autem inscriptio alteri columnæ matricis ecclesiæ Vensiensis hujusmodi: *Curante. Ac. Iulio. Honorato. P. Praeside. Alp.* Quod si præsidatui Alpini provinciales populi subjecti fuere, alia trans, alia cis Varum magistratuum potestas fuit: ut alteri præsidi Alpium,

locos sedilibus plebis antepofuit apud Circum. namque [1] ad eam diem [2] indiscreti inibant, [3] quia lex Roscia nihil nisi de quattuordecim ordinibus sanxit. Spectacula gladiatorum idem annus habuit, [4] pari magnificentia ac priora. [5] Sed fœminarum illustrium

pinm, alteri procuratori maritimarum Alpium parerent. Quare diversos populos diversi juris fuisse necesse est dicere, sic ut nihil majores nostros Neronis edictum attigerit. *Vertranius.*

6 *Equitum Rom. locos*] Recte & ordine capienda hæc legendaque, ne cum aliis abeas errabundus. Ita autem in Circo sedendi (nam de Theatro alius mihi locus) res fuit. Ad Augusti ævum spectaculum id, Senatus, Eques, Plebes inibant indiscreti. Nam Roscia lex & Julia Theatralis, de scena tantum caverant, non de Curulibus ludis. Qui quoniam antiquissimi; religione quædam, censeo, & simul non alienandæ plebi, servatus in iis mos priscus. Cornelio Cinna demum & Valerio Messalla Coss. anno urbis DCCLVIII. mutavit Augustus. Dio lib. 55. *Καὶ τὰς ἱπποδρομίας χωρὶς μὲν οἱ βουλευταὶ, χωρὶς δὲ οἱ ἱππεῖς ἀπὸ τοῦ λοιποῦ πλήθους εἶδον, ὃ καὶ νῦν γίγνεται.* Sed ita, ut saltem juberet seorsim spectare Senatum, seorsim Equitem: non tamen loca illis certa adsignaret stataque. Itaque in alia atque alia regione Circi spectabant (sedilibus videlicet his aut illis à plebe occupatis) donec tollendæ confusioni, Claudius Imp. Senatui attribuit certam mansuramque sedem. Suetonius cap. XXI. *Circo maximo marmoreis carceribus auratisque metis exculto, propria Senatoribus constituit loca promiscue spectare solitis.* Ait *promiscue*: magis vere proprieque, vage. Eam enim Suetonii mentem esse, libens Dioni concredo rem eam explicanti cum cura, lib. 60. *Ἑώρων μέν που καὶ πρότερον ἐν αὐτῷ* (de Circo prædixit) *ἰδίᾳ καὶ κατὰ σφᾶς ὡς ἕκαστοι, τό, τε βουλευτικὸν καὶ τὸ ἱππικὸν καὶ ὁ ὅμιλος, ἀφ' οὗπερ τοῦτ' ἐνομίσθη. Οὐ μέντοι καὶ τεταγμένα σφίσι χωρία ἀπεδέδεικτο. Ἀλλὰ τότε ὁ Κλαύδιος τάς τε ἕδρας τὰς νῦν οὔσας τοῖς βουλευταῖς ἀπέκρινε. Καὶ προσέτι τοῖς ἐθέλουσι σφῶν ἑτέρωθί που καὶ ἐν γε ἰδιωτικῇ ἐσθῆτι θεάσασθαι ἐπέτρεψε.* Sed Claudius Senatui tantum, equiti ecce nunc Nero. Sueton. cap. XI. *Circensibus loca equiti secreta à ceteris tribuit.* Plinius l. VIII. c. VII. satis ostendit nova exædificata ea loca fuisse: *Cæsar Dictator*, inquit, *euripis arenam circumdedit, quos Nero princeps sustulit, equiti loca addens.* Quod in fine verborum Dionis est, nolim negligas. Nam etiam post loca divisa, promiscue licuit spectare Senatoribus, sed in veste, ut ait, privata. Exemplum in Plinio, l. 9. epist. ubi Corn. Tacitus hic ipse noster in Equestribus spectat, etsi Senator. *Numquam majorem*, ait Plinius, *cepi voluptatem, quam nuper ex sermone Corn. Taciti. Narrabat sedisse se Circensibus proximum equiti Rom.* &c. Hæc satis ad Taciti mentem: nam de linea, de cancellis, de loco feminarum alibi dico ubertim. *Lipsius.*

Sedibus plebis antepofuit] Scripsimus, *sedilibus plebis.* Rhenanus.

1 *Ad eam diem indiscreti ibant*] Reposui, *indiscreti inibant.* Idem.

2 *Indiscreti inibant*] Sic infra: *Iniisse eum domesticam scenam.* Lipsius.

3 *Quia Lex Roscia*] Hanc tulit Roscius Otho. Unde ab Horatio in Epodo dicitur, *Othone contempto sedet.* Quatuordecim ordines Seneca appellat *Equestria.* Lupanus. L. Roscius Trib. pleb. legem tulit, *ut equitibus Rom. in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur*, ait Livius lib. 99. At in aliis locis, ut in Circo, an promiscue, an separatim equites à plebejis spectarent, lex Roscia non caverat: ideoque Neronis edicto locus equestri ordini, ut in theatro ante fuerat, in Circo assignatus est. *Vertranius.*

4 *Pari magnificentia ac priori*] Castigavimus, *pari magnificentia; ac priora.* Rhenanus.

5 *Feminarum illustrium senatorumque*] Cur invertitis censores? Non enim, inquiunt, probabile feminas descendisse in arenam. Boni viri, quam bene sentiunt de sexu, quo nihil abruptius, cum semel frenum excussit ingeniti pudoris! Sed discite, & credite priscis, non in caveam solum feminas venisse, sed in arenam. Juvenalem omitto satyra VI. Suetonius ecce in Domitiano cap. IV. *Venationes gladiatoresque & noctibus ad lychnuchos dedit: nec virorum modo pugnas, sed & feminarum.* Et Statius de iisdem ludis I. Silv.

Stat sexus rudis insciusque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles.
Credas ad Tanaim ferumque Phasim
Thermodontiacas calere turmas.

Adeoque id verum & vulgatum, ut Severo imperante cavendum SCto fuerit *μηκέτι μηδεμίαν γυναῖκα μονομαχεῖν. non ultra feminam ullam ad gladium depugnare*, ait in Severo Xiphilinus. *Lipsius.*

Sed feminarum illustrium senatorumque plures per arenam fœdati] Quid faciunt *femina* illustres in arena? Deest hic genitivus *filiorum*, quem inseruimus; *Sed feminarum illustrium senatorumque filiorum plures per arenam fœdati.* Rhenanus. Propugnat hanc lectionem non sine grandi probro sexus sequioris ordinis nostri Lucifer. Interim mihi eripi non potest, loco *feminarum*, substituendum *familiarum*, literis non nimium diversum ab altero: intelligendumque de *Equitibus*, quibus proprium quasi cognomen *illustrium*, eoque ipso insignivit Tacitus haud semel; ut videre licet in indice. Feminarum, nullæ heic partes, nullum jus. Ubi enim supra mentio de feminis? nusquam. Et tamen respicere illhæc ad ea, quæ facta sunt anno priore; aperte urget illud quod præcessit; *Spectacula gladiatorum idem annus habuit, pari magnificentia ac priora.* At annorum priorum memoriis, nulla mentio mulierum;

33 illustrium senatorumque plures [1] per arenam fœdati sunt. C. Lecanio, M. Licinio con-
sulibus, acriore in dies cupidine adigebatur Nero promiscuas scenas frequentandi. nam ad-
huc per domum aut hortos cecinerat Juvenalibus ludis, quos ut parum celebres & tantæ
voci angustos spernebat. [2] Non tamen Romæ incipere ausus, Neapolim quasi Græ-
cam urbem delegit: *Inde initium fore*, [3] *ut transgressus in Achaiam insignesque & anti-
quitus* [4] *sacras coronas adeptus, majore fama studia civium eliceret.* Ergo contractum
oppidanorum vulgus, & quos è proximis coloniis & municipiis [5] ejus rei fama cive-
rat; quique Cæsarem per honorem, aut varios usus sectantur, etiam militum mani-
34 puli theatrum Neapolitanorum complent. Illic, plerique ut arbitrabantur, triste;
ut ipse, providum potius & secundis numinibus evenit. nam egresso qui affuerat po-
pulo, vacuum & sine ullius noxa theatrum collapsum est. Ergo per compositos
cantus grates diis, atque ipsam recentis casus fortunam celebrans, petiturusque maris
Hadriæ trajectus, apud Beneventum interim consedit: [6] ubi gladiatorium munus à
Vatinio celebre edebatur. [7] Vatinius inter fœdissima ejus aulæ ostenta fuit, sutrinæ
tabernæ alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus: [8] primo in contumelias as-
sumptus, deinde optimi cujusque criminatione [9] eo usque valuit, ut gratia, pecu-
35 nia, vi nocendi [10] etiam malos præmineret. Ejus munus frequentanti Neroni, ne
inter voluptates quidem à sceleribus cessabatur. Iisdem quippe illis diebus Torqua-
tus Silanus mori adigitur, quia super Juniæ familiæ claritudinem divum Augustum
atavum

rum; contentus dicere auctor lib. 14. Ann. 14. *Notos quoque equites Rom. operas arenæ promittere subegit donis ingentibus.* ubi minime id tacere debebat, si eodem redactæ feminæ, & quidem illustres. Et ut ipse hoc forsan neglexisset, cur tam novum & hactenus non visum flagitium, seu principis seu matronarum, non annotatum alibi Suetonio, non Dioni, non Zonaræ, non uni alicui vel extra ordinem. *Gruterus.*

1 *Per arenam fœdati*] *Arena* gladiatoria significatur, in qua gladiatores pugnabant, unde *Arenarii* dicti. *Arenarii* testis meminit Charisius JCtus in cap. Ob carmen. in Digestorum tractatu de testibus. *Lupanus.*

2 *Non tamen Romæ incipere ausus*] Vulgati auctiores, *incipere scenas ausus.* Nos eam vocem Florent. autoritate, ac Lipsii judicio, sustulimus. *Pichena.*

3 *Ut transgressus scenis in Achajam*] *Scenis*, id est, per scenas. *Rhenanus.*

4 *Sacras coronas adeptus*] Sacra certamina dicebantur in Græcia, Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea. Qui hæc quatuor vicerant, Periodonicæ dicebantur. Ingentes vero honores Hieronicis hisce (nam ita à Suetonio dicuntur) habitos docet Vitruvius lib. 9. Nam cum palma & corona audiebant suas laudes, & auctor est Suetonius Neronem reversum è Græcia Neapolin, disjecta muri parte introisse Hieronicarum more. Cic. pro Flacc. ait majus fuisse apud Græcos in his certaminibus vicisse, quam triumphasse Romæ. Itaque *sacras coronas* hic vocat Tacitus ea causa. *Lupanus.*

5 *Ejus rei fama civerat*] Scripsimus, *acciverat.* Rhenanus.

6 *Ubi gladiatorium munus*] Ita Flor. Vulgo, *gladiatorum munus.* Sic lib. 12. *gladiatorii muneris magnificentia.* lib. 14. *gladiatorio spectaculo.* Pichena.

7 *Vatinius inter fœdissima ejus aulæ ostenta*] De hoc sutore Vatinio, Martial.

Vilia sutoris calicem monumenta Vatini
Accipe, sed nasus longior ille fuit.

cujus Epigrammatis argutiam non cepit Turnebus. Ego sententiam puto, cum quattuor nasos oblongos haberet ille Vatinianus calix; tamen longiorem iis fuisse Vatinii nasum. Notatque callide eum, ut acrem & sagacem inquisitorem criminatoremque. Ita enim fuit. Xiphilinus eum ait adeo hostem optimatibus fuisse, ut semper in ore haberet, *μισῶ σε Καῖσαρ ὅτι συγκλητικὸς εἶ.* De populo ipso Juvenalis:

Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quattuor.

Lipsius.

8 *Primo in contumelias assumptus*] Mur. *inter.* dubito. *Acidalius.*

9 *Eo usque valuit*] Lego, *eo usque evaluit.* Idem. Sed MS. Medic. habet *dehinc optimi cuj. cr.* non *deinde.* Sicut etiam c. 36. *Dehinc edicto*, prout edidit jam Beroaldus *Jac. Gronovius.*

10 *Etiam alios præmineret*] Reposuimus, *etiam malis præmineret.* quasi diceret primum facetiis scurrilibus, deinde flagitiis sceleribusque præminuit. *Rhenanus.* Ego *magis* scribendum conjeci, hac sententia: præminebat gratia, præminebat pecunia; at magis vi nocendi præminebat. Apulejus Mil. 6. *præminentes silices.* Pricæus. Scripsi, *malos*, ex Flor. Vulgo, *malis.* lib. 3. *Ac tamen appellatione aliqua, cetera imperia præmineret.* lib. 12. *Cassius ceteros præminebat peritia legum.* Pichena.

1 *Jussi*

atavum ferebat. [1] Jussi id accusatores objicere; *prodigum largitionibus, neque aliam spem quam in novis rebus esse.* [2] *quin eum nobiles habere, quos ab epistolis & libellis & rationibus appellet,* [3] *nomina summa cura & meditamenta.* Tum intimus quisque liberto-rum

1 *Jussi id accusatores objicere*] Pronomen *id* non est in libro manuscripto, nisi postea additum. *Rhenanus.*

2 *Nobiles habere, quos*] Nobilium vox mihi suspecta, atque alii examinanti. Qui enim ista tam viles nobiles, qui alteri suæ fortis ad tale officium se submitterent? Imo nec Principes ipsi, nobiles ad ea munera habebant, sed libertos. Primus Vitellius (verba Taciti 1. Histor.) *ministeria Principatus per libertos agi solita, in equites Romanos disposuit.* Sed nec ea dispositio firma. vix cœpta abiit: eoque Spartianus Hadrianum Imp. quasi primum auctorem ejus rei laudat: *Ab Epistolis, à Libellis, primus equites Rom. habuit.* Dionis locus non me movet, oratione Mæcenatis ad Augustum: ubi suadet *ad Epistolas & ad Libellos adjutores quosdam ex Equitibus adsumi.* Nam id Dio inseruit (ut solet, & alias monui) ad ævi sui morem; atque illinc sumpsit. Sub Augusto certe non sic fuit. Quid ergo ad Taciti nunc locum? corruptum esse, & aut vocem eam *Nobiles* execandam abjiciendamque esse, male infarctam; aut mutandam, *quin eum nonnullos habere.* Lipsius.

Qui ne ignobiles haberet, quos ab epistolis] Volumen regium habet, *qui ne innobiles habere quos ab epistoles & libellis & rationibus appellet.* Conjicio legendum, *Quin eum*, sive, *quin etiam nobiles habere, quos ab epistolis, & libellis & rationibus appellet.* Quare sic emendare contextum ausi fuimus. *Rhenanus.* Vox illa, *nobiles*, suspecta est doctiss. interpreti, ut necessario aut mutandam censeat, aut ejiciendam. At rationes, quas adfert, nullæ sunt. Qui enim isti, inquit, tam viles nobiles, &c. Atqui Torquatus hic Silanus erat inter nobiles clarissimus, ut qui super Juniæ familiæ claritudinem Divum Augustum atavum ferebat. Addit nec ipsos Principes, ad ea munera nobiles habuisse. Id quidem verum est. Nam malorum Principum est, deprimere veterem nobilitatem, & novos evehere ac viliores, qui eo nomine magis serviunt & obnoxii sunt.* Interim ex eo non sequitur, nobiles in his muneribus haud occupasse Torquatum; sed sic plures gravioresque de se suspiciones apud Principem excitasse. Quin vero censeo, eam vocem, *nobiles*, adeo hic esse necessariam, ut in ea vis ac pondus omne accusationis sit. Nam alias privati sub Cæsaribus impune quosdam à rationibus & epistolis habuerunt. Consule corpus inscriptionum antiquarum. *Boxhornius.* Merito hi *nobiles* suspecti Lipsio. Contra quem qui disputat, *Urbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putavit Huic nostræ similem.* Nemo enim principum Augustorum, à primo hujus nominis ad hunc dumtaxat, quemquam ingenuum, nedum nobilem, adeo contempsit, ut ei hujusmodi officium delegaret. Hoc ille non cepisse ostendit sese, cum interpretatur Cæsares, more Principum malorum, ita depressisse veterem nobilitatem. Immo pudor hic erat Principum & suspectus non nobilitatis modo veteris recentisque, sed etiam civium & minimorum de Plebe Quiritium, non abuti eis pro servis & libertis: his enim ista mandabantur. Quod igitur ne Princeps quidem audebat, quis tulisset in privato? Sed nec nobilium quisquam re atque existimatione integra vel se vel liberos suos sic abjiciebat, ut non dico apud aliquem inter nobiles clarissimum, sed vel apud Cæsarem, vernarum aut vindicta suorum locum, quamvis lautum & libertinum patrimonium spondentem, subirent aut subire paterentur. Perditi autem & deplorati, ad bestias illi aut cultrum se locare malebant. Itaque quin fœdet hic ulcus, nihil ambigo. Spartianus de Hadriano: *Ab epistolis & à libellis primus equites Romanos habuit.* Nemo igitur ante illum. Accedit quod lib. 16. Tacitus hæc ipsa respiciens & quodammodo repetens: *præficeretque rationibus & libellis & epistolis libertos.* Hæc postrema vox, aut aliqua, quæ id genus familiarium significare possit, desideratur. Certum hoc, non arbitrarium, censeo. Quæ vero sit illa, quærendum. Conjiciebam: *Quin eum domi lib. habere.* Illud *domi l.b.* (i. libertos. quo compendio passim Lapides antiqui.) potuit injuria ævi & per ignorantiam librariorum degenerare in *nobiles.* Gronovius. Quid alii postea tentaverint, potest apud eos inspici. Sed certum est ad veri inquisitionem pertinere, si & numerus literarum non augeatur, & formæ earum serventur. Unde quum MS. Mediceus habeat *q. ne innobiles*, certe istæ *e inn* absorbentur in voce *eum*; supersunt ergo *obiles*, quis serius & mitis & modestus inde cogitabit *homines*? ne dicam vocem fore prorsus supervacaneam. Etiam libertorum mentionem statim adjicit. Proxime ad scriptam lectionem venit, *quin eum ob id & habere.* Quasi jam proluderet aulæ Cæsareæ, nec simpliciter haberet talibus ministeriis distinctos, sed ut jam in antecessum ostenderet se egredi privatas cogitationes, & experiretur hanc magnificentiam, quam grata vel ampla esset; hoc est, *ob id.* Cæterum ordo vocum in MS. Med. est *in rebus novis.* Jac. Gronovius.

3 *Nomina summa cura*] Jam capio, olim caligavi. Hæc, inquit, nomina *Ab Epistolis, à Libellis,* sunt summæ curæ nomina, id est Imperii & Principatus, itemque ejus meditamenta. Significat, eo ipso quod talia officia & nomenclaturas Torquatus in domo habeat, jam nunc incipere & meditari imperare. Cur enim has imagines ejus usurpat? Nam alii privati *A manu* habent, non ab Episto-

rum vincti abreptique. Et cum damnatio instaret, brachiorum venas Torquatus interscidit, secutaque Neronis oratio ex more; *Quamvis sontem & defensioni merito*
36 *diffisum, victurum tamen fuisse, si clementiam judicis exspectasset.* Nec multo post [1] omissa in præsens Achaia (caussæ in incerto fuere) urbem revisit; provincias Orientis, maxime Ægyptum, [2] secretis imaginationibus agitans. Dein edicto testificatus *non longam sui absentiam, & [3] cuncta in republica perinde immota ac prospera fore*; super ea profectione adiit Capitolium. [4] Illic veneratus deos, cum Vestæ quoque templum inisset; repente cunctos per artus tremens, seu numine exterrente, seu facinorum recordatione nunquam timore vacuus, deseruit inceptum, *cunctas sibi curas amore patriæ leviores* dictitans. *Vidisse civium mæstos vultus, audire secretas querimonias, quod tantum aditurus esset iter, cujus ne modicos quidem egressus tolerarent, sueti adversum fortuita aspectu principis refoveri. Ergo ut in privatis necessitudinibus proxima pignora prævalerent; ita populum Romanum vim plurimam habere: parendumque retinenti.* [5] Hæc atque talia plebi volentia fuere, voluptatum cupidine, & quæ præcipua cura est, rei frumentariæ angustias, si abesset, metuenti. Senatus & primores in incerto erant, procul

Epistolis, *Libellis*, & talia: ac conveniunt in Principes solos. *Lipsius.*

Nomina summa curæ & meditamenta] Addere Lipsius velit, *meditamenta imperandi*: vel potius scribit, *meditamenti*. Nihil ego in vulgato mutem, cujus sensus, ab epistolis, ab libellis, & rationibus esse nomina & meditamenta summæ curæ. Et firmat vulgatum hoc geminus locus lib. 16. *Ipsum dehinc Silanum increpuit, iisdem quibus patruum ejus Torquatum, tamquam disponeret jam imperii curas, præficeretque rationibus & libellis & epistolis Libertos.* Muretus supra scribebat, *appellaret, omnia s. c. & meditamenta.* Sed nec huic assentiar. *Acidalius.* Defectus locus Lipsio videtur, mihi sanus & integer. Interpretor enim, nomina summæ curæ, & etiam summæ curæ meditamenta. *Pichena.* Quia fere idem per idem interpretantur viri optimi, sic habe: ea esse nomina ministeriorum Principis & quandam Principatus meditationem, prolusionem, mimum. *Gronovius.*

1 *Omissa in præsens Achaja*] In quam cantandi caussa ivit, & libertate eam donavit, uti Sueton. aliique tradidere. Illud Pausaniæ mirum, lib. 7 *Neronem Græciæ libertatem reddidisse, sine ullo imperii detrimento: quoniam pro ea Sardiniam prædivitem insulam in provinciæ formam redegerit.* Aberrat. & intelligi voluit Alpes Cottianas, quæ solæ cum Ponto Polemoniaco in provinciam à Nerone redactæ Sardinia quidem, una cum Sicilia, prima provinciarum.

Add. Interpreti hercules succenseo (etsi fido alias & docto, Romulus Amasæus est,) qui me ut injuste Pausaniam arguerem fecit. Nam ipsum Græce nuper editum cum vidi (antea numquam fuit copia) verba ejus in aliam sententiam, hæc reperi: καὶ ἐλεύθερον ὁ Νέρων τὴν Ἑλλάδα ἀφῆκεν ἁπάντων, ἀλλαγὴν πρὸς δῆμον ποιησάμενος τὸν Ῥωμαίων· Σαρδὼ γὰρ τὴν νῆσον ἐς τὰ μάλιστα εὐδαίμονα ἀντὶ Ἑλλάδος σφίσιν ἀντέδωκεν. Quorum verborum vera hæc sententia: *Omnium immunem & liberam Nero reliquit Græciam, permutatione quadam cum populo Romano facta. Sardiniam enim insulam beatam & uberem, pro Græcia ei attribuit.* Ita palam lati erroris illius Pausanias liberatur: qui non hoc vult, ut Sardinia tunc demum provincia sit facta. non hercules, non. sed ut cum populo permutata. Hoc tamen ipsum an vere? ambigas jure. quia Strabo libro ultimo, & Dio LIII. Sardiniam jam inde à prima divisione Augusti, collocant inter populares. Quod si mutatum à mediis Principibus: Dionem id non monuisse profecto mirum est. *Lipsius.*

2 *Secretis imaginationibus agitans*] Nihil mutandum, quamvis fortasse melius legeretur, *machinationibus*, pro, *imaginationibus*. Ursinus. Mur. *machinationibus*. Neque hoc admittam, non magis, quam quod paullo post pro *necessitudinibus*, mutat *necessitatibus*. Acidalius.

3 *Cuncta in rep. perinde immota ac prospera fore*] Antea, *exinde immota*. Flor. *periende.* ex quo ego, *perinde*. Subintelligitur enim, perinde ac si ipse adesset. Sic paullo infra: *quo fidem acquireret, nihil usquam perinde lætum sibi.* & inferius: *non perinde solis vapore perrumperentur.* Pichena.

4 *Illic veneratus Deos, cum Vestæ quoque templum iniisset*] Vulgata lectio & distinctio erat: *adiit Capitolium, illic veneraturus Deos. Cum Vestæ quoque templum* &c. Meliorem indicavit mihi Flor. qui habet, *veneratus*. Idem.

5 *Hæc atque talia plebi valentia fuere*] Budense exemplar hic rasis aliquot literis, habet *volentia*. Scripserim ego, *Hæc atque talia plebi volenti f.* Similem locutionem usurpat in vita Agric. *Eoque initio erecta provincia, ut quibus bellum volentibus erat.* Hoc sermonis genus Græcis familiare. Plato: Ἀλλ' ὅρα εἴ σοι βουλομένῳ ἐστὶν ὃ λέγω, id est: *Sed vide num tibi volenti fiat quæ dico.* Gregor. Nazianzenus, ἐνέπαιζον ὅσα βουλομένοις ἦν, id est, *Illuserunt quæcunque volentibus erant.* Sic lib. 3. Hist. *Cæterisque remanere* &

procul an coram atrocior haberetur. dehinc, quæ natura magnis timoribus, deterius credebant quod evenerat. Ipse quo fidem acquireret, [1] nihil usquam perinde lætum 37 sibi, [2] publicis locis struere convivia, totaque urbe quasi domo uti. Et celeberrimæ luxu famaque epulæ fuere, [3] quas à Tigellino paratas, ut exemplar referam, ne sæpius eadem prodigentia narranda sit. Igitur [4] in stagno Agrippæ fabricatus est ratem, [5] cui superpositum convivium navium aliarum tractu moveretur. naves auro & ebore distinctæ: remigesque exoleti, per ætates & scientiam libidinum componebantur. volucres & feras diversis è terris, & animalia maris Oceano abusque petiverat. crepidinibus stagni lupanaria astabant, [6] illustribus feminis completa. [7] & contra scorta visebantur, [8] nudis corporibus. jam gestus motusque obsceni, [9] & postquam tenebræ incede-

& in verba Vespasiani adigi volentibus fuit. Quo loco nos dictionem *liberum* à castigatoribus infultam submovimus. Expressit hanc figuram amator Hellenismi Macrobius, quum inquit, *Si vobis volentibus est.* Hujus generis & illud quod lib. 1. Ann. *Ut quibusque bellum invitis, aut cupientibus erat.* quod auctores Græci dicunt ἀχθομένοις ἦν, & ἡδομένοις ἦν. Nec est admodum dissimile quod eodem lib. 1. infra legitur: *Volentibus Armeniis præfecit.* Item lib. 2. Hist. *Muciano volenti scripsere.* quamquam in vulgatis editionibus male legitur *volentia.* Sed de hac figura admonuimus sub initium operis, & suis deinde locis. *Rhenanus.* Cornelius frequenter utitur hac forma dicendi, sumpta à Græcis. Sallust. prope finem Jugurth. *Non tam diffidentia futura, quæ imperavisset, quam uti militibus exæquatus cum Imperatore labor volentibus esset.* Ferrettus. Reposui ex Flor. verbum, *volentia*, id est grata, accepta. Idem lib. 3. hist. *Muciano volentia scripsere.* vide quæ ibi notat Lipsius. *Pichena.*

1 *Nihil usquam perinde lætum sibi*] Mihi hoc lucet. Vertranium malle, *nihil usquam periculosum sibi*, insipientia est. Clare hoc ait: Nero uti reipsa ostenderet nullum sibi locum præ Roma esse: struxit in publico convivia, &c. *Lipsius.*

Nihil usquam perinde lætum sibi publicis locis] Hic locus est prorsum vitiatus. Liber manuscriptus habet: *Quo ipse fidem acquireret nihil usquam periculosum sibi locum publicis locis.* Divinatione est opus. Legerim: *Ipse quo fidem acquireret, nihil usquam periculosum sibi, lætus publicis locis struere convivia, totaque urbe quasi domo uti.* hoc est, struebat, atque utebatur. Id nimirum simplicius est, quam legere, *periculosum sive turbulentum*, pro *sibi lætum.* Rhenanus. Legerim, *Nihil usquam periculosum sibi, lætus publicis locis* &c. *Vertranius.* Faernus legebat: *Nihil usquam periculosum sibi publicis locis*, &c. *Ursinus.* Id est, lætiorem vitam se nusquam agere, quam Romæ. *Pichena.*

2 *Publicis locis struere convivia*] Suetonius: *Cœnitabatque nonnumquam & in publico, Naumachia præclusa, vel Martio campo, vel Circo maximo.* Lipsius.

3 *Quasi Tigillino paratu, ut exemplare feram*] Et hic depravata verba sunt. Emendavimus; *Quas Tigillino paratas, ut exemplum feram.* Ubi *ferum* dixit pro *referum.* Rhenanus. Muretus: *Quas à Tigellino.* Clariore sensu, sed quo eodem & vulgatum. *Acidalius.* Florentini lectio, *Quas à Tigellino paratas ut exemplar referam.* Vulgati etiam bene: *quas Tigellino paratas ut exemplum referam.* Pichena.

4 *In stagno Agrippæ*] Cujus mentio Straboni; itemque nemoris, de quo hic, lib. XIII. de Lampsaco: Ἐντεῦθεν δὲ μετήνεγκεν Ἀγρίππας τὸν πεπτωκότα λέοντα Λυσίππου ἔργον. Ἀνέθηκε δὲ ἐν τῷ ἄλσει τῷ μεταξὺ τῆς λίμνης καὶ τοῦ Εὐρίπου. id est: *Illinc transtulit Agrippa leonem cadentem Lysippi opus. posuit vero in nemore, quod stagnum interjacet & Euripum.* Ammianus, puto, idem intellexit; *Inter quæ porticum excitavit ingentem lavacro Agrippæ contiguam, Boni eventus cognomine.* Lipsius.

5 *Cui superpositum convivium, navium aliarum tractu moveretur*] Vox, *navium*, à vulgatis aberat: recte enim subintelligi poterat. Sed cum in Flor. sit, negligenda non fuit. *Pichena.* Idem de Domitiano Plinius in cœlesti Panegyrico, ubi hujusmodi naves *religatas, revinctas*, & *quasi captas* vocat. *Itaque procul ab omni sono, inconcussus ipse & immotus, religato revinctoque navigio, non secus ac piaculum aliquod, trahebatur. Fœda facies, cum populi Rom. Imperator alienum cursum, alienumque rectorem, velut capta nave, sequeretur.* Boxhornius.

6 *Illustribus feminis completa*] Corrigo in hac sententia Suetonium cap. XXVII. *Insignes ganea & matronarum institoria copas imitantium*, legoque, *institoria*, pro locis ipsis. *Lipsius.*

7 *Et contra scorta visebantur*] Particula connectens, *&*, non est in volumine Bud. *Rhenanus.*

8 *Nudis corporibus*] Ita receptum in prostitutis, ut nudæ ostenderent quidquid sui. Juvenalis:

——— *tum nuda papillis*
Constitit auratis.

Lampridius Eligabalo: *Et cum ad meretrices habitu muliebri processisset, papilla ejecta.* Optime omnium Dio, in eodem monstro: Γυμνός τε αὐτὸς ἐπὶ τῆς θύρας αὐτοῦ ἑστὼς, ὥσπερ αἱ πόρναι, καὶ τὸ παραπέτασμα χρυσοῖς κρίκοις ἐξηρτημένον διασείων, τούς τε παριόντας ἁβρᾷ τε καὶ κατεαγυίᾳ τῇ φωνῇ προσεταιριζόμενος. Lipsius.

9 *Et postquam tenebræ incedebant*] Malim, *incidebant.*

incedebant, quantum juxta nemoris, & circumjecta tecta, consonare cantu, & luminibus clarescere. Ipse per licita atque illicita fœdatus; nihil flagitii reliquerat, quo corruptior ageret, nisi paucos post dies uni ex illo contaminatorum grege, [1] cui nomen *Pythagoræ* fuit, in modum solennium conjugiorum denupsisset. [2] Inditum imperatori flammeum. [3] Visi auspices, dos, & genialis torus, & faces nuptiales:
384 [4] cuncta denique spectata, quæ etiam in femina nox operit. Sequitur clades, forte, an dolo principis incertum: nam utrumque auctores prodidere: sed [5] omnibus, quæ huic urbi per violentiam ignium acciderunt, gravior atque atrocior. Initium in ea parte Circi ortum, quæ Palatino Cælioque montibus contigua est. Ubi [6] per tabernas, quibus id mercimonium inerat quo flamma alitur, simul cœptus ignis, & statim validus, ac vento citus, longitudinem Circi corripuit. neque enim domus muni-

bant. Rhenanus. Atqui id ipsum Ryckius imputat ut Nicolai Heinsii. Qui potuit hoc fieri? quum illud *incedere* de tenebris tam bene sit illustratum in notis Paternis ad Livium 1, 57. *Jac. Gronovius.*

1 *Cui nomen Pythagora*] At Doryphorum vocat Suetonius, facitque eum Neronis libertum. Enimvero errare Tranquillum ajo, quoniam Doryphorus ante mortuus. Tacitus lib. XIV. *Eodem anno potissimos libertorum veneno interfecisse creditus est: Doryphorum, ut adversatum nuptiis Poppææ.* A Tacito etiam Dio stat. *Lipsius.*

2 *Inditum Imperatori flammeum*] Flammeum genus est vestimenti lutei coloris, quo nova nupta boni ominis causa amiciebatur. Martialis, *Præluxere faces, velarant flammea vultus.* Qui versiculus à me de industria citatus est, quia plurimum facit ad intelligendum quod sequitur, cum facium nuptialium hoc loco Tacitus mentionem facit. tæda enim nuptialis novæ nuptæ præferebatur. Virgil. *nec conjugis unquam Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni.* Lupanus. *Flammeum*, quo plerumque capita matronæ tegerent, teste Nonio, fuit tegmen quo nova nupta amiciretur boni ominis causa, quod eo assidue utebatur Flamina, i. Flaminis uxor, cui non licebat facere divortium, ait Pompejus lib. 6. eratque lutei coloris, ut Plinius refert. 21, 8. *Vertranius.*

3 *Missi auspices duo*] E Sulpicio Severo, qui locum hunc transscripsit aperte, leg. videtur, *auspices, dos, & gen.* Melius etiam, *visi*, quam, *missi.* Verba Sulpicii: *Inditum Imperatori flammeum, dos & genialis torus, & faces nuptiales: cuncta denique quæ vel in feminis non sine verecundia conspiciuntur, spectata.* Victor de hac re: *Amictus nubentium virginum specie, palam Senatu, dote data, in manum convenit.* Sed & in Suetonio mentio dotis: nec hercle in his legitimis nuptiis omitti debuit. *Lipsius.*

Misit auspices duos] Sic in volumine Bud. legitur. Forte melius: *Visi auspices duo.* nam sequitur, *cuncta etiam spectata.* sive ut in scripto codice legitur, *aspectata.* Rhenanus. Alias, *missi auspices duo.* Ferrettus. Melius, *missi auspices duo:* hoc scil. sensu, Misit Pythagoraa libertus ad patronum Imperatorem semifœminam auspices duos, ex more solenni, qui à se starent, & ex parte viri liberti nuptiarum auspiciis assisterent. Cæterum genialis torus facesque nuptiales, qui in honorem Ceseris solenniter præferrentur, & solennia cætera aspectata. Beato magis placet, *visi auspices duo:* quod mihi perinde est. *Vertranius.* Lipsius correxit ex Sulpitio Severo. quo nihil certius puto: nam Flor. etiam præ se fert veræ lectionis vestigium. qui habet: *Missi auspices d'os.* Pichena. Ut recte legendum vidit Lipsius, ita & Torrentius ad Sueton. Ner. 28, ex Sulpitio Severo. Sed & Florentinum suum adstipulari Pichena testatur. Merito ergo hæc lectio præfertur vulgatæ, *missi auspices duo.* Freinshemius. Mireris ita connivisse Pichenam in notanda codicis Medicei scriptura vocis *misit*, quæ clare ibi exstat. Sed quæ nullam habet in isto loco partem, jam sic antiquitus obscurata Taciti manu, ut ipse Sulpicius Severus prætereat. Cujus causam conjicio esse, quoniam in isto Florentino sæpe non solent geminari eædem vocales, in quas desinit vox antecedens, & incipit vox sequens. Sic cap. 28. *Honorejus* pro *honore ejus.* cap. 48. *Luxu indulgere* MS. non *luxui.* Id frequens illic notavi, quamvis etiam sæpe aliter. Et hinc igitur de his verbis ac literis cogitans exsculpsi: *Inditum imperatori flammeum, instita, auspices, dos.* Notissima fæminarum instita etiam ad pedes tegendos. Vox ultima prave a typis excipitur, quæ in MS. ita formatur ꝺoſ, unde nonnulli inepte transferunt ad *duos*, tam utiliter quam Ryckius pro primo charactere ponit notam numeri octonarii. *Jac. Gronovius.*

4 *Cuncta denique spectata*] Manuscriptus liber, *cuncta etiam aspectata.* plusque est *aspectata* quam *spectata.* Verbum *aspectandi* lib. 1. usurpat, *Omnis, exuta æqualitate jussa principis adspectare.* Rhenanus. Danesius ex v. c. legebat, *aspectata.* Ursinus.

5 *Omnibus quæ huic urbi*] Parenthesi sublata conjunctionem *sed* inseruimus: *Sed omnibus quæ h. u. p. viol. i. acciderunt, gravius atque atrocius* Nova sententia est. subauditur, *id incommodum.* Rhenanus.

6 *Per tabernas, quibus*] Nam ibi, id est, in Velabro olearii. Plautus:

De compacto rem gerunt, quasi in Velabro olearii.

Ideo a Victore in regione XI. Circi maximi, locata

munimentis ſeptæ, vel templa muris cincta, aut quid aliud moræ interjacebat. Impetu pervagatum incendium, plana primum, deinde in edita aſſurgens, [1] & rurſum inferiora populando, anteiit remedia velocitate mali, & obnoxia urbe, artis itineribus, [2] hucque & illuc flexis, atque [3] enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit. [4] Ad hoc lamenta paventium feminarum, [5] feſſa ætate, aut rudis pueritiæ ætas, quique ſibi, quique aliis conſulebant, dum trahunt invalidos aut opperiuntur, pars morans, pars feſtinans, cuncta impediebant: & ſæpe dum in tergum reſpectant, lateribus aut fronte circumveniebantur: vel ſi in proxima evaſerant, illis quoque igni correptis, etiam quæ longinqua crediderant, [6] in eodem caſu reperiebantur. Poſtremo quid vitarent, quid peterent ambigui, complere vias, ſterni per agros: quidam amiſſis omnibus fortunis diurni quoque victus, alii caritate ſuorum quos eripere nequiverant, quamvis patente effugio, interiere. Nec quiſquam defendere audebat, crebris multorum minis reſtinguere prohibentium, & quia alii pslam faces jaciebant, atque eſſe

ſibi

cata ædes *Herculis Olivarii*. Sed & Thurarius vicus iſlic. Denique purpura, ſerica, aliæque merces. Martialis:

Nec niſi prima velit de Thuſco vellera vice. Lipſius.

1 *Et rurſus inferiora populando*] Particulam *&* delevimus. *Rhenanus.* Copulam, *&*, addidi ex Flor. *Pichena.*

2 *Hucque & illuc flexis*] Nec hoc loco codex manuſcriptus particulam *&* habet. Opinor Tacitum ſcripſiſſe, *huc illuc flexis*, quemadmodum alibi ſæpe loquitur. Lib. 1. *Sed exterruit Cæcina huc illuc ferens arma.* lib. 4. *Sed perſequi incertum fuit, quum ex uſu temporis huc illuc mearent.* Rhenanus.

3 *Enormibus vicis*] Livius lib. v. poſt Gallicum incendium, id excuſat. *Feſtinatio curam exemit vicos dirigendi, dum omiſſo ſui alienique diſcrimine, in vacuo ædificant.* & addit, *formam urbis eſſe occupatæ magis, quam diviſæ ſimilem.* Lipſius.

4 *Ad hæc lamenta paventium feminarum*] Scripſimus *Ad hoc* qua voce etiam alibi utitur. *Rhenanus.*

5 *Feſſa ætate aut*] Sentio corruptionem, & amolior: *Feſſa, aut rudis pueritiæ ætas*, ſuperfluenti voce inducta. Deſcribit in incendio infirmi ſexus pavorem, & ætatis. Ætas infirma duplex, Pueritia, Senectus. Hanc noſter vocat Feſſam. ſupra lib. xiv. *Si quos imbellis ſexus aut feſſa ætas attinuerat.* lib. 1. Hiſtor. *Feſſa jam ætate Galba.* lib. 1. Annal. *An Auguſtum feſſa ætate toties in Germaniam commeare potuiſſe?* Lipſius.

Feſſa ætate ſenes, aut rudis pueritiæ ætas &c.] Ita ex v. c. legendum. In vulgatis deeſt verbum *ſenes.* Urſinus. Quam aperte ſenes deſignaſſet ſi ſic dixiſſet *feſſa annis, aut rudis pueritiæ ætas.* Idem autem ſunt *ætas feſſa ætate* & *ætas feſſa annis.* Scil. ſeniores. Virgil. 3. Georg. *At tribus exactis cum quarta ac ceſſerit ætas, Carpere mox gyrum incipiat.* Fit igitur mentio de feminis, de ſenibus, & de pueris, quippe qui infirmiores ſint. Vel recenſentur feminæ ſeniores tantum, *feminarum feſſa ætate*, & pueri: ſequiturque Homerum noſter, qui ſenes etiam prætermiſit. *αἴ κ᾽ ἐλεήσῃ Ἄστυ τε, καὶ Τρώων ἀλόχους, καὶ νήπια τέκνα.* i. *ſi forte miſereatur civitatis & conjugum Trojanorum & infantium puerorum.* Ad ultimum *ætas* tam brevi repetita intervallo caſtigationes allicere non debuit: nam de ſuo loco ſimilia non deceſſere. Curt. lib. 3. *Contra ſi quis aciem Macedonum intueretur, diſpar acies erat.* Neque hæc. Plaut. Trinum. *nam ego talentum mutuum Quod dederam, talento inimicum mihi emi, amicum vendidi.* Multo minus hujuſmodi Sueton. Aug. 28. *Dubium eventu meliore, an voluntate, quam voluntatem.* Salinerius. Delet Lipſius vocem, *ætate:* quæ ſi non ſupervacua, ſaltem vitioſa. Ego ſi librum auctorem haberem, libenter reſtituerem, *feſſa annis aut rudis pueritiæ ætas.* Certe ſimilis aliqua vox requiritur, quæ voci *pueritiæ*, reſpondeat. Rhenanus etiam ad librum 1. Hiſtor. *feſſa jam ætate Galba:* corrigendum ſuadet, *feſſa annis ætate Galba.* Pichena. Senſit corruptionem Vir doctiſſ. & amoliri ſategit ſuperfluenti voce inducta. At videſis an concinnius ita ſubvenerimus; *feſſa ætas, aut rudis pueritia.* pingue enim neſcio quid ſonat *ætas pueritiæ:* deinde iſta trajectio *feſſa* &c. *ætas*, haud placet, nec Taciti genium reſipit. *Freinshemius.* Sed his divinationibus finem imponi ab optimo Agricolæ codice pronunciat Cl. Ryckius, inde proferens *feſſa ſenum ac rudis pueritia ætas.* Suppono illum dictionis Taciti gnarum. Sed non intelligo, quemadmodum iſta putet illi convenire. Aut ipſum aut Agricolam ſic ſcripturos non moror. Sed Tacitus tantopere varietati adhærens, quomodo ad tam humilem Syntaxin ſit venturus, non capio, nec unquam putabo. Hæc varietas clariſſime patet in vulgato, ſi modo vocem *ætas* deleveris, quæ haud dubie ab alio adſcripta, *lamenta paventium feminarum, feſſa ætate, aut rudis pueritiæ, quique* &c. Primo diſtinguit ſexus, & quidquid eſt muliebre cujuſcunque ætatis; ut 1. Hiſt. 80. *Senes feminæque.* Tum virilis ſortis duos extremos & invalidos terminos ponit. Subintelligit *feſſa ætate* virorum. Unde etiam non deſino indicare mox in MS. Mediceo legi *pars morâ, pars feſtinans.* Jac. Gronovius.

6 *In eodem caſu reperiebantur*] Aut delendum eſt

τὸ

39 sibi auctorem vociferabantur; sive ut raptus licentius exercerent, seu jussu. [1] Eo in tempore Nero Antii agens, non ante in urbem regressus est, quam domui ejus, qua palatium & [2] Mæcenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret. Neque tamen sisti potuit, quin & palatium & domus & cuncta circum haurirentur. Sed solatium populo exturbato & profugo, campum Martis ac [3] monumenta Agrippæ, hortos quin etiam suos patefecit: & subitaria ædificia exstruxit, quæ multitudinem inopem acciperent: subvectaque utensilia ab Ostia, & propinquis municipiis; [4] pretiumque frumenti minutum, usque ad ternos nummos. Quæ quamquam popularia, [5] in irritum cadebant, quia pervaserat rumor; *ipso tempore flagrantis urbis*, [6] *inisse eum domesticam scenam, & cecinisse Trojanum excidium, præsentia mala vetustis cladibus assimilan-*
40 *tem.* [7] Sexto demum die apud imas Esquilias finis incendio factus, [8] proruptis per immensum ædificiis, ut continuæ violentiæ campus, & velut vacuum cœlum occurreret. [9] Nec dum posito metu, [10] redibat levis rursum grassatus ignis, patulis

magis

rò etiam ut fit, *illis quoque igni correptis, quæ longinqua crediderant*; aut scribendum; *reperiebant*, hoc sensu: Illi ipsi, qui evaserant in proxima, quæ tuta putabant, ubi viderunt se frustra gavisos & instare ignem, properarunt ulterius ad quæ non accessurum periculum certe persuasum habebant: sed illa quoque correpta flammis reperiebant. *Gronovius.*

1 *Eo in tempore Nero*] Connectam horum verborum sensus hoc modo; *Eo enim tempore.* causam reddit, cur suspicari quis possit jussum à Nerone incendium. *Grotius.*

2 *Mæcenatis hortos continuaverat*] Horti Mæcenatiani in Exquiliis. Bis autem à Nerone ædificata domus, producta ad Exquilias ipsas. Suetonius, *Domum à Palatio Esquilias usque fecit. quam primo Transitoriam, mox incendio absumptam restitutamque, Auream nominavit.* Priorem ergo nunc intellege. *Lipsius.*

3 *Monumenta Agrippæ*] Quæ plura in eo campo. Vide Dionem LIII. *Idem.*

4 *Pretiumque frumenti minutum*] Apparet ergo non plane gratuitum frumentum fuisse: nisi tamen intellegit de eo, quod supra annonarium modum supraque menstruam tesseram capiebant. Sane & antea mentio pretii fuit; *Frumenti pretio nihil additum est, quamvis ducentas ferè naves*, &c. itemque post hoc libro: *Addiditque militibus sine pretio frumentum, quo antea ex modo annonæ utebantur.* Hæc autem ratio conciliandi favoris, pulchre & ex sui sæcli ritu descripta Lucano lib. III. in Julii persona:

Quoque modo vanos populi conciret amores:
Gnarus, & irarum caussas, & summa favoris
Annona momenta trahi. namque asserit urbes
Sola fames, emiturque metus, cum segne potentes
Vulgus alunt. nescit plebes jejuna timere. Idem.

5 *In irritum cadebant*] Codex Budensis, *irritum cadebant.* Sic infra: *Dum merita erga Neronem sua, & quam irritum cecidissent, aperit.* At utrobique legitur in vulgatis editionibus, *in irritum.* Rhenanus.

6 *Inisse domesticam scenam*] Incendium Nero è summo Palatii loco, quæ Mæcenatiana turris erat, cum hortis addita Palatio, dum populus ingemisceret, lætus flammæ (ut ajebat) pulchritudine prospexit, excidiumque Ilii, ut ipse dicebat, vel potius urbis Romæ, uti videbatur, in illo suo scenico habitu decantavit. In quo Tranquillus Xiphilinusque consentiunt. *Vertranius.*

7 *Sexto demum die*] At Suetonius ait, sex dies septemque noctes ea clade sævitum. Uterque longe abit à lapide prisco, qui novenos commemorat dies, Romæ ad Basilicam Petri,

EX. VOTO. SVSCEPTO. QVOD. DIV.
ERAT. NEGLECTVM. NEC. REDDITVM.
INCENDIOR. ARCENDORVM. CAVSSA.
QVANDO. VRBS. PER. NOVEM. DIES.
ARSIT. NERONIANIS. TEMPORIBVS.
ET. HAC. LEGE. DEDICATA. EST. NE.
CVI. LICEAT. INTRA. HOS. TERMINOS.
ÆDIFICIVM. EXTRVERE.

Conciliari facile noster potest, quia mox addit ignem rediisse. Primum ut incendium sex dierum fuerit; alterum, trium. Suetonium, aut lapidem certe non excuso. *Lipsius.*

8 *Proruptis per immensum ædificiis*] Lege omnino *prorutis.* de quo verbo diximus. Incendium *prorumpit*, & mare *proruptum* & similia: sed ædes *proruuntur*, ut incendium ruina exstinguatur. *Gronovius.*

9 *Nec dum posito metu satis credebatur, cum levis*] Reposuimus, *Nec dum posito metu, redibat. Levis rursum grass. ignis.* Rhenanus. Muretus: *Necdum posito metu satis credebatur, cum rursum gr.* sed major hæc licentia, quam ut probanda. Malim transponere: *Nec dum posito metu, redibat ignis, rursumque grassatus, levius, & patulis magis urbis locis.* Acidalius. Punctum in vulgatis apponitur post verbum, *redibat.* Ego nihil in verbis mutare ausus, aliam distinctionem ad quorundam Manuscriptorum exemplum reposui, *Nec dum posito metu redibat levis rursum grassatus ignis*, quæ fortasse aliquid sensus habent. Sed potius majora vitia subesse crediderim: nam mire turbant hic libri veteres. Nostrorum varias lectiones subjiciam, si quis forte eli-

cere

magis urbis locis, eoque strages hominum minor. delubra deum, & porticus amœnitati dicatæ latius procidere. Plusque infamiæ id incendium habuit, [1] quia prædiis Tigellini Æmilianis proruperat. [2] Videbaturque Nero condendæ urbis novæ, & cognomento suo appellandæ gloriam quærere. [3] Quippe in regiones quatuordecim Roma dividitur: quarum quatuor integræ manebant, [4] tres solo tenus dejectæ: septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant, lacera & semiusta. Domuum, & 41
insularum, & templorum, quæ amissa sunt, numerum inire haud promptum fuerit: sed vetustissima religione, quod [5] Servius Tullius Lunæ, & Magna ara fanumque quæ [6] præsenti Herculi Arcas Euander sacraverat; ædesque Statoris Jovis vota Romulo, Numæque regia, & delubrum Vestæ cum penatibus populi Romani exusta. Jam opes tot victoriis quæsitæ, & [7] Græcarum artium decora, exin [8] monimenta ingeniorum antiqua & incorrupta, quamvis in tanta resurgentis urbis pulchritudine,

[1] multa

cere inde possit certius aliquid. Flor. corruptissime: *Nec dum p' metus aut redibat libis. l. sum grassatus ignis.* Venetus: *Nec dum posito metu satis credebatur, cum levis rursum grassatus ignis.* Pichena.

10 *Redibat.* * *Levis*] Insussi notam. tamen legi potest, sententia incolumi: *redit, at levius rursum grassaturus ignis.* Lipsius.

1 *Quia prædiis Tigellini Æmilianis proruperat*] Sueton. Claud. 18. *Quum Æmiliana pertinacius arderent.* Videnda quæ scripsimus ad verba illa Varronis ex lib. 3. de re rustica (*Qui habitant extra portam Flumentanam, aut in Æmilianis,* &c.) ubi inscriptionem etiam protulimus, quæ apud me est in ænea tabella, *De navi oneraria, quæ servit in Æmilianis.* Ursinus. Mirum sane est, Æmiliana, è quibus prorupit incendium sub Nerone, etiam Claudio imperante, arsisse, teste Suetonio c. 18. Ita autem appellata existimandum ab Æmiliorum familia, quæ ab Æmilio Pythagoræ philosophi ortum duxit, cui propter eximiam humanitatem, quam αἱμυλίαν Græci vocant, cognomen inditum ex Plutarcho in Numa, & Paulo Æmilio, & Festo, lib. 1. unde per y scribendum contendunt. Quamvis alii dixerint, ita gentem hanc vocatam ab *Æmilia*, Italiæ regione, unde ortum duxit, ideoque per *i* scribunt. Verum quicquid sit, manifestum est, ab hac familia Romæ potentissima, & viris præclarissimis insignita, *prædia Æmiliana* dicta, sicuti & *Vicus Æmilianus*, qui fuit in regione urbis septima Via Lata, ut Rufus docuit; sicuti & *Tribus Æmilia*, & *Æmilia via* quæ à Placentia Ariminum usque producta fuit ab Æmilio Consule. *Marcellus Donatus.*

Tigellini Æmilianis] Puto legendum *in Æmilianis.* Æmiliana enim locus extra urbem, ad campum Martium, conjunctus tamen continensque urbi. Varro lib. III. De Re rust. *Eorum ædificia qui habitant extra portam Flumentanam, aut in Æmilianis.* Sueton. Claudio cap. XVIII. *Cum Æmiliana pertinacius arderent.* Est tamen in ipsa urbe & vicus Æmilianus regione VII. nominatus Sex. Rufo. *Lipsius.*

6 *Videbaturque Nero*] Sulpicius Severus lib. II. Sac. Histor. mutuatus hoc est à Tacito: *Sed opinio omnium invidiam incendii in Principem retorquebat, credebaturque Imperator gloriam innovandæ urbis quæsisse.* Lipsius.

7 *Quippe in regiones* XIV. *Roma dividitur*] Convenit hoc cum aliis Scriptoribus, & antiqua etiam inscriptione, in qua est: MAGISTRI. VICORVM. VRBIS. REGIONVM. XIIII. *Ursinus.*

8 *Tres solo tenus dejecta*] Regiones dejectas non apte, credo, dixeris; veriusque hic forte sit, *detecta*, ut solo tenus denudatas dicat, cui sequentia pulchre respondent: *Septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant, lacera & semiusta.* Acidalius. MS. Mediceus: *semnsta.* Jac. Gronovius.

9 *Ser. Tullius Lunæ*] Templum Lunæ in Aventino reperio; apud Livium lib. XL. *Forem ex æde Lunæ quæ in Aventino est raptam tulit,* &c. Rufus in regione XII. *Templum Lunæ in Aventino magnum.* Ovidius:

Luna regit menses. hujus quoque tempora mensis
Finit Aventino Luna colenda jugo.

Suspicabar de Lua matre antea: sed falso. *Lipsius.*

1 *Præsenti Herculi*] *Præsentem* hic accipio, ipsius Herculis cognomen. *Pichena.* Non putem ipsius Herculis cognomen hic esse *præsentem*, ut volebat Vir Eruditus, sed sensum esse Euandrum aram istam Herculi consecrasse ipso coram. Hercule enim præsente ara ista consecrata fuit, immo ipse Hercules eam sibi consecravit, si credimus Ovidio Fastorum 1. qui sic de Hercule:

& Evandrum ruricolasque vocat.
Constituitque sibi, quæ Maxima dicitur, aram,
Hic ubi pars urbis de bove nomen habet.

Hoc est in Foro Boario. Euandrum tamen aram istam construxisse, non Herculem, cum nostro sentit Dionysius Halicarn. 1, 40. *Freinshemius.*

2 *Græcarum artium decora*] Statuæ, & tabulæ magnorum artificum. *Lipsius.*

3 *Monimenta ingeniorum*] Libri veterum scripti, multi ab ipsis auctoribus: qui in privatis aut publicis Bibliothecis perierunt. O justam querelam! & si tunc, quid nunc post Barbaros dicam? Jure laboramus in restituendis. *Lipsius.*

[1] multa seniores meminerant, [2] quæ reparari nequibant. Fuere qui annotarent, [3] quartodecimo Kalendas Sextiles principium incendii hujus ortum, [4] quo & Senones captam urbem inflammaverant. alii eo usque cura progressi sunt, ut [5] totidem
42 annos mensesque & dies [6] inter utraque incendia numerent. [7] Ceterum Nero usus est patriæ ruinis, exstruxitque domum, in qua haud perinde gemmæ & aurum miraculo essent, solita pridem, & luxu vulgata; quam [8] arva & stagna, & in modum solitudinum hinc silvæ, inde aperta spatia, & prospectus: magistris & machinatoribus Severo & Celere, quibus ingenium & audacia erat, etiam quæ natura denegavisset, per artem tentare, & viribus principis illudere. Namque [9] *ab lacu Averno navigabilem fossam usque ad ostia Tiberina depressuros* promiserant, [10] squalenti littore, aut per montes adversos. neque enim aliud humidum gignendis aquis occurrit, quam Pomptinæ paludes: cetera abrupta, aut arentia: ac si perrumpi possent, intolerandus

1 *Multa seniores meminerint*] Castigavimus, *meminerant*. Rhenanus. Vulgo, *meminerant*. Rectius ex Flor. *meminerint*. nam de suo tempore Tacitus loquitur, & de senioribus, qui tunc vivebant, viderantque Romam ante Neronis incendium. *Pichena.*

2 *Quæ reparari nequibant*] Videndum an legi debeat, *reperiri*, pro eo, quod est in vulgatis, *reparari*. Ursinus.

3 XIV. *Kal. Sextiles*] Satis mirus ille dierum concursus & convenientia, & ab arcanis Providentiæ caussis. Sicut & in templo Hierosolymitano Josephus notat, lib. VII. Excidii, *eodem mense & die à Tito incensum, quo olim à Babylonio rege fuisset.* Quis autem proprie ille dies Romani incendii? notatur à Tacito *Decimusquartus Kal. Sextilium.* sed cum manifesto errore vel librarii, vel ipsius potius, ut vult vir doctissimus in Temporum emendatione. *Nam omnes veteres*, inquit, *incendium illud evenisse non XIV. sed XVI. Kalend. Sextilis tradunt.* Fateor miratum me cum legerem, & Taciti caussa sedulo inquisivisse. Sed profecto omnis me ratio fugit, aut hic virum illum magnum: & à capite rem inquisivi in Excuas. A. *Lipsius.*

XIV. *Kal. Sextiles*] Pro eo Livius lib. 6. habet, XV. *Kal. Sept.* Ursinus.

4 *Quo & Senones*] Forte, *& quo Senones capt. urbem insl.* Ursinus. Certe hic ordo vocum exstat in MS. Mediceo. *Jac. Gronovius.*

5 *Totidem annos mensesque*] Tricæ curiosorum hominum, quas non extrico. Computem ab urbe condita? dispar ratio. A Troja incensa? æque dispar. Facile collectu tibi ex Fastis. Ut mihi nunc videntur, tenebræ sunt, quas non illustret ipse Phœbus. *Lipsius.*

Ut totidem annos mensesque] Colligebant enim, tot annos interfuisse inter urbis instaurationem, & incendium hoc, quantum interfuit ab urbe condita incendium ejus ab Senonibus factum. *Ferrettus.* Sed Cephaloni Gergithio, Demagoræ, Agathyllo, Damasthi Sigeensi, Aristoteli, Calliæ, Agathocli, Xenagoræ, Dionysio Chalcidensi, Antiocho Syracusano, Timæo Siculo, Polybio, L. Cincio, & M. Porcio Catoni, Crispo Sallustio, Vellejo Paterculo de initiis urbis Romæ non convenit: (nam antiquitas creavit errorem, ait Servius) de illo tamen Halicarnassei lib. I. Originum superstes est diligentissima disquisitio. Verum apud & illum & Livium in hoc consentiunt auctores, ne plures trecentis sexaginta quinque annis à condita ad incensam à Gallis urbem numerentur, quo tempore reædificata Roma est: exinde vero ad incendium jussu Neronis factum, unum quinquaginta & quadringentos annos reperias. Quamobrem de vetustioribus quot supersunt auctores, tot misere lapsos aut necesse est dicere, aut posteris imponere voluisse, qui totidem annos, menses & dies inter utraque incendia se reperisse prodiderunt. *Vertranius.*

6 *Inter utraque incendia numerent*] Potius *numerarent*. Acidalius.

7 *Ceterum Nero usus est patria ruinis*] An, materiam & lapides privatarum domuum, quæ dirutæ erant, ad usum suæ novæ domus vertit? Fortasse, sed non hic præcipuus hujus loci sensus. immo potius super ipsas urbis ruinas spatiosius solum complexum, ut longe ampliorem domum quam antea fuerat, ædificaret: cum & arva, & stagna, & silvæ in ea contineri deberent. *Pichena.*

8 *Arva & stagna*] Suetonius cap. XXXIV. & Martialis magis distincte loca ipsa describens lib. I. epig. II.

Hic ubi conspicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.
Hic ubi miramur velocia munera thermas,
Abstulerat miseris tecta superbus ager.

Lipsius.

9 *Ab lacu Averno*] Plinius lib. 14. *Antea Cæcubo erat generositas, quod jam intercidit, & incuria coloni locique angustia: magis tamen fossa Neronis, quam à Bajano lacu Ostiam usque navigabilem inchoaverat.* Lipsius.

10 *Squalenti litore*] Id est arido, sine arboribus, aut frondibus, aut herbis, & nedum aqua, omni prorsus carens humiditate. *Pichena.*

1 *Effo-*

dus labor, nec satis caussæ: Nero tamen, ut erat incredibilium cupitor, [1]effode-
re proxima Averno juga connixus est: manentque vestigia irritæ spei. Ceterum 43
urbis [2] quæ domui supererant, non ut [3] post Gallica incendia, nulla distinctione,
nec passim erectæ; [4] sed dimensis vicorum ordinibus, & latis viarum spatiis, [5] co-
hibitaque ædificiorum altitudine, ac patefactis areis, additisque porticibus, quæ
frontem insularum protegerent. *Eas porticus* Nero *sua pecunia exstructurum, purga-
tosque areas dominis traditurum*, pollicitus est. Addidit præmia pro cujusque ordine,
& rei familiaris copiis: finivitque tempus, intra quod effectis domibus aut insulis,
apiscerentur. *Ruderi accipiendo* [6] *Ostienses paludes* destinabat, *utique naves* [7] *qua fru-
mentum*

1 *Effodere proxima Averno juga connixus est*] Codex Budensis, *enisus est*. Forte, *annisus est*. Rhenanus.

2 *Qua domus supererant*] Pugnat in se sententia. Si enim supererant, quomodo erectæ? quod in dirutas incensasque convenit. Putarim legend. *qua domus perierant*. Lipsius.

Qua domus supererant] Sic interpretari possunt. Nero usus ruinis decem regionum, excitavit immanem illam domum, de cujus spatio Sueton. Ner. 31. Vestibulum ejus fuit in quo colossus cxx. pedum staret, tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet; item stagnum maris instar circumseptum ædificiis ad Urbium speciem. Et versus:

Roma domus fuit: Vejos migrate Quirites.
Si non & Vejos occupat ista domus.

Quidquid itaque ruinarum superfuit tam laxæ domus ædificationi, Nero ad normam & dimensionem novis domibus explevit. *Salinerius*. Recte vitium loci vidit Lipsius; pugnat enim in se omnino sententia: nescio an & medicinam. legit, *qua domus perierant*. At convenienter dixeris, easdem quæ perierant erectas fuisse, quod in prima editione Lipsius post priorem conjecturam suam hisce verbis innuit: Nisi tamen placet Neronem etiam stantes domus omnes diruisse & rursus erexisse. Itaque potius est, ut paucula verba, post verbum *supererant*, desint: in hanc forte sententiam: *Ceterum urbis qua domus supererant dirusa, aliaque* (sive *novaque*) *non ut post Gallica* &c. Dirutas quæ superfuissent, inde suspicere: quia si mansere, videntur impediisse dimensos illos vicorum ordines, obstitisse etiam alicubi latis viarum spatiis: ut non ad mensuram & composite urbs tota, quod Tacitus innuit, ædificari potuerit. *Acidalius*. Nonnihil dubitaveram, an illud, *supererant*, quodammodo respiceret verbum, *erecta*. id est, postquam Nero suam domum extruxit, erectæ fuerunt urbis domus, quæ erigendæ supererant. Nuper autem doctissimi Salinerii acuta interpretatio mihi valde arridet: ideo sic à Tacito dictum, quia tam immensa fuit nova Neronis domus, ut totam fere urbem complecti, ac paucæ admodum privatorum domus, sive domuum ruinæ, superfuisse viderentur. *Pichena*. Nihil me movet acuta Salinerii interpretatio, quin verissimam censeam emendationem Lipsii, quam etiam in textum recipere ego non dubitassem. *Freinshemius*. At movere debuit, & movisset, opinor, si paullo explanatius tradita fuisset. Quod videndum, an possimus assequi. Hoc dicit Tacitus: Ceterum domus in locis, quæ urbi post tantum spatii detractum & regia sua immensa occupatum reliqua fecerat Nero, ædificatæ, non ut &c. Tanta parte recisa, quæ supererant struendæ domus urbis, seu quibus urbs conseretur & habitaretur, non erectæ &c. Posset & *urbi* legere: sed necesse non est. *Gronovius*. Potuit nempe subodorari deesse in his tertium casum. Sed eum non in hac voce quærere debuit, verum in altera voce, quæ huc usque in editionibus legitur *domus*, corrupte, idque quum in MS. Mediceo habeatur clare *domui*, ut notavi, & in qua rectissime judicavit Cl. Ryckius, jam tacens de suo. Sed vetustatis magna est fides. *Jac. Gronovius*.

3 *Post Gallica incendia*] Tum promiscue urbs ædificari cæpta, & festinatio curam exemit vicos dirigendi, dum omisso sui alienique discrimine, in vacuo ædificaverunt. inquit Livius lib. 5. extremo. *Vertranius*.

4 *Sed dimensis vicorum ordinibus*] In codice Budensi legitur, *diversis ordinibus*: hoc est, *separatis*. Sic infra: *Et diversi interrogantur*. Rhenanus.

5 *Cohibita ædificiorum altitudine*] Quod jam ante Augustus fecerat eadem fini: id est, ad incendia arcenda, & maxime ruinas. Strabo l. 5. *Πρὸς δὲ τὰς συμπτώσεις τὰ ὕψη τῶν καινῶν οἰκοδομημάτων καταβαλὼν, καὶ κωλύσας ἐξαίρειν ποδῶν ὁ τὸ πρὸς ταῖς ὁδοῖς ταῖς δημοσίαις.* Sed & ante Augustum Rutilius orationem dixerat, De modo ædificiorum. Et Augustus quidem pedes LXX. tollere permisit; Trajanus dumtaxat LX. ut notat Sex. Aurelius. qui modus fortasse & Neronianus fuit. *Lipsius*. Cæterum MS. Mediceus: *cohibitaque*, tanquam singula ædificandi capita per copulativas distinxisset. Quod quisquis observaverit, videbit congruere lenissime: sed erratica manus eam hinc abstulit, & voci *eas* adnexuit, ubi nulla debet esse ex indicio ejusdem libri MS. ut nunc & ipse restitui non solum in hac parte, sed etiam in verbo *apiscerentur*, quod legas in unico Mediceo, quum omnes alii, etiam Ryckianus, habeant *adipiscerentur*. Certe prægravat omnia unum exemplar, quod est Florentiæ. *Jac. Gronovius*.

6 *Hostienses paludes destinabat*] Forte melius *destinavis*. Pichena.

7 *Qua frumentum Tiberi subvecta essent*] Emendavimus,

mentum Tiberi subvectassent, onusta rudere decurrerent. Ædificiaque ipsa certa sui parte, sine trabibus, [1] *saxo Gabino* [2] *Albanove solidarentur* : quod is lapis ignibus impervius est. *Jam aqua* [3] *privatorum licentia intercepta,* [4] *quo largior & pluribus locis in publi-*

vimus, *utque naves qua frumentum Tiberi subvectassent*. Rhenanus. Flor. & alii veteres, *subvecta essent*. Pichena. De aliis illis veteribus nihil queo dicere. Sed quod attinet codicem primarium Florentiæ, in eo liquide scribitur *subvecta essent*, forsan ex consuetudine quam notavi, ne vocalis *e* iteraretur in fine participii & principio τῦ *essent*. Sed quum vitium in his sit nimis apertum, quam ut supponatur non esse animadversum vel ab ipso descriptore vel postea ab lectore, suspicor fuisse in hac parte aliquid sordium, quæ infecerunt membranam post literam *a*, ut sequenti reliquerit vacuum, & repetiverit scripturam ab vocali *e*, ut faceret verbum bonum *essent*, quum ex illa prima litera nihil nisi tenuem literam videret; adeo ut in primævo fuerit *subvectavissent*. Omnino quum scripserit 6, 14. *Quanto majorem rei frumentariæ copiam advectaret*, nequit supponi aliter in hoc composito egisse. Sed & contrarium exemplum vide 15, 10. Cæterum idem MS. codex habet *utique*, quod attente exhibuit Beroaldus jam in prima editione, & nunc revocavi similiter. *Jac. Gronovius.*

1 *Saxo Gabino Albanoque*] Eadem vis Sabino lapidi tributa ab Isidoro lib. 16. *Savinus lapis*, inquit, *fuscus addito oleo etiam lucere fertur. Est & quidam viridis lapis vehementer igni resistens.* Sed corrigo, *Gabinus*, e Strabone: Γάβιοι μὲν ἐν τῇ Πραινεστινῇ ὁδῷ κειμένη λατόμιον ἔχουσι ὑπουργὸν τῇ Ῥώμῃ μάλιστα τῶν ἄλλων. id est. *Gabii in via Prænestina urbs, latomias habet, quibus non aliæ utibiliores Romanis.* De his similibusque lapidibus imperviis igni, vide Vitruvium lib. II. cap. VII. *Lipsius.* Confundit cum saxo è lautumiis Gabinis lapidem Sabinum & perperam apud Isidorum hunc in illud commutat. Lapis Sabinus è silicum genere fuit, & propterea non sic aptus ædificiis. Clare Plinius lib. 36. c. 18. è quo transcripsit Isidorus: *Varro tradit Sabinum silicem fuscum addito oleo etiam lucere.* Altera verborum Isidori pars de lapide viridi itidem è Plinio est l. d. c. 22. *Reinesius.* Sed, ut edidimus, legitur in vetustissimo Medic. non *Albanoque*, ut vulgo negligenter, a quo crimine tamen abest Beroaldus, qui in editione prima recte antecesserat. *Jac. Gronovius.*

2 *Quod is lapis ignibus impervius est*] Correxi, *Quod is lapis igni imper. est.* Rhenanus. Flor. & alii veteres, *ignibus*, sed non muto. *Pichena.* Et cur non? quum intelligas ita scripsisse Tacitum. *Jac. Gronovius.*

3 *Privatorum licentia*] Livius 31. *Aquam publicam omnem in privatum ædificium aut agrum fluentem ademerunt.* nempe Censores. l. 1. §. 7. D. Ne quid in Fl. *Plerosque scio prorsus flumina avertisse alveosque mutasse, dum prædiis suis consulant.* Adde Plinium lib. 26, 15. Martial. 9, 19. l. 2. D. de extraord. crim. *Aurelius.*

4 *Quo largior in publicum flueret, custodes &c.*] Faernus addebat particulam, *ut*, ad sensum necessariam, legebatque: *Ut custodes, & subsidia reprimendis ignibus, in propatulo quisque haberet.* Ursinus. Credamne ego quemlibet custodes in propatulo una cum aliis subsidiis habere debuisse? Et huic fini, ut largior in publicum flueret unda? Minime vero. Conjiciebat igitur: *siphones & subsidia:* Plinius ad Trajan. *Nullus usquam in publico sipho, nulla hama, nullum denique instrumentum ignibus compescendis.* Hesychius: Σίφων, ὄργανον εἰς πρόσεσιν ὑδάτων ἐν τοῖς ἐμπρησμοῖς. Ulpianus in l. 12. §. 18 D. de instruct. *Acetum quoque, quod exstinguendi incendii causa paratur, item centones, siphones, pertica quoque & scala.* Zinzerlingus. L. *intercepta est restituta, quo pluribus locis in publicum flueret: Custodes & subsidia.* Custodes, familiæ, de quibus l. 1. D. de Officio Præf. Vigilum. *Aurelius.* Vitiosa distinctio totum locum corrupit, ansamque non nemini præbuit inferendi spurium istud *quo*, explendæ, ut putabatur, sententiæ. Sed eo nihil opus. vides omnes istas leges tum aut repertas, aut repetitas ita nude concipi: *ædificia solidarentur; aqua flueret: custodes quisque haberet: ædificia muris ambirentur.* Sic ergo legendum arbitrer totum locum: *jam aqua privatorum licentia intercepta, largior & pluribus locis in publicum flueret: custodes, & subsidia* &c. Falso enim creditum est custodes ad præcedentia verba pertinere, appositosque fuisse aquæ, ut viderent ne qua interciperetur. *Custodibus* istis conjungenda sunt *subsidia reprimendis ignibus:* fuerunt enim servi qui insulas custodiebant propter latronum aut ignium motum qui ob hoc etiam *Insularii* vocabantur, de quibus vide Pignorium de servis pag 250. cui adde l. 16. §. 1. de usu & habitatione Etiam *subsidia reprimendis ignibus in propatulo habere*, de aqua intelligo in publico ante ædes collocanda, quod etiam nostro ævo fieri solet, ut id jubeatur; velut in hac urbe, quoties tempore nundinarum, ob peregrinorum multitudinem aut negligentiam, incendiorum casus metuuntur. Sic olim præfectus vigilum solebat, *ut curam adhibeant, omnes inquilinos admonere, ne negligentia aliqua incendii casus oriatur: præterea ut aquam unusquisque in cœnaculo habeat.* l. 3. §. 4. de off. præf. vig. *Freinshemius.* Corrigo: *custodias & subsidia.* Tria sunt firma remedia incendiorum, aquæ abundantius in publico fluentes, & ut quisque paterfamilias receptacula earum vel cisternas in propatulo ædium suarum haberet, denique proprii cujusque domus muri. Nam Lipsii interpretationem sequi non possum, qui per *custodes* intelligit dividiculos. Præterquam enim quod horum officium publicum fuit, non privatum, quis credat Neronem cuivis ædificio hoc onus addere voluisse, ut aleret hominem nulli alii rei intentum,

quam

publicum flueret; [1] *custodes, & subsidia reprimendis ignibus, in propatulo quisque habe-
ret: nec communione parietum, sed propriis quæque muris ambirentur.* Ea ex utilitate
accepta, decorem quoque novæ urbi attulere. Erant tamen qui crederent, *veterem
illam formam salubritati magis conduxisse, quoniam* [2] *angustiæ itinerum, & altitudo tecto-
rum non perinde solis vapore perrumperentur: at nunc patulam latitudinem, & nulla um-
bra defensam, graviore æstu ardescere.* Et hæc quidem humanis consiliis providebantur. 44
[3] Mox petita à diis piacula, aditique Sibyllæ libri, ex quibus supplicatum Vul-
cano & Cereri Proserpinæque, ac propitiata Juno per matronas, primum in Capi-
tolio, deinde apud proximum mare. unde hausta aqua, templum & simulacrum deæ
prospersum est; [4] & sellisternia ac pervigilia celebravere [5] feminæ quibus mariti
erant.

quam ut distribueret aquam exstinguendis incendiis aut eam duceret per diversas ædium partes. *Harlaus.* Mihi omnia hic sana & integra. *To ut* non requiro cum Faerno, quippe quod ex superiori, *utque naves*, intellectu repetam non ad hoc tantum. *custodes* accipio ἐπιτρόπους & procuratores, aquas publicas privatorum licentia intercipi prohibituros & eas uberiores crebrioresque præstituros: & ad hoc vocabulum subaudio ex sequente membro verbum *haberet. Aqua*, antehac *privatorum licentia intercepta* &c. *custodes haberet*, i. constituerentur ac præessent castellis & salientibus passim in publico certi homines, qui operam darent, ne tantum inde ducerent derivarentque in suum privati, ut partim siccarentur, alibi parum humoris ejacularentur. Habes in Lapidd. antiquis: *L. Varronio. L. F. Pal. Capitoni. scribæ. ædilicio.* &c. *curatori aquarum.* Item, *L. Cæsonius C. F. Quir. Lucillus. Macer. Rufinianus.* &c. *Curator. aquarum. & Minucia.* Item, *M. Granius. M. F. M. N. Cerdo. Cur. aquar. Allifis.* Denique paterfamilias. *quisque, in propatulo*, sive in vestibulis ædium, *subsidia reprimendis ignibus haberet*, hoc est, quodvis instrumentum incendiis compescendis; si non omnia singuli, ac nemo non aliqua & fere complura. *Gronovius.*

1 *Custodes*] Puto custodes istos, castellarios appellatos, quia dividiculis (uti veteres dicebant) sive castellis aquarum Præfecti. Lapis Romæ:

CLEMENTI. CÆSAR
VM. N. SERVO. CASTE
LLARIO. AQVÆ. CL.
AVDIÆ.

De castellis Hesychius, Vitruvius, Plinius, & Jurisconsulti, tit. De aqua quotidiana. Sed & ad tutelam aquarum familiæ publicæ institutæ: *quæ in aliquot ministeriorum species diducuntur, villicos, castellarios, curatores, silicarios, tectores, aliosque opifices*, ait Frontinus. quem in his vide *Lipsium.*

2 *Angustia itinerum, & altitudo tectorum*] Quæ tamen alia caussa improbantur Fabiano apud Senecam Controv. 219. *Tanta altitudo ædificiorum est, tantaque viarum angustia ut neque adversus ignem præsidium, neque ex ruinis ullam in partem effugium sit.* Freinshemius.

3 *Mox petita à diis piacula*] Deleo præpositionem: vult enim conquisita piacula sive sacrificia piacularia & sacra, quæ diis fierent. *Gronovius.*

4 *Lectisternia ac pervigilia*] Probe omnino *Lectisternia.* cum tamen in vet. Budensi & Flor. sit, *Sellisternia:* non nefas suspicari *Solisternia.* ut intelligat feminas, (receptissimo tunc ritu) corpora in humum abjecisse, ad aras deorum repsisse. Lucan. lib. II.

Hæ lacrimis sparsere deos, hæ pectora duro
Afflixere solo.

Statius:

——— *omnibus aris*
Illacrimat, signatque fores, & pectore terget
Limina.

Et in Livio, Polybio, Apulejo, exempla. *Lipsius.*

Et lectisternia ac pervigilia celebravere feminæ] Exemplar regium, *Sellisternia.* Rhenanus. Etiam Flor. habet, *Sellisternia*, ut Budensis. *Pichena.* Dolendum certe est, vel Valer. Chimentellium, insigne nuper loci sui decus, & nomen ob successionis jura mihi honoratum in Lycæo Pisano scribentem de honore Bisellii nescivisse, in Tacito occurrere ita oportunam conatibus ejus materiam, & hinc incomparabile exemplar Florentiæ non inspexisse, vel nostrum Ryckium alienum fuisse ab inspiciendo ejus scripto quod nominavi. Nam & hic vidisset omnia quæ affert ex Glossis & Festo, & Valerio Maximo præcepta & occupata fuisse; immo & præter illa quæ haberet, insignem *sellisternii* memoriam restare in Tertulliano, sed corrupte mutatam in *solisternia*; & ille opem quandam ex meditatione loci apud Tacitum nactus esset; certe non tamdiu anhelavisset, antequam colligeret ex similitudine lectisternii etiam *sellisternium habere* esse statuere aut componere Diis certis certisque locis sellas. Utrumque impediverunt fata. Porro autem, quum tam concors testificatio undique promanet, jocosum est omnes Taciti editores ita evitasse, ne suo vocabulo Tacitum ornarent, sed vulgare quid subjicerent de lectisterniis; præsertim vero mirum, qui Lipsius hoc quod illic profert & explicat, vocare potuerit *solisternium*, quum *sternere* illic non dicatur de abjiciendo in solum, ut solet fieri in lucta vel pugna, sed de apparando & inte-

erant. [1] Sed non ope humana, non largitionibus principis, aut deum placamentis, decedebat infamia, quin jussum incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, & quæsitissimis pœnis affecit, [2] quos per flagitia invisos [3] vulgus *Christianos* appellabat. Auctor nominis ejus Christus, [4] Tiberio imperitante, per procuratorem [5] Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaque in præsens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Judæam originem ejus mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt, celebranturque. Igitur [6] primo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, [7] haud perinde

gendo tapetibus ac stragulis assedili vel ut ipsa vox præbet, sella: Chimentellius ait sedium aut sellarum straturam, munusque aut rationem ejus sternendi; quasi nescivisset ab hoc facto etiam appellatum fuisse ipsum sellum, clare docente Tacito. Interim *lectisternia* & *solisternia* etiam voluit memorare Rigaltius in notis ad Minucium Felicem cap. 7. quam gavisurus, si potuisset hæc universa conjungere; hinc enim patet ab eo respici Tertullianum similiter jungentem. *Sellisternium* dicitur in Notis Tyronis & Senecæ pag. 164. Et valide hanc vocem commendat *lectisterniator* Plautinus, ut notum est. Cæterum quod & volo attendi & meretur, unde fit, ut in conspectissimo loco nulla habeatur vel ratio vel mentio codicis Ryckiani? Non aliunde videlicet, quod scriptor ejus jam semidoctus sed antiquæ vocis ignarus, maluit supponere Tacito illa frequenter apud Latinos occurrentia lectisternia, atque adeo hanc certissimam interpolationis notam agnoscas. Interim quanto plus de his lectisterniis sciverit Cl. Grævius, potes colligere ex notis ad Ciceronem de Haruspicum responsis cap. 27. abstinens, quod miror, non minus nunc ab advocanda Chimentellii industria, quam tomo septimo Thesauri Antiquitatum Romanarum in præfatione multa istius operis singularia recensens penitus omisit *sellisternia*. Jac. Gronovius.

5 *Femina quibus mariti erant*] Puto excidisse vocem, ut fuerit, *quibus uni mariti erant*. Eæ enim aliis gratiores creditæ quam quæ divortio aut viri morte alias nuptias erant expertæ. Vide Tertullianum de Monogamia. *Grotius*.

1 *Sed non ope humana*] Hæc, & quæ sequuntur, transcripsit iterum Sulpicius: *Neque ulla re Nero efficiebat, quin ab eo jussum incendium putaretur. Igitur vertit invidiam in Christianos, actæque in innoxios crudelissimæ quæstiones. quin & novæ mortes excogitatæ, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent. Multi crucibus affixi, aut flamma usti. Plerique in id reservati, ut cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur*. Lipsius.

2 *Quos per flagitia invisos*] Hic & mox quum pietatem Christianam *exitiabilem superstitionem* vocat, loquitur ut ethnicus, & mysteriorum nostræ religionis ignarus. *Rhenanus*.

3 *Vulgus Christianos appellabat*] Sive, *Chrestianos*, ut scripsere per inscitiam illi. Quod nomen ortum demum observo imperio Claudii extremo. Suidas: Ἐπὶ Κλαυδίου Βασιλέως Ῥωμαίων, Πέτρου τοῦ Ἀποστόλου χειροτονήσαντος Εὐόδιον ἐν Ἀντιοχείᾳ, μετονομάσθησαν οἱ πάλαι λεγόμενοι Ναζαραῖοι καὶ Γαλιλαῖοι, Χριστιανοί. Sed & Judæi appellati antea, quod frustra negitant quidam. Aperte Arrianus lib. 11. cap. 1x. Ὅταν τινὰ ἐπαμφοτερίζοντα ἴδωμεν, εἰώθαμεν λέγειν. Οὐκ ἔστιν Ἰουδαῖος, ἀλλ' ὑποκρίνεται. Ὅταν δ' ἀναλάβῃ τὸ πάθος, τὸ τοῦ βεβαμμένου καὶ ᾑρημένου, τότε καὶ ἔστι τῷ ὄντι καὶ καλεῖται Ἰουδαῖος. Ait, τοῦ βεβαμμένου. qui ergo tincti & baptizati, præter Christianos? Suetonius Claud. cap. xxv. *Judæos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit*. Lipsius.

4 *Qui Tiberio imperitante*] Illud, *qui*, à Flor. abest. & abesse salva sententia potest. *Pichena*. Sed tamen super appellationem *Tiberio* recens nuper manus inscripsit. Unde utique Pichena excusari nequit, quod videns clarissime falsam vocem contextui huic invectam, quasi per quam connexio fieret mollior, quæ est absurda opinio, eam non expulerit, Ryckio silente neqoaquam felicius. Omnino ejeci & distinxi, prout Tacitus voluerat. Justa videbis cap. 4. hujus libri. Ita certe lætor in loco, prout ab Huetio in Propositione 111. vocatur, commemorabili & mire stabilienti veritatem in Christianismo adoratam, aliquam meam opem in eo abigendo, quod ab Tacito non venit, exstare. *Jac. Gronovius*.

5 *Pontium Pilatum*] Qui sextus Procurator Judææ, cum potestate Præsidis, fuit. Vide Josephum lib. 18. Antiq. cap. 111. Miror autem cur *Syriæ Procuratorem*, nimis diffuse, Tertullianus dicat, in Apologetico: *Pontio Pilato Syriam tunc ex parte Romana procurante*. Lipsius.

6 *Primo correpti*] MS. Mediceus, *primum*. Jac. Gronovius.

7 *Haud perinde crimine incendii, quam odio generis*] Ita Faernus legebat deleta *in*, particula. *Ursinus*. Quomodo vero *humani generis*? Muretus *humani* vocem delet, hoc sensu non revera convicti sunt crimine incendii, sed tamen damnati odio in illorum genus. Sed nescio an phrasis, *convinci odio*, vel *in odio*, gignere non coacta possit hanc sententiam, *damnari ob odium*. Credam potius legendum, *odio Romani generis*. Ita non convicti sunt incendii crimine sed odio in Romanos. *Acidalius*. Magis placuit verbum, *conjuncti*, ex Flor. quam *convicti*, ut in vulgatis. neque ingentem illam multitudinem convictam constat, sed, cum aliis confessis con-

perinde in crimine incendii, quam [1] odio humani generis conjuncti sunt. [2] Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, [3] aut flammandi, atque ubi defecisset dies [4] in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, & Circense ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, [5] vel circulo insistens. Unde quamquam adversus sontes & novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica, sed [6] in sævitiam unius absumerentur. Interea conferendis pecuniis pervastata Italia, provinciæ eversæ, sociique populi, & quæ civitatum liberæ vocantur. Inque eam prædam etiam dii cessere, spoliatis in urbe templis, egestoque [7] auro quod trium-

conjunctam, & quasi cumulo additam. *Pichena.* Immo illud *convicti* sero venit, quum sedes ejus fuerit in antecedentibus *in crimine incendii*: hic intelligitur id participium, etsi non expressum. Unde sequor fidem optimi codicis, expulso illo *convicti.* Jac. Gronovius.

1 *Odio humani generis*] Faernum legisse ajunt, *Odio generis convicti.* Sed non ea mens Taciti: est ipsa, quam lib. 5. Hist. expressit, de Judæis: *Apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, sed adversus omnes alios hostile odium.* Et Arnobius dicet, Christianis hoc objectum: quia scilicet diversa omnia in moribus & sacris. itemque contagem & congressum eorum, theatra & circos, fugiebant. *Lipsius.* Lactantii de mortibus persecutorum verba sunt cap. 11. *Quidam proprio adversus Christianos odio inimicos Deorum & hostes religionum publicarum.* Jac. Gronovius.

2 *Et pereuntibus addita ludibria*] Reposuimus; *Ea pereuntibus addita ludibria.* Rhenanus.

3 *Aut flammandi*] Faernus legebat, *ut flammandi.* Ursinus. Nisi defectus sit locus, ego sic intelligo: crucibus eos affixos, ut vel ibi cruciatibus interirent, aut flammandi per tenebras reservarentur. *Pichena.* De his scribit Sulpicius Severus, qui Tacitum sæpe transscribit: *Multi crucibus affixi, aut flamma usti. Plerique in id reservati, ut cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.* Unde cogitandum, ne concinnius fuerit in Cornelio: *aut flamma usti; aliquis ubi defecisset.* Isac. Pontanus. Meo judicio non bene. Quid si, *aut flamma usti, utque, ubi* &c. Meursius. Videtur significare Sulpicius: *ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi & flamma uncti essent, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.* Sive malis *alimentis*, aut *materia.* Lib. 2. hist. *fraude illata ignis alimenta credidit.* Ovidius lib. 14. *picem & ceras alimentaque cetera flamma Mulciber urebat.* Gronovius.

4 *In usum nocturni luminis*] Pro lychno & lucerna. Credo Juvenalem ad hoc sævitiæ genus spectasse.

Pone Tigellinum: tæda lucebis in illa
Qua stantes ardent qui fixo gutture fumant.

quos versus scio & vulgus interpretum, & egregium Turnebum, longe secius accipere. Ceterum prima hæc exercita in nostrum nomen crudelitas. sanguinis dico. Nam Claudius antea tantum expulerat. Sueton. cap. xxv. Tertullianus: *Consulite Commentarios vestros, in illis reperietis Neronem primum in hanc sectam tum maxime Romæ orientem Cæsariano gladio ferocisse.* Lipsius.

In usum nocturni luminis urerentur] Moris enim in urbe fuit, per singulas domus lucernam accensam nocti fenestris appendere, qua vicus illuminaretur, vigilesque ut alacrius urbem lustrarent. *Vertranius.* Cur sic citant, cur sic edunt viri docti? Scilicet ut Tacitus proxime accedat ad Virgilium, cujus est. *Urit odoratam nocturna in lumina cedrum*, ubi similiter accusativus: sed adhuc propius apud eundem: *usum in castrorum & miseris velamina nautis.* Hæc adferri sic possunt. Sed etiam dicit Tacitus 1. hist. 89. *Conversa in militum usum omni pecunia*, ubi certe alius est sensus. 4. annal. 72. *In usus militares terga boum penderent.* Sane in MS. Mediceo est *in usu.* Jac. Gronovius.

5 *Vel circulo insistens*] Ego persevero legere, *vel curriculo*, sententia plane volente. Nero, inquit, interdum quasi spectator immiscebatur plebi, interdum currui insistebat ut aurigator. Proprie insistebant. Plinius lib. 9. epistolar. *Quo magis miror tot millia virorum, tam pueriliter, identidem currentes equos, insistentes curribus homines videre.* At Neronem currus rexisse, nimis notum: Plinium leviter emendo lib. 28. cap. 17. *Feruntque & Neronem Principem hac potione recreari solitum, cum sic quoque se trigario* (imo *trigarium*) *approbare vellet.* Approbare trigarium, valet, ostendere se legitimum aurigam & agitatorem equorum. *Lipsius.*

6 *In sævitiam unius adsumerentur*] Castigavi, *absumerentur.* Rhenanus.

7 *Auro; quod triumphis*] Aurum è triumphis, Coronarium capio: quod jam per alios innotuit: sive etiam, quod ab Imperatoribus per triumphos illatum. E votis, quod Senatus in re trepida Jovi aliisque diis vovebat. Petronius, *Ipse Senatus recti bonique præceptor, mille pondo auri Capitolio promittere solet.* Aut ipsi Consules, Prætoresve in provincias & ad bellum ituri. Livius lib. 31. *Ludos Jovi, donumque vovere consulem, cui provincia Macedonia evenisset, jussit.* Alibi: *Tum P. Sulpicius secundum vota in Capitolio nuncupata paludatus cum lictoribus profectus.*

triumphis, quod votis, [1] omnis populi Romani ætas prospere aut in metu sacraverat. Enimvero per Asiam atque Achaiam non dona tantum, sed [2] simulacra numinum abripiebantur, missis in eas provincias [3] Acrato ac [4] Secundo Carinate. Ille libertus cuicumque flagitio promptus; [5] hic Græca doctrina ore tenus exercitus, animum bonis artibus [6] non induerat. [7] Ferebatur *Seneca, quo invidiam sacrilegii à semet averteret*, longinqui ruris secessum *oravisse, & postquam non concedebatur, ficta valetudine quasi æger nervis*, [8] *cubiculum non egressus*. Tradidere quidam, *venenum ei per libertum ipsius, cui nomen* Cleonicus, *paratum, jussu Neronis: vitatumque à Seneca proditione liberti, seu propria formidine*, [9] *dum persimplici victu, & agrestibus pomis,*
46 *ac, si sitis admoneret, profluente aqua vitam tolerat.* Per idem tempus gladiatores apud oppidum Preneste, tentata eruptione, præsidio militis, qui custos adesset, coërciti sunt: jam *Spartacum & vetera mala* rumoribus ferente populo, ut est novarum rerum cupiens pavidusque. Nec multo post clades rei navalis accipitur, non bello, (quippe haud alias tam immota pax) sed certum ad diem *in Campaniam redire classem* Nero jusserat,

ctus. Et exempla in Livio sparsim. *Lipsius.*

1 *Omnis populi Rom. ætas prospere aut in metu sacraverat*] Lego, *prospera re aut in metu.* Acidalius.

2 *Simulacra numinum abripiebantur*] Pausanias lib. x. *Non postremo Neronis impietatem dei donaria effugere potuerunt. Is enim æneas quingentas, partim deorum, partim hominum, sustulit imagines.* Plinius ait lib. XXXIV. clarissima quæque signorum *violentia Neronis in urbem convecta, & in sellariis domus aureæ disposita fuisse.* Lipsius.

3 *Acrato ac Secundo*] Prior horum nominatus & Dioni, Chrysostomo, & tota res & rapina hæc denarrata: sed nomen corruptum est in libris. Verba in oratione, quam *Rhodaicam* inscripsit: Ἴστε γὰρ Ἀκράτον ἐκεῖ μόνον, τὴν οἰκουμένην σχεδὸν ἅπασαν περιελθόντα, τούτου χάριν καὶ μηδὲ κώμην παρεὶς μηδεμίαν, ὡς κἀνθάδε ἥκει. Corrupta, inquam, priora palam, & viri duo doctissimi mederi prætentarunt: ego faciam. In scripto codice ajunt esse: Ἀκσάτον ἐκεῖ μόνον. Lego, ἴστε γὰρ, Ἄκρατον ἐκεῖνον, τὴν οἰκουμένην, Vertenda: *Nostis enim. Acratus ille, omnem orbem ferè pervagatus, illius rei gratia* (statuas auferendi, & talia ornamenta) *& nullam pagum etiam aut vicum omictens, ut huc etiam venerit.* Hæc vera lectio, & Tacitus firmat, quod ad nomen attinet: lucem à Dione etiam ipse capit, capietque: locum totum vide. Volebam etiam legere: Ἄκρατος τοῦ ἡγεμόνος, ex vulgata editione; quod esset, *Acratus Principis*, libertus scilicet aut servus: sed verius habeo, quod dixi. *Lipsius. Acrato & Secundo* est in Mediceo. *Jac. Gronovius.*

4 *Secundo Carinate*] Suspicari possis Rhetorem illum esse, quem Dio scribit à Cajo in exsilium missum, qui contra Tyrannos declamitaverat. quemque Juvenalis tangit:

> *Sicut Thrasymachi probat exitus, atque Secundi Carinnatis.*

Tinctum eum eloquentiæ litterarumque studiis, Taciti consequa verba indicant. *Lipsius.*

Secundo Carinate] Flor. *Caprenato.* Pichena. Ea forma scribendi, ut sit *Capnato*, sed super literam *p* exstet *i. Jac. Gronovius.*

5 *Hic Græca doctrina ore tenus exercitus*] *Ore tenus* non est in volumine Budensi. Qui addidit, motus est, quod sequitur, *animum bonis artibus non ind.* quum possit stare sententia eo adverbio, quod hic minime locum habet. Nam *ore tenus* significat usque ad os. Sic ann. lib. I. *Permiscentur inter se manipuli, modo pectore, modo ore tenus exstantes.* Rhenanus. Videtur auctor explicare voluisse Græca ista, ἀπὸ γλώσσης ῥήματα, quæ ab variis jam illustrata sunt. *Jac. Gronovius.*

6 *Non induerat*] Tentabam, *imbuerat.* Nunc adfirmo vulgatam scripturam: & perplacet metaphora honesta, Qua ipsa usus Agellius lib. II. de Æsopo fabulatore: *qui*, inquit, *res salubriter ac perspicienter animadversas, in mentes animosque hominum cum audiendi quadam illecebra induit.* non ut corrumpunt, *induxit.* Lipsius.

7 *Ferebant Senecam*] Scripsimus, *ferebatur Senecam.* Nam sæpenumero hoc verbum usurpat impersonaliter. Porro melius cohærebit sententia si legas: *Ferebatur Seneca oravisse, & non egressus.* Rhenanus.

8 *Cubiculum non egressus*] Subaudi *est.* Rhenanus.

9 *Dum simplici victu*] In tantis opibus magna & rara abstinentiæ laus. Ipse de se epistola LXXXIV. *Panis deinde siccus, & sine mensa prandium, post quod non sunt lavandæ manus. Dormio minimum. Consuetudinem meam nosti. brevissimo somno utor, & quasi intervigilo.* ubi ex veteri libro adsero, *& quasi interjungo*, ab aurigis metaphora. Epistol CIX. *Inde in omnem vitam unguento abstinemus? quoniam optimus odor in corpore, est nullus. Inde vino caret stomachus. inde in omnem vitam balneum fugimus.* & plura ibidem. *Lipsius.*

Dum pro simplici victu, &c. vitam toleras] In libro regio non est præpositio *pro*, sed pro *toleras*, est *tolerabat*. Itaque legendum, *Dum simplici victu & agrestibus pomis, ac si sitis admoneret, profluente aqua*

jusserat, non exceptis maris casibus. Ergo gubernatores, quamvis sæviente pelago,
à Formiis movere; & gravi Africo, [1] dum promontorium Miseni superare conten-
dunt, Cumanis littoribus impacti, triremium plerasque, & minora navigia passim
amiserunt. Fine anni vulgantur prodigia imminentium malorum nuntia. Vis ful- 47
gurum non alias crebrior, [2] & sidus cometes, sanguine illustri semper Neroni expia-
tum. [3] Bicipites hominum aliorumve animalium partus abjecti in publicum; aut in
sacrificiis qui [4] gravidas hostias immolare mos est, reperti. Et in agro Placentino
viam propter natus vitulus, cui caput in crure esset. Secutaque haruspicum inter-
pretatio; *parari rerum humanarum aliud caput, sed non fore validum, neque occultum:
quia in utero repressum, aut iter juxta editum sit.* Ineunt deinde consulatum [5] Silius 48
Nerva, & Atticus Vestinus, cœpta simul & aucta conjuratione, in quam certatim
nomina dederant, senatores, eques, miles, feminæ etiam, cum odio Neronis, tum
favore in C. Pisonem. Is Calpurnio genere ortus, ac multas insignesque familias
paterna nobilitate complexus, claro apud vulgum rumore erat, per virtutem aut spe-
cies virtutibus similes. Namque [6] facundiam tuendis civibus exercebat, largitionem
adversus amicos, & ignotis quoque comi sermone & congressu. Aderant etiam
fortuita, corpus procerum, decora facies. Sed procul gravitas morum, aut volu-
ptatum parcimonia. lenitati ac magnificentiæ, & aliquando luxui indulgebat. Idque
pluribus probabatur, qui in tanta vitiorum dulcedine summum imperium non restri-
ctum, nec perseverum volunt. Initium conjurationi non [7] à cupidine ipsius fuit: nec 49
tamen facile memoraverim, quis primus auctor, cujus instinctu concitum sit, quod
tam

aqua vitam tolerat, sive, *tolerabat*. Rhenanus. Restitui ex Flor. vocem, *persimplici*. vulgo *simplici*. & male alii veteres, *pro simplici*. Sic paulo inferius *perseverum imperium*. Pichena.

1 *Dum promontorium Miseni*] Classis Romana in portu Misenensi ordinariam stationem habebat; uti Alexandrina Puteolis, ut Strabo libro XVII. indicat. Promontorium hoc infame naufragiis, uti è Seneca colligas epist. LXXVIII. ubi de Alexandrinis navibus: *Cum intravere Capreas, & promontorium, ex quo*

Alta procelloso speculatur vertice Pallas,

cetera vele jubentur esse contenta. Statius:

Prima salutavit Capreas, & margine dextro
Sparsit Tyrrhena Mareotica vina Minerva.

Libabant ergo procellosæ illi Palladi nautæ, periculo maris defuncti. *Lipsius.*

2 *Et sidus cometes sanguine illustri semper Neroni expiatum*] Quasi vero quotidianum aut frequens adeo sidus esset Cometes, ut mos Neronis in eo expiando notari potuerit. Dele importunam vocem ex interpretamento male intextam & scribe: *& sidus cometes sanguine illustri expiatum.* Idem vult, quod alibi, cum dicit eo sidere mutationem regis portendi, & quod statim sequitur in alterius prodigii explicatione, *parari rerum humanarum aliud caput.* Nec his obstat, quod aliquo post hæc tempore supervixit Nero. Præsagia enim talia ἐν πλάτει, non ἐν στιγμῇ sumebantur. Sic fine hujus libri: *quod ad omen olim sui exitus verteretur.* De eodem hoc Comete Seneca Naturalium 7. *Hunc qui sub Nerone apparuit & cometis detraxit infamiam.* Grotius.

3 *Bicipites hominum aliorumve animalium partus*] Monstrosos animalium partus ne celarent veteres, fecit mentibus inhærens religio. De cæteris, fœtus hominum abjici in publicum à parentibus ita potuerunt, si prius indicati proximioribus quinque vicinis, abjiciendi illis quoque visi forent: alias natos masculos omnes & filias primogenitas educare præceptum Romulea lege fuit Auctor Dionysius Antiq. lib. 2. *Vertranius.*

4 *Gravidas hostias immolare*] Pauca super eo sacrorum ritu. Trahere possis illud Festi: *Confeta sus, quæ cum omni fetu adhibebatur ad sacrificium.* Lipsius.

5 *Silius Nerva*] E Fastis & lapidibus, *Silianus Nerva.* Lipsius.

6 *Facundiam tuendis civibus*] Has omnes laudes eius cecinit quicumque ille adolescens poeta, in Panegyrico ad Pisonem. *Lipsius.*

7 *A cupidine ejus*] Sic edidi ex MS. Mediceo, miratus, unde ista vanitas edentium ante hac *cupiditate*, tam qui sciverunt sic legi in eo MS. ut Beroaldus, Pichena, Ryckius quam qui nesciverunt, quum toties in Livio occurrat *cupido regni* Immo & ab Tacito 1, 10. *Cupidine dominandi concitos.* quod ipsum reperit fine capitis 53. in hoc libro. Sed illa potentiæ cupido optime patet ex divino illo capite 38. lib. 2. Histor. At cupiditas fere de minoribus & privatis, ut lib. 1. hist. 83. ubi simile

tam multi ſumpſerunt. Promptiſſimos [1] Subrium Flavium tribunum prætoriæ cohortis, & Sulpicium Aſprum centurionem exſtitiſſe conſtantia exitus docuit. Et Lucanus Annæus, Plautiuſque Lateranus conſul deſignatus, vivida odia intulere. Lucanum propriæ cauſſæ accendebant, quod [2] famam carminum ejus [3] premebat Nero, [4] prohibueratque oſtentare, [5] vanus adſimulatione. Lateranum conſulem deſignatum, nulla injuria, ſed amor reipublicæ ſociavit. At Flavius Scevinus & Afranius Quintianus, uterque ſenatorii ordinis, contra famam ſui, principium tanti facinoris capeſſivere. Nam Scevino diſſoluta luxu mens, & proinde vita ſomno languida: [6] Quintianus mollitia corporis infamis, & à Nerone probroſo carmine diffamatus, contumelias ultum ibat. Ergo dum *ſcelera principis, & finem adeſſe imperii, deligendumque qui feſſis rebus ſuccurreret*, inter ſe aut inter amicos jaciunt, aggregavere Tullium Senecionem, Cervarium Proculum, Vulcatium Araricum, Julium Tugurinum, Munatium Gratum, [7] Antonium Natalem, Martium Feſtum, equites Romanos: ex quibus [8] Senecio è præcipua familiaritate Neronis ſpeciem amicitiæ etiam tum retinens, eo pluribus periculis conflictabatur. Natalis particeps ad omne ſecretum Piſoni erat. ceteris ſpes ex novis rebus petebatur. Adſcitæ ſunt [9] ſuper Subrium & Sulpicium, de quibus rettuli, militares manus, Granius Silvanus & Statius Proximus, tribuni cohortium prætoriarum, Maximus Scaurus & Venetus Paul-

inducitur ab Pichena. *Jac. Gronovius.*

1 *Subrium Flavium*] Dioni dicitur, Σούϐιος Φλάϐιος. & ſtatim, Σουλπίκιος Ἄσπρος, qui noſtro eſt, *Aſper.* Lipſius.

2 *Famam carminum ejus premebat Nero*] Quum Orpheum in theatro Nero & Lucanus pronuntiaſſent, Lucano judices coronam dedere: quod Nero iniquo animo ita tulit, ut foro & theatro Lucano interdiceret, eo vanior, quod ſuis & Lucani carminibus ſimilitudinem ineſſe credebat. Ideoque Papinius in Silvis ait.

Ingratus Nero dulcibus theatris
Et noſter tibi præferatur Orpheus.

Vertranius.

3 *Premebat Nero*] Sed idem tamen poſt mortem, famam ei non invidit, id eſt legi & edi permiſit. Hoc vult inſcriptio vetus:

M. ANNÆO LVCANO
CORDVBENSI POETÆ
BENEFICIO NERONIS
FAMA SERVATA.

Gaude liberrime poëtarum: litaſti genio Æternitatis. *Lipſius.*

4 *Prohibueratque oſtentare, vanus aſſimulatione*] Quinquennali ludicro, cum Orpheum Lucanus recitaſſet, coronatus contra Neronem eſt. quod ægre tulit citharœdus Princeps. Statius:

Ingratus Nero dulcibus theatris,
Et noſter tibi præferatur Orpheus.

Sed quid ſibi vult hic, *Vanus aſſimulatione?* An quod Nero vano & irrito conatu aſſimulare & reddere Lucani verſus voluit? Ita ſcriberes, *aſſimulatione.* Sed non placet. ne Farneſianum quidem ſcriptum, *vana aſſimulatione.* Lego clarius, *vanus æmulatione.* Lipſius.

5 *Vanus aſſimulatione*] Vanos in eo quod ſimilitudinem ſuis eſſe credebat Lucanique carminibus: id enim eſt *aſſimulatio.* Idem ſupra: *Præterita mala vetuſtis cladibus aſſimulantem.* Ferrettus. Videndum an potius ſit legendum, *vana æmulatione.* Urſinus. Legendum olim conjeci *Vaniſſima æmulatione:* poſtea vidi Lipſium eodem inclinare. nam legit: *vanus æmulatione.* Freinshemius. Mos ab multis uſurpatus. Propertius 2, 3.

Et ſua cum antiqua committit ſcripta Corinna,
Carminaque Erynnæ non putat æqua ſuis.

Ex hoc genere iſtud, *Quid mihi reſtat ad culicem?* Taciti autem mens eſt increpantis Neronem ut vanum, quod metueret ſua conferri cum carminibus Lucani, quibus minora eſſent futura. Sic *aſſimulatas Lucani literas* ait 16, 7. *Jac. Gronovius.*

6 *Quinctianus molli corpore*] Farneſ. *mollitie corporis.* Ita Latinis dicta, ἡ θηλείᾳ νόσῳ. Ovidius:

Mollis erat, facilisque viris Pæantius heros.

Lipſius.

Quintianus mollitia corporis infamis] Ita Flor. Vulgo, *molli corpore.* Pichena.

7 *Antonium Natalem*] Non arbitror illum eſſe, quem Seneca cum probro deſcribit. *Nuper Natalis tam improba lingua, quam impura, in cujus ore feminæ purgabantur.* Lipſius.

8 *Senecio è præcipua*] Ergon' ille, qui lib. XIII. una cum Othone familiariſſimus Neroni oſtenditur, libidinum ejus in Acten adminiſter & interpres? Putem. ſed ibi Claudius Senecio dicitur; hic Tullius. Itaque me ſuſtineo. *Lipſius.*

9 *Super Subrium*] Libri mei, *per Subrium.* Idem.

1 Fe-

Paullus centuriones. Sed summum robur in [1] Fenio Ruso præfecto videbatur, quem
vita famaque laudatum, per sævitiam impudicitiamque Tigellinus in animo principis
anteibat, fatigabatque criminationibus, ac sæpe in metum adduxerat, quasi *adulte-
rum Agrippinæ, & desiderio ejus ultioni intentum.* Igitur ubi conjuratis præfectum
quoque prætorii in partes descendisse, crebro ipsius sermone facta fides; promptius
jam de tempore ac loco cædis agitabant. Et *cepisse impetum* Subrius Flavius fereba-
tur, *in scena canentem Neronem aggrediendi*; [2] *aut cum ardente domo per noctem huc il-
luc cursaret incustoditus.* Hic occasio solitudinis; ibi ipsa frequentia tanti decoris te-
stis, pulcherrimum animum exstimulaverant: nisi impunitatis cupido retinuisset, ma-
gnis semper conatibus adversa. [3] Interim cunctantibus prolatantibusque [4] spem ac 51
metum, Epicharis quædam, incertum [5] quonam modo sciscitata (neque illi ante ul-
la rerum honestarum cura fuerat) accendere, & arguere conjuratos: ac postremo
lentitudinis eorum pertæsa, & in Campania agens, primores classiariorum Misenen-
sium labefacere, & conscientia illigare connixa est tali initio. [6] Erat Chiliarchus in
ea classe Volusius Proculus, occidendæ matris Neronis inter ministros non ex magni-
tudine sceleris provectus, ut rebatur. is mulieri olim cognitus, seu recens orta ami-
citia, dum *merita erga Neronem sua, & quam in irritum cecidissent*, aperit, adjicit-
que questus & *destinationem vindictæ, si facultas oriretur*; spem dedit posse impelli &
plures conciliare. nec leve auxilium in classe, crebras occasiones; quia Nero multo
apud Puteolos & Misenum maris usu lætabatur. [7] Ergo Epicharis plura: & omnia
scelera

1 *Fenio Ruso*] Volaterranus in Anthropologia, legit *Ferinio Ruso*, huic Senecam socium conjurationis addidit Cassius, ut est apud Xiphilinum: de quo paulo infra Cornelius ex Antonii Natalis indicio meminit. *Vertranius.*

2 *Aut cum ardente domo per noctem huc illuc cursaret*] Muretus mutabat: *aut cum aurea è domo per noct.* Nihil necesse: *Ardentem domum* cape, crebris luminibus & facibus illustrem, cum nocturnas scenas domi iniret. *Acidalius.* An incendii tempore? Non potest. nam conjurationis initium fuit, Nerva & Vestino consulibus qui magistratum post incendium inierunt. An quod de Subrio Flavio narratur, nihil ad præsentem conjurationem pertinet, quæ paulo antea inceperat; sed quod ipsemet olim sua sponte, vel paucis consciis, consilium de occidendo Nerone agitaverit, aut cum in scena caneret, aut dum illius domus arderet? Non crediderim: nam verba hæc congruunt cum superioribus *de tempore ac loco cadis agitabant.* Potius censeo, *ardentem domum* hic accipi, pro lucente, id est, luminum faciumque plena: cum scil. Nero noctes infames, & quasi bacchanal domi exercebat. Paulo infra de pugione Scævini dixit: *asperari saxo, & mucronem ardescere jussit.* Pichena. Conjiciebam: *cum madens vino per noctem.* Gronovius.

3 *Interim cuntantibus prolatantibusque spem ac metum*] Omnino legendum, *spe ac metu*: quomodo Lipsius non male ait legi posse. Aut inserenda præpositio *inter*, quæ perire ea occasione potuit, quia *interim* præcesserat. Leg. *Interim cuntantibus prolatantibusque spem inter ac metum.* Acidalius.

4 *Spem ac metum*] Nec male, *spe ac metu.* Lipsius.

5 *Quonam modo sciscitata*] Id est, unde aut per quem odorata de conjuratione. Sperne Vertranii, *suscitata.* Lipsius.

Quonam modo sciscitata] Legendum *suscitata.* Vertranius.

6 *Erat Chiliarchus*] Ita libri. Vulgo, *navarchus.* Bene Chiliarchus, pro Tribuno: sicut & Centuriones reperies plus semel in classe. *Lipsius.*

7 *Ergo Epicharis plura & omnia*] Mendum hic esse arbitror: sed sensus fortasse talis est; Epicharis plura scelera orditur, & omnia facta à principe: ut sit, plura scelera orditur, & omnia principis. *Neque senatui quod inane esset provisum: sed provisum, quonam modo pœnas*, &c. vulgo enim ita codices habent, *Neque senatui quod inane esset, sed provisum.* Ergo cum certissima sint, quæ parentur à senatu in exitium principis, accingeretur modo, &c. *Ferretus.* Id est, complura ex sceleribus principis, sed & omnia Epicharis incipit pandere & aperire. Quod pono, ne quid cum aliis hoc loco deesse putes. *Vertranius.* Rectius, ni fallor, distinxi, *plura: & omnia scelera.* Cum antea conjunctim legeretur, *plura, & omnia scelera.* Sensus est: Tentavit callide mulier Proculi animum, eumque haud alienum à scelere cognovit. ergo illi *plura*: subintellige, *locuta est, conjurationemque aperuit*: ac simul *omnia scelera principis* memorare cœpit, quo magis illum accenderet. *Pichena.* Puto ex compendiosa scriptione natum errorem: ut fuerit *populi iram & omnia scelera Principis.* Neque enim bene

scelera principis orditur. [1] *Neque senatui quid manere, sed provisum* [2] *quonam modo pœnas eversæ reipublicæ daret:* [3] *accingeretur modo navaret operam, & militum acerrimos ducere in partes, ac digna pretia exspectaret.* Nomina tamen conjuratorum reticuit. Unde Proculi indicium irritum fuit, quamvis ea quæ audierat ad Neronem detulisset. Accita quippe Epicharis, & [4] cum indice composita, nullis testibus innixum facile confutavit. Sed ipsa in custodia retenta est, suspectante Nerone, haud falsa
52 esse etiam quæ vera non probabantur. Conjuratis tamen [5] metu proditionis permotis, placitum maturare cædem apud Bajas, in villa Pisonis: [6] cujus amœnitate captus Cæsar crebro ventitabat, balneasque & epulas inibat omissis excubiis, & fortunæ suæ mole. Sed abnuit Piso, *invidiam* prætendens, *si sacra mensæ, diique hospitales cæde qualiscumque principis cruentarentur. melius apud urbem in illa invisa & spoliis civium exstructa domo, vel in publico patraturos, quod pro republica suscepissent.* Hæc in commune: ceterum timore occulto; [7] ne L. Silanus eximia nobilitate, disciplinaque

connectas *plura & omnia.* Grotius. *Plura & omnia*, meo judicio, non bene hic conjunguntur. Emenda: *& communia scelera Principis orditur. Communia*, sunt publica. Ita Tacitus & optimi Auctores passim loquuntur. Communia ejusmodi scelera erant: *quod nihil maneret senatui, eversa Rep.* contra Volusius Proculus privata tantum scelera produxerat. Considera antecedentia. *Boxhornius.*

1 *Neque Senatui, quid manere*] Vatic. codicis scripturam expressi. nec dissentit Farnesianus, nisi quod refert, *quod manere.* Quis Castor aut Pollux liberat me ab hoc æstu? Forte, *Neque se nautam quidem manere.* quasi attollens conjuratorum numerum splendoremque id dicat mulier. etiam ipso cessante, provisum viris melioribus quomodo nefarius ille pœnas daret. *Lipsius.*

Neque senatui quod inane esset, sed provisum] Adversativam particulam exemimus, quæ ea posteriori syllaba proxime præcedentis dictionis nata est. Emendavimus itaque, *Neque senatui quod inane esset, provisum quonam modo pœnas versa Reip. daret.* Rhenanus. Epicharis illa quo Proculum facilius in partes traheret, ait, senatum quoque adversus Neronem conspirasse, omnibusque jam providisse, quæ ad eandem rem conducere viderentur, *immo provisum quonam modo pœnas versa Reip. daret.* Sit igitur *manere* idem quod *restare* ad eam faciem, qua lib. 1. histor. *sed quamvis capite defectionis ablato, manebat plerisque conscientia.* qua Catullus: *Scelesta teneo, quæ tibi manet vita.* qua Virgil. lib. 10. *Nunc etiam manes (hæc intentata manebat Sors rerum) moves.* Et qua tandem Curtius lib. 9. *Iter qua manet navigiis, in tenuem alveum cogitur.* Salmerius. Ex v. c. legendum: *Neque Senatui, quod in manus esset, provisum, quonam modo pœnas eversa reip. daret,* &c. nam in vulgatis corrupte est. *Ursinus.* Rhenani conjectura insana & jam pridem explosa Modius 15. Novantiq. notat Agricolam reponere, *Neque se novum quid monere.* in desperato loco tamen & Lipsius, &c. Sententia, quam obulo æ rato non permutem, & quæ pugnat cum sequentibus. Lego, *Neque se natam quid movere: sed provisum* &c. Ea mente, Neque se eam esse, quæ quid moveret, utpote femina nata: ceterum jam provisum aliis. Hæc mens & lectio auctoris: quæ nescio an omnibus sit arrisura. *Acidalius.* Scribe: *neque senatui quid provisum secus, manere quonam modo.* Sententia est, nec Senatum jam dudum in alia sententia esse, quam tollendum principem, manere eum saltem modum, quo tollendus sit de medio. *Barthius.* Lege: *neque senatui fidem manere.* Nempe in Neronem. Id affirmat Epicharis tanquam non ignota & senatoribus. *Grotius.*

2 *Quonam modo pœnas eversa reip. daret*] Scripsimus, *eversa*, ex Flor. Vulgo, *versa.* Pichena.

3 *Accingeretur modo, navaret operam, & militum acerrimos duceret*] Certe nulla est aut perexigua differentia inter τὰ *accingeretur* & *navaret operam.* Itaque nunc habet MS. *navare operam & m. a. ducere.* Pulcherrime omnino, & rotundissima oratione. Sic Virgilius: *Accingar dicere pugnas.* Claudianus: *Accingar lustrare diem.* Hæc olim scripsi, quum ineunte ætate confusus per ereptam mihi doctrinam & opem Patris conabar utiliter finire editionem ejus. Quæ nunc debui huc repetere, quoniam post inveni illa ipsa in MS. Mediceo, quo nullus amplior veritatis testis vel auspea. *Jac. Gronovius.*

Et multum acerrimos duceret in partes] Castigavi, *& militum acer. d. in partes.* Rhenanus.

4 *Cum indice composita*] Vulgo pragmatici dicunt *confrontata.* Lupanus.

5 *Metu proditionis permotis, placitum*] Sublatum à vulgatis fuerat verbum, *permotis*: nos ea Flor. alisque veteribus, ut non supervacuum, restituimus. *Pichena.*

6 *Cujus amœnitate captus Cæsar, crebro ventitabat.*] Aliquid hic deest, ut integra sit sententia. Legendum puto, *quo, ejus amœnitate captus.* Erravit fortasse librarius, cum pro *quo ejus*, scripserit, *quojus*, quod antiqua scriptura valet, *cujus.* Pichena.

7 *Ne L. Silanus*] De quo inferius lib. 16. *Lipsius.*

2 Qui

naque C. Caſſii, apud quem educatus erat, ad omnem claritudinem ſublatus, imperium invaderet, prompte daturis operam [1] qui à conjuratione integri eſſent, quique miſerarentur Neronem tamquam per ſcelus interfectum. Plerique *Veſtini quoque conſulis acre ingenium vitaviſſe Piſonem* crediderunt; [2] *ne ad libertatem moveretur, vel delecto imperatore alio, ſui muneris rempublicam faceret.* Etenim expers conjurationis erat; quamvis ſuper eo crimine Nero vetus adverſus inſontem odium expleverit. Tandem ſtatuere [3] Circenſium ludorum die, [4] qui Cereri celebratur, exſequi deſti- 53
nata: quia Cæſar rarus egreſſu, [5] domoque aut hortis clauſus, ad ludicra Circi ventitabat, promptioreſque aditus erant lætitia ſpectaculi. Ordinem inſidiis compoſuerant, *ut Lateranus quaſi ſubſidium rei familiari oraret, deprecabundus, & [6] genibus principis accidens, proſterneret incautum, premeretque, [7] animi validus, & corpore ingens. Tum jacentem & impeditum, tribuni & centuriones, [8] & ceterorum ut quiſque audentiæ habuiſſet, accurrerent, trucidarentque; primas ſibi partes* expoſtulante Scevino, qui pugionem templo Salutis in Etruria, ſive, ut alii tradidere, fortunæ Ferentano in oppido

1 *Qui à conjuratione integri eſſent*] Codex Budenſis, *qui conjurationem integri.* Lego, *conjuratione,* aut potius, *conjurationis integri.* Rhenanus.

2 *Ne à libertate moveretur*] Vatic. *ne ad libertatem moraretur,* Ducit me ſententia ut legam, *ne aut libertatem moliretur.* Duplex videlicet à Veſtino metus. ne aut homo acer ad libertatem populum vocaret: aut alium à Piſone Principem diligeret. *Lipſius.*

Ne à libertate moveretur] Piſo ex ingenii acritate, merito ſuſpectabat Veſtinum eſſe libertatis amatorem: quem etiam eadem de cauſſa Nero ipſe metuebat. nam homines præfracti ſpiritus, libertatis non raro ſtudioſi deprehenduntur. Quamobrem ille damnatur, *quod ferociam Aſinii Pollionis avi retineret*, qui vel in ſcriptis foverat libertatem. lib. 4 ann. *Aſinii Pollionis ſcripta egregiam eorundem* ſcil. Bruti & Caſſii, *memoriam tradunt.* Cæterum Veſtinus haud minus, quam Silanus, deterruit Piſonem, ne in ſua villa principem trucidaret: is enim Nerone ſublato inter ſacra menſæ, vel populum (ut amator patriæ) in libertatem vindicaſſet, vel alium imperatorem Piſonis odio dediſſet: quæ omnia ſacris hoſpitii violatis conſuli facilia fuiſſent. Quod memoravi de odio Piſonis, hinc patet: *Vel delecto imperatore* &c. additis cap. 68. *quidam vetuſtis in eum ſimultatibus.* Salinerius. Lipſius bene. Muretus, *Ne ad libertatem moveretur.* Æque bene, Et eadem uterque ſententia. *Acidalius.* Cum Flor. habeat, *ne ad libertatem moreretur:* Legendum olim putavi, *ne ad libertatem oriretur;* Id eſt, ne ad libertatem inſtituendam inſurgeret. Nunc dubito, num verius ſit ad Taciti mentem, & ex communi librorum ſcriptura: *ne ad libertatem moveretur*, ſcil. ad libertatem populo Rom. reſtituendam. *Pichena.* Divertunt alii ad conjecturas, mihi proba videtur ſcriptura vulgata, ut velit ipſammet libertatem varie movere potuiſſe animum Veſtini, ut eam reductam caperet. Libertatem etiam inter Numina cultam, patet ex Inſcriptionibus noſtris, pag. XCIX. 2. CI. CXIII. 2. Sed & de *modeſtia*, tamquam una Dearum, locutus eſt noſter lib. 4. ann. 7. *Precandam poſt hæc modeſtiam*, &c. *Gruterus.* Videndum an fuerit: *ne à libertate moneretur.* Juſtinus 2. *Hujus virtute cum admonita civitas libertatis eſſet.* Gronovius. Inſignia hæc ſingulorum ſpecimina certaminis ad reparandum Tacitum, quæ cum plurima laude ſalutantes, conſultiſſime a nobis agi judicavimus, ſi vetuſtiſſimam fidem codicis Medicei relinqueremus auctori, tanquam quod ſolum poteſt dici ejus eſſe, quum id ſcribat, perinde ut 1. hiſt 64. *Nec militum animus in gaudium aut formidinem permotus.* Jac. Gronovius.

3 *Circenſium ludorum die, qui Cereri celebratur*] Leg. *celebrantur.* Acidalius.

4 *Qui Cereri celebratur.* Qui dies pridie Idus Apriles, ita notatus Kalendario veteri: LVDI. CERERI. & biduo ante, LVDI. IN CIRCO. Infra noſter: *uti que Circenſium Cerealium ludicrum, pluribus equorum curſibus celebraretur.* Dio lib. 47. inter prodigia refert, quod *Ædiles Cereri, loco Circenſium & equeſtrium ludorum, gladiatorios exhibuerint.* Ovidium adde IV. Faſtorum: & nummum veterem: MEMMIVS ÆDILIS CERIALIA PREIMVS FECIT. Quod Cæſaris & Tulli ævo factum. Vide Politianum Miſcell. cap. LXXXV. *Lipſius.*

5 *Domoque aut hortis clauſus*] Addidi copulam, *que*, ex Flor. *Pichena.*

6 *Genibus principis accedens*] Emendavimus, *genibus principis accidens.* Eſt ab *accido*, quod eſt ab *ad* & *cado.* Rhenanus.

7 *Animi validus, & corpore vigens*] Codex Budenſis, *& corpore ingens.* Sic lib. 1. Hiſt. *Cæcina, decora juventa, corpore ingens, animi immodicus.* Idem.

8 *Et caeterorum ut quique audacia plus habuiſſet*] In Budenſi, *& cæterorum ut quiſque audiviſſet, accurrerent.* Rhenanus.

pido detraxerat; [1] gestabatque velut [2] magno operi sacrum. *Interim Piso apud aedem Cereris opperiretur, unde eum praefectus Fenius & ceteri accitum ferrent in castra, comitante Antonia Claudii Caesaris filia, ad eliciendum vulgi favorem:* quod C. Plinius memorat. Nobis quoquo modo traditum non occultare in animo fuit, [3] quamvis absurdum videretur, aut inanem ad spem Antoniam nomen & periculum commodavisse, aut Pisonem notum amore uxoris, alii matrimonio se obstrinxisse: nisi si cupido
54 dominandi cunctis affectibus flagrantior est. [4] Sed mirum quam inter diversi generis, ordinis, aetatis, sexus, [5] dites, pauperes taciturnitate omnia cohibita sint: [6] donec proditio coepit è domo Scevini. qui pridie insidiarum, multo sermone cum Antonio Natale, dein regressus domum, testamentum obsignavit; promptum vagina pugionem, de quo supra rettuli, *vetustate obtusum* increpans, *asperari saxo*, [7] *&* *in mucronem ardescere* jussit. Eamque curam liberto Milicho mandavit. Simul affluen-

Ut quisque audentia] Lectio à Vatic. est. Farnes. *audacia habuisset.* corrupte triti libri, *audivisset.* Lipsius.

1 *Gestabatque velut*] Gestabatne pugionem? non is mos Romae, & per hanc vanitatem homo se palam retexisset. Aliud omnino verbi fuisse suspicor: *servabatque jactabatque.* aut tale. *Lipsius.*

Gestabatque velut magni operis sacrum] Omnino aliud verbum fuit quam *gestabat.* Lipsio placebat, *servabatque*, vel *jactabatque.* Mihi proximum ad literas videtur, *custodiebatque.* Acidalius. Vulgo, *magni operis.* & utrumque recte. tamen Flor. sequor, qui habet, *magno operis.* litera, *s*, redundante. *Pichena.* Vulgatum tamen Graecismo posset defendi. Apollonius Rhodius lib. 2. Εἰ δ' ἄγε δὴ νῦν μοι ἰὼν Ἀπόλλων· Τῶν δ' ἱερῶν κλείωμεν. Strabo lib. 14. Εἶτ' ἄκρα Πηδάλιον, ἐφ' ᾗ ὑπέρκειται λόφος τραχὺς, ὑψηλὸς, τραπεζοειδὴς, ἱερὸς Ἀφροδίτης. Lucianus Hermotimo: Κάλπεις ἀργυρᾶ προπέμπεται ἱερὰ τοῦ θεοῦ. Nam *magnis operis* omnino male. Plinius lib. 11, 37. *Lupi dexter caninus in magnis habetur operibus.* Gronovius.

2 *Magni operis sacrum*] Pichena ex Flor. colligit, *magno operi.* Neque ego olim male, *magnis operis*, multitudinis numero. *Lipsius.*

3 *Quamvis absurdum videretur & inane, aut ipsi Antoniam nomen & periculum commodavisse*] Rodolphus peracute: *aut inani spei Antoniam.* Hi tales homines, si ad Criticam serio se dedissent, quid non pervidissent? Et tamen nos Pelei placemus nobis in hac machaera. *Idem.*

Quamvis absurdum videretur, aut inanem ad spem Antoniam] In vulgatis legitur: *quamvis absurdum videretur, & inane, aut ipsi Antoniam.* At Flor. qui habet, *aut inane aut spem*, praetulit mihi lucem ad correctionem, quam restitui. *Pichena.* Nescio an velit gloriari, & illud corrigere ac restituere suo tantum ingenio attribuat. Si ita, fallit lectorem. Certe quidem sic scribitur in vetustissimo libro: sed eadem manu & atramento, ut parem vetustatem praeferat, scribitur in margine, quod non debuit celare **at ad**, quo indicat alia exemplaria habere scriptum *inane ad spem.* Unde discimus ab hoc additamento praelatam Pichenae lucem ad verius eligendum, quod ante tot saecula jam exstabat, & quod fatetur ille ipse librarius, quum calamo currente ipse delatus foret ad vitium, ut fieri interdum solet, in aliis tunc exemplaribus exstitisse, ut nequaquam veniat ex arbitraria Pichenae scriptura, (prout viliter sustinet loqui Ryckius, qui nescio quid voluerit, quum edidit *at ad*) sed tamdiu exstiterit in mundo. *Commodare* verbum cum isto dativo usurpat alibi Tacitus, unde recentiores nonnulli videntur hanc vulgatam lectionem fecisse, sive ipse Agricola, (cujus valde dubito an non manu fuerit scriptum istud exemplar Ryckianum, qua manu varios vidi scriptos codices, etsi ipse id neget ac notas manus ejus scribat exstitisse in margine) sive quis alius. Sed Tacitus valde imminet varietati loquendi, unde pro verissimo & antiquissimo haberi meretur, quod restituit Pichena. *Jac. Gronovius.*

4 *Sed mirum quam inter diversi generis, ordinis, aetatis, sexus, taciturnitate omnia cohibita*] Certe mirum, in lubrico & praepeti hoc sermonis. Simile plane, quod Claudianus miratur, conspiratione militari in Ruffinum:

—— nec quisquam tanta de plebe repertus,
Proderet incautis qui corda minantia verbis.
Quae non posteritas, quae non mirabitur aetas
Tanti consilium vulgi potuisse taceri,
Aut facinus tam grande tegi?

Et plura, quae addit. *Lipsius.*

5 *Divites, pauperes*] Pro *divites* scripsimus, *dites*, quam vocem usurpat crebro. Ut lib. 2. Hist. 1. *Dites dominos in praedam, aut si repugnatum foret, ad excidium destinabant.* Rhenanus.

6 *Donec proditio coepit*] Plutarchus libello de Garrulitate, longe aliter elatam & apertam narrat conjurationem. Sed ne tibi imponat, non istam. Duplex enim in Neronem conjuratio, Pisoniana, & Viniciana, ut auctor Sueton. cap. xxxvi. Ad Vinicianam ergo refer illa Plutarchi. *Lipsius.*

7 *Et mucronem ardescere jussit*] Flor. *& in mucronem.*

fluentius ſolito convivium initum: ſervorum chariſſimi libertate, & alii pecunia donati. atque ipſe mæſtus, & [1] magnæ cogitationis manifeſtus erat, quamvis lætitiam vagis ſermonibus ſimularet. Poſtremo *vulneribus ligamenta*, [2] *quibuſque ſiſtitur ſanguis* [3] *parare* eundem Milichum monet; ſive gnarum conjurationis, & [4] illuc uſque fidum; ſeu neſcium, & tunc primum arreptis ſuſpicionibus; [5] ut plerique tradidere, de conſequentibus. Nam cum ſecum ſervilis animus præmia perfidiæ reputavit, ſimulque immenſa pecunia & potentia obverſabantur, ceſſit fas, & ſalus patroni, & acceptæ libertatis memoria. Etenim uxoris quoque conſilium aſſumpſerat, muliebre ac deterius. quippe ultro metum intentabat, [6] *multoſque aſtitiſſe libertos ac ſervos qui eadem viderint: nihil profuturum unius ſilentium: at præmia penes unum fore, qui indicio prævenisset.* Igitur cœpta luce Milichus in hortos Servilianos pergit: & cum foribus arcerctur, *magna & atrocia afferre* dictitans, deductuſque ab janitoribus ad libertum 55
Neronis [7] Epaphroditum, mox ab eo ad Neronem, *urgens periculum*, [8] *graves conjurationes*, & cetera quæ audierat conjectaveratque, docet. Telum quoque in necem ejus paratum oſtendit, accirique reum juſſit. is raptus per milites, & defenſionem orſus; *Ferrum cujus argueretur, olim religione patria cultum, & in cubiculo habitum, ac fraude liberti ſubreptum* reſpondit. *Tabulas teſtamenti ſæpius à ſe, & incuſtodita dierum obſervatione, ſignatas. Pecunias & libertates ſervis & ante dono datas; ſed ideo tunc largius, quia tenui jam re familiari, & inſtantibus creditoribus, teſtamento diffideret. Enimvero liberales ſemper epulas ſtruxiſſe, & vitam amœnam, & duris judicibus parum probatam. Fomenta vulneribus nulla juſſu ſuo, ſed quia cetera palam vana objeciſſet,* [9] *adjungere crimen, ut ſeſe pariter indicem & teſtem faceret.* Adjicit dictis conſtantiam,

nem. Pichena. Lucanus lib. 7. *niſi cotibus aſper Exarſit mucro.* Forte tamen Cornelius: *& mucrone ardeſcere juſſit.* Gronovius. Cap. 63. *Membris in eum pallorem albentibus.* Jac. Gronovius.

1 *Magnæ cogitationis manifeſtus*] Seneca in Controverſia v. l. 11. *Tyrannus ſuſpicatus eſt, ſive iſti aliquid excidit, ſive magna conſilia non bene vultus tegit.* Lipſius.

2 *Quibuſque ſiſtitur ſanguis parare eumdem Milichum jubet*] Liber Matthiæ Corvini: *Quibuſque ſiſtitur ſanguis farciebat eumdem Milichum jubet.* Lego, *farcienda eundem Mil. jubet.* Dicimus enim, *jubeo te aliquid.* Mox eſt illic, *in hortos ſervianos.* Rhenanus. Neſcio an à libris verbum, *parare*, & an aliquis lateat error. aliter enim in veteribus. Rhenanus ait, in Matthiæ Corvini codice legi: *farticbat eundem Milichum.* In Flor. *partiebatque.* in alio Man. *partiebatur.* Alii cogitent. *Pichena.*

3 *Parare eumdem Milichum*] Sententia apta eſt: tamen libri illud verbi redarguunt: quorum partim, *fartiebas eumdem*; alii, *partiebatque*, nonnulli, *partiebatur.* Quid veri, quæro. *Lipſius.*

4 *Et huc uſque fidum*] Hoc ſcilicet inhæret linguæ eorum qui Latine per hoc ævum loquuntur; hinc id debet nunc obtrudi Tacito, qui non deſerit ſuum proprium bonum, h. e. varietatem. Jam Beroaldus incepit edere *& illuc uſque*, haud dubie ex reverendo exemplari Mediceo, in quo & ipſe & Frater vidimus & notavimus, unde id repoſui. Quid enim ambigerem? 3. hiſt. 18. *Legionum ſigna illuc uſque progreſſa.* Jac. Gronovius.

5 *Ut plerique tradidere de conſequentibus*] Senſus nullus eſt. Conjicio: *de conſcientibus.* id eſt, conſciorum plerique. *Grotius.*

6 *Multoſque aſtitiſſe libertos ac ſervos*] Dele copulam *que* à voce *multos.* Id enim ipſum eſt, per quod intentabat: ut & ſequentia ſtatim. *Acidalius.*

7 *Epaphroditum*] Qui à libellis fuit. de quo Suetonius Neron. cap. XLIX. Et Domit. cap. XIV. Eſt ille ipſe, cui nobilis ſervus Epictetus fuit. Suidas, & Arrianus. *Lipſius.*

8 *Graves conjurationes*] Flor. *graves conjuratos.* Pichena.

9 *Adjungere crimen viſum, ſe pariter indicem & teſtem facere*] Exemplar ſcriptum habet *vixiſſe.* Forte legendum, *Adjungere crimen nixum, ſe pariter indicem & teſtem facere.* Rhenanus. Hæc nullus capio, & videtur nec Muretus, qui ſtellulam hac regione appinxerat. Legendum forte, *Adjungere crimen, cujus ſe pariter indicem & teſtem faceret.* quod nec ipſum ſatis placet. Modius 15. Novantiq. notat Rod. Agricolam legere: *adjungere crimen, ut ſeſe pariter indicem & teſtem faceret.* Idem probat. Ego alteri non præfero. *Acidalius.* Nihil hac lectione certius, *Adjungere crimen, ut ſeſe pariter indicem & teſtem faceret*, quam ex Flor. verbis licet corruptis elicui. is enim habet: *adjungere crimen l;ſiſſe pariter indicem & teſtem faceret.* Pichena. Mihi edet Acidalium rem acu tetigiſſe: *adjungere crimen, cujus.* i. adjicere hanc quoque calumniam, quam & deſerat

tiam. incusat ultro *intestabilem & consceleratum*, tanta vocis ac vultus securitate, ut labaret indicium, nisi Milichum uxor admonuisset, *Antonium Natalem multa cum*
56 *Scevino*, [1] *ac secreto collocutum*, *& esse utrosque C. Pisonis intimos*. [2] Ergo accitus Natalis: & diversi interrogantur, *quisnam is sermo*, *qua de re fuisset?* Cum exorta suspicio, quia non congruentia responderant: inditaque vincla. Et tormentorum adspectum ac minas non tulere. Prior tamen Natalis [3] totius conjurationis magis gnarus, [4] simul arguendi peritior, *de Pisone* primum fatetur. deinde adjicit *Annaeum Senecam*, sive internuntius inter eum Pisonemque fuit, sive ut Neronis gratiam pararet, qui infensus Senecæ, omnes ad eum opprimendum artes conquirebat. Tum cognito Natalis indicio, Scevinus quoque pari imbecillitate, an cuncta jam patefacta credens, nec ullum silentii emolumentum, edidit ceteros. ex quibus Lucanus, Quintianusque, & Senecio diu abnuere. Post promissa impunitate corrupti, quo tarditatem excusarent, Lucanus *Acillam matrem suam*, Quintianus *Glicium Gallum*,
57 Senecio *Annium Pollionem* amicorum præcipuos nominavere. Atque interim Nero recordatus Volusii Proculi indicio Epicharim attineri, ratusque muliebre corpus impar dolori, *tormentis dilacerari* jubet. At illam non verbera, non ignes, non ira eo acrius torquentium ne à femina spernerentur, pervicere quin objecta denegaret. Sic primus quæstionis dies contemptus. Postero cum ad eosdem cruciatus retraheretur [5] gestamine sellæ (nam dissolutis membris insistere nequibat) vinclo fasciæ quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellæ restricto, indidit cervicem, & corporis pondere connisa, tenuem jam spiritum expressit: clariore exemplo libertina mulier in tanta necessitate alienos ac prope ignotos protegendo, cum ingenui & viri & equites R mani [6] senatoresque intacti tormenti, [7] charissima suorum quisque pignorum

rat ipse, & sibi tanquam testi credi velit. *Gronovius.* Hoc displicet Ryckio, Ita ut scribat Patrem meum non sic pronunciaturum fuisse, si scivisset in Agricolæ Manuscripto extitisse illud *ut se se pariter.* Scilicet patronus libertum non satis indicaret, nisi de eo diceret *sese*, & unum non sufficisse. Omnino fallitur, & quidquid illud est, opinor Agricolam petisse ex consideratione infausta codicis Medicei, ubi quum legatur *crim̄ l;fisse* (nam Pichena characteres illos non satis clare proponit) nequaquam inde potest commode elici *ut sese*, sed potius *cuius se*. Neque enim ista nota *l;* aliquo modo potest indicare *ut*, sed quidem *ius*, (unde in alio MS. id explanatum *crimen jussisse*) quasi vere fuisset *crimen cujus sit se*. Jac. Gronovius.

Crimen visum] Non erat hoc crimen, fomenta parasse; sed conjurasse. Itaque legam, *criminis*, *cujus se pariter indicem & testem faceret*. Et vero libri etiam quidam, *faceret*, prætulerunt. *Lipsius.*

1 *Ac secreto collocutum*] Farnes. *secreta*, & ad oram, *Seneca:* non probo. Statim è libris edidi, *An cuncta jam patefacta credens*. non ut obtinuerat, *ante*. Notum & creberrimum Tacito dicendi genus. *Idem.*

Ac secreto collocutum] Flor. *ac secreta*. sed vulgata magis placet. *Pichena.* Pichenam sequuntur editiones. Sed quid Ovidius? Ille sane dicit 4. Met. 224. *Arripite arbitrium matri secreta loquentis.* An non hæc secreta exprimit noster 2, 82. *Hoc egisse secretos cum Plancina sermones.* Et 2. hist. 76. *Post multos secretosque sermones.* Jac Gronovius.

2 *Ergo accitur Natalis*] Scripsimus, *Ergo accitus Natalis*. subaudi *est*. Rhenanus. *Accitur* tamen est in Flor. Id enim exprimit *acci'*. Jac. Grnnovius.

3 *Totius conjurationis*] At Medic. *conspirationis*. Jac. Gronovius.

4 *Simul arguendi peritior*] Faërnus parva mutatione legebat: *simul arguenti paratior*. Ursinus. Non ausim dubitare legendum cum Faërno, *simul arguenti*, (vel si malueris, *urgenti* Neroni) *paratior*. lib. 14. *successe parata*. Apul. lib. 7. *parati morti*. Pricæus.

5 *Gestamine sella*] Eadem sævitia est quam tangit Ammianus lib. 29. *Promiscue juvenes aliique, membris omnibus capti, ad supplicia sellis gestateriis ducebantur.* Lipsius.

Retraheretur gestamine sella] Post hoc verbum Pichena & Freinshemius auxerunt editiones suas distinctione prorsus intolerabili, unde quum occasio daret, in Exercitationibus de exitu Judæ monui, & bene induxit Ryckius, quem imitor. *Jac. Gronovius.*

6 *Senatoresque intacti tormentis*] Ita Farnes. optime Vatic. *intactis*, littera una redundante. Ex quo fonte vulgatus error, *in tantis*. Res clara. Insigni laude, ait, dignanda libertina mulier, quæ toties pressa

norum proderent. Non enim omittebant Lucanus quoque & Senecio & Quintianus passim conscios edere, magis magisque pavido Nerone, quamquam multiplicatis excubiis semet sepsisset. Quin & urbem per manipulos occupatis mœnibus, insesso etiam mari & amne, velut in custodiam dedit. Volitabantque per fora, per domos, rura quoque & proxima municipiorum, pedites equitesque permixti Germanis, quibus fidebat princeps quasi externis. Continua hinc & juncta agmina trahi, ac foribus hortorum adjacere. Atque ubi dicendam ad caussam introissent, [1] *lætatum erga conjuratos, si fortuitus sermo, & subiti occursus, si convivium, si spectaculum simul inissent*, pro crimine accipi: cum super Neronis ac Tigellini sævas percunctationes, Fenius quoque Rufus violenter urgeret, nondum ab indicibus nominatus, [2] sed quo fidem inscitiæ pararet, atrox adversus socios. Idem Subrio Flavio [3] assistenti, annuentique an inter ipsam cognitionem destringeret gladium, cædemque patraret; [4] renuit, infregitque impetum jam manum ad capulum referentis. Fuere 59
qui prodita conjuratione, dum auditur Milichus, dum dubitat Scevinus, hortarentur Pisonem *pergere in castra, aut [5] rostra escendere, studiaque militum & populi tentare: si conatibus ejus conscii aggregarentur, secuturos etiam integros, magnamque motæ rei famam, quæ plurimum in novis consiliis valeret. Nihil adversum hoc Neroni provisum. etiam fortes viros subitis terreri; nedum ille scenicus, Tigellino scilicet cum pellicibus suis comitante, arma contra cieret. [6] Multa experiendo confieri, quæ segnibus ardua videantur. Frustra silentium & fidem in tot consciorum animis & corporibus sperari. Cruciatu aut præmio, cuncta pervia esse. Venturos qui ipsum quoque vincirent, postremo indigna nece afficerent. Quanto laudabilius periturum, dum amplectitur rempublicam, dum [7] auxilia libertati invocat, dum miles potius deesset, & plebes desereret, dum ipse majoribus, dum posteris, si vita præriperetur, mortem approbaret?* Immotus iis, & paululum in publico versatus, post domi secretus, [8] animum adversum suprema firmabat, donec manus militum

pressa constanter indicare abnuerit ignotos: cum viri & Senatores etiam proxima pignora sua proderent, sine tormentis. *Lipsius.*

Senatores in tantis tormentis] Faernus legebat: *Senatoresque intacti tormentis.* Ursinus. Leviter maculata sunt. Lego, *intentis*, & hoc sensu. Senatores: & equites, vitis modo tormentis animis eccidere, cum libertina iis propemodum laniata, nil interea mutiret. Juvant hæc de iisdem viris dicta: *& tormentorum aspectum ac minas non tulere.* Nec non sequentia, *intentæ mortis metu subegerunt.* Salinerius.

7 *Charissima suorum quisque pignorum proderent*] Castigavi, *Charissima quoque suorum pignorum proderent.* Rhenanus. Muretus, *quisque*, quod malim & ipse. Notat id ipsum ex Rom. editione Modius lib. 15. Novantiq. *Acidalius.* Flor. ac Ven. *carissima suorum quisque pignorum.* Vulgo, *carissima quaque suorum pignorum.* Pichena.

1 *Lætatum erga conjuratos*] Reposui, *lætatum erga conjuratos.* Rhenanus. Corrupta: quæ nunc non sano. Conjeci sed leviter, *certatim arguere conjuratos.* Sententia & emendatio vera è sequentibus verbis elicienda. *Acidalius.* Arrisisse aliquando quacumque occasione cuiquam è conjuratis; frontem exporrexisse, & vultum hilariorem finxisse ad adventum, aspectum, obitum, occursum, alloquium, dictum, gestum motumve alicujus. Nihil hic suspectum. *Gronovius.*

2 *Sed quo fidem inscitia pararet*] Malim, *& quo fidem.* Acidalius. Scripserim; *& quo fidem.* Freinshemius.

3 *Assistenti, annuentique*] Malim, *innuentique*] Acidalius.

4 *Retinuit, infregitque*] Faernus dudum, *renuit*, legebat: probaturque à quibusdam libris, & rectum est, Annuerat Flavius, iste renuit. *Lipsius.*

Retinuit infregitque impetum] Non est dubium, quin, *renuit*, legendum sit, pro, *retinuit.* & ita Faernus emendabat. *Ursinus.* Verbum, *renuit*, ex Flor. & aliis Manuscriptis restitui. Male antea, *retinuit.* Flavius enim Fenio annuit, & Fenius Flavio renuit. lib. 1. ann. *renuit Tiberius.* Pichena.

5 *Rostra escendere*] Libri scripti. *Lipsius.*

6 *Multa experiendo confieri*] Negligere nolui verbum, *confieri*, quod est in Floren. & ab optimis autoribus usurpatur. Vulgo, *fieri.* Pichena.

7 *Auxilia libertati invocat, dum miles potius deesset &c.*] Legam, *auxilia libertati invocat. Miles potius deesset. &c.* Acidalius. Sane hoc Acidalii confirmatur ab Mediceo, in quo non exstat vocula *dum* ante vocem *miles.* Jac. Gronovius.

8 *Animum adversum suprema firmabat*] Nos, *firmat.*

militum adveniret, quos Nero tirones aut stipendiis recentes delegerat. Nam vetus miles timebatur, [1] tamquam favore imbutus. Obiit abruptis brachiorum venis. Testamentum fœdis adversus Neronem adulationibus, amori uxoris dedit, quam degenerem, [2] & sola corporis forma commendatam, amici matrimonio abstulerat. [3] Nomen mulieris Arria Galla; priori marito, [4] Domitius Silius: hic patientia, illa impudicitia, Pisonis infamiam propagavere. Proximam necem Plautii Laterani consulis designati Nero adjungit, adeo propere, ut non complecti liberos, non illud [5] breve mortis arbitrium permitteret. Raptus in locum [6] servilibus pœnis sepositum, manu Statii tribuni trucidatur, [7] plenus constantis silentii, nec tribuno objiciens eandem conscientiam. Sequitur cædes Annæi Senecæ lætissima principi, non quia [8] conjurationis manifestum compererat, sed ut ferro grassaretur, [9] quando venenum non pro-

mat. Rhenanus. Melius ex Flor. ac Ven. *firmabat*, quam, *firmat*, ut in vulgatis. *Pichena.*

1 *Quamquam favore imbutus*] Mutavi meum secutus judicium, *quamquam*, in *tanquam*. Rhenanus.

2 *Et sola corporis forma commendatam*] Volumen regium, *& sola corporis fama com.* Rhenanus.

3 *Nomen mulieris Arria Galla*] Lego, *mulieri*. quod quilibet videt. Et est forte mendum typographicum. *Acidalius.*

4 *Domitius Silius*] Scripsimus, *Domitius Silius.* Rhenanus. Etiam scire licet Florentiæ legi *Domitius Silus*: cognomine pernoto ex Ciceron. 2. Orat. 70. *Jac. Gronovius.*

5 *breve mortis arbitrium*] Profecto breve. Nam Nero *mori jussis non amplius quam horarium spatium dabat.* Lipsius.

6 *Servilibus pœnis sepositum*] Disce ergo clare, Lector, locum certum fuisse in pœnam servorum viliumque capitum. Quem illum? Sestertium, ut opinor. Ita enim locus, non Romæ, sed extra urbem, ubi cruces, patibula defixa, cadavera abjecta, aliaque quæ ad supplicia plebis. Plutarchus in Galba: Τὴν δὲ Γάλβα τοῖς Πατροβίου καὶ Οὐιτελλίου δούλοις ἐδωρήσατο. Ἀνελόντες δὲ ἐκεῖνοι καὶ πάντα τρόπον αἰκισάμενοι καὶ καθυβρίσαντες, ἔρριψαν εἰς τὸν ὑπὸ τῶν Καισάρων κολαζομένους θανατοῦσθαι. Ὁ δὲ τόπος Σεστέρτιος καλεῖται. id est: *Galbæ caput Patrobii & Vitellii servis donarunt. quod illi acceptum omni contumeliarum & ludibriorum genere afficientes abjecerunt in locum, ubi occidi solent in quos Cæsar jussit animadvertere. Locus Sestertium dicitur.* Extra urbem, dico, is locus (errant qui de Gemoniis suspicantur) vel nominis argumento. Sic enim dictus, quia semitertio ab urbe milliari. Ea quidem ratio appellandi, recepta Romanis. Ita Septimum, Palatium sub urbe, Justiniani, L. XXXIV. C. De donation. Decimum, suburbanum Carthaginis Procopio. Septimum Hostiense, Symmachi villa, l. VI. ep. Quartum Latinæ, apud eumdem lib. IX. Quartum Pollionis, Martialem lib. III. Credo fuisse extra portam Esquilinam: & odorati videor corruptionem ejus verbi in commentatore Horatii, uti Cruquius sedulæ industriæ interpres eum edidit. *Esquilinus mons Roma ex septem montibus. Hinc Esquilina porta Romæ dicitur, adjessorium, ubi certus erat locus sepulchrorum ad corpora pauperum aut sceleratorum viliumque comburenda, aut canibus projicienda.* Legerim, *ad sestertium.* Sicut in vita Cypriani: *Cum venisset ad eum locum qua dicitur Sextus, quarto ab urbe milliari.* emendatum ab aliis recte, *Sextertius.* Lipsius.

7 *Plenus constantis silentii*] Egregii viri mortem plenius Arrianus descripsit, lib. I. cap. I. Λατερανὸς ἐν Ῥώμῃ κελευσθεὶς ὑπὸ τοῦ Νέρωνος ἀποκεφαλισθῆναι, ἐκτείνας τράχηλον, καὶ πληγεὶς, καὶ πρὸς αὐτὴν τὴν πληγὴν ἀσθενῆ γενομένην ἐπ' ὀλίγον συνελκυσθεὶς, πάλιν ἐξέτεινε. Ἀλλὰ καὶ ἔτι πρότερον, προσελθόντι Ἐπαφροδίτῳ τῷ ἀπελευθέρῳ τοῦ Νέρωνος, καὶ ἀνακρίνοντι αὐτὸν ὑπὲρ τῆς συγκρούσεως, Ἄν τι θέλω, φησὶ, ἐρῶ σου τῷ κυρίῳ. O excelsum animum & supra omnem hanc terrenam fecem. *Lipsius.*

8 *Conjurationis manifestum compererat*] Habes hoc loco sapientem & providam Ryckii notam his verbis (ita Flor. & Meus 15, 64, 3. *magna cogitationis manifestus*; & sic sæpe) etsi non tam nota hæc est, quam contradictio opposita iis, quæ edideram ad fovendam lectionem codicis Oxoniensis, etiam his verbis (MS. *conjurationis compererat*, omisso τοῦ *manifestum*, quod certe videtur probandum ex propria vi τοῦ *comperire*, unde *compertus flagitii* &c.) Hinc patet illum non agere, quod debebat: neque enim dubitavi unquam, an *manifestus* cum genitivo posset construi. Qui poteram? verum antea? cui a pueritia sic placuit Ovidius, in quo plus vice simplici *manifesta doloris*, aut apud Sallustium *manifestis rerum capitalium*? an vero tunc in Tacito totus? in quo mox recurrit *pavoris manifestus.* quid scripsit ergo Rhenanus ad 12, 23. ubi in hanc rem colligit tot Taciti loca, ut videas ineptivisse tunc Ryckium, neque quid exstaret in Florentino, me debuerat docere velle. Sed monstrare debuerat *compererat manifestum.* Hæc juncta sic non dabit, quum *compertus* sit idem qui *manifestus.* Cicero huc venit, ut dicat *facinus manifesto compertum ac deprehensum*; item *re comperta manifestoque deprehensa.* Mox in Mediceo legitur *uti viseret.* Jac. Gronovius.

9 *Quando venenum non processerat*] Codex manuscriptus,

processerat.. Solus quippe Natalis, & hactenus prompsit; *missum se ad ægrotum Se-
necam, ut viseret conquerereturque, cur Pisonem aditu arceret? melius fore si amicitiam
familiari congressu exercuissent.* Et respondisse Senecam; *sermones mutuos & crebra col-
loquia neutri conducere: ceterum salutem suam incolumitate Pisonis inniti.* Hæc ferre Gra-
nius Silvanus [1] tribunus prætoriæ cohortis, & *audita Natalis*, [2] *suaque responsa nosce-
ret*, percunctari Senecam jubetur. Is, forte, an prudens, ad eum diem [3] ex Cam-
pania remeaverat, [4] quartumque apud lapidem suburbano rure substiterat. Illo pro-
pinqua vespera tribunus venit, & [5] villam globus militum sepsit. Tum ipsi [6] cum
Pompeja Paullina uxore & amicis duobus epulanti mandata imperatoris edidit. Se- 61
neca, *missum ad se Natalem, conquestumque nomine Pisonis* [7] *quod visendo eo prohibere-
tur*, [8] *seque rationem valetudinis & amorem quietis excusavisse*, respondit. *Cur salutem
privati hominis incolumitati suæ anteferret, caussam non habuisse.* [9] *nec sibi promptum in
adulationes ingenium. Idque nulli magis gnarum quam Neroni, qui sæpius libertatem Se-
necæ, quam servitium expertus esset.* Ubi hæc à tribuno relata sunt, Poppæa & Ti-
gellino coram, [10] quod erat sævienti principi intimum consiliorum, interrogat: *an
Seneca voluntariam mortem pararet?* Tum tribunus [11] *nulla pavoris signa, nihil triste in
verbis ejus aut vultu* [12] *deprehensum* confirmavit. Ergo *regredi*, & [13] *indicere mor-
tem*

scriptus, *quoniam venenum non processerat.* Nec magnopere refert. *Rhenanus.*

1 *Tribunus cohortis*] Hic cavere oportet. Nam novissimæ editiones, in quibus Ryckiana, sic exhibent, quum priores, Lipsianæ & adhuc quoque ipsa Marniana Pichenæ, prodant, *tribunus prætoriæ cohortis*, quod integrum revocavi; est enim negligentiæ crimen in editoribus, quum & in MSS. ea vox offeratur fideliter. *Jac. Gronovius.*

2 *Suaque responsa nosceret*] Videatur forte melius *adnosceret*. Sed illud firmatur loco Ann. lib. 13. *Itur ad Agrippinam, ut nosceret objecta dissolveretque, vel pœnas lueret.* Ubi omnino malim veterem lectionem, quam Modius 99. Novantiq. annotat. *pœna.* Acidalius.

3 *Ex Campania*] Ubi extremis annis multus fuit, rarior in aula, & Sapientiæ studus occupatus *Epistolæ* ibi, & *Quæstiones Naturales*, sub hoc tempus structæ. *Lipsius.*

4 *Quartumque apud lapidem*] In villa sua Nomentana, ut volunt, qui vitam nobis scripsere. Sed ambigo, quia Nomentum longius aberat, & duodecimo fere lapide. Nisi si tractus eo versus hucusque Nomentanus diceretur. *Lipsius.*

5 *Villam globus militum sepsit*] Sive *globis*. Acidalius. Vulgo, *globus*, suo quidem sensu. Sed melius, *globis*, ex Flor. ut ad Tribunum ipsum referatur; qui globis militum villam sepsit. *Pichena.*

6 *Cum Pompeia Paullina uxore*] Quam nobilissimam feminam Dio appellat; filiam fortean Pompeji Paullini, qui supra Consularis dicitur, & vectigalibus publicis præpositus. *Lipsius.*

7 *Quod a visendo eo prohiberetur*] Emendavimus, *quod visendo eo prohiberetur.* Solet enim tales præpositiones omittere Tacitus. *Rhenanus.* Suspecta alicui esse posset vox *visendo*, tanquam partus librarii. *Gruterus.* In Mediceo quum plane exstet *à visendo*, id meretur summam reverentiam. *Jac. Gronovius.*

8 *Se ratione valetudinis & amore quietis*] In Cod. manuscripto legitur, *rationes valetudinis & amorem quietis excusavisse.* Rhenanus. *Seque rationem valetudinis, & amorem quietis excusavisse.* Lectio hæc ex Flor. at vulgata: *se ratione valetudinis, & amore quietis* &c. *Pichena.*

9 *Nec sibi promptum*] Ipse de se ad Neronem: *Non blandiar auribus tuis. nec enim mihi hic mos est. Maluerim veris offendere, quam placere adulando.* Lipsius.

Nec sibi promptum in adulatione ingenium] Pluralitatem hanc non sperno. mallem tamen, *adulationem*. de simili lapsu dixi ad lib. 3. Ann. in principio. *Pichena.*

10 *Quod erat sævienti principi intimum consiliorum*] Hoc ipsum graviter perstringit Plin. 30, 2. *Utinam inferos potius, & quoscunque de suspicionibus suis deos consuluisset, quam Lupanaribus atque prostitutis mandasset inquisitiones eas: nulla profecto sacra, barbari licet ferique ritus, non mitiora quam cogitationes ejus fuissent.* Freinshemius.

11 *Nulla pavoris signa*] Lege hæc cum sequentibus: & admitte, sodes, calumnias Dionis. *Lipsius.*

12 *Deprehensum*] MS. Medic. *deprensum*. Nam & hoc sciri interest. *Jac. Gronovius.*

13 *Indicere mortem jubetur*] Interrogatus Tribunus an mortem voluntariam sibi Seneca pararet, eam non paranti, indicere à Nerone jussus est. Erat enim summum, quod tyranni veteres haberent, damnato jure vel injuria liberam mortis electionem concedere, quo de se statueret reus genus mortis, quod expeditissimum videretur. Sic supra

tem jubetur. Tradit Fabius Rusticus; *non eo quo venerat itinere reditum, sed flexisse*
ad Fenium præfectum, & expositis Cæsaris jussis, an obtemperaret interrogavisse: moni-
tumque ab eo, ut exsequeretur, fatali omnium ignavia. nam & Silvanus inter conju-
ratos erat, augebatque scelera in quorum ultionem consenserat. Voci tamen &
aspectui pepercit. Intromisitque ad Senecam unum ex centurionibus, qui *necessitatem*
61 *ultimam* denuntiaret. Ille interritus poscit *testamenti tabulas:* ac denegante centurio-
ne, conversus ad amicos, *quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur*, [1] *quod*
unum jam & tamen pulcherrimum habeat, imaginem vitæ suæ relinquere testatur. *cujus si*
memores essent [2] *bonarum artium, famam tam constantis amicitiæ laturos.* Simul lacry-
mas eorum, modo sermone, modo intentior in modum coërcentis, ad firmitudinem
revocat, rogitans: *Ubi præcepta sapientiæ? ubi tot per annos meditata ratio adversum*
imminentia? Cui enim ignaram fuisse sævitiam Neronis? Neque aliud superesse, post matrem
63 *fratremque interfectos, quam ut educatoris præceptorisque necem adjiceret.* Ubi hæc atque
talia velut in commune disseruit, [3] complectitur uxorem. & paululum [4] adversus præ-
sentem fortitudinem mollitus, rogat oratque [5] *temperaret dolorem* [6] *æternum suscipere,*
sed

supra lib. 11. Vitellius sub Claudio *Valerio Asiatico liberum mortis arbitrium permisit.* Sic paulo ante. *Plautio Laterano non illud breve mortis arbitrium permisit Nero.* Ita quoque infra lib. 16. *Thraseæ Sorano Serviliæque datur mortis arbitrium ex Senatusconsulto.* Apud Sueton. Tib. 54. *Germanici filium putant Neronem ad voluntariam mortem coactum.* Placuitque Senecæ mortem eo, quo brevior futura esset, magis eligendam, adversus Platonem, qui non licere sibi ipsi manus inferre censuerat epist. 71. ad Lucilium. Proinde, ait Ulpianus, *Nec liberam mortis facultatem concedendi jus præsides habent: multo minus* (ita lego, non, *multo magis*) *vel veneno necandi. Divi tamen fratres rescripserunt, permittentes liberam mortis facultatem.* L. 8. §. 1. D. de pœnis. *Vertranius.*

1 *Quod unum jam & tamen pulcherrimum*] Mutavi, *quod unum jam tamen & pulcherrimum habebat.* Rhenanus. Faernus legebat: *Quod unum tantum, & pulcherrimum habebat*, pro eo quod vulgo legitur: *Quod unum jam tamen & pulcherrimum hab.* Ursinus. Lege; *quod unicum tamen & pulcherrimum habeat.* Acidalius. *Quod unum jam, attamen pulcherrimum* &c. hanc Florentini ac Veneti lectionem prætuli. Vulgo, *jam tamen, & pulcherrimum.* Pichena. Quid lectionis Pichena & Ryckius vel ex codice Mediceo in contextum invehant, vel in eo exstare per notas prædicent, viderint. Id quod nunc legis, unum scias in eo legi, non aliud; *& tamen* dico in illo scriptum esse, non *attamen.* Jac. Gronovius.

2 *Bonarum artium*] Faernus hæc verba delebat. *Ursinus.* Lego, *bonarum artium famam, tum constantis amicitiæ laturos.* Atque ita fere etiam Muretus. *Acidalius.*

3 *Complectitur uxorem paululum adversus præsentem formidinem mollitus*] Hic inseruimus particulam *&. Complectitur uxorem, & paululum adv. pr. form. moll. orat rogatque.* Rhenanus. *Mollitus* hercle Senecæ non convenit. Muretus voluit, *molitur.* L. *& paullo adversus præsentem formidinem mollius rogat oratque* &c. Paullo nunc mollius, quia ante intentior in modum coërcentis, ad firmitudinem revocaret. Acidalius. *Et paululum adversus præsentem fortitudinem mollitus;* ne minimum quidem dubitavi, quin hanc *fortitudinis* vocem Florentini codicis auctoritate reponerem. nam vulgata, *adversus præsentem formidinem*, mihi à Taciti mente, & ab historia ipsa aliena videtur, cum nulla hic appareat formido; neque antecedentia aut subsequentia verba, ullam in Seneca formidinem arguunt. Sensus est: Senecam, dum complectitur uxorem, aliquantulum contra ingenitam præsentemque animi fortitudinem mollitum, quasi mors ei molesta esset, amore uxoris. Firmatur hic sensus ex ipso Seneca epist. cv. in principio: *Ille qui non uxorem, non amicum tanti putat, ut diutius in vita commoretur, qui perseverat mori, delicatus est. Hoc quoque imperet sibi animus, ubi utilitas suorum exigit: nec tantum sibi velis mori, sed si cœpis, intermittas, & suis se commodet. Ingentis animi est, aliena causa ad vitam reverti, quod magni viri sæpe fecerunt.* Pichena. Scribendum, *paullulum adversus præsentem formidine mollitus*, diximus 2. Observ. 20. *Gronovius.*

4 *Adversus præsentem formidinem*] Liber Florent. *fortitudinem:* quod Pichena explicat, contra ingenitam ac præsentem fortitudinem. At ego, *formidinem*, retineam: sed à Seneca amoliar in uxorem, legamque, *mollitam.* Quod si de Seneca, legam: *adversus præsentia, formidine mollitus.* Nimirum adspectu illo complexuque amatæ & amantis uxoris, & cogitatione instantium, sensit metus aliquos motus: sed compressit, & evicit. statimque uxorem ad robur etiam hortatur. *Lipsius.*

5 *Temperaret dolori, ne æternum susciperet*] Corrupte Florent. *temperaret dolorem, æternum susciperet.* At vulgatæ lectionis non ineptus sensus. Hortatur uxorem Seneca ut dolori temperet, nec in
eo,

sed in contemplatione vitæ per virtutem actæ, desiderium mariti solatiis honestis toleraret. Illa contra, [1] *sibi quoque destinatam mortem* adseverat, manumque percussoris exposcit. Tum Seneca gloriæ ejus non adversus, simul amore, ne sibi unice dilectam ad injurias relinqueret: *Vitæ*, inquit, *delinimenta monstraveram tibi, tu mortis decus mavis. non invidebo exemplo. Sit hujus tam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo fine.* Post quæ eodem ictu brachia ferro exsolvunt. Seneca, quoniam senile corpus & [2] parco victu tenuatum, lenta effugia sanguini præbebat, crurum quoque & poplitum venas abrumpit. Sævisque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum uxoris infringeret, atque ipse visendo ejus tormenta, ad impatientiam delaberetur, [3] suadet, *in aliud cubiculum abscederet.* Et novissimo quoque momento suppeditante eloquentia, advocatis scriptoribus, pleraque tradidit, [4] quæ in vulgus edita ejus verbis, [5] invertere supersedeo. At Nero, nullo in Paullinam proprio odio, ac ne glisceret invidia crudelitatis, [6] inhibere mortem. Hortantibus militibus;

eo, dum vixerit, perseveret. *Pichena.* Legendum, *temperaret dolorem æternum suscipere.* Vide 2. Observ. 20. *Gronovius.*

6 *Ne æternum susciperet*] Quid hic turbent aut rescribant, nescio: creber & velut ex formula sermo erat de *æterno*, id est magno & insolabili dolore. Lucretius:

——— *æternumque*

Nulla dies nobis mœrorem è pectore tollet.

In lapidibus: *Æterno dolore adflictus.* Rogat ergo parce & modice, id est sapienter, dolere. *Lipsius.*

1 *Sibi quoque destinatam mortem adseverat*] Conjunctio *quoque* non est in volumine Budensi. *Rhenanus.*

2 *Parvo victu*] Id dici potest. Sed quæritur, quid Tacitus scripserit. Id vero est, quod nunc etiam in contextu prompsi, nempe *parco victu*: ad quod qua cura venerim, narrant notæ Cl. Ryckii, quum in schedis accurate notavissem. Sed ex hoc loco simul & notatione Clarissimi, quem nomino, viri animadvertas licet, quam fuerit ille codex, quem tantopere possessor insignis præter meritum ostentavit, primum ab manu non satis laudanda scriptus, mox vanis correctionibus variegatus. Neque enim illud *parvo ictu* ex ipsius aut simili codice depromptum dici debet, (est enim in Mediceo scriptum non nova aut recente manu, sed sane jam diuturna) verum ex Mediceo non satis considerate translatum in codices longo post tempore exaratos. *Jac. Gronovius.*

3 *Suadet in aliud cubiculum abscedere*] Scripsimus, *abscederet.* Rhenanus.

4 *Quæ in vulgus edita ejus verbis*] Temporibus Cornelii nostri liber Senecæ extabat & lectitabatur, quo in sævitiam Neronis invectus supremis potius verbis quam tabulis exitum descripsit suum. Is vero libellus non inter Tragicos Neronis nunc superest, quamvis nonnullis id commentum placeat. Fuit autem, ni fallor, factus dissimili argumento, oratione ac stylo. De quo Xiphilinus Cassii epitomator inquit; *Seneca non prius sibi manus attulit, quam libellum, quem tum scribebat, cæteraque emendavisset, quæ non audebat apud quenquam deponere, metuens, ne, si forte in Neronis manus venissent, interirent. Itaque Seneca hoc modo decessit è vita, licet, ut homo imbecilli animo, Neroni consuetudinem, quam cum ipso habuisset, exprobraret.* Vertranius.

5 *Invertere supersedeo*] Quod factum fuisset, si hic aliis verbis retulisset, alioqui posset etiam legi, *innectere supersedeo*, quæ lectio mihi summopere probatur, nam superior sensus plane frigidus est. *Rhenanus.*

6 *Inhiberi mortem imperat*] Verbum *imperat* non est in libro manuscripto. quare Tacitum scripsisse suspicor, *At Nero nullo in Paulinam proprio odio, ac ne glisceret invidia crudelitatis, inhibere mortem. Inhibere*, id est, inhibebat. *Rhenanus.* Testatur Rhenanus, abesse à suo MSto verbum, *imperat.* Ego item à Florent. atque à duobus aliis veteribus. Forte scripsit Tacitus, *inhibet mortem.* Pichena. Alii; *inhiberi mortem imperat*: sed *imperat* istud nec in MS. Florentino, aliisque duobus Pichenæ veteribus; nec item in MS. Rhenani comparet. Ergo non dubitavi scripsisse Tacitum *inhibere.* pro inhibebat, aut inhibuit, forma loquendi ipsi, aliisque Latinis Scriptoribus usitatissima. *Freinshemius.* Clara hæc, & tam liquida, ut nullam afferant dubitandi causam; unde non invitus doctissimis viris præbui me comitem. At singularis maluit nunc esse Ryckius: adeo ut testetur se maluisse editiones veteres, retinentes nempe verbum *imperat*, sequi, ut firmius fundamentum. An probas? an id ita se habet? videtur vir præclarus nunc quoque ad aliquam impatientiam delatus fuisse. Quum Rhenanus testetur de Budensi libro, Mediceus, ex quo Beroaldus primam editionem confecit, pateat & a multis inspectus sit, & nuspiam in antiquis monimentis exstet verbum *imperat*, planum est ab lascivia unica Beroaldi fuisse admissum ex cap. 70. de Lucani casu. In Oxoniensi habetur verbum *imperat*;

litibus, fervi libertique [1] obligant brachia, premunt fanguinem, [2] incertum an ignaræ. nam ut eft vulgus ad deteriora promptum, non defuere qui crederent, *donec implacabilem Neronem timuerit, famam fociata cum marito mortis petiviffe; deinde oblata mitiore fpe, blandimentis vita evictam.* cui addidit paucos poftea annos, laudabili in maritum memoria, & ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut oftentui effet, multum vitalis fpiritus egeftum. Seneca interim durante tractu, & [3] lentitudine mortis, Statium Annæum [4] diu fibi amicitiæ fide & arte medicinæ probatum, orat *provifum pridem* [5] *venenum*, quo [6] damnati publico Athenienfium judicio exftinguerentur, *promeret:* allatumque haufit fruftra, [7] frigidus jam artus & clufo corpore adverfum vim veneni. Poftremo [8] ftagnum calidæ aquæ introiit, refpergens proximos fervorum, addita voce, [9] *Libare fe liquorem illum* JOVI LIBERATORI. Exin [10] balneo illatus, & vapore ejus exanimatus, fine ullo funeris folenni crematur. [11] Ita codicillis præfcripferat, cum etiam tum prædives & præpotens, fupremis fuis confuleret.

ferat; fed unde etiam ejus centones reprehendi queant. *Jac. Gronovius.*

1 *Obligant brachia, premunt fanguinem*] *Premere* idem hic, quod cohibere Ann. lib. 1. *multaque indicia fævitiæ, quanquam premantur, erumpere.* Hiftor. lib. 4 *preffit iras.* Pichena.

2 *Incertum an ignara*] Dubites an *ingrata.* i. e invitæ. ut Donatus ad Terentii Eunuchum eam vocem interpretatur. Et voluit P. Faber idem hoc verbi reponere in Tacito fup. lib. 12. ubi de pœna feminarum, quæ fervis conjungerentur: *Statuiturque ut ignaro domino ad id prolapfa.* legit *ingrato.* i. e. invito. Sed non probo. Hoc autem loco *ignara* nefcio qui convenire poffit. Infcienti enim obligare brachia, fiftere fanguinem non potuerunt Et fententiam alteram juvat, quod infra fequitur: *Deinde oblata mitiore fpe, blandimentis vita evictam* Acidalius.

3 *Et lentitudine mortis*] Placeret magis, ut Faernus legebat: *lentitudine mortis.* Urfinus.

4 *Diu fibi amicitia fide & arte medicina probatum*] Muretus, *& amicitia fide & arte medic.* Acidalius.

5 *Venenum, quo*] Cicutam. *Lipfius.*

6 *Damnati publico Athenienfium judicio extinguerentur*] Apparet ex regio volumine legi poffe; *damnatus. pub. Ath. jud. extinguerentur.* Rhenanus. Cicuta venenum eft, publica Athenienfium pœna invifa, inquit C. Plinius 15, 11. cujus abforptæ exemplum in Socrate fupereft apud Ælian. Var. lib. 1. & apud alios. *Vertranius.*

7 *Frigidis jam artubus & claufo corpore adverfus vim veneni*] In regio volumine legitur, *Frigidus jam artus & clufo corpore adverfus vim veneni.* Græca conftructio eft, fed Hiftoricis permiffa. *Rhenanus.* Danefius emendabat; *Frigidus jam artubus,* &c. non, *frigidis.* Urfinus. Brevitati auctoris non admodum faciunt tres voces poftremæ, *adverfus vim veneni.* invexit eas forfan gloffa. *Gruterus.* Quod calefacto corpore vim fuam exferent, cum natura fua fit frigidiffimum, ut oftendit Plinius 25, 13. Ideoque Athenis, qui cicutam bibere debebant, ambulare jubebantur, ut apparet ex Phœdone Platonis in fine. *Freinshemius.* Id quod teftatur Rhenanus de regio codice, quum etiam per totidem apices contineatur in Mediceo tam vetufto, quæ violentia his duobus refiftet? præfertim quum illa fatis amœna varietas clamet eam ipfius Taciti fcripturam effe. Itaque expuli iftud *artubus* ut alii, vel *artibus.* Ad hanc fpeciem referri quoque debet nota Paterna ad 1. hift. 42. Livium, Auctorem belli Africani, Suetonium parans, ut inde Tacitum fimiliter loquentem inducat. Validius adduxiffet id quod ipfe tractat 1. hift. 85. *Animum vultumque converfus.* Κατεσκληκὼς τὸ σῶμα dicitur ab Luciano: & alii Græci paffim. *Jac. Gronovius.*

8 *Stagnum calida aquæ*] Non folet: & fcribit ipfe, *in omnem vitam balneo fe abftinuiffe:* fed nunc ufurpat primum & poftremum, maturandæ morti, & ut fanguis effluere, vel ut venenum in calidum corpus permearet. *Stagnum* autem intellegit *Solium,* opinor. *Lipfius.*

9 *Libare fe liquorem*] Ita Thrafeas moriturus, *Libemus, inquit, Jovi liberatori.* Cauffa viris magnis, hujus in fupremis joci, a more Græciæ, qui difceffuri è convivio libabant Jovi fervatori. fic illi è vita, Jovi liberatori. Athenæus l. xv. in fragmento quod Canterus olim amicus nofter publicavit: Τῷ δὲ μετὰ δεῖπνον κιρναμένῳ πρώτῳ προσδιδομένῳ ποτηρίῳ Δία σωτῆρα ἐπιλέγουσι. Suidas: Ἔθος εἶχον οἱ παλαιοί, μετὰ τὸ δεῖπνον πίνειν ἀγαθοῦ δαίμονος, ἐπιρροφοῦντες ἄκρατον, καὶ τοῦτο λέγειν ἀγαθὸν δαίμονα. Ἄλλοι δὲ φασὶ τὸ πρῶτον ποτήριον οὕτω λέγεσθαι, χωρίζεσθαι δὲ μέλλοντας, Διὸς σωτῆρος. Adde huc, fi vis, plura ab Erafmo in Chiliade 11. centuria VIII. in Proverbio, *Servatori tertius.* Lipfius.

10 *Balneo illatus*] Sicco & Laconico, ut videtur; nam addit *vapore exanimatum,* acri illo & ardenti. *Lipfius.*

11 *Ita codicillis perfcripferat*] Suppofui, *præfcripferat,* quamquam me non latet elegans effe verbum *perfcribere,* & hic locum habere poffe. *Rhenanus.*

1 *Occi-*

leret. Fama fuit, Subrium Flavium cum centurionibus occulto consilio, neque tamen ignorante Seneca, destinavisse, *ut post* [1] *occisum opera Pisonis Neronem, Piso quoque interficeretur, traderetur que imperium Senecæ,* [2] *quasi insonti claritudine virtutum ad summum fastigium delecto.* Quin & verba Flavii vulgabantur; *Non referre dedecori, si* [3] *citharœdus demoveretur, & Tragœdus succederet.* quia ut Nero cithara, ita Piso Tragico ornatu canebat. Ceterum militaris quoque conspiratio non ultra fefellit, [4] accensis 66
indicibus ad prodendum Fenium Rufum, quem eundem conscium & inquisitorem non tolerabant. Ergo [5] instanti minitantique, [6] renidens Scevinus, *neminem* ait *plura scire quam ipsum.* Hortaturque ultro *redderet tam bono principi vicem.* Non vox adversum ea Fenio, non silentium, sed verba sua præpediens, & [7] pavoris manifestus, ceterisque, ac maxime Cervario Proculo equite, ad convincendum eum connisis, jussu imperatoris à Cassio milite, qui ob insigne corporis robur adstabat, corripitur, vincitur que. [8] Mox eorundem indicio Subrius Flavius tribunus pervertitur, primo *dissimi-* 67
litudinem morum ad defensionem trahens; *neque se armatum* [9] *cum inermibus & effeminatis tantum facinus consociaturum*: dein postquam urgebatur, confessionis gloriam amplexus, interrogatusque à Nerone, quibus caussis ad [10] oblivionem sacramenti processisset: *Oderam te*, inquit, *nec quisquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti.*

odisse

1 *Occisum opera Pisonis Neronem*] Ita Flor. Vulgo, *ope Pisonis.* Pichena.

2 *Quasi insonti, claritudine virtutum ad summum fastigium delecto*] Hic quidem copulam Tacitus non omisit. Leg. *quasi insonti, & clar. v.* &c. *Acidalius.* In Flor. legitur, *insontib'.* quam additionem ego arbitror fuisse copulam pertinentem ad sequentia. Lege ergo: *quasi insonti, & claritudine virtutum,* &c. *Pichena.* Sic hæc conjungenda, *insonti claritudine virtutum.* Male, qui distinxerunt; Sextus enim casus hic est, non tertius. *Freinshemius.*

3 *Citharœdus demoveretur*] Id aliorum est. Mediceus liber testatur auctorem dedisse *demoveretur*, quod recepi, utpote crebro sic usurpatum ab eodem. *Jac. Gronovius.*

4 *Accensis indicibus ad prodendum Fenium Rufum*] Vocem addunt Flor. ac Ven. *Accensis quoque indicibus.* Pichena.

5 *Instanti minitantique renident Scevinus*] Flor. ac Veneti fide reposui, *renidens*, procul dubio aptius, quam, *renitens*, ut in vulgatis. *Pichena.*

6 *Renitens Scevinus*] Imo, *renidens.* & statim: *redderet jam bono Principi vicem.* Lipsius.

7 *Pavoris manifestus. ceterisque*] Sic distinguendum fuerat: *pavoris manifestus, ceterisque*: nam illud *manifestus* a sequentibus verbis *corripitur, vinciturque*, Freinshemius.

8 *Mox eorum indicio*] Melius credam, *eorumdem judicio.* Acidalius. Flor. *eorumdem indicio.* Alii, *eorum indicio.* Pichena. Cum statim subjiciatur hunc Flavium *dissimilitudinem morum ad defensionem traxisse: neque se armatum, cum inermibus & effeminatis tantum facinus consociaturum*: patet vocem *eorumdem* non esse referendam ad Scevinum & Fenium Rufum, sed potius ad Cervarium Proculum ceterosque, de quibus modo præcedit: certe Fenium ei numero eximendum constat. *Freinshemius.*

9 *Cum inermibus effeminatis tantum facinus consociaturum*] Hic copula intermittenda, *inermibus & effem.* Acidalius. Exciderat in vulgatis copula, *&*, quam ex Flor. restitui. *Pichena.*

10 *Oblivionem sacramenti*] Non temere sacramenti mentio. Nam milites sub Impp. ante omnia jurabant in Principis salutem. Pulchre Arrianus lib. I. cap. 14. Τῷ Θεῷ ἔδει καὶ ὑμᾶς ὀμνύειν ὅρκον, οἷον στρατιῶται τῷ Καίσαρι. Ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν τὴν μισθοφορίαν λαμβάνοντες ὀμνύουσι πάντων προτιμήσειν τὴν τοῦ Καίσαρος σωτηρίαν. id est: *Deo præstandum nobis jusjurandum est, quale militibus, Cæsari. At mercede accepta jurant rebus omnibus se præposituros salutem Cæsaris.* Tertullianus allusit docte, ut solet. De corona militis, ubi dissuadet Christiano militiam: *Credimusne humanum sacramentum divino superduci licere? & in alium dominum respondere post Christum: & ejerare patrem ac matrem & omnem proximum, quos & lex honorari præcepit?* Nam expressit propemodum formulam ipsam: quam attentus lector hauriet è Suetonii Calig. cap. xv. *De sororibus auctor fuit ut omnibus sacramentis adjiceretur, Neque me liberosque meos cariores habeo, quam Cajum & sorores ejus.* ubi scribendum ajo, *habebo.* Quod juramentum Dio etiam communicare cum Senatoribus videtur, in acta jurantibus anno novo, de ipso Cajo, lib 49. Περὶ δὲ τοῦ Αὐγούστου τοῦ τε Γαΐου τά τε ἄλλα, ὥσπερ εἴθιστο, καὶ ὅτι καὶ σφᾶς αὐτοὺς καὶ τὰ τέκνα, καὶ ἐκείνου καὶ τὰς ἀδελφὰς αὐτοῦ προτιμήσουσιν ὤμοσαν. Apposite ergo hic Nero à milite quærit, cur oblitus sacramenti, perditum ire voluerit in cujus salutem juraverat. *Lipsius.*

1 *Au-*

odisse cœpi postquam parricida matris & uxoris, [1] *auriga & histrio & incendiarius extitisti.* Ipsa retuli verba, quia non ut Senecæ, vulgata erant. nec minus nosci decebat militaris viri sensus [2] incomptos, sed validos. Nihil in illa conjuratione gravius auribus Neronis accidisse constitit, qui ut faciendis sceleribus promptus, ita audiendi quæ faceret, insolens erat. Pœna Flavii [3] Vejano Nigro tribuno mandatur. Is proximo in agro scrobem effodi jussit, [4] quam Flavius ut *humilem & angustam* increpans, circumstantibus militibus; *ne hoc quidem*, inquit, *ex disciplina.* [5] admonitusque fortiter

1 *Auriga, & histrio, & incendiarius extitisti*] Priorem particulam & submovimus, *auriga, histrio, & incendiarius fuisti.* Rhenanus. Hic restituimus copulam & ante vocem, *histrio*, ex Flor. *Pichena.*

2 *Et incomtos, & validos*] Assentior Rhenano, *incomtos, sed validos.* Lipsius.

Incomptos & validos] Hæ duæ voces, *& validos*, non sunt in libro Matthiæ Corvini. Legendum arbitror, *Nec minus nosci decebat militaris viri sensus, sed incomptos.* Facile est videre, quid induxerit castigatorem, ut adderet clausulam, *& validos.* Nempe &, conjunctio, pro qua *sed* scribendum erat. *Rhenanus.* Scriptum oportuisse, *sed validos* beatus censet, quod nobis placet, *Vertranius.* Lipsius Rhenano assentitur. Etiam ego: nisi potius credam, *sensus ut incomtos, ita valido.* Acidalius. Vulgo, *& incomptos & validos.* Emendatio à Rhenano, quam nonnihil juvat Flor. in eo enim vacat particula, &, ante vocem, *incomptos.* Pichena.

3 *Vejano Nigro Tribuno*] Tribuni ergo interdum supplicium ipsi manu sua sumebant. Uti supra hocce libro, Lateranus *manu Statii Tribuni trucidatur.* cui caput incisum esse ex Arriano didicimus. Et lib. 51. Messalina *ictu tribuni transfigitur.* Apud Senecam etiam scriptum, ep. IV. *Caius Cæsar jussit Lepidum Decio Tribuno præbere cervicem.* Notari volo. nam alias, Speculatores fere ad supplicia sumenda destinati: non insignes milites *Lipsius.* MS. Mediceus *Vejanio*, ut ille apud Horatium. Immo sic jam editiones Lipsianæ habent. *Jac. Gronovius.*

4 *Quamvis Flavius ut humilem & angustam increpans*] Non aliter illic legitur, nisi quod *angustum*, exemplar habet. Verum attentius inspecta scriptura deprehendisse mihi videor pro *quamvis* scribendum simpliciter *quem.* Mox est illic, *Ne hoc quidem, inquit, ex disciplina.* Sentit autem disciplinam militarem castrensemque. quare sic emendavimus locum: *Is proximo in agro scrobem effodi jussit, quem Flavius ut humilem & angustum increpans, circumstantibus militibus, Ne hoc quidem, inquit, ex disciplina.* Porro *scrobem* in masculino quoque genere usurpari non est ignotum ex auctoribus. *Rhenanus.* Faernus ex v. c. legebat: *Quam Flavius ut humilem & angustam*, &c. ad *scrobem* referens *Ursinus.* Sententiam meam accommodo Lipsianæ interpretationi; arbitranti hujusmodi scrobes effossas, ut in eas conderentur corpora. nam qui censent præparatas, quo honestius caderetur post vulnus, eis non admodum velificatur locus Dionis, ubi & Eunuchus Cleopatræ jam serpentum morsu petitus, ideoque ex animi arbitratu se compositurus, eandem adpetit. Verba sunt lib. 51. Ὁ γὰρ εὐνοῦχος ἅμα τῷ συλληφθῆναι αὐτήν, τοῖς τε ἑρπετοῖς ἑαυτὸν ἐθελοντὴς παρέδωκε, καὶ δηχθεὶς ὑπ' αὐτῶν, ἐς σορὸν προπαρασκευασμένην οἱ ἐσπεπηδήκει. Sed nec turpe quid præcavere voluisse videntur milites, de quibus Livius lib. 22. *Inventi sunt quidem mersis in effossam terram capitibus, quos sibi ipsos fecisse foveas obruentesque ora subjecta super humo injecta interclusisse spiritum adparebat.* Aliaque omnia voluisse Neronem appaiet ex Suet. 49. *Scrobem coram fieri imperavit, dimensus ad corporis sui modulum* &c. Nimirum quibus ignis negabatur ac reliquus apparatus funeris, terra saltem operiri amabant; ne centum annos errarent circa Stygem &c. idque ea propter tralatitia humanitate eidem quoque à prætereuntibus indultum: ut liquet ex Horatii Oda 28. lib. 1. aliorumque locis. Hucque facit istud Lucani lib. 8. *Summas dimovit arenas. Et collecta procul lacera fragmenta carinæ Exigua trepidus posuit scrobe.* Nec abit versus Taciti lib. 3. Hist. 25. *simul attollere corpus, aperire humum* &c. Ceterum confirmandæ opinioni nostræ, maxime servit Dionysius lib. 3. Antiq. Rom. Descripto enim parricidio Horatii, subjicit de patre ejus. Οὔτε ὅτι εἰς τὴν οἰκίαν αὐτῷ εἰσενεχθῆναι τὸν νεκρὸν τῆς θυγατρὸς εἴασ' ἐν τοῖς πατρῴοις τεθῆναι μνήμασιν ἐπέτρεψεν, οὔτε κηδείας καὶ περιβολῆς καὶ τῶν ἄλλων νομίμων μεταλαβεῖν, ἀλλ' οἱ παριόντες αὐτὴν ἐρριμμένην ἐν ᾧ διεχρήσθη χωρίῳ, λίθους ἐπιφοροῦντες καὶ γῆν, ἐκήδευσαν ὡς πτῶμα ἔρημον κηδεμόνων. Ex cujus verbis clarissima lux affulget Senecæ Hippolyto; carmine penultimo; ubi filio funeris solennia meditatus, uxorem Phædram damnat terræ his verbis:

Vos apparate regis flammam rogi:
At vos per agros corporis partes vagas
Anquirite. istam terra defossam premat.
Gravisque tellus impio capiti incubet.

Hæc libuit depromere ex Suspicionum loculis, ob monstrosam explicationem super isto aliisque loco Corneliano nuperi scriptoris, ne deinde & alio loco ceteri longius abirent à via veritatis regia. *Gruterus.* Vulgo, *quem Flavius ut humilem & angustum*, utrumque recte. Sed antiquiores codices secutus sum. Sic lib. 1. *quos patibula captivis, qua scrobes.* Pichena. Venetus: *quamvis Flavius:* forte legendum: *qua visa Flavius.* Freinshemius.

5 *Admonuitque fortiter*] Copulam, *que*, ex Flor. restitui. *Pichena.*

1 *Pro-*

titer [1] protendere cervicem: *Utinam*, ait, *tu tam fortiter ferias.* Et ille multum
tremens, cum vix duobus ictibus caput amputavisset, sævitiam apud Neronem ja-
ctavit, [2] *sesquiplaga interfectum à se* dicendo. Proximum constantiæ exemplum, Sul- 63
pitius Asper centurio præbuit. percunctanti Neroni, *cur in cædem suam conspiravisset?*
breviter respondens: *Non aliter tot* [3] *flagitiis ejus subveniri potuisse.* Tum jussam pœ-
nam subiit. Nec ceteri centuriones [4] in perpetiendis suppliciis degeneravere. At
non Fenio Rufo par animus, sed lamentationes suas etiam in testamentum contulit.
Opperiebatur Nero, ut Vestinus quoque consul in crimen traheretur, [5] violentum
& infensum ratus: [6] sed conjurati consilia cum Vestino non miscuerant, quidam ve-
tustis in eum simultatibus, plures quia præcipitem & insociabilem credebant. Cete-
rum

1 *Protendere cervicem*] Habitum hunc eorum qui gladio feriendi, describit Panegyristes in Theodosii laudatione: *poplitem flectere, cervicem extendere ad plagam fortasse non unam.* Quod supplicii genus tamen ignotum reip. priscæ: etiam in militia. Ideo Lucanus:

> —— *nondum artis erat caput ense rotare.*

Cœpit sub Impp. statimque in creberrimo usu. A militia cœpisse credo, & in milites primo aque militibus usurpatum. Suetonius Calig. cap. XXXII. *Miles decollandi artifex, quibuscumque è custodia capita amputabat.* Seneca de Ira lib. I. cap. XVI. *Damnatus extra vallum deductus, & jam cervicem porrigebat: cum subito apparuit ille commilito qui occisus videbatur. Tunc Centurio supplicio præpositus condere gladium speculatorem jubet.* & exempla obvia post Augustum, Honestior autem pœna gladii, quam securis, ab eaque mente illam Antonini Caracallæ vocem capio; cum securi Papinianus occisus esset, *Gladio te exequi oportuit meum jussum.* Xenophon eleganter de Cyri expedit. lib. II. extremo: de cæde Menonis Thessali: Μετὰ δὲ τὸν τῶν ἄλλων θάνατον στρατηγῶν τιμωρηθεὶς ὑπὸ Βασιλέως ἀπέθανεν, οὐχ ὥσπερ Κλέαρχος καὶ οἱ ἄλλοι στρατηγοὶ, ἀποτμηθέντες τὰς κεφαλὰς, ὅπερ κάλλιστος θανάτου ἐδόκει εἶναι, ἀλλὰ ζῶν αἰκισθεὶς ἐνιαυτὸν, ὡς πονηρὸς, λέγεται τελευτῆς τυχεῖν. id est: *Post aliorum Prætorum cædem, damnatus à rege interiit. Non ut Clearchus aliique duces, capite à cervicibus ablato (quod pulcherrimum mortis genus esse censetur) sed annum totum variis contumeliis cruciatibusque affectus, ut sceleratus quispiam, tandem obiit.* Lipsius.

2 *Sesquiplaga interfectum*] Caligulæ præceptum. *Ita feri, ut mori se sentiat.* Lipsius.

Sesquiplaga interfectum] Hoc à G. Budæo explicatur in principio de Asse. *Lupanus.* Plaut. in Capt.

> *Inde ibis porro in latomias lapidarias.*
> *Ibi cum octonos alii lapides effodiunt,*
> *Nisi cottidianum sesquiopus confeceris,*
> *Sexcentoplago nomen indetur tibi.*

Sesquiopus dixit, id est, ubi alii octonos lapides, ille duodenos effoderit. *Pichena.*

3 *Flagitiis ejus subveniri potuisse*] Scripsi, *posse.* Rhenanus. Flor. *potuisse.* Simile Suet. Tib. 66. *Quin & Artabani Parthorum Regis laceratus est literis, parricidia, & cædes, & ignaviam, & luxuriam objicientis, monentisque, ut voluntaria morte maximo justissimoque civium odio quamprimum satisfaceret.* Pichena. Cicero de Verr lib. I. *ut ego hunc unum ejusmodi reum post hominum memoriam fuisse arbitrer, cui damnari expediret.* Seneca ep. 77. *Hoc istis respondendum est, quibus succursura mors est.* Noster lib. 6. *Perpulisset juvenem ad ea, quorum effugium non nisi morte inveniret.* Gronovius.

Subveniri posse] Legi voluit, *obveniri*, optimus & doctissimus Faber: interpretaturque resisti, & obviam iri. Probabili per se conjecturæ fidem demit Suetonius, qui ad hæc ipsa verba respiciens scripsit cap. 37. *Cum quidam crimen ultro faterentur, nonnulli etiam imputarent, tamquam aliter illi non possent, nisi morte, succurrere. dedecorato flagitiis omnibus.* Et clare Dio, qui vertit: Ὅτι ἄλλως σοι βοηθῆσαι οὐκ ἠδυνάμην. Sententia ergo animosior tenenda, ex horum scripto & interpretamento, videtur. *Lipsius.*

4 *In perpetiendis suppliciis denegavere*] Crassum erratum est: emendavi, *degeneravere.* Sane quisquis fuit, qui supposuit verbum *denegavere*, respexit ad id, quod dictum supra de Subrio Flavio, *Confessionis gloriam amplexus.* Verum quod hic præcedit, *in perpetiendis suppliciis*, & quod sequitur, *At non Fenio par animus*, indicant legendum, *degeneravere.* Neque enim *denegare* absolute usurpatur. *Rhenanus.*

5 *Violentum & infensum ratus*] Levi nimis hoc *ratus.* Non rebatur enim Nero, sed sciebat. Legam *narus*, sive *gnarus.* Acidalius.

6 *Sed conjurati*] Quod notavi olim ex Oxoniensi, *sed e conjuratis*, id ipsum quoque habet Mediceus, unde similiter notavi *sed ex conjuratis.* Quid? contemnitur etiam? Certe etsi dissimuletur ab aliis, nescio quo animo, tamen videas id genus describendi gratum fuisse Tacito, ut cap. 71. *E tribunis Granius*, ubi male nonnulli, *& tribunus Granius.* 11, 18. *Ex diu meritis.* 1. hist. 25. *Sed tum e libertis Onomastus.* 2. hist. 59. *Asinius Pollio alæ præfectus, e fidissimis Albino.* 3, 85. *Obvius e Germanicis militibus.* 4, 82. *E primoribus Ægyptiorum nomine Basilides.* Et sic passim, ut omnino id removeri nequeat. An

 etiam

rum Neronis odium adversus Vestinum ex intima sodalitate cœperat, dum hic ignaviam principis penitus cognitam despicit, ille [1] ferociam amici metuit, sæpe asperis facetiis illusus; quæ ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt. Accesserat recens caussa, quod Vestinus [2] Statiliam Messallinam matrimonio sibi
69 junxerat, haud nescius [3] inter adulteros ejus & Cæsarem esse. Igitur non crimine, non accusatore existente, [4] quia speciem judicis induere non poterat, ad vim dominationis conversus, Gerelanum tribunum cum cohorte militum immittit: jubetque *prævenire conatus consulis, occupare velut arcem ejus, opprimere delectam juventutem:* quia Vestinus imminentes foro ædes, [5] decoraque servitia, & pari ætate habebat. Cuncta eo die munia consulis impleverat, [6] conviviumque celebrabat, [7] nihil metuens, an dissimulando metu. cum ingressi milites *vocari eum à tribuno* dixere. Ille nihil demoratus exsurgit. & omnia simul properantur, clauditur cubiculo, præsto est medicus, abscinduntur venæ, vigens adhuc balneo infertur, calida aqua mersatur, nulla edita voce, qua semet miseraretur. Circumdati interim custodia qui simul discubuerant, nec nisi provecta nocte [8] emissi sunt, postquam pavorem eorum [9] ex mensa exitium opperientium & imaginatus & irridens Nero, *satis supplicii luisse*
70 ait *pro epulis consularibus.* [10] Exin M. Annæi Lucani cædem imperat. Is profluente sanguine, ubi frigescere pedes manusque, & paulatim ab extremis cedere spiritum, fervido adhuc & compote mentis pectore intelligit; recordatus carmen à se compositum, quo vulneratum militem per ejusmodi mortis imaginem obiisse tradiderat, [11] versus ipsos rettulit. eaque illi suprema vox fuit. Senecio posthac, & Quintianus,

etiam potest ex sequentibus intelligi *nulli* vel *aliqui?* Jac. Gronovius.

1 *Ferociam amici*] Haud dubie, *animi.* Lipsius.

Ferociam amici metuit] Indubie *animi* legendum ait Lipsius. Non dubito ego, sed nego. Principem & amicum Tacitus opponit. *Acidalius.*

2 *Statiliam Messallinam*] Quæ postea Neroni uxor. Sueton. 35. *Lipsius.*

3 *Inter adulteros ejus ad Cæsarem esse*] Castigavi, *inter adulteros ejus & Cæsarem esse.* Rhenanus.

4 *Quia speciem judicis induere non poterat*] Reposui, *quia speciem judicii ind. non poterat.* Rhenanus. Optime Venetus, *speciem judicis:* alii depravate *speciem indicii.* Nero exspectabat, ut supra traditur, ut Vestinus quoque inter conjuratos nominaretur, ut specie judicis inimicum adversus eum animum expleret. hic hujus capitis sensus est. *Freinshemius.*

5 *Decoraque servitia, & pari ætate*] Existimo, Pædagogia describit: id est, cœtum elegantium puerorum, quos composita veste, facie, capillis, in publico habebant: & plerumque una ætate. sic dicta, quia sub Pædagogo. Martialis:

Et pædagogo non jubente lascivi
Parere gaudent villico capillati.

Plura super istis in Excursu B. *Lipsius.*

6 *Convivium celebrarat*] Feci, *celebrat.* Rhenanus. Lego *celebrabat*, ut & Muretus. *Acidalius.* Melius ex Flor. & Venet. *conviviumque celebrabat.* Vulgo, *convivium celebrat.* Pichena.

7 *Nihil metuens aut dissimulando metu*] Nos, *nihil metuens an dissimulando metu.* Rhenanus.

8 *Emissi sunt*] Venetus, *omissi sunt.* haud minus probe. *Freinshemius.* Plane *omissi* scriptum est in Mediceo. *Jac. Gronovius.*

9 *Et mensa exitium opperientium*] Enorme mendum hic est, correximus: *& imminens exitium opp.* Postquam pavorem eorum & imminens exitium opperientium & imaginatus & irridens Nero. Budense exemplar habet *immense exitium*, hinc ansa conjiciendi data est. *Rhenanus.* Flor. corrupte, *& m̃sa exitium.* Hinc Franc. Medices ingeniosa conjectura legendum putabat, *ex mensa exitium.* hoc est, vice epularum, mortem. tamen & vulgata lectio ferri potest. Sic lib. 1. hist. *Sed latebra imminens exitium differebat.* Pichena. Pro *imminens exitium* reposuimus optimam conjecturam Franc. Medicis *ex mensa exitium*, quam veram esse Taciti scripturam, & ipse sensus, & Florentinus Codex arguit; ibi enim teste Pichena; *& mensa exitium.* Venetus etiam diserte præfert, *& mensa.* Freinshemius.

10 *Exin Mannio & Lucani cædem imperat*] Id videtur sic dictum, quasi *Mannio* centurioni cuipiam etiam Lucani necem imperarit. sed si quis attentius consideret, apparebit scribendum, *Exin M. Annæi Lucani cædem imperat.* & sic nostrum secuti judicium mutavimus. Nam à codice regio nihil erat hic præsidii. Sic supra: *Et Lucanus Annæus Plautiusque Lateranus consul designatus, vivida odia intulere.* Rhenanus.

11 *Versus ipsos rettulit*] Sunt haud dubie isti:

Scinditur avulsus, nec sicut vulnere sanguis
Emicuit

tianus, & Scevinus, non ex priore vitæ mollitia, mox reliqui conjuratorum periere, nullo facto dictove memorando. Sed compleri interim urbs funeribus, Capi- 71
tolium victimis: alius filio, fratre alius, aut propinquo, aut amico interfectis, agere grates deis, ornare lauru domum, [1] genua ipsius advolvi, [2] & dextram osculis fatigare. Atque ille gaudium id credens, Antonii Natalis & Cervarii Proculi festinata indicia impunitate remuneratur: Milichus præmiis ditatus, [3] *Conservatoris* sibi nomen Græco ejus rei vocabulo assumpsit. E tribunis Granius Silvanus quamvis absolutus, sua manu cecidit: Statius Proximus veniam quam ab imperatore acceperat, [4] vanitate exitus corrupit. Exuti dehinc tribunatu Pompejus, Cornelius Martialis, Flavius Nepos, Statius Domitius, *quasi principem non quidem odissent*, [5] *sed tamen extimerentur*. Nonio Prisco per amicitiam Senecæ, & Glitio Gallo atque Annio Pollioni infamatis magis quam convictis, data exsilia. Priscum Antonia Flacilla conjunx comitata est: Gallum Egnatia Maximilla, magnis primum & integris opibus, post ademptis. quæ utraque gloriam eis auxere. [6] Pellitur & Rufus Crispinus occasione

Emicuit lentus, ruptis cadit undique venis.
Discursusque animæ diversa in membra meantis.
Interceptus aquis. Lipsius.

Versus ipsos retulit] Sic in Pharsalide quisquam est miles, cujus exspirantis imaginem Lucanus moriens expressit. is est Tullus, lethifero serpentis ictu afflictus, de quo ille scripserat lib. 9. 806. *Vertranius.*

1 *Genua ipsius advolvi, & dextram osculis fatigare*] Hinc observabis veterem supplicum morem. De genibus sæpissime Tacitus, & alii. Quod ait, *dextram osculis fatigare*, antiqua fuit adorandi consuetudo. Qui enim Deos adorabant, dextram labiis admovebant, eam osculantes, primore digito in erectum pollicem residente, capite submisso, ac corpus dextrovorsum circumagentes. Hoc diligenter docent Pithœus Advers. 1, 7. & Lipsius Electorum 2, 6. ad quos ego lectorem delego. Addam tamen locum Senecæ Controv. 1. lib. 8. ubi ad hunc adorandi morem alludens, ait: *Commodavimus, qui posset facere Deos; recepimus, qui ne adorare quidem posset.* De Phidia loquitur, quem Athenienses Eliis commodarunt, ut Jovis statuam faceret. Illi postea sacrilegii insimulatum, præcisis manibus remiserunt. Adorantibus, flectere etiam genua mos. Seneca Suasor. 1. *Quæ tam feræ gentes, quæ non Alexandrum posito genu adorarint?* Tacit. lib. seq. de Nerone: *Flexus genu, cœtum illum manu veneratus, sententias judicum opperiebatur ficto pavore.* Pichena. Ritus ille adorandi alibi opportunior memoratu. nam Tacitus Neronis dextram intelligit. Suetonius Domitiano: *Canidi patris concubina ex Istria reversa, osculumque, ut assueverat, offerenti, manum præbuit.* Gronovius.

2 *Et dextram osculis fatigare*] Omnia recte, si modo ita habemus salvum Tacitum. Nam in veterrimo isto Mediceo repetitur vox *oculis*, prout bis scriptum habet, sed super posterioris vocis primam literam secunda manus posuit literam *s*. Hinc dubito, an non auctor scripserit *& dextram, oculos, osculis fatigare.* Quid propinquius loco Arriani, quem citavit Lipsius ad 3, 9. Πάντες ἐς ἀπαντῶντες συνήδονται, ἄλλος τοὺς ὀφθαλμοὺς καταφιλεῖ, ἄλλος τὸν τράχηλον, οἱ δοῦλοι τὰς χεῖρας. An non fuit ille tam familiaris? *Jac. Gronovius.*

3 *Conservatoris sibi nomen Græco ejus rei vocabulo assumsit*] Quem enim nos *servatorem* seu *salutarem* dicere possumus, Græci σωτῆρα vocant. Nam *salvus* dicitur, *salvare* non dicitur. *Sospitam* Junonem quasi servatricem coluit antiquitas. σωτὴρ vocabatur, qui servarat. Unde Græci Bacchum σωτῆρα appellabant, quod eos in Mysia Telepho grassante servasset. Plinius de corona graminea lib. 22. *Contigit nulli nisi ab universo exercitu servato servatori data.* Extabat quoque elogium in Pharo insula *deis salutaribus* ob navigantes. Noster 2. hist. *Mariccus quidam è plebe Boiorum concitis octo millibus hominum, assertor Galliarum, & deus dicebatur.* Idem refert. Domitianum in conflagratione Capitolii, irrumpentibus Vitellianis, cum lineo amictu sacricolis immixtus evasisset, potiente rerum Patre, *Jovi Conservatori* aram posuisse. Liv. lib. 44. *Quorum agmen Imperator secutus, prosequentibus cunctis senatorem, liberatoremque acclamantibus.* Lupanus.

4 *Vanitate exitus corrupit*] Faërnus rectissime, *velocitate* legebat, pro, *vanitate*. Ursinus.

5 *Sed tamen extimarentur*] Scripsimus, *existimarentur*. Paulo post in regio codice est; *Brutio Catullino*. Rhenanus. Libri veteres fere omnes, *extimarentur*. cui Rhenanus supposuit, *existimarentur*. Ego levissima mutatione restitui, *extimerentur*. optimo sensu, id est, non quasi ipsi principem odissent, sed quia princeps eos extimescebat. & est verbum Tacito familiare. Annal. libro XI. *cujus si filius hostili in solo adultus, in regnum venisset, posse extimesci.* lib. 16. *vultumque & spiritus, & libertatem insontis ultro extimuit.* Pichena.

6 *Pellitur & Rufrius Crispinus*] Melius erit *Rufus*. Sic enim dicitur sup. lib. 13. & ejus filius non *Rufrianus*, sed *Rufinus* est Suetonio. *Vertranius.*

casione conjurationis, sed Neroni invisus, quod Poppæam quondam matrimonio tenuerat. [1] Virginium & Rufum claritudo nominis expulit. Nam [2] Verginius studia juvenum eloquentia, [3] Musonius præceptis sapientiæ fovebat. Cluvidieno Quieto, Julio Agrippæ, Blitio Catulino, Petronio Prisco, Julio Altino, velut in agmen & numerum, Ægæi maris insulæ permittuntur. At Cadicia uxor Scevini, & [4] Cæsonius Maximus Italia prohibentur, [5] reos fuisse se tantum pœna experti. [6] A-
72 tilla mater Annæi Lucani, [7] sine absolutione, [8] sine supplicio dissimulata. Quibus perpetratis Nero, & concione militum habita, bina nummum millia viritim manipularibus divisit, [9] addiditque sine pretio frumentum, quo ante ex modo annonæ utebantur. Tum quasi gesta bello expositurus vocat senatum, & triumphale decus [10] Petronio Turpiliano consulari, Cocceio Nervæ prætori designato, Tigellino præfecto prætorii tribuit (Tigellinum & Nervam ita extollens, ut super triumphales in foro

1 *Verginium Rufum*] Mancus locus: censeoque immissa voce legendum, *Verginium & Musonium Rufum*: aut *Verginium & Rufum*. Ecce enim de Musonio caussam statim subjecit ejus pulsi: & Dio narrata conjuratione, Ῥοῦφος μέντοι Μουσώνιος, inquit, ὁ φιλόσοφος ἐπὶ τούτοις ἐφυγαδεύθη. Sed Verginius iste quis est? Non enim ille, opinor, illustris. de cujus exsilio non apud Tacitum, non apud Plinium usquam lectum. Et quomodo potuit? qui Germaniæ & legionibus præfuit his ipsis annis? Fuerit ergo ejus ævi Rhetor, quem Persii vetusta vita commemorat. *Studuit*, inquit, *apud Grammaticum Remmium Palæmonem, & apud Rhetorem Verginium Flaccum*. Ubi tamen vetustus codex B. Vulcanii, *Flavum* habet. Est ille ipse. de quo Fabius l. III. *Scripsit de eadem materia* (Rhetoricorum) *non pauca Cornificius, Celsus, & Lænas, & ætatis nostræ Verginius, Plinius, Rutilius*. nominatque & alias. *Lipsius*.

Verginium & Rufum] Non dubium est sic esse legendum. quod Lipsius vidit & probavit. alii enim scribebant *Verginium Rufum*, tanquam non duorum hominum ea nomina, sed unius fuissent. *Freinshemius*.

2 *Virginius studia juvenum*] Hoc à Plinio Cæciliano prætermissum esse miror, qui lib. 2. Epist. Romano, & libro 9. de Virginii laudibus scripsit. *Vertranius*.

3 *Musonius præceptis sapientiæ fovebat*] De Musonio vide Philostratum in vita Apollonii lib. 4. c. 12. & 16. Meminit etiam Tacit. lib. 3. hist. prope finem. *Pichena*.

4 *Cæsenius Maximus*] Scrib. *Cesonius*, & Martiali ab hac historia fœnetanda lux. lib. VII. ad Ovidium quendam:

Maximus ille tuus, Ovidi, Cæsonius hic est,
Cujus adhuc vultum vivida cera tenet.
Hunc Nero damnavit, sed tu damnare Neronem
Ausus es, & profugi, non tua fata, sequi.
Æquora per Scyllæ magnus comes exulis isti,
Qui modo nolueras Consulis ire comes.
Si victura meis mandantur nomina chartis,
Et fas est cineri me superesse meo:
Audiet hæc præsens venturaque turba, fuisse
Illi te, Seneca quod fuit ille suo.

Ubi discis & Consulem fuisse hunc Cæsonium, & inter Senecæ amicos. quæ caussa certe damnationis. *Lipsius*.

Cæsonius Maximus] Hoc verum ei nomen monuit Lipsius ex historia. vulgo, *Cesennius*. Pichena.

5 *Reos fuisse se, tantum pœna experti*] Ut recte capias, sic distingue: *reos fuisse se tantum, pœna experti*. id est, pœna illa nihil aliud experti, nisi reos se fuisse. Sententia similis superiori nescio quo lib. *Acidalius*. Male distinguit, nam in justis judiciis multa præcedunt, quibus aliquis reum sese intelligat, antequam pœnæ subjiciatur. *Gronovius*.

6 *At illa mater*] In regio codice est; *Acilia mater*. Rhenanus. Non monerem, nisi in multas editiones irrepsisset hic error. Legendum *Atilla*. Vide supra. *Grotius*.

7 *Sine absolutione, sine supplicio dissimulata*] Vulgati corrupte, *in supplicio*. Correxit Lipsius ex libris. Idemque indicat Flor. qui habet, *sin supplicio*. Pichena.

8 *In supplicio*] Romana editio, *sine absolutione, sine supplicio*, probissime. *Lipsius*.

9 *Addiditque sine pretio frumentum*] Suetonius Neron. cap. x. *Constituit Prætorianis cohortibus frumentum menstruum gratuitum*. Severus Imp. modum frumenti etiam auxit, de quo Herodianus: Καὶ τὸ σιτηρέσιον αὐτοῖς πρῶτος ηὔξησε, καὶ δακτυλίοις χρυσοῖς χρήσασθαι ἐπέτρεψε. Iterumque Antoninus ejus F. patrata cæde Getæ. Idem scriptor: Προσέθηκε δὲ τῷ σιτηρεσίῳ ἄλλο τοῦ τελείου ἥμισυ. id est: *Adjecit annona, supra quam soliti accipere, dimidium*. Lipsius.

10 *Petronio Turpiano consulari*] Malim *Turpiliano*: ut sic consularis ille Petronius Turpilianus, qui supra lib. proximo cum Cæsonio Pæto gessit consulatum. Ineptum est enim dicere, quod quidam scripsit, eidem nomen *Petronio Turpiliano Turpiano*, quasi, *Tarpejano*: temerariumque est in Augusti numismate, cujus altera facies insculptum habet, III. VIR TVRPILIANVS, Petronium ob idem inibi scriptum.

foro imagines, [1] apud palatium quoque effigies eorum sisteret) [2] Consularia insignia
Nymphidio, de quo quia nunc primum oblatus est, pauca repetam. nam & ipse
pars Romanarum cladium erit. Igitur matre libertina ortus, quæ corpus decorum
inter servos libertosque principum vulgaverat, ex C. Cæsare se genitum ferebat, quo-
niam forte quadam habitu procerus & torvo vultu erat: sive C. Cæsar scortorum
quoque cupiens, etiam matri ejus illusit. Sed Nero vocato senatu, oratione inter 73
patres habita, edictum apud populum, & collata in libros indicia, confessionesque
damnatorum adjunxit. Etenim crebro vulgi rumore lacerabatur, [3] *tanquam viros &
insontes ob invidiam aut metum exstinxisset.* Ceterum cœptam, adultamque & revictam
conjurationem neque tunc dubitavere, quibus verum noscendi cura erat; & fatentur
qui post interitum Neronis in urbem regressi sunt. At in senatu cunctis [4] ut cui-
que plurimum mæroris in adulationem demissis, [5] Junium Gallionem Senecæ fratris
morte pavidum, & pro sua incolumitate supplicem, increpuit Salienus Clemens,
hostem & parricidam vocans: [6] donec consensu patrum deterritus est, *ne publicis malis
abuti ad occasionem privati odii videretur*, [7] *neu composita aut oblitterata mansuetudine
principis*

scriptum nomen, triumvirum adseverare. *Vertranius.*

1 *Apud palatium quoqueeffigies eorum sisteret*] Nos, *apud palatium effigies eorum quoque sisteret.* Rhenanus. Hoc ordine legitur hic locus in Florent. ac Ven *Apud palatium quoque effigies eorum sisteret.* Alii minus apte transponunt: *apud palatium effigies eorum quoque sisteret.* Pichena.

2 *Dedit etiam consularia insignia*] Verba, *dedit etiam*, absunt à Flor. & à Ven. & abesse salva sententia possunt. nam subintelligitur verbum, *tribuit*, supra positum. Sed nihil mutavi. *Pichena.*

3 *Tanquam viros insontes*] Faernus addita voce, *claros:* legebat: *Tanquam claros viros & insontes* &c. Ursinus. Flor. & Ven. *viros & insontes.* Suspicabar legendum *claros & insontes.* id enim præcipue ad invidiam, de qua sequitur, pertineat. *Freinshemius.*

4 *Ut cuique plurimum mæroris*] An simulatum civium mærorem intelligit, propter pericula conjurationis à principe adita? minime. nam potius per adulationem dissimulanda lætitia fuisset. An mæror ex publica clade tot illustrium virorum? Verius interpretor ex consanguineis, & amicis necatis. cujus cladis neminem expertem fuisse credendum est. sed ad quoscunque ea plurimum pertinebat, eo magis dolorem per demissam adulationem dissimulabant. *Pichena.*

5 *Junium Gallionem*] Quem Nero post interfecit. *Dio.* In Eusebio autem clarius: *Junius Annæus Gallio, frater Senecæ, egregius declamator, propria se manu interfecit: mortem ejus Nerone in suam præsentiam differente.* Hoc confert illud Chronicon in annum hunc eundem, quo Lucanus & Seneca occisi. Mirum in Tacito nihil esse, si tamen hoc tempore ea cædes. *Lipsius.*

6 *Donec consensu patrum deterritus est, ne*] Versus. *Acidalius.*

7 *Neu compositam & obliteratam mansuetudinem principis novam ad sævitiam retraheret*] In regio codice non habetur particula connectens, &. quare suspicor hanc fuisse germanam Taciti lectionem, *Neu compositum, obliterata mansuetudine principis novam ad sævitiam retraheret. Neu compositum*, hoc est sedatum & cui jam placidus factus esset, subaudi Neronem. Porro *compositum* etiam alibi usurpat pro sedato. Ut libro I. histor. *Compositique ad præsens, qui coërceri non poterant.* Sed & *obliterandi* verbo rursum utitur lib. sequenti. *Qua oblitterari non sinebat Capito Cossutianus.* Et lib. I. Hist. *At ne reverentiam imperii exuere viderentur. in S. P. Q. R. obliterata jam nomina, sacramenta advocabant.* Item in prioribus libris sæpe. *Rhenanus.* Lego, *immansuetudinem*, pro ferocia sedata & composita. *Vertranius.* Faernus addita voce, *iram*, legebat: *Neu compositam & obliteratam mansuetudinem principis, iram novam ad sævitiam retraheret.* Ursinus. Insane bene Lipsius: *neu composita & oblitterata mansuetudine Principis novam ad sævitiam traheret.* Nec ego muto, nisi quod eodem sensu legi etiam poterat: *neu composita & oblitterata mansuetudinem Principis novam ad sævitiam traherent.* Acidalius. Lectionem Floren. reposui: *Neu compositam aut oblitteratam mansuetudinem principis, novam ad sæv. retraheret.* Vulgati, *& oblitteratam*; ac deinde, *traheret.* Fortasse locus sic construi pôtest: nen mansuetudinem principis retraheret ad novam sævitiam, compositam jam, aut oblitteratam. Sed inepta, & absurda constructio. An legendum; *immansuetudinem?* sensus certe aliquid tale exigit, cum dicat, *novam ad sævitiam.* Pichena.

Neu compositum &c.] Pravè scriptum, & in contumeliam Neronis. Valde scilicet Principem laudent, si oblitteraram clementiam ejus dicant: id est, abolitam & sepultam. Ne dubita scribere: *composita & obliterata mansuetudine Principis.* Hoc volunt. ne ea quæ obliterata jam essent & tantum non deleta ex animo Principis; ille renovaret, &

74 *principis novam ad sævitiam retraheret.* Tum decreta *dona & [1] grates deis* decernuntur, *propriusque honos Soli, cui est vetus [2] ædes apud Circum, in quo facinus parabatur, qui occulta conjurationis, numine retexisset: utque Circensium Cerealium ludicrum pluribus equorum cursibus celebraretur: mensisque Aprilis* Neronis *cognomentum acciperet: templum Saluti exstrueretur, eo loci ex quo Scevinus ferrum prompserat.* Ipse eum pugionem [3] apud Capitolium sacravit, [4] inscripsitque JOVI VINDICI. [5] In præsens haud animadversum, post arma Julii Vindicis ad auspicium & præsagium futuræ ultionis trahebatur. Reperio in commentariis senatus, Cerialem Anicium consulem designatum, pro sententia dixisse, *ut [6] templum divo Neroni quam maturrime publica pecunia poneretur.* Quod quidem ille decernebat, tamquam mortale fastigium egresso, & [7] venerationem hominum merito; [8] quod ad omina olim sui exitus verteretur.

novæ sævitiæ materiem suggereret. *Lipsius.*

1 *Grates deis decernuntur*] *To decernuntur* redundat, ut opinor. *Lipsius.* Cum modo præcesserit vox *decreta*, eam iterasse statim Tacitum haud crediderim, adeoque hoc loco id *decernuntur* pro insititio habuerim. *Freinshemius.* Dubius sum tamen utrum *decreta* an *decernuntur* aboleam: neque enim minus belle: *Tum dona & grates deis decernuntur.* Gronovius. Recte quidem hactenus: at ex totius loci scriptura magis res patebit. Quid enim aliud latere potest, quam *Tum cetera dona & grates deis decernuntur?* Quippe Milichus jam cap. 71. acceperat, & postea Petronius &c. Nunc igitur recte sic revocat filum sermonis. *Jac. Gronovius.*

2 *Ædes apud Circum*] De qua Tertulliauus libello De Spectaculis. *Lipsius.*

3 *Apud Capitolium sacravit*] Ritu veteri & recepto. Suetonius Cal. cap. XXIV. *Tres gladios in necem suam præparatos, Marti ultori, addito elogio, consecravit.* Idem Vitellio c. X. *Pugionem, quo se Otho occiderat, in Agrippinensem coloniam misit Marti dedicandum.* Dio in Antonino Caracalla: Καὶ τὸ ξίφος, δι' οὗ τὸν ἀδελφὸν ἀπεκτόνει, ἀναθεῖναι τῷ θεῷ ἐτόλμησε. Sed & apud Græcos Olympias *gladium, quo rex* (Philippus) *percussus erat, Apollini sub nomine Myrtales consecravit.* ait Justinus. Tertullianus pulchre de Resurrectione carnis: *Gladius bene de bello cruentus, & melior homicida, laudem suam consecratione pensabit.* Lipsius.

4 *Inscripsitque* IOVI VINDICI] Malim singulari nota I. VINDICI. Sic enim ad præsagium & auspicium futuræ ultionis, ac Julii Vindicis nomen ac res, hæc facilius trahi tandem potuerunt. *Boxhornius.*

5 *In præsens haud animadversum est*] Sensus est, Huc usque minime animadversum fuit ad auspicium, postquam arma Julius Vindex moverat: iametsi præsagium futuræ ultionis trahebatur. At mireris Cornelium, qui Galliarum defectionem referre lib. 14. oblitus sit, C. Vipsanio & Fontejo Coss. *Eo anno Neapoli de motu Galliarum cognovit* Nero, *ipso die, quo matrem occiderat*; deficientium *duce Julio Vindice, qui tum Galliam provinciam pro Prætore obtinebat*, ut ait Suetonius. Illius autem edictis contumeliosis & frequentibus permotus Nero, Senatum epistola in ultionem sui reique publicæ adhortatus est excusato languore faucium, propter quem non adesset. Eam excusationem sive accepit sive non probavit Senatus. Inde Neronem timor mali ominis incutit, puta, quum organa hydraulica se prolaturum omnia in theatrum affirmavit, si per Vindicem liceret, vel cum noctibus plerique jurgia cum servis simulantes, crebro Vindicem poscebant. Illudque diri præter cætera fuit auspicii, quod ex Neronis oratione, qua in Vindicem perorabat, recitaretur in Senatu, daturos pœnas sceleratos, ac brevi dignum exitum facturos, conclamatum est ab universis, *Tu facies Auguste.* Sed auspicium illud animos non adverterunt, & tamen *ad præsagium futuræ ultionis trahebatur*, ait Tacitus. Quod si Cornelium ad extremum libri consequentis retulisse C. Julii Vindicis motum existimare malis, simili ordine quo Dio scripsit, ego non impediam, si modo per hujus perque Tranquilli scriptum liceat ita conjectari. Hoc enim loco tempus præsens, quo hæc scriberet, Tacitus non inepte dicetur exprimere, qui an verum dixerit, ejus æquales viderint. *Vertranius.* Multa hic male ac misere miscet optimus Maurus: sed error capitalis, Vindicis motum adsignari anno, quo Caji Vipsanius & Fontejus Coss. fuerunt. Nam ubi Suetonius, *ipso die quo matrem occiderat*, non *diem* intelligit etiam ejusdem anni, quo Agrippina trucidata, sed qui nono post anno redibat C. Silio Italico M. Galerio Trachalo Coss. Nulla igitur ista oblivio Taciti. *Gronovius.*

In præsens haud animadversum] Credo voculam intermittendam, *quod in præsens.* Acidalius. Ut hæc cohæreant superioribus, adjiciam voculam: *Id in præsens.* Freinshemius.

6 *Templum divo Neroni*] Hinc præsagium mortis Neronianæ & *divum* appellans Neronem, si de mendacio non erubuit, de infausto potuit timere: quoniam maledictum est ante ἀποθέωσιν Deum Cæsarem nuncupare, ait Tertullianus Apologet. 34. *Vertranius.*

7 *Venerationem hominum item merito*] Adverbium *item* submovimus, quod non sit in libro manuscripto.

retur. [1] nam deum honor principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit.

pto. *Rhenanus*. Verbum, *hominum*, licet retineri possit, magis tamen pro eo placeret, *numinum*. Ursinus. Adsentior Mureto legenti, *venerationem numinum merito*. Sed & postea particulam insero necessariam: *Sed quod ad omina olim*. Acidalius. Ex Mediceo notavi ipse, *veneratio item hominum*, ut publicavit Ryckius; sed Frater, *veneratio licet hominum merito*. Quidquid sit, Tacitum conjicio scripsisse *venerationem calitum merito*. Jac. Gronovius.

8 *Quod ad omnia olim sui exitus verteretur*] Liquida apertaque sententia. *Olim*, tantum fit significatione futuri: quod pueris non ignotum. At nostri Critici ex Budensi Codice, *quod clam ad omen ac dolum*, legunt, non sine meo risu. *Lipsius*.

Quod ad omnia olim sui exitus verteretur] Budense volumen: *Quorumdam ad omina dolum sui exitus verteretur*. Legerim: *Quod clam ad omen ac dolum sui exitus verteret*. ubi *sui* pro *ejus* usurpat, more Ciceronis & veterum autorum. *Rhenanus*. Corrupte Florentin. *quorundam ad omina dolum sui exitus verteratur*. Pichena. Pro *sui exitus* malim etiam *sequuturi*. Ut jam ante dixit, *futura ultionis*. Boxhornius. Suspicabar ex scriptura Florentina: *Fuerunt tamen, quos id omen propinqui exitus adverteret*. Tertio enim post anno periit. Lib. 2. histor. *Latus ultro & tam propinqua sortis ignarus*. Eodem libro. *exitu demum Neronis positis odiis in medium consulere*. Eodemque: *mereri se festinato exitu clementiam victoris*. Gronovius. Si modo ea fuerit voluntas auctoris; quam vix credas ita innui. Quin omnia rite sic procedunt: *venerationem calitum merito; quo quondam ad omina dictum citi exitus verteretur*. Frequentatio postremi adjectivi in Tacito jamdiu & sæpe annotata est. *Jac. Gronovius*.

1 *Nam deum honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit*] Tertullianus pulchre & apposite huic rei: *Si non de mendacio erubescit ejusmodi adulatio, hominem deum appellando: timeat saltem de infausto. Maledictum est, ante Apotheosin, deum Cæsarem nuncupare*. Lipsius.

Nam deum honor] Ex hujus autoritate Ælianum sophisten ridere licet, qui ad Adrianum imperatorem scripto libello de instruendis aciebus, *Dios* illum appellavit. Sed in eo videatur adulatus, more quem Domitianus induxit, sibi nomen Dei adscribens, quo ab aliis appellari vellet. Quare Apologetici 13. ait ille, *Digne imperatoribus defunctis honorem divinitatis dicatis, quibus & viventibus eum addicitis*. At vero quid de Octaviano dicemus? Numisma æreum habeo, qua facies ejus refertur, ita inscriptum, DIVVS AVGVSTVS PATER. quod S. C. cusum sub templi fronte providentiam Augusti testatur. Verum opinari mortuo Augusto, dum cunctaretur Tiberius an imperium acciperet, Senatum illud numisma formari jussisse, melius erit & tutius. Neque vero scio an illi assentiri debeam qui Antoninum Pium *divum* appellatum scribit, initio imperii sui. est certe apud me numus qui eum *divi* inscriptione, ejus faciem oculis spectandam præbet. *Vertranius*.

COR.

C. CORNELII TACITI
AB
EXCESSU DIVI AUGUSTI
ANNALIUM
LIBER SEXTUS-DECIMUS.

Breviarium Libri.

Falsi thesauri in Africa reperti: inque iis Neronis vanitas. Qui Romæ quinquennale certamen certat, prorsus histrionum in morem. Poppæa moritur: eique amplum funus ductum. C. Cassius & L. Silanus in exsilium pelluntur: posterior denique interficitur, ac plures alii. In Campania magna & prodigii loco tempestas. Anteius & Ostorius ad mortem aguntur, Mella, Crispinus, Petronius. Thraseas Pætus etiam accusatur, tunc lumen Romani orbis: & Bareas Soranus damnantur, & ipsi se absolvunt. Anni unius hæc gesta: quia reliqua libri Fatum invidit.

C. Svetonio. L. Pontio. Telesino. Coss.

1 Illusit dehinc Neroni fortuna per vanitatem ipsius, [1] & promissa [2] Cesellii Bassi; qui origine Pœnus, mente turbida, nocturnæ quietis imaginem ad spem haud dubiam retraxit. Vectusque Romam, principis aditum emercatus, expromit *repertum in agro suo specum altitudine immensa, quo magna*

Commentarius.

1 Et *promissa*] Ita Flor. ac Ven. Vulgo, *ex promisso*. Pichena. Si modo verus in hac parte est Pichena. Etenim si hæc ita in Mediceo exemplari leguntur, quid causæ fuit, cur ab lectione ad intelligendum facillima discesserit Beroaldus edens *ex promisso?* Id autem credi vix potest venturum ei fuisse in mentem, si simpliciter ante oculos habuisset *&* *promissa*. Ego notavi nihil. Sed ex Fraterna cura cogor existimare Florentiæ scriptum haberi *per vanitatem ipsius & promisso*, quod Beroaldus judicavit se compelli ut ita mutaret: judicio certe absurdo; quum id vere sit Taciti hanc varietatem mirabiliter amplexi. 3, 64. *Insignes per honestum aut notabili dedecore*. 2. hist. 49. *Non noxa neque ob metum*. Eam loquutionem jam inchoaverat in principio operis: *per acies aut proscriptione cecidissent*. Vide & mox c. 18. & 2, 38. Sed idem MS exhibet *ad spem haud dubie retraxit*. Id enim deliberari oportuit, an ad spem arriperet tantam vanitatem. *Jac. Gronovius.*

2 *Cesellii Bassi*] Is eques Romanus est Suet. Ner. 31. *Vertranius.*

1 Qua

magna vis auri contineretur, non in formam pecuniæ, sed rudi & antiquo pondere. lateres quippe prægraves jacere, astantibus parte alia columnis. [1] *quæ per tantum ævi occulta augendis præsentibus bonis.* [2] *Cæterum ut conjectura demonstret,* [3] *Didonem Fenissam Tyro profugam, condita Carthagine, illas opes abdidisse, ne novus populus nimia pecunia lasciviret; aut reges Numidarum & alias infensi, cupidine auri ad bellum accenderentur.* Igi- 2
tur Nero non auctoris, non ipsius negotii fide satis spectata, [4] nec missis visoribus per quos nosceret, [5] an vera afferrentur, auget ultro rumorem, [6] mittitque qui velut partam prædam adveherent. [7] Dantur triremes & delectum navigium, juvandæ festinationi. [8] nec aliud per illos dies populus credulitate, prudentes diversa fama tulere.

1 *Quæ per tantum ævi occulta, augendis præsentibus bonis latuerint*] Verbum *latuerint* non est in volumine Budensi. atque potest abesse, si quis verbum *fuerint* subintelligat, aut simile quippiam. De quo monui lectorem, ut videat, quam multa sint in autoribus passim interpolata. *Rhenanus.* Verbo auctior Venetus: *augendis præsentibus bonis latuerint.* sed glossema videtur, & à Flor. abest. *Pichena.*

2 *Ceterum ut conjectura demonstrat*] Lego, *demonstret.* Refert enim oblique Tacitus orationem Cesellii. *Acidalius.* *Ut conjectura demonstret:* ita legi postulat totus ordo narrandi: hactenus edebatur, *demonstrat*, contra loquendi leges. *Freinshemius.*

3 *Didonem*] Intolerabile & servitio simul, simul mendacio mixtum jugum Tacito imponunt editiones, tanquam ille sic scripserit, quum optime perspectam habuerit appellationis hujus naturam, & membrana Medicea testatur ab eo tantum fuisse scriptum *Dido Fenissam.* Itaque id, satis ab Servio ad 4. Æn. 383. illustratum, auctori reddendum censui. Certe ut hic conniverint illi, qui ipsos antiquos libros non perspexerunt, indulgeri potest: sed ipsum Beroaldum, ipsum Pichenam, ipsum Ryckium usum collatione mea sic lusisse, apage! Præsertim quum postremus sic turbet in illo *Phœnissam*, quod ipsius liber MS. habere potuit, utpote recentissime confectus; sed de Mediceo aliter cogitet, nec etymologia coercuit illa ante mille annos & circiter tempora. Ubi non in libris MSS. videmus hodie legi istud *Fen?* ut idcirco non debuerit sibi tantum arrogare. Beroaldus suo arbitrio cum libri vetustissimi spretione, usus fuit, quum edidit *Phœnissam*, haud dubie quidem non invito Tacito & Virgilium æmulante; sed, ut notavi ad 15, 17. de Euphrate, liceat librariis vetustis aliquid indulgeri. *Jac. Gronovius.*

4 *Nec missis visoribus*] Ita *invisores* Apulejus dixit, etsi alio quodam sensu, 1. Florido: *Siquis forte in hoc pulcherrimo cœtu ex illis invisoribus meis malignus sedet.* Mirum ni Sallustio quoque hæc vox restituenda apud Fabium l. 9. *Unde usque eo processum est, ut non pœniturum pro non acturo pœnitentiam: & Visures, ad videndum missos idem auctor* (Sallustius) *dixerit.* Puto *Visores*: & hinc sumsisse nostrum. *Lipsius.*

Nec missis visoribus] Nisi legissem lib. Annal. primo, *simul Segestes ipse ingens visu.* Deinde lib. 3. *Et tot adstantium visum.* rursum lib. 4. *Numeroque & robore, & visu inter se, fiducia ipsis, in ceteros metus crederetur:* potuissem hic scribere, *jussoribus*, pro *sponsoribus*, atque *expromissoribus*, quos non miserit Cesellius ille Bassus. *Rhenanus.*

5 *An vera afferrentur*] Scripsimus, *afferentur.* Rhenanus. Legendum omnino *afferrentur.* ut & Muretus. *Acidalius.*

6 *Mittitque qui velut partam prædam avcherent*] Lego, *paratam.* Idem.

7 *Dantur triremes, & delectum navigium, juvandæ festinationi*] Cur triremes & navigium hoc loco distinguuntur? An non navigii nomine etiam veniunt triremes? Malim igitur: *& delectum remigium, juvandæ festinationi.* *Remigium* hic idem est, quod remiges. Ita Ann. 14. *Detentusque rebus gerundis Suetonius, quod post paucas naves in litore, remigiumque in iis amiserat, tamquam durante bello, tradere exercitum Petronio Turpiliano jubetur.* Neque aliter Ann. 3. ubi Agrippinæ in Italiam ex Oriente adventus describitur, *non alacri remigio*, dixit. *Boxhornius.* Valde placet Boxhornii conjectura. Vide quæ notamus ad Liv. 26, 51. *Gronovius.* Nemo diffiteatur istam conjecturam ornatam esse sua quadam specie, sed an ideirco probabilior sit aut plus firmitatis habeat, quam ista Africana thesaurorum imaginatio, perquam dubito. Cicero dicebat 2. in Verr. c. 4. *a Vibone Veliam parvulo navigio.* Et notat Hotomannus: *Navigium enim festinanti commodius magna nave.* Hoc aliquid. Sed delectum navigium intellige optimæ fabricæ Liburnicas, quæ & velo & remigio uti queunt & mare agilissime ex ratione fabricæ secare, præsertim si & remiges sint delecti ad robur ac firmitatem. Nonne sic cap. 14. *Missa Liburnica, advehiturque propere Sosianus.* Triremes non serviebant ad onerandum, non ad transvehendum, sed ad tuendum ac propugnandum, si insidiatores piratica submitteret. *Jac. Gronovius.*

8 *Nec aliud per illos dies populus plus credulitate*] Comparativum *plus* delevimus. *Rhenanus.* Recte cape, *aliud credulitate.* id est, aliud quam credulitatem. *Acidalius.* Suspectus mihi locus. Venetus & nonnulli alii veteres addunt, *populus plus credulitate prudentis.* Florent. pro, *tulerat*, habet, *tulere.* An populus eum Bassi credulitatem, ac spem haud dubiam videret, nihil aliud per illos dies sermonibus tulit? Potius suspicor, credulitatem ad Neronem

lere. Ac forte quinquennale ludicrum secundo lustro celebrabatur: ab actoribus [1] oratoribusque præcipua materia in laudem principis adsumpta est. *non enim tantum solitas fruges, nec metallis confusum aurum gigni, sed nova ubertate* [2] *provenire terras, & obvias opes deferre deos.* quæque alia summa facundia, nec minore adulatione ser-
3 vilia fingebant, securi de facilitate credentis. [3] Glifcebat interim luxuria spe inani, consumebanturque veteres opes, quasi oblatis quas multos per annos prodigeret. Quin & inde jam largiebatur: & divitiarum exspectatio, inter caussas paupertatis publicæ erat.

referri, qui ea non tantum in vulgus prodidit, sed auxit ultro rumorem. *Pichena.* Cujus vero *prudentis?* Luxatum sensum sana levi mutatione: *creduli tate prudentis diversa fama.* Grotius. Merito suspectum hunc locum habet Pichena, quem sic restituam: *populi credulitate protenus divisa fama.* Hoc ait famam, ut solet, credulitate audientium ubique statim sparsam fuisse, ut non alia de re per eos dies sermo crebrior esset. Vide H. 1, 12. Vulgus enim credulum est, & vocatur nostro H. 2, 72. H. 4, 49. Ergo etiam quod audit creditque, protenus divulgat. Egregie id expressum est supra 2, 82. *Statim credita, statim vulgata sunt, ut quisque obvius quamvis leviter audita in alios, atque illi in plures cumulata gaudio transferunt.* Vulgata autem lectio contrarium sensum habet, in his *diversa fama*, non certe vult diversam famam fuisse, sed omnibus fidem factam. deinde cujusnam *prudentis* ista credulitas, quis ita aut quo loqueretur. *Freinshemius.* Recte eruditiss. Gronovius notaverat, populi & prudentium judicia hic, ut & alibi, à Tacito distingui. Qui proinde sic rescribit: *Nec aliud per illos dies populus, plebs credulitate, prudentes diversa fama tulere.* Nempe quia MSS. habent, *populus plus credulitate.* Vide ipsum cap. 14. elegantissimarum Observationum. Ego jam ante, nobili & egregio juveni, Nicolao Heinsio, in his litteris judicii incorrupti, ad oram Codicis mei notatam hanc emendationem ostenderam: *Nec aliud per illos dies populus credulitate, prudentes diversa fama, tulere.* Quæ nisi fallor, ipsa Taciti scriptura est. *Populus & prudentes* fere à Tacito opponuntur. Non *plebs & populus*, quod sciam. Distinguere videtur Annal. 1. ubi de testamento Augusti, sed videtur. Est enim corruptus iste locus. In quem vide doctiss. Freinshemium. Sed & ibi de aliis potius, quam de judiciis hominum agitur. *Boxhornius.* Fefellerat me optimus Pichena, opinatus in MS. esse *populus plus:* unde tentabam, quod dictum est: nam *populum & plebem* sæpe distingui ex Livio Plinioque notavimus ad Senecam de Ira 3, 18. Sed ipso libro Florentiæ inspecto inveni nil aliud quam *popls.* quod est *populus*, non *populus plus:* statimque emendavi conjecturam meam aliquot annis aute, quam suam Marcus proderet, cui tamen laudem suam non invidemus. *Gronovius.*

1 *Oratoribusque præcipua*] Vatic. *abaratoribus oratoribusque.* Legerim, *ac rhetoribus oratoribusque:* vel *ac vatibus oratoribusque.* Certe, & vates & oratores, musico illo agone certasse scimus. *Lipsius.*

Oratoribusque præcipua materia] Mendosam vocem libri veterês inculcant. Flor. *anaratoribus oratoribusque.* Lipsius varie emendat. Ego leviter dubito, an sit legendum, *adulatoribus, oratoribusque.* nam paulo infra ait, *summa facundia, nec minore adulatione.* quæ verba, ad hæc fortasse respondent. *Pichena.* Quid occultari crediderim in involucro lectionis Mediceæ, posui in contextu, quum & diu id coctum habuerim, & auctores non ita usurpentur, ut de solis carminibus intelligantur, unde Ryckius huc arcessit aliena, quum interim de carminibus & orationibus certe agatur. Hæc duo gênera publicantur partim ab oratoribus, partim ab actoribus. Justinus fine lib. 6. Clar. Vir dicit quidem (per *auctores* poetæ intelliguntur) sed probat nihil, & inter testimonia de Tacito solet poni ex Orosio *Sallustium Crispum & alios auctores*, quibus & Tacitum apponit. *Jac. Gronovius.*

2 *Provenire terras*] Flor. *terram.* Pichena. Mirum certe est, hæc ut sana hactenus esse ab omnibus transmissa? At vero quis Latine dixerit, *provenire terras*, ubi de iis agitur, quæ ex terra proveniunt & enascuntur? Mihi haud dubium est, quin aliter scripserit Tacitus. Ad oram codicis mei sic rescripsi, neque nunc muto: *Non enim tantum felitas fruges, nec metallis confusum aurum gigni, sed nova ubertate provenire. Æternas & obvias opes deferre Deos.* Distinguendum esse, sicut nos distinximus, quivis videt. *Æterna* veteribus dicuntur, aut quæ vere talia, ut dii; aut quæ spe ac voto talia facimus, ut Principes & Respublica: aut quæ continua, diu durant, & prope inexhausta sunt: ut servitus, discordia, Annal. 12. & opes, hoc loco. Nam, ut paullo ante Tacitus, Cesellius Bassus, exprompsit apud Cæsarem, repertum in agro suo specum, altitudine immensa, quo magna vis auri contineretur. Magna & immensa, æterna fere vocantur. *Boxhornius.* Immo *nova ubertate provenire terras* est novo genere fœtus esse fœcundas & fertiles. Sic Plautus in Truculento 2, 4. *Cumque bene provenisti salva, gaudeo.* Et eadem fabula 2, 6. *Cum tu recte provenisti, cumque es aucta liberis, Gratulor.* Gronov.

3 *Gliscebat interim luxuria*] *Luxuria* hic non ponitur pro libidine venerea, ut Ecclesiastici usurpant, sed pro nimia profusione, abundantiaque nimia. *Lipsius.*

1 *Esso·*

erat. Nam Bassus [1] effosso agro suo, latisque circum arvis, dum hunc vel illum
locum promissi specus adseverat, sequunturque non modo milites, sed populus agre-
stium efficiendo operi adsumptus; tandem posita vecordia, [2] *non falsa antea somnia*
sua, seque tunc primum elusum admirans, pudorem & metum morte voluntaria effu-
git. Quidam *vinctum ac mox dimissum* tradidere, *ademptis bonis in locum regiæ gazæ.*
Interea senatus propinquo jam [3] lustrali certamine, ut dedecus averteret, offert im- 4
peratori *victoriam cantus*, [4] adjicitque *facundiæ coronam*, qua ludicra deformitas vela-
retur. Sed Nero *nihil ambitu nec potestate senatus opus esse* dictitans, [5] *se æquum ad-*
versus æmulos, & religione judicum meritam laudem adsecuturum, primo carmen in sce-
na recitat: mox flagitante vulgo, *ut omnia studia sua publicaret* (hæc enim verba dixe-
re) ingreditur theatrum, cunctis citharæ legibus obtemperans: ne fessus resideret,
ne sudorem, nisi [6] ea quam indutui gerebat veste detergeret: ut nulla oris aut narium
[7] excrementa viserentur. Postremo [8] flexus genu, [9] & cœtum illum manu vene-
ratus;

1 *Effosso agro*] Simillima stultitia Pompeji exercitum incidit, cum is in eadem Africa, contra Domitium & Jarbam, militaret. Nam cum quidam thesauros aliquos casu reppperissent: fuere qui dicerent persuaderentque, totum eum locum auri plenum, à cladibus Pœnorum ibi repositi. Atque ita miles avidus ad fodiendum se dedit per plures dies, Pompejo ridente simul & indignante, tantam illam multitudinem stulta avaritia & labore fatigari: donec tandem fessi & irriti, clamarent, *Duceret jam quo vellet, satis se pœnarum stultitia sua dedisse.* Plutarchus in Pompejo. *Lipsius.*

2 *Non falsa ante somnia*] Admirans multa se vera per quietem antea vidisse, tunc primum elusus. *Ferrettus.* Flor. *antea.* Pichena.

3 *Lustrali certamine*] Sive Quinquennali. Quod hic quidem anno sexto celebrari, miratur vir doctissimus, & erroris, cui latebra non sit, pœne Tacitum accusat. Nam debebat quinto celebrari, inquit, quatuor dumtaxat annis interjectis. An distulisse Neronem aliquis dixerit? ille vero antevenire solet, cupidine certaminum, & ante præstitutam diem revocare. quod Suetonius in Nerone cap. XXI. scripsit. Hæc vir ille magnus. Ego autem si quid video, aut firmiter numero, abnuo Tacitum ultra quintum annum produxisse. Ecce institutum est Nerone IV. Cornelio Cosso Coss. urbis anno DCCCXIII. nunc secundo editur, Silio & Anico Coss. anno DCCCXVIII. Certe ab illo ad istum ipsi anni quattuor intersunt, & quinto nunc anno editur; aut omnes calculi me fallunt. *Lipsius.*

4 *Adjicitque facundiæ coronam*] Restitui ex Flor. copulam, quæ à vulgatis aberat. *Pichena.*

5 *Se æquum*] Quasi diceret, se æqualem & parem in hoc certamine. Sed non displicet, quod olim conjeci, *seque unum adversus æm.* Lipsius.

Se æquum adversus æmulos] Lipsio perplacet: *Seque unum advers.* vel *seque imo.* neutrum mihi. Legam, *seque adversus æmulos religione ducum* &c. abjecta copula &. Acidalius. Mendosus locus Lipsio videtur. tamen ego tolerabilem utcumque ex eo sensum elicio. Ait Nero, se in scena *æquum*, hoc est æqualem paremque, esse adversus æmulos: & victoriam cantus, coronamque facundiæ, adipisci velle judicum religione ac conscientia, nec ut principi sibi deferri. Ideo paulo infra ait: *sententias judicum opperiebatur ficto pavore.* Pichena. Quasi diceret, se æqualem & parem in hoc certamine, sicut explicavit Vir Doctissimus. quamquam & conjecturam suam retineat: *seque unum adversus* &c. sed nec mutatione quacunque opus esse putem, & illud *æquum* ita exponi debere, quasi dicat, se æquali Marte cum ipsis certaturum. Sic Drusus *habebatur æquus filiis Germanici.* Freinshemius.

6 *Ea quam indutui gerebat veste*] Apulejus Florid. lib. 2. *Habebat indutui ad corpus tunicam interulam.* & statim: *habebat cinctui balteum: amictui pallium candidum.* Cic. Tusc. Quæst. lib. 5. *Mihi amictui est Scythicum tegmen.* Pichena.

7 *Excrementa viserentur*] Exemplar Budense, *viserent*, subaudi, *ipsi spectatores.* Rhenanus.

8 *Flexus genu*] Imo & sollennia histrionum verba hæc pronuncians, *Κύριοί μου εὐμενῶς μου ἀκούσατε. Domini mei audite me libenter.* Ex quo intelegis quid *Principium* apud Suetonium sit Neron. cap. XXI. *Utque constitit peracto principio, Nioben se cantaturum per Cluvium Rufum pronunciavit.* Anteloquium scilicet illud citharœdicum, emerendi favoris: uti & principia quædam, legitimo carmine, olim oratorum. De adoratione manu, dico ad lib. I. Histor. *Lipsius.*

9 *Et cœtum illum manu veneratus*] In culpa ponit Tacitus. Tamen Imperatoribus postea id servatum, ut sollerni ritu populum adorarent in Circo. Claudianus pulchre De VI. Cons. Honori.

O quantum populo secreti numinis addit
Imperii præsens species! quantamque rependit
Majestas alterna vicem! cum regia Circi
Connexum gradibus, veneratur purpura, vulgus;
Consensuque cava sublatus in æthera vallis
Plebis adorata reboat fragor.

Lipsius.

ratus, sententias judicum opperiebatur ficto pavore. [1] Et plebs quidem urbis, histrionum quoque gestus juvare solita, personabat [2] certis modis plausuque composito. Crederes lætari, ac fortasse lætabantur, [3] per injuriam publici flagitii. Sed qui remotis è municipiis, [4] severaque, & adhuc antiqui moris retinente Italia, [5] quique per longinquas provincias lasciviæ inexperti, officio legationum aut privata utilitate advenerant, neque aspectum illum tolerare, neque labori inhonesto sufficere: cum manibus nesciis fatiscerent, turbarent gnaros, ac sæpe à militibus verberarentur, [6] qui per cuneos stabant, ne quod temporis momentum impari clamore, aut silentio segni præteriret. Constitit plerosque equitum, dum per angustias aditus & ingruentem multitudinem enituntur, obtritos, & alios dum diem noctemque sedilibus continuant, morbo exitiabili correptos. [7] quippe gravior inerat metus, si spectaculo defuissent, multis palam & pluribus occultis, ut nomina ac vultus, alacritatem, tristitiamque coëuntium scrutarentur. Unde tenuioribus statim irrogata supplicia, adversus illustres dissimulatum ad præsens, & mox redditum odium. Ferebant-

1 *Et plebs quidem verbis histrionum gestus juvare solita*] Emendavimus, *Et plebs quidem urbis.* Rhenanus.

2 *Certis modis, plausuque composito*] Ars enim, si dis placet, utriusque rei: acclamandi, & plaudendi. Itaque addit, *cum manibus nesciis fatiscerent, turbarent gnaros.* In edicto Theodorici regis ad populum Rom. lib. 1. Variar. Cassiodori: *Soletis aëra ipsum mellifluis implere clamoribus, & uno sono dicere quod ipsas quoque belluas delectet audire. profertis voces organo dulciores; & ita sub quadam harmonia cithara concavum theatrum per vos resonat, ut tonos possit quilibet credere, quam clamores.* Modulatum hunc clamorem, concentum appellat Plinius In Panegyrico: *Et populus quidem Rom. delectum principum servat, quantoque paullo ante concentu formosum alium, hunc fortissimum personat.* Dio, Εὐρύθμως ἐκβοῶν, in Pertinace: Ὅσα τε ἐπεθύνων ἐν τοῖς θεάτροις ἐπὶ τῇ τοῦ Κομμόδου θεραπείᾳ εὐρύθμως ἐκβοᾶν, ταῦτα τότε μετασχηματίζοντες ἐς τὸ γελοιότατον ἐξῆδον. Vide quædam hujus rei ad 1. Histor. *Lipsius.*

3 *Per injuriam publici flagitii*] *Injuriam* ægre hic tolero. nec enim capio. Mutem *incuriam* quod sane valde accommodatum sententiæ. *Acidalius.* Vix video quid hæc sibi velint. Reponam: *per incuriam publici flagitii.* Talis semper fuit indoles populi; hic præsertim Romani, qui principis sui indecoris factis (quæ, hercle, merito vocantur *publica flagitia*) velut majestatis Principis ac imperii incuriosus lætabatur. *Boxhornius.*

4 *Severamque adhuc*] Rod. Agricola legebat: *severaque, &, retinente Italia.* Lipsius.

Severamque adhuc, & antiqui moris retinentes Italiam] Legendum omnino cum Rod. Agricola, *severaque adhuc & a. m. retinente Italia.* & deinceps cum Mureto, *longinquas.* Acidalius. Rodolphus Agricola, ut ait Lipsius, legebat, *severaque adhuc, & a. m. retinente Italia.* Sed opinor, ex conjectura. At vulgatæ etiam lectioni constructio fortasse constabit. ii scilicet, qui remotis è municipiis adveniebant, retinentes sive inhabitantes Italiam, adhuc severam, & moris antiqui. *Pichena.* Corrigo: *severique adhuc & antiqui moris retinentes Itali.* Vult enim auctor, qui è partibus remotioribus advenissent, eosque, qui retinerent adhuc aliquid priscæ gravitatis & consuetudinis, non potuisse applaudere fœdis factis Principis. *Harlem.* Hoc est ea parte Italiæ, quæ quantum ab Urbe, tantundem à lascivia luxuriaque distabat. Hæc est lectio Rod. Agricolæ, quam omnino recipiendam putavimus, quod inesset genius auctoris, quem vulgata non sapit. Sic *retinentem modestia, nobilitatis, conditoris* alibi hoc in auctore, at *retinere* pro habitare, nusquam, opinor, reperias. *Freinshemius.*

5 *Quique per longinquas provincias lascivia inexperti*] Haud dubium, quin ita sit legendum. & Flor. indicat, qui habet, *per lonquas.* Sic lib. 12. *longinquas in provincias commeatus portabant.* Corrupta hic in vulgatis, *per longas provincias.* Pichena.

6 *Qui per cuneos stabant*] De cuneis theatri vide Lipsium de amphitheatro cap. 13. *Idem.*

7 *Quippe gravior inerat metus*] O ludos, ô ineptias, sed cruentas & tristes! Nam mors comes aut exilium, si quis segniter audivisset scilicet hunc Phœbum. Philostratus scite narrat, *Apollonium venisse Romam, & in hospitium quoddam, per hæc tempora, divertisse. Ibi autem hominem quendam, scenice habitu, citharam tenentem & pulsantem, cantantem etiam, sed rudi & absona voce, supervenisse, qui solitus esset urbem ita perambulare, & Neronis carmina cantillare. Quæ si quis aut negligentius audisset, aut mercedem condignam non dedisset, ab eo tamquam impietatis reus convictus petebatur, & in carcerem ducebatur. Chordam præterea, usu detritam & fractam, quæ in ipsa Neroniana cithara fuisset, ut cimelium aliquod in arcula ferebat: atque eam emptam sibi duabus minis ferebat. nec cuiquam porro venditurum, nisi qui præstantissimus in ea arte esset, & aliquando Pythiis vicisset.* Atque addit, Apollonium ipsum & comites ejus, cum afici non viderentur, accusatos ab eo.

rebantque [1] *Vespasianum, tamquam somno conniveret, à Phœbo liberto increpitum, ægreque*
meliorum precibus obtectum: mox imminentem perniciem majore fato effugisse. Post finem 6
ludicri Poppæa mortem obiit, fortuita mariti iracundia, à quo gravida ictu calcis
afflicta est. neque enim venenum crediderim, quamvis quidam scriptores tradant,
odio magis quam ex fide. quippe liberorum cupiens, & amori uxoris obnoxius erat.
[2] Corpus non igni abolitum, ut Romanus mos; sed regum externorum consuetudi-
ne, [3] differtum odoribus conditur, tumuloque Juliorum infertur. Ductæ tamen
publicæ exsequiæ, laudavitque ipse apud rostra *formam ejus, & quod divinæ infantis*
parens fuisset, aliaque fortunæ munera pro virtutibus. Mortem Poppææ ut palam 7
tristem, [4] ita recordantibus lætam ob impudicitiam ejus sævitiamque, nova insuper
invidia Nero complevit, prohibendo C. Cassium officio exsequiarum. [5] quod primum
indicium mali, neque in longum dilatum est. Sed Silanus additur. nullo crimine,
nisi quod Cassius opibus vetustis, & gravitate morum, [6] Silanus claritudine generis,
& modesta juventa præcellebant. Igitur missa ad senatum oratione, *removendos à*
republica utrosque disseruit: objectavitque Cassio, *quod inter imagines majorum*, [7] *etiam*
C. Cassii effigiem coluisset, ita inscriptam: [8] *DVCI PARTIVM. Quippe semina belli*
civilis,

eo ut *Divinæ vocis contemptores*, sed mercedula tamen data hominem placasse. Hæc lib. 4. *Lipsius.*

1 *Vespasianum à Phœbo*] Hoc igitur periculum Romæ adiit, ut hic Tacitus: sed simile in Achaia. de quo Suetonius Vespasiani c. 4. *Peregrinatione Achaica inter comites Neronis, cum cantante eo aut discederet, aut præsens obdormisceret, gravissimam contraxit offensam: prohibitusque non contubernio modo, sed etiam publica salutatione.* Itaque sæpius in ista re subrusticus & vere Sabinus vir peccavit. Quod porro ad Phœbum, is libertus admissionum fuit, ex Suet. Vespas. cap. 14. De eo lapis,

TI. CLAVDIO. AVG. L.
PHOEBO.
CLAVDIA. PANATYCHIS.

Idem.

2 *Corpus non igni abolitum* &c.] Corpora primum terra condebant Romani, postea eum cognovissent erui longinquis bellis obrutos, cremandorum corporum morem sumpsere. Apud Syros & Ægyptios condendi, medicataque corpora servandi in loculis consuetudinem fuisse legimus. Nam corpora condiunt myrrha, aloë, cedro, melle, sale, bitumine, & resina, odoribus delibuta. Ex succo enim Cedri corpora servari affirmant. *Lupanus.*

3 *Differtum odoribus*] Plinius de Arabia: *Periti rerum adfirmant, non ferre tantum annuo fœtu, quantum Nero princeps novissimo Poppææ suæ die concremaverit.* Lipsius.

4 *Ita recordantibus lætam*] Eleganter Muretus *recondentibus.* quod illi *palam* opponitur. *Acidalius.*

5 *Quod primum indicium mali, neque in longum dilatum est*] Scripsit Tacitus: *officio exequiarum: quod primum indicium mali. Neque in longum dilatus est*, &c. *Idem.*

6 *Silanus*] Suspicor eumpse esse, cui postea statua in foro posita, curante Capitone. Qua de re Plinii epistola tota, lib. 1. ad Cornelium Titianum. Corrupte hoc nomen scriptum in Commentario Juvenalis, ad illud Sat. 1.

——— *magni delator amici.*

Heliodorum dicit Stoicum Philosophum, qui Licinium Silanum condiscipulum suum testimonio oppressit. Lege, *L. Junium.* Lipsius.

7 *Etiam C. Cassii effigiem coluisset*] In scripto libro non est, *etiam.* Sed mox est: *Dux partium.* Rhenanus.

8 *Duci partium*] Budensis codex, *Dux.* non male. Hæc autem historia est: quam eleganter Ambros. 1. Offic. tangit. *Si tyranni aliquis habeat imaginem, nonne obnoxius est damnationi? Memini legisse me quosdam capitali supplicio damnatos, quæ Bruti & Cassii interfectorum Cæsaris imagines asservarent.* De titulis autem imaginum scripsi in Electis, cap. 29. *Lipsius.*

Inscriptam duci partium] Manuscriptus Corvini Regis habet, *Dux*, & rectius, mea quidem sententia. Erat autem effigies ita inscripta, *C. CASSIVS DVX PARTIVM*, quod partes Cæsari adversas in bello civili duxisset. Siquidem Romanis solenne fuit, eorum imagines, quorum ipsis sacrosancta memoria esset, ex vero effingere, & effictas, levando minuendove dolori in atriis habere. Quare Plin. 35, 11. inquit, *Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera.* Ex ceteris deinde exscribebat artifex: pingebat pictor imagines, *quamvis sit difficillima imitationis imitatio*, ut Cæcilianus lib. 4. epist. Julio Severo scribit. Itaque, ut dixi, Cassius avi sui inscriptam effigiem colebat: quod crimini datum & ipse in Sardiniam deportatus est, uti mox Cornelius refert. Sed à Nerone tandem hic mori jussus dicitur Suetonio, *Cassio Longino JCto, ac luminibus orbato, quod in vetere gentili stemmate C. Cassii percussoris Cæsaris imagines retinuisset* &c. Contra

civilis, & defectionem à domo Cæsarum quæsitam. [1] *Ac ut memoria tantum infensi nominis ad discordias uteretur, adsumsisse L. Silanum juvenem genere nobilem,* [2] *animo præruptum, quem novis rebus ostentaret.* Ipsum dehinc Silanum increpuit iisdem quibus patruum ejus Torquatum, *tamquam disponeret jam imperii curas,* [3] *præficeretque rationibus & libellis & epistolis libertos:* [4] inania simul & falsa. [5] nam Silanus intentior metu, & exitio patrui ad præcavendum exterritus erat. [6] Inducit posthac vocabulo indicum, qui in Lepidam Cassii uxorem, Silani amitam, *incestum cum fratris filio, & diros sacrorum ritus* confingerent. Trahebantur ut conscii [7] Vulcatius Tullinus, ac [8] Marcellus Cornelius senatores, & [9] Calpurnius Fabatus eques Romanus: qui appellato

Sextus Pomponius de successione jurisprudentum de Sabino locutus sic habet, *Huic successit C. Cassius Longinus, natus ex filia Tuberonis, quæ fuit neptis Servii Sulpitii: & ideo proavum suum Servium Sulpitium appellavit.* Is & consul fuit cum Quartino temporibus Tiberii, & plurimum in civitate auctoritatis habuit; donec Cæsar eum civitate expelleret. Expulsus ab eo in Sardiniam, revocatus a Vespasiano diem suum obiit. Idem Cassius supra lib. 12. cæteros præeminebat peritia legum: qui cum Syriæ præesset, quantum sine bello dabatur, revocabat priscum morem: cura provisuque perinde agebat ac si hostis ingrueret. Ita dignum majoribus suis, ita familia Cassia ratus per illas quoque gentes celebrata, post illum Cassium qui mandatu Senatus & auctoritate Pop. Rom. adjutus, Syriam cum tribus exercitibus qui in eadem provincia erant, in potestatem suam, redegit, teste Livio 121. & aliis scriptoribus. *Vertranius.*

1 *Ac ut memoria*] Lego, *ac ne.* Lipsius.

Aut memoria tantum infensi nominis ad discordias uteretur] Scribendum, ut Faernus legebat: *Ac ne memoria tantum infensi nominis.* Ursinus. Nero scribens ad Senatum, iis tacite occurrit, quæ Cassio apud eum gratiam parare potuissent: scilicet illum non amore libertatis, ejusmodi tentare, sed odio sui tantum. Et ut sciatis (inquit) Cassium in mei solum perniciem, illius Cassii se agnatum facere, en ad imperium vocat, & sollicitat Silanum. *Salinerius.* Accuratissimus interpres legit: *Ac ne memoria tantum,* &c. At integra est hæc lectio vulgata; *Ac ut memoria* &c. Hoc enim vult Tacitus: Statua Cassii culta, hostis Cæsarum, & adsumpto L. Silano, cujus patruus imperium erat meditatus, nihil aliud egisse C. Cassium, quam ut repetitis tantum æstimatisque eorum nominibus, qui vel ipsi Cæsaribus extiterant infesti, vel tales nomine ac sanguine contingebant, discordias populi adversum Cæsares excitaret. Quantum in obliteratis ac depressis ejusmodi nominibus momenti Principes reponant, vel ex eo horum instituto liquere potest, quo damnare ejusmodi nomina, & interdicere posteris, consueverunt. Cujus passim, etiam apud Tacitum, exstant exempla. *Boxhornius.* Frustra interpretantur, quod vitiosum est. Recte Lipsius & Faernus, *ac ne.* Hoc enim significat: & quasi non sufficeret infamis ac damnati hominis memoriam renovasse palamque coluisse, (quod quid aliud quam parricidium ejus probare & ad simile scelus præsentes vocare?) adjunxisse partibus &c. Vel etiam: Et ne ad rebellionem stimulandam una hostis Cæsarum imago niteretur in qua præter nomen nihil est adjutamenti, assumpsisse Silanum, &c. *Gronovius.*

2 *Animo præruptum*] Non, *promptum:* ex Vaticano. Præruptus, ut Præfractus, de iis qui rigida effrænique audacia sunt. Ita Ciceroni pro Roscio, *Prorupta audacia,* dicta. *Lipsius.*

3 *Præficeret rationibus & libellis*] Illud his verbis significatur, quod libro superiore planius tradidit fuisse objectum Torquato Silano, *quod nobiles haberet, quos ab epistolis, & libellis, & rationibus appellaret: nomina & meditamenta summa cura.* Ferrettus.

4 *Inania simul & falsa*] Castigavimus, *& inania simul & falsa.* Rhenanus. Vulgo, *& inania.* Sed abstulimus redundantem, *&,* Florentini ac Veneti. *Pichena.*

5 *Nam Silanus intentior metu & exitio patrui ad præcavendum erat* &c.] Ita scribendum, & delendum est verbum, *exterritus.* Ursinus. Deleri poterat non modo vox *erat,* sed &, *exterritus.* mihi profecto resipiunt illegitimum quid: idemque fere pronuntiaverim de illis, *ad præcavendum.* Gruterus.

6 *Inducit*] Alias, *induxit.* Ferrettus.

7 *Vulcatius Tullinus*] Credo, *Tertullinus:* supervixitque ad principatum Vespasiani. lib. IV. Histor. *Vulcatius Tertullinus tribunus plebei intercessit.* Lipsius.

8 *Marcellus Cornelius*] Quem Galba deinde interfecit. lib. I. Histor. *Quam gloriam ad principatum attulit, nisi occisi Obultronii Sabini, & Cornelii Marcelli in Hispania?* Noto eo, quia Tacitus ipse admonet, evasisse eos hoc discrimen, & Neroni superfuisse. *Idem.*

9 *Calpurnius Fabatus*] Ille prosocer Plinii Secundi. *Idem.*

Calpurnius Fabatus eques Rom.] Fuit hic patria Novocomensis, C. Cæcilii Plinii prosocer. ejus antiqua memoria adhuc Comi visitur Jovii Benedicti, V. Cl. opera, eruto monumento in hæc verba: *C. Calpurnius. L. F. Ouf. Fabatus. VIvir. IIII. vir. i. d. præf. prat. trib. leg. XXI. Rapac. præf. cohortis. VII.* Lusi-

appellato principe instantem damnationem frustrati, mox Neronem circa summa scelera distentum, quasi minores evasere. [1] Tunc senatusconsulto, *Cassio & Silano exsilia decernuntur; de Lepida Cæsar statueret.* Deportatusque in insulam Sardiniam Cassius, & [2] senatus jus exspectabatur. Silanus tamquam Naxum deveheretur Ostiam amotus; post municipio Apuliæ cui nomen est Barium, clauditur. Illic indignissimum casum sapienter tolerans, à centurione ad cædem misso corripitur. Suadentique *venas abrumpere, animum quidem morti destinatum* ait, [3] *sed non permittere percussori gloriam ministerii.* At centurio quamvis inermem, prævalidum tamen & iræ quam timori propiorem cernens, premi à militibus jubet. Nec omisit Silanus obniti, & intendere ictus quantum manibus nudis valebat, donec à centurione vulneribus adversis tamquam in pugna caderet. Haud minus prompte L. Vetus, socrusque ejus Sextia & Pollutia filia necem subiere: invisi principi, tamquam vivendo exprobrarent interfectum esse Rubellium Plautum generum Lucii Veteris. Sed initium detegendæ sævitiæ præbuit [4] interversis patroni rebus [5] ad accusationem transgrediens

9 and 10 (margin): chapter 9 begins at "Tunc senatusconsulto"; chapter 10 at "Haud minus prompte".

Lusitan. et. natien. Gatulic. Arsen. qua. sunt. in. Numidia. Flam. D. Aug. ex. patrimenio. T. F. I. Alciatus.

1 *Tunc senatusconsulto*] Volumen regium, *tunc consulto senatu.* Paulo post apparet illinc etiam legi posse, *Haud minus promptam.* Rhenanus. Scribendum est, *Tunc consulto senatu.* & ita liber Corvinianus habet. *Vertranius.* Immo noo aliter ipse Mediceus. *Jac. Gronovius.*

2 *Senatus jus exspectabatur*] Vulnus, cui non medeor. Palmerius legit (ita ab Hieron. Berchemio accepi, veteri meo amico) *Senatus jussus spectabatur.* Franciscus Medices: *& senectus ejus exspectabatur.* At de exsilio Cassi, convenienter cum Tacito Pomponius De orig. juris: *Cajus Cassius Longinus plurimum in civitate auctoritatis habuit, donec eum Cæsar* (Nero, non Claudius, uti censent) *pelleret: expulsusque ab eo in Sardiniam, revocatus à Vespasiano.* De eximia ejus scientia, noster l. XII. *Ea tempestate Cassius ceteres praeminebat peritia legum.* Plinius lib. VII. Epist. *Lator quod domus C. Cassii, huius qui Cassianæ schola princeps & parens fuit, serviet domino non minori.* Lipsius.

Et senatus jus exspectabatur] Haud scio, damnato Cassio quale jus senatus exspectaretur: ac ita scriptum lego, *Deportatusque in insulam Sardiniam Cassius è senatus jussu spectabatur*, id est, ex senatus decreto. *Vertranius.* Inter tot emendationes satius erat vulgatis adhærere. Claudius *neminem exsulum nisi ex senatus auctoritate restituit.* Sueton. 12. Quod Nero, qui alias dixerat lib. 13. annal. *Teneret antiqua munia senatus, se mandatis exercitibus consulturum*, in Cassio æmulatur: imbellis enim (licet olim dux) habebatur lib. 12. ann. 12. & oculis tum captus erat Sueton. Ner. 37. At non expectatur restitutio Silani, quippe qui Neronis erat præcipuus timor. *Salmerius.* Hisce nec Lipsius nec Muretus medentur, & ne tentant quidem. Palmerius tentat ille quidem, sed irrito conatu. Ego nihil hiscere etiam possum: nisi si delenda plane sunt. Etenim oratio sine his integra: & ipsa nullo modo aptari ad sententiam loci posse videntur. Nisi trajicias in hunc modum: *Tunc Senatusconsulto Cassio & Silano exsilia decernuntur, de Lepida Cæsar statueret. Et Senatus ocius exsequebatur: deportatusque in insulam Sardiniam Cassius. Silanus tanquam Naxum* &c. Acidalius. De corruptione non dubitatur. In Florent. legitur, *& Senatus ejus.* Quod Franc. Medices corrigendum censuit: *& senectus ejus.* id est, expectabatur, ut senectute caderet, contra quam acciderat Silano, cujus senectus non expectata. Ego potius legendum suspicor, *& exitus ejus.* timebatur scilicet ne centurionem Nero ad cædem Cassii patrandam mitteret, ut Silano acciderat, & ut moris tunc, ad fugiendam invidiam civitatis. Sic de Lollia l. 12. *In Lolliam mittitur tribunus, à quo ad mortem redigeretur.* Pichena. Hæc plurimos exercuerunt. Et locus haud dubie mendosus est. Quippe jamjam tradidit Tacitus, Senatusconsulto exsilium Cassio indictum. Quomodo igitur hic dicitur, *Senatus jus* expectatum? Florentin. codex habet; *& senatus ejus expectabatur.* Corrige autem; *& festinatus exitus exspectabatur.* Id est, in Sardinia brevi vitam cum morte commutaturum Cassium sperabatur. Quam pestilens, & aliunde advenientibus plerisque letale fuerit Sardiniæ cælum, nemo nescit. In hanc autem Cassius erat deportatus. *Boxhornius.* Acu rem tetigit Fr. Medices. Sic lib. 13. *P. Celerem, quia absolvere nequibat Cæsar, traxit senecta donec mortem obiret.* Gronovius.

3 *Sed non permittere percussori gloriam*] Faernus legebat; *sed non præripere* &c. Ursinus. Muret. *Se vere permittere* &c. Male, & contra Taciti & viri fortis mentem. *Acidalius.*

4 *Interversis patroni rebus*] Id est ab ipsomet liberto, qui patroni rem familiarem fraudaverat. *Pichena.*

5 *Ad accusationem*] Quid agitaverit Pichena, ignoro. Sed in MS. Mediceo legitur *ad accusandum.* Certe

diens Fortunatus libertus, ascito Claudio Demiano, quem ob flagitia vinctum à Vetere Asiæ proconsule, exsolvit Nero in præmium accusationis. Quod ubi cognitum reo, seque & libertum pari sorte componi, Formianos in agros digreditur. Illic eum milites occulta custodia circumdant. Aderat filia super ingruens periculum longo dolore atrox, ex quo percussores Plauti mariti sui viderat: cruentamque cervicem ejus amplexa, servabat sanguinem, & vestes respersas, [1] vidua implexa luctu continuo, nec ullis alimentis, nisi quæ mortem arcerent. Tum hortante patre, Neapolim pergit. Et quia aditu Neronis prohibebatur, egressus obsidens, *audiret insontem, neve consulatus sui* [2] *quondam collegam dederet liberto*, modo muliebri ejulatu, aliquando sexum egressa, voce infensa clamitabat. donec princeps [3] immobilem
11 se precibus & invidiæ juxta ostendit. Ergo nuntiat patri *abjicere spem, & uti necessitate*. Simul affertur *parari cognitionem senatus, & trucem sententiam*. Nec defuere qui monerent *magna ex parte heredem Cæsarem nuncupare, atque ita nepotibus de reliquo consulere*. quod aspernatus, ne vitam proxime libertatem actam novissimo servitio fœdaret, largitur in servos quantum aderat pecuniæ: & *si qua asportari possent, sibi quemque deducere, tris modo lectulos ad suprema retineri* jubet. Tunc eodem in cubiculo, eodem ferro abscindunt venas, properique & singulis vestibus ad verecundiam velati, balneis inferuntur. pater filiam, avia neptem; illa utrosque intuens, & certatim precantes *labenti animæ celerem exitum*, [4] *ut relinqueret suos superstites & morituros*. Servavitque ordinem fortuna: ac senior prius, tum [5] cui prima ætas, exstinguuntur. Accusati post sepulturam, [6] decretumque *ut more majorum punirentur*. Et Nero intercessit, [7] *mortem sine arbitrio* permittens. ea cædibus peractis ludibria adjicie-

Certe igitur hoc postremum præminet lectionem vulgatam tanto sæculorum spatio, & hinc probabilitate. *Jac. Gronovius.*

1 *Vidua implexa luxu continuo*] *Implexa* vocem certum est mihi delendam, natam ex superioris lineæ iterata voce *amplexa*. Acidalius. Poterat hoc tacuisse sine fraude vel sua vel Taciti, quum hic non evitet concursum vocum, quibus sunt eædem literæ. Quin etiam ex hoc participio debet aliquid intelligendo produci, quod sequentibus *nec ullis alimentis* applicetur, ubi codex Ryckianus habet manifestissimam interpolatoris alicujus fœcem *usa*, quam possessor tamen probavit, & nimis, ut contextui inderet, quum & alii Latini & Tacitus ament illic nihil exprimere. Licentia hæc nequit illi condonari, nedum ut sententia id plane postulet. Sed talis etiam est interpolatio, quæ antecessit *servabat sanguine vestes respersas*. Addas licet 3, 16. *Jac. Gronovius.*

2 *Quondam collegam*] Primo imperii ejus anno. *Lipsius.*

3 *Immobilem se precibus & invidia juxta ostendit*] Non habet hic particulam, *&*, exemplar Budense. sicut nec mox adverbium, *simul*: *Simul affertur parari cognitionem Senatus*. Rhenanus. Fortassis, *invidia*, nec precibus nec reverentia famæ, aut maligni rumoris metu moveri. *Gronovius.*

4 *Ut relinquerent*] Quamvis intelligi queat & sic tolerari, ut simul omnes tangantur; tamen clare patet satis, eam interpolationem esse posterioris temporis, si cognoscatur & inspiciatur istud in MS. Mediceo *relinqueret* scil. cujusque anima pia erga duos alios in eodem statu, quæ teneritudo maxima est, & ejus generis, quam in inscriptionibus vetustis legimus hodieque. *Jac. Gronovius.*

5 *Cui tam prima ætas extinguuntur*] In exemplari Budensi habes, *extinguitur*. Rhenanus. Legendum, *tum cui proxima ætas*. aut potius, *ac seniores prius, tum cui prima ætas*. ut capias, prius patrem & aviam, deinde filiam exspirasse. *Acidalius.*

6 *Decretumque ut more majorum puniretur*] Neroni cum quæreret, quid esset, *More majorum*, *responsum est*, *Nudo hominis cervicem inseri furcæ, corpusque virgis ad necem cædi*. auctor Tranquillus. *Ferrettus.*

7 *Mortem sine arbitrio permittens*] Clarissimus Faber bis huncce locum attigit. Primo ei visum legere, *mortem libero arbitrio*: post maluit, *suo arbitrio*. Quod postremum magni vatis effatum jure placet: magis tamen meum, *mortem sine arbitrio*. Et adseverem eam Cornelii scripturam esse, à Florentino etiam codice (ut postea comperi) approbatam. *Mors sine arbitro*; libera, sine domino, sine judice. Simile lib. 1. Annal. *An præmia sub dominis, pœnas sine arbitro esse?* Lipsius.

Mortem sine arbitrio permittens] Videndum an legi debeat: *mortis arbitrium permittens*. Ursinus. *Sine arbitrio*, id est, arbitro, ut judicium pro judice, *judicium dabo* ait prætor Libro DD. & facile animum induco hæc vera esse; quod legitur apud nostrum

adjiciebantur. P. Gallus eques Romanus, quod Fenio Rufo intimus, & Veteri non alienus fuerat, aqua atque igni prohibitus est. Liberto & accusatori præmium operæ, [1] locus in theatro inter viatores tribunicios datur. Et mensis qui Aprilem eundemque

strum lib. 4. ann. *superbiam* vice *superbam*. Sed si eadem postulas in eodem verbo, de Cæsare pete. lib. 3. *Constituit ut arbitri darentur: per eos fierent æstimationes possessionum, & rerum quanti quaque earum ante bellum fuissent, atque ea creditoribus transderentur.* adde, *& siquis appellasset de æstimatione, & solutionibus, quæ per arbitrium fierent (ut Cæsar præsens constituerat) fore auxilio pollicebatur.* Salmerius. Lipsius ait Fabro placuisse, *mortem suo arbitrio*: cum in vulgatis omnibus legeretur, *mortem sine arbitrio*. Ipse autem ex ingenio restituit, *mortem sine arbitro*, id est, liberam, sine domino, sine judice. Sic lib. 1. Ann. *An præmia sub domino, pœnas sine arbitro esse?* Quam correctionem à Flor. codice confirmatam, recepi. *Pichena*. Scribendum esse, *mortem sine arbitrio remittens*, documus Observat. 4, 2. *Gronovius*.

1 *Inter viatores Tribunicios*] Qui spectasse videntur non abjuncto a Tribunis loco, uti ad obsequia apparere possent. Hoc autem inter præmia: quia Tribunos honestissimo loco spectasse, vel hinc colligas. quod Cæsari Julio inter honores decretum: *ut semper sella curuli sederet, excepto per ludos. Tum enim sessio ei in Tribunicio subsellio, inter eos qui quoque anno Tribuni essent, concedebatur* Dio lib. XLIV. Itemque postea Augusto: *ut in subsellius Tribunorum plebis sederet*. Dio idem, lib. XLIX. *Lipsius*.

Locus in theatro inter viatores Tribunitios datus] Qui *viatores* Romanis antiquis essent, diu anxie quæsivi, & difficultatem afferebat, quod apparitores. viatores, accensos, lictores, summotores, ita officio conjunctos observarem, ut quæ inter illos differentia esset constituenda, ignorarem: quod tamen longo studio & diligentia me adinvenisse existimo. Itaque hi omnes *Apparitores* dicti, quod scilicet Magistratibus assisterent, & præsto essent ad obsequendum Liv. 3, 49. & 8, 33. Quod & potissimum passim patet ex Amm. Marcellino, & ex Justiniano, in L. 31. § 5. *Cod. de Episcop. & Cleric.* Hi quoque nominati *ministeria*, L. 3. §. *Tutor*. D. *de Suspect. Tutor.* Aliquando *apparitio*, L. finali, § finali, D. *de Eviction*. Cicero tamen in epist. ad Thermum, *apparitionem* pro officio apparitoris accepit Vocati quoque & interdum *officia*, L. *Illicitam*, §. *Ne tenuis*, D. *de Offic. Præsid.* Nonnunquam *officiales*, Rubric. & l. 1. Cod. de filiis official. & Cap. *Nullus*, 4. quæst. quarta. Interdum *exsecutores*, l. 2. *Cod. de sportul.* Aliquando *missi*, uti cap. 5. de immunit. eccles. & ibi glossa in novella. τάξιν ταξεῶται, id est, *ordo* & in glossa veteri, ἀμφοδάρχαι ἐς χινωμέναι In horum numero fuere *lictores*, qui apparebant his tantum magistratibus, qui auctoritatem haberent non solum vocandi & ligandi, sed & quoque puniendi, hique ab aliis in hoc distinguebantur, quod securi & virgis supplicium de damnatis sumebant, jussu magistratuum, quibus apparebant. Ita Tribunos Consulari potestate creatos, lictores habuisse constat ex Livio lib. 3. Ita Consules ubique, ita & Imperatores. Isti autem *lictores* & aliquando *summotores* dicti, eo quod eorum officium esset, turbam & alios quoscunque summovere. Liv. 3, 45. & 48. & lib. 8, 33. & 45, 29. quo in loco pro *summotore*, intelligendum lictorem, non dubitandum vel propter verba lib. 28, 27. *Accensis* munus fuit vocandi, & ab acciendo dicti, ex Varrone lib. 5. de Ling. Lat. Cic. lib. 1. epist 1. ad Q. Frat. Verum quia & id munus proprium erat *Viatoris*. in quo differrent & distinguerentur, indagandum. *Viatoris* munos præcipuum fuisse vocandi, constat ex Columella in præf. lib. 1. Cic. de Senect c. 16. Et Festo in *Viatores*. Et Liv. 8, 18. Et Plin 18, 3. Ex dictis patet, sicuti *Accensi*, ita & *Viatoris* quoque vocandi munus fuisse. At quomodo distinguendi sint, non æque manifestum. Ego statuendum puto, in hoc *Viatores* ab *Accensis* distingui, quod *Viatores* non modo vocandi jus haberent, sed & ligandi. *Accensi* vero minime. Verum quia Sigonius id aperte negat lib. 2. de jure antiq. civ. Rom. cap. 15. ideo comprobandum est. Livios lib. 3, 6. & 6, 16. & 9, 10. & 4, 14. Utrubique enim *apparitoris* voce, *viatorem*, omnemque alium, qui ligandi jus haberet, intelligendum non dubito. Sicut 3, 38. de *Viatoribus* interpretandum conjicio. At Cicero omnem scrupum demit, quum ait in Vatinium: *Miserisne viatorem, qui M. Bibulum vi domo extraheret.* Itaque quum *Viatores* facultatem haberent ligandi, in hoc ab *Accensis* distinguebantur: *Accensi* vero à *Viatoribus* alia differentia discernuntur. namque *Accensi* munus erat, etiam meridie conclamare populo, quod *Viatores* non faciebant. Id autem constat ex Varrone loco citato. Et Plin. 7, 6. *Viatores* aut proprios fuisse Tribunorum pl. sicuti *lictores* Consulum existimavit plurimæ lectionis vir, Andreas Tiraquellus ad Alexandrum motus auctoritate Livii 2, 56. qua tamen in re eum hallucinatum non dubito. namque non modo Tribuni pl. sed & alii magistratus *viatores* habuere, quibus vocandi jus fuit. De Senatu constat ex Plin. 18, 3. De consulibus nulli dubium. De Ædilibus patet ex Livio lib. 30. *Scribæ Viatoresque Ædilicii.* Romæ in Basilica Sancti Petri in Vaticano extat tabella antiqua inscripta, in qua fit mentio *T. Tettieni Viatoris Ædilicii.* Et in Æde Sanctæ Cæciliæ in alia tabella. *viator. quæstor. ab aerar.* in alia in domibus Dominorum S. Crucis legitur: *Ti. Onesimo. viatori. collegii. magni.* Quod pariter & reliqui magistratus *viatores* proprios habuerint, rationi consonum est, & constat ex Juriscon-

demque Neroneum sequebatur, Majus *Claudii*, [1] Junius *Germanici*, vocabulis mutantur: testificante Cornelio Orfito qui id censuerat, [2] *ideo Junium mensem transmissum, quia duo jam Torquati ob scelera interfecti*, [3] *infaustum nomen Junium fecissent.*
13 Tot facinoribus fœdum annum etiam dii tempestatibus & morbis insignivere. Vastata Campania turbine ventorum, qui villas, arbusta, fruges passim disjecit. [4] pertulitque

risconsultis, l. finali, de judic. p. l. *Magis puto.* §. *Illud quæri potest* de rebus eorum, qui sub tutel. p. Unde & *Viatores* Prætoris scil. vel Judicum aliorum eisdem dicti executores litium, ut Imperator docet in §. *Triplici, de actionibus. Viatores* ex servorum genere fuisse contendunt aliqui ex recentioribus auctoritate Strabonis innixi lib. 5. & Gellii 10, 3. Idem & adversus Picenos & Lucanos observatum, qui viatorum tabellariorum loco sunt habiti. In oppositum tamen stat veritas, siquidem Viatores cives Rom. fuisse constat ex antiq. inscriptione tabellæ, quam Car. Sigonius de l. describit. Præterea quomodo Nero liberto & accusatori præmium operæ dedisset, locum in theatro inter viatores, si hi ex servili genere extitissent? Ad hæc Livius lib. 38. scribit, *ut postremo scriba, viatoresque tribunos reliquerunt.* Itaque viatores à servili comitatu discernit. Ad auctoritates autem Strabonis & Gellii dicimus; aliud esse *servorum vice haberi*, aliud vero *servum esse*; namque & communi appellatione etiam *servire* dicuntur, qui liberi sunt, non servi. Et ita à Frontino libro de Aquæductibus, & à Varrone Livio *apparitores* (inter quos viatores statuimus) servos publicos appellatos observamus, hoc est, qui publico inservirent, quum tamen hi fere omnes ex libertino genere essent, uti Cicero ad Q. Fr. scribens & Appium, in Verr. & in Corn. docet, & Tacitus lib. 13. demonstrat. Valgius Rufus & cum eo Gellius 12, 3. *Viatores* in collegio lictorum reposuere, quos tamen aberrasse ex jam dictis constat; apertius vero ex antiqua tabella dignoscitur præcones potius ex viatorum collegio fuisse, quam lictores. Quantum aberraverit doctiss. Turnebus lib. 1. cap. 11. *viatoris* vocem ex antiqua inscriptione interpretans, ex dictis jam satis patere puto. *Marcellus Donatus.*

1 *Junius Germanici*] Obhæreo. Series quidem mensium ita postulat: sed si *Junius* in hoc numero, quomodo additur *Junium transmissum*, quia infaustus esset? Itaque olim reponebam, *Julius Germanici.* Sed libri mihi opponuntur, itemque ratio, quod facta injuria Divo Julio videtur, si illi mensis suus ademptus. Quid dicam? verba tamen sequentia de Junio abnuunt, etsi alii conantur pro, *transmissum*, rescribere, *transnominatum.* Lipsius.

Junius Germanici vocabulis] Malim: *Julius*: sequitur enim, *ideo Junium transmissum.* Ferrettus. Libri omnes & mss. & editi in voce, *Junius*, consentiunt. Lipsius reposuit, *Julius*, *Junii* vocem falsam adseverans, eo quod statim sequatur, *Junium mensem transmissum.* Huic opinioni ac mutationi assentiri minime potui, & antiquam ac genuinam lectionem restitui. Nam Orfiti adulatio eo spectat, ut Junii mensis nomen, ob Juniæ familiæ scelera, tanquam infaustum deleretur, atque ab aliquo ex Neronis cognominibus denominaretur, cum jam ipse Aprili nomen dedisset. Ac ne mensis Majus in medio vacuus remaneret, excogitavit, Majum Claudii, Junium Germanici appellationibus commutari posse, ut horum trium cognominum series in mensibus continuaret. Hanc fuisse mentem ac sententiam Orfiti reor. Nam quid mensi Julio oportebat novum nomen imponere? ne credas, nam Julio Cæsari notabilis ignominia ex tali sententia provenisset. Præterea si nomen Junium in integro remansisset, insignis honor Juniæ familiæ fuisset, cujus nominis oblivio potissimum quærebatur. At Tacitus ait, *Junium mensem transmissum.* Fateor, sed interpretor, transmissum in nomen Germanici, ac transmutatum: idque eodem sensu dictum. quo apud Sueton. *transnominatum.* in Domit. 13. *Septembrem mensem, & Octobrem ex appellationibus suis, Germanicum, Domitianumque transnominavit.* Pichena.

2 *Ideo Junium mensem transmissum*] Id est, censendo à se non nominatum, licet satis intelligeretur qui Majum inter & Julium esset. *Vertranius.* Hoc est, omissum, deletum: oblivioni traditum, neglectum; quomodo sup. 15, 31. *inania transmittuntur.* Sic *transmittere silentio, dissimulatione* &c. alibi apud nostrum. Oblitteratum ergo nomen Junii, in Juniæ familiæ dedecus. Frustra æstuant viri doctiss. qui hæc aliter aut emendant, aut explicant. *Freinshemius.*

3 *Infaustum nomen Junium fecissent*] Male antea, *nomen Junii tum fecissent.* Emendavit Lipsius, & indicat Florent. qui habet, *nomen junctum.* Pichena. An sic non indicatur *junctim*? Jac. Gronovius.

4 *Pertulitque violentiam ad mænia urbis*] Liber MS. *ad mænia vicina urbi.* Suspicor scribendum tantum, *ad vicina urbi.* Sic lib. 4. Hist. *Ceterique per urbem & urbi vicina conquisiti.* Nam quantum ad scripturam attinet, vocabulum *mænia* non differt à dictione *vicina*, itaque conjicio bis scriptum idem vocabulum. *Rhenanus.* Immo quum observaverim in MS. Mediceo scriptum fuisse priore manu idque satis clare *menia*, hinc confirmor in eo, quod olim ex Oxoniensi me advertit idem. Vox illa ipsa est in MS. Rhenani, Florentino, Oxoniensi, atque adeo omnibus, qui erant tunc inspecti. Aliud de suo fatetur Ryckius; non mirum, utpote quem exaravit homo, qui arbitrio interpolandi utebatur liber-

tulitque violentiam ad vicina urbi. In qua omne mortalium genus vis pestilentiæ
depopulabatur, nulla cœli intemperie quæ occurreret oculis. Sed domus corpori-
bus exanimis, itinera funeribus complebantur. non sexus, non ætas periculo vacua.
servitia perinde ac ingenua plebes raptim exstingui, inter conjugum & liberorum la-
menta, qui dum assident, dum deflent, sæpe eodem rogo cremabantur. Equitum
senatorumque interitus quamvis promiscui, minus flebiles erant, tamquam communi
mortalitate sævitiam principis prævenirent. Eodem anno delectus per Galliam Nar-
bonensem Africamque & Asiam habiti sunt, supplendis Illyrici legionibus, ex qui-
bus ætate aut valetudine fessi, sacramento solvebantur. [1] Cladem Lugdunensem
quadragies sestertio solatus est princeps, ut amissa urbi reponerent. quam pecuniam
Lugdunenses ante obtulerant, turbidis casibus. C. Suetonio [2] L. Telesino consu- 14
libus Antistius Sosianus factitatis in Neronem carminibus probrosis, exsilio, ut dixi,
multatus, postquam id honoris indicibus, tamque promptum ad cædes principem
accepit, inquies animo, & occasionum haud segnis, Pammenem ejusdem loci exsu-
lem, & Chaldæorum arte famosum, eoque multorum amicitiis [3] innixum, simili-
tudine fortunæ sibi conciliat. Ventitare ad eum [4] nuntios & consultationes non fru-
stra ratus, [5] simul annuam pecuniam à P. Antejo ministrari cognoscit. Neque ne-
scium habebat, Anteium caritate Agrippinæ invisum Neroni, opesque ejus præci-
puas ad eliciendam cupidinem, eamque caussam multis exitio esse. Igitur intercep-
tis Anteii litteris, furatus etiam libellos quibus dies genitalis ejus, & eventura, se-
cretis Pammenis occultabantur, simul repertis quæ de ortu vitaque Ostorii Scapulæ
composita erant; scribit ad principem, *magna se & quæ incolumitati ejus conducerent
allaturum, si brevem exsilii veniam impetravisset. quippe Anteium & Ostorium imminere
rebus,*

liberrimo. Sic retinuit, quod alibi ab Tacito dictum noverat, *ad vicina urbi*, perinde ut Rhenanus citato isto loco. Sed species hæc est fallacissima. Cur enim *vicina urbi* potius credetur nunc dixisse quam *propinqua*, quo alibi etiam utitur? Nequeunt in hoc ex vero decernere. Occurrunt autem illa *propinqua urbi* 4. ann. 74. De voce *urbi* utrum sic exstet scripta in Florentino, an vestigia literæ *s* adsint, ego nihil de eo notavi, unde illam vocem tangere nullus debeat. Certe sufficit semel istam syntaxin in hoc capite occurrere mox *amissa urbi reponerent*. Jac. Gronovius.

1 *Cladem Lugdunensem*] Cladem ex incendio conceptam. quod denarrat & deplorat Seneca epistola tota XCII. Accidit centesimo anno à colonia deducta, eodem Seneca observante. Ut solatium hoc tarde adhibitum à Nerone sit, septimo post incendium anno. Nam deducta Lugdunum à Munatio Planco, anno urbis DCCXI. *Lipsius.*

Cladem Lugdunensem quadragies HS. solatus] Æstimatur hæc summa centum millibus ducatorum nostræ ætatis. *Alciatus.*

2 *L. Telesino Consulibus*] Nomen ei L. Pontius Telesinus ex Vellejo. Laudat ut philosophum, & insignem virum, plus uno loco Philostratus lib. 4. & 7. eumdemque exsulasse ea re sub Nerone scribit. *Lipsius.*

3 *Innixum*] Rectius *innexum*. Freinshemius.

4 *Nuntios & consolationes*] Omnino lego, *consultationes*: & jam notavit Pichena sic in Florentino esse. Verbum ejus artis. Juvenalis:

——— *quæ nullum consulit, & jam*
Consulitur.

Noster: *Qua caritate erga parentem, non tamen aliud consultaverat, quam de incolumitate domus.* Paullo ante scribo, *multorum amicitiis innexum*, non *innixum*. Lipsius.

Nuntios & consultationes] Corrupte in vulgatis, *nuntios & consolationes.* Præviderat correctionem Lipsius ex ingenio. Ego Florentini fide restitui. *Pichena.*

Consolationes] Ex jam dictis audacter accipias licet, *consolationes* pro *consolatoribus*: qui ab amicis mittebantur specie consolandi, sed re vera ut scirent eventura. Eruditiss. vir *consultationes* quod mihi non arridet: quis enim in exilio eadem palam exerceret, per quæ fuerit deportatus? Severus scil. cui exilium Creta, eadem factitando evasit majores pœnas. lib. 4. ann. *Recentia veteraque odia advertit, bonisque exutus, interdicto igni, atque aqua, saxo Seriphio consenuit.* At Sosianus amicus erat Pammeni, *similitudine fortunæ conciliatus.* eoque omnium gnarus. Crederem, nisi pro comperto haberem, Pammenem talia dissimulasse, & ab omnibus occuluisse. *Igitur interceptis Anteii literis, furatus etiam libellos, quibus dies genitalis ejus, & eventura secretis Pammenis occultabantur.* Salinerius.

5 *Simulque annuam pecuniam*] Scripsimus, *simul an-*

rebus, & sua Cæsarisque fata scrutari. Exin [1] missæ liburnicæ, advehiturque propere Socianus. Ac vulgato ejus indicio, [2] inter damnatos magis quam inter reos Anteius Ostoriusque habebantur: adeo ut testamentum Anteii nemo obsignaret, nisi Tigellinus auctor [3] exstitisset. Monitus prius Anteius, *ne supremas tabulas moraretur.* Atque ille hausto veneno, tarditatem ejus perosus, intercisis venis, mortem approperavit. Ostorius longinquis in agris [4] apud finem Ligurum id temporis erat. eo missus centurio, qui cædem ejus maturaret. [5] Caussa festinandi ex eo oriebatur, quod Ostorius multa militari fama, & [6] civicam coronam apud Britanniam meritus, ingenti corporis robore, armorumque scientia, metum Neroni fecerat, [7] ne invaderet pavidum semper, & reperta nuper conjuratione magis exterritum. Igitur centurio

ubi

annuam pecuniam. Rhenanus.

1 *Missæ Liburnicæ*] Liburnicæ à Liburnis populis Dalmatiæ sunt cognominatæ, qui hujuscemodi navibus latrocinia exercebant. *Liburnas* Vegetius appellat, & Lucanus hoc versu, *Ordine contenta gemine crevisse Liburna.* *Liburnum* legit Lilius Giraldus, *Ordine contenta gemino crevere Liburno.* Hoc navis genere Augustus bello Actiaco de M. Antonio, & Cleopatra victoriam reportavit. Tacit. lib. 18. Claudium quendam Pyrrichum *Liburnicarum trierarchum* appellat. *Lupanus.*

2 *Inter damnatos magis* &c.] Quia periculum pro exitio habebatur, supra 4, 28. Eodem tendit illud Senecæ de Libone epist. 70. *omnes enim necessarii deseruerant impie, non jam reum, sed funus.* Freinshemius.

3 *Exstitisset. Monitus prius Anteius, ne supremas tabulas moraretur*] Fallor an hæc ita nectenda? *exstitisset, monito prius Anteio, ne suprema tabulis moraretur.* id est, ne mortem differret curatione testamenti. *Acidalius.* Monitus credo ab amicis, quos Tigellinus secreto miserat, sperans hereditatis partem ex eo testamento: quas ille prædas maxime aucupabatur. De Mella paullo infra: *scriptis codicillis, quibus grandem pecuniam in Tigellinum, generumque ejus Cossutianum Capitonem erogabat, quo cetera manerent.* De Petronio inferius: *Ne codicillis quidem, quod plerique pereuntium, Neronem, aut Tigellinum, aut quem alium potentium adulatus est.* Pichena. Malim *extitisset, monito prius Anteio* &c. hoc enim modo auctor extitisse videbatur, eaque caussa nemo amplius formidavit signare tabulas illas. quia enim Tigellinus prævalidus in amicitia principis erat, testamenti factio concessa reo videbatur, quod ipse eum monuisset, ne testamenti tabulas moraretur. quod enim tales dicunt faciuntve, jussu aut certe consensu principis fieri creditur. Expressit id supra 4, 22. *Urgulania Silvani avia pugionem nepoti misit. Quod perinde creditum quasi principis monitu; ob amicitiam Augustæ cum Urgulania.* Freinshemius. Miror Pichenam ita abstinere ab prodendo, quod legitur in Mediceo, & pertinet ad conjecturam Acidalii, nempe *monitus prius Anteje*, ut vidi & notavi teste Ryckio. *Jac. Gronovius.*

4 *Apud finem Ligurum*] Non aspernabilis forte conjectura nostra, *apud Fanum Ligurum.* Is locus, Templum alio nomine dictus. In vita Agricolæ: *Classis Othoniana licenter vaga, dum in Templo (Liguriæ pars est) hostiliter populatur.* Livius tamen Finem Ligurum etiam appellat. *Redeuntes inde Ligurum extremo fine, agmen Romanum incidunt.* sed alio, nisi fallor & communi magis sensu. *Lipsius.*

Apud finem Ligurum id temporis erat] Sic Livius lib. 3. decad. 4. *Redeuntes inde Ligurum fine, cum agresti præda in agmen incidunt Romanum.* & lib. 10. decad. ejusdem: *Ligurum duo millia fere ad extremum finem provinciæ Galliæ, ubi castra Marcellus habebat, venerunt, uti reciperentur orantes.* Plurative idem usurpavit lib 5. decad. ejusdem: *Consul alter L. Cornelius Merula per extremos Ligurum fines exercitum in agrum Bojorum induxit. Dirigere finem*, quod arbitris convenit inter disceptantes de jure finium, apud eumdem legitur lib. 9. decad. ejusdem: *Q. Fabium Labeonem, quum in regione ea fuisset, direxisse finem Philippo veterem viam regiam, quæ Thraciæ paroriam subeat.* Rhenanus.

5 *Caussa festinandi ex eo oriebatur, quod Ostorius multa*] Manifeste abundant voces illæ, *ex eo oriebatur*, neque videntur manasse ab auctore. unde legimus in editionum prima, *caussa festinandi exoriebatur, quod Ost.* Gruterus.

6 *Civicam coronam*] Filii ergo M. Ostorii ista mors. Nam de eo lib. 12. scriptum: *Qua pugna filius legati M. Ostorius servati civis decus meruit.* Pater sane in ipsa Britannia obiit. *Lipsius.*

7 *Ne invaderet, pavidum semper, & reperta nuper conjuratione magis exterritum*] Scribo *pavido*, & *exterrito*, referoque ad præcedens *Neroni.* Pro *invaderet* dubito etiam nunc an *evaderet* potius sit. Conveniat id cum sequentibus, *Igitur Centurio ubi effugia villæ clausit.* Sed credam potius voculam desiderari, & scribendum, *ne imperium invaderet pavido semper* &c. *& exterrito.* Ut lib. 5. in simili caussa: *Ceterum timore occulto, ne L. Silanus eximia nobilitate, disciplinaque C. Cassii apud quem educatus erat, ad omnem claritudinem sublatus, imperium invaderet.* Acidalius. Sic hæc conjungenda duxi, expuncta virgula, quæ addebatur, post *invaderet.* Porro in Veneto est *invaderetur*: ex quo facerem; *invaderet ut pavidum.* Freinshemius.

1 *Jussa*

ubi effugia villæ clausit, [1] jussa imperatoris Ostorio aperit. Is fortitudinem adversum hostes sæpe spectatam in se vertit. Et quia venæ quamquam interruptæ parum sanguinis effundebant, hactenus manu servi usus ut immotum pugionem extolleret, adpressit dextram ejus, juguloque occurrit. Etiam si bella externa, & obitas pro 16
republica mortes tanta casuum similitudine memorarem, meque ipsum satias cepisset, aliorumque tædium expectarem, quamvis honestos civium exitus, tristes tamen & continuos aspernantium. At nunc patientia servilis, tantumque sanguinis domi perditum, fatigant animum & mœstitia restringunt. Neque aliam defensionem ab iis quibus ista noscentur exegerim, [2] quam ne oderim tam segniter pereuntes. Ira illa numinum in res Romanas fuit, quam non ut in cladibus exercituum, aut captivitate urbium,

1 *Jussa imperatoris Ostorio aperit*] Codex Budensis habet, *impost.* ut etiam legi queat, *jussa mox*, vel *post Ostorio aperit.* Mox, *Is fortitudinem adversum hostes sæpe spectatum.* Rhenanus. Lectionem istam concinnavit & edidit Beroaldus, quum in Mediceo exstare cerneret *jussa im. p. Ostorio.* unde ex interpolatione habet Oxoniensis *jussa inde post Ostorio.* Jac. Gronovius.

2 *Quam ne oderim tam segniter pereuntes*] Hunc locum meum secutus judicium, *oderim* in *oderint* mutato, sic lege, *Quam ne oderint tam segniter pereuntes.* Sensus est, A lectore non exigimus, ut illorum plusquam servilem patientiam defendat, aut excuset, sed hoc tantum, ne illos odio prosequatur aut odisse incipiat: nam res fuit plane fatalis. *Rhenanus.* Segniter vero illi peribant, de quibus jam diu memoravit? promte imo plerique omnes & fortissime. Et male hæc culpatio convenit isti proximæ laudationi: *Detur hoc illustrium virorum posteritati, ut quomodo* &c. Denique quid ita horum segnem interitum ad sui excusationem valere velit Tacitus? Falsi jure suspecta mihi lectio. quam mutem: *ne oderint tam segniter pergentem.* Quod firment illa: quæ subduntur: *Ira illa numinum in res Rom. fuit, quam non, ut in cladibus exercituum, aut captivitate urbium, semel editam transire licet.* Acidalius. Lipsius in margine, *oderint*, scripsit. hoc, ut videtur, sensu: hi adeo segniter perierunt, ut fere defendi atque excusari segnitia eorum non possit. Itaque ab iis, qui ista legent, non exigo, ut eos defendant, sed tantum ne oderint. At nuper Julius Salinerius, *oderim*, retinet, atque ad Tacitum refert. Qui lectoris tædium veritus, propter continuas similesve civium mortes à se traditas; hac tantum ratione defendi atque excusari postulat, ne si tales viros silentio transmisisset, odisse eos videretur, quia tam segniter serviliterque perierint: eoque odio suspicionem fortasse dominantibus daret, se pro patientia audaciam & seditionem in conjurationis noxiis desiderare. sed fortasse verius: Tacitum à lectoribus petere, ne existiment, se nominatim illos tradidisse, odii exprobrationisque causa: cum alioquin solitus sit hujusmodi virorum nomina silere lib. 14 *nobilium familiarum posteros egestate venales, in scenam deduxit: quos fato perfunctos ne nominatim tradam, majoribus eorum tribuendum puto.* Pichena. Doctiss. vir *oderint.* Quo autem sensu, dicit Curtius Pichena vir ingenii perquam amæni. Haud assentio, quia sic Tacitus exigeret à lectore, si non defensionem tam segniter pereuntium, at saltem ne ea de caussa eos odio prosequeretur: quod sane aliquantum friget. Tu *oderim* ne hinc expelle, defensionemque & odium ad Tacitum refer; qui & alibi deprecatur tædium lectoris: *Pleraque eorum, quæ retuli, quæque referam, parva forsitan, & levia memoratu videri non nescius sum, sed nemo,* &c. *non tamen sine usu fuerit introspicere illa primo aspectu levia, ex quibus magnarum sæpe rerum motus oriuntur.* Scio (noster ait) tot segnibus eorum mortibus enarratis, me fastidio lectori fuisse: verum non me alia defensione volo purgare, quam me talia scripsisse, ne alias viderer eos viros odisse, quod nihil ausi sint adversus imperatorem, & eadem ab iis exegisse, quæ socer à Plauto postulavit. 14. annal. *Effugeret segnem mortem, otium, suffugium & magni nominis miserationem: reperturum bonos, consociaturum audaces.* Suspicio non parvi momenti; à qua liberari sub quovis principe inprimis decebat. *Salinerius.* Imo *ne oderint.* A lectoribus non petit, ut mortem ita perdentes probent, sed ut ignoscant quasi fatali, ut alibi loquitur, ignaviæ. Dubito an & *defensionem* mutandum in *dependsionem*, id est, mercedem pro scribendi opera. *Grotius.* Malebam; *quam ne omiserim tam segniter pereuntes.* Sententia est. Non aliam defensionem ab iis, qui hæc legent, exigo, quam ut cogitent, me hos segnes illustrium virorum excessus omittere non debuisse. Volunt id sequentia: *Detur hoc illustrium virorum posteritati, ut quomodo exsequiis à promiscua sepultura separantur, ita in traditione supremorum accipiant habeantque propriam memoriam.* Caussam reddit, non cur non oderit, sed quare non omiserit tot illustres viros tam segniter, tamque servili patientia pereuntes. Quales qui sint docet, quæ paulo sequitur, amicorum Thraseæ oratio, monentium, ut ante excessum, curiam ingrederetur, & pro libertate verba faceret, & ejus caussa mori se palam exponeret; inter alia, illa; *Segnes & pavidos supremis suis secretum circumdare.* &c. Hæc enim cum istis sunt commendanda; & ideo hic dicenda sibi debebant. *Boxhornius & Harlæus.* Omnino caussam reddit, cur non oderit, hoc est, non

urbium, femel editam tranfire licet. Detur hoc illuftrium virorum pofteritati, [1] ut quomodo exfequiis à promifcua fepultura feparantur; ita in traditione fupremorum

17 accipiant habeantque propriam memoriam. Paucos quippe intra dies, eodem agmine Annæus Mella, Cerialis Anicius, Rufus Crifpinus, [2] ac C. Petronius cecidere. Mella & Crifpinus equites Romani, [3] dignitate fenatoria. nam hic [4] quondam præfectus prætorii, & confularibus infignibus donatus, ac nuper crimine conjurationis in Sardiniam exactus, accepto juffæ mortis nuntio femet interfecit. Mella quibus Gallio & Seneca parentibus natus, petitione honorum abftinuerat, per ambitionem præpofteram, ut eques Romanus confularibus potentia æquaretur. fimul acquirendæ pecuniæ brevius iter credebat, [5] per procurationes adminiftrandis principis negotiis. Idem Annæum Lucanum genuerat, grande adjumentum claritudinis. quo interfecto, [6] dum rem familiarem ejus acriter requirit, accufatorem concivit Fabium Romanum, ex intimis Lucani amicis. *Mixta inter patrem filiumque conjurationis fcientia fingitur*; affimulatis Lucani litteris. quas infpectas Nero, *ferri ad eum* juffit, opibus ejus inhians. At Mella, quæ tum promptiffima mortis via, exfolvit venas: fcriptis codicillis, quibus grandem pecuniam in Tigellinum, generumque ejus Coffutianum Capitonem erogabat, quo cetera manerent. Additur codicillis, tamquam de iniquitate exitii querens [7] ita fcripfiffet; *fe quidem mori nullis fupplicii cauffis*, [8] *Rufum tamen Crifpinum & Anicium Cerialem vita frui, infenfos princip*i. quæ compofita credebantur, de Crifpino quia interfectus erat, de Ceriale ut interficeretur. neque enim multo poft vim fibi attulit, minore quam ceteri miferatione, quia proditam C. Cæfari

non omiferit eorum mentionem. Id enim *odiffe* vocat. Non aliter me defendam, quam ut rogem, concedam mihi non odiffe & punire filentio ignaviam fic inftar pecorum cædi fe præbentium: vel, cum viri fortes forent, quorum mortis contemptus ufui magno effe potuiffet, ita mortem perdentes. Neftor apud Ovidium in 12. *Nec tamen ulterius, quam fortia facta filendo Ulcifcar fratres.* Gronovius.

1 *Ut quo modo exequiis, ac promifcua fepulchra feparantur*] Emendavimus, *Ut quo modo exequiis à promifcua fepultura feparantur.* Mox cap. 17. fcripfimus, *Annaus Mella.* Eft deinde in libro MS. *Confularibus infigniis.* Rhenanus.

2 *Ac C. Petronius*] Ifta litera prænomen denotare folita abeft ab Mediceo. *Jac. Gronovius.*

3 *Dignitate fenatoria*] Non enim revera Senatores, fed opibus ac fplendore cuivis Senatorum pares. Equites illuftres. *Lipfius.*

4 *Quondam Prafectus Praterii*] Sub Claudio lib. 11. *Lipfius.*

5 *Per procurationes*] Ad quas foli equites aut liberti admiffi. *Lipfius.*

6 *Dum rem familiarem*] De Annæo Mella fermo eft, qui pater Lucani. Atqui de illo Eufebianum Chronicum. *L. Annaus Mella Seneca frater & Gallionis, bona Lucani filii fui à Nerone promeretur.* Quæ fi vera lectio, opinandum à fifco aut fifcalibus quædam abrepta, & retenta. Sed ego ambigo, neque cenfeo publicata bona, quia fua manu cecidit, & damnationem prævenit. Quod fi eft, bene in Eufebio corrigas, & ad hæc Taciti: *ob bona Lucani filii fui à Nerone perimitur.* Lipfius.

Rem familiarem ejus acriter requirit] Quomodo id? & nonne damnati publicata bona? Scilicet verum effe quod fcribit Eufebius in chronico; reftituta ea patri à Nerone: *M. Annaus Mella Seneca frater & Gallionis bona Lucani filii fui à Nerone promeretur.* Mercerus.

7 *Ita fcripfiffe, fe quidem mori nullis fupplicii caufis*] Repofui, *Ita fcripfiffet, fe quidem mori nullis fupplicii caufis.* Rhenanus. Involuta fententia quam distinctione & levi emendatione hac explico: *Additur codicillis, tamquam de iniquitate exitii querens, ita fcripfiffe: fe quidem* &c. Acidalius. Ven. ed. *fcripfiffe.* fortaffe melius: nifi fi & duo verba hæc, *ita fcripfiffet*, à gloffa fint, fuitque initio: *Addit codicillis, tamquam de iniquitate exfilii querens, fe quidem.* Gruterus. Tacitum reliquiffe cenfeo: *Additur, codicillis tamquam de iniquitate exitii querentem fcripfiffe.* Gronovius.

8 *Rufum tamen Crifpinum*] Scripfi, *tamen*, Florentino volente. Alii *autem*. Pichena. Infpexi locum diligenter ob hæc ipfa verba, & vidi has literas *Rufrium au*, quibus duabus poftremis literis fuperinducta erat lineola. Quo compendio nullus dixerit inclufam effe vocem *tamen*, fed omnes *autem*, præfertim qui ufurpaverint illum codicem; qui quum vult innuere *tamen*, folet notare *tam̄*, quod ipfum mox fequitur in illis *Proconful tamen Bithynia* &c. Nomen proprium fic auget codex ille, ut dixi, & indicavit jam Cl. Ryckius. *Jac. Gronov.*

1 *Cen-*

Cæsari [1] conjurationem ab eo meminerant. [2] De C. Petronio pauca supra repetenda sunt. Nam [3] illi dies per somnum, [4] nox officiis, & oblectamentis vitæ transigebatur. Utque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat, habebaturque non ganeo & profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu. Ac dicta factaque ejus quanto solutiora, & quandam sui negligentiam præferentia, tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur. Proconsul tamen Bithyniæ, & mox consul, [5] vigentem se ac parem negotiis ostendit: dein revolutus ad vitia, [6] seu vitiorum imitationem, inter paucos familiarium Neroni adsumptus est, elegantiæ arbiter, dum nihil amœnum, & molle affluentia putat, nisi quod ei Petronius approbavisset. Unde invidia Tigellini, quasi adversus æmulum, & scientia voluptatum potiorem. Ergo crudelitatem principis, cui ceteræ libidines cedebant, aggreditur, 18

1 *Conjurationem*] Conjurationem Æmilii Lepidi. de qua Suetonius & Dio. *Lipsius.*

2 *De C. Petronio*] Quem viri docti eum censent, cujus fragmenta hodie purissimæ impuritatis. De quo etiam delibero: sicut & de prænomine: quod apud Plinium lib. 37. cap. 18. Titus est; itemque Plutarchum in libello. *Πῶς ἄν τις διακρίνοι τὸν κόλακα τοῦ φίλου.* Loqui eos de hoc eodem, res indicio est. Plinii verba; *Titus Petronius Consularis moriturus, invidia Neronis Principis, ut mensam ejus exheredaret, trullam murrhinam* CCC. H. S. *emptam fregit.* Plutarchi: *Ἡ τὰς ἀσώτους καὶ πολυτελεῖς εἰς μικρολογίαν καὶ ῥυπαρίαν ὀνειδίζοντα, ὥσπερ* Νέρωνα Τίτος Πετρώνιος. Reperio & *Publium Petronium*, nisi fallor, hunc eundem. de quo ita Scholiastes vetus Juvenalis, in illud — *sed clamat Pontia, feci. Pontia*, inquit, *Publii Petronii filia, quam Nero convictam* (lego, *quem N. convictum*) *in crimine conjurationis damnavit.* Nam Pontia quidem ob aliud scelus, veneno extincta est, ut addit. *Lipsius.*

De C. Petronio pauca supra repetenda sunt] Nos, *De C. Petronio supra. pauca repetenda sunt.* Rhenanus. Petronium Priscum intelligat an Turpilianum dubito, propter illa quæ sequuntur de eodem Cajo, *proconsul tamen Bithynia, & mox consul*, &c. At Petronius Turpilianus consul prius, deinde ex consule Britanniam obtinuit sup. lib. 14. ibi, Suetonius, *Tradere exercitum Petronio Turpiliano, qui jam consulatu abierat, jubetur*, Petronius autem Priscus in insulam maris Ægei relegatus erat supra lib. 15. Erunt itaque quibus videbitur de Turpiliano dixisse Cornelius, quem non impedit Bithyniam rexisse mandatu principis pro consule, antequam consulatum gereret. Imperio namque constituto creati sæpius sunt ab Augustis proconsules, qui consulari potestate provincias extra ordinem regerent, & ex provinciæ dignitate id nomen adipiscebantur. Ita accipi potest Rufus Varenus proconsul Bithyniæ, apud Cæcilium lib. 5. Epist. 20. *Vertranius.* Fuit cum hæc suspecta haberem, atque ita legendum esse conjicerem; *De C. Petronii suprem.is.* Sed docuit me Socer meus phrasin esse Sallustianam, cujus perpetuus imitator Tacitus. Sic enim ille in Catilina 5. *Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere*, & in Jugurtha 5. *Sed priusquam hujuscemodi rei initium expedio, pauca supra repetam.* Freinshemius.

Pauca supra repetenda] Hæc series vocum est in Mediceo, non confundenda. *Jac. Gronovius.*

3 *Illi dies per somnum*] Vide verum hunc adversipedem, ut Latini appellant. Dies noster, illi nox erat: & nox, pro die. Pulchre omnino istos homines verè perversos Seneca describit & culpat, epistola CXXIII. *Lucet? somni tempus. Quies est?* (pro nocte, Quietem dixit: atque ita locum interpretor ac distinguo) *nunc exerceamus, nunc gestemur, nunc prandeamus. Jam lux propius accedit? tempus est cœnæ.* Ac plura ibi de lucifugis illis vide. Adde & hæc Lampridii in Heliogabalo: *Trajecit & dierum actus noctibus, & nocturnos diebus, æstimans hoc inter instrumenta luxuriæ: ita ut sero de somno surgeret, & salutari inciperet, mane autem dormire inceptaret.* Lipsius.

4 *Nox officiis & oblectamentis vitæ transigebatur*] Ea officia plerunque ad amicos pertinebant, ut, commendare candidatos, salutare potentiores, comitari magistratus, interesse recitationibus, nuptiis, sponsalibus, aut funeribus: & alia multa, quæ aut prima luce, ut plurimum celebrabantur. unde à Plinio epist. 12. lib. 3. *antelucana officia*, vocantur. Juvenalis lib. 1 Sat. 2. *officium cras Primo sole mihi peragendum in valle Quirini.* Suet. Aug. 78. *Matutina vigilia offendebatur. ac si vel officii vel sacri causa maturius vigilandum esset.* Symmachus epist. 23. lib. 1. *Si diurna negotia nunquam distinguis quiete, certe antelucano somno nullus indulseris, ut detur aliquod tempus officiis.* Pichena.

5 *Ingentem se ac parem negotiis ostendit*] Malim, *vigentem se ac parem negotiis ostendit.* Sicut superiori libro, *animi validus & corpore vigens.* Rhenanus.

6 *Seu vitiorum invitationes*] Emendavi distinxique, *Seu vitiorum imitatione inter paucos familiarium Neroni assumptus est.* Rhenanus. Malim, *imitationes.* Ferrettus. Non meretur nisi solus Rhenanus audiri. Decurrant licet Beroaldus, Lipsius, Pichena, Ryckius ad *imitationem*, alii ad pluralis accusativum; fœdant Tacitum, sed invitum, qui *vitiorum imitatione* dixit pro, revolutus ad imitationem

ditur, amicitiam Scevini Petronio objectans, corrupto ad indicium ſervo adempta-
19que defenſione, & majore parte familiæ in vincla rapta. Forte illis diebus Campaniam petiverat Cæſar, & Cumas uſque progreſſus Petronius illic attinebatur. Nec tulit ultra timoris aut ſpei moras. neque tamen [1] præceps vitam expulit, ſed [2] inciſas venas, ut libitum obligatas, aperire rurſum, & alloqui amicos, non per ſeria, aut quibus conſtantiæ gloriam peteret. Audiebatque referentes, nihil de immortalitate animæ, & ſapientium placitis, ſed levia carmina & faciles verſus. ſervorum alios largitione, quoſdam verberibus affecit. iniit & vias, ſomno indulſit, [3] ut quamquam coacta mors, fortuitæ ſimilis eſſet. Ne codicillis quidem (quod plerique pereuntium) Neronem aut Tigellinum, aut quem alium potentium adulatus eſt: ſed flagitia principis ſub nominibus exoletorum feminarumque, & novitate cujuſque ſtupri perſcripſit, atque obſignata miſit Neroni. [4] fregitque annulum, ne mox uſui
20eſſet ad facienda pericula. Ambigenti Neroni quonam modo noctium ſuarum ingenia noteſcerent, offertur Silia matrimonio ſenatoris haud ignota, & ipſi ad omnem libidinem adſcita, ac Petronio perquam familiaris. agitur in exſilium, [5] tamquam non ſiluiſſet quæ viderat pertuleratque, proprio odio. At [6] Numicium Thermum prætura functum [7] Tigellini ſimultatibus dedidit, quia libertus Thermi quædam de Tigellino criminoſe detulerat, quæ cruciatibus tormentorum ipſe, [8] patronus ejus nece immerita lueret. Trucidatis tot inſignibus viris, ad poſtremum Nero virtutem ipſam exſcindere concupivit, [9] interfecto Thraſea Pæto & Barea Sorano, olim utriſque

tionem vitiorum, ut eæ voces non pendeant ab præcedente *revolutus*, quod ipſis eſt incluſum. Hæc ejus eſt aſſidua varietas, & qui eam non agnoſcit, ille etiam illum non legit, certe non intellexit. Omnino iſte ablativus exſtat in MS. Mediceo. *Jac Gronovius.*

1 *Praceps vitam expulit*] Credo Tacitum ſcripſiſſe *per praceps.* Acidalius.

2 *Inciſas venas, ut libitum, obligatas aperire rurſum & alloqui amicos*] Illud, *ut libitum*, mihi eſt ſuſpectum. Neque enim admodum huc facit. Elegantius erit, ſi ſcribas; *inciſas venas, & iterum obligatas, aperire rurſum, & alloqui amicos.* Boxhornius.

3 *Ut quaſi coacta mors; fortuita ſimilis eſſet*] Volumen regium, *quam coacta.* Scripta, *quamquam coacta.* Rhenanus.

4 *Fregitque annulum, ne mox uſui eſſet ad facienda pericula*] Aliis deſcriptis obſignatiſque. *Ferrettus.* Fortaſſe meminerat, aſſimilatas Lucani interfecti literas, ut Mellæ patri exitium pararetur. Tacitus ſupra. *Pichena.*

5 *Tanquam non ſiluiſſet, qua viderat, pertuleratque, proprio odio*] An, Silia, proprio in Neronem odio, ea quæ viderat ac pertulerat, non ſiluit? Verius interpretor, mulctatam, non quia ſecreta vulgaverat, ſed proprio Neronis in illam odio. Dixit enim; *tanquam:* quod clare oſtendit fictam illam cauſam, atque obtentui; veram autem, Neronis odium. *Pichena.* Legerim: *pertuleratque. Proprio odio hanc; Numicium Thermum pratura functum Tigellini ſimultatibus dedidit.* Eſt fere eadem verborum poſitio, qualis occurrit & infra 16, 30. *Vetera hac ſed recens* &c. Freinshemius.

6 *Numicium*] MS. Mediceus *Municium*, quo excitatus fuit Cl. Ryckius. ut *Minucium* cogitaret, notiſſimum gentis Romanæ nomen etiam in cognomine Thermi. *Jac. Gronovius.*

7 *Tigellini ſimultatibus dedidit*] In volumine regio eſt, *deditum*, malim, *dedit.* Rhenanus. Potius *dedit.* *Dandi* enim verbum, non *dedendi*, hoc ſignificatu celebre eſt. *Acidalius.*

8 *Patronus ejus nece immerita lueret*] Tacitus ſcripſit *luere*, id eſt, luerunt. *Acidalius.*

9 *Thraſea Pato*] Cujus gentile nomen adhuc quæro. Nam Dio P. Thraſeam Pætum ſaltem appellat. Marmor vetus ſuadet Valerium fuiſſe C. DOMITIO DEXTRO. II. L. VALERIO. MESSALLA. THRASIA. PRISCIO. COS. Quod etſi de alio: ex cognomine tamen ſuſpicemur de gente. Thraſeas hic admirator unicus Catonis, de cujus vita librum ſcripſit, indicante Plutarcho. Laudes ejus ſparſæ in Tacito, Arriano, Dione: ſed ante alia egregium elogium de illo ipſius Neronis, in Plutarchi libello Πολιτικῶν παραγγελμάτων. Ait. Νέρων ὀλίγον ἔμπροσθεν ἢ κτεῖναι, τὸν Θρασέαν μάλιστα μισῶν καὶ φοβούμενος, ὅμως ἐγκαλοῦντός τινος ὡς κακῶς κρινομένου καὶ ἀδίκως· Ἐβουλόμην ἄν, ἔφη, Θρασέαν οὕτως ἐμὲ φιλεῖν, ὡς δικαστὴς ἄριστός ἐστι. Salve, ô, ſalve vir magne, & inter Romanos ſapientes ſanctum mihi nomen. Tu magnum decus Gallicæ gentis: tu ornamentum Romanæ curiæ: tu aureum ſidus tenebroſi illius ævi. Tua inter homines, non hominis vita: nova probitas, conſtantia, gravi-

que infensus; & accedentibus causis in Thrasceam: [1] quod senatu egressus est, cum de Agrippina referretur, ut memoravi: quodque Juvenalium ludicro [2] parum expetibilem operam præbuerat: eaque offensio altius penetrabat, quia idem Thrasea Patavii, unde ortus erat, [3] ludis Cesticis à Trojano Antenore institutis, habitu tragico ceci-

gravitas: & vitæ mortisque æquabilis tenor. *Lipsius.*

Barea Sorano] Qui ille est nominatus Boëthio de Consolat. lib. I. prosa III. *Idem.*

Interfecto Thrasea Pato, & Barea Sorano] Hoc ordine in Flor. nominantur. apud Tacitum enim dignior Thrasea. In vulgatis transponuntur: *interfecto Barea Sorano, & Thrasea Pato.* etsi nihil refert. *Pichena.*

1 *Quod Senatus egressus est*] Lege, *esset.* quomodo & Muretus. *Acidalius.* Muretus legit, *egressus esset.* Rectius. *Pichena.*

2 *Parum expectabilem operam prabuerat*] Castigavi, *parum expetibilem operam prabuerat.* Rhenanus.

3 *Ludis Casticis à Trojano Antenore institutis*] Quid cæstibus cum cantu? Cecinisse enim hic dicitur Thraseas, non pugnasse: & à Dione τραγῳδίαν ὑποκρινάμενος ἐν Παταουίῳ τῇ πατρίδι. ita enim scribend. (Patavinus quia Thraseas) non ποταμίῳ. Sed crederem, ut fit, tempore auctiores ornatioresque eos ludos factos, & ad cæstus scenica etiam certamina adjecta. Turbat nos tamen & moratur Vatic. qui, *cetastis*, refert. Scriptura, de qua nihil hiscam. Apud Livium l. x. navale certamen annuum est Patavii: sed nihil ad istud. Agon item Drepanitanus, apud Sidonium in Abitaco suo, ad exemplar Trojanæ superstitionis, pariter nihil istuc. Dio hoc tantum monet, fuisse ἑορτὴν τριακονταετηρίδα, tricennale spectaculum. *Lipsius.*

Ludis cesticis ab Antenore institutis] Agonas pugilum institutos posset quis credere: quando *cestus* manibus inducti appenso plumbo pugilum instrumenta sint, Maroni & Flacco. Cæterum quid ad rem faceret *habitus Tragicus?* nisi immutatam longo seculo ludorum formam quis crediderit, aut *cesticos* dictos, quod habitu mulierum viri in his exercerentur. Κεστὸν, Veneris vestem proprie esse, in Scholiis Græcis traditur; sed per abusum, cujuscumque mulieris indumentum dici, ut in Epig. ἢ κατὰ Φοινίσσαν μαγύριζα. erunt & quibus arridebit, ut *Xysticos ludos* legamus, quod non probo. *Alciatus.* Virgilius Æneid. 5. ubi ait Æneam ludos solennes patri constituisse *Seu crudo fidit pugnam committere castu.* Eo cæstu Dares & Entellus pugnarunt. Cæstus autem per diphthongum, sunt pugilum arma. estque cæstus clavæ genus, pilas plumbeas loris bubulis appensas habens. Cicero Tusc. 2. *Inde pugiles castibus contusi ne ingemiscunt quidem.* Adhæc juvenes Rom. in campo Martio, saltu, disco, lucta, cæstu & aliis plurimis exercebantur. Lupanus. *Castus* similes sunt nostris chirothecis ferreis, quas *manopole* appellamus, quasi *manoplia*, armaturam manus. Unde detegitur error illorum, qui volunt eos constitisse clava corrigiisque sive loris & pilis plumbeis: inter quos V. Lupanus ad 16. ann. Taciti. Laur. Pignorius in Origin. Patavinis. De his ludis Virgilius & Statius scribunt, quos *pugilares* dicere possis, cum in illis pugiles manuum palmas cæstibus armati certarent, manus plumbo graves alii in alios jactantes, ut est apud Senecam ad Lucilium. Manuum vero teginen è tergore primoribus Græcis Latinisque factum, deinde plumbeum, cæstus nomen habuit, auctore Pomp.ejo lib. 3. Ex quo licet observare veteres *cestus* sine diphthongo scripsisse, ut est apud Cicer. 2. Tusc. licet apud Virgilium Æn. per *a*, & supra lib. 14. per *a*, Cornelium habere reperias. Cæterum nisi mutatam sæculis multis ludorum formam credas, quid ad rem *Cesticorum* facit habitus Tragicus, quærit Alciatus. Ego respondeo, ludos in quosque xxx. annos ab illo Antenore institutos, qui Patavinam condidit urbem, & in eos quidem Thraseam ad pugnam oon descendisse: sed qui nunquam in urbe Neronem cithara canentem audierat, neque ut reliqui omnes ejus sacræ voci sacrificaverat, neque ludicro Juvenali interfuerat unquam, eo sibi Neronem iratum fecit, quod Patavii in patria ludis adfuit, spectavit, & quod magis in Thrasea mirandum, tragædiam egit, ut mos illis ludis erat, cujus in Nerone Dionis assertor Xiphilinus. *Vertranius.* Hærent viri docti in his ludis: nec, qui aut explicent, aut mutent sciunt. Nihil etiam ego video: nisi si quid sani aut firmi in illorum conjectura, qui in Suetonii Tiberio & Caligula *Asticos ludos.* & lib. 15. in Tacito *Asticam religionem* reponunt; conjiciam, etiam hic *Ludis Asticis* scribendum. Et sane quia dicit à Trojano Antenore Patavii institutos, videntur sic vocari, quasi *Urbici* potuisse. Lipsius ipse *Asticis* in prima edit. conjecit, in posterioribus sprevit. *Acidalius.* Imo *Xysticis*, quod in tecta porticu celebrarentur, de xysto vide Vitruvium lib. 6. de xysticis certationibus Suetonium August. *Grotius.* Quia 10 MSS. est *cetastis*, lego *ludis Iselasticis.* nam & in Inscript. antiqua occurrit *certaminis Selastici.* Testatur Vitruvius in tio lib. 9. nobilibus athletis, Olympionicis, Pythionicis, Isthmionicis, Nemeonicis concessum fuisse in Græcia, non modo, ut diebus solennibus corona in capite, palmam manu gestarent: sed etiam ut reduces in patriam, instar triumphi inveherentur super murorum partem dejectam quadrigis: unde εἰσελαστικοὶ apud Plinium lib. 10. epist. 119. De quibus ludis videndus Turnebus I. Adv. 19. & 27, 5. Faber in Agonist. 2, 9. & 10. Claudius Minos in Plinium. Et est verosimile fabulas quoque hac occasione actas, & spectacula

cecinerat. die quoque, quo prætor Antiſtius ob probra in Neronem compoſita ad
mortem damnabatur, mitiora cenſuit obtinuitque: [1] & cum deum honores Poppææ
decernuntur, ſponte abſens, [2] funeri non interfuit. Quæ oblitterari non ſinebat
Capito Coſſutianus, præter animum ad flagitia præcipitem, [3] inimicus Thraſeæ,
quod auctoritate ejus concidiſſet juvantis Cilicum legatos, [4] dum Capitonem repe-
22 tundarum interrogant. Quin & illa objectabat: [5] *principio anni vitare Thraſeam ſol-
lenne jusjurandum: [6] nuncupationibus votorum non adeſſe, quamvis Quindecimvirali ſa-
cerdotio præditum: nunquam pro ſalute principis, [7] aut cæleſti voce immolaviſſe: aſſiduum
olim & indefeſſum, qui vulgaribus quoque patrum conſultis ſemet fautorem aut adverſa-
rium oſtenderet, triennio, non introiſſe curiam; nuperrimeque cum ad coërcendos Silanum
& Veterem certatim concurreretur, privatis potius clientium negotiis vacaviſſe. ſeceſſionem
jam id & partes; &, [8] ſi idem multi audeant, bellum eſſe. Ut quondam C. Cæſarem,*
inquit, *& M. Catonem; ita nunc te, Nero, & Thraſeam avida diſcordiarum civitas
loquitur. Et habet ſectatores vel potius ſatellites, qui nondum contumaciam ſententia-
rum, ſed habitum vultumque ejus ſectantur, rigidi & triſtes, [9] quo tibi laſciviam expro-
brent.*

exhibita plurium generum, ut referunt Apulejus lib. 11. & Athenæus lib. 5. de pompis parum differentibus. Fortaſſis & apud Suetonium in Calig. cap. 20. legendum: *in Sicilia Syracuſis Iſelaſticos ludos* pro *haſticos*. Laur. Pignorius in Orig. Patavinis.

1 *Et cum divini honores*] Exemplar Budenſe. *Et cum deum honores Poppaa decernuntur.* Sic in fine l. 15. *Nam deum honor principi non ante habetur, quam agere inter homines deſierit.* Itaque & nos hoc loco ſcripſimus, *deum honores.* Rhenanus. Faernus legebat: *Et cum deum honores Poppaa decernerentur*, &c. non *decernuntur.* Urſinus. Legendum certe *decernerentur.* Sed quid honores decreti cum funere junguntur? Eodemue tempore exſequiæ ducebantur, & Senatus de honoribus decernendis habebatur? Non poteſt. Cenſeam pro *funeri*, ſcribendum, *ſenatui:* aut certe diducam ſententiam immiſſa particula: *Et cum deum honores Poppaa decernerentur, ſponte abſens*, (mirum ni pro *ſponte*, *ſenatu* reponendum) *etiam funeri non interfuit.* Acidalius.

2 *Funeri non interfuit*] Flor. habet, *non interfuegit:* ergo ſupra, pro *decernuntur*, legerim, *decernerentur.* Pichena.

3 *Inimicus Thraſea*] Floren. *iniquus Thraſea.* Sed nihil mutavi. *Pichena.*

4 *Dum Capitonem repetundarum interrogant*] *Interrogare* verbum eſt XII. tabularum. Cicero 3. de legibus *Cum magiſtratus judicaſſit interrogaſſitve, per populum mulcta, pœna, certatio eſto. Interrogari legibus* Livius dixit, ut hic repetundarum. Et Ulpianus cap. 1. in tractatu Pandectarum, Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur, *in jure interrogari* uſurpavit, id eſt, apud judicem. Nam *jus* locum ſignificat, teſte Paulo JCto, ubi jus redditur. Inde Terentius, *in jus ambula* & vetus illa locutio. *E jure manu conſertum vocare.* Lupanus.

5 *Principio anni vitare Thraſeam ſolenne jusjurandum*] Cujus multa memoria in Tacito, aliiſque. Ideo ordine rem expoſui, in Excurſu A. *Lipſius.*

6 *Nuncupationibus votorum non adeſſe*] De quibus l. IV. Annal. *Pontifices eorumque exemplo ceteri ſacerdotes cum pro incolumitate Principis vota ſuſciperent.* Sueton. Neron. cap. XLVI. *Votorum nuncupatione, magna jam ordinum frequentia, vix reperta Capitolii claves.* Plura huic rei & opportuna, in Excurs. B. *Idem.*

Nuncupationibus votorum non adeſſe] Vota nuncupabant Conſules & Prætores, cum in Provincias proficiſcebantur, eaque vota in tabulas præſentibus multis referebant. Plinius in Paneg. *nuncupare vota & pro æternitate imperii, & pro ſalute civium, imo pro ſalute Principum, ac propter illos pro æternitate imperii ſolebamus.* Idem ipſe libro Epiſt. 10. *vota ſuſcepta pro incolumitate Trajani* ait. Vota ſuſcipi pro Principe diximus lib. 2. Solennis vero illa votorum nuncupatio fiebat Conſulibus ineuntibus magiſtratum, ibant, teſte Livio, in Capitolium ad vota nuncupanda. Suetonius hujuſce votorum nuncupationis meminit in Claudio 46. & in Galba 18. *Lupanus.*

7 *Aut cæleſti voce immolaviſſe*] Indignor cum lego, imo non indignor, ut nunc ætas mea eſt & peritia ludibriorum in re humana. En ſummates illi viri, genere, dignitate, ſapientia, titulum criminis accipiunt, quem pudeat memoraſſe. Sed eadem Philoſtratus lib. V. *Accuſationes quot & quantas è theatris oriri cenſes, cum delatores ita redarguunt? Non veniſti auditum Neronem: aut veniſti quidem, ſed negligenter & non attente audiſti: riſiſti plane, non plauſiſti: nec pro ipſius VOCE SACRIFICASTI, ut clarior liquidiorque eſſet.* Lipſius.

8 *Si idem multi*] Hæc ſeries vocum eſt in vetuſtiſſimo Mediceo, & hinc per nullum turbanda, quod tamen inique faciunt. *Jac. Gronovius.*

9 *Qui ſibi laſciviam exprobrent*] In Exemplari Budenſi legitur *quod.* Opinor ſcribendum, *quo tibi laſci-*

brent. [1] *Huic uni incolumitas tua sine arte, sine honore. Prosperas principis res spernit: etiamne luctibus & doloribus non satiatur? Ejusdem animi est, Poppæam divam non credere, cujus in acta divi Augusti & divi Julii non jurare. Spernit religiones, abrogat leges.* [2] *Diurna populi Romani per provincias,* [3] *per exercitus, curatius leguntur, ut noscatur quid Thrasea non fecerit. Aut transeamus ad illa instituta, si potiora sunt: aut nova cupientibus auferatur dux & auctor.* [4] *Ista secta Tuberones & Favonios veteri quoque reipublicæ ingrata nomina genuit. Ut imperium evertant, libertatem præferunt:* [5] *si perverterint, libertatem ipsam aggredientur. Frustra Cassium amovisti, si gliscere & vigere Brutorum æmulos passurus es. Denique nihil ipse de Thrasea scripseris, disceptatorem senatum nobis relinque.* Extollit ira promptum Cossutiani animum Nero: adjicitque Marcellum
Eprium acri eloquentia. At Baream Soranum jam sibi [6] Ostorius Sabinus eques 23
Romanus poposcerat reum ex proconsulatu Asiæ, in qua offensiones principis auxit, justitia atque industria: & quia portui Ephesiorum aperiendo curam insumpserat: vimque civitatis Pergamenæ, prohibentis Acratum Cæsaris libertum statuas & picturas avehere, [7] inultam omiserat. Sed crimini dabatur *amicitia Plauti, & ambitio conciliandæ provinciæ ad spes novas.* Tempus damnationi delectum, quo Tiridates accipiendo Armeniæ regno adventabat: [8] ut ad externa rumoribus intestinum scelus

lasciviam exprobrent. Rhenanus. Faernus legebat: *Quosi sibi lasciviam exprobrent.* Ursinus. Correxi, *quo sibi lasciviam expr.* quia Florentin. habet, *quod ibi.* Vulgo, *qui sibi.* Pichena.

1 *Incolumitas tua sine arte*] Sentio abesse vocem, quam volenti Cornelio reddo: *incolumitas tua sine cura, artes sine honore.* Prius membrum ad nuncupationem omissam votorum spectat, quæ pro incolumitate Principis: alterum ad id, quod numquam immolarit pro cælesti voce. *Lipsius.*

Huic uni incolumitas tua sine arte, sine honore] Lipsius excidisse vocem putat, *sine cura, artes sine honore.* qui opinioni nonnihil Florent. astruit, in quo legitur, *artes.* Pichena. Videtur Florentinus significare: *Huic uni incolumitas tua, tua artes, sine honore.* Gronovius. Sed propius accesseris ad MS, Mediceum, si scripseris per totidem & fere easdem literas sequens: *incolumitas tua sive artes sine honore.* Jac. Gronovius.

2 *Diurna Po. Ro.*] Antiqui moris fuit, ut unusquisque domesticam rationem vitæ suæ per dies singulos adnotaret. Quare *diurna* confici solebant, id est libri, in quibus singulorum dierum rationes describebantur. Unde apud Juvenalem legitur, *longi relegis transversa diurni.* Suetonius in Jul. 20. ait ipsum Julium instituisse in Consulatu, ut tam Senatus, quam populi diurna acta conficerentur & publicarentur. *Lupanus.*

3 *Curatius leguntur*] Ita restitui, confusione librorum motus, qui ad vocem ignobiliorem adhæserant. Itaque, *Curiatium*, aut, *Curantium*, fere legas. At ita ante Tacitum Sallustius, *Curatissime accepit.* & Ammianus: *Domicilia cuncta curatius ritu Romano instructa.* Noster lib. XIV. *Ludos curatius editos.* Lipsius.

Per exercitus accuratius leguntur] Reposui, *per exercitus curantium leguntur.* Infra est in libro MS. *cæde insignium virorum*, pro *illustrium.* quam lectionem & nos secuti sumus, tametsi vocabulum hoc passim obvium est apud Tacitum. *Rhenanus.*

4 *Ista secta Tuberones & Favonios*] Stoicorum sectam, vitium hoc hominis culpat, & qui eam secuti. Tuberonem intellegit Q. Ælium, qui in epulo publico hœdinis pellibus stravit lectos Punicanos, & vasa Samia exposuit. Cicero, Valerius, aliique. Agellius lib. I. *Tubero juris civilis antistes, & Stoica doctrinæ sectator.* Idem ille est, qui Lucullum Xerxem togatum appellitabat, Plutarcho memorante. Favonius est, Catonis ille simia; de quo Suetonius August. cap. XIII. & Valerius Maximus lib. II. cap. ultimo. Plutarchus in Bruto. Vidi tamen qui, *Fannios*, hic reponeret, imperite. *Lipsius.*

5 *Si perverterint, libertatem ipsam aggredientur*] In vulgatis tantummodo legitur: *si perverterint, ipsam aggredientur.* Sed quoniam in Florentin. ingeminatur vox, *libertatem:* neque id temere; illam & nos adjecimus. Est etiam in eodem libro, ad dictionem, *perverterint*, in margine adnotatum, sed eadem ut videtur, antiqua manu, *impetraverint.* Pichena.

6 *Ostorius Sabinus*] Mutant libri. Alii, *sibi Torius.* Vatic. *Subitorius.* Flexit me ut Ostorius scriberem locus infra, de hoc ipso: *Ostorio duodecies, & Quæstoria insignia tribuuntur.* Lipsius. Sed & infra cap. 30. & hoc loco constanter edit MS. Mediceus nihil, nisi *Torius Sabinus*, etsi non in antecedentibus aliis. *Jac. Gronovius.*

7 *Inultam omiserat*] Vatic. Male vulgo, *invitam.* Idem.

8 *Ut ad externa rumoribus intestinum scelus obscuraretur*] Aut subintelligenda, aut addenda vox: *Ut ad*

lus obscuraretur, an ut magnitudinem imperatoriam cæde insignium virorum quasi
24 regio facinore ostentaret. Igitur omni civitate ad excipiendum principem spectandumque regem effusa, [1] Thrasea occursu prohibitus non demisit animum: sed codicillos ad Neronem composuit, requirens *objecta, & expurgaturum asseverans, si notitiam criminum & copiam diluendi habuisset.* Eos codicillos Nero properanter accepit, [2] spe exterritum Thraseam scripsisse, per quæ claritudinem principis extolleret; suamque famam dehonestaret. Quod ubi non evenit, vultumque & spiritus & libertatem insontis ultro extimuit, [3] *vocari patres* jubet. Tum Thrasea inter proxi-
25 mos consultavit, *tentaretne defensionem, an sperneret.* Diversa consilia afferebantur. Quibus intrari curiam placebat, *securos esse de constantia ejus* dixerunt; *nihil dicturum, nisi quo gloriam augeret. Segnes & pavidos supremis suis* [4] *secretum circumdare. Aspiceret populus virum morti obvium,* [5] *audiret senatus voces quasi ex aliquo numine* [6] *supra humanas: posse ipso miraculo etiam Neronem permoveri.* [7] *sin crudelitati insisteret, distingui certe apud posteros memoriam honesti exitus* [8] *ab ignavia per silentium pereun-*
26 *tium.* [9] Contra qui opperiendum domi censebant, de ipso Thrasea eadem; *sed ludibria & contumelias imminere. subtraheret aures conviciis & probris. Non solum Cossutianum*

ad externa versis rumorib. Vel, *ut versis ad externa rumoribus.* Acidalius. Olim dubitavi, num legendum, *ut ab externis rumorib.* sed jam utcunque vulgatam lectionem fero: ut scil. exsistentibus Romæ rumoribus ad res externas, scelus intestinum obscuraretur. *Pichena.* Verosimile est, relictum primitus à Tacito, *ut ad externa rumorum intest.* Gruterus.

1 *Thrasea occursu prohibitus*] Quod signum scilicet Principis indignantis, & à se atque aspectu suo spernentis. Tale Vespasiano factum, ab eodem Nerone, apud Suetonium in Vesp. cap. IV. *Prohibitus non contubernio modo, sed etiam publica salutatione.* Atque ut ibi ille salutatione prohibitus, sic ille occursu. *Lipsius.*

2 *Exterritum Thraseam sensisse*] Sententia mecum malit, *scripsisse:* & quod prævidi, firmat Florentinus nunc codex. *Idem.*

Sperans exterritum Thraseam scripsisse] Ita Faernus legebat pro eo, quod est in vulgatis: *Thraseam sensisse per quæ* &c. *Ursinus.* Male vulgo, *sensisse.* Correxi ex Flor. idque conjectura præviderat Lipsius. *Pichena.*

3 *Vocari patres jubet*] Hæc est antiqua scriptura, hoc exstat in Mediceo. Unde quibus tantum licuit, ut abirent ponendo *jussit* pro verbo ultimo? Non enim ut præmisit *accepit*, ita hoc quoque sic formari debuit. *Jac. Gronovius.*

4 *Secretum circumdare*] Bene mei libri, præ quod vulgo, *otium dare* Lipsius.

Secretum otium dare] Notant eos, qui nihil tentantes venas in balneis solvebant, vel intra domesticos parietes se ipsos transfigebant. Tacit. dict. loco. *Effugeret segnem mortem, otium.* Contendunt itaque, ut prodeat in publicum: & laudem gloriamque dictis magnanimis asciscat, vel ea saltem de caussa: *Distingui certe apud posteros memoriam honesti exitus ab ignavia per silentium pereuntium.* Cæterum per doctiss. virum jam *otium* exulabat. *Salinerius.* Etiam à Flor. confirmatur verbum, *circumdare*, à Lipsio ex aliis libris repositum. Vulgo, *otium dare.* Pichena.

5 *Audiret senatus voces quasi ex quodam numine*] Emendavi, *quasi ex aliquo n.* Rhenanus.

6 *Supra humanas*] Sic videntur fecisse admoniti solito auctoris stylo, quem ostendit 1. hist. 86. *Erupisse cella Junonis majorem humana speciem.* 4. hist. 83. *Decore eximio & majore quam humana specie juvenem.* 5. hist. 13. *Audita major humana vox.* Attamen nunc legitur in MS. Mediceo *humanos.* Quod blandiri non minus potest. Agitur quidem tantum de vocibus, sed ex universo licet partem unam primario respicere. *Jac. Gronovius.*

7 *Sin crudelitati insisteret*] Fecimus, *persisteret.* Forte scribendum, *crudelitate.* Rhenanus. Secutus sum Florentinum ac Venetum legentes: *sin crudelitati insisteret.* at in vulgatis: *sin crudelitas persisteret.* Pichena. Certe non ita: sed in MS. Mediceo sine ulla ambiguitate exhibetur *si in crudelitati insist.* Sic scriptum est. sed videtur illuc vergere. *Jac. Gronovius.*

8 *Ab ignavia per silentium per.*] Est perpetua virorum insignium in tali casu deprehensorum exhortatio; quod non mireris, quia venit ex Homero, Sed ea non intra verba consistit, ut hoc loco; verum aliquid audacissimi incepti supponit. Hinc & Polybius adhibuit in Cleomene 5. 38. Μὴ μὰν ἀσπουδί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολέσθαι. Hoc ipsum nunc Tacitus sustinet huc convertere, perinde sicut vult ad idem hoc respicere quoque Othonem lib. 1. histor. cap. 21. in fine, etsi alioquin obscurioribus verbis per *gloriæ* mentionem & *meriti.* Adde 3, 66. in fine. 15, 29. *Jac. Gronovius.*

9 *Contra qui opperiendum domi censebant*] Regius ad

num aut Eprium ad scelus promptos, [1] *superesse qui forsitan manus ictusque per immanitatem Augusti, etiam bonos metu sequi. Detraheret potius* [2] *senatui, quem perornavisset, infamiam tanti flagitii; & relinqueret incertum, quid viso Thrasea reo decreturi patres fuerint. Ut Neronem flagitiorum pudor caperet, irrita spe agitari: multoque magis timendum, ne in conjugem, in familiam, in cetera pignora ejus saeviret. Proinde intemeratus, impollutus, quorum vestigiis & studiis vitam duxerit, eorum gloria peteret finem.* Aderat consilio Rusticus Arulenus flagrans juvenis, & cupidine laudis offerebat *se intercessurum senatusconsulto:* [3] nam plebi tribunus erat. Cohibuit spiritus ejus Thrasea, *ne vana & reo non profutura, intercessori exitiosa inciperet.* [4] *Sibi actam aetatem, & tot per annos continuum vitae ordinem non deserendum: illi initium magistratuum,* [5] *& integra*

Codex, *contra qui opperiendum eum domi censebant.* Forte legendum, *opperiendum ei domi censebant.* Rhenanus.

1 *Superesse, qui forsitan manus ictusque per immanitatem Augusti*] Animam agenti loco aquam sic affuderim: *ictusque parent. Immanitatem Augusti etiam bonos metu sequi.* Lipsius.

Superesse, qui forsitan manus ictusque per immanitatem Augusti] ἡ ἀποσιώπησις, sive reticentia, graviter dicenti satis apta est. nam ut Demetr. Ποιήσει δεινότερον τὸν λόγον i. graviorem faciet orationem. *Quos ego; sed motos praestat componere fluctus.* Qui Thraseam deterrere studebant a senatus ingressu, contumeliis id faciebant, quae illum gravissimae manerent: eos vero Tacitus inducit verba supprimentes, quia (ut Demetrius) πᾶν τὸ ὑπονοούμενον φοβερώτερον i. quicquid suspicamur, horribilius est. Vel pro se quisque obscurant futura ludibria, quae viri caritate fere nequeunt continere, idque Thraseae venerationi dant. Quintil. 9, 2. *ostendit* (loquitur de reticentia) *affectus irae, vel sollicitudinis, & quasi religionis.* Siletur autem *intendant.* Praeter Eprium & Cossutianum (dicebant amici) convicia, & (quod nefas dictu) verbera à malis & à bonis expecta: ab illis, student enim solum saevitia inire gratiam à Nerone. *Superesse qui manus ictusque per immanitatem Augusti:* ab his urgente metu, ne despexisse principis injurias viderentur. Juvenal. Sat. 10. vers. 85. *Salinerius.* Animam agenti loco aquam sic affundit Lipsius: *ictusque parent. immanitatem Augusti etiam bonos metu sequi.* Assentirer, nisi vox *Augusti* vetaret. quae hic à Tacito scripta nunquam. Augustum scil. illi, quorum ista oratio est, Neronem dicerent. Lege mecum potius: *superesse qui forsitan manus ictusque per immanitatem ausuri sint.* (vel *ausint*) *etiam bonos metu sequi.* Quae vera sine dubio Taciti scriptura, & quae mutata, ignoratione usus Corneliani in verbo *Audere.* de quo etiam nos supra. *Acidalius. Augusti* vox hic aliena, nec Tacito in usu ubi de Nerone sermo. Restituo *auderent* cujus vocis extritas literas posteriores imperita conjectura implevit. *Audendi* verbum addito casu quarto frequens Tacito. Hoc ait metuendum, ne ludibria & contumeliae non intra verba eorum, quibus eloquentia pro telo erat, staret; sed ad verbera quoque prorumperet, & boni etiam malorum facinora metu imitarentur. *Grotius.* Recte incomparabilis Grotius vidit, pro *Augusti* vocabulo, *audendi* esse reponendum. Legit autem; *per immanitatem auderent.* Ego jam olim in codice meo notaveram; *per immanitatem ausuri.* Quod & eamdem sententiam habet, & minus abit ab apicibus corruptae istius vulgatae lectionis. Sic *audere aciem, codicillos, pericula*, alibi dicit Tacitus. *Boxhornius.* Sed de appellatione Augusti securos nos & Tacitum reddit Cl. Ryckius; & mihi certe majori fastidio fuit adverbium *forsitan*, quod debuit potius conjungi cum verbo *superesse*; at isto loco videtur esse alienum, ut in eo possit valuisse pravitas. Et vide an non scripserit: *Superesse qui porrigant manus ictusque.* 13, 26. *Ac verberibus manus ultro intenderent.* 1. hist. 69. *Tela ac manus in ora legatorum intentant.* Id utique fit porrigendo. *Jac. Gronovius.*

2 *Senatui, quem perornavisset*] Puto leg. *quem semper ornavisset.* Lipsius.

Senatui quem perornavisset] Hoc est, ad finem usque. habet enim eam vim in compositione *per* particula. Sic supra 4. 34. *uterque opibus atque honoribus perviguere.* Ejusdem observationis est quod traditur in L. 2. ad L. Jul. de Adult. *reum peregisse non aliud quis videtur, nisi condemnaverit.* Non ergo bene mutavit haec Vir Doctiss. dum legit, *Senatui quem semper ornavisset.* Freinshemius.

3 *Nam plebis tribunus*] Facile credo loquuturos non aliter editores, qui sic cogunt Tacitum legi. At certe non ita scripsit ille, sed *plebi tribunus*, ut bene in schedis meis notavi, etiam Frater in sua collatione, unde id restitui. *Jac. Gronovius.*

4 *Sibi actam aetatem*] Distinxerim haec a sequentibus, nec enim pertinent ad illud *deserendum*; sed integram causam, quam contra Aruleni impetum profert Thrasea, sola continet. Sic ergo scribe: *sibi actam aetatem: & tot* &c. Hoc enim dicit, quod apud Senecam de vita beata Diodorus Epicureus ex Poëta: *Vixi & quem dederat cursum fortuna peregi.* Freinshemius.

5 *Et integra quae supersint*] Id est, tuo judicio relicta, ea velis, necne. Sed prius tecum expendas quale iter ingrediaris ad rempublicam capessendam, adulatorium scilicet an praeruptum. *Pichena.*

tegra quæ ſuperſint. Multum ante ſecum expenderet, [1] *quod tali in tempore capeſſendæ rei-*
publicæ iter ingrederetur. Ceterum ipſe an venire in ſenatum deceret, meditationi ſuæ
27 reliquit. At poſtera luce duæ prætoriæ cohortes armatæ, [2] templum Genetricis
Veneris inſedere. Aditum ſenatus globus togatorum obſederat, non occultis gladiis.
diſperſique per fora ac baſilicas cunei militares. inter quorum aſpectus & minas in-
greſſi curiam ſenatores. Et [3] oratio principis [4] per quæſtorem ejus audita eſt. ne-
mine nominatim compellato, patres arguebat, *quod publica munia deſererent, eorum-*
que exemplo equites Romani ad ſegnitiam verterentur. Etenim [5] *quid mirum è longinquis*
provinciis haud veniri, cum pleriſque adepti conſulatum & ſacerdotia, hortorum potius
28 *amœnitati inſervirent:* quod velut telum arripuere accuſatores. Et initium faciente
Coſſutiano,

1 *Quod tali in tempore capeſſendæ reip. iter aggrederetur*] Reſtitui præpoſitionem *in*, ex Flor. quæ in aliis exciderat. Emendavi etiam alibi. *Pichena.*

2 *Templum genitricis Veneris*] Quum ſecunda vox adſpici debeat non ut communis uſus in proſapia ducenda, ſed ut appellativum & cognomentum illi Veneri dicatum, quæ in iſto templo habebatur ſacra, cenſui inchoandam majore charactere contra quam fit in editionibus, atque etiam ex MS. Mediceo exhibui *Genetricis*, prout ſcribitur in nummo Fauſtinæ junioris non *genitricis*. Quin etiam ille ipſe MS. codex habet *inſidere*. Et in inſcriptione apud Fabrettum: *pudica Venus Attiana conjugi caſta ſi genetrix natorum bono de germine.* Jac. Gronovius.

3 *Oratio principis per Quæſtorem ejus audita eſt*] Lib. 1. explicuimus, qui dicerentur *candidati principis.* Nunc supereſt dicere Quæſtores, libris, aut epiſtolis Principalibus legendis in Senatu operam olim dediſſe. Suet. in Aug. 65. & in Ner. 15. Lampridius in Alex. Juſtinianus in tractatu Pandectarum de officio Quæſtoris. *Lupanus.* Hic unus ex illis fuit, qui Candidati principis dicuntur, qui epiſtolas ejus in Senatu legunt, ait Ulpianus: illiſque & libris principalibus, ſive orationibus legendis in Senatu vacare, Candidatorum munus erat: & lectam ab eis intelligo ſupra in Senatum miſſam orationem principis. *Vertranius.* Hic mos originem fortaſſe habuit ab Auguſto, qui, ut refert Dio lib. 54. cum Senatum convocaſſet, ac gravedine laboraret, Quæſtori libellum recitandum dedit. Et Sueton. de eodem cap. 65. *Caji Lucique caſu non adeo fractus, de filia abſens, ac libello per Quæſtorem recitato, notum Senatui fecit, abſtinuitque congreſſu hominum diu præ pudore.* Hinc ſecutis auctoribus maxima Quæſtorib. auctoritas. Vocabantur enim, Juris interpretes: legum ſanctionumque conditores: edictorum reſcriptorumque dictatores: principis cogitationum & conſiliorum participes: precum arbitri, quippe qui libellos ſupplicantium, aut repellebant, aut admittebant, ipſiſque ſubſcribebant. Plures denique alias habuerunt prærogativas: adeo ut Caſſiodorus Quæſtorem, imaginem Principis appellet. ac linguæ regiæ vocem, lib. 5. epiſt. 4. & lib. 6. formula v. Et Notitia imperii ad Quæſtoris inſignia hæc verba ſubjicit: *Sub diſpoſitione Viri Illuſtris Quæſtoris. Leges dictandæ: preces.* Pichena.

4 *Per Quæſtorem ejus*] Non enim cuilibet è Quæſtorum collegio id munus, ſed Candidatis Principis. l. 1. De offic. Quæſtoris. Ideo Tacitus expreſſim, *Quæſtorem ejus.* Et in lapidibus aliquoties, QVÆSTOR. AVG. Reliqua ad hunc ritum trita. *Lipſius.*

5 *Longinquis provinciis adveniri*] Divinabam, *haud veniri.* nec tamen ſententiæ plene conſultum. Melius ſic: *quid mirum nec longinquis provinciis ſubveniri.* vel *provinciis adverti.* Lipſius.

Quid mirum è longinquis provinciis adveniri] Alibi, *non adveniri.* Ferrettus. Quis faciat ſano medicinam? Senatores ægre jam tulerant, ſenatum patuiſſe proceribus Galliæ comatæ, eaque de cauſa Nero dicit per Quæſtorem: injuria principibus ſuccenſetis, quod Gallos aſciverint in Senatores: talia enim facere coacti ſunt, quia multi ſenatoria munera detrectant: quorum nunc ſignifer Thraſea, qui cum ſuo grege curiam frequentare dedignatur. *Salinerius.* Plene ſententiæ conſultum priori Lipſii divinatione, *haud veniri:* quamquam malim, *haud adveniri.* nec audienda altera quæ longiſſime à Taciti mente recedit: *quid mirum nec longinquis provinciis ſubveniri*, vel *provinciis adverti.* Acidalius. Divinavit Lipſius ita ſcribendum, cum vulgo legeretur, *è longinquis provinciis adveniri.* ac divinatio illa prorſus fere à Flor. confirmatur, qui habet, *hadveniri.* Hinc diſces, multos Senatores è longinquis provinciis Romæ fuiſſe, qui ſæpe in patriam proficiſcebantur, ut res ſuas inviſerent. lib. 12. *Galliæ Narbonenſi ob egregiam in patres reverentiam datum, ut Senatoribus ejus provinciæ, non exquiſita principis ſententia, jure quo Sicilia haberetur, res ſuas inviſere liceret.* Pichena. Imo *non adveniri* in urbem ſcil. conſidera quæ ſequuntur. *Gratius.* Hoc poſterius quidem, etiam ab Ferretto antea miniſtratum, videtur pro veriſſimo eſſe. Nam in aliis locis nuſpiam codex Mediceus legit *hadveniri*, ut nunc facit; ſed illud *h* videtur creviſſe in altum ex litera *n*, cui linea ſuperducta immittit notam negativæ *non.* Jac. Gronovius.

1 *Sum-*

Cossutiano, majore vi Marcellus, [1] *summam rempublicam agi* clamitabat; *contumacia inferiorum, lenitatem imperitantis deminui. Nimium mites ad eam diem patres, qui Thraseam desciscentem, qui* [2] *generum ejus Helvidium Priscum in iisdem furoribus, simul* [3] *Paconium Agrippinum paterni in principes odii heredem, &* [4] *Curtium Montanum detestanda carmina factitantem, eludere impune finerent.* [5] *Requirere se in senatu consularem; in votis sacerdotem; in jurejurando civem:* [6] *nisi contra instituta & cerimonias majorum, preditorem palam & hostem Thrasea induisset. Denique agere senatorem,* [7] *& principis obtrectatores pretegere solitus, veniret, censeret quid corrigi aut mutari vellet: facilius perlaturos singula increpantem,* [8] *quam nunc silentium perferrent omnia damnantis. Pacem illi per orbem terræ, an victorias sine damno exercituum displicere? Ne hominem bonis publicis mæstum, & qui fora, theatra, templa pro solitudine haberet, qui minitaretur exsilium suum, ambitionis pravæ compotem facerent. Non illi consulta hæc, non magistratus, aut Romanam urbem videri. Abrumperet vitam ab ea civitate, cujus caritatem*

1 *Summam reip. agi clamitabat*] Melius; *summam remp.* quod & Muretus censuit. *Acidalius.* Quod recepi, quum non liceret detrectare exemplum Cl. Ryckii. Sed paulo ante in MS. Mediceo est *corripuere*, non *arrip.* Jac. Gronovius.

2 *Generum ejus Helvidiam Priscum*] Idem in præceptis Stoicorum ab ineunte ætate versatus, sapientiæ studiosos amicissimos habuit Sosium Senecionem, qui libros de vita ejus, C. Cæcilium, qui de ultione, Juniumque Rusticum, qui de ejus & Thraseæ laudibus composuerunt: eique sub Nerone primum, deinde sub Vespasiano, cum prætor esset, in exilium acto. periculorum adfuit semper socia Fannia, Arriæ & Thraseæ filia, Helvidio marito Thraseaque patre dignissima. De cujus laudibus Plinius Corn. Prisco lib. 7. & Quadrato lib. 9. epistola priori parte corruptissima scribit. *Vertranius.*

3 *Paconium Agrippinum*] Hic ille Agrippinus è Stoica domo, laudatus Epicteto & Arriano. Quorum verba ad hanc historiam dabo. Epicteti Electis: Διὰ τοῦτο ἐπαινῶ Ἀγριππῖνον δίκαιον, ὅτι πλείστου ἄξιος ἀνὴρ γενόμενος, οὐδεπώποτε ἐπῄνεσεν ἑαυτὸν, ἀλλ' εἰ καὶ ἄλλος τις αὐτὸν ἐπῄνει, ἠρυθρία. & statim: Καί ποτε μέλλοντι ἀριστήσειν αὐτῷ, ἐπέστη ὁ λέγων, ὅτι φεύγειν αὐτὸν κελεύει Νέρων. Καὶ ὃς ἔφη, Οὐκ ἂν, εἶπεν, ἐν Ἀρικίᾳ ἀριστήσωμεν. Arriani lib. 1. cap 1. Ἀπηγγέλθη αὐτῷ ὅτι κρίνῃ ἐν συγκλήτῳ. Ἀγαθῇ τύχῃ. Ἀλλ' ἦλθεν ἡ πέμπτη. Ταύτῃ δ' εἰώθει γυμνασάμενος ψυχρολουτρεῖν. Ἀπέλθωμεν, καὶ γυμνασθῶμεν. Γυμνασαμένῳ λέγει τις αὐτῷ, Ἐλθ', ὅτι κατακέκρισαι. Φυγῇ, φησιν, ἢ θανάτῳ; Φυγῇ. Τὰ ὑπάρχοντα τί; Οὐκ ἀφῃρέθη. Εἰς Ἀρικίαν οὖν ἀπελθόντες ἀριστήσωμεν. id est: *Nunciatum ei, quod judicium de eo fieret in Senatu, Bonum factum, inquit. At enim quinta hora jam advenit* (non *Dies*, uti interpres ad ritum veterem parum attente) *qua exerceri solet, & frigida lavari. Eamus, ait, & exerceamur. Exercitanti supervenit qui diceret, Fuge ocyus, damnatus es. Exsilio, inquit, an morte? Exsilio. Bona autem quid? Non ablata tibi. Ariciam ergo euntes, istic prandeamus.* Tacito ista lucem dabunt, dum paullo inferius ait, *pulsum eum Italia.* Sed cur Marcellus *paterni odii in principes heredem* Agrippinum calumniatur? Propter patrem ejus Paconium, qui majestatis reus sub Tiberio periit. Eruo è Suetonii Tiber. cap. 61. *Interrogatum eum à quodam nano adstante mensæ inter Copreas* (ita leg. non, *Capreas*) *cur Paconius majestatis reus tamdiu viveret? statim quidem petulantiam linguæ objurgasse, ceterum post paucos dies scripsisse Senatui, ut de pœna Paconii quamprimum statueret.* Ideo Tacitus mox: *Quid Agrippino objectum, nisi tristem patris fortunam? quando & ille perinde innocens Tiberii sævitia concidisset.* Lipsius.

4 *Curtium Montanum*] Cujus mentio lib. 4. Histor. *Lipsius.*

5 *Requirere se in senatu*] Tria hæc respiciunt, repetuntque ea, quæ supra dicta fuerunt à Cossutiano. primum: *triennio non introisse curiam.* secundum: *nuncupationibus votorum non adesse.* tertium: *principio anni vitare Thraseam solenne jusjurandum.* sensus videtur: Hæc objicerem, & tanquam gravia flagitia disceptationi senatus proponerem, nisi Thrasea aperte hostem patriæ, ac proditorem profiteretur: quod omnia crimina excedit. *Pichena.* Non hic sensus est, quem exsculpebat vir eruditus. Immo vero hæc objicit atque dicit; si Thrasea negare vult, se pro hoste patriæ habendum esse, respondeat, cur in Senatum non veniat, vota non suscipiat, in acta non juret. Quæ omnia negligere hominem, qui senator, qui sacerdos, qui civis sit, non esse nisi proditoris. *Freinshemius.*

6 *Nisi contra instituta*] Id est, nisi ex cive hostis, proditorque palam factus sit. *Ferrettus.*

7 *Et principis obtrectatores protegere solitus*] Taciti manum fuisse censeo: *Denique agere senatorem, ut principis obtrectatores protegeret, solitus veniret,* &c. *Gronovius.*

8 *Quam nunc silentium perferrent*] En calumniam. Viri boni silentio etiam apud Tyrannum peccant. Audi illa apud Senecam, Oedipo:

CR. *Tacere liceat. nulla libertas minor*

A rege

29 *tem olim, nunc & aspectum exuisset.* [1] Cum per hæc atque talia Marcellus, ut erat torvus & minax, voce, vultu, oculis ardesceret; non illa nota & [2] crebritate periculorum sueta jam senatus mæstitia, sed novus & altior pavor, manus & tela militum cernentibus. simul ipsius Thraseæ venerabilis species obversabatur: & erant qui *Helvidium quoque* misererentur, *innoxiæ affinitatis pœnas daturum. Quid Agrippino objectum, nisi tristem patris fortunam; quando & ille perinde innocens Tiberii sævitia concidisset. Enimvero Montanum probæ juventæ, neque famosi carminis,* [3] *quia protulerit in-*

30 *genium, extorrem agi.* Atque interim Ostorius Sabinus Sorani [4] accusator ingreditur, orditurque *de amicitia Rubellii Plauti,* [5] *quodque proconsulatum Asiæ Soranus pro claritate sibi potius accommodatum, quam ex utilitate communi egisset, alendo seditiones civitatum.* Vetera hæc. [6] sed recens, discrimini patris filiam connectebat, [7] *quod pecuniam Magis dilargita esset.* Acciderat sane pietate Serviliæ (id enim nomen puellæ fuit) quæ caritate erga parentem, simul imprudentia ætatis, non tamen aliud consultaverat, quam *de incolumitate domus, & an placabilis Nero, an cognitio senatus nihil atrox afferret.* Igitur accita est in senatum, steteruntque diversi ante tribunal consulum, grandis ævo parens; contra filia intra vicesimum ætatis annum, nuper marito Annio

A rege petitur. OED. *sæpe vel lingua magis*
Regi atque regno muta libertas obest.

Lipsius.

1 *Cum per hæc atque talia Marcellus inveheretur*] In regio Codice legitur, *verteret.* Forte debet esse, *perverteret.* quod verbum pro accusare, sive per accusationem subvertere, sæpe Tacito solemne est, ceu in initio operis ostendimus. *Rhenanus.* Perperam in vulgatis emendatus locus, *Marcellus inveheretur torvus* pro, *ut erat torvus.* nam attentum lectorem non fugiet, duo illa verba *inveheretur*, &, *ardesceret*, orationem confundere. At veram lectionem indicavit Florent. qui corrupte habet, *Marcellus uterit torvus* &c. Similis dicendi modus Ann. lib. 1. *isque, ut erat recens dolore & ira, apud circumfusos ita cœpit.* Pichena.

2 *Celebritate periculorum*] Cum Rhenano lego, *crebritate.* Lipsius.

Celebritate periculorum sueta jam senatus mæstitia] Opinor scribendum, *crebritate periculorum.* Rhenanus. Τὸ *celebris* ac τὸ *frequens* idem valent, licet Vallæ aliter visum sit. Tacit. *Quo obsequiis florentem Soranum celebraverat, labentem non deseruit.* Salmerius. Cum Rhenano legebat Lipsius, *crebritate periculorum.* & sensus id requirit. *Freinshemius.*

3 *Quia protulerit ingenium*] Sentio voculam abesse sententiæ, quam reddo, *sed quia prot.* Acidalius.

4 *Accusator ingreditur orditurque*] Duo hic verba ejusdem significatus junctim posita, quod Tacito insolens, *Ingreditur, orditurque.* Utrumque enim nihil sonat aliud, quam incipit. Nec à glossa posterius opiner. Forte scribendum: *Sabinus Sorani accusationem ingreditur orditurque.* Phrasi de qua ad lib. 5. supra. *Acidalius.*

5 *Proconsul Asiæ*] Melius, *proconsulatum.* Lipsius.

Quodque proconsulatum Asiæ Soranus] Cum in antiquioribus libris, ac præsertim in Flor. scriptum esset, *procos.* Vulgo interpretatum fuit, *proconsul.* at sententia postulat, *proconsulatum*, ut restituimus, suadente etiam Lipsio. *Pichena.*

6 *Sed recens discrimini patris filiam connectebat*] Flor. addit: *Sed recens, & quot discriminis.* Forte, *& quod.* Pichena. MS. Florent. addit; *sed recens, & quot discrimini.* Forte legendum; *sed recens id, quod discrimini.* Quod statim sequitur de pecunia Magis data, magicisque sacris, recenset & Scholiastes ad illud Juvenalis, *faciet quod deferat ipse*, his verbis: *Eguatium Philosophum significat, qui filiam Bareæ Sorani, quam cum ipse ad magicam descendisset hortatu, detulit Neroni.* Sed rectius fortasse legeris: *quamquam ipse ad magicam discendam esset hortatus, detulit Neroni:* Nam ipsa quoque interfuit magicis sacris, ut patet ex cap. seq. *Freinshemius.* Ego ex Flor. codice τὸ *quot*, ut supervacuum recidendum puto. Prorsus enim Taciti fuit: *Vetera hæc, sed recens, & discrimini Patris filiam connectebat.* In duobus prioribus membris orationis intelligi voluit verbum substantivum. *Gronovius.* Hæc quidem lenissima & optima; sed ad voces Taciti recuperandas certe dandum aliquid & multum vetustissimæ fidei exemplaris Medicei; in quo illud *quot* ab Pichena recte indicatum sic pro supervacuo recidi non patitur incolumitas Taciti, quæ utique plenissima existit in his vocibus, *sed recens, & quo discr. p. filiam connectebat* ille accusator. *Jac. Gronovius.*

7 *Pecuniam magis dilargita*] Cape ad lucem historiæ Scholiastis hanc notam, ad illud Juvenal.

——— *faciet, quod deferat, ipse.*

Eguatium Philosophum significat, qui filiam Bareæ Sorani, quam cum ipse ad magicam descendisset, hortatus detulit Neroni. Sed velim obiter corrigi: *quam, cum ipsius ad magicam descendisset hortatu, Neroni detulit.* Lipsius.

1 In

nio Pollione [1] in exsilium pulso, viduata desolataque: ac ne patrem quidem intuens, cujus onerasse pericula videbatur. Tum interrogante accusatore, *an cultus dotales, an detractum cervici monile venum dedisset, quo pecuniam faciendis magicis sacris contraheret?* 31
primum strata humi, longoque fletu & silentio, post [2] altaria & aram complexa; *Nullos*, inquit, *impios deos, nullos devotiones, nec aliud infelicibus precibus invocavi, quam ut hunc optimum patrem* [3] *tu Cæsar, & vos patres servaretis incolumem. Sic gemmas & vestes & dignitatis insignia dedi, quomodo si sanguinem & vitam poposcissent. Viderint isti, antehac mihi ignoti, quo nomine sint, quas artes exerceant: nulla mihi principis mentio, nisi inter numina fuit. Nescit tamen miserrimus pater. & si crimen est, sola deliqui.* Loquentis adhuc verba excipit Soranus, proclamatque, *non illam in provinciam secum pro* 32
fectam, non Plauto per ætatem nosci potuisse; non criminibus mariti connexam; nimiæ tantum pietatis ream, [4] *separarent, atque ipse quamcumque sortem subiret.* Simul in amplexus occurrentis filiæ ruebat, nisi interjecti lictores utrisque obstitissent. Mox datus testibus locus: & [5] quantum misericordiæ sævitia accusationis permoverat, tantum iræ P. Egnatius testis concivit. Cliens hic Sorani, & tunc emptus ad opprimendum amicum, auctoritatem Stoicæ sectæ præferebat, [6] habitu & ore ad exprimendam imaginem [1] honesti exercitus, ceterum animo perfidiosus, & subdolus, a-

vari-

1 *In exsilium pulso*] Nuper inter conjuratos. *Lipsius.*

2 *Altaria & aram complexa*] Utrum aram Victoriæ intelligit, quæ ante curiam? an altaria & aram Veneris genitricis, in cujus templo nunc Senatus? *Lipsius.*

3 *Tu Cæsar, vos patres*] Sic legitur in veterrimo MS. Qui quaternio quum non satiaret, interponi placuit nonnullis copulativam &. Habeant qui illam volunt, & liceat Ciceroni in Senectute scribere *Tu, P. Scipio, tuque, C. Læli*; etiam Propertio sic agere 4, 11. *Tu, Lepide & tu, Paule.* Sed ne dicant se scire Tacitum sic scripsisse; & utique nescio cui sit bono: certe quum non venerit ab Tacito, recte ejicitur. *Jac. Gronovius.*

4 *Separarent a se quamcunque*] Quis crederet sic artificiose ex medio tolli aliqua posse, quæ tamen curatissime totum sermonem connecterent? ut factum in hoc loco, ubi lætabar incidens in plenitudinem libri Medicei *separarent, atque ipse qu.* ut exigat illam non posse immisceri suæ accusationi, alienam inde esse, quicunque etiam eventus sibi sit futurus. Placuit etiam recte Cl. Ryckio. *Jac. Gronovius.*

5 *Quantum misericordia*] Præclare libri. Vulgo *quantum nunc.* errore ex concisa ratione scribendi, *mia.* Ingenio suo pridem hanc correctionem vindicaverat Faernus. nec invideo ego, nec culpo. *Lipsius.*

Quantum nunc sævitia] Locus hic est in quo inscitiam exscriptorum cum Faerno mirati sumus. Ita legit. *Quantum misericordia sævitia:* & ita in altero bibliothecæ Pontificalis scriptum inveni. Decepit autem librarios brevibus notis scribentes, inter *mia* pro *misericordia*, & *nunc* literarum similitudo. *Vertranius.* Cum v. c, Faernus scriptum invenisset: *Et quantum mia*, &c. vel, ut in alio, *Et quantum nunc*, &c. ex ea voce fecit *misericordia*, &c. quam lectionem ita plane scriptam vidimus postea in aliis libris manuscriptis. *Ursinus.*

6 *Habitu & ore ad exprimendam imaginem honesti & exerciti*] Faernus legebat, *honesti exercitus* &c. Sed Danesius non male, *honesti & exercitio*, &c. quamvis lectio Faerni magis placeat. *Ursinus.* Et hæc inter Lipsii conjecturas digna mihi visa est, quæ recipiatur. Inepte vulgo, *honesti & exerciti.* Pichena. Et hæc inter conjecturas Lipsii digna Pichenæ visa est, quæ recipiatur. At vulgatam lectionem *honesti & exerciti* omnibus libris constanter inhærentem, egregie mihi explicasse visus est Vir Eruditus Gronovius in epistola ad socerum meum scripta: cujus verba paullo prolixiora, amplioribus commentariis servamus. *Freinshemius.* Vide 2. Observ. cap. 4. *Gronovius.* Nihilominus mox exacuit se vehementer Ryckius, liberrima plane ratione utens, quam illi non adimo; sed unde eandem mihi etiam jure vindico. Sic præcipuo adminiculo fulcire conatur lectionem Pichenæ magis placitam, scribens (verum omisit monere vir optimus, quod emendationis hujus præcipuum fundamentum, a Florentino eam confirmari. Cui ego nunc adjicio etiam mei Codicis auctoritatem, in quo exserte *habitu & ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus*) unde id habeat, ignoro: nam in schedis meis notavi nihil, quia judicabam in hoc loco salubrem operam ab Patre fuisse positam. Tum vero ex ipsius Pichenæ silentio satis patet Lipsii conjecturam esse diversam ab lectione codicis MS. Medicei, ut quilibet lector manifeste potest colligere. Jam vero optime scio *honesti & exerciti* in eo scriptum esse. Unde hoc præcipuum fundamentum rursus ei subtraho, ut quod ad hanc partem,

 illa

varitiam ac libidinem occultans. Quæ postquam pecunia reclusa sunt, dedit exemplum præcavendi, quomodo fraudibus involutos, aut flagitiis commaculatos; sic
33 specie bonarum artium falsos, & amicitiæ fallaces. Idem tamen dies & honestum exemplum tulit [2] Cassii Asclepiodoti, qui magnitudine opum præcipuus inter Bithynos, quo obsequio florentem Soranum celebraverat, labentem non deseruit. Exutusque omnibus fortunis, & in exsilium actus; [3] æquitate deum erga bona ma-

laque

illa corruat penitus, nec debeat ipsius interpolatissimus liber componi cum sanctitate Medicei. Certe hujus suæ proprietatis circa hunc locum dedit insignia testimonia, vel quum dixit habere *Marcellus vinceret*, vel *per immanitatem Augusti intentarent*, modo *ingererent*. cap 24. *scripsisse jactans*. c. 34. *consilia mortis agentem & die, quem illustrium virorum feminarumque cœtu frequentem egerat*, omnia stigmata insulsissimæ interpolationis. Hinc evenit, ut per mendacium impingat Patri meo, quod solam quasi veterum editionum scripturam tueatur, quum ante mille annos in fidissimis exemplaribus Taciti scriptum fuerit, quod ille tuetur. Itaque pueriliter sibi blanditur de scientia rei, quæ existere nunquam potuit, nempe scriptura utriusque codicis, tantum inter se distante, quantum atra ab albis. Falsum est a Patre statui *exercitum* hic neutro genere dici, ut ipsius putatio prorsus hic sit irrita & ridicula, non aliter *exercitum* nunc intelligente Patre, quam prout 15, 41. Tacitus dixit *doctrina ore tenus exercitos*. Hoc liquet. Falsum est per *honesti imaginem* intelligi virtutis imaginem, *non honesti viri*. Certe hoc posterius est Patris mei. Quid ergo Ryckius? (Et tamen quin Tacitus per *imaginem honesti*, intelligat virtutis imaginem, non honesti viri vix dubitandum.) Immo non modo dubitat Pater, sed expugnavit, vel dum codex Mediceus habet *honesti & exerciti*, ut utrumque in eodem genere accipi debeat, vel dum clarissimum est τὸ *exerciti* in masculino poni, unde idem dici oportet de præcedente *honesti*. An vero istud Ryckianum est probatio, nulli plane momento, nulli sedi innixa, nullam quoque fidem ex Latina lingua habens? Etsi enim *honestum* incutro sie passim dici apud Latinos sciamus, quid? an non Tacitus nunc, ut Spartianus in Hadriano dicit *liberalis simulatorem* ex docta restitutione Salmasii, qui & ex Cicerone profert *ostentatorem pecuniosi*? Mox in MS. *perfidiosus*, *subdolus*, sine copulativa &. Jac. Gronovius.

1 *Honesti & exerciti*] Suadeo scribas, *honesti exercitus*, ex sententiæ ductu. *Lipsius.*

2 *Cassii Asclepiodoti*] Xiphilino Caspius Asclepiodotus Niceus paulo aliter dicitur. *Vertranius.*

3 *Æquitate deum erga*] Depravatio. quam adnoto, non tollo. Nisi placet eum Ἐπικυρίζειν, & dicere, Deos hæc iisdem oculis adspexisse, æquos bonis malisque exemplis, & sine cura nostri. *Lipsius.*

Æquitate Deum erga bona malaque documenta] Lipsius hic: *Depravatio manifesta: quam tamen adnotare volui, tollere non potui.* At ego non solum nullum mendum inesse existimo, quinimo præclarissimam suspiciendamque sententiam mira brevitate Tacitum complexum non dubito. *Æquitas animi* absolute est constantia quædam, & moderatio, quum æquo animo patienterque omnia feruntur, ac in bonam partem accipiuntur, quæ & *tolerantia* dicitur. Cicero pro Planc. *Fugisti sententiam legis, æquitatem omnem rejecisti.* Et 1. de Finibus: *Probabo, modo ista sis æquitate, quam ostendis.* Et lib. de senectute: *Novi enim moderationem animi tui, & æquitatem.* Et in Epist. *Æquitatem tuam non potui non probare.* Æquitatis vim duplicem dixit idem in partit. Orat. cujus altera directi & veri & justi & æqui & boni ratione defenditur, altera ad vicissitudinem referendæ gratiæ pertinet, quod in beneficio *gratia*, in injuria *ultio* nominatur. His sic se habentibus interpretor Taciti dicta: *Factum æquitate Deum*, id est, tolerantia & permissione, quibus nulla præscripta lex, ut P. Egnatius Sorani infidus amicus, in eum pecunia corruptus testimonium diceret, Cassius vere Asclepiodotus verus & syncerus eum laborantem non deseruerit, etiamsi fortunis ob id exutus esset, & in exilium actus, tolerantia inquam *Deorum erga mala bonaque documenta*, id est, exempla, nam *documentum* pro *exemplo* sumitur à Sallustio & Cicerone non semel; malum siquidem exhibuit exemplum Egnatius, bonum vero Cassius, quibus Deorum eodem æquitate ultio & gratia habita. *Marcellus Donatus.* Si sic distinguas, elata & integra sunt. *Idem tamen dies, & honestum tulit exemplum Cassii Asclepiodoti (qui magnitudine opum præcipuus inter Bithynos, quo obsequio florentem Soranum celebraverat, labentem non deseruit, exutusque omnibus bonis & in exilium actus) æquitate Deum erga bona malaque documenta.* Eodem die (Tacitus ait) habuimus egregii & pessimi facinoris documentum: nam Pub. Egnatius Celer; testimonio perculit amicum Baream Soranum: quem aperte Cassius fovit, officiisque meruit iram Neronis. De Egnatio Juvenal. Satyr. 3. *Stoicus occidit Baream delator amicum, Discipulumque senex.* Eadem noster 4. hist. *Quippe Sorani sancta memoria: Celer professus sapientiam, dein testis in Baream, proditor corruptorque amicitiæ, cujus se magistrum ferebat.* Salinetius. Manifestam depravationem adnotat, non tollit Lipsius. Non tollo quidem etiam

ego:

ſaque documenta. Thraſeæ, Soranoque, & Serviliæ datur mortis arbitrium. Helvidius & Paconius Italia depelluntur. Montanus patri conceſſus eſt, [1] prædicto ne in republica haberetur. Accuſatoribus Eprio & Coſſutiano quinquagies ſeſtertium
ſingulis, Oſtorio duodecies & quæſtoria inſignia tribuuntur. Tum ad Thraſeam in 34
hortis agentem [2] quæſtor conſulis miſſus, veſperaſcente jam die. Illuſtrium virorum feminarumque cœtus frequentes egerat, maxime intentus [3] Demetrio Cynicæ inſtitutionis doctori: cum quo, ut conjectare erat [4] intentione vultus, & auditu ſi qua clarius proloquebantur, de natura animæ, & diſſociatione ſpiritus corporiſque inquirebat. donec advenit Domitius Cæcilianus ex intimis amicis, & ei quid ſenatus cenſuiſſet, expoſuit. [5] Igitur flentes quiritanteſque qui aderant, *faceſſere propere Thraſea, neu pericula ſua miſcere cum ſorte damnati* hortatur. [6] Arriamque tentantem mariti ſuprema, & [7] exemplum Arriæ matris ſequi, monet *retinere vitam, filiæque*

ego: ſed fomento hoc tego: *æquitatis dedit erga bona malaque documentum.* *Æquitatem* capio æquanimitatem: eodem enim anno toleraſſe eum vult bona & mala. *Acidalius.* Neſcio cur Vir doctiſſ. hunc locum habuerit in depravatis. mihi probus hinc ſenſus & promptus: Deos oſtendiſſe non mala tantum exempla, ſed & bona. Quomodo infra H. I, 3. *Non tamen adeo virtutum ſterile ſæculum, ut non & bona exempla prodiderit.* Freinshemius. Quicquid dicant, ἐπιτιμῶσι Tacitus, aut patitur ſenſus, qui pios etiam & divinæ providentiæ adſertores ſæpe turbarunt, cum viderent ſcelus præmia, virtutem ſupplicia ſequi. *Æquitatem* vocat indifferenter aliquid ferre, nihil ad id commoveri. Ut Cicero I. Agrar. *Quantum tibi agri vendet, ut alios omittam, ſocer tuus? & (ſi ego ejus æquitatem animi novi) non invitus.* Adde 4. Obſerv. 17. *Gronovius.*

1 *Prædicto ne in Rep.*] Accipio, ut Romæ quidem eſſe ei liceret. ſed procul ab honore omni & publicis muneribus vitam ageret privatam. *Lipſius.*

2 *Quæſtor Conſulis miſſus*] Conſulum ergo proprius aliquis Quæſtor? Apparet è Dione: qui in actis anni DCCXVI. ſcribit, *Ap. Claudium & C. Norbanum conſules, primos binos Quæſtores habuiſſe.* Si id non ſit; ſcribam, *Quæſtor conſuli miſſus*, id eſſet, à Conſule miſſus. Quod fieri ſolere obſervamus in iis, qui damnati à Senatu. Nam Conſul, ejus caput: adminiſter autem Conſulis, Quæſtor. Dio. lib. LVIII. de Geminio Rufo: Καὶ μαθὼν τὸν ταμίαν ἐπὶ δικαιώσει αὐτοῦ παρόντα, αὐτός τε ἑαυτὸν ἔτρωσε, καὶ ἐκείνῳ δείξας τὸ τρῶμα, Ἀπάγγειλον, ἔφη, τῇ γερουσίᾳ, ὅτι ἀνὴρ οὕτως ἀποθνήσκει. *Audiens Quæſtorem ad ſupplicium exigendum jam adeſſe, ipſus ſe vulneravit: & plagam ei oſtens, Abi, nuncia, inquit, Senatui. virum ſic mori.* Lipſius.

1 *Demetrio Cynicæ inſtitutionis*] Quæ ſecta revera à Stoica, tunica tantum diſtat. id eſt, quod nudius & inverecundius Cynici, quæ velant & tegunt leviter Stoici. Demetrii hujus laus apud Philoſtratum lib. IV. De vita Apollonii, Senecam VII. De Beneficiis cap. VII. cujus verba: *Paullo ante Demetrium retuli, quem mihi videtur rerum natura noſtris temporibus tuliſſe, ut oſtenderet nec illum a nobis corrumpi, nec nos* (omnino ſcribo, *& nos.* ita enim concludit, *ne aut exemplum ſæculo, aut convicium deeſſet*) *ab illo corripi poſſe. Virum exacta (licet neget ipſe) ſapientia, firmaque in his quæ propoſuit conſtantia.* Et Epiſt. 63. *Demetrium virorum optimum mecum circumfero, & relictis conchyliatis cum illo ſeminudo loquor, illum admiror.* Vox ejus magni animi ad Neronem, ἀπειλεῖς μοι θάνατον. σοὶ δ' ἡ φύσις, apud Arrianum. *Lipſius.*

2 *Intentione vultus & auditu ſi qua*] Prout jungit 13, 5. *Quod viſum arceret, auditum non adimeret.* MS. Mediceus tamen clare *auditis*, quod multo convenientius. *Jac. Gronovius.*

3 *Igitur flentes queritanteſque*] Forte, *quiritanteſque.* Rhenanus. Cum hic antea *queritantes*, pro cientibus flebiles queſtus ſcriptum eſſet, & placeret, Beatus tentavit legere, *quiritantes*, quod gravius & magis placet. Eſt autem *quiritare*, ut inquit Marcellus, *clamare:* tractum ab iis qui Quirites invocant. Lucilius lib. 7. Satyr. *Concurſans veluti ancharius, clareque quiritans.* P. quoque Nigidius in commentariis Grammaticis, *clamat, quiritat.* Livius Annali XXL. *Nulla vox quiritantium inter ſtupra & cædes exaudiri poterat.* & infra. *Ne vox quiritantis, cum per vim ſtuprum inferatur, exaudiri poſſit.* Vertranius.

4 *Arriamque tentantem*] Arriæ uxori, (quæ filia fuit Arriæ illuſtris fæminæ & Pæti Cæcinnæ. illius, qui Scriboniani partium fuerat, cum arma in Illyrico adverſus Claudium moverentur,) Thraſeas diſſuadet mortem, & matris exemplum eam ut ſequatur monet, qua marito mortis ſolatium, non qua mortis exemplum præbuerat. Ejus de virtutib. extat Cæciliani lib. 3. ad Nepotem epiſtola. Ceterum deficit dimidia pars libri hujus & annis duobus geſta exciderunt, ſcil. Fontejo Capitone & Julio Rufo. Valerio Turpiliano Thracala, & Silio Italico conſulibus: ſtudioſus ex Dione & Suetonio hiſtoriæ ſitim explebit. *Idem.*

5 *Exemplum Arriæ matris ſequi*] Arria mater, uxor fuit Cæcinæ Pæti, qui in partibus Scriboniani contra Claudium. Ideo ad mortem actus. Sed præ-

35 *liaque communi subsidium unicum non adimere.* Tum progressus in porticum, illic à quæstore reperitur, lætitiæ propior, quia Helvidium generum suum Italia tantum arceri cognoverat. Accepto dehinc senatusconsulto, Helvidium & Demetrium in cubiculum inducit: [1] porrectisque utriusque brachii venis, postquam cruorem effudit, humum super spargens, propius vocato quæstore, *Libemus*, inquit, JOVI LIBERATORI. *Specta juvenis*, [2] *& omen quidem dii prohibeant; ceterum in ea tempora natus es*, [3] *quibus firmare animum expediat constantibus exemplis.* Post lentitudine exitus graves cruciatus afferente, [4] obversis in Demetrium *.

prævivit uxor, æterno & inaudito exemplo, semet feriendo; extractumque pugionem marito porrigendo cum voce, *Pate non dolet.* Plinium lege lib. III. epistola ad Nepotem. Martialis de hac heroïna,

Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis:
Si qua fides, Vulnus quod feci non dolet, inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi Pæte dolet.

In Zonara & Dione eadem narratio. sed corrupte verba Græca, *καὶ οὐκ ἀλγῶ*: & in puerili mendo Xylander, *Puer, non dolet.* Scribe: *Παῖτε οὐκ ἀλγῶ.* Hanc Arriam Scholiastes in vita Persii notat fuisse poëtæ illi cognatam. *Ipse Persius*, inquit, *decem fere annis summe dilectus apud Thraseam est, ita ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando cognatam ejus Arriam uxorem habente.* Quid est autem, *Diligi apud Thraseam?* Solœcus sermo. Manuscriptus Vulcanii, *apethithrasea.* Facile correctu, *à Pæto Thrasea.* Commentarii autem hujus parum adhuc pervulgati auctoritate sæpe nitor. quis carpet? doctus ille, probus: imo in pleraque parte & Probi. Utinam hodie sic commentemur! Debemus eum P. Pythæo JC. viro doctrinæ, judicii, vitæ directæ. *Lipsius.*

1 *Porrectisque utriusque brachii venis*] Nescio an verius *prosectis*, vel *perfectis*, an *perictis*. Aptum tamen & illud. *Acidalius.* Copulam *que*, ex Flor. restitui. *Pichena.* Non placet hæc lectio; emendem, *prosectisque.* Freinshemius.

2 *Et omen quidem dii prohibeant*] Scripsimus, *& omen quidem dii prohibeant.* Rhenanus.

3 *Quibus firmare animum expedit*] Scripsimus, *expediat.* Florent. ac Veneto auctoribus. *Pichena.*

4 *Obversi in Demetrium*] Multa & libro huic, & Neronianæ historiæ deesse clarum. Duo anni dicendi supersunt, in quibus de adventu Teridatis, de conjuratione Viniciana, de motu Vindicis, aliaque, digna quæ à magno auctore tradita legeremus, si Fatis ita visum fuisset. *Lipsius.*

Obversis in Demetrium] Indubie *obversus* scribendum. Sed quid hoc auxilii? *Acidalius.* Unam, quæ hic secuta, vocem supplere non est difficile, *oculis.* de cætero expectandi libri pleniores. *Grotius.*



JUSTI

JUSTI LIPSII
AD
C. CORNELII TACITI
ANNALIUM
LIBRUM I.
EXCURSUS.

A.

Cap. 7. Ignis originem nescio: nisi quod antiquum video, & à temporibus Antoninorum. Herodianus sane in Commodo statim meminit, ut rei vulgatæ, ubi de Lucilla sorore ejus: Οὐδὲν ἧττον μέντοι καὶ ὁ Κόμμοδος ἐφύλαττε τιμὰς τῇ ἀδελφῇ. Καὶ γὰρ ἐπὶ τοῦ βασιλείου θρόνου καθῆστο ἐν τοῖς θεάτροις, καὶ τὸ πῦρ προεπόμπευεν αὐτῆς. *Nihilo secius Commodus honores sorori suæ servavit. nam & in theatris sella imperatoria sedebat, & ignis eam præcedebat.* Item de Marcia Commodi concubina: Ἡ ἐδὲν inquit, ἀπεῖχε γαμετῆς γυναικὸς, ἀλλὰ πάντα ὑπῆρχεν, ὅσα σεβαστῇ, πλὴν τοῦ πυρός: *quæ nihilo differebat à legitima uxore, sed omnia ut Augustæ aderant, præter ignem.* Et de Pertinace: Κατῆλθεν ἐπὶ τὸ συνέδριον τῆς βουλῆς, οὔτε τὸ πῦρ ἐάσας ἑαυτῷ προπομπεῦσαι, οὔτε τι ἄλλο τῶν βασιλικῶν συμβόλων εἰς ὕψος ἀρθῆναι: *Venit in Senatum, neque ignem sibi passus præferri, neque aliud ullum principatus insigne attolli.* Nec ambigimus de more. Illud tamen mirum, bis mirum, non alium è Græcis Latinisque exprimere tam insignitam rem, præter Herodianum. Non Dionem, non Capitolinum, Spartianum, Lampridium, qui eadem scripserunt illi. Nec enim, quod sciam, meminerunt verbo. Quis tamen iste ignis? non è carbonibus aut ligno, nec qualis ille apud Horatium prunæ batillus: lampas tantum fuit. Rem adhuc ignotam doceo, firmoque ex M. Antonino in libris suæ vitæ: Ὅτι δυνατόν ἐστιν, inquit, ἐν αὐλῇ βιοῦντα μήτε δορυφορήσεων χρῄζειν, μήτε ἐσθήτων σημειωτῶν, μήτε λαμπάδων καὶ ἀνδριάντων τοιῶνδέ τινων, καὶ τοῦ ὁμοίου κόμπου. Describit recensetque insignia omnia principatus, *& posse,* ait, *eum qui in aula vivat, carere stipatoribus, carere veste insigni purpuraque, item lampadibus, & certis statuis, similique luxu.* Ut ergo in deorum cultu adhibitæ lucernæ facesque, ut docui in Electis c. 3. sic Imperatorum. Opinor autem Romam traductum morem è Persis. Illorum enim Regi prælatus ignis. Xenophon lib. VIII. Παιδείας. Καὶ πῦρ ὄπισθεν τοῦ ἅρματος ἐπ' ἐσχάρας μεγάλης ἄνδρες ἕποντο φέροντες: & post ignem illum secutus Cyrus. Imo & Asiaticis, si recte capio Ammianum lib. XXIII. *Feruntque etiam (si justum est credi) ignem cælitus lapsum apud se sempiternis foculis custodiri. cujus portionem exiguam faustam præisse quondam Asiaticis regibus dicunt.* Diadema autem primus Romanorum Principum usurpavit Aurelianus: uti in vita ejus Victor. Etsi alibi male Id refert ad Caligulam. Purpuram quis primus sumpserit, adhuc quæro.

B.

Cum Antonius vellet se Liberum patrem dici, & hoc nomen statuis subscribi: occurrerunt venienti ei Athenienses cum conjugibus ac liberis, & Dionysium salutaverunt. Bene illis cesserat, si nasus Atticus ibi substitisset. dixerunt despondere ipsos (malim, *ipsi*) *in matrimonium Minervam Musam suam, & rogaverunt ut duceret, & Antonius ait ducturum, sed dotis nomine imperare se illis mille talenta. Tum ex Græculis quidam ait......... Huic quidem impune fuit, sed Atheniensium sponsalia mille talentis æstimata sunt. quæ cum exigerentur, multi contumeliosi libelli propositi sunt, sicut ille qui subscriptus est statuæ ejus, cum eodem tempore Octaviam uxorem haberet & Cleopatram: Hoc tu evita restituas, tibi habe.* Cap. 10. Primum offendimus in Minerva Musa. quoniam neque Dio nominat in hac historia, Ἀθηνᾶν dixisse contentus: nec cognomen nostrarum dearum scio alias adhæsisse Minervæ. Itaque inducta ea voce scribo, *Minervam suam,* nata fuit ex confusa repetitione litteræ vocisque sequentis. In summa discrepat idem Dio, qui ἑκατὸν μυριάδας imperatas pro dote ait, id est Romano ritu HS. quadragies. Mille autem talenta Senecæ: paullo minus faciunt ducenties quadragies: sexto tanto immaniore summa. Tamen non muto. Græculi jocum, cui spatium vacuum, doleo abesse: at Latinum commode restituo, *Octavia res tuas tibi habe.* Quicumque ille, comiter jocatus est ex devortii Romani forma

ma. Cum enim Cleopatram amaret haberetque Antonius: ecce subscripsit iste quasi nomine Antonii Octaviam repudiantis, *Octavia res tuas tibi habe.* Quæ solennia in libello repudii verba fuisse, jam notum. Appulejus: *Tu quidem ob istud* (ita emendo) *tam dirum facinus confestim thoro meo diverte, tibique res tuas habeto.*

In Senecæ loco de Minerva Musa, mente nunc & manu amplector sententiam Jani mei Grotii, amœnissimi & acutissimi viri reponentis, *Minervam Musicam.* Inter nobiles Athenis statuas fuit Minerva hoc cognomento; sic dicta, *quoniam dracones in Gorgone ejus ad ictus citharæ tinnitu resonant.* Plinius lib. XXXIV, cap. VIII.

C.

Cap. 10. Nec viri solum ad sacerdotium adscripti magni hujus divi, sed, quod rideamus, feminæ. Adeo projecti in adulationem tunc mores. Marmor:

P. POSTVMIÆ. P. F. PAVLLÆ.
SACERD. D. IVLI. AVGVST.

Item in Hispaniis, LVCR. L. F. CAMPANA. FLAM. PERP. DOMVS. AVG. id est, *Lucretia L. filia, Flaminica perpetua.* Exemplum hujus rei à Livia, quæ miro exemplo, sacerdos sui viri: & quidem ex decreto Senatus. Dio LVI. extremo: Τότε δὲ ἀθανατίσαντες αὐτὸν, καὶ θιασώτας οἱ καὶ ἱερὰ, καὶ ἱέρειαν τὴν Λιουίαν ἀπέδειξαν: *Tunc vero consecrantes Augustum, sodales ei & sacra instituerunt, & sacerdotem Liviam.* Quod noto eo libentius, ut lux inde adfulgeat tenebricoso Ovidii loco, IV. De Ponto:

Nec pietas ignota mea est, videt hospita tellus
In nostra sacrum Cæsaris esse domo.
Stant pariter natusque pius, conjuxque sacerdos,
Numina jam facto non leviora deo.

Natus pius, Tiberius est: *conjux sacerdos,* Livia. Puto ad hæc sacerdotia, quæ cum ambitu & sumptu adfectabant in provinciis passim, pertinere Arriani locum elegantem, De sermonibus Epicteti, lib. I, cap. XIX. Σήμερον τις ὑπὲρ ἱερωσύνης ἐλάλει μοι τοῦ Αὐγούστου. Λέγω αὐτῷ, ἄνθρωπε ἄφες τὸ πρᾶγμα. δαπανήσεις πολλὰ εἰς οὐδέν. Ἀλλ' οἱ τὰς φωνάς, φησι, γράφοντες, γράψουσι τὸ ἐμὸν ὄνομα. Μήτι οὖν σὺ τοῖς ἀναγινώσκουσι λέγεις παρών, Ἐμέ γε γράφασι; εἰ δὲ καὶ νῦν δύνασαι παρεῖναι πᾶσι, ἐὰν ἀποθάνῃς, τί ποιήσεις; Μενεῖ μου τὸ ὄνομα. γράψον αὐτὸ εἰς λίθον, καὶ μενεῖ. Ἄγε, ἔξω δὲ Νικοπόλεως τίς σου μνεία; ἀλλὰ χρυσοῦν στέφανον φορήσω. Εἰ ἅπαξ ἐπιθυμεῖς στεφάνου, ῥόδινον λαβὼν περίθου, ὄψει γὰρ κομψότερον. Lepidus & ad Philosophum dialogismus: *Hodie,* inquit, *locutus mecum quidam super sacerdotio Augusti. Dico ei, Mi homo mitte rem, sumptum multum facies frustra. At scriba publici,* inquit, (corrupta hac parte Græca) *nomen meum adnotabunt. Num tu igitur legentibus omnibus coram dices, Me inscripserunt? & ut tunc possis adesse omnibus legentibus, mortuus quid facies? Manebit meum nomen. inscribe ipsum lapidi, & manebit. Age, extra Nicopolim autem quæ memoria tui? At coronam auream gestabo.* (qua scilicet ornati sacerdotes, dum faciunt, ex Livio, Plutarcho, aliis) *Si prorsum appetis coronam, roseam indutus circumi; aspectu enim id jucundius.*

D.

Primus Prætor Romæ institutus, anno urbis CCCXXCVIII. Furius Camillus. Livius lib. VII. & Suidas in voce πραίτωρ. Additus alter anno DX. cui cognomen datum Peregrini, quod plerumque inter cives jus diceret & peregrinos, Epitoma Livii XIX. Additi duo alii, anno urbis OXX. Sicilia & Sardinia in provinciam redactis, qui illuc cum imperio mitterentur, Epitoma XX. Iterum duo, victis Hispaniis, anno DLVII. Ita in universum ad id tempus Prætores sex: è quibus duo juri dicundo præerant, reliqui in provincias mittebantur expertes judiciorum. Id mansit, donec Quæstiones perpetuæ constitutæ, anno DCV. L. Censorino, M. Manilio Coss. Patribusque tunc visum, ut in totum magistratus sui annum, Prætores in urbe manerent. è quibus duo, more prisco, jus dicerent: reliqui quattuor publicis judiciis præessent. iidem omnes exacto anno, sorte in provincias prætorias mitterentur. Cornelius deinde Sulla Dictator auxit Quæstionum publicarum numerum: pariterque Prætorum. non tamen eatenus, ut quot Quæstiones essent, totidem Prætores: (errat largiter Pomponius, qui id sensit; quia plures sæpe Quæstiones apud eumdem Prætorem exercitas constat:) sed in universum addidit duos. Ita non plures octo Prætores ad Ciceronis ævum; idque ex variis ejus scriptis clarum: non decem, ut voluit Jurisconsultus. Oppressa mox rep. C. Cæsar dictator primus instituit decem, quo pluribus bellorum sociis honorem eum gratificaretur. Dio lib. XLII. Ἵνα πλείους αὐτῶν (συναγωνιστῶν intelligo) ἀμείψηται, στρατηγούς τε δέκα ἐς τὸ ἐπιὸν ἔτος ἀποδεῖξαι, καὶ ἱερέας ὑπὲρ τὸ νενομισμένον. qui Pomponium refellit disertim. Sed nec in eo numero stetit Cæsar, creavitque biennio post, XIV. iterumque anno post XVI. idque, ut Dio idem ait, in multos annos. At Augustus rep. & imperio potitus, pariter varium se in hac creatione gessit. Anno urbis DCCXXXI. minuit Cæsarianum numerum, retraxitque ad decem. Dio LIII. Ταῦτά τε οὕτως ὁ Αὔγουστος ἐποίησε, καὶ στρατηγοὺς δέκα, ὡς οὐδὲν ἔτι πλειόνων δεόμενος ἀπέδειξε, Vellejus: *Imperium magistratuum ad pristinum redactum modum, tantummodo octo Prætoribus allectis duo.* Anno DCCLXIV. creavit XVI. propter turbam competitorum: ita tamen (ait Dio lib. LVI.) ut posterioribus deinceps multis annis XII. dumtaxat crearet. Atque hoc est quod hic Tacitus de duodena-

denario numero tradito ab Augusto adseverat: vere & recte, si respicias instituta ejus extrema. Nam ad prima adjecit oculos Pomponius, qui XVI. Prætores constituit sub Augusto. & in tempore saltem errat. At quod Tiberium jurasse Tacitus ait se numerum XII. non excessurum: quis Pontifex perjurio eum solvet? Nam ego manifestò hominem teneo, ex Dionis testimonio lib. LVIII. qui adfirmat Tiberium, anno urbis DCCLXXXVI. quindecim Prætores creasse, additque: Καὶ τοῦτο ἐπὶ πολλὰ ἔτη συνέβη, ὥστε ἔστι μὲν ὅτε ἑκκαίδεκα, ἔστι δ' ὅτε καὶ παρ' ἕνα, ἢ καὶ δύο χειροτονεῖσθαι: *Et hoc in plures annos factum, ita ut interdum sedecim, alias uno duobusque plus aut minus, crearentur.* Imo Claudius Imp. alias XIV. alias XVIII. creavit; interdum medio inter hos numero. Vide eumdem Græcum, lib. LX.

E.

Cap. 15. Julius Cæsar jus creandi magistratus non totum à populo tulit, cruda adhuc servitute: sed cum eo divisit. Suetonius satis clare, cap. XLI. *Comitia cum populo partitus est, ut exceptis consulatus competitoribus, de cetero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur:* (justum comitiorum verbum esset, *renuntiarentur:*) *pro parte altera, quos ipse dedisset.* (scribe, *edidisset.*) *Et edebat per libellos circum tribus missos scriptura brevi, Cæsar Dictator illi tribui. Commendo vobis illum & illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneant.* Ubi vides, Consulibus exceptis, in ceterorum suffragia æquale jus principi fuisse cum plebe. Nam Consules quidem, summi imperii olim nomen, & ipse & secuti principes seposuerunt Senatui sibique. Augustus deinde *Comitiorum pristinum jus* (verba Suetonii sunt. cap. XL.) *reduxit: ac multiplici pœna coërcito ambitu, die comitiorum tribulibus suis*, &c. Quo loco pristinum jus, non vetus illud accipio quod integra libertate; sed hoc idem, quod à patre ejus Julio institutum. *Pristinum* tamen ideo, quia per bella civilia & impotentem Triumviratum, abolitus Cæsarianus mos. quem reduxit longo intervallo nunc Augustus. Eum Suetonii sensum (nam interpretes silent aut vacillant) adstruo ex Dione, lib LIII. Ὅ, τε δῆμος ἐς τὰς ἀρχαιρεσίας καὶ τὸ πλῆθος αὖ συνελέγετο, οὐ μέντοι καὶ ἐπράττετό τι. ὃ μὴ καὶ ἐκεῖνον ἤρεσκε. Τούς γ' οὖν ἄρξοντας, τοὺς μὲν αὐτὸς ἐκλεγόμενος προεβάλλετο, τοὺς δὲ καὶ ἐπὶ τῷ δήμῳ τῷ τε ὁμίλῳ κατὰ τὸ ἀρχαῖον ποιούμενος, ἐπεμελεῖτο, ὅπως μήτ' ἀνεπιτήδειοι, μήτ' ἐκ παρακελεύσεως, ἢ καὶ δεκασμοῦ ἀποδεικνύωνται: *Populus autem ad comitia iterum conveniebat: etsi nihil tamen fiebat, quod Augusto displiceret. Nam & ipse quosdam futuros magistratus designabat: alios populo & conventui, ex more prisco, eligendos permittens, id modo curabat ne qui indigni, neve per coitiones aut ambitum designarentur.* Aliquid tamen plebi etiam cum consulum comitiis fuisse, videtur colligi ex Dione LXV. in actis anni DCCCXXIV. Tiberius primus, animis Quiritium fractis jam & ad servitium factis, jus omne sibi & senatui sumpsit, populi nullo loco. Quod Tacitus his verbis voluit, *comitia è campo ad patres tralata.* Sed in Consulibus quid ejus ævo fuerit. Tacitus ipse effari non potest sine hujus libri: *De comitiis consularibus, quæ tum primum illo principe ac deinceps fuere, vix quidquam firmare ausim. adeo diversa non modo apud auctores, sed in ipsius orationibus reperiuntur.* Potest Dio: qui videtur omnem consulum renuntiationem ad Tiberium referre: aliorum magistratuum ad Senatum, commendatione principis interposita. quem lib. LVIII. vide. Ex eo tempore expers suffragiorum populus, donec Cajus *tentavit comitiorum more revocato, suffragia populo reddere*, ait Sueton. cap. XVI. scilicet Tiberii instituto omisso, Augusti revocato: sed idem ille omisit. Tiberianumque morem, apud secutos principes valuisse deinceps, clarum ex memoriis rerum.

F.

Originem & progressum stipendii Romani docui nuper in Electis c. II. & vere. Aureus Cap. 17.
in mensem fuit. i. e. deni in diem asses, ut hic milites fatentur. Quomodo ergo iidem milites, statim denarium petunt, quasi ad stipendium augendum? *Ut singulos denarios mererent.* &, *Ut denarius diurnum stipendium foret.* Nonne enim, inquiunt, denarius idem quod deni asses? Et Æmilius Ferretus quidem post multum æstum hæsit in hoc vado. Locos eos pugnantes sic conciliat, quasi milites petant, inquit, duplicari stipendium: id est alios denos asses, præter illos datos. Vir optimus non didicit conciliaturas. Quod Suetonius dicit voluisse eos æquari stipendio Prætorianis, (ii autem binos denarios capiebant:) de Germanico milite dixit, non de Pannonio, ut censet ipse, & post eum vir doctus. Dio de hac seditione nimis clare. Τό, τε σύμπαν, οὐθ' ὑπὲρ ἑκκαίδεκα ἔτη στρατεύεσθαι ἤθελον, καὶ δραχμὴν ἡμερησίαν φέρειν, τά τε ἆθλα εὐθὺς αὐτοῦ ἐν τῷ στρατοπέδῳ λαμβάνειν ἠξίουν. En, petebant, ait, δραχμὴν ἡμερησίαν: *Et universo, neque supra decimum sextum annum militare volebant; & Drachmam diurnum stipendium habere, & præmia statim in ipsis castris accipere.* Non ergo duas, ut volunt illi. Sed quid alludo? res sic se habet. Aliud illo ævo Denarius, aliud deni asses. Per bella videlicet civilia (& sentimus etiam nunc) creverat auri pretium & argenti. Itaque Denarius XVI. primo assibus, (& pro ratione, sestertius item assibus quattuor, quod ex Mæciano & Vitruvio disco) tandem æstimari XII. cœpit. in eoque stetit, Augusti & sequentium aliquot Principum ævo. Quo argumento? Claro quidem, è loco Sue-

Suetonii, ut nos eum emendavimus orchestræ non dubio consensu, in Domit. cap. VII. Ex quo clarum, aureum Romani militis stipendium fuisse in menses. At si aureus: ergo non plus XXV. denariis. Abi nunc ad mensularios, & reduc denos in diem asses (ita ut mensis dies habeat triginta) ad denarios XXV. reperies Denarium ipsum planissime valuisse duodecim asses. Quid ergo miraris, si milites pro denis assibus denarium petant: ut quinque scilicet denarios in mensem faciant lucri? At acriter in hanc sententiam pugnat Plinius 33, 3. qui ait in militari stipendio semper denarium pro decem assibus datum. Pugnet, ego eum tam tranquillum reddam, quam alcedo olim mare. Nam Plinius quidem plane à me est. Ea, inquit, severitas disciplinæ militaris fuit, ut quamquam denarii pretio sæpius aucto, miles tamen nihil inde commodi senserit; sed proinde illi in stipendium denarius processerit, quasi si esset tantum assium denum. Ea Plinii mens: aut si alia, de prisca rep. sensit, non de hac Augustæa. Simile prorsus ante annos paucos vidimus in urbe, urbium ocello. Hispani militis in petulanti illa seditione præcipuum postulatum fuit, ut Aureos in solutum acciperet prisca æstimatione, non hac grandi quæ obtinebat. Nec impetravit. sensitque lucri in auri pretio fiscus: quod olim in argenti resp. Romana. Porro quod ad modum hunc stipendii attinet: scire licet eumdem propemodum fuisse Græcis. Daricum enim in menses accipiebant. id est XX. drachmas: in expeditione Cyri, sesquidaricum extorserunt, tantum non per seditionem. Xenophon, lib. I. *Περὶ ἀναβάσεως Κύρου.* *Ὁ Κῦρος ὑπισχνεῖται ἡμιόλιον πᾶσι δώσειν ὃ πρότερον ἔφερον, ἀντὶ δαρεικοῦ, τρία ἡμιδαρεικὰ τοῦ μηνὸς τῷ στρατιώτῃ: Cyrus promittit sesquialterum stipendii prioris & recepti se daturum: ita ut pro Darico in mensem, sesqui-Daricum acciperent singuli.* Et similis de Darico menstruo locus, VII. libro. Melior ergo conditio militis Romani.

G.

Cap. 27. Suetonius id quoque ab Augusto esse ostendit, sed obscurius, cap. XLIX. *Quicquid ubique militum esset, ad certam stipendiorum præmiorumque formulam astrinxit: definitis, pro gradu cujusque, & temporibus militia, & commodis missionum: ne aut ætate aut inopia post missionem solicitari ad res novas possent.* Nam commoda missionum, hanc pecuniam accepit. Sed clarissime Dio, lib. LV. summa etiam præmii expressa: *Χαλεπῶς δὲ δὴ τῶν στρατιωτῶν πρὸς τὴν τῶν ἄθλων σμικρότητα διὰ τοὺς πολέμους τοὺς τότε ἐνεστηκότας οὐχ ἥκιστα ἐχόντων, καὶ μηδενὸς ἔξω τοῦ τεταγμένου τῆς στρατείας σφίσι χρόνου ὅπλα λαβεῖν ἐθέλοντος, ἐψηφίσθη, τοῖς μὲν ἐκ τοῦ δορυφορικοῦ πεντακισχιλίας δραχμὰς ἐπειδὰν ἑκκαίδεκα ἔτη, τοῖς δὲ ἑτέροις τρισχιλίας ἐπειδὰν εἴκοσι στρατεύσωνται, δίδοσθαι: Cum milites præmiorum tenuitatem, ob bella tunc exorta, ægre ferrent, nec facile quisquam extra definitum militiæ tempus arma sumere vellet: decretum est, ut Prætorianis quinque millia drachmarum postquam sedecim annos reliquis tria millia darentur, postquam viginti militassent.* Ex quo loco pronum mihi eluere vetustam Suetonii maculam, Cal. cap. XLIV. *Ceterorum increpita cupiditate, commoda emeritæ militiæ ad sexcentorum millium summam recidit.* Hæc præmia enim haud dubie intellegit. At quomodo constat immanis illa sexcentorum millium summa: si ex Dione verissimum est *τρισχιλίας δραχμὰς* tantum, id est, Romano more, duodena millia nummum destinata iis fuisse? Caligula autem de ea ipsa summa aliquid recidit. Scribe igitur, *ad sex millium summam.* Ea enim veritas: & Caligula dimidium imminuisse putandus est præmii militaris. Prætium operæ est sane hæc loca inter se conferri, & non per caliginem ultra sciri rationem militiæ sub Augusto. Hæc pecunia alio nomine, Emeritum dicta: quia scilicet emeritis debebatur. Modestinus: *Qui militiæ tempus in desertione implevit, emerito privatur.* Et, *Ut veteranus restituetur, & emerita accipiet.* Menander Arrius, *Et præmia & emeritum capiet.* Sueton. in Aug. cap. XXIV. *Alias legiones immodeste missionem postulantes citra commoda emeritorum præmiorum exauctoravit.* ubi malo. *emeritorum & præmiorum.* Commoda justæ militiæ idem scriptor dixit Vitellii cap. XV. *Dilectum ea conditione in urbe egit, ut voluntariis non modo missionem post victoriam, sed etiam veteranorum justaque militiæ commoda polliceretur.* Dio lib. 54. adserere videtur, eam pecuniam adtributam pro agris, his verbis: *Καὶ ἔταξε* (Augustus scilicet) *τά τε ἔτη ὅσα οἱ πολῖται στρατεύσαιντο, καὶ τὰ χρήματα, ὅσα παυσάμενοι τῆς στρατείας, ἀντὶ τῆς χώρας, ἣν ἀεί ποτε ᾔτουν, λήψοιντο: Annos, quot cives in legionibus militarent, definivit; & pecunias, quas soluti militia, pro agris (quos semper petebant) acciperent.* Cui ambigo an adsentiar, quia non semel hic in Tacito & pecuniæ mentio & agrorum.

H.

Describit Vegetius lib. II. cap. X. *Erat etiam castrorum Præfectus licet inferior dignitate, tamen occupatus non mediocribus caussis. Ad quem castrorum positio, valli & fossæ destinatio* (nescio an *designatio*) *pertinebat. Tabernacula vel casæ militum cum impedimentis omnibus nutu ipsius curabantur: præterea ægri contubernales, & medici à quibus curabantur. vehicula, sagmarii, nec non ferramenta quibus materia secatur vel caditur: item ligna vel stramina, arietes, onagri, ballistæ, ceteraque genera tormentorum procurabat aliquando ne deessent. Is post longam probatamque militiam legebatur, ut certe* (potius, *recte*) *doceret alios, quod ipse cum laude fecisset.* Cap. 10.

fecisset. Quæ verba ad lucem hujus loci pertinent, & plurium infra, in quibus de castrorum Præfecto. Cuique autem legioni suus castrorum Præfectus fuit, si tamen tenderet seorsum. Colligo ex Tacito, lib. XIV. *Pœnius Posthumus, præfectus castrorum secundæ legionis.* & Vellejo lib. II. *At è Præfectis castrorum duobus, quam clarum exemplum L. Eggius, tam turpe Cejonius prodidit.* Supra Tribunos militum collocare eos visus noster Histor. secundo in pompa Vitelliana. *Ante aquilam Præfecti castrorum, Tribunique, & primi Centurionum candida veste.* Vir egregius, cujus memoriam amo, colo, in Semestribus suis censuit hunc eumdem esse cum Prætorii Præfecto, & Vespasiani avum etiam auget hac dignitate, quoniam Suetonius scripserit: *Polla patrem habuit Vespasium Pollionem ter Tribunum militum, Præfectumque castrorum.* Abi vir maxime, lucrifac, reliquæ virtutis tuæ caussa, censoriam hanc notam.

I.

Cap. 44. Rebus lætis & militia prospera, ornari signa mos fuit, lauru, floribus, unguentis. Claudianus:

Lætaturque tamen: Mavortia signa rubescunt
Floribus, & subitis animantur frondibus hastæ.

Suetonius Claudii cap. XIII. *Verum intra quintum diem oppressus est, legionibus in pœnitentiam religione conversis: postquam denuntiato ad novum Imperatorem itinere, casu quodam an divinitus, neque signa convelli potuerunt.* Et Orosius eadem de re: *Die dicto ut in unum undique ad novum Imperatorem convenirent, neque aquila ornari, neque convelli quoquo modo signa moverive potuerunt.* Signa ergo in ejusmodi lætitiis obviamque itionibus ornabantur. cui rei adhibita etiam unguenta. Plinius lib. XIII. cap. IV. *Aquilæ certe ac signa pulverulenta illa ac custodiis horrida inunguntur etiam festis diebus. utinamque dicere possemus, quis primus instituisset. Ita est: hac mercede corruptæ terrarum orbem devicere aquilæ.* Nec aliud est, quod noster hic appellat *insignium fulgorem.* Ita lib. XV. *Hinc agmina legionum stetere fulgentibus aquilis signisque, & simulacris in modum templi.* Et Livius etiam lib. XXVIII. *Asdrubal clamore equitum excitatus, ut ex tabernaculo prosiluit, tumultumque ante vallum & trepidationem suorum, & procul signa legionum fulgentia plenosque hostium campos vidit.* etsi paullo aliter id accipio de fulgore argenti, pulvere deterso: quia nondum illo ævo notus luxuriæ mos. Contra in tristitia & rebus artis, signa horrida & incompta. Tacitus in funere Germanici: *Præcedebant incompta signa, versi fasces.* Lib. IV. Histor. *Revulsæ imperatorum imagines, inhexa signa, fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis.* Lib. XV. de fuga Pæti: *Corbulo cum suis copiis apud ripam Euphratis obvius, non eam speciem insignium & armorum prætulit ut diversitatem exprobraret.* Nec plura mihi notata de hoc parum cognito adhuc militiæ ritu. Illud addo, manasse videri à statuis deorum: quas melioribus diebus, unguentis perfundebant, quasi in cultum & honorem. Aquilæ autem nonne dii militares? Cicero IV. in Verrem: *Omnes matronas & virgines convenisse, cum Diana exportaretur: unxisse unguentis, complesse & coronis & floribus.* Arnobius lib. I. *Si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine ordinatum.* ubi malim, *odoratum.* Apulejus I. Florid. *Lapis unguine delibutus.* Seneca Fragmento de Superstitione: *Alius fictor est, alius unctor.* Lapis vetus Romæ: DEINDE. CORONIS. INLATIS. SIGNISQVE. VNCTIS. Vide quæ notavi lib. II. Elect. cap. XVIII.

K.

Res initium habuit non à Julio Cæsare, ut formam esse video, sed ab Augusto. Nam Cæsar Cap. 31.
quidem tributi nomine H-S. quadringenties impofuit Galliæ victæ, uti apud Suetonium & Eutropium in melioribus libris legi: censendi provincialem rationem non ipse, non priores instituerunt ante Augustum. Ille auctor rei. Claudius oratione, quam in Senatu habuit Censor. *Sed districte jam Comata Gallia caussa agenda est, in qua si quis hoc intuetur, quod bello per decem annos exercuerunt Divum Julium: idem opponat centum annorum immobilem fidem obsequiumque, multis trepidis rebus nostris plusquam expertum. Illi patri meo Druso Germaniam subigenti, tutam quiete sua securamque à tergo pacem præstiterunt. & quidem cum ad census* (nescio an, *à censu*) *novo tum opere & inadsueto Galliis ad bellum avocatus esset. Quod opus quam arduum sit, nobis nunc cum maxime, quamvis nihil ultra quam ut publice nota sint facultates nostræ exquiratur, nimis magno experimento cognoscimus.* Ait clare, *Novo tum opere & Galliis inadsueto.* Rem insignem epitoma Livii non tacuit. lib. CXXXIV. *Cum Augustus conventum Narbone ageret, census à tribus Galliis, quas Cæsar pater vicerat, actus.* Idque accidisse ex Dione disco, septimo Augusti consulatu. Ἐς δὲ τὰς Γαλατίας ἐλθὼν ἐνταῦθα διέτριψε. Ἐκεῖνοί τε γὰρ ἐπικηρυκεύσασθαι οἱ ἐδόκουν, καὶ τὰ τούτων ἀκατάστατα ἔτι, ἅτε τῶν ἐμφυλίων πολέμων εὐθὺς ἐπὶ τῇ ἁλώσει σφῶν ἐπιγενομένων, ἦν, καὶ αὐτῶν, καὶ ἀπογραφὰς ἐποιήσατο, καὶ τὸν βίον τόν τε πολιτικὸν διεκόσμησε. *Verum, cum in Gallias venisset, illic substitit. Nam & Britanni missuri jam legatos videbantur, & res Gallorum inquieta etiam, quia subactis illis statim bella civilia erant consecuta. Itaque & censum illorum egit, & vitam remque publicam composuit.* Hujus autem census duplex modus. Videntur enim tributum & in capita contulisse: & in agros, lacus, pecudes, aliasque facultates. Prius illud eleganter ab Ammiano suggestum, lib. XVI. ubi de Juliano Cæsare verba: *Quam profuerit anhelanti-*

 bus

bus extrema penuria Gallis, hinc maxime claret, quod primitus partes eas ingressus pro capitibus singulis tributi nomine vicenos quinos aureos repperit flagitari, discedens vero septenos tantum munera universa complentes. Tertullianus Apologetico: *Sed enim agri tributo onusti, viliores; hominum capita stipendio censa, ignobiliora: nam hæ sunt notæ captivitatis.* Panegyricus scriptor in laudibus Constantini: *Septem millia capitum remisisti quartam amplius partem nostrorum censuum.* & statim: *Remissione ista septem millium capitum, viginti quinque millibus dedisti vires, dedisti opes, dedisti salutem.* iterumque: *Certe & tum liberi parentes suos cariores habent, & mariti conjuges non gravate tuentur, & parentes adultorum non pœnitet filiorum, quorum onera sibi remissa lætantur.* quæ postrema non est ut ullo modo transferas ad capita, quæ vocabant, agrorum. Alias non sum ignarus illud ipsum tributum, quod pro modo agrorum penderent, Capitationem dictam à Jurisconsultis, & Salviano Massiliensi, lib. v. *Plerique pauperculorum atque miserorum spoliati resculis suis, & exterminati agellis suis, cum rem amiserint, amissarum tamen rerum tributa patiuntur: cum possessio ab his recesserit, capitatio non recedit*, scilicet à numero jugorum & capitum quibus agri coluntur. Sed persevero, ut Galli in capita contulerint etiam humana. De agris autem, lacubus, aliisque, quæ obnoxia tributo: habes apud Jurisconsultos De censibus, & Panegyristem illum ipsum: *Jacebat illa civitas non tam innixa Romanis, quam virium defectione prostrata: ex quo eam novi census exanimaverat acerbitas. Nec tamen juste queri poterat, cum & agros qui descripti fuerant haberemus, & Gallicani census communi formula teneremur, qui fortunis nemini possumus æquari.* Utrique censui olim præpositi ex prima nobilitate viri, ut Drusus ab Augusto, Germanicus hic à Tiberio. Videturque ea non exigua dignitas fuisse, ex Tacito, lib. XIV. *Census per Gallias à Q. Volusio & Sex. Africano, Trebellioque Maximo acti sunt, æmulis inter se per nobilitatem Volusio atque Africano. Trebellium dum uterque dedignatur, supra tulere.* In lapide.

Q. MANILIO
C. F. CORDO. T.
LEG. XXI. RAPAC.
PRÆF. EQVIT. EXACT.
TRIBVT. CIVITAT. GALL.
FAC. CVR.
CERTVS. LIB.

Id est, *Exactori tributorum civitatum Galliæ.* Hi census in tabulis perscripti. Dio in vita Caligulæ: Κυβεύων ποτὲ, καὶ μαθὼν ὅτι οὐκ εἴη οἱ ἀργύριον, ᾔτησέ τε τὰς τῶν Γαλατῶν ἀπογραφὰς, καὶ ἐξ αὐτῶν τοὺς πλουσιωτάτους θανατωθῆναι κελεύσας, &c. Unde *Tabulæ censuales* in codice Theodosiano, & Justiniani l. IV. De Agric. & censit. & alibi, Paginæ censuales. Actique videntur singulis lustris. Panegyricus: *Quinque annorum nobis reliqua remisisti. O lucrum omnibus lustris felicius!* aut etiam singulis annis. Nam ecce in Tacito annò post, P. Vitellius & Scantius mittuntur ad census Galliarum, lib. II. Tributum tamen ipsum, videtur olim descriptum fuisse in singulos menses. Docet factum Licinii Procuratoris apud Dionem, qui, ut ait, eo malitiæ pervenerat, ut quoniam singulis mensibus tributum erat Gallis pendendum, quattuordecim definiret anni menses. Vide rem non injucundam, apud optimum scriptorem, quod quidem ad ritus priscos attinet, lib. LIV.

L.

Suetonius non spernit solum sententiam hanc, sed longa & acri disputatione evertit. Cui manus ego nondum do. Quid enim? an vulgus ejus ævi (nam versiculi illi, Caligula principe, statim divulgati sunt) nescíit Imperatoris sui solum genitale? tam impudenti mendacio ludere jus fuit? Non Plinius & Tacitus, ea quæ Suetonius, perviderunt? Scilicet iis cura non fuit inspiciundi Acta? logi. non copia? nugæ. At enim, inquit, natus est Cajus patre suo & C. Fontejo Coss. pater autem Consulatum eum anno toto gessit, & quidem in urbe. Non igitur nasci potuit in castris: quoniam pater demum exacto Consulatu in Germaniam est missus. Primum, Suetoni, quod tu sumis ut datum, fieri potest ut quis illorum jubeat te reponere. ambigo, inquam, utrum illæ meæ partes consentiant consciscantque natum eo anno Cajum esse. Video enim dissentire alios in numero annorum quos dicitur vixisse. Et quid si paullo ante natus sit, cum pater in Germania esset? quid si paullo post? Deinde, mi homo, quæritur quando natus Caligula sit, non quando satus. Nonne ipso patre Consule ut tu vis, nasci potuit in castris? Nec enim opus credo eam ad rem præsentia patris. Nam Germanicum constat ex Dione statim à clade Variana continenter in Germania mansisse, ad hunc usque Consulatum. Suspicari autem probabiliter possum, uxorem, quæ tumida & vicina partui, relictam ab eo in Germania donec uterum posuisset. Nam circumduci in longo itinere feminas, ut prisci dicebant, incientes, non ex more, non ex usu. Potuit ergo nasci in castris, & tamen in Consulatu patris. Sed in Actis reperio, ais, natum eum Antii. Quid si nomen tibi imponit, & Acta de alio quopiam Cajo, filio pariter Germanici, senserunt? Non enim Caligulæ cognomen discriminis caussa, opinor, apponi potuit Actis. quoniam professio apud Acta, nato statim puero fieri solita: cognomen autem illud postea in castris illi datum, à veste. Denique contra tabulas Actorum, Plinii pagina est, & hic noster fidelissimus senex: mihi quidem testis ἐκ τῶν Διὸς δέλτων. Addis amplius, Cap. 41.

ex

ex Augusti epistolis liquere bimulum demum perductum in castra; non ergo ibi natum. Batuis tu, non pugnas: rude, non gladio feris. Quid enim obstat Agrippinam peperisse in Germania, rediisse in urbem mariti sui Consulatu: deinde ipsam & infantem in Germaniam revertisse? Quod Antium prætulerit omnibus secessibus Cajus: quin tu hoc argumento, Tiberium Capreis genitum dicis. Tibure aut Lanuvii Augustum? Itaque quidquid Suetonius conetur; me quidem judice, Hæc pars adhuc, ut in formula Senatoria est, major esse videtur. Cui, præter consulares illos, subscribunt pedanii Senatores, Sex. Victor, & Athenæus lib. IV. cap. VII.

M.

Cap. 75. Provinciarum divisio à Cæsare Augusto in sexto Consulatu facta duplex. Aliæ populo datæ, aliæ Cæsari. In eas quæ populi, proprie dicti Proconsules mittebantur: in Cæsaris, Legati aut Proprætores, qui interdum tamen & Prætores dicti; aut conjunctim Legati proprætores, ut in lapidibus plerumque. Rectorum, & Præsidum nomen generale est: etsi Præses, Præsidialesque provincias, de Cæsarianis reperies etiam, significatione arta. Discrimen inter Proconsules Legatosque multum. Primo, quod ii in populi provincias missi, quæ fere inermes: hi in Cæsaris, quæ copiis instructæ. II. quod illorum annua tantum administratio: (unde in Taciti lib. III. Flamen ait, *quanto facilius se abfuturum ad unius anni proconsulare imperium?* Et Apuleji Florid. II. *Quid nobis cum istis proconsulum vicibus? quid cum annis brevibus & festinantibus mensibus?*) horum longior contractiorve, ut Cæsari visum. III. Proconsules sorte missi. eoque Suetonius Aug. c. XLVII. *ceteras provincias Proconsulibus sortito permisit:* & Tacitus lib. III. *eoque etiam Asia sorte depellendum incusavit:* at Legati, Cæsaris dilectu, ἐκλεχθέντες ut ait Dio. Statius lib. I. Silv.

—— cum tanti lectu rectoris habenas
Gallica fortuna non admirante subisti.

IV. Proconsules statim egressi urbe insignia imperii sumunt (τὰ τῆς ἀρχῆς ἐπίσημα, ait Dio) puta lictores, fasces; nec deponunt, nisi ingressi iterum urbem: at Legati, non antequam provinciam attigerint, & in ipsa provincia deponunt. V. Proconsules pacato habitu, & gladio non accincti fuerunt, (ex instituto quidem Augusti, quod tamen postea mutavit:) Legati, τὴν στρατιωτικὴν στολὴν, id est paludamentum, gestarunt, & gladium, ut quibus jus esset militis animadvertendi. VI. Proconsules sex lictoribus fascibusque usi: quinque dumtaxat Legati qui Consulatum nondum gessissent. Dio auctor, LIII. Septimo, Proconsuli tres Legati fuere: Legato unus. Dio ibidem. Atque hæc discrimina. sed ex iis nihil eruas, cur provinciarum Cæsaris conditio (quod tamen hic ex Tacito clarum) melior pensiorque. Nisi id tamen in bonum provincialium vertit, quod utraque provincia uni credita Legato. ideoque minus onerum in alendo ipso & canibus illis qui tribunal lambunt. Clare Tacitus lib. V. *Is Macedoniam tum intentus Achajam quoque curabat.*

N.

Sed quis olim, quæso, modus lucaris? omnia enim aut pervadit aut tentat nostra curiositas. Vulgaris actoris videntur fuisse denarii quinque. Seneca epist. LXXX. *Ille qui in scena elatus incedit, & hæc resupinus dicit*, Imperito Argis, *servus est, quinque modios accipit & quinque denarios.* Aut certe septem, ut in Icarom. apud Lucianum in loco qui re & verbis Senecæ illi par: Ἐοικότες μάλιστα τοῖς τραγικοῖς ἐκείνοις ὑποκριταῖς, ὧν ἢν ἀφέλῃς τὰ προσωπεῖα, καὶ τὴν χρυσόπαστον ἐκείνην στολὴν, τὸ καταλειπόμενόν ἐστι γελοῖον ἀνθρώπιον, ἑπτὰ δραχμῶν ἐς τὸν ἀγῶνα μεμισθωμένον: *Similes maxime tragicis illis histrionibus, quibus si personas auferas, & auratam illam vestem; quod relinquitur, ridiculus homuncio erit, septem drachmis ad certandum agendumque conductus.* Mutata tamen sæpius res, cum vulgus editoresque multa adderent histrionibus famosis, præter morem. Ideo Tiberius, *Ludorum ac munerum impensas corripuit, mercedibus scenicorum recisis.* & M. Antoninus Imp. *Temperavit scenicas donationes, jubens ut quines aureos scenici acciperent: ita tamen ut nullus editor decem aureos egrederetur.* magno tamen corruptis moribus incremento, si pro quinque denariis ventum ad aureos quinque. Sed Seneca, fortasse & Lucianus, de diurna mercede agunt: Capitolinus de menstrua, aut certe productione tota. Aut denique merces tam ampla ad principes scenæ pertinet, non ad pueros histrionum. Quod ait de editore, video labi virum doctum. hoc jubet Imperator, ut nemo editor, id est Prætor aut magistratus qui ludos præbet, suggerat iis supra decem. estque quasi correctio in capite ejusce legis. Sed unde hæc pecunia? sæpe ab editoribus, sæpe à fisco. Ideo Glossæ. *Lucar*, μισθὸς ἀπὸ φίσκου. Alias, *Lucar*, τὸ θεατρικόν. Plutarchus, τὸ τελούμενον εἰς τὰς θέας. Cap. 81.

ADD. NOTAVI è Capitolino quinque aureos statam mercedem fuisse scenicorum. Adde Scholiastem Juvenalis in illud,

—— victori populus quod postulat aurum.

Ut in theatro, inquit, *solent petere quinque aureos. nam non licebat amplius dare.*

JUSTI LIPSII
AD
C. CORNELII TACITI
ANNALIUM
LIBRUM II.
EXCURSUS.

A.

Cap. 2. Parthorum reges, qui innexi rebus Romanis: ulteriora mihi non sunt curæ.

I. ORODES. Justino, Herodes: Plutarcho, Ὑρώδης. qui vicit Crassum. { PACORUS, à P. Ventidio victus cæsusque. Dio, & alii. PHRAATES; Plutarcho, Phraortes.

II. PHRAATES. cum quo M. Antonius bellum gessit. Teridates eum regno pepulit: sed ipse brevi pulsus, Phraate restituto. cui legitimi filii quattuor. { SARASPADES. CEROSPADES. PHRAATES. VONONES. ejus F. { MEHERDATES.

Unus ex concubina Romana muliere, Thermussa, genitus qui astu matris in Parthis remansit. de quo Joseph. lib. XVIII. cap. III. { PHRAATACES, nothus.

III. PHRAATACES, patris interfector, maritus matris. brevi pulsus, facinorum odio, moritur. Idem Josephus.

IV. ORODES, Josepho, Herodes, nescio cujus proles. cœtu popularium facto cæsus in sacrificio vel venatu, ob crudelitatem. Joseph.

V. VONONES. de quo hic Tacitus, & loco dicto Josephus.

VI. ARTABANUS. non ex recta priorum regum stirpe, tamen Arsacides & Medorum antea rex, ait Josephus. Contra eum rex missus à Tiberio Phraates, de quo supra, Vononis frater. sed in via periit. postea Teridates (nescio cujus proles, nepos tamen Phraatis) qui pepulit Artabanum, iterumque ab eo pulsus. Regnum tenuit ad Claudii principatum.

Ejus filii: { ORODES. qui Armeniæ rex. Tacit. lib. VI. DARIUS. qui Vitelliano fœdere cum Artabano, obses missus Romam. Josephus. Is est quem nominat Suet. Calig. cap. XIX.

VII. GOTARZES. Artabani frater, qui necem ipsi filiisque maturavit. Tacit. lib. XI.

VIII. VARDANES, item Artabani frater. pepulit Gotarzem. Tacit. lib. XII. Vide & Philostratum lib. I.

IX. GOTARZES, iterum, mortuo fratre. Contra eum submissus MEHERDATES, filius Vononis, imperante Claudio. Frustra. victor prælio Gotarzes.

X. VONONES (ignoro stirpem) antea Mediæ rex, lectus accitusque à Parthis, sed brevi & inglorio regno. Tacit. XII. { VOLOGESES. TIRIDATES, sub Nerone Armeniæ rex.

XI. VOLOGESES, vel ut Græci, VOLOGÆSUS; Vononis hujus F. per tempus Neronis. Vixit ad Vespasiani imperium, ut liquet ex Taciti Histor. lib. IV.

B.

Apud Plautum mater familias, Cap. 2.

Obsignate cellas, referte anulum ad me;
Ego huc transeo in proximum ad meam vicinam.

Et alibi servus:

Isti parcipromi qui salinum servis obsignant cum sale.

Plinius XXXIII. *At nunc cibi quoque & potus anulo vindicantur à rapina.* Ab hoc more Martialis lib. IX.

Septem

Septem post calices Opimiani
Denso cum jaceam triente lasus,
Adfers nescio quas mihi tabellas,
Et dicis, Modo liberum esse jussi
Zenam, servulus est mihi paternus.
Signa. cras melius, Luperce, fiet:
Nunc signat meus anulus lagenam.

Et simile, quod mater Ciceronum amphoras vinarias signare solita etiam inanes, Clemens lib. III. Pædag. feminis Christianis talem anulum dat: Δίδωσιν οὖν (ὁ παιδαγωγὸς) αὐταῖς δακτύλιον ἐν χρυσίῳ, οὐδὲ τοῦτον εἰς κόσμον, ἀλλ' ἐν τὸ ἀποσημαίνεσθαι τὰ οἴκοι φυλακῆς ἄξια, διὰ τὴν ἐπιμέλειαν τῆς οἰκουρίας. Εἰ γὰρ οἱ πάντες ἦσαν παιδαγωγούμενοι, οὐδὲν τῶν σφραγίδων ἔδει, ἐπίσης ὄντων δικαίων καὶ οἰκετῶν καὶ δεσποτῶν. Ἐπεὶ δὲ ἡ ἀπαιδευσία πολλὴν ἐνδίδωσι ῥοπὴν εἰς ἀδικίαν σφραγίδων ἐδεήθημεν: *Tribuit etiam feminis anulum aureum, non hercle ad ornatum, sed ad signandum ea qua domi custodienda sunt, propter curam domesticam qua illis incumbit. Si enim omnes à pedagogo recte instituti essemus, supervacua essent signacula, omnibus ex aquo bonis, servis dominisque. Sed quoniam aut nulla aut mala institutio caussam magnam prabet injuria, opus habuimus sigillis.*

Ubi vides etiam illo ævo morem priscum. Anulos ejusmodi signatorios (ferreos tamen, ut appareat servorum fuisse, aut vulgarium militum) complures erutos ipsi vidimus in Batavis, cum adjuncta clavi. ad duplicem scilicet usum, signandi aperiendique. Eorum hæc forma, magnitudine minimissimi digiti. Plinius Iliacis temporibus ignotum anulorum usum fuisse docet, *quoniam conditas arcis vestes vasaque aurea & argentea, & ea colligata nodi non anuli nota Homerus indicat.* Versus Homeri, quos respexit, sunt, Odyss. 9.

Αὐτὸς νῦν ἴδε πῶμα, θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλον,
Μέτις τοι καθ' ὁδὸν δηλήσεται.

Ad hos anulos pertinere velim, Valerii locum lib. VII. cap. ult. *Insuperque anulos suos ei tradidit: videlicet ne quid ex ea hereditate, quam non erat aditurus, amitteret. Quos ocyus vir diligens, sed morientis amici plenum contumelia ludibrium, in locellum repositos & à prasentibus obsignatos diligentissime, heredibus illius exheres ipse reddidit.*

C.

Exemplum credo esse à Persis, quibus in militia, Aquila præcipuum & regale signum. Cap. 17. Xenophon de Expeditione Cyri lib. I.. Καὶ τὸ βασίλειον σημεῖον ὁρᾶν ἔφασαν, ἀετόν τινα χρυσοῦν, ἐπὶ πέλτης, ἐπὶ ξύλου ἀνατεταμένον. Et Pædia Cyri, lib. VII. Ἦν δὲ αὐτῷ τὸ σημεῖον ἀετὸς χρυσοῦς ἐπὶ δόρατος μακροῦ ἀνατεταμένος. Καὶ νῦν δὲ ἔτι τοῦτο τὸ σημεῖον τῷ Περσῶν βασιλεῖ διαμένει: *Erat autem ei signum, aurea aquila in longa hasta suspensa. & nunc etiam id insigne Persarum regibus manet.* Sed diversa tamen ea paullum ab aquila Romanorum. Nam hæc non aliud, quam modica ex argento aquila, quæ summæ hastæ insistebat, alis expansis, pede fulmen aureum tenens. Ita, præter M. Antonii nummos, etiam Dio describit lib. XLIII. de prodigiis ante pugnam Mundensem: Οἱ δὲ δὴ ἀετοὶ τῶν στρατοπέδων αὐτοῦ, τάς τε πτέρυγας σείσαντες, καὶ τοὺς κεραυνοὺς, οὓς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν τινες χρυσοῦς ἔφερον, ἐκβαλόντες, ἐκείνῳ τε τὸ κακὸν ἄντικρυς ἐνέσκηπτον, καὶ αὐτοὶ πρὸς τὸν Καίσαρα ἀπεπέτοντο: *Aquila legionum ejus, alas concutientes, & fulmina, qua nonnulla earum aurea pedibus tenent, abjicientes, Pompejo exitium palam denunciabant, ipsaque ad Casarem quasi avolabant.* Dixi modicam fuisse. collige ex his Flori verbis lib. IV. *Tertiam aquilam signifer, priusquam in manus hostium veniret, evulsis, mersamque intra baltei sui latebras gerens in cruenta palude delituit.* Neque enim baltei latebris tegi potuisset aquila admodum magna. Vide Militiam nostram.

D.

Statius: Cap. 26.

——— *Laurumque superbam*
In gremio Jovis excisis deponere Pœnis.

Idem:

——— *Et nondum gremio Jovis Indica laurus.*

Dixi in fascibus lictorum: & eum ritum clare ponit Dio LIV. de Augusto: Καὶ ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνελθὼν, τήν τε δάφνην ἀπὸ τῶν ῥάβδων περιεῖλε, καὶ ἐς τὰ τοῦ Διὸς γόνατα κατέθετο: *Et in Capitolium conscendens, laurum à fascibus abstulit, & in Jovis genibus deposuit.* Sicut & Julius Obsequens: *C. Antonius cum in agro Pistoriensi Catilinam vicisset, laureatos fasces in provinciam tulit. Apparuit eum hostibus portendisse victoriam, cum ad eos laurum victricem tulerit, quam in Capitolio debuerat deponere.* Recte ergo in Plinio scriptum: *Fasces imperatorum laurus decorat, ex his in gremio Jovis optimi maximi deponitur, quotiens latitiam nova victoria adtulit.* nec recte mutavit è libro vetere, ut ait, vir doctus, *ex hinc in gremio.* Senecam turpi nota deformavit quicumque nebulo ignarus hujus ritus. Consolatione ad Elbiam, cap. X.

Scilicet minus beate vivebat Dictator noster, qui Samnitum legates audiit cum vilissimum cibum in foco manu sua versaret, illa, qua tam sæpe hostem percusserat, lancemque in Capitolini Jovis gremio reposuerat: quam Apicius nostra memoria vicit, qui, &c. & molestiam objecit quærendæ lancia, quam numquam invenies. Libri aliquot, *lanceamque.* Emendo, *laureamque.* verissime ad hunc triumphi morem, sequentia etiam scribe, *quam Apicius nostra memoria vixit*, non, *vicit*: & sententia omnis clara. Ne hæreas, simillimus de hisdem Fabriciis Panegyristæ locus Laudatione Theodosii: *Curii, Coruncanii, Fabricii, cum induciæ bella suspenderant, inter aratra vivebant: & ne virtus quiete languesceret, depositis in gremio Capitolini Jovis laureis, triumphales viri rusticabantur.* Sed & laurea etiam deposita sine justo triumpho. ut in Sueton. Domitian. cap. VI. *De Sarmatis lauream modo Jovi Capitolino retulit.* Itemque Nero ob Teridatis in urbem adventum, *Imperator consalutatus, laurea in Capitolium lata*, in eodem Suetonio cap. XIII.

E.

Cap. 27. L. SCRIBONIUS LIBO, qui Consul cum Antonio, anno DCCXIX. Uxor incerta. Ex his
{ SCRIBONIA, quæ nupsit SEX. POMPEJO, filio Magni, per bellum Siculum. Dio, Appian. Ex his
{ POMPEJA, quæ desponsata M. MARCELLO, pignus pacis cum Triumviris initæ. sed non deducta. Nupsit, ut conjicio, post SCRIBONIO LIBONI. ex quis
{ L. SCRIBONIUS LIBO, qui consul initio lib. hujus. SCRIBONIUS LIBO DRUSUS. de quo hic, qui tantum Prætor.

SCRIBONIA, ejus soror, uxor OCT. AUGUSTI, Ex his
{ JULIA, cui maritus VIPSANIUS AGRIPPA. Ex his
{ CAJUS } LUCIUS } Cæsares.
JULIA, nupta L. Paullo.
AGRIPPINA, nupta Germanico.

SCRIBONIUS LIBO, de quo nihil legi. } SCRIBONIUS, de quo nihil. { SCRIBONIUS LIBO, quem volo maritum Pompejæ fuisse.

Priores duæ lineæ hujus generis veræ, & ex historia Dionis, Appiani, collectæ. Tertia à sola conjectura est. sed aliter de amita Scribonia explicari à me non potest. L. Scribonium Libonem, qui consul fuit hoc ipso anno quo damnatus adolescens, non patrem ejus fuisse sed fratrem, ex narratione Taciti liquet. Patrem enim nusquam nominat: nominat fratrem. Hunc fuisse arbitror à quo Scribonia lex denominata: quem vir magnus Jac. Rævardus in libello singulari ad eam legem imperite confudit cum isto qui nunc reus.

F.

Cap. 30. Græci διοικητὰς, πραγματευτὰς vertunt. Itaque fere cum Procuratoribus æquiparantur: sic tamen ut minus late vagetur eorum potestas. Plinius in laudatione Trajani: *Dicitur actori; atque etiam procuratori suo, In jus veni, sequere ad tribunal.* Idem lib. III. epist. ad Calvisium: *Deinde quod non minus utile quam voluptuosum, posse utramque eadem opera, eodem viatico invisere, sub eodem procuratore ac pæne iisdem actoribus habere.* Salvianus Massilienses: *Pavent quippe actores, pavent silentiarios, pavent procuratores: prope ut inter istos omnes nullorum minus servi sint, quam dominorum suorum*, In marmore prisco:

HERCVLI. DEFENSORI
PRO. ITV. ET REDITV
D. CLODI. SEPTIMI
ALBINI. CÆSARIS
D. CLODIVS. D. L.
FELIX
ACTOR. CÆS. N. D. D.

id est, *Actor Cæsaris nostri dedicavit.* Sic Actores prædiorum, l. XVI. C. De procuratoribus. Actores rerum, l. ult. D. De offic. præsid. & in Suetonii Domitiano cap. XI. Actorem summarum rite fortasse reposuit Torrentius. Certe enim pecuniæ recipiendæ & expendendæ præerant. Apulejus lib. II. *Philodespotum requiris actorem* (ita è codice scripto Giselini nostri legimus, cum male adhuc *auctorem.*) *eique præcipis, bono custodi redderes sine mora præmium.* Ut ergo isti in privata familia; sic & in rep. Actores. de quibus Plinii locum correctum imputo juventuti. lib. VII. Epistola ad Caninium: *Equidem nihil commodius invenio, quam quod ipse feci. Nam pro quingentis millibus nummum, quæ in alimenta ingenuorum promiseram, agrum ex meis longe pluris exactori* (corrigo inquam, *actori*) *publico mancipavi, eumdem vectigali imposito recepi, tricena millia annua daturus.* quibus verbis nihil clarius potest ad Taciti mentem. Ut enim ibi ager Actori publico mancipatur: sic hic servi. Vide quæ de reip. servis scripsi libro Electorum, cap. XXII. & adde (quod tunc me fugit) de appellatione eorum à magistratibus, Varronis insignem locum, quem secius accepit vir doctus: Lib. VII. De lingua Latina: *Nomina habent plerique liberti à municipio manumissi: in quo, ut societatum & fanorum servi non servarunt proportionem & rationem. Et Romanorum liberti debuerunt dici, ut à Faventia Faventinus*

nus, à Reate Reatinus, sic à Roma Romanus; ut nominantur libertini à libertis orti, & è publicis servis populi Romani, qui manumissi antequam sub magistratuum nomina, qui eos liberarunt, succedere cœperunt. Dicit Varro. Servi publici manumissi, dicti sunt liberti populi Romani, uti reapse erant: manumissi quidem, priusquam ambitiosa hæc consuetudo invalésceret nominandi à magistratibus. Nam ecce cœperunt à Consule quopiam aut Prætore, Cornesiani dici, Gelliani, Clodiani. Et adde istis, quæ notavi ibi. Ille amicus noster ad successiones refert & testamenti factionem. Acute. sed quo tam acute?

G.

Cap. 32. ANno urbis DCXIV. *M. Popillio Lanate, Cn. Calpurnio Coss. C. Cornelius Hispallus Prætor edicto Chaldæos intra decimum diem abire ex urbe atque Italia jussit: levibus atque ineptis ingeniis, fallaci siderum interpretatione, quæstuosam mendaciis suis caliginem injicientes.* ait Valerius libro primo. Anno DCCXXI. M. Agrippa Ædilis τοὺς ἀστρολόγους καὶ τοὺς γόητας ἐκ τῆς πόλεως ἐξήλασε: *astrologos & vates urbe ejecit;* auctor Dio XLIX. in extremo. Iterum anno DCCLXI. ab Augusto interdictum severe omni vaticinio ac prædictione, notat idem Græcus lib. LVI. Sed serio inprimis & cum cura ea res habita, hoc anno. Senatusconsulti, quod factum, formam & verba certo repperi in Fragmentis Jurisconsultorum, quæ dedit nuper doctissimus P. Pithœus. Ait ibi Ulpianus, lib. VII. de offic. Proconf. *Præterea interdicta est* (ita legit Pithœus) *Mathematicorum callida impostura & obstinacitate persuasio. Nec hodie primum interdici eis placuit, sed vetus hæc prohibitio est. Denique exstat S. C. Pomponio & Rufo Coss. factum, quo cavetur, ut Mathematicis, Chaldæis, ariolis, & ceteris qui similem in certum fecerunt* (Pithœus, *similem artem:* ego legerim, *similem cœtum*, sive, *quæstum*) *aqua & igni interdicatur, omniaque bona eorum publicentur: & si externus gentium qui si id fecerit, in eum animadvertatur.* Dico Domitium intellegere Sc. hoc ipsum. At enim ille refert ad Pomponium & Rufum Coss. hoc autem anno Taurus & Libo Coss. fuerunt. Non hoc novum, ut inter scriptores anni unius discrimen sit. Cælius enim Rufus, & L. Pomponius, Consules fuerunt sequenti hunc anno. Addit Ulpianus alia, quæ ad cognitionem istam: *Sæpissime denique interdictum est fere ab omnibus principibus, ne quis omnino hujusmodi ineptiis se immisceret: & varie puniti sunt hi qui id exercuerunt, pro mensura scilicet & consultationis* (legerim, *sceleris & consultationis*, vel inducta copula, *scilicet consultationis.*) *Nam qui de Principis salute, capite puniti sunt, vel qua alia graviore pœna adfecti.* Non omittam oraculum nostri vatis, de his vanis vatibus: *Mathematici genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax: quod in civitate nostra & vetabitur semper, & retinebitur.*

H.

PLautus,

——— *credo ego istoc exemplo tibi* Cap. 32.
Esse eundem actutum extra portam, dispessis manibus
Patibulum quom habebis.

Itaque & carnifex domicilium habuit extra urbem. Cicero, pro Rabirio perduellionis reo: *Sed mereretur prius acerbissima morte millies Gracchus, quam in ejus concione carnifex consisteret. quem non modo foro, sed etiam cælo hoc ac spiritu Censoria leges, atque urbis domicilio carere voluerunt.*
Ideo Plautus,

——— *extra portam Metiam currendum est prius,*
Lanios inde accersam duo cum tintinnabulis.

intelligit enim carnifices, quorum extra eam portam domus, ad solemnem suppliciis locum. Imo & Coriarii ac Vispelliones urbe submoti, à pari caussa. Morticina enim tractant. Artemidorus lib. I. cap. LIII. Τὸ δὲ βυρσοδεψεῖν, πᾶσι πονηρόν. νεκρῶν γὰρ ἅπτεται σωμάτων ὁ βυρσοδέψης, καὶ τῆς πόλεως ἀπῴκισται: *Coriariam exercere, malum omnibus. Corpora enim mortua attrectat cerdo, ideoque ab urbe secluditur.* Sed quid est quod Tacitus hic diserte nominat Esquilinam? non temerarium est. nec facile reperies, ut ego censeo, ubi supplicii res, nominari portam aliam: nisi tamen Metiam, ut iterum apud Plautum:

Illum edepol videre ardentem te extra portam
Metiam,
Credo vcastor velle.

Sed profecto quæ Metia Plauto, eadem est cum Esquilina. argumento loci de suppliciis, tum numeri situsque portarum urbis. Idque ante me censuisse audio Octavium Pantagathum, virum magnum, altum, & qui esse doctus eligeret quam videri. Non, inquam, reperies aliam nominatam ab istis, nisi forte Collinam in Vestalinm morte. quod aliud à supplicio vulgato. Facit ad portam Esquilinam, quod Suetonius in Claudio scripsit: *Civitatem Romanam usurpantes in campo Esquilino securi percussit.* quod Horatius, anus illas lapidatas in Esquiliis abjicit:

Vos turba vicatim hinc & hinc saxis petens
Contundet obscenas anus.
Post insepulta membra different lupi.
Et Esquilinæ alites.

Itaque & Puticuli ibi, quo vilium damnatorumque hominum cadavera projiciebantur. Varro, Festus, aliique. Ibidem locum fuisse, qui Sestertius diceretur, infra docebo.

Byssi

I.

Cap. 33. Byssina, è lino; Bombycina, è verme; Serica, ex arborum lana, confectæ. Bombycina eadem est cum Cea sive Coa (nihil enim interest) manetque hodie: reliquarum nihil superest præter nomen. Byssum cum Serico, imperite confundit Philostratus lib. II. & vult ex arbore Indica nasci, quæ altitudine quidem populos æquet, foliis salici non absimilis. Sericum debuisset dicere. Nam Byssus è terra gignitur ut linum, circa Elidem præcipue, Achaiæ urbem. Eadem imperitia Bombycinam, Sericam facit Isidorus lib. XIX. Si tamen imperitia est, & non recepta opinio inferioris ævi. Nam & Zonaras in Justiniani vita scribit *ejus temporibus telam sericam à Romanis* (id est Græcis Byzantinis) *texi cœptam, cum antea à Persicis mercatoribus tantum importaretur, nec Romani scirent fila illa esse vermium.* Et addit duos monachos ova illa vermium ex India attulisse, & mori foliis aluisse, & inde sericum confecisse. Otho item Frisingensis in historia Friderici lib. I. ait Rodericum Siculum expugnatis in Græcia Athenis, Corintho, Thebis, opifices qui sericos pannos texebant deduxisse captivos, & in Siciliæ urbe Palermo collocasse. Inde factum ut quam textrinam prius soli Græci inter Christianos habuerint, cum Romanis communicata sit ingeniis. Nec abhorrent ab hac sententia Pausanias, Pollux, Servius. At magis veteres discriminant clare: & lanam arborum esse Sericum volunt, apud Seres Indos. Virgil.

Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.

Plinius: *Seres lanicio silvarum nobiles, perfusam aqua depectentes frondium canitiem.* Seneca poëta:

Quæ fila ramis ultimi Seres legunt.

Marcellinus lib. XXIII. *Apud Seras sublucida silva, in quibus arborum fœtus aquarum aspergiuibus crebris velut quædam vellera mollientes, ex lanugine & liquore mixtam subtilitatem tenerrimam pectunt, nentesque subtemine conficiunt sericum.* De his Seneca, lib. VII. De beneficiis: *Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est quo defendi corpus, aut denique pudor possit, quibus sumptis, mulier parum liquido nudam se non esse jurabit. Hæc ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur, ut matronæ nostræ ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quam in publico ostendant.* Pellucebant enim tenerrima, ut Ammianus loquitur, subtilitate. Ideoque quotiens pellucidam vestem, pellucentem togam, taliaque legis: capito de Serica, aut Coa. Juvenalis:

Acer & indomitus libertatisque magister
Cretice pelluces.

ceperim de Serica. Tibullus, de Bombycina:

Illa gerat tenues vestes, quas femina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias.

& Horatius: *altera nil obstat Cois tibi.* Serica quando venerint in usum, planissime non scio. suspicor Julii Cæsaris ævo, (nam ante non invenio) qui etiam ludis theatrum totum velis contexit sericis. ut ex quorumdam fide Dio refert lib. XLIII. Eam vestem etiam Medicam dictam, scriptum reliquit Procopius. Genera ejus facta postea Holoserica, Subserica, ususque primus Holoserica, Eligabalus. de quo adi scriptores historiæ Augustæ.

K.

Quod ait, pedibus intectis: non plane verum est, sed in comparatione cum calceis Romanis. qui altiusculi, non solum imos pedes, sed tibias velabant crure tenus. Horatius: Cap. 59.

——— *nigris medium impedit crus*
Pellibus.

Titinius in Setina: *Jam cum mulleis te ostendisti, quos tibiatim calceas.* Tertullianus de Pallio: *Impuro cruri purum aut mulleolum inducit calceum.* Et exstat exemplum hodie in calceis Turcarum Pannoniorumque. At crepidæ, soleæ, plantarum calces tantum imas tegebant, ceteris fere nudis. Ideo bene noster, *pedibus intectis.* Hunc sensum firmat ipse, dum subdit: *P. Scipionis æmulatione, quem eadem factitavisse apud Siciliam accepimus.* Scipio autem ibi crepidatus. Livius: *Ipsius etiam Imperatoris non Romanus modo, sed ne militaris quidem cultus jactabatur; cum pallio crepidisque inambulare in gymnasio.* Quod tamen molle & effeminatum censebatur: & Manilius delicatos insignit hac nota.

Feminea vestes, nexa sine tegmine planta.

Ut Scaliger emendavit etsi vetus lectio, *nec insunt tegmina*: ex qua tentabam, *nec in usum tegmina.* Dionem etiam non aliter exaudio, de Caligulæ ludis: καὶ ἔξω καὶ ἀνυποδήτοις βουλομένοις θεάσασθαι, νομιζόμενον μέν που ὑπὸ τοῦ πάνυ ἀρχαίου, καὶ δικάζειν τινὰς ἐν τῷ θέρει οὕτως, καὶ πολλάκις καὶ ὑπὸ τοῦ Αὐγούστου ἐν ταῖς θερειναῖς πανηγύρεσι γινόμενον, ἐκλειφθὲν δ' ὑπὸ τοῦ Τιβερίου. id est: *Volentibus etiam discalceatis spectare permissum quod usitatum olim; ut etiam quidam judicia hoc habitu æstatis tempore exercuerint, & ipse Augustus ita sæpe spectarit æstivos ludos. omissum tamen à Tiberio.* Ubi ἀνυποδήτους vere verteris, soleatos aut crepidatos. quomodo etiam convivia frequentabant Romani, calceis (qui inter forensia censebantur) omissis. In omni ergo remissione, per convivia, per ludos, per otium, Romani soleati. Nota etiam Ciceronis increpatio in Verrem, qui in littore soleatus: & in Antonium, qui Gallicis indutus.

L.

Mos qui publice obtinebat, privatimque. Publice, Livius lib. XXXVI. *Consulti feciales* Cap. 70.

les M. Acilio Consule, num prius Ætolis renuntianda amicitia esset, quam bellum inferendum. Lib. XLIII. *Missi legati Perseo amicitiam renuntiarunt.* Privatim, infra lib. VI. *Morem fuisse majoribus quoties dirimerent amicitias, interdicere domo, eumque finem gratiæ ponere.* Lib. III. *Quamquam non ultra foret sævitum, quam ut amicitia Cæsaris prohiberetur.* Suetonius Aug. cap. LXVI. *Cornelio Gallo ob ingratum & malevolum animum domo & provinciis suis interdixit.* Idem in Claris Grammat. de Curtio Nicia: *Pompejum offendit, domoque ei interdictum est.* Sic Badius Campanus apud Livium XXV. palam omnibus renuntiat hospitium Crispino. Atque hoc est, quod Cicero inimicitias denunciare ait, pro L. Flacco: *Etenim cum à clarissimis viris justissimas inimicitias sæpe cum bene meritis civibus depositas esse vidissem: non sum arbitratus quemquam amicum patriæ novas huic inimicitias nulla accepta injuria denuntiaturum.* Seneca epist. LXXVII. *Inimicitias mihi denuntias, si quidquam ex iis quæ cottidie facio, ignoraveris.* Idem, quod indicere inimicitias Seneca lib. III. De ira: *Quid juvat tanquam in æternum genitos iras indicere & brevissimam ætatem dissipare?* Unde inimicitiæ indictæ, ut indictum bellum. Sidonius lib. VII. *Inimicitias indictas honeste exerces, tarde credis, celeriter deponis.* Item Inimicitiæ testatæ, quasi quæ litterarum testimonio signatæ: Valerius lib. IV. *Acerrime cum Scipione Africano Macedonicus dissenserat, eorumque ab æmulatione virtutis profecta contentio ad graves testatasque inimicitias progressa fuerat.* Nec aliud censeo, cum legimus inimicitias ex professo. Huic aperto mori utinam his moribus locus! Sed ut omnia vitia nostro ævo; sic fraus, simulatio, dolus succrevit, & pessimum amicitiæ venenum blanditiæ fallaces. Novimus nos ejusmodi stelliones, qui amicos quibus arrident mox arrodunt: & quibus nulla spes famæ est, nisi in labe famæ alienæ. Datum est nobis grande *exemplum præcavendi, quomodo fraudibus involutos aut flagitiis commaculatos sic specie bonarum artium falsos, & amicitiæ fallaces,* ut vere dixit noster vates.

M.

Cap. 75. Quid vocat *lætum cultum*? Vestemne albam, posita nigra? an aurum & ornamenta, quæ in luctu ponebant feminæ, eoque finito recipiebant? non tam proclive id statuere, propter veteres, scriptores, qui hac in re sententiis diversi. Dionysius lib. VIII. nigram vestem feminis attribuit. Γυναῖκες Ῥωμαίων, ἀνόμῳ ἐστὶν αὐταῖς ἐπὶ τοῖς ἰδίοις καὶ ἀναγκαίοις πολλὴν πένθεσιν, ἀποθέμεναι χρυσόν τε καὶ πορφύραν καὶ τὸν ἄλλον κόσμον, μέλανα ἀμφιεσμοῖς χρώμεναι τὸν ἐνιαύσιον ἐπένθησαν χρόνον. Apud Suidam incertus scriptor, de Marcii funere: Καὶ αἱ γυναῖκες ἀποθέμεναι χρυσὸν καὶ τὸν ἄλλον κόσμον, καὶ μέλανα ἀμφιεσμοῖς χρησάμεναι, καὶ πενθήσασαι ἐνιαύσιον χρόνον. Et Varro clare lib. III. De vita populi Romani, *ut dum supra terram esset, ricinis lugerent: funere ipso, ut pullis palliis amictæ.* Ibidem. *Propinqua ambracinis, proxima amiculo nigello, capillo demisso sequerentur lectum.* Valerius lib. I. cap. I. De Cannensi clade. *Itaque matres ac filiæ conjugesque nuper interfectorum, abstersis lacrimis, depositisque doloris insignibus, candidam induere vestem & aris dare thura coactæ sunt.* At alii ecce consensu, albam. Herodianus in funere Severi: Αἱ γυναῖκες λιτὰς ἐσθῆτας λευκὰς ἀμφιεννύμεναι σχῆμα παρέχουσι λυπουμένων. Statius in Lacrimis Etrusci:

Huc vittata comam, niveoque insignis amictu
Mitibus exsequiis ades.

adsignat, ut vides, niveam vestem, quia mulier. Sed clarissime Plutarchus: Διὰ τί λευκὰ φοροῦσιν ἐν τοῖς πένθεσιν αἱ γυναῖκες ἱμάτια, καὶ λευκοὺς κεκρυφάλους; & vide apud eum caussas. Quid statuemus in dissensu tam aperto? pacem. quam facile conficio ex temporum ratione. Variatum scilicet hac in re apud Romanos fuit. Priscis temporibus dum resp. vixit & libertas, nigræ vestes etiam feminis in luctu. id docent ii scriptores, qui omnes consentiunt in narratione moris qui illo ævo. At sub Impp. rep. exstincta, in usum venerunt lugubrium, albæ. docent ii alterius classis testes, qui non id referunt nisi de temporibus secutis. Hoc nisi tenes, numquam erit ut solvas eum nodum. Sed quæ caussa hujus mutationis? Credo, divitiæ & luxus. Matronis antiquis color albus & niger cogniti: iisque solis, vel præcipuis usæ. At post sericam traductam vestem, & vulgatam Coam; post galbanam, cæruleam, amethystinam, & tot genera reperta colorum, rarus dignioribus feminis albi usus. spretus inquam, (quod ex poëtis facile disces) contemptusque color albus, adeo ut nota luctus fuerit superbo sexui, eum induisse. Hoc constanter censeo. movet me leviter Appuleji locus lib. II. qui inferiori illo ævo, *matronam flebilem fusca veste contectam* describit, non ut debuit, alba: nec tamen demovet, quia aut priscum ritum in animo habuit, ut solet, Appulejus; aut aliud in provinciis fuit, ubi id gestum. more Græciæ videlicet retento, apud quos feminæ in luctu nigræ.

ADD. Pro veste nigra Tibullus clare est, lib. III.

Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incinctæ nigra candida veste legant.

At Livius suspicionem facit, nihil in veste mutatum: sed dumtaxat in mulicbri mundo. Valerii certe Tribuni in legem Oppiam verba apud eum sunt, l. XXXIV. *Mulieres quid aliud in luctu, quam purpuram atque aurum deponunt? quid cum eluxerunt, sumunt?* Nam quod Festus tradidit lugentes in pellibus fuisse, αἰνιγματῶδες est. *Pellem,* inquit, *habere Hercules fingitur, ut homines cultus anti-*

antiqui admoneantur. Lugentes quoque diebus luctus in pellibus sunt. Nihil tale reperio, nisi consentis mihi magne Festi interpres, (te, Scaliger, appello) ut accipiam de laneis vittis: quas mulieres in luctu sumpsisse è variis scriptorum locis certum An hoc mavis insititium illud emblema à Paullo esse? qui respexerit scilicet ad Barbaricum morem sui ævi. quo etiamnunc apud nos receptum, pelles extremis oris vestium assui in luctu. Tu nos doce.

N.

Cap. 85. Plinius, *Scutis qualibus ad Trojam pugnatum est, continebantur imagines. unde & nomen habuere clypeorum, non ut perversa Grammaticorum subtilitas voluit à Cluendo.* Scuta autem apud Homerum, forma orbis. Livius lib. xxv. in cetera præda Hasdrubalis clypeum argenteum repertum ait, cum imagine ipsius. Suetonius Domitiano: *Senatus adeo lætatus est, ut repleta certatim curia, scalas etiam inferri, clypeosque & imagines ejus coram detrahi, & ibidem solo affligi juberet.* Capitolinus in Antonino: *Ceteris honoribus refutatis, clypeum Hadriano magnificentissimum posuit, sacerdotes instituit.* Trebellius in Claudio: *Illi clypeus aureus, vel ut Grammatici loquuntur, clupeum aureum, Senatus totius judicio in curia collocatum est, ut etiam nunc videtur.* Quod ait Grammaticos malle, *clupeum*: verum est & puto in Capro legisse, *Clupeum, imago: Clipeus, ἀσπίς.* Sed & Livius Grammaticis paruit, l. xl. *Ab his columnis, quæ incommode posita videbantur signa amovit: Clypeaque de columnis & signa militaria affixa dempsit.* In monumento prisco. HVIC. DECVRIONES. FVNVS. PVBLICVM. STATVAM. EQVESTREM. CLYPEVM. ARGENTEVM. LOCVM. SEPVLTVRÆ. DECREVERVNT. Nec tamen semper hi clypei cum effigie: sæpe sine ea, cum nudo nomine ponentis, & cui ponebantur: sive etiam cum ponendi caussa. Philo Judæus egregie, De legat. ad Cajum: *Πιλάτος ἦν τῶν ὑπάρχων ἐπίτροπος ἀποδεδειγμένος τῆς Ἰουδαίας. Οὗτος οὐκ ἐπὶ Τιβερίῳ μᾶλλον, ἢ ἕνεκα τοῦ λυπῆσαι τὸ πλῆθος, ἀνατίθησιν ἐν τοῖς κατὰ τὴν ἱερόπολιν Ἡρώδου βασιλείοις ἐπιχρύσους ἀσπίδας, μήτε μορφὴν ἐχούσας μήτε ἄλλο τι τῶν ἀπηγορευμένων, ἔξω τινὸς ἐπιγραφῆς ἀναγκαίας, ἣ δύο ταῦτα ἐμήνυε, τόν τε ἀναθέντα, καὶ ὑπὲρ οὗ ἡ ἀνάθεσις.* Nec vero publicè solùm hos clypeos, sed & privatim sibi quisque ponebat. Plinius, *Suorum verò Clypeos in sacro vel publico privatim dicare primus instituit Ap. Claudius, qui Consul cum Servilio fuit, anno urbis* CCLIX. & quæ sequuntur, reperioque exemplum clypei privati in lapide veteri:

NESTORI
AVG. NEPETE
HIC. LVDOS. FECIT
ET. DEDICATIONE
STATVÆ. PATRONI
QVAM. IPSE. POSVIT.
ET. CLVPEI. SVI. ITERVM
MVNICIPIBVS. NEPESINIS.
EPVLVM. DEDIT.

O.

Quæ tamen professio irrita facta postea ex nova lege: eleganterque ad hanc rem Papinianus l. x. De adult. *Mulier quæ evitandæ pœnæ adulterii gratia lenocinium fecit, aut operas suas scenæ locavit, adulterii accusari damnarique Senatusconsulto potest.* Sed apud Ædiles cur ea professio? Cap. 85. non apud Censores, aliosve? quia comperior ab antiquo Ædilibus curam fuisse fornicum, popinarum, locorum eorum in quibus Honos non colitur aut Virtus: itemque personarum, quæ sæpius in iis locis, quam in templo Mariano. Ideo Seneca, ut solet, eleganter: *Invenies voluptatem circa balnea & sudatoria, ac loca Ædilem metuentia.* id est, fornices & popinas. Et illuc alludens Justinus scribit, Dionysium *apud Ædiles adversus lenones jurgari* solitum, lib. xxi. Itaque Ædilibus curæ nosse publica scorta, habere ea in tabulis, ut sic dicam, & albo: & si quam vulgantem se, extra eum numerum nacti, multabant. Livius lib. x. *Eo anno Q. Fabius Gurges Consulis filius* (is autem tunc Ædilis) *aliquot matronas ad populum stupri damnatas pecunia multavit.* Nec pecunia solum, sed & exsilio. Idem lib. xxv. *Villius Tappulus & M. Fundanius Ædiles plebei aliquot matronas apud populum probri accusarunt: quasdam ex eis damnatas in exsilium egerunt.* Deducebantque iidem in judicium etiam hoc crimine viros, ut in Livio lib. viii. *Data à M. Flavio visceratio. erant qui per speciem honorandæ parentis meritam mercedem populo solutam interpretarentur, quod eum die dicta ab Ædilibus crimine stupratæ matrisfamilias absolvisset.* Pertinere ad hanc rem Laberii versum puto, ut ego eum restituo apud Agellium lib. xvi. *Cocionem pervulgate dicit, quem veteres Arilatorem dixerunt. Verba Laberii hæc sunt. Duas uxores, hoc hercle plus negotii est, inquit Cocio, sex Ædiles viderat.* Scribo, *unas uxores? hoc hercle plus negotii est, inquit Cocio: sed Ædiles viderint.* Non alia Laberii scriptio aut mens. Duasne uxores ille habet? inquit. hercle satis negotiosum negotium homini, ut ait Cocio. verum id Ædiles viderint, quorum hæc cura. Dixi ejusmodi infames feminas cessisse dignitate matronali, etiam ornamentis. De dignitate, liquet ex Suetonio: de ornamentis, ex Tertulliano, De cultu: *Quid minus habent infelicissima illa publicarum libidinum victima. quas si quæ leges à matronis & matronalibus decoramentis coërcebant, jam certe sæculi improbitas honestissimis quibusque feminis usque ad errorem dinoscendi coæquavit.* Censeo autem posuisse eas institam, stolam, vittas; imo sumpsisse meretriciam togam. Inducor a Juvenali:

— *Car-*

—— *Carsinia talem*
Non sumet damnata togam.

qui de matrona aliqua stupri damnata sentire videtur, cui ex more sumenda toga. De ea satis dictum aliis, & præsertim M. Antonio Mureto: cujus doctrina, judicium, facundia. semper mihi magna. Unum addo: manasse videri morem eum ab Atheniensibus: apud quos scorta pariter veste à matrona discreta. idque ex lege. Suidas. νόμος Ἀθήνησι, τὰς ἑταίρας ἄνθινα φορεῖν.

P.

Cap. 87. Tamen reperio Augusti ævo & infra, à liberis patres appellatos Dominos: & à fratribus blandientibus fratres. Quod tamen Augustus in sua domo vetuit. Suetonius: *Dominum appellari se nec à liberis quidem aut nepotibus suis vel serio vel joco passus est: atque hujusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit.* Tangit ecce utrumque morem, & vellem id interpretes monuissent. Quod patres, domini: etiam ex Diadumeni Cæsaris epistola cognosco, ad matrem: *Dominus noster & Augustus nec te amat, nec ipsum se, qui inimicos suos servat.* Et clare ex illo Martialis:

E servo scis te genitum, blandeque fateris,
Cum dominum appellas Sosibiane patrem.

Quod fratres sic dicti: locus elegans Senecæ, epist. CV. *Illud mihi in ore erat domini mei Gallionis, qui cum in Achaia febrim habere cœpisset, confestim navim conscendit: clamitans non corporis esse, sed loci morbum.* nam loquitur de fratre Junio Gallione. Itemque conjuges inter se eo nomine usi. Virgil.

—— *dominum Æneam in regna recepi.*

Sueton. Claudio: *Occisa Messallina, paullo postquam in triclinio decubuit, cur domina non veniret requisivit.* Virgil.

—— *dominam Ditis thalamo deducere adorti.*

ubi Servius: *De Græco tractum est qui uxorem δέσποιναν dicunt.* Apud Jurisconsultos De Legat. *Peto abs te domina uxor.* Epictetus: Αἱ γυναῖκες εὐθὺς ἀπὸ τεσσαρεσκαίδεκα ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κυρίαι καλοῦνται. Uti & adversum amicas, passim in poëtis. Sed & obvios vulgo, Dominos vocabant. Idem Seneca: *Quomodo obvios, si nomen non succurrit, dominos salutamus.* Lusit eleganter in eo more poëta Græcus in Anthologia:

Ἢν ὁ φίλος τι λάβῃ, Δόμνε φράτερ, εὐθὺς ἔγραψεν.
Ἢν δ' αὖ μή τι λάβῃ, τὸ φράτερ εἶπε μόνον.
Ὤνια γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα. Αὐτὰρ ἔγωγε
Οὐκ ἐθέλω Δόμνε, οὐ γὰρ ἔχω δόμεναι.

JUSTI LIPSII
AD
C. CORNELII TACITI
ANNALIUM
LIBRUM III.
EXCURSUS.

A

Cap. 4. Mos adeo tritus, ut Isidorus *Funus dictum à Funibus accensis*, velit, *quos ante feretrum papyris circumdatis ferebant.* Ambrosius de viduitate: *Vel cum accensis funalibus mox ducitur, nonne pompa funebris exsequias magis putat, quàm thalamum præparari?* Alludit Ambrosius illuc, quo sæpe poëtæ, ut,

Viximus insignes inter utramque facem.

Apulejus II. Florid. *Comœdiam ejus prius ad funebrem facem, quam ad nuptialem venisse.* Calpurnius Flaccus Declamatione XXVIII. *Facem nubenti filiæ præferam, aut rogum jacentis accendam?* Quod Isidorus ait, funes papyro circumdatos: non à se habet, sed à prisco scriptore. nec errat. Plinium ita capio lib. XVI. cap. XXVIII. *Nec in fruticum nec in veprium genere scirpi fragiles palustresque, è quibus detracto cortice candelæ luminibus & funeribus serviunt.* Cortex ille, non aliud quam similitudo Ægyptiæ papyri: quem utebantur forsasse homines tenuiores. Faces autem, candelasque in funeribus plerumque adultorum reperias: in puerorum, id est acerbis immaturisque, cereos fere. Ut appareat, quod Interpres vetus Persii monuit, pueros ad cereos solitos efferri, facibus tamen immixtis. Senecæ aliquot loca sunt, quæ id pervincunt. ut epist. CXXII. *Isti mihi vero defunctorum loco sunt. quantulum enim à*

funere absunt, & quidem acerbo, qui ad faces & cereos vivunt? De tranquillitate vitæ cap. XI. *Totiens in vicinia mea conclamatum est, totiens præter limen immaturas exsequias fax cereusque præcessit.* De brevitate vitæ cap. ult. *Quidam vero disponunt etiam illa quæ ultra vitam sunt, moles magnas sepulcrorum, & operum publicorum dedicationes, & ad rogum munera, & ambitiosas exsequias. At mehercule istorum funera, tanquam minimum vixerint, ad faces & cereos ducenda sunt.* ubi scribi sententia vult, *tanquam minimum.* Pertinet ad funebres faces etiam Suetonii locus, Aug. cap. XCVIII. *Masgabæ tumulum cum ex triclinio animadvertisset magna turba multisque luminibus celebrari,* &c. qui tamen ad parentationem annuam spectat, non ad funeris deductionem.

B.

Cap. 21. Carcer triplex est, (ait vetus interpres Juvenalis) Urbanus, Rusticus, Castrensis. Urbanus ut sunt turres: Rusticus ut ergastula: Castrensis, quando captivi trahuntur catenati. Notat hoc ad eum locum Juvenalis:

Inde fides arti, sonuit si dextera ferro
Lævaque, si longo castrorum in carcere mansit.

Sed potuit, imo debuit, paullo distinctius. Nam in urbe ipsa triplex ratio adservandi captivos. Aut enim in carcere habebantur locoque concluso, sine ullo milite: ut fere servitia, & capita viliora. Aut in custodia militari: aut in ædibus magistratuum. Custodia militaris frequentissima, & Romæ & in provinciis. ejusque modus, ut is qui in noxa esset catenam manui dextræ alligatam haberet, quæ eadem militis sinistram vinciret custodiæ ejus præfecti. Satis aperte Seneca, De tranquillitate lib. I. cap. X. *Sed quid refert? eadem custodia universos circumdedit, alligatique sunt etiam qui alligaverunt. Nisi tu forte leviorem in sinistra catenam putas.* Idem epist. V. *Quemadmodum eadem catena & custodem* (emendo *custodiam*, ita enim ipse captivus dicebatur, ut mox docebo) *& militem copulat: sic ista quæ tam dissimilia sunt, pariter incedunt.* Et optime Athenæus lib. V. cap. XI. ubi Athenion res Mithradatis extollit: Ῥωμαίων δὲ στρατηγὸς μὲν Παμφυλίας Κόϊντος ὁ Ἴππιος παραδοθεὶς ἀκολουθεῖ δέσμιος. Μάλλιος δὲ Ἀκύλλιος ὁ ὑπατικὸς ὁ τὸν ἀπὸ Σικελίας καταγαγὼν θρίαμβον, συνδέτην ἔχων ἁλύσει μακρᾷ Βαστάρνην πεντάπηχυν, πεζὸς ὑπὸ ἱππέως ἕλκεται. Id est, *E Romanis vero, Prætor Pamphyliæ Q. Oppius,* (male enim in Græco, ἵππιος) *deditione acceptus, sequitur in vinclis. Manius autem* (ita corrige, non Μάλλιος) *Aquilius consularis, qui de Siculis triumphavit, colligatum secum habens longa catena Bastarnam quemdam quinque cubitorum, pedes ab equite trahitur.* Nam ita ego vere interpretor: Natalis insulsa, fatua, aliena. quem, si libido ridendi est, vide. Simile est quod Josephus narrat lib. XVIII. cap. XIII. de captivo Agrippa rege; *Centurionem illi satis benignum appositum, & militem cum quo vinciretur humanum.* Augustinus in Psalm. CXXVIII. *Ligantur duo & mittuntur ad judicem, latro, & colligatus; ille sceleratus, iste innocens, una catena ligantur, & longe sunt à sese.* Addo, duos sæpe milites uni reo datos, majori custodiæ. In Apostolorum Actis, cap. XII. de D. Petro: *dormiebat inter duos milites, duabus alligatus catenis.* Catenæ autem ejusmodi, uti ex Athenæo clarum, longiusculæ erant; ut ambulare, incedere pariter non incommode possent. Ad quas item pertinet, quod Suetonius in Domitiano scribit, cap. XIV. *Nec nisi secreto atque solus plerasque custodias, receptis quidem in manus catenis, audiebat.* Ubi iterum custodiæ pro iis ipsis qui custodiuntur: ut Plinio lib. XXI. cap. III. *Inde eductam custodiam bibere jussit.* ita veteres. male vulgo, *eductum è custodia.* emendandusque ita Suetonius Nerone, cap. XXXI. *Quorum operum perficiendorum gratia, quos ubique essent custodia, in Italiam deportari jussit.* vulgata lectio, & interpretes turbant. Paullus in Sentent. *Si pecunia miles custodiam dimiserit, capite puniendus est.* Hæc de custodia militari: de ea quæ apud magistratus, opportunius dicam lib. VI.

C.

Fas mihi ut cum Tacito hic leviter exorbitem: Cap.
& quæ faciunt huic legi, collecta à me & 25.
digesta proponam. Non subtiliter omnia; (cui enim bono, sed ea saltim capita quæ ad usum historiæ priscæ.) Romanis semper conjugiorum subolisque magna cura. Ideo Censoria illa solennis quæstio: *Ex animi tui sententia. Tu uxorem habes?* Ideo Ciceroni ficta lex: *Cælibes esse prohibento.* Nec ignominiæ solum cælibatus, sed pœnæ erat. Ita apud Valerium, *Camillus & Postumius Censores, æra pœnæ nomine, eos qui ad senectutem cælibes pervenerant, in ærarium deferre jusserunt.* Et Festus auctor, *Uxorium pependisse dici, qui quod uxorem non habuerit æs populo dedit.* Exemplum videtur ab Spartanis petitum, apud quos ἀγαμίου ζημία, imo ὀψιγαμίου καὶ κακογαμίου, ut notat Pollux. Nec tamen lege aliquid cautum reperio: nisi quod C. Cæsar post bellum Africanum, vehementer exhausta urbe, præmia proposuit multitudini liberorum. idque Præfectus morum, & quasi Censor. Dio XLIII. Ἐπειδή τε δεινὴ ὀλιγανθρωπία, διά τε τὸ τῶν ἀπολωλότων πλῆθος, ὡς ἔκ τε τῶν ἀπογραφῶν (καὶ γὰρ ἐκείνας, τά τε ἄλλα ὥσπερ τις τιμητὴς ἐποίησε) καὶ ἐκ τῆς ὄψεως αὐτῆς ἠλέγχετο, ἦν, πολυπαιδίας ἆθλα ἐπέθηκε. id est, *Et quoniam infrequens admodum urbs erat, propter cæsorum multitudinem: quod ex recensu (cum autem & reliqua velut Censor faciebat) & ex ipso aspectu animadvertebatur, iis qui multos liberos haberent præmia proposuit.* Primus Augustus anno urbis DCCXXXVI.

DCCXXXVI. certam legem posuit, & præmia pœnasque distinxit. Ea dicta, Julia de maritandis ordinibus. quam tamen præ multitudine recusantium perferre non potuit, nisi adempta lenitave parte pœnarum. Hanc Propertius intelexit lib. III.

Gavisa est certe sublatam Cynthia legem,
Qua quondam edicta flemus uterque diu:
Ne nos divideret, ———

elegia illa tota. Et Horatius in Cantu sæculari:

——— *patrumque*
Prosperet decreta super jugandis
Feminis, prolisque nova feraci
Lege marita.

Ubi Scholiastes vetus: *Lex marita dicitur, quæ de maritandis ordinibus lata erat, quæ & Julia dicta est. Cæsar enim post bellum legem tulit, ne quis aut cælebs esset, aut vidua nubilis, quo posset jactura juvenum reparari, quæ bellis civilibus contigerat. Nam prope octoginta millia armatorum interierant.* Et de eadem in actis ejusce anni Dio, lib. LIV. Ὁ δ' Αὔγουστος τά τε ἄλλα ἐνομοθέτησε, τοῖς τε ἀγάμοις καὶ ταῖς ἀνάνδροις βαρύτερα τὰ ἐπιτίμια ἐπέταξε, καὶ ἔμπαλιν τοῦ τε γάμου καὶ τῆς παιδοποιίας ἆθλα ἔθηκεν. Ex Dionis verbis clarum, etiam ante curam eam fuisse Augusto. ait enim βαρύτερα τὰ ἐπιτίμια: & addit, ἔμπαλιν ἔθηκεν. Et non dubie aliquid super ea re latum in ejus sexto consulatu, annis decem ante. Suadet Tacitus hic: *Sexto demum consulatu Cæsar Augustus potentiæ securus, quæ Triumviratu jusserat, abolevit: deditque jura, quis pace & principe uteremur. acriora ex eo vincla, inditi custodes; & lege Papia præmiis inducti,* &c. Sed latum imperfecte. Capita legis Juliæ fuerunt. Uti libertinas ducere liceret omnibus, præter Senatores. Uti sponsiones pactionesque nuptiales non ultra biennium differri jus esset. Uti divortiorum certus esset modus. aliaque quæ postea in legem Papiam mixta & inserta. Julia ergo, tempore à Papia distincta. præcessit enim XXV. solidis annis, & alucinati concinnatores legum qui confuderunt. Dico Juliam. verius fortasse, Julias: quia non semel tot annorum intervallo eadem de re latum ac relatum. ideoque proprie locutum Tacitum censeo, cum hic πληθυντικῶς scripsit, Papiam latam post Julias rogationes.

Lata autem Papia anno urbis DCCLXII. sene jam Augusto: & lata per Senatum. Itaque & nomen a consulibus illi, Papio Mutilo & Q. Poppæo Secundo. Dicta enim Papia Poppæa. Isidorus lib. v. *Sub Octaviano Cæsare suffecti Consules Papius & Poppæus legem tulerunt, quæ à nominibus eorum Papia & Poppæa nominatur, continens præmium* (censeo emendandum, *patrum*, cum scriptum concise fuerit, *prũm*) *præmia pro suscipiendis liberis.* Caussa iterum ferendæ, è Tacito duplex: *incitandis cælibum pœnis, & ærario augendo.* Incitandis pœnis, id est, augendis: sincera modo lectio sit. Ambigo enim, & possit rescribi, *incitandi cælibes pœnis*, sive, *intendendis cælibum pœnis*, sensu clariore. Capita legis Juliæ confusa cum istius: ideoque passim scripta Jurisconsultorum laudata, *Ad legem Juliam & Papiam.* ita tamen, ut Papia quæ plenior acerbiorque, aboleverit & velut absorbuerit Julias leges. Latam dixi per Senatum: & verum est. eoque Paullus lib. v. ad legem Juliam & Papiam auctorem Senatum nominat: *Sed illud quæri potest*, inquit, *an idem servandum sit quod Senatus censuit, etiamsi in aliam personam captionem direxerit.* Capita ejus legis pluria fuerunt: adeo ut XXXV. laudet alibi Marcianus. Ea ut distincte proponam, ab homine me exiget nemo homo: confuse quædam recensebo, & uti dabunt se sub manum.

CAP. De enuptione extra gentem ordinemque. Uti omnibus ingenuis libertinas uxores ducere jus esset, Senatoriis exceptis. Concepta Capitis ejus verba, apud Paullum lib. I. ad hanc legem. Lege Julia ita cavetur, QVI SENATOR EST, QVIVE FILIVS PRONEPOSVE EX FILIO NATO CVIVS EORVM EST, ERIT: NE QVIS EORVM SPONSAM VXOREMVE, SCIENS DOLO MALO HABETO LIBERTINAM; AVT EAM QVÆ IPSA, CVIVSVE PATER MATERVE ARTEM LVDICRAM FACIT, FECERIT: NEVE SENATORIS FILIA NEPTISVE EX FILIO, PRONEPTISVE EX NEPOTE FILIO NATO NATA, LIBERTINO, EIVE QVI IPSE, CVIVSVE PATER MATERVE ARTEM LVDICRAM FACIT FECERIT SPONSA NVPTAVE SCIENS DOLO MALO ESTO. NEVE QVIS EORVM DOLO MALO SCIENS SPONSAM VXOREMVE EAM HABETO. Et è lege quidem Julia recenset Paullus: sed insitum in Papiam fuisse clare docet Celsus: *Lege Papia*, inquit, *cavetur omnibus ingenuis, præter Senatores eorumque liberos, libertinam uxorem habere licere.* Meminit & Dio ejusce capitis lib. LIV. Ἐπειδή τε πολὺ πλεῖον τὸ ἄρρεν τοῦ θήλεος τοῦ εὐγενοῦς ἦν, ἐπέτρεψε καὶ ἐξελευθέρας τοῖς ἐθέλουσι, πλὴν τῶν βουλευόντων, ἄγεσθαι, ἔννομον τὴν τεκνοποιίαν αὐτῶν εἶναι κελεύσας. Ubi tamen interpretis supina μετάφρασις vertentis. *Ac quoniam masculi patricii generis numerum patriciarum feminarum multo antelbant liberum fecit ut qui vellent (modo Senatores ne essent) libertas etiam* (cautius & verius, *libertinas*: ἐξελευθέρας enim Dio dixit, non ἀπελευθέρας. Ἐξελεύθεροι autem οἱ τῶν ἐλευθερωθέντων υἱοί, ait Hesychius) *ducere possent, eorumque liberos legitimos esse jussit.* Ἐκ. τὸ εὐγενὲς, *Patricium* ubique vertit. at *ingenuum* debuerat, ex vi verbi, legisque. Meminit iterum Dio lib. LV. in persona Augusti: Καὶ ἐξελευθέρας τοῖς γε ἔξω τοῦ βουλευτικοῦ οὖσιν ἄγεσθαι συνεχώρησα. Et eodem errore ibi Interpres, τὸ βουλευτικὸν, *Patricios* vertit: cum *Senatorios*, vere posset. Latum hoc caput matrimoniis frequentandis: ut si quem di-

 guiorem

gniorem amor aut voluntas traxisset ad impar jugum, lege jungi liceret. Nam antea vetitum. Neque Decemvirali lege, patricio cum plebeia, neque ingenuo cum libertina connubii jus. Prius abolitum. meminitque Livius l. IV. in oratione Canuleji Tribuni: & l. X. ubi matronæ Patriciæ Virginiam, quod è patribus enupsisset, sacris arcuerunt. Mansit posterius, ad hanc legem. Vide quæ Cicero Antonio de Fadia objecit, Phil. II.

Capvt subnexum forte priori: de connubio patronorum cum libertabus. Verborum partem Ulpianus appendit lib. III ad legem Juliam & Papiam: In eo jure, quod dicit, INVITO PATRONO, LIBERTAM QVÆ EI NVPTA EST, ALII NUBERE NON POSSE, PATRONVM ACCIPIMVS, &c. Et idem iterum l. XI. De divortiis: Quod ait lex, DIVORTII FACIENDI POTESTAS LIBERTÆ QVÆ NVPTA EST PATRONO, NE ESTO, QVAMDIV PATRONVS VXOREM EAM ESSE VOLET. Vide interpretem eumpse Ulpianum: & adde l. I. De concub.

Capvt De sponsalibus. quando & qua fini contrahenda. Sumptum è Julia de maritandis ordinibus, indice Suetonio cap. XXXIV. *Cumque*, inquit, *immaturitate sponsarum & matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi sentiret, tempus sponsas habendi coartavit.* Sponsalium enim olim licentia, adspectu nullo ætatis. At Augustus, cum quidam immaturas plane virgines desponderent, & mariti essent non mariti: arcendæ huic fraudi tempus definiit ætatemque sponsionum: ita ut non ante decimum annum sponsa quæquam esset. Clare Dio lib. LIV. Ὡς δ' ἐν βρέφη τινὲς ἐγγυώμενοι, τὰς μὲν τιμὰς τῶν γεγαμηκότων ἐκαρποῦντο, τὸ δ' ἔργον αὐτῶν οὐ παρείχοντο, προσέταξε μηδεμίαν ἐγγύην ἰσχύειν, μεθ' ἣν οὐ δυοῖν ἐτοῖν διελθόντοιν γαμήσει τις. τουτέστι δεκέτιν πάντως ἐγγυᾶσθαι τόν γέ τι ἀπ' αὐτῆς ἀπολαύσοντα. δώδεκα γὰρ ταῖς κόραις ἐς τὴν τοῦ γάμου ὥραν ἔτη πλήρη νομίζεται. Id est: *At cum quidam pueras desponderent, & præmia nihilominus ferrent maritorum, rem opusque mariti non præstarent: statuit nullam sponsionem firmam esse, postquam, biennio exacto, nuptiæ non sequerentur: hoc est, ut omnino decennem despondere opus esset, siquis sponsionis ejus vellet fructum. Puellis enim duodecimus annus plenus, ad nuptias definita ætas censetur.* Xylander Dionis mentem plane hic non cepit. Facit huic capiti quod Cajus lib. I. Ad Juliam & Papiam scripsit: *Sæpe justæ ac necessariæ caussæ non solum annum vel biennium, sed etiam triennium & quadriennium & ulterius trahunt sponsalia: velut valetudo sponsi sponsæve, vel mortes parentium*, &c.

Capvt de ætate eorum qui ducerent, quæve nuberent. Eo capite cautum ne mulier quinquaginta annis minor sexagenario nuberet; neu vir minor sexaginta, quinquagenariam duceret. Lactantius lib. I. Senecæ verbis: *Quid ergo est quare apud poëtas salacissimus Jupiter desierit liberos tollere? utrum sexagenarius factus est, & illi lex Papia fibulam imposuit? an impetravit jus trium liberorum?* Et Appulejo in judicio objectum, quod Pudentilla *anno ætatis sexagesimo ad libidinem nupsisset*: videlicet contra legem Papiam. Huic tamen capiti Claudius abrogavit, ut Suetonius notat cap. XXIII. *Capiti*, inquit, *Papiæ-Poppeæ legis à Tiberio Cæsare, quasi sexagenarii generare non possent, addito abrogavit.* Legetim, *addito*, vel *edito*. Edictum certe Claudii non fuit, sed Senatusconsultum. Ulpianus in Fragm. titul. XVI. *Sed SC. Claudiano major sexagenario si minorem quinquagenaria duxisset, perinde habebatur ac si minor sexaginta annorum duxisset uxorem.* Caussæ quæ Tiberium, quæ Claudium moverint, in aperto. Ille, quod plurimum fieri solet, spectavit: hic, quod per naturam potest. Adeo autem amare & virum exercere sexagenarius potest, ut sint octogenarii senes iidemque patres inter exempla. At mulier quinquagenaria major, vix est, ut impleatur.

Capvt de libertate conjungendi; quod tamen XXXV. in ordine fuit. Martianos: *Capite trigesimoquinto legis Juliæ, qui liberos quos habent in potestate injuria prohibuerint ducere uxores vel nubere, vel qui dotem dare non volunt: ex constitutione*, &c. Simile in libertis, etiamsi juraverint, l. VII. De operis libert.

Capvt de intervallo temporis a morte conjugis vel divortio, ad conjugium novum. Neque enim probata Juliis legibus monogamia: sed ad matrimonia compulsi iterum, vidui, aut disparati. Discreparunt in tempore Julia & Papia. Nam ut Ulpianus notat tit. XIV. Feminis lex Julia à morte viri, anni vacationem tribuit: à divortio, mensium sex. At Papia clementior, à morte biennium indulsit; à repudio, annum & menses sex. In Suetonio, Triennium leges: nec id te turbet. Exsolvit eum nodum Dio in oratione Augusti ad cælibes lib. LVI. Καὶ οὐδὲ ἐς ταῦτα μέντοι κατήπειξα ὑμᾶς, ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον τρία ἔτη ὅλα πρὸς παρασκευὴν ὑμῖν ἔδωκα, τὸ δὲ δεύτερον, δύο. Id est: *Nec ad ista festinanter impuli vos, sed primum tres integros annos ad apparatum rei concessi, deinde binos.*

Capvt de præmiis maritorum, patrumque: quod in ordine septimum fuisse, colligas ex Agellii lib. II. cap. XV. Præmiis enim invitandi fuerunt ad matrimonia & prolem frequentandam. Præmia duorum generum, Honores & Commoda. Quæ largiora utraque apud patres: quædam tamen seorsim data etiam maritis. Veluti, honestior in spectaculis locus. Suetonius Augusti cap. XLIV. *Militem secrevit à populo: maritis è plebe proprios ordines adsignavit.* Et ad eam sententiam accipio, quod poëta Hispanus facete scribit:

Spa-

Spadeus cum sit eviratior fluxo,
Theatra loqueris, & gradus, & edicta,
Trabeasque & Idus, fibulasque censusque.
Sedere in equitum liceat an tibi scamnis
Videbo Didyme; non licet maritorum.

Præcesserunt item mariti in magistratu, & in fascibus. Agellius: *Capite septimo legis Juliæ priori ex Consulibus fasces sumendi potestas est, non qui pluris annos natus est, sed qui plures liberos quam collega aut in sua potestate habet aut bello amisit. Sed si par utrique numerus liberorum est, maritus aut qui in numero maritorum est præfertur.* In numero maritorum, id est, opinor, sponsus: vel etiam qui jus habeat ab Imperatore mariti. Id enim quoque dari solet, pariter ac jus liberorum. Didici ex unico Dionis loco lib. LX. de Claudio: Τοῖς στρατευομένοις, ἐπειδὴ γυναῖκας οὐκ ἐδύναντο ἔκ γε τῶν νόμων ἔχειν, τὰ τῶν γεγαμηκότων δικαιώματα ἔδωκε. id est, *Militibus, quoniam ex legibus uxores ducere iis non licebat, jura maritorum concessit.* Sed & plura maritis privilegia in sorte, in administratione provinciarum: quæ hauries ex præmiis patrum statim, ne eadem iteranda sint. Patribus certe, ut prædixi, præmia uberiora, & pleno velut dimenso legum. Idque non solum è Julia aut Papia, sed more Rom. prisco. *Lex sociis ac nominis Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat, ut cives Romani fierent* ait Livius lib. XLI. Item à Censoribus, *In quattuor urbanas tribus* (eæ autem minus honestæ) *descripti erant libertini, præter eos quibus filius quinquenni major ex SC. esset*, ait idem lib. XLV. Julius Cæsar, *agrum Campanum divisit extra sortem XX. millibus civium, quibus terni pluresque liberi essent*, ut notat Suetonius cap. XX & Appian. Civilium II. & exempla reperies fors sit plura. Sed Augusto in primis ea cura: non lege Papia solum, ut censent quidam haud è vulgo, sed jamdiu ante. Quod clarum ex iis quæ Dio scribit LIII. de præsidibus provinciarum, & LV. ante Papiam latam. Fateor tamen, quod Papia præsertim. Præmia πολυπαιδίας ex ea lege, non absurde fecero, si ordine proponam. Primum. Ut in petitione candidati præferantur, quibus liberi plures. Tacitus lib. II. *Contra plerique nitebantur, ut numerus liberorum in candidatis præpolleret, quod lex jubebat.* Lex non alia quam hæc Papia. Secundum. Uti præferantur proletarii in sorte provinciarum: & easdem diutius obtineant. Prius membrum è Tacito firmo, Annal. XV. *Percrebuerat ea tempestate pravissimus mos, cum propinquis comitiis aut sorte provinciarum, plerique orbi fictis adoptionibus adsciscerent filios, præturasque & provincias inter patres sortiti, statim emitterent manu quos adoptaverant.* Alterum è Dione LIII. *Præsides*, inquit, *annuos & sorte lectos esse voluit*, πλὴν εἴ τῳ πολυπαιδίας ἢ γάμου προνομία προσείη. id est, *nisi si cui multitudinis liberum aut nuptiarum causa privilegium esset.* Quamquam id ad sortem tantum referri fortasse par est, non etiam ad mansionem. Tertium. Præeant emineantque in omni magistratu. Colligas ex Agellii lib. II. cap. XV. verbis quæ supra. Et ab hoc exemplo est, quod qui plures liberos habet, in curia vel collegio primus sententiam rogatur; in albo & processu, ceteris præfertur. L. IX. C. De decur. Quartum. In honoribus petendis, gratia fit annorum qui liberos habent: & quidem pro numero liberorum. Exempli caussa, minores XXV. annis ad honores non admittuntur, nisi beneficio prolis. Qui ergo quinque habent anno vigesimo admittuntur, qui tres, vigesimosecundo, &. sic deinceps. Vide l. II. De minoribus, quæ ad hanc sententiam clara. Et Plinii locum eodem traho, lib. VII. Epist. præter meam supra, aliorumque mentem. *Calestrium Tironem familiarissime diligo. simul quæstores Cæsaris fuimus. Ille me in Tribunatu liberorum jure præcessit, ego illum in Prætura sum consecutus, cum mihi Cæsar annum remisisset.* Ubi vides dimitti etiam annos beneficio Cæsaris solere, quasi liberos haberent. Quinctum. Qui plures liberos habet i. e. in urbe tres, in Italia quatuor, in provinciis quinque, à cura, tutela, ceterisque muneribus personalibus immunis est l. II. De excusationibus l. I. C. Qui num. liberor. Sextum. Damnatorum liberi plures assem accipiunt, è constitutione Hadriani L. VII. De bonis damnat. Et ab ea mente Dio scripsit, Hadrianum mitiores pœnas reis irrogasse liberos habentibus. quod Cujacius notavit pridem. Et plura, quæ facile colliges ex iis quæ dicam de mulctis. Ex his ortum celebre illud Jus trium liberorum (*Auctoritatem trium liberorum*, Tertullianus dixit, contra Valentinianos) quod orbis pro beneficio Princeps dabat. Plinius l. II. Epist. *Nuper ab optimo Principe trium liberorum ei jus impetravi: quod quamquam parce & cum delectu daret, mihi tamen, tamquam eligeret, indulsit.* Idem ad Trajanum lib. X. *Exprimere domine verbis non possum, quantum mihi gaudium attulerit, quod me dignum putasti jure trium liberorum.* Martialis,

Uxor cum tibi sit formosa, pudica, puella,
Quo tibi natorum jura Fabulle trium?
Quod petis à nostro supplex dominoque deoque,
Hoc dabis ipse tibi; si potes arrigere.

Idem de se:

Præmia laudato tribuit mihi Cæsar uterque,
Natorumque dedit jura paterna trium.

Origo ejus è lege Julia, uti discas ex Dionis apio ad hanc rem loco, l. LV. Ἡ δὲ Λιουία ἐς τὰς μητέρας τὰς τρὶς τεκούσας ἐσεγράφη. Οἷς γὰρ ἂν τὸ δαιμόνιον εἴτ' οὖν ἀνδρῶν εἴτε γυναικῶν μὴ δῷ τοσαυτάκις τεκνῶσαι, τούτων τισὶν ὁ νόμος, πρότερον μὲν διὰ τῆς βουλῆς, νῦν δὲ διὰ τοῦ αὐτοκράτορος τὰ τῶν γεγεννηκότων δικαιώματα χαρίζεται. Ὥστε σφᾶς μήτε τοῖς τῆς ἀπαιδίας ἐπιτιμίοις ἐνέχεσθαι, καὶ τὰ τῆς πολυπαιδίας ἆθλα, πλὴν ὀλίγων τινῶν, καρποῦσθαι. Id est: *Livia in numerum matrum quæ ter peperissent adscripta.*

Quibus

Quibus enim seu viris seu feminis fatum aliquod proventum tot liberorum negavit; iis lex; antea quidem per Senatum, nunc autem per Principem jura gratificatur natorum, ita ut neque pœnis orbitatis obnoxii sint, & præmia omnia multitudinis liberorum consequantur, paucis saltem exceptis. Ubi vides & feminis tribui solere id beneficium: quod primo & ex lege Julia, à Senatu petebatur; postea à Principe. quamquam ea verba perperam, in longe aliam sententiam abduxit interpres. Plutarchus de Vestalibus notat, eas sine tutore aut curatore res suas administrasse, ὥσπερ inquit, αἱ τρίπαιδες. At quod id solus Princeps dederit: clare Martialis:

Natorum mihi jus trium roganti
Musarum pretium dedit mearum
Solus qui poterat. valebis uxor.
Non debet domini perire munus.

Hoc idem, jus parentum Juvenalis appellat:

Jura parentis habes, propter me scriberis heres.

& Tacitus hic privilegia parentum. Alii simpliciter etiam. Jus liberorum. In fragmento juris veteris, quod evulgavit doctissimus Pythæus: *Mulier sine auctoritate tutoris manumittere potest, si jus habeat liberorum.* Et Paulus lib. IV. Sentent. ad Sc. Tertullianum, plus semel. Jus liberorum tamen propria quadam & alia significatione capi in Ulpiani Fragm. titul. XVI. & l. 10. De jure liber. non vane, notat nostri ævi Jurisconsultus ad Fragmenta ea ipsa: & nodum quem Duarenus ligaverat I. Disput. cap. XL. docte solvit. Jubeo lucem huic rei mutuari te ab illo Sole, in eapse Fragmenta. Sed & quattuor liberorum jus fuit: quod pertinuit (nisi in aliena regione aberro) ad libertinas, non ingenuas. certe ita distinguit SC. Tertullianum, de quo vide Paullum l. IV. tit. IX. Quod tamen jus vetustius est illo SC. & mentio ejus in Suetonii Claudio capite XIX. ubi Princeps *Feminis* (quæ naves scilicet mercaturæ caussa fabricarent) *jus tribuit quattuor liberorum.* De præmiis, ista.

Capvt de pœnis multisque cælibum & orborum. quæ etiam in lege Julia fuerant: sed Augustus, ut ipse apud Dionem fatetur, intendit auxitque. Pœna prima & maxima, Uti cælibes ex testamentis nihil caperent, nisi è proxime junctorum: orbi, non nisi dimidium. Melior ergo conditio orborum: & jure: quia mariti saltem. Sozomenus lib. I. Eccles. histor. discrimen hoc bene notat: Νόμος ἦν Ῥωμαίοις παλαιὸς, ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν τῶν ἴσων ἀξιοῦσθαι κωλύων τοὺς ἀγάμους τοῖς μὴ τοιούτοις, περί ἄλλα τε πολλὰ, καὶ τὸ μηδὲν πλεῖον ἐκ διαθήκης τοὺς μὴ γένει ἐγγυτάτω προσήκοντας· τοὺς δ' ἀπαῖδας, ζημιοῦσθαι τὸ ἥμισυ τῶν καταλειμμένων.

Cælibes ergo nihil capiunt: adeo ut scripserit Ulpianus, *Cælibi relictum legatum caducum fieri, nisi legi intra centum dies paruerit.* Et respexit ad has pœnas Plutarchus, libello περὶ φιλοστοργίας. Ῥωμαίων πολλοὶ, inquit, γαμοῦσι καὶ γεννῶσι, οὐχ ἵνα κληρονόμους ἔχωσιν ἀλλ' ἵνα κληρονομεῖν δύνωνται. id est, *Romanorum plerique uxores ducunt & liberos serunt, non ut heredes habeant, sed ut heredes ipsi esse possint.* Nec vane imputat adulter apud Satyricum marito:

—— propter me scriberis heres,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.

Tertullianus de Monogamia: *Aliud est si & apud Christum Legibus Juliis agi credunt, & existimant cælibes, & orbos ex testamento Dei solidum non posse capere.* Ideo toties apud Jurisconsultos de solidi captione lectum quæsitumque ut l. LXXI. l. LXXVIII. De her. inst. l. VI. De vulg. & pupil. substit. l. XII. §. fin. De jure fisci. quæ omnia proprie ad orbos spectant patresque solitarios. Quidquid autem hoc modo præter legem legatum aut relictum, caducum fiebat, ibatque in fiscum. ideoque caducaria lex Julia dicta alibi Ulpiano. Tacitus: *Lege Papia præmiis inducti, ut si à privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret.* id est, ærarium publicum bona quibus dominus non esset, occuparet. Ea enim mens; nec audio Vertranium emendantem, *ne si à pr. par. ces. v. p. o. populus vacantia teneretur.* quæ emendatio frigidior est, ut ille ait, Gallica nive. Ferretum potius audio, de corruptione, & defectu loci vere judicantem. Prior enim pars ad præmia delatorum attinet: quibus sequentia filo orationis non respondent. Rævardus noster ad l. CCVIII. De Reg. juris, ex his Cornelii verbis efficit, lege Papia discrimen nullum fuisse inter cælibes orbosque, & pariter omnes ab hereditatibus legatisque submotos. Discrimina quæ deinde reperta, esse à Tiberio qui legis ejus nexus multos exsolvit & nodos. Ambigo. Illud scio, ex Ulpiani titulo XIII. totum hoc zetema definiri potuisse: integer exstaret modo. At nunc nihil præter indicem est, *De cælibe, orbo, & solitario patre.* Et quidem si cælibes nihil acceperint, uti certum: orbos semissem habuisse, solitarios patres majorem aliquam portionem, ratio consentit.

Capvt de iis quæ conjuges inter se capiunt, adfine priori. Ulpianus tit. XV. *Vir & uxor inter se decimam matrimonii nomine capere possunt. Quod si ex alio matrimonio liberos superstites habeant, præter decimam quam matrimonii nomine capiunt, totidem decimas pro numero liberorum accipiunt.* Vide eumdem Ulpian. tit. XVI. *De solidi capacitate inter virum & uxorem.* Caussæ enim sunt, è quibus solidum interdum conjuges capiunt: quas omnes clare ibi recenset Jurisconsultus. Respexit huc orator vetus: *Placet ergo è leges diligentissima pudoris custodes, decimas uxoribus, quartas meretricibus dari?* Decimaria ea lex sublata. l. II. C. de inf. pœn. cæl. & orb.

Capvt de bonis libertorum. Vide Ulpianum tit.

tit. ult. & inst. l. III. Caput item de liberatione operarum: cujus verba l. XXXVII. De operis libert.

CAPUT de divortiis, quo modus impositus eorum crebritati. Clare Suetonio traditum, in Aug. cap. XXXIV. Juvat aliquid Quinctilianus, qui de quinquennio suggerit in sterilitate. Themate Declamationis CCI. *Intra quinquennium non parientem repudiare liceat.* Eodem capite injusti divortii pœnæ: & ut dotem amittat, cujus culpa divortium factum. Eoque de dote, multa in Comment. Jurisconsultorum ad Papiam legem. vide l. LXIV. Soluto matrimonio. Plura capita omitto sciens volensque: quia ad subtilitates potius juris pertinent, quam cognitionem antiquitatis.

Ego si quid in his humanitus omisi, commisi: adde, corrige, ignosce. Illud moneo, in veteri Pandectarum Græcanico indice, Juliam & Papiam κατ' ἐξοχὴν, & quia in jure plurimi usus, appellari ἁπλῶς Leges. Ita invenies *Μαυρικιανοῦ Ad Leges βιβλία ἕξ. Τερεντίου Κλήμεντος Ad leges βιβλία εἴκοσι Μαρκέλλου Ad leges βιβλία ἕξ Γαΐου Ad leges βιβλία δεκαπέντε. Παύλου Ad leges βιβλία δέκα. Οὐλπιανοῦ Ad leges βιβλία εἴκοσι.* & cave aliter acceperis, quam ad Juliam & Papiam leges. Argumenta clara: quoniam & numerus librorum fere convenit; & nusquam ii scriptores in Pandectis simpliciter Ad leges laudantur, sed ad Juliam & Papiam saltem. Scies & illud, valuisse has leges ad Severi Imp. ævum, qui non abrogavit quidem, sed imminuit: maxime ea parte, qua fuit de gignendis liberis. Tertullianus Apol. cap. IV. *Nonne & vanissimas Papias leges, quæ ante cogunt liberos suscipi, quam Juliæ matrimonium contrahi, post tanta auctoritatis senectutem heri Severus constantissimus Principum exclusit?* Cælibatus deinde pœnas sustulit Constantinus propter Christianos παρθενίαν καὶ ἀπαιδίαν διὰ θεὸν ἀσκοῦντας. Euseb. in vita Constantini, & Sozomenus lib. I. Carpsit Papiam & in parte Theodosius, ut habes l. I. C. de jure liberorum; & principes secuti. Sed nos satis exspatiati, ad lineas redeamus, quod dicitur, & in gradum.

D.

Cap. 29. OPinor Augusti & deinceps ævo, fuisse annum vigesimum quintum, sed incipientem. Vigesimus quartus, inquam, expletus sufficiebat. Argumento, quod *Tiberius Quæstor fuit, undevicesimum annum agens*, ait Vellejus: atque ille ipse non nisi *quinquennio maturius quam per Leges*, ut Dio lib. LIII. & Tacitus statim notat: ergo ille legitimus annus. Certe non intra. argumento Quinctiliani verborum lib. XII. *Calvus, Cæsar, Pollio, multo ante quæsturiam omnes ætatem gravissima judicia susceperunt.* Atqui anno *uno & vigesimo Cæsar Dolabellam, altero & vigesimo Asinius Pollio C. Catonem, non multo ætate antecedens Calvus Vatinium iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus*, ait alibi idem scriptor. Nec multum citra. quia reperio Catonem XXIX. ætatis, Gracchum vigesimo septimo Quæsturam gessisse. Plinii locus est, qui XXII. adstruere videatur, ad Trajanum: *Cautum est domine, Pompeja lege ne quis capiat magistratum, neve sit in Senatu minor annorum* XXX. *Secutum est dein edictum Divi Augusti, quo permisit minores magistratus ab annis duobus & viginti capere.* sed eum is ad provincias, & proprie ad Bythyniam spectet, nihil moto. Quod vero diserte finierim vigesimumquintum: inducit me Dio lib. LII. Qui ex decreto Mæcenatis (quod secutus haud dubie Cæsar, aut ut melius dicam, accommodata à Dione tota oratio illa ad formam reip. Augustææ) Senatoriæ ætati definit annum XXV. Quæstura autem primus gradus in Senatum: illa ergo etiam Quæstoria ætas. Colligas & non obscure idem ex l. II. De minoribus.

E.

OLim Censoribus viarum cura. Cicero de Legibus: *Censores urbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor.* Deinde Quattuorviri instituti; quorum proprie id munus. Cap. 31. Pomponius De origine juris: *Eodem tempore & Quattuorviri qui curam viarum gererent constituti.* tempus intellegit, post creatum Prætorem peregrinum, qui fuit annus urbis DX. Ii videntur à Vattone non inconcinne dicti *Viocuri*. Antiqui ergo quattuorviri viarum. sed non sufficientibus iis, additi duo, factique Seviri, uti docebo mox ex Dione. Etiam Curatores extra ordinem reperti, qui destinabant singulis viis. Ita Cæsar Curator viæ Appiæ Plutarcho dicitur: Thermus Flaminiæ, Ciceroni. Augustus deinde, *quo plures partem administranda reip. caperent* (ait Suetonius) *nova officia excogitavit, Curam operum publicorum, Viarum, Aquarum.* Sed quomodo nova, si jam ante. Quattuorvir viarum, si Curatores? Silent scholiastæ: sed vere dicam ego. Curatores ante Augustum, fateor: sed nec perpetuum id, nec certum munus. Fecit utrumque Augustus. Quod ad IV. viros: scito discretum à Curatoribus eorum munus. Quattuorviri vias urbis curabant: Curatores, eas quæ extra urbem. Docuit me hoc Dio lib. LIV. de Viginti viris: ubi clare scriptum è Seviris viarum, amotos ab Augusto duos qui vias curabant extra muros; τοὺς (ait) ἔξω τοῦ τείχους ὁδοὺς ἐγχειριζομένους: retentos quattuor; qui in urbe. Ergo sub Augusto & Curatores viarum & Quattuorviri, quorum munera locis regionibusque distincta. Et digniores sane Curatores: quia in vias illas grandes extra urbem, sumptus & moles major. Ideo Plinius gratulatur Cornuto de eo munere, lib. V. Epist. *Recesseram in municipium,*

nicipium, cum mihi nunciatum est Cornutum Tertullum accepisse Æmiliæ viæ curam. Exprimere non possum quanto sim gaudio adfectus & ipsius & meo nomine. Et Statius Plotium dilaudans, IV. Silv.

Te Germanicus arbitrum sequenti
Annona dedit. omniumque late
Præfecit stationibus viarum.

Et in lapidibus passim inter alios honores insculptum, CVRATORI. VIARVM. aut plurimum, CVRATORI. VIÆ. APPIÆ. Salariæ, Flaminiæ, &c. nominibus expressis. quia fere Curatores dabantur certis viis, uni pluribusve. Et hos quidem Curatores fuisse censeam, à quibus mancipes redimebant, & quorum negligentia hic culpata.

F.

Cap. 36. Euripides,

——— Ἔχει γὰρ καταφυγὴν θὴρ μὲν πέτραν,
Δοῦλοι δὲ βωμοὺς θεῶν.

Servulus apud Plautum:

Ego interim hanc aram occupabo.

Tibullus alludens:

Et Veneris sanctæ considam victus ad aram

Et bene, *considam*. quia supplicum, sedere. Nec diis modo is honos, sed etiam heroibus quibusdam: ut Theseo Athenis. Plutarchus: Κεῖται μὲν ἐν μέσῃ τῇ πόλει, παρὰ τὸ νῦν γυμνάσιον, ἔστι δὲ φύξιμον οἰκέταις καὶ πᾶσι τοῖς ταπεινοτέροις καὶ δεδιόσι κρείττονας. Itemque Regibus. uti Decium Magium Cyrenas tempestate delatum, ad statuam Ptolemæi regis confugisse Livius tradit lib. XXIII. Romæ haud ita frequens ille mos. nec libera rep. quidquam reperio, præter Romuli asylum. Initium ei fuit à templo Julii Cæsaris, quod Triumviri exstruxere, cum hoc jure, ut perfugium in eo cunctis esset. Dio lib. XLVII. Ἀπηγόρευσαν δὲ μηδένα ἐς τὸ ἡρῷον αὐτοῦ καταφυγόντα ἐπ' ἀδείᾳ, μήτε ἀνδρηλατεῖσθαι, μήτε συλᾶσθαι, ὅπερ οὐδενὶ οὐδὲ τῶν θεῶν, πλὴν τῶν ἐπὶ τοῦ Ῥωμύλου γενομένων, ἐδεδώκεσαν. id est: *Edixere etiam Triumviri, ne quis, qui impunitatis causa in templum D. Julii confugisset, inde ejici vel abripi possit. quod autem Deo quidem cuiquam concessum, exceptis iis quæ ad Romuli asylum pertinent.* Quæ postrema Dionis caute lege. Vereor enim ut erret. Nam præter Romuli asylum, etiam Dianæ in Aventino monte templum idem jus habuit: quod clare notat Dionysius Halicarnas. IV. Antiq. Sed sub Impp. tamen maxime invaluit: nec templa solum, sed statuæ eorum imaginesque passim perfugium servis. Seneca de clementia lib. I. *Servis ad statuam licet confugere. cum in servum omnia liceant, est aliquid quod in hominem licere commune jus animantium vetat.* Ulpianus in Pythœanis Fragmentis: *Ideoque cognosce de querelis illorum qui ex familia Julii Sabini ad statuam confugerunt, & sive durius habiti quam æquum, vel infami injuria adfectos cognoveris, venire jube, ut in potestatem Sabini non revertantur.* Etiam ingenuis, injuria adfectis. Sueton. in Aug. *Antonium juvenem simulacro Divi Julii, ad quod post multas & irritas preces confugerat, abreptum interemit.* In Tiberio, de Agrippina: *Novissime calumniatus modo ad statuam Augusti, modo ad exercitus confugere velle.* Resque eo evasit, ut non periculi solum fuga, imago Imperatoris esset, sed calumniæ occasio. Ea arrepta, inferre injuriam licebat, non solum vitare. Vides hic in Tacito: & eleganter in Philostrato De vita Apollonii lib. I. *Erat*, ait, *apud Aspendios asylum Tiberii, statuæque sanctiores illis in locis venerabilioresque quam Jovis Olympii simulacrum habebantur. ita ut impietatis damnatus quidam fuerit, quod servum suum verberasset, qui drachmam argenteam Tiberii imagine signatam gestabat.* Itaque subvenerunt mox leges: &, *Ne ad statuas vel imagines quis confugiat, Senatus censuit; eumque qui imaginem Cæsaris in invidiam alterius pretulisset, in vincla publica coërceri Divus Pius rescripsit*, ait Callistratus L. XXVIII. De pœnis. Sed & statuæ deorum eodem jure. itaque quibusdam adscriptum, A servo non tangi. Lavinii, marmorea basis,

MAVORTIO
SACR.
HOC. SIGNVM
A. SERVO. TANGI
NEFAS. EST.

G.

Liceat ἐν παρέργῳ lucem facere optimo scriptori, qui sæpe nobis. Ego non alios censuerim, *gladios Drusianos*, quam illos quibus usi gladiatores. Mos enim, priusquam paria committerentur, ut sicæ, sive gladii quibus pugnaturi, Editori publice exhiberentur, satisne essent acuti. Suetonius in Tito, cap. IX. de conjuratis duobus: *Ceterum ipsos non solum familiari cœnæ adhibuit, sed & insequenti die gladiatorum spectaculo, circa se ex industria collocatis, oblata sibi ornamenta pugnantium inspicienda porrexit.* Ad quem locum nihil videre interpretes (quod per gratiam eorum dicam) scio. Intellegit Suetonius: hos ipsos gladios ex more jam dicto: ideoque Victor, *petiisse eum gladium dicit, quasi ad explorandam aciem.* Sed apertius ipse Dio in Nerva, de Crasso & Calpurnio: Παρεκαθίσατο δὲ αὐτοὺς ἐν τινι θέᾳ ἀγνοοῦντας ὅτι καταμεμήνυνται, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ξίφη, λόγῳ μὲν ἵν' ἐπισκέψωνται αὐτά, ὅπερ εἰώθει γίγνεσθαι, εἰ ὀξέα ἐστίν, ἔργῳ δὲ ἐνδεικνύμενος ὅτι οὐδὲν αὐτῷ μέλει, &c. *Collocavitque eos in spectaculo quodam juxta se, ignaros quod proditi essent, iisque gladios tradidit, verbo quidem uti inspicerent (quod fieri solitum) satisne acuti essent, re autem vera ut ostenderet,* &c. Caussa ergo huic quasi proverbio, quod cum Druso crebro edenti gladiatores, gladii exploran- Cap. 37.

di

di offerrentur: non admittere solitus nisi acutissimos sit. Jure ergo ille sanguinarius: lenissimus contra M. Antoninus, qui gladios acutos iis non permisit, sed hebetes dumtaxat & obtusos.

H.

Cap. 43. Rhenanus in Oratione Eumenii Rhetoris, qua est: *Merentur & Galli nostri, ut eorum liberis quorum vita in Augustedunensium opido ingenuis artibus eruditur*, &c. contra veterem editionem rescribere audet *Augustoclivieusium*. itaque edidit. Os hominis? Scilicet tota ea oratio in Cliviensium scholis instaurandis occupatur: quarum memoria (nisi apud hunc dormitatorem) nusquam aut nomen. Adsero tibi tuam gloriam Augustodunum: vel uno ictu, quem vitabit ipse. Scriptum ibi enim: *Civitatem istam & olim fraterno Populi Romani nomine gloriatam.* Qui autem è Gallis, fratres populi Romani. præter Æduos? quorum hæc urbs caput. At enim ibidem scriptum (id nuper homo amicus mihi objiciebat) *latrocinio eam Batavica rebellionis obsessam fuisse.* quod vix convenire putabat in Æduos, qui à Batavis siti longo intervallo. Sed vito facile petitionem ejus, & discedo latere tecto. Nam corruptus locus, scriboque, *Bagaudica rebellionis.* Batavi latrones numquam ad ea penita loca; nec latrocinii Batavici mentio in mediterraneis, sub id ævum. At de Bagaudis, auctores credendi qui res scripserunt Diocletiani. Victor: *Namque ubi comperit Carini discessu Ælianum Amandumque per Galliam excita manu agrestium ac latronum, quos Bagaudas incolæ vocant, populatis late agris plerasque urbium tentare: Maximianum Imperatorem jubet.* Salvianus lib. v. de Gubernat. *Itaque passim vel ad Gothos, vel ad Bagaudas, vel ad alios ubique dominantes barbares migrant, & migrasse non pœnitet.* Vide & Orosium lib. vii. ubi tamen, *Baticada* in manusc. codice, qui apud me est, legitur, sicut & *Baccharida* in Eusebii Chronicis. Spernimus ergo Augustoclivienses, Rhenani colonos novos: & Mæniana illa Augustoduni constituimus, ut hic ex Tacito vides. vetustissima post Massiliam bonarum artium sede.

ADD. Ergone certamen mihi novum, pro veteribus Mænianis? novum & magnum, cum viro magno. Tecum Stephane Pighi. qui in Hercule Prodicio nuper, ipso aditu tui operis, ita acriter & multis machinis eas oppugnasti, ut nesciam an sim repugnando. Tamen quia caussæ bonitas, nisi fallor, à me est, nitar pro veritate. disponam hanc stili aciem, manus tecum conseram; sed ut cum amico, plane amice. Ut non solum sine plaga pugna hæc sit, sed sine sugillatione aut morsu: sicut decet mitium dearum alumnos.

Ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι.

Quisquis hæc leges, affectum in me aut pro me pone: *Μικρὸν φροντίζων τῦ Λεψίυ, τῆς δὲ ἀληθείας πολὺ μᾶλλον.* Dixi ego nobiles illas Oratione Eumenii scholas (Mænianas ipse appellat) Augustoduni in Celtica fuisse: tu Pighi Augusto-Clivii eas collocas in extrema Belgica ad Rhenum. Ita toto solo & cælo, quod dicitur, dissidemus. Tua argumenta prævidebo, subsceram mea. Ais primo, niti te sacra Constantii Cæsaris epistola (ea Orationi inserta est) in qua Augusto Cliviensium oppidum diserte nominatur. Verba: *Merentur & Galli nostri, ut eorum liberis, quorum vita in Auguste Cliviensium opido ingenuis artibus eruditur: & ipsi adolescentes, ut eorum indoli consulere cupiamus.* Hoc, Pighi, adsers? vide ne Lunam hanc, quod Græci dicunt, in te detrahas: aut, quod Latini, asciam tuis ipse cruribus illidas. Nam ita quidem Rhenanus vulgavit, fateor: sed, quod scire te tua interest, aliter & à mea mente diu ante illum Cuspinianus, in quo reperies, *Augustodunensium opido*, clare. Utri credendum magis? ego huic censeam, non solum quia vir simplicissimæ probitatis, sed magis quia libris probis & vetustis usus (tota Editio docet; infinitis partibus illa Rhenani melior, imo & auctior) quos alter habuisse fatetur nullos. Igitur hoc telum anceps, aut tibi adversum: ideoque validiore jam pugnas. Exstat ipsius Eumenii, inquis, Clivii etiam nunc statua, monumentum & Scholæ olim, & ejus doctrinæ. Commovisti me eo argumento, cum legi, fateor: sed idem facile in gradum reposuisti, descriptione quam addis. Qui enim evincis, aut illam talem statuam Eumenii esse, aut prisci omnino ævi? *Stat*, inquis, (nam verba tua usurpo) *in vestitu sui temporis. tunica videlicet talari tectus, & calcei ex aluta pedem ac talos cingunt, & supra pedem execti atque fenestrati sunt. Comam in fronte & cervice decurtatam æqualiter coustringit vitta; sicut ventrem latus baltheus atque bullatus. Dextra massam vel auri vel argenti in patera positam præsentare videtur. sinistra tenuit ferulam demissam, magisterii insigne.* Tuam fidem, Pighi. Hæc insignia Eumenio Rhetori conveniunt? Baltheusne? qui militum esse solet. Vittane? quæ sacerdotum. Ferula? quæ pædagogorum: non istorum (qui publice & cum dignitate docebant. Jam coma illa sic decurtata, tunica illa ad talos, & calcei: numquam à tam prisco habitu mihi videantur, quidquid adserat tua Peitho. Velim & illud bona venia quæsitum. an nomen Eumenii insculptum in hac statua est? non enim dicis. Si est: aliquod pro te argumentum fateor, sed fluxum; quia plures fuerunt Eumenii. si non est; quid urges nos ancipiti conjectura? Sed transis ab hoc musculo ad duplicem Arietem: quos intorques verbis & viribus Eumenii, & mœnia nostra valde quatis. Primum, inquis, Eumenius ipse docet sentire se de Clivio, cum ait, *urbem suam latrocinio Batavica rebellionis obsessam, Romani Principis auxi-*

lium flagitasse. Belle hoc in Rhenanos accolas convenit, qui vicini Batavis: in Augustodunenses qui potest? aut quis credat Batavos ab extremo Oceano, per tot sola terrarum, in mediam Celticam penetrasse? idque cum tot oppida interjecta, & præsidia ubique Romana. Ne ego quidem, mi Pighi, credo. sed arietem hunc tuum pridem haud incallide laqueo averti. Nam vitium hic verbi esse, & *Bacaudica* legendum, docui in Commentario meo: quem peto legas. Ætolica hæc audacia est, inquis. Non est. vide tempora, vide historiam: optime de Bacaudis omnia conveniunt: haud æque de Batavis. qui Romanis tunc fidi; qui fracti, & injurias à Barbaris varias acceperunt, non ipsi aliis intulerunt. Tu ipse hæres, & ambigue obsidionem hanc ad Taciti Imp. tempora refers: sub quo Franci aliæque Germanorum gentes Bataviam & Galliam vastarint. Sed qui doces ipsos Batavos aliena tunc vastasse? Id enim necessum est, si proba verba *Batavicæ rebellionis.* Vocat etiam *Latrocinium.* quod à me est, quia Victor aliique Bacaudas hos appellant, *agrestes, ac latrones.* Argumentum ultimum. Verba, inquis, Eumenii ita clare & graphice Clivium & finitimæ regionis situm describunt, ut trahi aliorsum nulla vi possint. Videamus ponam ipsa pluscula. *Nisi forte non gravior Britanniam ruina depresserat, quam si perfuso tegeretur Oceano: quæ profundissimo Pœnorum* (ita Rhenanus: tu *Pictonum* legis: Cuspinianus, *pœnarum*, quem sequor) *gurgite liberata ad conspectum Romanæ lucis emersit. Aut hæc ipsa, quæ modo desinit esse Barbaria, non magis feritate Francorum velut hausta desederat: quam si eam circumfusa flumina & mare alluens operuisset.* En, velut in tabula, ut ais, depictam exponit Bataviam cum vicina Germania: quos ramis suis Rhenus circumfundit, & Mosa alluit, & Oceani sinus ubique tangunt. *Ubi autem Æduis mare alluens? ubi circumfusa flumina?* Pax, mi Pighi, objecto lanæ sacco Arietis hujus ictum mollio & excipio. Æduos non describi fateor: affirmo totam Galliam, in qua Ædui. Franci quæ loca magis vastarunt, imo ceperunt sibi & insederunt, quam Galliam? Itaque cum Francos nominet, vides quam apposite & omnium historiarum ejus ævi consensu, ad Galliam id trahamus. Sed ubi mare, inquis, & flumina? conspicua & in aperto. Quid enim clarius quam Galliam mari utrimque allui? quid certius quam Rheno & Rhodano circumfundi, & multis aliis fluminibus perfundi? Itaque mi optime & doctissime Pighi (talis revera es) vide ne dum nimium pro gloria Clivensium tuorum Principum (cui & nos ex animo favemus, sed vanis rerum eam non augemus) pugnas, veritatem deseras. quam nos fulcimus his etiam argumentis.

Primum quæro, Ubi, aut à quo scriptore idoneo & veteri nominatum illud Clivium? adfers nullum. Nam quod Antoninus Clevum nominat, in Britannia scilicet id ponit, in hoc limite nusquam. Conjecturas aliquot recenses, & nescio quid ex vulgi fama de Julio Cæsare. sed obsecro, si tam vetustum hoc opidum sive castrum: nonne mirum silentio id ab omnibus superis, mediis, imis scriptoribus quasi de compacto præteritum? Et ferrem, si in vili loco. sed urbem Mænianis istis celebrem, Coloniam populi Rom. (nam hoc quoque Eumenius tradit) verbulo nusquam nominari, quæ incuria vel potius injuria est?

Deinde. Clivium tuum in Rheni limite situm est, in confinio tot Barbarorum. Quis acri pectore tibi dabit, Scholam institutam in officina illa Martis?

Tertio. Magna & ampla ea urbs fuit, de qua Eumenius agit: templa pulcherrima habuit: Capitolium, & Aquæductus, & omnia more Romano. Cedo, ubi apud vos hæc vestigia? Suspicione levi ea quæris: sed re & veritate reperies Augustoduni. Ejus *muros spatiosi ambitus* alibi Ammianus appellat: *mœnium Augustoduni magnitudinem vetustam*, alibi: & clara indicia etiam nunc exstant indice & teste Petro San-Juliano.

Quarto, Scribit Eumenius, *civitatem istam & olim fraterno populi Romani nomine gloriatam.* Nonne verissimum & testatissimum illud in Æduis? de Clivio ubi tale repperis? Perfugium quæris in Batavis. & illi etiam, inquis, appellati fratres & amici populi Romani. Scio & Commentariis meis jampridem inserui: sed hoc quoque scio, quod non vulgo. & si Batavi; non tamen ideo vicini Galli. Alia illorum caussa est, qui tributorum immunes, semili-beri, arma tantum & viros imperio suppeditabant. Itaque jure socios se dixerunt, fratres, amicos. In vobis quid simile? qui veri Galli & tributarii, jam diu grave jugum ferebatis Romanæ servitutis.

Quinto. Vetustissimæ sunt illæ Eumeniæ Mænianæ. Colligas vel ex his verbis: *Mæniana illa schola quondam pulcherrimo opere & studiorum frequentia celebres.* Quod de Augustoduno certum: ubi Scholam à nobilitate omni Gallica frequentatam, Tacitus jam inde sub Tiberio agnoscit. De Clivio nihil tale habemus, præter suspicari.

Sexto. Mænianas illas *inter Apollinis templum atque Capitolium* Eumenius ponit. Atqui Apollinis quoque templum in Flavia Æduorum sive Augustoduno inclutum fuisse, alius Panegyristes testatur in Oratione Constantino dicta.

Postremo. Eumenius, *Artifices Transmarinos, & ex amplissimis Provinciarum ordinibus incolas novos indultos* suæ civitati ab Impp. scribit Alius Orator in Panegyrico ad Maximinum: *Civitas Æduorum*, inquit, *ex hac Britannica facultate victoria plurimos, quibus illa provincia redundabant, accepit artifices.* Nonne eadem de re palam atque urbe loquuntur? Et quid verba facio? citius soli nascan-

nascantur in hac manus vola, quam opinio tua, Pighi, in mea mente. ex iis quidem, quæ adhuc dixisti. Nam firmiora si adfers: facile ego Plancus aut Deillius, nec morabor transfugii (dummodo in Veritatis castra) ullam notam. Hæc candide à me scripta. homo candidissime, sine ulla frontis nubecula, sic leges.

I.

Cap. 31. Seneca De Beneficiis: *Video uniones non singulos singulis auribus comparatos: (jam enim exercitatæ aures, oneri ferendo sunt:) junguntur inter se, & insuper alii bini supponuntur* (forte *suppanguntur.*) *Non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia singulis auribus pependissent.* Tertull. acute, De habitu mul. *Graciles aurium cutes Calendarium expendunt, & in sinistra per singulos digitos saccis singulis ludit.* Augustinus hoc amplius queritur, suo ævo insanisse in turpi isto aurium cultu etiam viros, quem vide, si lubet, Epist. LXXXIV. Eum luxuriæ ritum referre quidam conantur ad ævum priscum, ex Valerii verbis l. v. cap. II. de Martio exorato à feminis: *In quarum honorem, Senatus matronarum ordinem benegnissimis decretis adornavit. Sanxit namque uti feminis semita viri cederent, confessus plus salutis reip. in stola, quam in armis fuisse; vetustisque aurium insignibus novum vitta discrimen adjecit.* legunt enim, *inaurium insignibus.* Non probo. & fortaste nec notæ quidem tunc Italiæ gemmæ. Scripserim, *vetustisque crinium insignibus?* Crinibus enim posituque comarum, matronæ antiquitus discretæ ab innuptis. Tertullianus, de Virginibus velandis: *Simulque se mulieres intellexerunt, versunt, capillum, & acu lasciviore comam sibi inserunt, crinibus à fronte divisis apertam professæ mulieritatem.* Plautus Milite:

Utique eam ornatam adducas matronarum modo,
Capite compto, crines, vittasque habeat.

Mostellaria:

Soli gerundum morem censeo, & capiundos crines.

id est, nubendum. Festus: *Senis crinibus nubentes ornantur, quod,* &c. Senis crinibus, id est, sex crinium orbibus, sive sertis. Implexi igitur capilli matronales, ut exemplum petere licet à statuis nummisque: virginum puerorumque, cirri, & cincinni. Ammianus lib. XIV. *Et licet quocumque oculos flexeris, feminas affatim multas spectare cirratas; quibus si nupsissent, per ætatem ter jam nixus poterat suppetere liberorum.* Cirratas, capio innuptas: uti Persius eodem epitheto de pueris, *Ten' cirratorum centum dictata fuisse.* Valerii ergo mens, præter crinium discrimen, adjectam illis & alteram vittam. De quâ Capellam accipio lib. I. de nupt. Philol. *Juno quoque ex purgatioris auri splendente vena addiderat crinibus sociale vinculum.* Propert.

Vinxit & acceptas altera vitta comas.

Ubi legi in vet. cod. *aspersas*; & placet. referoque ad aspersionem aquæ nuptiis solennem. De qua idem:

Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
Vitta data est.

Sed redeo ad nostrum.

JUSTI LIPSII
AD
LIBRUM IV.
ANNALIUM
EXCURSUS.

A.

Cap. 42. Romuli lege, matrona adulteri rea, marito permissa cognatisque. Ii, uti visum, multabant, puniebant: Sed utrumne morte? Puto, verecunde contra virum doctum, licuisse. Ex Dionysio, qui lege regia maritum constituit *κύριον τοῦ μεγέθους τῆς τιμωρίας, arbitrum magnitudinis pœnæ.* Ex jure ipso. quia mulier quæ juxta sacratas Romuli leges nupta, ita in manu viri, ut proles in patris. Ex Tacito: apud quem *Plautius, prisco instituto, de capite famaque conjugis, propinquis coram, cognovit, & insontem nuntiavit.* Ait, capite famaque: Si in superstitionis crimine marito id juris: credo & in adulterii. In eas quæ sacris Bacchanalium incestu usæ, cognati maritique intra domos animadverterunt, ajunt Livius & Valerius: nec dubito, quin ea animadversio ad caput pertinuerit. Denique Egnatius quispiam uxorem, quod vinum bibisset, fusti intercmit, idque factum non modo accusatore, sed etiam

reprehensore caruit: quidni idem juris in graviori culpa sit? Argumentum à Catone non petam, qui ait: *In adulterio uxorem tuam si prehendisses, impune necares.* Vanum enim. & pertinere tantum videtur ad deprehensam. Tamen hoc fateor: eo severo jure perquam raro maritos usos; moribusque receptum videtur, ut adulteram apud cognatos convictam domo saltem exigerent, multarentque dote. Id jus (sive mos fuit) Plautus indicat Amphitruone:

Quid si adduco tuum cognatum huc, à navi Naucratem,
Qui mecum una vectu'st, una navi: atque is si denegat
Facta, qua tu facta dicis, quid tibi aequum est fieri?
Numquid caussam dicis, quin te hoc multem matrimonio?

Et respondet mulier, *Si deliqui, nulla caussa est.* Et clare Valerius lib. VIII. cap. II. *Cum C. Titinius Minturnensis Fanniam uxorem, quam impudicam de industria duxerat, eo crimine repudiatam spoliare dote tenaretur.* Portius Latro, contra adulteram: *Illud, judices, mihi tormento est, quod notata judicio vero, ut multiplicatam dotem perdas; plus tamen ex quaestu habet, plus habitura est, quam quantum damnata perdendum est.* Hæc antiquitus obtinuisse videntur. quibus addo: Si mariti cognatique dissimulabant, ait, ut Livii verbis utar, idoneus in privato supplicii exactor nemo erat: non raro, publico judicio, persequebatur id crimen magistratus. Et præsertim Ædilis. ac damnatos damnatasque apud populum reperio pecuniaria multa, imo exsilio interdum. Exempla adduxi supra, de Vistilia: & nunc non repono. Adde è Valerio de Cn. Sergio Silo, *cui promissorum matrifamilia nummorum gratia dies ad populum dicta, damnatusque.* lib. VI. Nec plura repe rio prisco ævo. Lex Julia secuta est, ferente Augusto. Pœna ejus in volumine Digestorum, quod miremur, non expressa: & ideo ferram inter se reciprocant viri docti. Capitalem eam fuisse plures senserunt, deterioresque: Relegationem tantum, pauci bonique. Et hercle non fuit mors. Ex Taciti verbis lib. III. de Julia filia, neptique: *Adulteros earum morte aut fuga punivit.* statimque addit, culpans Augustum: *clementiam majorum suasque ipse leges egrediebatur.* Nam intellegit Julias leges. Ne exsilium quidem, ex eodem loco: sic enim interpretor, fugam. & ex hoc, qui in manibus: ubi Tiberius contra legem Juliam, severitatem pervicaciter amplexus, Aquiliam exsilio damnat. Exsilium intellego, perpetuum, quod sit vice deportationis. Esto igitur Relegatio. Facit huc illud Taciti de Vistilia. *Eaque in insulam Seriphon abdita est.* id est, in insulam relegata. & paullo clementius de Manlio, relegatione simplici: *Adultero Manlio Africa atque Italia interdictum.* Juvat aliquid illud Ovidii, qui ob adulterium damnatus: *Namque relegatus, non exsul dicor.* Et rationes quædam ex jure scripto: quas pete à Cujacio l. VI. Observat. cap. XI. Nodus aliquis esse possit in Jurisconsulti verbis ad l. Juliam: *Adulterii damnatam si quis duxerit uxorem, lege eadem tenetur.* quod tollere videtur relegationem. Et in verbis Portii Latronis, quæ supra: è quibus mulcta dotis saltem erui potest, & infamiæ nota. Portius autem posterior Julia lege. Dicam vere, parum certa res est: & exempla relegationis quæ in historia in personis eximiis, videri possunt à severitate Principum, non à lege: aliudque servatum forsasse in hominum vulgo. Ni fuisset; non illæ tam frequentes essent de adulteriis apud scriptores id ævi querelæ. Seneca audet scribere: *Numquid jam ullus adulterio pudor est? postquam eo ventum est, ut nulla maritum habeat, nisi ut irritet adulterum.* aliaque passim reperies in eam sententiam; parum probabilia, si relegatio & fuga, adulterii pœnæ. Quidquid ejus est: capitale postea id crimen factum, ut ex Apulejo notat idem Cujacius: cui adde Arnobium lib. IV. *Adulteria tamen legibus vindicant, & capitalibus adficiunt eos pœnis, quos in aliena comprehenderint fœdera genialis se lectuli expugnatione jecisse.* Et gladio animadverterunt non in adulteros modo, sed omnes impudicos stupratoresque, Wandalicæ leges, ut legi apud Salvianum l. VII. *Addiderunt quoque hoc ad libidinem comprimendam, severas pudicitia sanctiones decretorum, gladio impudicitiam coercentes.*

JUSTI

JUSTI LIPSII
AD
LIBRUM V.
ANNALIUM
EXCURSUS.

A.

Cap. 4.

cta Senatus vocabant, commentarios (*ὑπομνήματα* vertunt Græci) quibus breviter inscriptum quidquid apud patres diceretur, agereturque. Tantum apud patres. Origo eorum, ut videtur, à Julio Cæsare: qui consul, *Inito honore, primus omnium instituit, ut tam Senatus, quam populi diurna acta conficerentur, & publicarentur.* Confectio mansit: publicatio abrogata ab Augusto. Suetonius cap. XXXVI. *Auctor aliarum rerum Senatui fuit: in quis ne acta Senatus publicarentur.* Conficiebat ea quispiam è Senatu: scilicet ne arcana patrum sciret non è patribus. Colligimus ex Tacito hic, qui Junium hunc Rusticum Senatorem ostendit infra: *Quod fraude unius Senatoris elusa majestas imperatoria esset.* Et Spartiano. qui Hadriano munus hoc tribuit post Quæsturam. *Post Quæsturam*, ait, *acta Senatus curavit.* eumque vocabant A cura Actorum, vel, ab Actis Senatus. Lapis vetus, C. PORCIO. C. F. QVIR. X. VIRO. STLITIB. IVDICAND. ADLECTO. INTER. QVÆSTOR. AB. ACTIS. CEN. Conficiebat dixi Senator: sive præerat conficiendis. cui tamen adjuncti scribæ censualesque, quos à re Actuarios item dicebant. Capitolinus Senatusconsultum Tacitum ita describit, *ut non scriba, non servi publici, non censuales illis actibus interessent: Senatores exciperent, Senatores omnia officia censualium scribarumque complerent, nequid forte proderetur.* Censuales illa ætas dixit, librarios, scribas, tabellionesque. Inde titulus in Codice l. x. conceptus, *De tabulariis, scribis, logographis, & censualibus:* inde & Censuale officium, haud absimili sensu, l. XVIII. c. De testamentis. Eaque mente Tertullianus Apol. cap. XX. *Gratorum censuales conferendi* Actuarii qui excipiunt scribuntque, ut Julio Suetonii cap LV. Senecæ epist. XXIII. *Non quidem hæc quæ alienis verbis commodatur, & Actuarii vice fungitur:* & Glossis Græcis, *ὑπομνηματογράφος*, *Actuarius, Memoralius.* Qui non in urbe solum, sed in provinciis militiaque Actuarii in militia, lib. v. c. De erogatione militar annonæ. Et Spartiano: *Ipse quod matrimoniis militum & militarium corrumpendis operam daret, à quodam Actuario, cujus uxorem stupraverat, percussus est.* Quos eleganter & cum adfectu describit Victor in Gallieno: *Actuarii*, inquit, *genus hominum nequam, venale, callidum, seditiosum, habendi cupidum, atque ad patrandas fraudes velandasque quasi ab natura factum, annonæ dominans: eoque utilia curantibus & fortunis aratorum infestum: prudens in tempore his largiendi, quorum vecordia damnoque opes contraxerit.* Satis de Actis Senatus: venio ad populi. Ea dicta Publica acta, Suetonio in Tiberio cap. v. & alias passim. Idem Diurna, quia in dies conficerentur, Tacito lib. XVI. & XIII. Item Urbana. Sæpius etiam *ἁπλῶς*, Acta, *κατ' ἐξοχήν*. Iis continebantur res rationesque populi, judicia publica, supplicia, comitia, ædificia, nativitates, illustres mortes, matrimonia, divortia. De judiciis suppliciisque admonuit Ammianus lib. XXII. *Et acta super eo gesta non sine magno legebantur horrore, cum id voluminis publici contineret exordium: Consulatu Tauri & Florentii, inducto sub Præconibus Tauro.* Ubi & formam aliquam servabis conficiendorum Actorum. De ædificiis, Tacitus lib. XIII. *Nerone II. L. Pisone Cos. pauca memoria digna evenere. nisi cui libeat laudandis fundamentis & trabibus, quis molem Amphitheatri Cæsar exstruxerat, volumina implere: cum ex dignitate populi Rom. repertum sit, res illustres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare.* De nativitatibus Suetonius sæpe: qui plerumque argumenta sibi sumit de die cujusque principis natali; ex Actis, ut Tiber. c. v. Cal. cap IX. Origo ejus instituti à Servio Tullio, qui ut numerum sciret nascentium, morientium, virorum, adinvenit. Uti Propinqui nata prole certum aliquem nummum in ærarium Junonis Lucinæ inferrent: iidem aliquo mortuo, in Veneris Libitinæ: & sumente quopiam virilem togam, in Juventutis. Exolevisse is mos videtur, sed in pueris natis retraxit Augustus: eaque adnotatio in Actis cum cura habita, utique post Julias Papiasque leges. Juvenalis

> —— *Tu libris Actorum spargere gaudes*
> *Argumenta viri.* ——

Apulejus: *Pater natum sibi filium ceterorum more professus est.* Scævola l. XXVIII. De probationib.

Mulier

Mulier gravida repudiata, absente marito filium enixa, ut spurium in Actis professa est. Capitolinus in Gordianis: *Filium Gordianum nomine Antonini & signo illustravit, cum apud Praef. ærarii, more Romano, professus filium, publicis Actis ejus nomen insereret.* Non fallet te idem Capitolinus in M. Aurelio, qui ita de hac professione differt, quasi ille invenerit primus. *Inter hæc*, inquit, *liberales caussas ita munivit, ut primus juberet apud Praefectos ærarii Saturni unumquemque civium natos liberos profiteri, intra tertium diem nomine imposito:* Quod aliter est; sed addidit quædam, immutavitque. De matrimoniis divortiisque, clarum est in Acta relata fuisse propter præmia pœnasque legum. Imo etiam ante Juliam, Papiamque. Cælius ad Ciceronem, *Paulla Valeria* (scribo *Valerii*, id est, conjunx) *soror Triarii divortium sine caussa fecit. Nuptura est D. Bruto: nondum rettulerat.* Rettulerat, scilicet in Acta. Seneca De Beneficiis: *Quia vero nulla jam sine divertia acta sunt, quod sæpe audiebant, facere didicerant.* Et ad matrimonia pertinet versus Juvenalis,

Fient ista palam, cupient & in Acta referri.

Hæc Acta à scribis tabellariisque confecta videntur, & ad Atrium Libertatis in Tabulario adservata. Livius XLIII. *Censores extemplo in atrium Libertatis ascenderunt, & ibi signatis tabellis publicis, clausoque tabulario, & dimissis publicis servis.* Cui vetus inscriptio Curatores tamen quosdam adsignat.

C. CALPETANVS. STATIVS.
SEX. METRORIVS
M. PERPENNA. LVRCO
T. SARTIVS. DECIANVS
CVRATORES. TABVLARIOR.
PVBLICORVM. FAC. CVR.

At ex Taciti XIII. colligas curam eam Quæstorib. fuisse aut ærarii Præfectis. *Princeps*, inquit, *curam tabularum publicarum à Quæstoribus ad Praefectos transtulit.* Eoque facit quod M. Aurelius Professiones infantium rettulit ad Ærarii præfectos. Tabularii mentio etiam Ciceroni, pro Rabirio perduellionis reo: Virgiltoque II. Georg.

——— *aut populi tabularia vidit.*

Ubi Servius quædam. Lampridius in Alexandro referre videtur Actorum confectionem ad Præfect. urbis: *Fecit Romæ*, inquit, *curatores urbis XIV. sed exconsulares viros, quos audire negotia urbis jussit, ut omnes aut magna pars adessent, cum Acta fierent.* Sed intellegit judiciaria acta. Fuerunt & Registra quædam publica, præter hæc Acta de quibus Vopiscus in Probo: *Usum sum etiam Registris scribarum porticus Porphyreticæ, Actis etiam Senatus, ac populi.* Perierant hæc publica acta (γράμματα δημόσια appellat Dio) qua vetustate, qua incendio: sed reparavit primo principatu suo Tiberius, tribus Senatoribus ad describendum conquirendumque dilectis. Adi Græcum eum scriptorem lib. LVII. in actis anni DCCLXIX. Dixi ista uberius, & præter rem, ut constaret in parte juventuti, quæ essent illa Acta, quorum testimonio totiens noster aliique in memoria rerum usi: quæque habita semper historiæ materia & seges.

JUSTI LIPSII
AD
LIBRUM VI.
ANNALIUM
EXCURSUS.

A.

Cap. 2. lim qui damnati gravioris criminis, puta Majestatis, perduellionis, Tyrannidis: non ipsi solum adflicti & perditi, sed nomen & memoria eorum. Deterrere omnes à culpa simili volebant, non pœnæ modo, sed ignominiæ metu. Itaque hæc duo fere usurpata: ut nomen deleretur, ut effigies tolleretur. De nomine, Cicero Philip. XIV. eum Antonii nomen è Fastis sublatum decreto Senatus esset: *Cujus totus consulatus est ex omni monumentorum memoria revulsus.* noster lib. II. *Nomen Pisonis radendum Fastis censuit.* Lampridius in Eligabalo: *Nomen Antonini erasum est, Senatu jubente.* Radebant igitur: sed & sæpe contenti erant per dedecus oblinere aut lutare. Lampridius Elgabalo: *Misit qui & in castris statuarum ejus titulos luto tegerent, ut fieri solet de Tyrannis.* Eusebius pulchre Eccl. Histor. lib. IX. cap. ult. de Maxentio: Γραφαί τε ὅσαι ἐις τιμὴν αὐτῦ καὶ τῶν αὐτῦ παίδων κατὰ πᾶσαν ἀνέκειτο πόλιν,

πόλιν, ὡς μὲν ἐξ ὕψους εἰς ἔδαφος ῥιπτούμενας συνθλίβεσθαι, ὡς δὲ τὰς προσόψεις ἠχρειῶσθαι, σκοτεινῷ χρώματι καταμελαινόμενας: *Inscriptiones etiam & tituli, quicumque honori ejus aut liberorum per singulas urbes positi erant, partim e sublimi in terram detracti confractique sunt; partim ut videntibus inutiles fierent, obscuro quodam colore obducti & nigrefacti.* At de effigie fracta & abolita; Ambrosius: *Vide quemadmodum in civitatibus bonorum Principum imagines perseverent, deleantur tyrannorum.* Capitolinus in Gordianis: *Statuas Maximini dejecerunt, imagines perfregerunt, nomen publicitus eraserunt.* Livius de Atheniensibus: *Rogationem extemplo tulerunt, ut Philippi statuæ, imagines omnes nominaque earum, tollerentur delerenturque.* Juvenalis:

Frangenda miseram funestat imagine gentem.

Eusebius loco quem dixi: 'Ανδριάντες τε ὁμοίως ὁπόσοι εἰς τὴν αὐτοῦ τιμὴν ἀνεστάθησαν, ὡσαύτως ῥιπτούμενοι συνετρίβοντο. Γέλως καὶ παιδιὰ τοῖς ἐνυβρίζειν καὶ ἐπηρεάζειν ἐθέλουσιν ἐκκείμενοι: *Statua etiam quotquot in honorem illius fuerant erecta, similiter dejecta & protrita sunt: ac ludibrio & irrisui exposita omnium qui injuria & ignominia afficere eas vellent.* Ratio autem ista abolendi duplex. Prior, ut modeste id fieret, & per magistratum submoverentur è publico conspectu. Cicero in Verrem IV. *Centuripinorum Senatus decrevit, ut quæ statuæ C. Verris ipsius & filii essent, eas Quæstores demoliendas locarent, dumque ea demolitio fieret, Senatores non minus XXX. adessent.* Suetonius Domitiano: *Senatus scalas inferri, clypeosque & imagines ejus coram detrahi & affligi solo jussit.* Altera, ut per impetum, & tota res permitteretur furori cuidam plebejo. Tum receptum, laqueos statuis altioribus injicere, atque ita detrahere. Juvenalis:

——— descendunt statuæ, restemque sequuntur.

Seneca, seu quis alius, in Octavia: de statuis Poppææ:

——— membra per partes trahunt
Deducta laqueis.

Ita enim recte illic legimus, non *Diducta.* Plinius graphice hoc totum depingit, Panegyrico: *Ergo ista quidem ærea & pauca manent manebuntque, quamdiu templum ipsum: illa autem aurea & innumerabiles, strage & ruina publico gaudio litaverunt. Juvabat illidere solo superbissimos vultus, instare ferro, sævire securibus, ut si singulos ictus sanguis dolorque sequeretur. Nemo tam temperans gaudii seraque* (velim scribi, *serusque*) *lætitiæ, quin instar ultionis videretur cernere laceros artus, truncata membra, postremo truces horrendasque imagines abjectas* (lego *objectas*) *excoctasque flammis, ut ex illo terrore & minis, in usum hominum ac voluptates ignibus mutarentur.* Mos autem hic damnandi imagines sane antiquus. Ex Cicerone colligo, pro C. Rabirio: *Sext. Titius, quod habuit imaginem L. Saturnini domi suæ, condemnatus est.* Ubi & hoc vides, culpæ fuisse vel privatim damnatorum imagines habere. Qua mente illud Taciti scriptum, lib. XI. *Ac primum in vestibulo imaginem patris Silii SC. abolitam demonstrat:* Pulchre Ambrosius Officior. lib. I cap. XLIX. *Si tyranni aliquis imaginem habeat, nonne obnoxius est damnationi?*

JUSTI LIPSII
AD
LIBRUM XI.
ANNALIUM
EXCURSUS.

A.

PAGINA PRIMA.

Cap. 24. MÆ. RERVM. NOSTR. : : : : : : : : : : : : : : : : : EQVIDEM. PRIMAM. OMNIVM. ILLAM. COGITATIONEM. HOMINVM. QVAM. MAXIME. PRIMAM. OCCVRSVRAM. MIHI. PROVIDEO. DEPRECOR. NE. QVASI. NOVAM. ISTAM. REM. INTRODVCI. EXHORRESCATIS SED. ILLA. POTIVS. COGITETIS. QVAM. MVLTA. IN. HAC. CIVITATE. NOVATA. SINT. ET. QVIDEM. STATIM. AB. ORIGINE. VRBIS. NOSTRÆ. IN. QVOT. FORMAS. STATVSQVE. RES P. NOSTRA. DIDVCTA. SIT. QVONDAM. REGES. HANC. TENVERE. VRBEM. NE. TAMEN. DOMESTICIS. SVCCESSORIBVS. EAM. TRADERE. CONTIGIT. SVPERVENERE. ALIENI. ET. QVIDAM. EXTERNI. VT. NVMA. ROMVLO. SVCCESSERIT. EX. SABINIS. VENIENS. VICINVS. QVIDEM. SED. TVNC. EXTERNVS. VT. ANCO. MARCIO. PRISCVS. TARQVINIVS. PROPTER. TEMERATVM. SANGVINEM. QVOD. PATRE. DEMARATO. CORINTHIO. NATVS. ERAT. ET. TARQVINIENSI MATRE. GENEROSA. SED. INOPI. VT. QVÆ. TALI. MARITO. NECESSE. HABVERIT. SVCCVMBERE. CVM. DOMI. REPELLERETVR. A. GERENDIS. HONO-

RIBVS. POSTQVAM. ROMAM. MIGRAVIT. REG-
NVM. ADEPTVS. EST. HVIC. QVOQVE. ET. FI-
LIO NEPOTIVE. EIVS. NAM. ET. HOC. INTER.
AVCTORES. DISCREPAT. INSERTVS. SERVIVS.
TVLLIVS. SI. NOSTROS. SEQVIMVR. CAPTIVA.
NATVS. OCRESIA. SI TVSCOS. CÆLI. QVON-
DAM. VIVENNÆ. SODALIS. FIDELISSIMVS. O-
MNISQVE. EIVS. CASVS. COMES. POSTQVAM. VA
RIA. FORTVNA. EXACTVS. CVM. OMNIBVS. RE
LIQVIIS. CÆLIANI EXERCITVS. ETRVRIA. EX-
CESSIT. MONTEM. CÆLIVM. OCCVPAVIT. ET.
A. DVCE. SVO. CÆLIO. ITA. APPELLITATVS.
MVTATOQVE NOMINE. NAM. TVSCE. MASTAR-
NA. EI. NOMEN. ERAT. ITA. APPELLATVS. EST.
VT DIXI. ET REGNVM. SVMMA. CVM. REI. P.
VTILITATE. OPTINVIT. DEINDE. POSTQVAM.
TARQVINI. SVPERBI. MORES. INVISI. CIVITA
TI. NOSTRÆ. ESSE. COEPERVNT. QVA IPSIVS.
QVA. FILIORVM. EIVS. NEMPE. PERTÆSVM.
EST. MENTES. REGNI. ET. AD. CONSVLES. AN-
NVOS MAGISTRATVS. ADMINISTRATIO. REIP.
TRANSLATA. EST.

QVID. NVNC. COMMEMDREM. DICTATVRÆ.
HOC. IPSO. CONSVLARI. IMPERIVM. VALEN-
TIVS. REPERTVM. APVD. MAIORES. NOSTROS.
QVO. IN ASPERIORIBVS BELLIS. AVT. IN. CI-
VILI. MOTV. DIFFICILIORE. VIERENTVR. AVT.
IN. AVXILIVM. PLEBIS. CREATOS. TRIBVNOS.
PLEBEI. QVID. A. CONSVLIBVS AD. DECEMVI-
ROS. TRANSLATVM. IMPERIVM. SOLVTOQVE.
POSTEA. DECEMVIRALI. REGNO. AD. CONSV-
LES. RVRSVS. REDITVM QVID. IMP. : : : VRIS.
DISTRIBVTVM. CONSVLARE. IMPERIVM. TRI-
BVNOSQVE. MILITVM CONSVLARI IMPERIO.
APPELLATOS. QVI. SENI. ET. SÆPE. OCTONI.
CREARENTVR. QVID. COMMVNICATOS. POS-
TREMO. CVM. PLEBE. HONORES. NON. IMPERI.
SOLVM. SED SACERDOTIORVM. QVOQVE. IAM.
SI. NARREM. BELLA. A. QVIBVS. COEPERINT.
MAIORES. NOSTRI. ET. QVO. PROCESSERIMVS.
VEREOR. NE. NIMIO. INSOLENTIOR. ESSE VI-
DEAR. ET. QVÆSISSE. IACTATIONEM. GLO-
RIÆ. PROLATI. IMPERII. ULTRA OCEANVM.
SED. ILLOC. POTIVS. REVERTAR. CIVITATEM.

PAGINA SECVNDA.

: : : : : : : : : : : : : : : : SANE. : : : : : : : : : : NOVO.
: : : : : : : : : : : DIVVS. AVG. : : : : : NO. : : : : LVS.
ET. PATRVVS. TI. CÆSAR OMNEM FLOREM.
VBIQVE. COLONIARVM. AC. MVNICIPIORVM.
BONORVM SCILICET. VIRORVM. ET LOCVPLE-
TIVM. IN. HAC. CVRIA. ESSE. VOLVIT. QVID.
ERGO. NON. ITALICVS SENATOR. PROVINCIA-
LI. POTIOR ? EST. IAM VOBIS. CVM. HANC.
PARTEM. CENSVRÆ. MEÆ APPROBARE. COE-
PERO. QVID. DE. EA. RE. SENTIAM. REBVS.
OSTENDAM. SED. NE. PROVINCIALES. QVIDEM.
SI. MODO. ORNARE. CVRIAM. POTERINT. RE-
CIPIENDOS. PVTO. ORNATISSIMA. ECCE CO-
LONIA. VALENTISSIMAQVE. VIENNENSIVM.
QVAM. LONGO. IAM. TEMPORE SENATORES.
HVIC. CVRIÆ. CONFERT. EX. QVA. COLONIA.
INTER. PAVCOS. EQVESTRIS. ORDINIS. ORNA-
MENTVM. L VESTINVM FAMILIARISSIME. DI-
LIGO. ET. HODIEQVE. IN. REBVS. MEIS. DETI-
NEO. CVIVS. LIBERI. FRVANTVR. QVÆSO. PRI-
MO. SACERDOTIORVM. GRADV. POST. MODO.
CVM. ANNIS. PROMOTVRI. DIGNITATIS. SVÆ.
INCREMENTA VT. DIRVM. NOMEN. LATRO-
NIS. TACEAM ET ODI. ILLVD. PALESTRICVM.
PRODIGIVM. QVOD ANTE. IN. DOMVM. CON-
SVLATVM. INTVLIT. QVAM. COLONIA. SVA.
SOLIDVM. CIVITATIS. ROMANÆ. BENEFICIVM.
CONSECVTA EST. IDEM. DE. FRATRE. EIVS.
POSSVM. DICERE. MISERABILI QVIDEM. INDI-
GNISSIMOQVE. HOC. CASV. VT. VOBIS VTILIS.
SENATOR. ESSE. NON POSSIT.

TEMPVS. EST. IAM. TI. CÆSAR. GERMANICE.
DETEGERE. TE. PATRIBVS. CONSCRIPTIS. QVO.
TENDAT. ORATIO. TVA IAM. ENIM. AD. EX-
TREMOS. FINES. GALLIÆ NARBONENSIS. VE-
NISTI

TOT. ECCE. INSIGNES. IVVENES. QVOT. IN-
TVEOR. NON MAGIS. SVNT PÆNITENDI. SE-
NATORES. QVAM. PÆNITET. PERSICVM. NO-
BILISSIMVM. VIRVM. AMICVM. MEVM. INTER.
IMAGINES. MAIORVM. SVORVM. ALLOBROGI-
CI. NOMEN. LEGERE. QVOD. SI. HÆC. ITA. ES-
SE. CONSENTITIS. QVID. VLTRA. DESIDERA-
TIS. QVAM. VT. VOBIS. DIGITO. DEMONSTREM.
SOLVM. IPSVM. VLTRA. FINES. PROVINCIÆ.
NARBONENSIS. IAM. VOBIS. SENATORES. MIT-
TERE. QVANDO. EX. LVGDVNO. HABERE. NOS.
NOSTRI. ORDINIS VIROS. NON. PÆNITET. TI-
MIDE. QVIDEM P. C. EGRESSVS. ADSVETOS.
FAMILIARESQVE. VOBIS. PROVINCIARVM. TER-
MINOS. SVM. SED. DESTRICTE. IAM. COMA-
TÆ. GALLÆ. CAVSA. AGENDA. EST. IN QVA.
SI. QVIS. HOC. INTVETVR. QVOD. BELLO. PER.
DECEM. ANNOS. EXERCVERVNT. DIVOM. IV-
LIVM. IDEM. OPPONAT. CENTVM. ANNORVM.
IMMOBILEM. FIDEM. OBSEQVIVMQVE. MVLTIS.
TREPIDIS. REBVS. NOSTRIS PLVSQVAM. EXPER-
TVM. ILLI. PATRI. MEO. DRVSO GERMANIAM.
SVBIGENTI. TVTAM. QVIETE. SVA SECVRAM-
QVE. A. TERGO. PACEM. PRÆSTITERVNT. ET.
QVIDEM CVM. AD. CENSVS. NOVO. TVM. OPE-
RE. ET INADSVETO. GALLIIS. AD. BELLVM.
AVOCATVS. ESSET. QVOD. OPVS. QVAM. AR-
DVVM. SIT. NOBIS. NVNC. CVM. MAXIME.
QVAMVIS. NIHIL. VLTRA. QVAM. VT. PVBLICE.
NOTÆ. SINT. FACVLTATES. NOSTRÆ. EXQVI-
RATVR. NIMIS. MAGNO. EXPERIMENTO. COG-
NOSCIMVS.

JUSTI

JUSTI LIPSII
AD
LIBRUM XII.
ANNALIUM
EXCURSUS.

A.

Cap. 6. De Crispo Passieno lubet paullo amplius adtexere, illustri cumprimis viro & oratore. & maxime ea quæ Scholiastes vetus Juvenalis curiose rettulit ad versum Satyræ IV.

— — *venit & Crispi jucunda senectus.*

Crispus, inquit, *municeps Visellensis, tirocinio suo, in Senatu ita cœpit: Patres conscripti, & tu Cæsar. propter quod simul oratione* (malim *orationem*, ut duplex caussa laudis fuerit, & Libertas & Eloquentia) *plenissime à Tiberio conlaudatus, plurimas sponte caussas apud c. v. egit* pro *qua re in Basilica Julia ejus statua posita est. Consulatus duos gessit. Uxores habuit duas, primam Domitiam, deinde Agrippinam; illam amitam, hanc matrem Neronis Cæsaris. Possedit bis mille sestertia.* scribo, *bis millies sestertium:* quia homo prædives, & Suetonius ait Neronem hereditate ejus ditatum) *Omnium Principum gratiam adpetivit, sed præcipue Cæsaris* (excidit nota prænominis C. id est, *Caii.* nam hunc intelligit) *quem iter facientem secutus est pedibus. Hic nullo audiente à Nerone interrogatus* (à Nerone? imo vero *à Cajo*, in quem scelus hoc incesti competit. nisi mavis, *Hic illo audiente, à Nerone inter.* ea mente, ut Cajo præsente, à quopiam Nerone, qui adularetur fœdo Principi, & simul huic insidiaretur, sit rogatus) *Haberetne, sicut ipse, cum sorore germana consuetudinem? Nondum, inquit, quantumvis decenter & caute, ne aut negantem eum argueret, aut adsentientem sibimet mendacio dehonestaret.* (corrigo, *ne aut negando eum arg. aut adsentiendo semet dehon.*) *Periit per fraudem Agrippinæ, quam heredem reliquerat, & funere publico elatus est.* Scita narratiuncula. quam tamen ego ad Passienum hunc traho, auctore ejus valde invito. Nam ille (dormiit, an stertuit?) refert ad Crispum, qui sub Domitiano. Atqui Vibius ille nomine fuit: nec quadrant in eum re aut ævo, quæ hic dicta. Mira *παροραμα* Scholiastæ, alias docti. Sed & noster amicus, cur rescribit *municeps Vercellensis?* 'Ευλόγως ad Vibium illum, fateor: at non ad Passienum. Quamquam Visellliæ municipium etiam mihi ignotum. An *Vitelliensis?* an *Vitelliensis?* quæ loca Italiæ reperies. De morte autem hominis, quod Hieronymus ecce Chronico, eam Principe Caligula ponit, anno ejus secundo: *Passienus filius, fraude hereditatis suæ necatur.* sane falsum est. constat enim sub initia Claudii obiisse, ex Suetonii Nerone capite VI. Itaque trajectitia ea nota Hieronymi, ut in Chronico illo multa. sed & emendanda sic: *fraude heredis suæ.* Agrippina enim illi heres, & *per ejus fraudem*, ut diserte in Scholiastæ extremis hic verbis legis, periit. Fuit & Passienus pater, Senecæ nominatus lib. II. Controvers. V. Ad quem pertinere censeo Velleii verba lib. II. *Triumphalia ornamenta ex Africa* ei tribuentis: idque sub Augusto.

B.

In provincias Cæsaris olim legati aut pro prætores missi. in provincias dico majores. Nam Cap. 60. quædam minores nec tantæ rei. Procuratores saltem acceperunt. Quorum præcipuum ac proprium munus; ut reditus ac tributa colligerent, aliaque quæ ad fiscum: sed quoniam, nullo alio Præside, res sæpe cogebat jus inter provinciales dici, etiam in re criminum; factum ut jurisdictionem aliquam sibi sumerent, Præsidum exemplo. Id Procuratorum genus, notæ & discriminis caussa, dicti passim in libris legum, Procuratores vice Præsidis, aut cum potestate. ut l. II. C. De pœnis. l. III. C. Ubi causs. fisc. l. IV. C. Ad leg. Flav. de plag. Dixi, jurisdictionem sumerent. revera enim non habebant. Equites quoniam erant aut liberti. Tacitus in vita Agricolæ: *utrumque avum habuit procuratorem Cæsarum, quæ equestris nobilitas est.* Dio l. LIII. *Καὶ τοὺς ἐπιτρόπους* (non recte interpres vertit *Curatores*) *οὕτω γὰρ τοὺς τάς τε κοινὰς προσόδους ἐκλέγοντας καὶ τὰ προστεταγμένα σφίσιν ἀναλίσκοντας ὀνομάζομεν, ἐς πάντα ὁμοίως τὰ ἔθνη, τά τε ἑαυτοῦ καὶ τὰ τοῦ δήμου, τοὺς μὲν ἐκ τῶν ἱππέων, τοὺς δὲ ἐκ τῶν ἀπελευθέρων πέμπει.* id est: *Procuratores (ita enim appellamus eos qui publicos reditus colligunt, erogantque) in omnes provincias tam suas quam populi Cæsar mittit, quosdam ex equitibus, quosdam è libertis.* Itaque nec judicia nec acta eorum rata, vocarique poterant ad

disquisitionem Principis aut Senatus: quoniam lege apud eos agi (ut ad rem, & sollenniter loquar) nefas. apud magistratum solum populi Romani, prove magistratu actio legis fuit, ut Consules, Proconsules; Prætores, Proprætores: qui omnes è Senatu. apud equites non fuit, multo minus apud libertos. Inter equites excipio unum Præfectum Ægypti, apud quem, ut Tacitus notat, lege agi permisit Augustus, decreto quodam singulari. Attamen procuratores isti provinciis præerant, & jus sæpe in crimine & caussa capitis dicebant. Exemplum in Pontio qui Judææ procurator (non enim illi provinciæ proprie Præses) sententiam tulit de capite nostri capitis, Christi servatoris: exempla in Petronio, Cumano, aliisque vulgo apud Josephum. Idemque in certis minutis provinciis factum, quibus regendis solus Procurator. quarum aliquot Tacitus recensuit I. Histor. *Duæ Mauretaniæ, Rhætia, Noricum, Thracia, quæque aliæ Procuratoribus cohibentur.* & præter eas notabis Alpium maritimarum Procuratorem, item Ponti, Epiri, pluresque. Hæc clara satis & certa. Ad hos Procuratores, Claudii, me judice, accommodamus edictum, jubentis ut in provinciis eorum decreta proinde rata sint, ac si ipse statuisset. Nam ad fiscum solum si aptas: quid fiet communibus & late conceptis Cornelii verbis? *Rerum*, inquit, *à procuratoribus suis judicatarum.* pariterque indefinite extulit Tranquillus, *quæ procuratores sui in judicando statuerent.* Adde subsequentem omnem Taciti orationem: videbis non aliud eum indignari, quam quod jurisdictio communicata cum equitibus & libertis: de quo toties inter ordines olim certatum seditione aut armis erat. At procuratores qui rei familiari tantum impositi, qui in provinciis Proconsulum aut Legatorum: plane privati erant, & insigne in eos exemplum à Tiberio editum, de quo Dio: *Καπίτωνα τὸν τῆς Ἀσίας ἐπιτροπεύοντα εἰς τὸ συνέδριον ἐσήγαγε, καὶ ἐγκαλέσας αὐτῷ ὅτι στρατιώταις ἐχρήσατο, καὶ ἄλλα τινὰ ὡς ἀρχὴν ἔχων ἔπραξεν, ἐφυγάδευσεν. Ὁ γὰρ ἐξῆν τότε τοῖς τὰ αὐτοκρατορικὰ χρήματα διοικοῦσι πλέον, οὐδὲν ποιεῖν ἢ τὰς νενομισμένας προσόδους ἐκλέγειν, καὶ περὶ τῶν διαφορῶν ἔν τε τῇ ἀγορᾷ καὶ κατὰ τοὺς νόμους ἐξ ἴσου τοῖς ἰδιώταις δικάζεσθαι.* Et Tacitus: *Procurator Asiæ Lucillius Capito accusante provincia, caussam dixit, magna cum adseveratione principis, non se jus nisi in servitia & pecunias familiares dedisse. quod si vim prætoris usurpasset, manibusque militum usus foret, spreta in eo mandata sua, audirent socios.* Plane ergo privati. tunc quidem. Nam postea jus acceperunt de fiscali saltem pecunia cognoscendi, ut præmonui. Idque Dio etiam adsignificans ait, *ὁ γὰρ ἐξῆν τότε.* Hi posteriores Procuratores multi erant, & sparsi per provincias omnes: illi, pauciores digniorésque. Dio excipuas habere Proconsulum provincias videtur ab administratione Procuratorum. Addit enim ad verba lib. LIII. quæ supra, *πλὴν καθ᾽ ὅσον τοὺς φόρους οἱ ἀνθύπατοι παρ᾽ ὧν ἄρχουσιν, ἐσπράσσουσι.* quasi Proconsules reditus collegerint ipsi in provinciis suis. Fallacia verba, quæ virum doctum nuper induxerunt, non me. Planissime enim in Proconsulum etiam provinciis procuratores. Dio ipse docet; *Ἐς πάντα*, inquiens, *ὁμοίως τά τε ἴδια ἑαυτοῦ καὶ τὰ τοῦ δήμου.* id est, *In omnes gentes, tam quæ Cæsari quam quæ populo adtributa.* Atqui provinciæ omnes populi, Proconsulum fuere. Ulpianus item de Off. proconsf. *Sane*, inquit, *si fiscalis pecuniaria sit, quæ ad procuratorem Principis respicit, melius fecerit si se abstineat.* cujus vana & irrita monitio, si in Proconsulum provinciis Procuratores nulli. Quæ ergo Dionis verborum vera mens? Non alia, quam Procuratorem in aliis quidem provinciis omnes reditus colligere, quia omnes Cæsaris fiscique sunt: at in Proconsularibus non omnes, quoniam vectigalia quædam vetera ipse Proconsul colligat in populi ærarium usumque mittenda. Dictum satis, si addo; Procuratores solius rei, Rationales postea dictos, ut à prioribus illis distinguerentur. quoniam illi rempublicam etiam, hi solam privatam tractabant, rationesque pecuniæ principalis.

JUSTI

JUSTI LIPSII
AD
LIBRUM XIII.
ANNALIUM
EXCURSUS.

A.

Cap. 2. Formam dandæ tesseræ petendæque in parte expressit Appianus IV. Civilium: Καὶ ὁ Λεύκιος, inquit, ἔπεμψε τοὺς χιλιάρχους τὸ σύνθημα τῆς στρατιᾶς ληψομένους παρὰ τοῦ Καίσαρος, οἱ δὲ ἔφερον αὐτῷ τὸν ἀριθμὸν τῆς στρατιᾶς, κατὰ καὶ νῦν ἔθος ἐστὶ τὸν αἰτοῦντα τὸ σύνθημα χιλίαρχον, ἐπιδιδόναι τῷ βασιλεῖ βιβλίον ἐφήμερον τοῦ ἀριθμοῦ τοῦ παρόντος. Atque olim ea data videtur sine voce, inscripta vel insculpta brevi ligno; unde Tesseræ nomen. de quo Polybium adi lib. VI. at sub Impp. vocale id signum. Dabaot autem plerumque nomina deorum, aut heroum: etiam Græci. Pausanias lib. X. *Cum utrimque à ducibus de more militi tessera darentur, fortuitu ad oraculi verba apposita data sunt, à Thessalis Itonia Minerva, à Phocensibus gentis auctor Phocus* Etiam Persæ, si Xenophonti fides lib. VII. Παιδείας. & III. ubi à Cyro tessera data Ζεὺς σύμμαχος καὶ ἡγεμών. aut Ζεὺς σωτήρ. Suetonii loci bini non sani in hac re. alter Cal. cap. LVIII. *Signum*, ait, *more militia petisse: & Caio Jovem dante, Chæream exclamasse, Accipe ratum.* ubi restituo magnanimi viri vocem littera addita, *Accipe iratum.* alter cap. LVI. *Solitus modo signum petenti, Priapum aut Venerem dare; modo osculandam manum offerre formatam commotamque in obscœnum modum.* Libri vett. *commitamque*, aut, *cammatamque*, Scribo. *gammatamque.* Gammata manus, inserta commixtisque digitis ad formam ejus litteræ: qui mos in Italia & nunc. Sic lapides Gammati: non solum qui insculptum Gamma habebant, sed qui literam eam exprimebant transversi. Scriptor Gromaticus: *Solent termini occurrere, qui lapides tam longiores sunt quam qui latiores sequendi: hoc est, aut si cursum dirigunt lineares, aut si gamma faciunt transversi.* Malo etiam in Suetonii verbis, *obscœnum nodum*, quam *modum*. Facit ad lucem infamis hujus signi Lampridii locus Elagabalo: *Neque unquam verbis pepercit infamibus, cum & digitis impudicitiam ostentaret, nec ullus in conventu & audiente populo esset pudor.* Scies amplius tu uro, Tesseram duplicem fuisse: unam quæ ad excubias, alteram quæ ad pugnam. De postrema Tacitus lib. III. Histor. *Eadem utraque acie arma: crebris interrogationibus notum pugnæ signum.*

B.

Olim ærario præpositi Quæstores: notum. Causa immutandi sub Julio Cæsare orta, anno urbis DCCIX. Quia enim absente Cæsare Quæstorea creati nulli, ærarii cura Ædilibus duobus commissa est: nec rediit post illa ad Quæstores. Dio diserte notat lib. XLIII. Ædiles ergo præfuisse videntur (non enim immutationem reperio) per annos fere decem & septem, donec Augustus Prætorios substituit. Factum anno DCCXXVI. Dio lib. LIII. Καὶ ἐπειδὴ χρημάτων τὸ δημόσιον ἐδεῖτο, ἐδανείσατό τινα, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ, πρός τε τὴν διοίκησιν σφῶν, δύο κατ' ἔτος ἐκ τῶν ἐστρατηγηκότων αἱρεῖσθαι ἐκέλευσε. id est: *Quoniam ærarium publicum inops pecuniarum esset, quasdam mutuo sumptas in id contulit: & administrationi earum duos Prætura functos in annos singulos electos præfici jussit.* Suetonius c. XXXVI. *Auctor fuit, ut cura ærarii à Quæstoribus urbanis ad Prætorios, Prætoresve transiret.* Tacitus hic. Ideo in monumentis id ævi historiisque, Prætores ærarii, inscripti passim. Mansit ad Claudium, *qui curam ærarii Saturni Quæstoribus reddidit, quam medio tempore Prætores aut utique prætura functi sustinuerant*, ait Sueton. cap. XXIV. Ita tamen, ut honores iis extra ordinem permitteret, ait Tacitus, *ne metu offensionum segnius consulerent.* Quem Dio explicat, in Claudio: Τοὺς στρατηγοὺς τοὺς ἐπὶ τῆς διοικήσεως καταλύσας, ταμίαις αὐτὴν κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἐπέτρεψεν, οὐχ ὥστε καὶ ἐτησίως σφᾶς (ὅπερ ἐπί τε ἐκείνων πρότερον, καὶ ἐπὶ τῶν στρατηγῶν μετὰ ταῦτα ἐγεγόνει) ἄρχειν, ἀλλ' οἱ δύο οἱ αὐτοὶ τρία ὅλα ἔτη αὐτὴν διῴκουν, καὶ οἱ μὲν στρατηγίας εὐθὺς ἐλάμβανον, οἱ δὲ καὶ μισθὸν ἔφερον ὅπως ποτὲ καὶ ἔδοξαν ἄρξαι. id est: *Prætores ærarii solvens, Quæstoribus rursum antiquo more id tradidit. non tamen ut annuum eorum munus esset (quod antea & in ipsis & in Prætoribus factum:) sed duo iidem tres annos continuos eam curam sustinebant: eisque exactis Præturas statim adipisce-*

piscebantur, interdum & præmium mortedemque: proinde ac bene se gesserant. Honores ergo extra ordinem iis dati, sunt Præturæ. Sed ipsum immutans rursum Nero, redit non ad Prætores (non enim ita appellati amplius) sed ad Præfectos: quos è Prætoriis elegit. Itaque clare Tacitus, *Pratura perfunctos* dilegit non Prætores. Ita enim in Tacito corrigendum. Per bella tamen civilia, & Principe nullo Romæ, iterum Prætores præfecti videntur: innuitque Tacitus lib. IV. Histor. *Pratores ærarii (nam tunc à Pratoribus tractabatur ærarium) publicam paupertatem questi, &c.* Infita enim admonitio facile ostendit aliud fuisse Taciti, id est, Trajani ævo. Gellius lib. XIII. Præfectum nominat, *Quod per Quæstorem dixi*, inquit, *intelligi nunc oportet Præf. ærario. nam cura ærarii a Quæstoribus ad Præfectos* (ita legerim, *non Præfectum*) *translata est.* Præfuisse autem eos censeo biennium, ex hac sanctione Neronis: certe quidem ita servatum sub Trajano. Plinius Panegyr. de se & Tertullo: *Nondum biennium compleramus in officio laboriosissimo & maximo, cum tu nobis consulatum obtulisti.* Et statim: *Nobis Præfectis ærario, Consulatum antequam successorem dedisti.* In jure crebra mentio Præfectorum ærarii, ut l. XII. De his quæ ut indignis. l. XV. & XLII. De jure fisci.

C.

Cap. 31. Ad hanc Vicesimam Ariani insignis locus, lib. III. Dissertation. Epicteti, cap. XXVI. Ὁ δοῦλος εὐθὺς εὔχεται ἀφεθῆναι ἐλεύθερος. διὰ τί δοκεῖτε; ὅτι τοῖς εἰκοστώναις ἐπιθυμεῖ δοῦναι ἀργύριον; οὔ. ἀλλ' ὅτι φαντάζεται, &c. In quo loco, vide ut cæcutiat vir, alia doctus. Nam vertit: *Servus in primis cupit se donari libertate. Quam ob caussam? an quia desiderat pro tessera vendentibus argentum numerare? Non, sed quia opinatur, &c.* Et in notis ait, εἰκοστώνην esse qui rem emit exhibito signo aut tessera: manumissos autem emere publice frumenta potuisse exhibita tessera: unde Persius.

—— *scabrosum tesserula far.*

Somnia & nugamenta mera. Corrigo in Arriano, Τοῖς εἰκοστάταις. Glossæ: εἰκοστάτης, ὁ τὰς εἰκοστὰς ἀπαιτῶν, *Vicesimarius.* Verte igitur: *An quia vicesimariis argentum dare desiderat?* Idem Arrianus lib. II. cap. I. Ὅταν οὖν στρέψῃ τις ἐπὶ στρατηγοῦ τὸν αὐτοῦ δοῦλον, οὐδὲν ἐποίησεν; ἐποίησε. τί; ἔστρεψε τὸν αὐτοῦ δοῦλον; ἄλλο οὐδέν; ναί. Καὶ εἰκοστὴν αὐτοῦ δοῦναι ὀφείλει id est: *Cum quis servum suum verterit apud Prætorem, nihilne fecit? fecit. quid? vertit suum servum. Numquid amplius? Certe. vicesimam pro eo dependet.* Cicero lib. II. Attic. epist. XVI. *Portoriis Italiæ sublatis, quod vectigal superest domesticum præter Vicesimam?* Hæc in manumissis. At in servis receptum, ut quoties vænirent, vectigal pro iis penderet emptor. Id Tacitus fuisse ait, quintam & vicesimam: lectio modo sit certa. Ambigas enim jure, quoniam de hac XXV. nihil alibi scriptum. Imo scriptum contra: Augustum, cum pecunia ad bellum & nocturnos Vigiles ei opus, instituisse Quinquagesimam venalium mancipiorum. Dio LV. in actis anni DCCLX. Τὸ τέλος τῆς πεντηκοστῆς ἐπὶ τῇ τῶν ἀνδραπόδων πράσει ἐσήγαγε. Et hercle uti aliarum rerum venalium Centesima fuit: sic Quinquagesima mancipiorum. ausimque in Tacito reponere, *quinquagesima.* Alia quinquagesima est, de qua in Symmacho, & infra hoc ipso libro. Fuit & Vicesima hereditatium, instituta ab Augusto ad ærarium militare: de qua Dio lib. LV. actis anni DCCLIX. Τὴν εἰκοστὴν τῶν τε κλήρων καὶ τῶν δωρεῶν ἃς ἂν οἱ τελευτῶντές τισι, πλὴν τῶν πάνυ συγγενῶν ἢ καὶ πενήτων, καταλίπωσι, κατεστήσατο. Temperavit eam Nerva, & magis Trajanus: de quibus multa Plinius in Laudatione. qui omnino videndus: si vim intelligere aves ejus vectigalis. postque illos Antoninus Philosophus, de quo Capitolinus: *Leges etiam addidit (sive edidit) de vicesima hereditatum: de tutelis.* Videndus item Paullus lib. IV. Sent. tit. VI. lib. ult. C. de edicto D. Hadrian. toll. De Vicesimæ legibus primus scripsit A. Ofilius, & post eum Macer libros duo: Invenio & in lapidibus, PROCVRATOR XX. HEREDITATIVM. item, PROMAGISTER. XX. HEREDITATVM. qui postremus titulus ab eo, quod, uti è Plinio discis, publicani colligebant hoc vectigal: quorum Magistri, & Promagistri. Satis. nec enim Jurisconsultorum frugem demetere propositum nobis.

JUSTI

JUSTI LIPSII AD LIBRUM XIV. ANNALIUM EXCURSUS.

A.

Cap. 2. Tempus enim ut tarde aliquando juventus nostra discat, quid Tempestiva convivia, quid Intempestiva. Discat, & dediscat illa quæ nuper hausit à magnis magistris. Ajunt convivium Tempestivum esse, quod tempore celebretur: verbo reque honestum: nec in vitio poni umquam, nisi in libris vitiatis. Ecce alii qui Tempestivum nihilum differre dicant ab Intempestivo: & in culpa habitum utrumque. Tertium vidi, qui convivia tempestiva vellet esse, quæ statis certisque temporibus præberent sacerdotes. Inducunt, & seducunt. audite me juvenes, & cum bono Mercurio, inite viam rectam. Legitima convivii hora apud Romanos priscos, Sol occasus. Salvianus lib. I. *Numquid parcam illam tunc agrestemque vitam cum gemitu & dolore tolerabant, cum viles ac rusticos cibos, ante ipsos quibus coxerant focos sumerent eosque ipsos capere nisi ad vesperam non liceret?* Itaque quia vespere cœna: ideo proverbii forma in Plauto, *de vespere suo vivere.* Postea autem Decima haberi cœpta. Clare ex Cornificio ad Herennium, ubi describit hominem vane gloriosum lib. IV. Is ad eus quos vocaverat ad cænam non in suas ædes: *Itane? eamus, inquit, hospites. Frater venit ex Salerno. ego illi obviam pergo, vos huc Decima venitote. Hospites discedunt. ille se raptim domum suam conjicit: illi Decima quo jusserat, veniunt.* Et ab ea mente Philippus Vultejum invitans, apud Horat: *Post nonam venies.* --- Imo actuosi homines & forenses post decimam sæpe. quoniam res & judicia in foro exercita ad Decimam horam, uti ex Miloniana Asconii discas. At labente imperio moribusque, octava hora balnei haberi cœpta, nona ipsa cœnæ. Plinius de Spurinna: *Ubi hora balnei nunciata est, (est autem hieme nona, æstate octava) in sole ambulat nudus. lotus accubat.* Martialis præter locos alios:

> *Imperat exstructos frangere Nona thoros.*

Hanc horam qui præveniebant, tempestive epulari dicebantur & præmature, & convivia eorum Tempestiva. qui in longum trahebant, inque noctem intempestam, jure eorum epulæ Intempestivæ. Qui de multo die, inquam, epulari incipiebant, in eos gulones hæc nota & nomen. Plautus probruse in senem:

> *Cum suo sibi gnato una ad amicam de die*
> *Potare.*

Hinc apud Catullum: *Convivia lauta de die:* apud Horatium,

> ——— *dictus here illic De medio potare die.*

Suetonius de Nerone: *Epulas à medio die ad mediam noctem protrahebat.* Plinius in laudatione Trajani: *Non enim ante medium diem distentus, solitaria cœna, spectator adnotatorque convivis tuis immines.* Livius de Annibale Capuæ lasciviente: *Cœperunt epulari de die, & convivium non ex more Punico aut militari disciplina esse.* Cicero de Pisone: *Qui numquam Solem orientem aut occidentem viderit:* culpatque eum vitii utriusque. Uti & Silius Campanos:

> ——— *medioque dierum*
> *Regales epulæ, atque ortu convivia Solis*
> *Deprensa.*

Hæc tempestiva convivia sæpe usurpari solita diebus lætis, festisque. Juvenalis Persicum suum invitans:

> ——— *jam nunc in balnea salva*
> *Fronte licet vadas; quamquam solida hora supersit*
> *Ad sextam.*

Vult ecce eum ad balneas ire hora quinta, præter morem. & ad epulas venire sexta septimave. Saturnalibus item vulgo convivia ordiebantur à multa luce. Tertullianus: *Non lavor diluculo Saturnalibus, ne & diem & noctem perdam: attamen lavor honesta hora & salubri.* Nam lautio semper ante cibum. Item nuptiis, Apulejus apol. I. *Nuptiæ illæ fuerunt, an aliud celebratum officium, ac convivium tempestivum?* Ea sunt convivia quæ Catoni placita apud Ciceronem: *Ego vero propter sermonis delectationem tempestivis conviviis delector.* Item Claudio, de quo Tacitus lib. XI. *Claudius domum regressus, & tempestivis epulis delinitus.* Quæ epulæ si media nocte fuissent, non potuit inter eas Messalina esse interfecta, sine querela aut verbo historicorum. Alexandro: de quo Curtius

tius lib. VIII. *Jamque iter parare in posterum jussus, sollenni & tempestivo adhibetur convivio.* Tamen hæc convivia jure in vitio. Cicero ad Atticum lib. IX. *Audio bonis viris hanc cunctationem nostram non probari, multaque & severe in me in conviviis quidem tempestivis disputari.* Ibid. *Quas nos cœnas facere & obire scripsit ad me Sextius? quam lautas, quam tempestivas?* Idem lib. III. in Verrem, de Apronii cœna in foro: *Statuitur Lollius in illo tempestivo gladiatorum convivio.* Et de ipso Verre lib. V. ait eum *diem conviviis, noctem stupris contrivisse.* Quinctilianus Declamat. CCCXXXI. *Neque enim senectutem adfert summus dies, sed longus ordo vitæ. nec ebrietatem facit illa potio, post quam concidendum est; sed tempestivum convivium, & aviditas nimia.* Seneca De Ira lib. II. cap. XXVIII. *Aliena vitia in oculis habemus, à tergo nostra sunt. Inde est, quod tempestiva filii convivia pater deterior filio castigat.* Addo Taciti locum lib. II. Histor. *Discubuerat Vitellius Ticini, adhibito ad epulas Verginio. Legati Tribunique ex moribus imperatorum severitatem æmulantur, vel tempestivis conviviis gaudent.* Qui vel solus locus sententiæ meæ firmandæ. Cedo enim si non de die illud epulum, quomodo subjungit de lucta inter milites? Quomodo, *Pulvis procul & arma adspiciebantur*, in tenebris? Sane iterum de Vitellio noster: *medio diei temulentus.* & Xiphilinus, τὸ πλεῖστον τῆς ἡμέρας καὶ τῆς νυκτὸς ἐδαπάνα. Diurnum ergo convivium (intelligo à meridie, aut circiter) Tempestivum, quia initum tempori nimis: nocturnum contra, Intempestivum. Describit Propertius,

Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
Injiciat radios in mea vina dies.

Suetonius Calig. cap. XLV. *Senatum populumque objurgavit edicto, quod Cæsare prœliante, intempestiva convivia, circum & theatra, & amœnos secessus celebrarent.* Cicero pro Murena: *Intempestivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio.* Curtius lib. VI. *Intempestiva convivia, & perpotandi pervigilandique insana dulcedo.* Et exempla plura. sed iis qui cor habent, hæc satis: μισῶ autem ὅτι πίνειν ὅτι ῥέξαι ἴσι, ait verbum vetus.

B.

Cap. 15. Sed & munera peti, darique solent eo die ad barbam. Ammianus lib. XVII. *Cæsar cum petenti, ex usu, gregarie cuidam ut barbas detonderet, dedisset aliquid vile, contumeliosis calumniis appetitus est à Gaudentio.* Juvenalis,

Ille metit barbam, crinem hic deponit amati,
Plena domus libis venalibus.

Quinetiam deo alicui sacrari solita, ut apud Græcos virginum puerorumque comæ Suetonius de Nerone: *Barbam primam posuit, conditamque in auream pyxidem & pretiosissimis margaritis adornatam Capitolio consecravit.* ubi emendo, *Capitolino,* Jovi scilicet ex Dione. Earinus apud Martialem primam lanugmem comamque

Pergameo posuit dona sacrata deo.

Tertullianus, De anima: *Quis non exinde aut totum feli* (lego, *filii*) *caput reatui vovet, aut aliquem excipit crinem, aut tota novacula prosecat, aut sacrificio obligat, aut sacro obsignat pro publica aut privata devotione?* Censorinus, De die natali. cap. I. *Quidam etiam pro cetera bona corporis valetudine, crinem deo sacrum pascebant.* Quando is mos Romæ cœperit (nam antiquos barbam aluisse satis constat) quæro. Livius eum agnoscere videtur sub annum urbis CCCLXIX. satis clare, ubi de Manlio Capitolino in carcerem conjecto: *Satis constat magnam partem plebis vestem mutasse, multos mortales capillum ac barbam promisisse.* Si in luctu promiserint barbam, ergo alias rasa. Refellit tamen eum Varro lib. II. De re Rust. *Omnino tonsores in Italia primum venisse ex Sicilia dicuntur post U. C. A. CCCCLIV. ut scriptum in publico Ardeæ in litteris exstat. eosque adduxisse P. Ticinium Menam. Olim tonsores non fuisse adsignificant antiquorum statuæ, quod pleraque habent capillum & barbam magnam.* Nec ambigo, quin ex ritu sui superiorisque ævi aberraverit Livio mens & manus. Cicero certe pro M. Cœlio etiam Ap. Claudium Cæcum barbatum inducit, aliquot post notatum Varroni ævum annis. Bellis Punicis in usu crebro jam rasuram fuisse docent Annalium prisca verba, quæ de Scipione Agellius rettulit, & mirabundus parum cepit. Juvenes ergo alebant barbam. & ideo à Cicerone I. ad Attic. *Comessatores conjurationis barbatuli juvenes.* appellati sine ulla lasciviæ, ut volunt, nota. & pro M. Cœlio ad juvenes alludens, *Non hac barba qua ista delectatur*, inquit. juvenemque à barba descripsit Juvenalis,

Jam senior, cujus barbam tua janua vidit.

Ponebant eam serius, citius, plerumque sub XXI. annum. Macrobius certe in Somnium Scipionis *ter septenarium numerum requiri ad radendam barbam* adfirmavit. Atque ita Neronem posuisse colliges ex Fastis, annisque. Caligula tamen XX. anno posuit, Suetonii cap. X. At Cæsar Octavianus anno demum XXV. uti clarum ex Dione. Natus enim M. Tullio C. Antonio Coss. posuit L. Marcio C. Sabino. Mutavit ab hoc more primus Romanorum Imperatorum Hadrianus, adnotante Xiphilino, & ostendentibus Nummis. Hæc Romæ. Apud Græcos quid? Barbam in pretio mansisse ad tempora Alexandri Athenæus ex Chrysippo adserit l. XIII. cap. VI. sub eo rege radi repertum. Inter philosophos primus barbam aluisse traditur Antisthenes Suidæ, in voce κωθῶνας. Hæc propemodum aliena à Tacito: sed per eum non absurde, ut spero, nec ingratus tuis, lector, mihi nata.

Olim

C.

Cap. 28. Olim in populi libertate, non frequens appellationum usus, non certe in caussa civili: (nam provocationem ad populum, in re majori criminumque, frequentem fecimus.) usus tamen. A Prætore enim appellatum reperio, alias ad collegam ejus, alias ad Tribunos. Ad Collegam, Cicero uno loco sed claro, in Verrem, de Prætura urbana: *L. Piso*, inquit, *multos codices implevit earum rerum quibus ita intercessit, quod iste aliter atque ut edixerat, decrevisset. quod vos oblitos esse non arbitror, quæ multitudo, qui ordo ad Pisonis sellam isto Prætore solitus sit convenire. quem iste collegam nisi habuisset, obrutus in foro lapidibus esset.* Asconiusque ibi: *Intercedere, ut vides, etiam Prætor Prætori solet, ut Piso Verri, appellatione caussa ad collegam facta.* Ad Tribunos appellatum, docet idem Cicero pro P. Quinctio: *Appellantur Tribuni, à quibus cum esset certum auxilium petitum, &c.* Clarius infra: *Cujus procurator à Prætore Tribunos appellare ausus sit.* Hæc olim: nec appellatum reperio ad Senatum. At Augustus imperium adeptus, *Appellationes quotannis urbanorum quidem litigatorum Prætori delegavit urbano:* (num scrib. *Præfecto del. urbis*) *at provincialium, consularibus viris, quos singulos cujusque provinciæ negotiis præposuisset*, ait Suet. c. XXXIII. Quem ita intellego, ut appellationes à minoribus magistratibus judicibusve, Romæ ad Prætorem fierent, in caussis dumtaxat civilibus: è provinciis, ad consulares. Nam quin Augustus ipse, firmandæ dominationi, & jure potestatis Tribuniciæ, graviorum rerum appellationes sibi servarit, ambigendum vix puto è Dionis verbis lib. LII. ubi Mæcenas ad Augustum: Δικαζε δὲ αὐτὸς ἰδίᾳ τά τε ἐφέσιμα καὶ τὰ ἀναπόμπιμα, ὅσα ἂν παρά τε τῶν μειζόνων ἀρχόντων, καὶ παρὰ τῶν ἐπιτρόπων, τοῦ τε πολιάρχου καὶ τοῦ ὑποτιμητοῦ καὶ τῶν ὑπάρχων, τοῦ τε τὸν σῖτον ἐπισκοποῦντος καὶ τοῦ νυκτοφυλακοῦντος ἀφικνῆται. etsi quædam ibi miscet, magis ex ritu sui ævi Dio, quam Augusti. Certe à Senatu ad Principem appellatum Tiberii imperio, sunt exempla in nostro scriptore, ut lib. IV. *usque instantibus ad Imperatorem provocavit:* & alibi. post eum Cajus *magistratibus liberam jurisdictionem permisit*, ait Sueton. c. XVI. i. e. sine appellatione plenam priscamque: sed id non diuturnum fuit, non magis quam permissa ab eo comitiorum libertas. Dio mihi auctor lib. LVIII. sub Cajo receptum, ut judicia quædam Senatus tractaret, ita tamen ut ab eo Princeps appellaretur. Sed appellatio Principis, ut apparet, non sine pœna fuit. pœna dico, in eos qui temere appellassent. Quo exemplo nunc Nero auctum honorem Senatus it; statuitque ut eadem pœna, qui illum temere à privatis judicibus appellassent, tenerentur, qua qui Principem. Sententiam hanc satis capio: confirmationem quæro & exempla. Nihil enim præ manu mihi quod istuc faciat, nisi forte quæ de pœna præjudiciali eorum qui à Præfecto urbis appellassent, Symmachus scribit lib. X. duobus locis. Quem tu cupide lector vide. Mihi à latere tragulam injicit Tranquillus, qui hanc ipsam rem tangens, cap. XVII. nihil eorum quæ Tacitus; sed hoc tantum dicit, *Cautum ut omnes appellationes à judicibus ad Senatum fierent.* Hæret id spiculum, & non evello.

JUSTI LIPSII
AD
LIBRUM XV.
ANNALIUM
EXCURSUS.

A.

Cap. 41. Certa investigatio ejus diei à clade Aliensi capi potest, & debet. quam certum est anteriorem fuisse, & fastis perpetuis traditam & signatam: ideoque & vulgo notam, Cicero ad Atticum: *Majores nostri funestiorem diem esse voluerunt Aliensis pugnæ, quam urbis captæ, quod hoc malum ex illo: itaque alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus.* Quis igitur ille? Livius ex professo tradit, initio lib. VI. *Diem a. d. XV. Kal. Sextiles duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabii cæsi, quo dein ad Aliam, cum exitio urbis, fœde pugnatum.* Eadem Taciti nostri assertio II. Histor. de Vitellio, quem tradit *funesto omine de cerimoniis publicis edixisse XV. Kal. Augusti, die antiquitus infausto Cremerensi Aliensique cladibus.* Er-

go eorum mente pugnæ ille dies: ſequens autem urbis captæ, & incenſæ. quod Livius item tradit. *Ingreſſi*, inquit, *poſtero die urbem; patente Collina porta.* Hæc ſi ita vera: quis non videt XIV. Kalend. ipſum incendii diem fuiſſe? & recte igitur hic ita in Tacito ſcriptum. At alii fortaſſe diſſentiunt. Minime. imo Agellius è Verrio Flacco refert, lib. V. cap. XVII. cum cauſſam quærit, cur dies poſtriduani atri Romanis habiti? refert, inquam, *Q. Sulpicium Tribunum militum, adverſus Gallos pugnaturum, rem divinam dimicandi gratia poſtridie Idus feciſſe; & poſt diem tertium ejus diei urbem à Gallis occupatam eſſe.* Quibus verbis ſi hæc ſententia eſt, ut velit tres dies medios, & quarto demum pugnatum, profecto cum Livio ſentit ac Tacito, & pugnæ dies erit *Decimusquintus Kalendarum.* Eſſe autem ex ipſo Livio dixeris, in quo pariter ita ſcriptum: *Quod poſtridie Idus non litaſſet Sulpicius, & poſt diem tertium objectus hoſti exercitus Romanus eſſet.* At ſi quis aliter, & velit *poſt diem tertium*, ſignificare ipſum diem tertium; tum certe fateor, XVI. *Kalendas* diem pugnæ fuiſſe, quomodo in Viris illuſtribus (quocumque auctore) eſt ſcriptum. Sed vel ſic ipſe incendii dies XV. ſit, non hercules XVI. Itaque nihil video, quod virum illum tegat, niſi forte Macrobius, qui deſcribens Agelliana illa, ut ſolet, adſerere videtur *die poſtero* quam Sulpicius male ſacrificaſſet, pugnatum fuiſſe. Sed hoc ſane falſum, & improvide a Macrobio ſcriptum, ſicut item à Plutarcho in Cauſſis: Ὅτι μετὰ τὰς κυντιλίας ἰδοὺς, ἃς νῦν Ἰουλίας καλοῦσιν, ἐξάγοντες οἱ χιλίαρχοι τὸ στράτευμα, περὶ τὸν Ἀλίαν ποταμὸν ἡττήθησαν ὑπὸ Κελτῶν μάχῃ: *Quod poſt Quinctiles Idus, quas nunc Julias vocant, educentes Tribuni copias, ad Aliam flumen victi ſunt à Gallis.* Indefinite aut falſo ajo dictum: quo argumento? certo, quod Livium ejus rei auctorem dat, qui palam contra ſcripſit, ut jam oſtenſum. Nam Plutarchus ibi, Ὡς οἱ πλεῖστοι νομίζουσι, καὶ Λίβιος ἱστορεῖ: *Ut plurimi arbitrantur, & Livius in hiſtoria ſcribit.* Ille vero hoc non ſcribit: & quocumque rem vertas, XIV. Kalendarum incendii erit, imo XIII. fortaſſe (tanto longius à XVI.) ſi Plutarcho & Polybio credam. Ille in Camillo, iſte lib. II. ſcribunt, non *poſtero*, ut Livius, ſed *tertio denique die à pugna Gallos irrupiſſe.* Et conſentit etiam, aut certe diſtinguit & conciliat Jo. Zonaras: *qui poſtera quidem die iviſſe ad urbem* vult, *ſed cum portas apertas viderent, ſubſtitiſſe, inſidias veritos; & tertia denique die ingreſſos.* Itaque, ut finiam, nihil erroris in Tacito: cum Livio ſentit & priſcis, quos adduxi.

B.

Pædagogia Seneca deſcribit epiſt. XCVI. *Tranſeo agmina exoletorum, per nationes coloresque deſcripta, ut eadem omnibus levitas ſit, eadem prima menſura lanuginis, eadem ſpecies capillorum.* Julianus in Antiochico: Οὐ κρεῖττον ἦν ἐλευθέρας μὲν εἰς τὴν ἀγορὰν βαδίζοντάς σου, καὶ παῖδας ἡγεῖσθαι καλοὺς, εἰς οὓς ἀποβλέψωσιν οἱ πολῖται; Hi pueri plerumque ad illicita dominis. Suetonius Nerone cap. XXVIII. *Super ingenuorum pædagogia, & matronarum concubinatus.* Pædagogia enim non culpat, ſed quod ex ingenuis. Tertullianus Apol. *Cum de pædagogiis aulicis neſcio quem cinædum* (Antinoum intellegit) *deum facitis.* Notitia Imperii: *ſub diſpoſitione viri ſpectabilis Caſtrenſis* collocantur. PÆDAGOGIA. MINISTERIALES. DOMINICI. CVRÆ. PALATIORVM. Plinius XXXIII. *Jam vero & pædagogia ad tranſitum virilitatis cuſtodiantur argento:* quod de fibulis argenteis exaudio, Veneri arcendæ. Uſus etiam eorum ad menſam. Ulpianus l. XII. de Inſtructo vel inſtrum. *Si inſtructum fundum legaſſet, ea pædagogia quæ ibi habebat, ut cum ibi veniſſet præſto eſſent in triclinio, legato continentur.* Hos habebant in veſte pretioſa. Seneca De vita beata, cap. XVII. *Quare pædagogium pretioſa veſte ſuccingitur?* Imo aurata. Idem De tranquillit. cap. I. *Præſtringit animum apparatus alicujus pædagogii, diligentius quam intra privatum larem veſtita & auro culta mancipia, & agmen ſervorum nitentium.* Ammianus lib. XXXVI. *Tunica auro diſtincta, ut regius miniſter, indutus, à calce in pubem in pædagogiani pueri ſpeciem.* Nec aliud ſenſit cum de auro Plinius ſcripſit: *Honeſtius viri pædagogiis id damus, balineaſque dives forma puerorum convertit.* neſcio an, *conveſtit.* Seneca de puerorum illorum deliciis, epiſt. CXXIII. *Omnium pædagogia oblita facie vehuntur, ne ſol, ne frigus teneram cutem lædat. Turpe eſt neminem eſſe in comitatu puerorum, cujus ſana facies medicamentum deſideret.* Vides ergo ubique Pædagogia pro cœtu & quaſi collegio puerorum. pro loco non accipio, nec apud Plinium quidem lib. VII. epiſt. *Puer in pædagogio mixtus pluribus dormiebat.* reſcriboque, *Puer è pædagogio.* Intellegit enim puerum pædagogianum. Ammianus lib. XXIX. *Adultus quidam ex his quos Pædagogianos appellant, ad obſervandam venaticiam prædam, Spartanum canem retinere diſpoſitus.* Res nomenque in parte manſit, apud Pagios Gallorum, Italorumque.

JUSTI

JUSTI LIPSII
AD
LIBRUM XVI.
ANNALIUM
EXCURSUS.

A.

Cap. 22. Libera re Romana non juratum scio in cujusquam acta. juratum in leges quidem: sed acta finito magistratu vocari poterant ad disquisitionem Senatus. Is probabat. aut rescindebat. Primi Triumviri, nisi fallor, Calendis Januariis & ipsi jurarunt, & alios adegerunt, rata se habituros omnia acta divi Julii. Inde secutis principibus exemplum. Dio opportune, lib. XLVII. Ἔν τε τῇ πρώτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ αὐτοί τε ὤμοσαν, καὶ τοὺς ἄλλους ὤρκωσαν βέβαια νομιεῖν πάντα τὰ ὑπ' ἐκείνου γενόμενα, καὶ τοῦτο καὶ νῦν ἐπὶ πᾶσι τοῖς τὸ κράτος ἰσχύουσιν, ἢ καὶ ἐπ' αὐτοῦ ποτε γενομένοις, καὶ μὴ ἀτιμασθεῖσι γίγνεται. id est: *Kalendis autem novi anni, & ipsi Triumviri jurarunt, & alios jurare coëgerunt, omnia acta Julii rata se habituros. Quod & nunc usurpatur in omnibus qui aut tenent imperium, aut tenuerunt, nisi forte infamia ignominiaque publice notati sint.* Id accidit sub annum urbis DCCXII. Factum idem viro Augusto; de quo idem Græcus lib. LIII. Ἐν δὲ τῇ νουμηνίᾳ ὅρκοις ἡ βουλὴ βεβαιοῦσα τὰς πράξεις αὐτοῦ ἐποιήσατο. Idque juramentum semper abusque Divo Julio repetitum ad principem ejus anni. Tacitus infra: *Ejusdem animi est Poppæam divam non credere, cujus in acta Divi Julii & Augusti non jurare.* Nisi tamen si quis sceleribus & flagitiis aliter meruisset. Dio lib. LX. de Cajo: Καὶ διὰ ταῦτα τὸ μὲν ὄνομα αὐτοῦ οὐκ ἔστιν ἐν τῷ καταλόγῳ τῶν αὐτοκρατόρων, ὧν μνήμην ἐπί τε τοῖς ὅρκοις καὶ ἐπὶ ταῖς εὐχαῖς ποιούμεθα, ὥσπερ οὐδὲ τὸ τοῦ Τιβερίου. id est: *Ob eas caussas non est Caji nomen in catalogo alboque Principum, quorum mentionem facimus in juramentis votisque; uti nec Tiberii.* Juratum vero non viritim, sed uno aliquo ex quoque magistratu verba præeunte, reliquis assentientibus. Quem morem Senatus, adulatione nova, trangressus est sub Tiberio, ut narrat idem Dio LVIII. Νομιζομένου συχνὸν χρόνον ἤδη, μηκέτι κατ' ἄνδρα τὴν βουλὴν ἐν τῇ νουμηνίᾳ ὀμνύναι, ἀλλ' ἑνός, ὅσπερ ἄρχοι μοι, προομνύντος, καὶ τοὺς λοιποὺς συνεπαινεῖν, οὐκ ἐποίησαν αὐτό, ἀλλ' ἀνεπάγγελτοι μηδενὸς σφᾶς ἀναγκάσαντος, ἰδίᾳ καὶ καθ' ἑαυτὸν ἕκαστος ἐπισάθησαν, ὥσπερ τι παρὰ τοῦτο μᾶλλον εὐορκήσοντες. Sed præjurationem Claudius iterum reduxit, explicatque Dio lib. ultimo: Κλαύδιος δὲ αὐτὸς μὲν πάντη ἐθισμένα διώμοσε, τοὺς δ' ἄλλους ἐκώλυσε κατ' ἄνδρα ὀμόσαι, ἀλλ' οὗτος εἴ τις τῶν στρατηγούντων, ὥσπερ ποτέ, καὶ ἕτερος τῶν δημαρχούντων, ἀπό τε τῶν ἄλλων ὡς ἑκάστων ἐς ἐξήγησιν τῶν ὅρκων τοῖς ὁμοίοις. Καὶ τοῦτο ἐπὶ πλείω ἔτη ἐπράχθη. Quam tamen abrogatam denuo esse, reditumque ad singularia juramenta, indicio sunt quæ hic & postea Thraseæ objiciuntur. Et Dionis sane verba ultima satis ostendunt, in aliquot annos dumtaxat id servatum.

B.

Ea vota in tabulis concipi solita, & signari. Cap. 22.
Suetonius Aug. cap. XCVII. *Nam se quamquam conscriptis paratisque jam tabulis, negavit suscepturum vota, quæ non esset soluturus.* Plinius ad Trajanum: *Solemnia vota pro incolumitate tua, qua salus publica continetur, & suscepimus & solvimus: precati deos, ut velint ea semper solvi, semperque signari.* Concepta non Kalendis ipsis, sed III. Nonas. Plutarchus in Cicerone: Τεχθῆναι Κικέρωνα λέγουσιν ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν νέων καλανδῶν, ἐν ᾗ νῦν οἱ ἄρχοντες εὔχονται καὶ θύουσιν ὑπὲρ τοῦ ἡγεμόνος. Capitolinus in Pertinace: *Tertio Nonarum die, Votis ipsis.* Eunapius in vita Maximi: ἡ τρίτη δὲ ἡμέρα τῶν καλανδῶν, ἃς αὐτὰς Ἰανουαρίας ἡμέρας Ῥωμαῖοι προσονομάζουσι, καὶ προσευξάμενοι πάντες αὐτῶν ὑπέσχοντο τὴν εὐχήν. Adde hunc Caji JCti locum de verbor. signif. *post Kalendas Januarias die tertio pro salute Principis vota suscipiuntur.* Denique hunc Dionis clarum lib. LIX. Καὶ τρίτῃ δὲ ἡμέρᾳ τὰς εὐχὰς ἐχρῆν συνῆλθον μὲν, &c. *Tertia autem die, qua Vota fiunt, convenerunt quidem,* &c. Firma hæc videbantur: tamen concutit nos nonnihil Tacitus lib. IV. Annal. *Cæsar sollennia incipientis anni Kalendas Januarias epistola precatus.* Et subdit: *Quem enim diem vacuum pœna, ubi inter sacra & Vota, vincla & laqueus inducantur?* Et Tibullus ad Messallam:

——— Tyrio subtemine vestem
Indueras, oriente die duce fertilis anni
Cum fora discordes tenuerunt flamina venti,
Et largita tuis sunt multa silentia votis.

Sed stamus. & ad Taciti locum ajo, non ita districte verba capienda quasi illo ipso die Vota, sed quasi in propinquo. Aut verius: etiam tunc Vota fuisse, sed ex ritu prisco, quæ soli Consules nuncupabant, pro Imperii & populi salute. hæc autem pro Principe subtexta. & die quidem lætiore, & augustiore pompa. Quod ipsum de Tibullianis illis censeo: Sane veteri rep. negari non potest, quin Vota ipsis Kalendis. Omitto plures Livii locos: hunc do firmum & clarum lib. XXI. extremo: Consulem C. *Flaminium, conscientia prateritorum, & Capitolium, & sollennem Votorum nuncupationem fugisse: ne die initi magistratus, Jovis opt. max. templum adiret.* Fieri etiam potest, ut plures dies Votorum fuerint, ille tamen tertius ante Nonas præcipuus. Concepta autem & in castris apud signa; & in Capitolio. Tertullianus de Corona: *Ecce annua Votorum nuncupatio, quid videtur? Prima in principiis, secunda in Capitoliis. Accipe post loca, & verba. Hunc tibi Jupiter bovem cornibus auro decoratis vovemus esse futurum.* Ubi & formulæ pars; in qua tamen corrigo, *esse facturum.* Est enim eo exemplo dictum, quo illud Gracchi: *Credo ego inimicos meos hoc dicturum.* Dies hic publice lætus; ideoque *Ælius Cæsar Votorum caussa ab Hadriano lugere est vetitus.* Eumdem etiam Sollennia ἁπλῶς appellarunt. Quod observo ex Tertulliani his verbis: *Vera religionis homines etiam Solennia Imperatorum conscientia potius, quam lascivia celebrant. Grande videlicet officium focos & choros* (nescio an, *thoros*, ut ad lectisternia referatur) *in publicum educere, vicatim epulari, civitatem taberna habitu abolefacere. Haccine sollennes dies principum decent, quæ alios dies non decent? O nos merito damnandos! Cur enim Vota & gaudia Cæsarum casti & sobrii & probi expungimus?*

F I N I S.